✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 246.

Gotº 30
Andrª
Vol 5º

COLLEGIJ SALMANTICENSIS

FF. DISCALCEATORUM B. MARIÆ DE MONTE CARMELI PRIMITIVÆ OBSERVANTIÆ

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS.

TOMUS TERTIUS,

QUATUOR CONTINENS TRACTATUS,

QUORUM { I. De Legibus. II. De Iustitia, & Iure. III. De Restitutione. IV. De contractibus. }

Per R. P. F. ANDRÆAM A MATRE DEI, *Collegij Salmanticensis Carmelitarum Discalceatorum S. Theologiæ Lectorem, ac Definitorem Generalem.*

EDITIO QUINTA.

CÆTERIS CORRECTIOR, CUI IN FRONTE ACCESSERE PROPOSITIONES à Summis Pontificibus vtroque Alex. VII. & VIII. necnon Innocentio XI. novissimè damnatæ, earumque notulæ sub signo ☞ proprijs in locis, prout visum fuit decursu Operis opportunum.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



Anno 1718.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SOCIA

MATRITI:

Ex OFFICINA REGIA, apud IOSEPHUM RODRIGUEZ DE ESCOBAR, Sanctæ Cruciatæ, & Hispanicæ Academiæ Typographum.

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FF. DISCALCEATORUM

B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

PRIMITIVÆ OBSERVANTIÆ

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS.

TOMUS TERTIUS,

QUATUOR CONTINENS TRACTATUS,

QUORUM { I. De Legibus. III. De Relligione. / II. De Iustitia, & Iure. IV. De contractibus. }

Per R. P. F. ANDREAM A MATRE DEI, Collegij Salmanticensis Carmelitarum Discalceatorum S. Theologiæ Lectorem, ac Definitorem Generalem.

EDITIO QUINTA.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Es de la libreria mayor de Huerta.



EXCEL.MO ET REVERENDISSIMO

DOMINO D. DIDACO DE VALLADARES ET SARMIENTO,

QUONDAM SUPREMÆ INQUISITIONIS in rebus Fidei, & Religionis contra hæreticam pravitatem à Consilijs, deinde Episcopo Ovetano, & Placentino meritissimo, Castellæ Præsidi oculatissimo, Regnorumque Hispaniæ à gubernationibus, & modò in Supremo Inquisitionis Senatu dignissimo Antesignano, &c.

IN Lucem noster de Iustitia, & Iure iam iam contendit (EXCELLENTISSIME, ET REVERENDISSIME PRÆSUL) tertiò prodire Tractatus. Verùm vix proditurus, illico innato quodam, veluti naturæ, pondere, ad aram (vt sic loquar) sapientiæ vestræ sese destinavit. Nec mirum, si enim magnetem lapidem, ignemque tali inclinatione natura ligavit, vt ille in Polum Arcticum, hic verò in superos irrequietis motibus Orbes, nullo, nisi natura, duce, quasi tracti vergunt; tanti sideris sapientiæ vestræ irradiatus lumine Arctico axe, supernaque illa ignium sphæra, & clariori, benigniorique, ad Te itidem præfato naturæ pondere vergit, trahiturque noster ille de Iustitia, & Iure Tractatus. Huiusce igitur rei causam cum attentioti, solicitiorique indagine perscrutarer, scaturiginem memini, & veluti emendicatum ab illa ignium sphæra, illuc remeare contendere, quia in suum satagit redire principium. Id ipsum huius destinationis esse causam adnoto (EXCELLENTISSIME, ET REVERENDISSIME PRÆSUL) siquidem tanta eruditione, tantaque sapientia Te exornatum considero, vt si quidpiam eruditionis, sapientiævè in his elucubrationibus meis reperiri queat, à vestra eruditione, & sapientia quasi emendicatum videatur. Unde si ignis, quia emendicatus ab ig-

nium ſphæra, illuc redire innata propenſione contendit, & huius ergò hoc Opus noſtrum naturali quodam veluti naturæ pondere ſeſe deſtinat. Quapropter naturalem hanc inclinationem divertere, ſeu impedire, contra libri titulum, imò & ſubſtantiam foret: quippè ſi *de Iuſtitia, & Iure* titulo inſignitur, & de illis agit, præfatam inclinationem impedire, jura eſſet naturæ pervertere, ac per conſequens contra jus, & juſtitiam libri titulum, & ſubſtantiam, foret. Currat igitur in impedito curſu, vt ſeſe coram veſtris conſpectibus offerat. Currat, inquam, feſtinet, properet; imò & curram, feſtinabo, properaboque, eiuſdem quoque invincibilibus præfatæ inclinationis nexibus validius attractus, ita vt cum Poeta dicere queam:

Aſpicere, vt quamvis ſeptem lapis ille Trionem,
Altivagamque ſinant ignes aſcendere in arcem;
Attamen ipſe ferar, quo me iam traxit.

Id enim efficere potuere hactenus recenſita, verum, & effecere in Religionem noſtram tot, tantiſque argumentis comprobatus ſingularis affectus, beneficia præſtita, imò & præſtanda exegere: præſtita quippè beneficia præſtandorum ſunt, in alijs rarò, in Te autem ob eximiam nobilitatis indolem, animique magnitudinem numquam, infallibile argumentum. Verùm enim illa præcipuè me compullit, quæ Te ad tanti culminis faſtigium meritiſsimè evexit ab omnibus laudata virtus, quam tamen ſi intra humilitatis modium condere, & recondere ſatagebas, illud intra ob ſui magnitudinem neutiquam paſſa anguſtiari, ſeſe in altum extulit, vt omnibus ſui irradiatione, lucernæ ad inſtar ſuper candelabrum poſitæ illuceſceret. Ob quam aſſonè hic ſequentia carmina reſonabunt:

Addita cultu humili virtus generoſa ſilere,
Ipſa nequit, cultuſque licet, turbaſque frequentes
Horreat, & cupiat ſemper ſe condere in antris,
Irrequieta rotis cœli faſtigia ſcandit,
Aſtra ſuper, ſecumque ferens, quos ardet alumnos.

Silere igitur nequaquam potuit virtus illa generoſa, quia intra ſcrinium ſilentij ſapientiæ veſtræ theſauros recludere voluiſtis. Silere, inquam nequaquam potuit, intonuit, dedit vocem ſuam. Quam vocem? Sapientiæ, quæ multùm clamitat. Hinc illud, quod de increata Sapientia dicitur, *Sapient.* 7. ad creatam, & veſtram non incongruè, vtpotè quæ ab illa tamquam à fontali principio derivatur, accommodatum, ni fallor, quodammodò intellexiſſe me arbitrabar: *Omnibus enim mobilius mobilior eſt ſapientia.* Quippè ſui agilitate ſolares ſuperante radios attingit vbique, pervadit, & procedit per omnia. Non enim Vallis-Oleti alma illa in Univerſitate, dum primas eius Cathedras, Maximi illius Collegij nobilitatus Toga, tanta cum laude omnibus non ignota moderabaris; non inquam ibi de ſe ſapientia jacuit, ſed ſui mobilitate, cum omnibus ſit mobilior, id eſt, ſui fama, totam Hiſpaniam penetravit; imò ad Italiæ oras pervenit, & vix dum

perve-

pervenerat, cum non ad mediocria ſubeunda munera curia te pontificia vocavit; ſed ad maiores glorias, maioraque emolumenta patriæ (cui potius, quàm ſibimet, homines eſſe natos, dicebat Plato) Divina Te deſtinante providentia, quæ omnia mirifica ſuavitate gubernat, revocabit Regia Catholici Regis noſtri, ne tanta ſobole privaretur Hiſpania. Plura omittere, ne in aliquo modeſtiam offendam, cogor. Sed incredibilem altitudinem, ſed prudentiſsimam maturitatem, irrefragabilem integritatem conſiliorum tuorum (vt optimum Conſiliarium decet) non ſolum in rebus fidei, & Religionis, in Supremæ Inquiſitionis Conſiliarij munere, quo fungebaris, verùm, & in alijs Regni, & reipublicæ negotijs, tùm publicis, tùm privatis, ſilentio præterire nequeo. Quæ mirificè effecere, vt totius Hiſpaniæ ita tibi ſuavitèr vincirentur affectus, vt cum effectu, & affectu ad Epiſcopalem nedum evectus Dignitatem, verùm ad ſummam Caſtellæ Prælaturam, ac Hiſpaniæ modo ei annexam gubernationem, Te, licèt invitum, in culmine tanto conſtituerent, vt inde ſuaviſsimos, ac puriſsimos, quos in ſapientiæ fonte abundè biberas, latices propinares. Quos bibant vtinam omnes, & vivant, vt tuo regimini ſubditi in laboribus ſubleventur, reſpiciant pauperes, & orphani communem Patrem, ac Protectorem in Te vnum aſpiciant, & calamitatibus oppreſsi tranquillitatem in portu benignitatis tuæ meritò intueantur. Hæc omnia igitur (EXCELLENTISSIME, ET REVERENDISSIME PRÆSUL) effecerunt, vt nefas putarem Curſum Operis noſtri avertere, ſeu divertere; ſed illud, vt minùs debitum, etſi non vt obſequioſus, ſaltem vt non ingratus appaream, vt Te Patrono approbante, omnium per manus cum vtilitate felicitèr currat, lubentiſsimè offero. Vale. Et vt in ævum felix valeas, præcor Deum Optimum Maximum.

Veſtræ Excellentiæ addictiſsimus
ſervus, & ſubditus.

Fr. Andreas à Matre Dei.

LICENTIA REVER. PATR. GENERALIS ORDINIS Diſcalceatorum B. Mariæ V. de Monte Carmelo.

FR. STEPHANUS A S. IOSEPH, Generalis Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ Virginis à Monte Carmelo Primitivæ Obſervantiæ. De conſenſu noſtri Diffinitorij Generalis, vt liber, cuius titulus eſt, *Curſus Theologiæ Moralis, Tomus tertius, de Iuſtitia, & Iure*, à P. FR. ANDRÆA A MATRE DEI, noſtri Ordinis olim Diffinitore Generali, ſuis elucubrationibus accuratè compoſitus, & à gravioribus, doctiſque Viris noſtræ ſacræ Religionis (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus) recognitus, & approbatus, Typis mandetur, & in lucem prodeat, quantum ad Nos attinet, tenore præſentium licentiam concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu noſtra, ac Secretarij chirographo ſubſcriptas, ſigillique noſtri prælo munitas fieri juſſimus. Matriti quarto Kalendas Aprilis, anno Domini M. DC. LXVIII.

Fr. Stephanus à S. Ioſeph, Generalis.

Fr. Antonius à Matre Dei, Secretarius.

Locus ✠ Sigilli.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Doctor D. Juan Chryſoſtomo Perez Davila, Dignidad de Capellan Mayor en la Santa Igleſia Magiſtral de San Juſto, y Paſtor de eſta Villa de Alcalà de Henares, y Vicario General en la Audiencia, y Corte Arçobiſpal de ella, y en todo el Arçobiſpado de Toledo, &c. por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima el libro intitulado, *De Iuſtitia, & Iure*, eſcrito por el M. R. P. FR. ANDRES DE LA MADRE DE DIOS, Carmelita Deſcalzo; atento que por nueſtro mandado ha ſido examinado, y no ay en èl coſa contra nueſtra Santa Fè. Fecho en Alcalà en 14. de Mayo de 1668. años.

Doct. D. Chryſoſtomo Perez Davila.

Por ſu mandado.

Ignacio Villoria.

SUMA DEL PRIVILEGIO.

TIene privilegio de los ſeñores del Real Conſejo de Caſtilla por diez años la Religion de los Padres Carmelitas Deſcalzos para imprimir los quatro libros, intitulados: *Collegij Salmanticenſis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Curſus Theologiæ Moralis*, ſin que otro alguno los pueda imprimir, ni traer à vender en los Reynos de Eſpaña los que en otros Reynos ſe imprimieren, ſin la facultad, y licencia de dicha Religion, como mas largamente conſta de ſu original, deſpacho en el Oficio de D. Bernardo de Solis, Secretario del Rey nueſtro ſeñor, y Eſcrivano de Camara mas antiguo de los que reſiden en el Conſejo de Caſtilla. Dada en Madrid à 28. dias del mes de Febrero de 1704. años.

CERTIFICACION DE LA TASSA.

DOn Bernardo de Solis, Secretario del Rey nueſtro ſeñor, y ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo de los que reſiden en el Conſejo, certifico, que aviendoſe viſto por los ſeñores dèl vn libro, intitulado: *Curſo Moral Salmanticenſe*, eſcrito en quatro Tomos; el primero de ellos por Fr. Franciſco de Jeſus Maria, y los otros tres por Fr. Andrès de la Madre de Dios, ambos Religioſos del Orden de Carmelitas Deſcalzos, que con licencia de los dichos ſeñores ſe han buelto à imprimir, taſſaron à ocho maravedis cada pliego, el qual parece tiene quatrocientos y doce, ſin principios, ni tablas, que al dicho reſpecto monta tres mil docientos y noventa y ſeis maravedis, y à eſte precio mandaron ſe venda; y que eſta certificacion ſe ponga al principio de cada tomo. Y para que conſte, lo firmè. En Madrid à 28. dias del mes de Noviembre de 1708. años.

Don Bernardo de Solis.

APRO-

APROBATIO ADMODVM REVERENDI LUCIANI

Marsal Presbyteri, Philosophiæ, & sacrosanctæ Theologiæ Doctoris, huiusque in Vespertina Divi Thomæ Cathedra Publici Professoris, necnon Examinatoris Synodalis Episcopatus Barcinonensis, &c.

ACceptissimos, mihique gratissimos semper habui sapientissimi illius, ac toto orbe celebertimi Collegij Salmanticensis Reverendissimorum Patrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli præclarissimos geminos fœtus, Theologicos, inquam, Cursus, Scholasticum, & Moralem, nulla discretione laudandos, pondere sententiarum æquales, ingenij vivacitate consimiles, & doctrinæ conformitate verè germanos, quos, veluti feracissima bonarum omnium Artium Parens, Aquinatico Sole fœcunda, opportunè concepit, fœliciter parturivit.

Sed cum iussu Illustris. Domini D. Antonij de Sayol, & Quarteroni, dignissimi Canonici huius almæ Barcinonensis ecclesiæ, necnon Vic. Gen. & Offic. pro admodum Illustri eiusdem Capitulo, Sede Episcopali Vacante, forti quadam, & suavi, nec prorsus ingrata, violentia cogor, animi mei sensum circa hunc, secundo natum, ætate, ac mole minorem, prædicti Salmanticensis Collegij Filium, aperire: Dicere non verebor, gratiosiorem, amabilioremque videri.

Nam præterquam quod moralis eius doctrina (vt iam de morali Philosophia, quasi in genere, dixit Seneca epist. 16.) *Non est populare artificium, nec ostentationi paratum. Non in verbis, sed in rebus est. Nec in hoc adhibetur, vt aliqua oblectatione consumatur dies, vt dematur otio nausea. Animum firmat, & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda, & omittenda demonstrat, sed & ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit Cursum.* Ad scopum hunc fœliciter assequendum egregia vtitur arte, mira pollet dexteritate: dum quatuor inter se implacabiliter pugnantia, nimirum copiam, brevitatem, facilitatem, & securitatem, indissolubili retinet pacis fœdere copulata; ideòque angelicæ illius doctrinæ, non modò quoad substantiam, sed, & quoad præcipuas dotes fit particeps, de qua ecclesia canit: *Stylus brevis, grata facundia, celsa, firma, clara sententia.*

Nec mirum: In votis siquidem semper habuit sapientissimum illud, ac religiosissimum Collegium, Angelicum Præceptorem D. Thomam in omnibus, & per omnia Ducem sequi, Archetypum imitari: Et sicut in speculativis, tali, ac tanto Magistro jure meritò gloriatur; ita, & in moralibus, ab illo, nec latum vnguem discedit.

cedit. Imò in his perquàm maximè, vbi presius de salutè, ac indemnitate animæ agitur, virilitèr satagunt RR. PP. vti primarij,& integerrimi Thomistæ,non tantùm fideliſsimè adhæreſcere ſanæ dodoctrinæ Angelici Præceptoris, quam ille ex limpidiſsimis, & incorruptis ſanctorum Patrum fontibus, in alveos ſuorum operum corrivavit; verùm etiam aſſueſcere propriæ ipſius phraſi, & modo loquendi, ita vt, quantum permittit materia pertractanda (id præſertim in tractatibus de ſacramentis elucet) ne quidem ab ipſo verborum eius ordine,ſtylo,& emphaſi longius recedatur.

Nec immerito prorſus, & fruſtra: Intelligunt namque prudentiſsimi viri (& optimè quidem cum Vincentio Lyrinenſi in Commonitorio) *Nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, qua fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filijs conſanguinarentur: noſque Religionem, non qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi oportere; idque eſſe proprium chriſtianæ modeſtiæ, & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſervare.* Quod eo libentius in morali doctrina VV.PP.Diſcalceati obſervant, quo rigidius primitivam Religionis obſervantiam profitentur, quia, vt idem Lyrinenſ. ſcripſit: *Mos iſte ſemper in eccleſia viguit, vt quo quiſque foret religioſior, eo promptius novellis opinionibus contrairet.* Quem quidem perantiquum, & laudabiliſsimum morem ab ipſis ſemper pro rerum, & temporum qualitate inviolabilitèr cuſtoditum, etiam nunc in præſenti huiuſce ſui Curſus Moralis editione indeſinenter continuant,dum, juxta monitum Div. Auguſtin. lib. 2. de Civitat. Dei, capit. 23. *Vigilijs continuis excubant, ne opinio veroſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicuius erroris offundant, ne, quod bonum eſt, malum; quod malum eſt, bonum eſſe credatur.* Quapropter totum hunc Curſum quatuor iam Tomis diſtributum, ſumma diligentia ſuis apte in locis conati ſunt, nuper emanatarum Apoſtolicarum declarationum nobis quibuſdam adnotationibus amplius exornare, vt evidentius inde appareat, non ad Doctorum opinantium, ſed ad Summorum Pontificum definientium, normam iam pridem fuiſſe compoſitum: *Magna profecto res eſt* (aiebat iam laudatus Vincent.Lyrinenſ.) *& ad diſcendum vtilis, & ad recolendum neceſſaria, quam etiam, atque etiam exemplorum mobilibus illuſtrare, atque inculcare debemus: vt omnes catholici noverint, ſecum eccleſia Doctores recipere, non cum Doctoribus eccleſiæ fidem deſerere debere.*

Nunc ergo injuncto iam muneri me accingens, lubens proferam, libens dicam: *Integrum Curſum Theologiæ Moralis Collegij Salmanticenſis PP. Diſcalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli*, eſſe vndequaque digniſsimum, vt iterum, atque iterum typis man-

mandetur, prælo tradatur; immo & immortalitati donetur : nedum quia nihil in eo vllatenus liturandum occurrit : *Neque enim fas erat, vt quem familia tanta produxerat, ſententia noſtra in eo corrigendum aliquid inveniret.* Caſsiodor. 9. variar. 22. verum & quia plura ſunt, quæ iteratam eius editionem ad publicam vtilitatem efflagitant : eo vel maximè, quia in hoc Moralium Operum genere, nullum ad quotidianos, & neceſſarios reipublicæ literariæ vſus æqua facilitate poterit inveniri, quantum ad avitæ fidei puritatem, nitidius, quantum ad antiquæ Religionis ſanctitatem, purius; & quantum ad rectitudinem ethicæ chriſtianæ, ſecurius. Ita cenſeo, ſalvo ſemper. Barcinone die 16. Ianuarij 1693.

Lucianus Marſal Presbyter S.T.D.

Die 26. Ianuarij 1693.

IMPRIMATUR.

D. Antonius de Sayol & Quarteroni,
Vic. Gen. & Offic.

APRO-

APROBATIO R. P. M. FR. MARTINI IBAÑEZ

de Villanueva, S. Inquisitionis Qualificatoris, Examinatoris Synodalis Archiepiscopatus Toletani, in Complutensis Academia Doctoris laureà decorati, & in eadem Universitate primariæ Cathedræ Scoti Moderatoris, &c.

TOmum tertium Cursus Moralis quatuor tractatus de *Iustitia, & Iure* complectentem, elaboratum à R. P. Fr. Andræa à Matre Dei, sacri Ordinis Patrum Carmelitarum Excalceatorum, olim sui Salmanticensis Collegij Theologo Primario, nunc totius Ordinis Diffinitore generali, qua potui cura, pro materiæ pondere evolvi, vidi, & legi; atque hoc vnum non lenis Encomiastes, sed sedulus Censor inveni cæterorum eiusdem Authoris genitorum operum vere germanum, vna quidem spiritus vivacitas, vna fidei puritas, vna doctrinæ soliditas. Quisquis opus hoc legerit, ex illa omniscia Angelici Præceptoris abysso flumen hocce emanasse dignoscet; hancque sibi pelagus illud magnum proprietatem asciscere vltrò fatebitur, quam de sacrorum Bibliorum lectione ediderat ante Chrysostomus homil. 3. ad cap. 1. Genes. *Qui ante nos fuere, pro suis viribus, inde aquas hauserunt, & similiter qui post futuri sunt, idem tentabunt: neque tamen sic in totum potuerunt evacuare, sed magis interim augebunt flumina, maiusque accipient incrementum.* Divisum mare Angelicum, instar fontis paradisi, in tot discipulorum ditissima flumina, iterum per florentes, fluctuosasque ripas novi huiusce alvei invenimus divisum, & ad rigandam vniversam morum terram mirificè dilapsum. Fluvius iste tanti pelagi alumnus non intra antiquorum adeò strictos clauditur terminos, vt alienis supersedeat sortibus; sed sequitur fideliter, & eligit rationabiliter. Omnium campos circumagit, vnde vetera vera subsenescunt, fucata nova dehiscunt. Itaque non sequax, sed arbiter æqua lance propria, & aliena librat, judiciumque pro veritate deserto Platone profert: ergo totus est Author in veritate vestiganda, & ab ictibus talisque adversantium eruenda non innovitate pro plausu, & dulci aura captanda. Prodeat igitur in lucem opus eruditione refertum, veritate imbutum, authoritate Patrum roboratum, jurium, ac ditionum, Conciliorum, & Pontificum statutis conforme, nec in apice ab integritate morum, à fideive puritate devium. Sic fero, salvo meliori judicio. Compluti in Collegio SS. Trinitatis Redemptorum, die 22. Maij anno 1668.

Doct. Fr. Martinus Ibañez de Villanueva,
Complutensis Scoti Primarius.

INDEX

INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM, PUNCTORUM, ET PARAGRAPHORUM, Quæ in hoc Tertio Volumine continentur.

TRACTATUS XI.

De Legibus. pag. 1.

Proœmium. ibid.

CAPUT I. De lege in communi, eiuſque natura, & conditionibus. pag. 2.

Punct. j. *Quid ſit lex, & in quo conſiſtat?* ibid.

Punct. ij. *De conditionibus ad legem humanam requiſitis.* 3.

Punct. iij. *Quotuplex ſit lex? Vbi de lege æterna, naturali, & poſitiva, & de jure gentium agimus.* 5.

§. j. *Quid ſit lex æterna, & in quo conſiſtat?* 6.

§. ij. *De lege naturali.* ibid.

§. iij. *De jure gentium.* 8.

§. iv. *De lege divina, nova, & veteri.* ibid.

§. v. *De lege humana, canonica, & civili.* 10.

Punct. iv. *De effectibus legis, & illius proprietatibus.* 11.

Punct. v. *De materia legis humanæ, circa quam verſari poteſt: vbi etiam an actus purè internos præcipere poſſit, prohibere, aut punire, tractatur.* 13.

Punct. vj. *De promulgatione ad legis virtutem requiſita. Vbi quo loco, & tempore leges pontificiæ, & civiles debeant promulgari?* 16.

§. j. *An lex eccleſiaſtica, aut civilis debeat in ſingulis Provincijs promulgari, an verò ſufficiat, quod in curia Principis promulgetur?* 17.

§. ij. *An duo menſes debeant tranſire à publicatione legis civilis, aut canonicæ, vt obligandi vim habeant.* 19.

Punct. vij. *De acceptatione populi ad legis valorem requiſita, tàm eccleſiaſticæ, quàm civilis.* 20.

§. j. *Requiraturne conſenſus inferiorum pro legis eccleſiaſticæ, & civilis valore?* 21.

§. ij. *Aliquæ limitationes præcedentis doctrinæ.* 22.

§. iij. *Aliquæ quæſtiunculæ circa præſentem materiam ad praxim neceſſariæ reſolvuntur.* 23.

CAP. II. De Obligatione, quam lex ex natura ſua inducit. pag. 24.

Punct. j. *An ſit de ratione legis ad culpam mortalem, vel venialem obligare: & vnde illius obligatio colligenda?* 25.

Punct. ij. *Vnde colligenda ſit gravitas materiæ reſpectu legis præceptivæ, vt obliget ad peccatum mortale?* 28.

§. j. *Quid intentio Legislatoris circa materiam gravem, aut levem efficere poteſt?* ibid.

§. ij. *Vnde colligendum ſit materiam eſſe*

esse gravem, aut levem? 29.
§. iij. *Quomodo materia levis per continuationem fiat gravis?* 31.
§. iv. *Quomodo materia levis ob contemptum sufficiat ad peccatum mortale?* 33.
Punct. iij. *De obligatione, quam lex pœnalis inducit.* ibid.
§. j. *Quomodo ex pœnis lege propositis colligatur, ipsam non solum ad pœnam, sed ad actum præceptum obligare?* 34.
§. ij. *An, & quomodo legis pœnalis transgressor teneatur ad pœnam ante Iudicis sententiam?* 37.
§. iij. *De obligatione, quam habet transgressor legis pœnalis ad pœnam subeundam post Iudicis sententiam.* 39.
§. iv. *De obligatione Iudicis ad applicandas pœnas in lege taxatas.* 40.
Punct. iv. *De obligatione legis fundatæ in præsumptione.* 41.
Punct. v. *De obligatione legis irritantis.* 43.
§. j. *Quando lex actus irritare ipso facto judicetur?* 44.
§. ij. *Quando leges irritantes indigeant Iudicis sententia, vt efficaciam sortiantur?* 46.
Punct. vj. *De obligatione legis dubiæ.* 48.
Punct. vij. *An periculum gravis damni, vel mortis excuset à legis obligatione?* 50.
Punct. viij. *Quibus actibus possit obligationi legis satisfieri?* 53.
Punct. ix. *Quomodo per eundem actum, & eodem tempore possint plures leges impleri?* 56.
Punct. x. *Quando censeatur peccare impedimentum apponens, vel non tollens, legi, vel præcepto adimplendis?* 57.
CAP. III. De potestate ferendi leges, & de ijs, qui legibus subijciuntur. *pag.* 59.
Punct. j. *In quibus resideat potestas condendi leges civiles?* ibid.
Punct. ij. *De ijs, in quibus potestas residet condendi leges canonicas, aut ecclesiasticas.* 61.
§. j. *De personis singularibus, in quibus potestas legislativa ecclesiastica reperitur.* 62.
§. ij. *De communitatibus, in quibus potestas ferendi leges reperitur.* 64.
Punct. iij. *An Princeps teneatur observare leges, quas ipse tulit?* 66.
Punct. iv. *Quomodo pueri, amentes, infideles legibus humanis obligentur?* 68.
Punct. v. *An peregrini, & vagi teneatur observare leges suæ patriæ, & locorum, per quæ transeunt?* 69.
§. j. *De advenis, & alienigenis, an teneantur observare leges, vel consuetudines locorum per quæ transeunt?* ibidem.
§. ij. *An absentes à suo territorio teneantur legibus illius?* 71.
CAP. IV. De cessatione legis, & illius interpretatione. *pag.* 73.
Punct. j. *Quomodo, cessante fine legis, cessat ipsa lex?* ibid.
Punct. ij. *De cessatione legis per abrogationem, & qui possint leges antiquas abrogare?* 75.
§. j. *Quomodo lex possit abrogari?* ibidem.
§. ij. *Quis possit leges iam receptas revocare, seu abrogare?* 76.
Punct. iij. *An liceat aliquando præter verba legis agere per interpretationem, vel epiKeiam?* 77.
§. j. *Qui possint legem authenticè, vel doctrinaliter interpretari?* ibid.
§. ij. *Quæ regulæ sunt observandæ pro recta legum interpretatione?* 78.
§. iij. *An lex extendenda sit ad casum in ea non comprehensum, ob similitudinem, vel identitatem rationis?* 79.
§. iv. *An sit vnicuique licitum vti epiKeia, seu epiKeia, & in quibus casibus?* 81.
CAP. V. De Dispensatione legis, *pag.* 82.
Punct. j. *Quid, & quotuplex sit dispensatio?* 83.
Punct. ij. *Quid requiratur, vt per tasi-*

tacitam dispensationem aliquis à lege eximatur? 85.
Punct.iij. *Quis potest dispensare in lege naturali, & divina?* 86.
Punct. iv. *De ijs, in quibus est potestas dispensandi in lege humana, & respectu quorum eam exercere valeant?* 87.
§. j. *In quibus est ordinaria potestas in legibus dispensandi?* 88.
§. ij. *An inferior possit dispensare in lege superioris?* 89.
§. iij. *De potestate dispensandi in legibus delegata.* 91.
Punct. v. *Respectu quorum possit dari dispensatio legum?* 92.
Punct. vj. *De causa requisita ad validam, & licitam dispensationem impendendam.* 94.
§. j. *Quomodo Legislator validè (licèt non licitè) possit sine causa in sua lege dispensare?* ibid.
§. ij. *De inferiori in lege superioris dispensante sine causa.* 96.
§. iij. *Quæ sint causæ sufficientes ad licitam, & validam dispensationem obtinendam?* ibid.
Punct. vij. *De dispensatione per metum, aut dolum extorta.* 98.
Punct. viij. *Quibus modis possit obtenta dispensatio cessare?* 99.
§. j. *An, cessante causa motiva dispensationis, cesset ipsa dispensatio?* ibid.
§. ij. *An per mortem dispensatoris, vel per revocationem illius cesset dispensatio?* 100.
§. iij. *De renuntiatione dispensationis.* 101.
CAP. VI. De consuetudine, quę lex non scripta dicitur. 101.
Pnnct. j. *Quid, & quotuplex sit consuetudo?* 103.
Punct. ij. *A quibus possit consuetudo introduci?* 104.
Punct. iij. *Quas conditiones consuetudo, vt habeat vim legis, vel vt legem abroget, requirat?* ibid.
§. j. *Quæ sit rationabilis consuetudo?* 105.
§. ij. *Quod tempus requiratur ad introducendam consuetudinem?* 106.
§. iij. *De qualitate actuum, & frequentia illorum requisita ad consuetudinem.* 107.
§. iv. *De intentione requisita in introducentibus consuetudinem.* 108.
§. v. *De consensu Principis requisito ad hoc vt consuetudo habeat vim legis?* 109.
Punct. iv. *De effectibus consuetudinis.* ibid.
§. j. *De obligatione, quam consuetudo generat.* 110.
§. ij. *Quomodo possit consuetudo legem humanam abrogare?* ibid.
§. iij. *De interpretatione legis, quam potest exhibere consuetudo.* 111.
Punct.v. *De modis, quibus potest consuetudo cessare.* 112.
§.j. *Quomodo per novam legem possit abrogari consuetudo?* ibid.
§. ij. *Quomodo consuetudo cesset per consuetudinem contrariam?* 113.

TRACTATUS XII.

De Iustitia, & Iure. *pag.* 115.
Proœmium. ibid.
CAP. I. De Iustitia, & Iure in communi. *pag.* 116.
Punct. j. *De jure, quod est obiectum justitiæ?* ibid.
Punct. ij. *Quid, & quotuplex sit justitia?* 117.
Punct. iij. *De justitia generali, seu legali: quid sit? vnde dicatur? & quomodo ab alijs discriminetur?* 119.
Punct. iv. *De justitia distributiva, & commutativa, & comparatione illarum inter se.* 120.
Punct. v. *De vitijs, quæ sunt justitiæ contraria.* 123.
CAP. II. De dominio, & possessione. *pag.* 125.
Punct.j. *De rerum divisione, an sit licita, & conveniens, & quo jure introducta?* 126.
Punct ij. *Quid, & quotuplex sit dominium, & quomodo eius traslatio fiat?* 127.
Punct.iij. *De vsufructu, vsu nudo, emphiteusi, & feudo.* 129.
Punct. iv. *Quid, & quotuplex sit possessio? quomodo acquiratur, & deperdatur?* 131.

Punct. v. *Apud quos, & quorum dominium esse possit?* 133.
Punct. vj. *Quomodo acquiratur, & deperdatur animalium dominium?* 135.
§. j. *Quæ animalia capere nemini liceat, & quorum captura omnibus concedatur?* ib.
§. ij. *Quomodo piscatio, venatio, & aucupium in locis communibus prohiberi possit?* 136.
§. iij. *Quomodo columbaria licita sint, & columbarum aucupium?* 138.
Punct. vij. *Quomodo dominium acquiratur sylvarum, montium, & pascuorum?* 139.
Punct. viij. *Rerum inventarum dominium quomodo acquiratur?* 140.
§. j. *De ijs, quæ habentur pro derelictis, vel numquam fuerunt alicui domino applicata.* 141.
§. ij. *De rebus ab vno perditis, & inventis ab alio.* 142.
§. iij. *Cui competat dominium thesauri inventi?* 143.
Punct. ix. *De translatione dominij in alterum ex lege præscriptionis.* 145.
§. j. *De quatuor conditionibus, quæ ad legitimam præscriptionem requiruntur.* ibid.
§. ij. *Circa bonam fidem requisitam ad præscriptionem aliquæ difficultates enodantur.* 147.
Punct. x. *Quarum rerum habeant dominium filij familias sub patria potestate constituti?* 150.
§. j. *De patria potestate, ad quos pertineat: & quomodo dissolvatur?* ibid.
§. ij. *De bonis castrensibus, quasi castrensibus, adventitijs, & profectitijs filiorumfamilias.* 151.
Punct. xj. *De dominio, quod apud ecclesiasticos potest reperiri.* 153.
§. j. *De bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, quorum habet ecclesiasticus plenum dominium.* ibid.
§. ij. *De bonis ecclesiasticis, quæ debet Clericus in pias causas expendere.* ibid.
§. iij. *Utrùm Clericus teneatur restituere bona ecclesiastica, quæ expendit in vsus profanos?* 156.
Punct. xij. *Utrùm Religiosi habere possint aliquarum rerum dominium in communi, vel in particulari?* 158.
§. j. *Quomodo possint Religiones in bonis Religiosorum succedere, heredes instituì, vel pia legata possidere?* 159.
§. ij. *Quomodo Religio Minorum, Societatis, & nostra est, vel non capax hæreditatis, aut legati?* 160.
§. iij. *De incapacitate, quam habent Religiosi habendi dominium in particulari.* 263.
§. iv. *Quorum bonorum domini sint Religiosi in particulari capaces?* 165.
§. v. *Cui acquirat Religiosus bona quæcumque acquirit?* 167.
§. vj. *An Monasterium ex delicto Religiosi, & eius contractibus obligetur?* 168.

TRACTATUS XIII.

De Restitutione. *pag.* 171.
Proœmium. ibid.
CAP. I. De Restitutione in communi. ibid.
Punct. j. *De nomine, definitione, & natura restitutionis, & de radicibus illius.* 173.
Punct. ij. *Quid sit injusta actio, vel omissio, ex quibus obligatio restitutionis oriatur?* 175.
§. j. *Aliqua pro decisione puncti præli-bantur.* ibid.
§. ij. *Qualis culpa sufficiat, vt aliquis teneatur ad restitutionem ex delicto?* 176.
§. iij. *Ex quali culpa in officio commissa oriatur obligatio restituendi?* 178.
§. iv. *Qualis culpa requiratur, vt sit obligatio restituendi ex contractu?* 179.
§. v. *Difficilis objectio dissolvitur, & amplius doctrina tradita declaratur.* 180.
Punct. iij. *De obligatione restituendi ob rem alienam à possessore malæ, vel bonæ fidei acceptam.* 181.
§. j. *Quam restitutionem teneatur facere domino rei, bonæ fidei possessor?* ibid.

§. ij. *De restitutione, quam debet possessor malæ fidei exhibere.* 183.
§. iij. *Qualiter possessor dubiæ fidei teneatur ad restitutionem rei alienæ?* 186.
§. iv. *Quos fructus ex re aliena perceptos teneatur restituere bonæ, vel malæ fidei possessor?* 187.
§. v. *Quæ expensæ deduci possunt tàm à possessore bonæ, quàm malæ fidei in restitutione rei alienæ?* 189.
§. vj. *Possessor bonæ, vel malæ fidei rem alienam emens, aut vendens, quid facere, aut restituere teneatur?* 190.
Punct. iv. *De obligatione restituendi ob injustum impedimentum boni alieni.* 192.
Punct. v. *Quæ, & quotuplex causa sit obnoxia restitutioni, & quem ordinem debeant inter se servare?* 195.
§ j. *Quomodo cooperatores ad damnum alterius teneantur ad restitutionem?* 196.
§. ij. *De ijs, qui positivè ad damna cooperantur, quomodo restituere teneãtur?* 197.
§. iij. *De non loquente, non impediente, non manifestante, quomodo ad restitutionem teneantur?* 201.
§. iv. *De ordine servando inter cooperantes ad injustitiam in ordine ad restitutionẽ.* 202.
§. v. *Quomodo omnes prædictæ causæ teneantur in solidum satisfacere?* 204.
Punct. vij. *Utrùm ex acceptione ob turpem causam obligatio restituendi proficiscatur?* 205.
Punct. vij. *An ex donatione illicita, & per leges reprobata oriatur obligatio restituendi in recipiente?* 208.
Punct. viij. *An recipiens pro actu bono, quem debebat facere, vel pro desistendo à malo, quem debebat omittere, teneatur restituere quod accepit?* 210.
Punct. ix. *Utrùm sit facienda nova restitutio à debitore, quando res, quæ restituitur, non pervenit ad creditorem?* 212.
Punct. x. *In quo loco, & quibus expensis sit facienda restitutio?* 214.
Punct. xj. *De ijs, quibus facienda est restitutio.* 215.
§. j. *An semper restituenda sit res ei, à quo fuit ablata?* ibid.
§. ij. *An restitutio facienda sit domino vero rei, quando ipsi, vel alteri futura est nociva?* 216.
§. iij. *Cui facienda est restitutio rei ablatæ, vel acceptæ, quando dominus est ignotus, vel incertus?* 217.
§. iv. *An, solutione facta creditori mei creditoris, liber sim ab alia facienda?* 219.
Punct. xij. *De ordine in restitutione servando.* 220.
§. j. *De creditoribus, quibus ex jure naturæ debet solutio fieri ante alios, etiam hypothecarios, & privilegiatos.* 221.
§. ij. *Quomodo creditores hypothecarij præferendi sint etiam antiquioribus hypothecam non habentibus?* 223.
§. iij. *De creditoribus personalibus, privilegiatis, & de ordine servando inter illos.* 224.
§. iv. *De ordine servãdo in solutione creditorum personalium, non privilegiatorũ.* 225.
Punct. xiij. *De tempore, & modo restitutionis faciendæ.* 227.
Punct. xiv. *Utrùm is, qui alienum morosè retinet, multa peccata committat, & quomodo in confessione eorum numerus sit detegendus?* 229.
Punct. xv. *De causis excusantibus à restitutione, vel à dilatione illius.* 230.
Punct. xvj. *An per condonationem creditoris maneat debitor liber ab onere restitutionis?* 232.
Punct. xvij. *Utrùm cum detrimento proprio in bonis superioris ordinis teneatur debitor solvere bona inferioris ordinis, quæ debet?* 233.
Punct. xviij. *Utrùm per ingressum in Religionem debita ante illum contracta extinguantur? & an ære alieno gravatus possit Religionem ingredi? & quid facere debeat, si illicitè, vel licitè in Religione profiteatur?* 234.
§. j. *An jure naturæ teneatur debitor per multum tempus in sæculo manere, si toto illo tempore speret posse creditoribus integrè satisfacere?* ibid.
§. ij. *Quid jure Pontificio Sixti V. & Clementis VIII. circa materiam huius puncti habeatur?* 237.
Punct. xix. *Qualiter in foro conscientiæ debitum compensatione extinguatur, &*

de conditionibus ad licitam, & validam compensationem requisitis? 238.
§. j. *Quomodo compensatio licita sit, & occulta debiti recuperatio?* ibid.
§. ij. *De conditionibus ad licitam compensationem requisitis.* 239.
§. iij. *Utrùm cum opinione probabili, quod res sibi detur, possit quis vti compensatione occulta?* 241.
CAP. II. De Restitutione ob homicidium, & mutilationem. *pag.* 243.
Punct. j. *Utrùm sit licitũ occidere malefactores, & qua authoritate id fieri debeat?* 244
§. j. *Non solum esse licitum malefactores occidere, de quibus sit sermo in scriptura, sed etiam alios, qui legibus justis ad mortem condemnatur, ostenditur.* ibid.
§. ij. *Aliqui casus particulares, in quibus, an liceat malefactorem privata, vel publica authoritate occidere, deciduntur.* 245.
Punct. ij. *Utrùm in aliquo casu licitum sit seipsum interficere.* 247.
§. j. *In nullo casu licere seipsum directè interficere, tanquam de fide tenendum.* 248.
§. ij. *An, & in quibus casibus licitum sit vitam non conservare, seu negativè ad mortem se habere, non impediendo illam, cum possimus?* 249.
§. iij *Utrùm ex justa causa aliquid facere positivè liceat, ex quo sequutura est propria mors secundariò, & indirectè.* 251.
Punct. iij. *Utrùm mutilatio membrorum aliquo in casu sit licita?* 252.
Punct. iv. *Utrùm liceat aliquando innocentem interficere?* 254.
§. j. *Innocentem directè occidere in nullo casu permittitur, in aliquibus licet indirectè.* 255
§. ij. *Quomodo illicitus sit abortus, & per eum occisio innocentis?* 256.
§. iij. *De pœnis contra abortum procurantes in jure stabilitis.* 258.
Punct. v. *Utrùm liceat occidere injustum invasorem vitæ, divitiarum, honoris, & famæ?* 259.
Punct. vj. *An sit aliquid restituendum pro vita ablata, membro mutilato, & cicatrice causata?* 260.
Punct. vij. *Quid sit restituendum propter damna sequuta ex homicidio, aut mutilatione?* 262.
Punct. viij. *Quibus personis debeat restitutio fieri propter damna ex homicidio causata?* 265.
CAP. III. De Restitutione ratione adulterij, vel stupri. *pag.* 268.
Punct. j. *Quid pro stupro teneatur restituere, qui virginem defloravit?* ibid.
§. j. *De obligatione, quam habet restitutionis defloratur virginis absque promissione conjugij.* 269.
§. ij. *Quam obligationem subeat, qui sub promissione matrimonij virginem defloravit?* 271.
Punct. ij. *De obligatione restitutionis ratione adulterij.* 273.
§. j. *Utrùm, si partus sequatur, teneatur adulter damna restituere, quæ marito, vel hæredibus consequuntur?* 274.
§. ij. *Ad quid teneatur adultera, si partus sequutus sit?* 276.
CAP. IV. De Restitutione ob injurias in materia famę, & honoris. *pag.* 278.
Punct. j. *De honore, & fama, in quo consistant, & in quo differant?* 279.
Punct. ij. *Quid sit contumelia, & quot modis fiat; & an contumelias sustinere quis teneatur?* 280.
Punct. iij. *Quod peccatum sit susurratio, & quod derisio, & in quibus casibus vtraque liceat?* 282.
Punct. iv. *De maledictione, eius malitia, & diversitate.* 284.
Punct. v. *De injuria contra bonum famæ per detractionem commissa.* 285.
§. j. *Quid sit detractio? quod peccatum? quot modis contingat? an respectu mortuorum locum habeat? vbi de historijs, & libellis infamatorijs?* ibid.
§. ij. *Quæ censenda sit parva, vel magna materia, vt detractio veniale, vel mortale peccatum judicetur?* 288.
§. iij. *An sit peccatum grave detractionis crimen in vno loco publicum, in alio, vbi non est publicum, narrare?* 290.
§. iv. *Quomodo manifestatio alieni criminis, vel defectus excusetur à peccato detractionis propter necessitatem?* 292.
§. v. *Utrùm audiens, & tolerans detrahentes peccet mortaliter?* 294.

Punct.

Punctorum, & Paragraphorum.

Punct.vj. *De peccato, quod committit, qui secretum naturale revelat.* 295.

§. j. *Quot modis contingat secretum? quod peccatum sit illud violare? quibus in casibus liceat?* 296.

§. ij. *Utrùm alicui liceat exquirere sibi secretum alterius, & literas alij missas aperire?* 298.

Punct.vij. *De judicio temerario, dubio, opinione, & suspicione.* 299.

§. j. *Quando judicium temerarium sit mortale peccatum, vel à tali malitia liberum?* ibid.

§. ij. *De suspicione, dubio, & opinione temeraria.* 302.

§. iij. *Quomodo sint in meliorem partem dubia interpretanda?* 303.

Punct.viij. *De modo, quo debet honor injustè ablatus restitui.* 304.

Punct. ix. *De restitutione famæ per detractionem ablatæ.* 306.

§. j. *Quomodo detractor teneatur restituere, quantum, & quibus?* ibid.

§. ij. *Quomodo facienda sit restitutio ab eo, qui falsum crimen imposuit, vel occultum verum revelavit?* 308.

§. iij. *In quibus casibus à restitutione famæ excusetur injustus diffamator?* 310.

CAP. V. De Restitutione ob furtum, & rapinam. *pag.* 314.

Punct. j. *Quid, & quotuplex sit furtum? & quomodo differat à rapina?* ibid.

Punct. ij. *De parvitate materiæ, ob quam furtum à peccato gravi excusatur?* 316.

§. j. *Quæ materia sit sufficiens in furto, vt sit peccatum mortale?* 317.

§. ij. *Quomodo materiam parvam à pluribus auferre, vel ab vno repetitis vicibus, sit grave peccatum?* 318.

§. iij. *Utrùm quando plures per minuta furta grave damnum vni inferunt, eorum singuli mortaliter peccent, & ad restitutionem teneantur?* 320.

Punct.iij. *Quæ necessitas possit excusare à furto, vel rapina acceptionẽ rei alienæ?* 322.

§. j. *Quomodo in extrema necessitate licitum sit rem alterius coram, vel in occulto rapere?* ibid.

§. ij. *Non est licitum aliena accipere invito domino in gravi necessitate?* 323.

Punct.iv. *De furtis domesticorum.* 324.

§. j. *De servorum, & famulorum furtis.* 325.

§. ij. *De furtis filiorum respectu parentum, & parentum respectu filiorum.* ibid.

§. iij. *De furtis vxoris respectu viri, & viri respectu vxoris.* 326.

CAP. VI. De Restitutione facienda à Religioso ob violationem voti paupertatis. *pag.* 328.

Punct.j. *Aliqua circa Religiosorum furta, & paupertatis votum communia recensentur.* 329.

Punct. ij. *Quomodo Religiosus nihil accipere, aut retinere possit nomine proprio, & absque legitima licentia?* 331.

Punct. iij. *Quomodo Religiosus sit transgressor voti paupertatis, & committat injustitiam aliqua donando, & expendendo absque superioris facultate?* 333.

Punct. iv. *Res pretio æstimabiles commutare, permutare, commodare, vendere, aliove modo distrahere sine Prælati licentia, est contra votum paupertatis.* 336.

Punct. v. *Quæ materiæ quantitas requiratur, sive in pecuniis, sive in rebus comestibilibus, vt Religiosus absque licentia illam expendens peccet contra votum mortaliter?* 338.

Punct.vj. *De licentia superioris, quæ requiritur, vt in acceptionibus, vel donationibus paupertatis votum non violetur.* 342.

§. j. *Quotuplex sit licentia, & quænam illarum sufficiat?* ibid.

§. ij. *Quas conditiones debeat habere licentia, vt à transgressione voti paupertatis excuset?* 346.

Punct. vij. *Quam obligationem habeat Prælatus circa votum paupertatis, & quam quantitatem possit expendere, aut dare licentiam subditis, vt illam expendant?* 349.

Punct. viij. *Quomodo Religiosi possint aliqua ludo exponere?* 351.

Punct. ix. *De obligatione restituendi, quam habet Religiosus sine licentia donans, aut alio modo expendens, & qui ab eo recipit.* 352.

TRACTATUS XIV.

De Contractibus. *pag.* 355.

CAP. I. De contractibus, & pactis in genere, vel in communi. *ibid.*

Punct. j. *Quid sit, & quotuplex contractus? quomodo perficiatur, & obliget?* 356.

Punct. ij. *An metus gravis incussus ad extorquendum contractum, eum irritum reddat, jure naturæ, aut positivo?* 357.

Punct. iij. *An contractus, cui dolus causam dedit, sit firmus, & validus?* 359.

Punct. iv. *De contractu inito sub conditione, quomodo obliget, aut absolutus fiat?* 361.

Punct. v. *Qui possint validè, & licitè contrahere?* 363.

§. j. *Qui jure naturæ, vel positivo sint habiles, vel inhabiles ad contrahendum?* ibid.

§. ij. *Quomodo minor, pupillus, & filius familias possint, vel non contrahere?* 364.

Punct. vj. *Utrùm contractus sine solemnitate juris factus obliget in conscientia?* 367.

Punct. vij. *An contractus jure naturæ, vel positivo nullus juramento firmetur?* 368.

§. j. *Quando juramentum contractui adjectum sit validum, licet contractum non confirmet?* 369.

§. ij. *Quando juramentum contractum irritum, & nullum, ratum, & firmum reddat?* 372.

Punct. viij. *Quid sit restitutio in integrum? & quibus hoc beneficium restitutionis concedatur?* 373.

CAP. II. De contractu emptionis, & venditionis. *pag.* 375.

Punct. j. *De emptionis, & venditionis contractu: quomodo perficiatur? & quas conditiones requirat?* 376.

Punct. ij. *Quando rei dominium per venditionem acquiratur? cuius periculo pereat? & cuius sint fructus illius?* 377.

§. j. *An post perfectam venditionem statim emptor rei dominium acquirat?* ibid.

§. ij. *Cuius periculo res vendita pereat, nondum emptori tradita?* 378.

§. iij. *Ad quem pertineant fructibus rei venditæ, antequam dissolvatur contractus?* ib.

§. iv. *Ad quem pertineant fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractus dissolvitur?* 381.

Punct. iij. *Qui possint emere, & vendere? Et quæ res sint materia huius cõtractus?* 382.

Punct. iv. *Utrùm sit illicita negotiatio, quæ emendo, & vendendo fit, saltem aliquibus personis?* 384.

§. j. *Clericis, & Religiosis prohibita est negotiatio, emendo, & vendendo, rigorosè sumpta.* ibid.

§. ij. *Quibus in casibus negotiatio per emptionẽ, & venditionẽ sit omnibus illicita?* 386.

Punct. v. *An omnia monopolia sint illicita, & contra justitiam?* 388.

Punct. vj. *Utrùm venditio cum pacto retrovendendi, vel emptio cum pacto retroemendi licita sit?* 390.

Punct. vij. *Utrùm emptiones, & venditiones reciprocæ eiusdem rei diverso pretio (quæ vulgò,* mohatras, *vel* baratas *dicuntur) sint licitæ?* 391.

Punct. viij. *Utrùm illi, quibus aliquid traditur ad vendendum (qui vulgò dicuntur* los corredores*) possint sibi aliquid ex pretio retinere, si pluris vendant rem, quàm eis à domino fuerat præscriptum?* 392.

Punct. ix. *Utrùm excedere pretia justa rerum in venditionibus, & emptionibus sit peccatum contra justitiam obligans ad restitutionem.* 394.

§. j. *Pretia justa rerum excedere, vel minuere, est contra justitiam, & obnoxium restitutioni.* 395.

§. ij. *De pretio naturali, seu vulgari, vnde sumatur? ex quibus capitibus crescere, vel decrescere soleat?* 398.

§. iij. *De valore rerum legitimo, seu de illo, qui à publica potestate taxatur.* 401.

Punct. x. *De lege taxativa pretij frumenti, quæ in Hispania reperitur.* 404.

§. j. *Aliquæ difficultates pro praxi necessariæ dissolvuntur circa taxationem frumenti.* ibid.

§. ij. *An lex taxativa tritici obliget in*

annis magnæ ſterilitatis alicuius Provinciæ? 406.

§. iij. *De taxa panis, quando in farina, vel iam coctus venditur.* 408.

Punct. xj. *Utrùm liceat vendere carius ob dilatam ſolutionem, vel vilius emere ob ſolutionem anticipatam?* 409.

§. j. *Res ad creditum vendita carius vendi non poteſt, ſed aliquibus titulis, & conditionibus ſolet talis vēditio honeſtari.* ib.

§. ij. *Utrùm illa res, quæ frequenter emi ſolent anticipata ſolutione, liceat minoris emere, quàm aliàs ſit juſtum pretium? Vel è contra carius vendere, quæ frequenter vendi ſolent ad creditum, ob ſolutionem dilatam?* 411.

§. iij. *Utrùm debita, ſeu credita, vel chirographa (vulgò, las letras, ò libranças) poſsint minoris emi, quam continent, per hoc quod ſolutio illarum anticipetur?* 413.

Punct. xij. *Utrùm vitium rei venditæ teneatur venditor emptori detegere? Vel è contra emptor bonitatem rei emptæ venditori manifeſtare?* 414.

§. j. *Si defectus rei vendendæ in periculum, vel damnum emptoris cedat, omninò detegendus eſt à venditore ſub onere reſtitutionis.* ibid.

§. ij. *Quomodo teneatur venditor defectus circa ſubſtantiam, circa quantitatem, & qualitatem rei vendendæ manifeſtare?* 416.

CAP. III. De mutuo, & vſura. *pag.* 417.

Punct. j. *Quid ſit mutuum, & qui poſſint mutuo recipere?* 418.

Punct. ij. *Quid, & quotuplex ſit vſura, & quomodo ſit jure poſitivo prohibita?* 420.

Punct. iij. *An vſura ſit illicita, & prava jure ipſo naturali?* 421.

Punct. iv. *An vſurarius mentalis peccet, & reſtituere teneatur?* 424.

Punct. v. *An qui bona fide celebravit contractum vſurarium, ſed poterat alium juſtum, poſteà, recognita, poſsit retinere quod accepit?* 426.

Punct. vj. *An mutuum poſsit ſupra ſortem aliquid recipere ratione præſumptæ donationis? & quando iſta præſumatur?* 427.

Punct. vij. *An ſi mutuatori res aliqui fructus ferre nata conſtituatur in pignus debiti, poſsit fructus ex ea recipere, non computando illos in ſortem?* ibid.

Punct. viij. *De pactis mutuo additis, quæ faciunt contractum vſurarium.* 429.

§. j. *Utrùm ex mutuo poſsit in pactum deduci amicitia, vel injuriæ condonatio?* 430.

§. ij. *Utrùm ex mutuo poſsit obligari mutuatarius ad remutuandum, vel vt præſtet quæ ex generali gratitudine teneatur præſtare?* 431.

§. iij. *An ſit vſura cum pacto mutuare, vt eadem pecunia in ſpecie, & eadem quantitas ſolvatur, quando pluris valitura creditur?* 433.

§. iv. *Utrùm ex mutuo pœna conventionalis ſit licita? & ſit licitum vltra capitale aliquid ratione illius accipere, etiamſi nullum lucrum ceſſet, aut damnum emergat?* 434.

Punct. ix. *An ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis poſsit mutuans aliquid ſupra ſortem exigere?* 435.

Punct. x. *An ratione periculi in recuperanda ſorte, poſsit ſupra ſortem aliquid mutuator accipere?* 437.

Punct. xj. *Utrùm vſura ſit in contractu ſocietatis ratione trium contractuum lucrum determinatum recipere, ſalvo ipſo capitali?* 439.

§. j. *Quid ſit contractus ſocietatis? an licitus ſit in negotiatione? quas conditiones requirat? & quomodo finiatur?* ibid.

§. ij. *Quod in titulo puncti inquiritur, enucleatur.* 440.

Punct. xij. *Utrùm vſurarius acquirat dominium rei per vſuram acquiſitæ?* 442.

Punct. xiij. *Quinam præter vſurarium peccent, & teneantur ad reſtitutionem propter vſuras?* 443.

Punct. xiv. *De pœnis, quæ ſunt contra vſurarios in jure aſsignatæ.* 445.

CAP. IV. De Cambijs, cenſibus, ludo, promiſsione, & donatione. *pag.* 446.

Punct. j. *Quid, & quotuplex ſit cambium? & quibus titulis ſit licitum?* ibid.

Punct. ij. *De cenſibus, eorum que natura, multiplicitate, conditionibus, tùm jure natura:*

turali, quàm Pontificio requisitis. 450.
§. j. De censu reali, personali, & vitalitio. ib.
§. ij. Quæ conditiones pro censibus instituendis sint assignatæ in jure Canonico? 452.
§. iij. De conditionibus, quæ ex jure naturæ ad census constitutionem exiguntur. 453.
§. iv. De alijs conditionibus, & pactis, quæ frequenter intervenire solent in re censui supposita. 456.
Punct. iij. De ludo, & sponsione, quomodo licita sint, & cum quibus conditionibus? 457.
Punct. iv. Quid sit promissio? Quomodo debeat acceptari? & qualem obligationem inducat? 460.
§. j. De acceptatione requisita ad promissionem, & de modo quo fit inter præsentes, & absentes. 461.
§. ij. An promissio acceptata graviter ex justitia obliget ad sui adimpletionem? 462.
Punct. v. De donationibus, earum conditionibus, & subjectis illarum capacibus. 465.
§. j. De his, qui donare possunt. ibid.
§. ij. De quantitate, quæ donari, aut promitti potest. 466.
§. iij. An donationes inter conjuges, & inter liberos, ac parentes sint validæ? 467.
§. iv. Quibus in casibus revocari possit donatio, & promissio valida, & acceptata? 469.
§. v. De donatione causa mortis. 470.
CAP. V. De testamentis, & vltimis voluntatibus. pag. 471.
Punct. j. Quid, & quotuplex sit testamentum? 472.
Punct. ij. De solemnitate substantiali ad omnia testamenta requisita, tàm jure communi, quàm jure Hispano. 473.
§. j. De solemnitate requisita ad testamentum nuncupativum. ibid.
§. ij. De solemnitate requisita pro testamento clauso, seu inscriptis. 475.
§. iij. De solemnitate requisita in testamento ad pias causas. ibid.
§. iv. De solemnitate testamenti cæci, militis, & parentum inter filios. 476.
§. v. Quæ solemnitas in codicillis requiratur? ibid.
Punct. iij. Quam vim habeat testamentum imperfectum? 477.
Punct. iv. De ijs, qui testamentum legitimè possunt facere. 478.
Punct. v. De ijs, qui possunt, vel non instituì hæredes, vel legatarij in testamentis. 480.
§. j. De ijs, qui non possunt instituì hæredes, vel legatarij ex delicto. ibid.
§. ij. De filiorum illegitimorum diversitate, & obligatione parentum omnibus alimenta tribuendi. 481.
§. iij. Quomodo parentibus possint succedere filij naturales, & spurij? 483.
§. iv. An fideicommissarius, quem pater constituit hæredem cum onere, vt reddat filio spurio hæreditatem, teneatur reddere, & possit spurius illam recipere? 484.
Punct. vj. De hæredibus necessarijs, eorum exhæredatione, vel melioratione. 486.
§. j. Quomodo filij respectu parentum, & parentes respectu filiorum sint hæredes necessarij? ibid.
§. ij. Quibus ex causis filij exheredari possunt à parentibus, & parêtes à filijs? 489.
Punct. vij. De hæredibus ab intestato. 490.
Punct. viij. De substitutionibus. 493.
§. j. De substitutione vulgari, pupillari, & exemplari. ibid.
§. ij. De substitutione fideicommissaria, reciproca, & compendiosa. 497.
Punct. ix. Quot modis possint testamenta valida iam facta revocari? 496.
Punct. x. De testamento facto per interpositam personam, nimirum per commissarium. 499.
Punct. xj. De obligatione hæredis, præcipuè circa confectionem inventarij. 500.
Punct. xij. De obligatione executorum testamentorum, qui dicuntur testamentarij, & nostro idiomate Albaceas, ò Cabezaleros. 502.
Punct. xiij. De legatis, & legatarijs. 504.
§. j. De legatis puris, absolutis, eorumque fructibus. 505.
§. ij. De legatis, quæ fiunt sub conditione. 506.
§. iij. Aliquæ difficultates, quæ in praxi contingunt circa legata, resolvuntur. 507.

TRA-

TRACTATUS XI.

DE LEGIBUS.

PROOEMIUM.

CUm lex ſit ſuprema juſtitiæ regula, æquitatis norma, agendique menſura; & ideò in leg. *Nam, ff. de legibus,* dicitur: *Juſtorum, & injuſtorum regula lex*; & ſimilitèr, quia lex eſt quædam ſpecies juris (jus enim, vt ſuo loco dicemus, trifariam accipitur: & pro *juſto*, quomodo eſt objectum juſtitiæ: & pro *lege*, vt teſtatur D. Iſidor. *lib.* 1. *etymolog. cap.* 3. & pro *legitima poteſtate*:) propterea de juſtitia, & jure ſermonem, favente Deo, ineuntibus nobis in hac tertia noſtri Curſus Parte, à legibus inchoandum eſſe duximus, vt regula ipſa cognita, facilius ad alia magis latentia cognoſcenda aditus patefiat. Et à nomine illius incipiendo, plura nomine *legis*, quæ verè leges non ſunt, ſignificantur. Ipſe enim liber, in quo lex ſcripta eſt, nomine legis inſignitur, *Luc.* 10. *In lege quid ſcriptum eſt.* Et quia lex habet inclinare regulatos, & menſuratos per eam ad aliquid agendum, inde inquit D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. *ad* 1. quod quælibet inclinatio proveniens ex aliqua ratione poteſt dici lex, non eſſentialiter, ſed participativè: & hoc modo inclinatio ipſa membrorum ad concupiſcendum, lex membrorum vocatur, ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, &c.* Propriè tamen lex illa dicitur, quæ à Principe in bonum commune præſcribitur, ſubditoſque ad ſui obſervationem adſtringit. Et hinc eſt, quod lex meliùs à ligando derivetur, vt inquit D. Thom. *loc. cit.* quia ligat ſubditos, eoſque ad ſui obſervationem adſtringit; cuius vincula rumpunt, qui legi obtemperare recuſant, juxta illud Ierem. 2. *A ſæculo confregiſti jugum, dixiſti non ſerviam.* Quamvis D. Iſidor. *loc. cit.* legem à legendo, dictam eſſe affirmet, eo quod ſcripto frequenter tradatur, vt ibi legatur, & executioni mandetur. Cicero verò *cap.* 1. *de legibus*, legem à delectu, ſeu deligendo, ſeu eligendo dictam arbitratur: quia normam præbet, vt vnuſquiſque, quod melius eſt, eligat, ſibique, quod eſt conſultius, & ſecurius, adſcribat. De hac igitur lege, vndecumque talis dicatur, nobis agendum eſt in præſenti. Res ſanè difficilis, & gravis, & ad alias materias morales ſummoperè conducens: & cum nos impræſentiarum mores præcipuè inſtruere conemur, quæ ad metaphyſicas quæſtiones ſpectant, & ſcholaſticum concernunt inſtitutum, breviter duntaxat percurremus, ad quæſtiones practicas inclinantes, quæ plurimæ ſunt in hac materia.

CAPUT PRIMUM.

De lege in communi, eiusque natura, & conditionibus.

CAput hoc in septem divisimus Puncta, vt facilius materia in eo pertractanda percipiatur, quod vbicumque obseruatum reperient hanc tertiam partem nostri Cursus euolventes; cum enim confusa tractatio tædium pariat legenti, è contra distincta, & perspicua eius animum non parum delectat, & recreat.

Punct. I. *Quid sit lex? & in quo consistat?* num. 1.

Punct. II. *De conditionibus ad legem humanam requisitis.* num. 7.

Punct. III. *Quotuplex sit lex? vbi de lege æterna, naturali, & positiva, & jure gentium agimus.* num. 19.

§. I. *Quid sit lex æterna, & in quo consistat?* num. 20.

§. II. *De lege naturali.* num. 24.

§. III. *De jure gentium.* num. 30.

§. IV. *De lege diuina, noua, & veteri.* num. 33.

§. V. *De lege humana, canonica, & ciuili.* num. 41.

Punct. IV. *De effectibus legis, & illius proprietatibus.* num. 48.

Punct. V. *De materia legis humanæ, circa quam versari potest. Vbi etiam an actus purè internos possit præcipere, prohibere, aut punire.* num. 59.

Punct. VI. *De promulgatione ad legis virtutem requisita. Vbi quo loco, & tempore leges Pontificiæ, & ciuiles debeant promulgari?* num. 74.

§. I. *An lex Ecclesiastica, aut ciuilis debeat in singulis Prouincijs promulgari? An vero sufficiat, quod in Curia Principis promulgetur?* num. 81.

§. II. *An duo menses debeant transire à publicatione legis ciuilis, aut canonicæ, vt obligandi vim habeat?* numer. 89.

Punct. VII. *De acceptatione populi ad legis valorem requisita, tàm Ecclesiasticæ, quàm ciuilis.* num. 94.

§. I. *Requiraturne consensus inferiorum pro legis Ecclesiasticæ, & ciuilis valore?* num. 98.

§. II. *Aliquæ limitationes præcedentis doctrinæ.* num. 104.

§. III. *Aliquæ quæstiunculæ circa præsentem materiam ad praxim necessariæ resoluuntur.* num. 108.

PUNCTUM I.

Quid sit lex? & in quo consistat?

1 LEgem aliquam in rerum natura existere, qua homines in bonum honestum dirigantur, ita est omnibus notum, vt probatione non indigeat, ideoque illius existentiam supponentes, ad essentiam eius declarandam accedamus: quod nullo alio optiori modo fiet, quàm diffinitionem legis proponendo. Sed quia brevitati consulimus, aliorum varias legis diffinitiones prætermittimus, illam, quam D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. tradit, & quæ ab omnibus communiter recipitur Theologis, eligentes, quæ sic se habet: *Quædam rationis ordinatio, in commune bonum ab eo, qui Reipublicæ curam gerit, ordinata, & sufficienter promulgata.* In qua diffinitione, & genus legis, & causa, & positionis forma describitur. Definitio legis.

2 Dicitur in primis in ea, quod sit *rationis ordinatio*, legem enim in ratione existere, seu in parte rationali (præscindendo, an in voluntate, an in intellectu) ab omnibus affirmatur, quamvis inter Doctores ventiletur, in qua ex his potentijs lex secundum substantiam inveniatur? Aliquibus asserentibus, quod in voluntate; alijs, quod ex æquo in voluntate, & in intellectu reperitur. Nobis tamen dicendum est cum D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. legem substantialiter, & in recto in intellectu reperiri, quamvis secum afferat de connotato indispensabiliter actum voluntatis. Ita Soto *lib.* 1. *de Iustitia, & jure, quæst.* 1. *art.* 1. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. Montesinos *disp.* 20. *q.* 1. *num.* 7. Gregorius Martinez 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. Granad. *controu.* 7. *de legibus, tract.* 1. *disp.* 3. *n.* 6. & alij. Lex in ratione consistit.

3 Sed pro intelligentia notandum est cum N. Salmant. *tract.* 5. *de Prædest. disp.* 2. *dub.* 2. à *num.* 35. quod quando aliquis finem aliquem intendit, eumque ad executionem reducere conatur, plures actus interiores elicit. Nam post intentionem finis sequitur in intellectu consultatio de medijs ad talem finem conducentibus; ad quam, vt recta sit, datur virtus concurrens, quæ *eubulia* dicitur; & statim alius actus, qui dicitur *judicium*, quo de medijs magis congruentibus judicatur; ad quem sequitur *electio* voluntatis, per quam ex illis, quæ ab intellectu sibi proponuntur, hæc, vel illa amplectitur; ad quam sequitur in intellectu imperium practicum, quod per verbum imperativum explicatur, nimirum *fac hoc*. Lex ergo in actu voluntatis nudè sumpto consistere nequit: quia (vt inquit D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. *ad* 3.) *Voluntas de his, quæ imperantur, ad hoc vt legis rationem habeat, oportet, quod sit aliqui ratione* Cõsistit lex in imperio intellectus, connotando voluntatem.

tione regulata. Et hoc modo intelligitur, quod voluntas Principis habet vigorem legis, alioqui voluntas Principis magis esset iniquitas, quàm lex. Nec consistit similiter in actu intellectus præcisè sumpto: quia vim obligandi non habet, nisi accedat voluntas superioris, qua inferiores movet, & intendit eos obligare per imperium practicum, quo dirigit eos, illos alloquitur, & ordinat ad finem intentum.

Præcipuè consistit lex in actu intellectus.

4 Consistit ergo in vtroque actu; sed præcipuè, & substantialiter, seu in recto, in actu intellectus, qui dicitur *imperium*. Tùm quia legis virtus est præcipere, *leg. Legis virtus, ff. de legibus*: præcipere autem est actus intellectus, cum prudentia sit virtus illius, cuius proprius actus est *præcipere*, vt inquit Div. Thom. 1. 2. *q.* 17. *art.* 1. *& quæst.* 57. *art.* 6. Tùm etiam, quia lex est mensura, & regula omnium agendorum, *leg. Nam, ff. de legibus*; sed hoc quod est dirigere, regulare, & mensurare pertinet ad rationem, vt inquit ipse Angelicus Præceptor 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. ergo lex pertinet ad actum intellectus. Sed licèt ad intellectum pertineat, non verò ad virtutem eius consiliativam, aut judicativam, sed præceptivam: quia per hoc, quod Princeps consilietur v. g. de taxando pretio tritici, non datur lex: quia consiliari non solùm ad Superiorem, sed etiam ad æquales, & inferiores spectat: lex verò solummodo ab habente potestatem, & jurisdictionem sanciri valet. Nec similiter per hoc, quod dijudicet, taxam tritici debere esse triginta argenteos; sed per hoc, quod præcipiat ita esse observandum. Quod præceptum, & imperium rationis licèt transeat cum actu, habitualiter tamen manet, vel in ipsa mente legislatoris, vt lex æterna in mente Dei iugiter manens, vel in ipso regulato, & mensurato, vt lex naturalis, quæ in mente hominum perseverat; vel in scriptura, vt lex scripta; vel in vsu, & practica communi, vt est lex tradita per consuetudinem. Quod docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. *ad* 2. Soto *lib.* 1. *de Iustitia, quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 1. Montesinos *disp.* 20. *quæst.* 1. *num.* 16.

Discrimen inter legem & præceptum.

5 Dicitur deinde in diffinitione legis, quod sit *in commune bonum ordinata*. In quo differt à præcepto, quod ad bonum particulare ordinari potest; non ita lex, sed semper ad bonum commune: *Quia* (vt inquit Div. Isidor. *libr.* 5. *etymologiar. capit.* 21.) *lex est nullo privato commodo, sed pro communi vtilitate civium conscripta.* Quamvis aliud etiam detur inter legem, & præceptum discrimen: quod, licèt à superiore vtrumque ponatur, lex est perpetua, & non cessat morte legislatoris, sicut præceptum morte præcipientis evacuatur. Et etiam per illud verbum differt lex à consilio, aut petitione, quæ etiam ad bonum particulare ordinari possunt; cum tamen lex commune bonum semper intendat. Et etiam quia petitio, & consilium possunt ab inferiori, & æquali exhiberi; lex verò non nisi à Superiore communitatis præscribitur. Palaus *tract.* 3. *de Legibus*, *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 3. Suarez *de Legibus*, *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 9.

Quæ potestas requiritur ad ferendam legem?

6 Dicitur denique in diffinitione, legem ferendam esse *ab eo qui communitatis gerit curam*. Hoc est, qui habet in communitatem politicam jurisdictionem. Non enim sufficit potestas dominativa, seu œconomica (vt est illa, quam habet pater in filios, dominus in servos, & maritus in vxorem) ad statuendam legem; sed requiritur potestas publica respectu perfectæ communitatis politicæ, vt est Urbs, Provincia, aut Regnum, vt tradit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 9. *artic.* 3. *ad* 3. De quo *cap. seq.* redibit specialiter sermo. ¶ Denique dicitur in diffinitione, quòd sit *sufficienter promulgata*. Non enim sufficit, quod superior aliquid præcipiat, aut quod per legem obligare intendat, nisi talis intentio, & obligatio signis exterioribus manifestetur, subditisque intimetur. Et quia lex non ad singulares personas, vt tales, dirigitur, non sufficit, quod illis promulgetur, sed communitati, quæ per talem legem ligatur. De quo posteà latius agemus.

PUNCTUM II.

De conditionibus ad legem humanam requisitis.

Lex communitati debet imponi.

7 EX dictis *præced. punct.* & ex ijs quæ docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. & 95. *artic.* 3. deducuntur conditiones, quæ requiruntur, vt præceptum superioris veram rationem legis sortiatur. Et loquimur de lege humana, seu quæ à legislatore humano stabilitur. Prima ergo conditio est, quod toti communitati imponatur: nam lex respicit communitatem, *leg. Iura* 2. *ff. de legib.* ibi: *Iura non in singulares, sed generaliter constituuntur*. In quo differt lex à præcepto, quod ad singularem personam ordinatur; lex verò, cum bonum attendat commune, non nisi communitatem tangit. Et si partes illius obligat, hoc non est vt sunt singulares personæ, sed vt partes sunt communitatis. Ideòque si desinant esse communitatis partes, iam non amplius lege ligantur. Imò requiritur, quod communitas sit perfecta, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. *ad* 3. Unde quia familia domus non est perfecta communitas, non potest paterfamilias in eam leges ferre, quamvis posit statuta, aut præcepta imponere. Civitas autem est perfecta communitas; vt inquit Aristot. 1. *Politic. cap.* 1. & 2. & ideò Gubernator illius potest illi leges imponere. Sed debet habere in eam legitimam, & perfectam potestatem: & sic secunda conditio est, quod ab habente legitimam potestatem procedat. In quibus verò talis potestas resideat, *cap.* 3. explicabimus.

Lex debet esse perpetua.

8 Tertia conditio legis est, quod sit perpetua, nullo determinato tempore imposita. Si enim pro tempore determinato imponatur, iam non lex, sed præceptum erit, quod proinde morte imponentis illud expirabit. At verò lex, cum respiciat communitatem, quæ ex se perpetua est, quantum est ex parte sua, nullo tempore debet præfigi, quamvis posteà legislator posit eam abrogare, vel ad determinatum tempus restringere; & tunc quæ lex erat, in præceptum transit: sicut è contra præceptum, quod pro determinato tempore præfigitur, si in perpetuum posteà extendatur, nisi aliunde obstet, iam ad vigorem legis transit. Unde Bulla Cœne Domini, licèt antea non esset lex, quia pro vno duntaxat anno publicabatur; ex quo tamen Gregorius XIII. eam tulit sine determinatione temporis, quousque revocetur, iam veram rationem legis habet. Unde esse perpetuitatem de ratione legis ex tenore suæ conditionis, docent Salas *disput.* 1. *sect.* 9. Gregor. Martinez *quæst.* 95. *art.* 3.

Iacob. Gordon. *tom.* 1. *lib.* 2. *q.* 3. *cap.* 3. *n.* 12. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 2. *num.* 10. Suarez plures referens *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 5. *junctо n.* 16.

Debet esse promulgata & acceptata.

9 Deinde requiritur, quod lex sit promulgata, & acceptata. Quod qualiter fiat, infra dicemus. Ab aliquibus etiam pro conditione legis assignatur, quod sit scripta. Sed talis conditio necessaria non est, vt optimè tradit Palaus *loco citato*: eo quod est accidentale legi, quod scripto, vel verbo exprimatur, vt inquit Dominus Fr. Petrus à Tapia *tom.* 1. *catenæ*, *lib.* 4. *art.* 4. *num.* 3. Gregor. Martinez *loco citat.* Suarez *lib.* 1. *de legibus*, *cap.* 11. *fine.* Et constat ex cap. 1. *de jure jurando in* 6. ibi: *Iuramenta*, *statuta*, *consuetudines Ecclesiarum scripta*, *aut non scripta inviolabiliter observare.* Et *cap. Institutionis* 25. *q.* 2. ibi: *Institutionis nostræ decreta*, *sive quæ scripto decernimus*, *sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita.* &c.

Debet ad bonum cõmune ordinari.

10 Præcipua autem legis conditio est, quam in eius diffinitione explicuimus; nimirùm quod sit *ad bonum commune ordinata.* Quia cum lex sit regula perpetua humanarum actionum, non personas particulares, aut earum bona attendere debet, quæ non sunt perpetua, sed bonum ipsius communitatis, quod stabile est. Ideòque à persona publica, vt tali, fertur, vt inde cognoscatur, debere in bonum publicum ordinari. Vnde Cicero *lib.* 2. *de Legibus*, dixit: *Constat profectò ad salutem civium*, *civitatumque incolumitatem*, *vitamque omnium quietam*, & *beatam*, *conditas esse leges.* Quare hanc conditionem ad veram legem requiri, tradit optimè D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. Sotus *lib.* 1. *de Iustit. quæst.* 1. *art.* 3. Illustrissimus Dominus Fr. Petrus à Tapia *tom.* 1. *suæ catenæ*, *lib.* 4. *art.* 1. & *art.* 2. *num.* 2. Martinez *quæst.* 90. *art.* 2. *disp.* 1. *concl.* 1. Montesinos *ibi*, *disp.* 20. *quæst.* 2. *num.* 19. Granad. *tract.* 1. *disp.* 3. *num.* 15. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 5. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 1. Et hinc infert Soto *loco cit.* tyrannum esse Principem, si ad sui commodum, non ad bonum commune, leges ferat; & sic dixit Aristoteles 4. *Politicor. cap.* 3. *Tertiam speciem tyrannidis esse*, *cum quis ad propriam vtilitatem*, *non ad vtilitatem subditorum*, *gubernat.*

Obiectio contra dicta

11 Sed obijcies, plures dari leges, quæ non ad bonum commune, sed ad bonum particulare dirigantur: Nam lex naturalis, quæ propriam vitam conservare præcipit, lex subveniendi extremè indigentibus, leges pupillorum, minorum, militum, nobilium, solùm eorum bonum particulare respiciunt: privilegium etiam est lex particularis, *capit. Privilegium*, *dist.* 3. & tamen bonum commune non attendit, sed particulare privilegiati. Et denique lex tributorum, aut vectigalium solum respicit bonum Principis, non Reipublicæ, quæ potius per illa gravatur. ¶ Nec valet, si cum communi Doctorum sententia respondeas, has, & alias leges, licèt proximè, & immediatè respiciant bonum particularium personarum; mediatè tamen, & vltimatè ad bonum commune ordinari. Expedit enim, dicunt, Reipublicæ bono, quod pupillorum, & minorum bona tueantur, quod nobilium, & militum obsequia remunerentur, vt sic in Civitate plures ad magna subeunda facinora accendantur, quod indigentibus præbeatur subsidium, quod vitam propriam vnusquisque tueatur, quod gabellæ, & tributa tribuantur Principi, vt Rempublicam defendat, eaque in tranquillitate, & pace conservet. Privilegium verò, si ad bonum commune alicuius communitatis ordinetur, vim legis habebit, vt Ecclesiasticorum, & Religiosorum privilegia. Si verò solum dirigatur ad personam particularem, non erit lex, sed relaxatio legis respectu illius.

Replica cõtra solutionem datam.

12 Sed contra istam solutionem stat, quod si ad rationem legis sufficeret respicere bonum commune remotè, & mediatè, non esset magis de ratione legis ad bonum commune ordinari, quàm de ratione præcepti, aut statuti: hoc autem est contra D. Thomam, & sæpius à nobis inculcatum: ergo, &c. Probatur maior: quia etiam præceptum, aut statutum ita respicit bonum particulare alicuius, vt remotè, & mediatè ad bonum commune ordinetur: nam cum particularis sit pars communitatis, & bonum illius sit pars boni communis, & pars ad totum ordinetur; non poterit præceptum respiciens bonum partis, remotè ad bonum totius non ordinari.

Solutio replicæ præcedentis.

13 Respondetur ergo, quod licèt lex multoties proximè in executione respiciat particulares personas, & ad illarum bonum attendat; at verò quoad intentionem legis (loquendo de operis intentione) priùs lex respicit bonum commune, & communitatem, & deinde particulares personas, vt in omnibus casibus adductis in obiectione cernitur, in quibus ob bonum commune omnes illæ leges minorum, pupillorum, nobilium, &c. immediatè ordinantur. Præceptum verò potest immediatè intendere bonum particulare, quod vltimatè in bonum commune, quod est finis legis, dirigitur. Vnde dixit Div. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. *ad* 1. quod *præceptum importat applicationem legis ad ea*, *quæ ex lege regulantur. Ordo autem ad bonum commune*, *qui pertinet ad legem*, *est applicabilis ad singulares fines*; & *secundum hoc etiam de particularibus præcepta dantur.*

Vt lex iusta sit, non attenditur animus legislatoris.

14 Diximus *ex intentione operis* legem semper ad bonum commune ordinari. Nam vt iusta sit, attendi non debet intentio, vel animus operantis. Vnde, si Princeps ex odio procedat, vel malo animo intendat Reipublicæ perniciem: si tamen lex ab ipso imposita ad bonum commune ordinetur, non amittet vim obligandi. E contra verò si Rex per legem bono communi intendat consulere; materia verò legis minimè ad tale bonum conducat, lex iusta, & legitima non erit, vti accidit in sententia à Iudice prolata, quæ, si juxta sit, tenet, licèt ex malo animo Iudicis procedat: è contra verò, si injusta sit, nulla erit, etiamsi ex bona intentione Iudicis oriatur. Et in sacramentis cernitur, quorum si materiam, & debitam formam applices, vera sacramenta conficies, tametsi ex prava voluntate talis intentio procedat. Atque ita tenent Gregorius Martinez *quæst.* 90. *artic.* 2. *dub.* 1. *concluf.* 1. Iacobus Gordon. *lib.* 2. *quæst.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 7. Unde rectè dixit D. Augustin. *lib.* 1. *de libero arbitrio*, *cap.* 5. *Lex*, *quæ tuendi populi causa lata est*, *nullius libidinis argui potest.*

Lex injusta, aut inutilis, non est lex.

15 Ex dictis deducitur, legem inutilem, aut injustam verè legem non esse, nec obligationem ad illius observationem inducere. Nam cum lex debeat respicere bonum commune, ad illudque conducere, & quando inutilis, aut injusta est, nihil horum faciat, illi non tenemur obedire, cum verè lex non sit. Præterquam quod lex inutilis injusta

injusta est: siquidem absque causa privat libertate, & ligat hominum arbitria; lex autem injusta(vndecumque illi injustitia proveniat) nec legis, aut juris munus sortitur: *Non enim sunt dicenda jura* (inquit D. Augustin.*lib.*19.*de Civitat.cap.*21.)*iniqua hominum instituta.*Et *lib.*1.*de libero arbitrio,cap.* 5. *Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Et ita docent Soto *de Iustitia,& jure,lib.*1.*q.*1.*art.*2.*fin.*Montes. *disp.*20.*q.*2.*n.*17.Bonac.*disp.*1.*q.*1.*punct.*1.*num.* 9. Suar.*lib.*1.*de legib.cap.*9.*n.*11. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1.*punct.*1.*n.*4.Gregor.Martin.1.2.*q.*90.*art.* 2. *dub.* 1.*ad* 4. qui benè notat,quod si lex ab initio fuit inutilis, postea verò vtilis reddatur, ex tunc obligare incipiet: si verò é contra, lex, quæ vtilis erat in sui fundatione, posteà inutilis in totum videatur, vim obligandi amittet.Quod etiam docuit Bonac. *num.* 22.Quid verò sentiendum sit, quando in casu particulari finis, aut vtilitas legis deficit?infrà dicemus. In casu verò dubij, an lex injusta, vel inutilis sit,illi est obtemperandum: quia possessio stat pro lege, & de illius dubitatur excusatione. Ita Martin. Salas, Bonacin. Montesinos *locis citat.*

Qualitates legis à D. Isidor. enumeratæ.

16 Præter enumeratas conditiones legis, alias qualitates illius ponit D.Isidor. relatus in cap. *Consuetudo, dist.* 1.& in cap.*Erit autem lex,dist.*4.quas optimè ponderat, & explicat D.Thom.1.2.*q.*95.*artic.*3.Dabimus prius verba D.Isidor.& posteà,omissis aliorum explicationibus, literam D. Thom. expendemus. Igitur ille *lib.*5.*etymologiarum, capit.*3. ita ait: *Lex erit,quod ratione constiterit, quod Religioni conveniat, quod disciplinæ congruat, quod saluti proficiat.* Et in cap.2.eiusdem libri ita inquit: *Erit lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam,& secundum consuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, necessaria, & vtilis, manifesta quoque,ne aliquid per obscuritatem incautum contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium vtilitate conscripta.*

Explicatio Div.Thom. prædictorũ verborũ D. Isidori.

17 Dicitur ergo primo loco, *vt ratione constet*: id est, nihil habeat,quod à ratione deviet,nullo carens,quod recta ratio exposcat. Quod, vt magis declaret D.Isidorus, tres enumerat legis qualitates. Prima,*quod Religioni conveniat*: id est, non sit contra legem divinam,vel aliquid habeat, quod ab observatione divinorum mandatorum avertat. Secunda,*quod disciplinæ congruat*: id est, non sit contra legem naturalem; nam per contraria legi naturæ nemo potest vt discipulus recte instrui.Tertia,*quod saluti proficiat*: id est, ordinetur ad hominum vtilitatem, quod per profectum ad ipsius salutem rectè exprimitur; siquidem bonus Princeps populo dicitur salutaris, imò Medicus appellatur, Isai. 3. *Non sum Medicus, &c. Nolite me constituere Principem populi.*Et Symmacus, & Septuaginta pro verb. *Medicus*, transtulerunt *Princeps*, quia ad salutem debet hominum attendere.

Aliæ legis qualitates explicantur.

18 Ad has tres qualitates reliquæ, quæ in secundo loco ab Isidoro assignantur,revocari possunt. Nam lex debet esse *honesta*,id est,conformis legi divinæ,& quæ propter finem rationi conformem tradatur,nec enim esset vera lex, quæ aliquod malum præciperet, vel quæ ad finem honestum non attenderet. Debet esse *justa*: id est,secundum regulas rationis. Debet esse *possibilis*: scilicet, quæ à subditis possit impleri, non solum potentia physica,sed morali: quod videlicet non sit nimium difficilis,& quæ, attenta hominum fragilitate; & alijs circumstantijs, servari nequeat: & sic debet esse mortaliter possibilis, *secundum naturam hominis, secundum consuetudinem patriæ*, id est, attento modo convictus humani, qui justè servatur in patria,vel Civitate,& *secundum locum,& tempus.* Nam aliquando, & alicubi est moraliter impossibile, quod in alio loco, & tempore absque difficultate executioni mandatur. Cæteræ proprietates ex dictis constant. Quas omnes conditiones lex observare debet, vt justa sit, ac proinde vim obligandi habeat,& qualibet deficiente, non obligabit in conscientia, vt tenet Gordon. *lib.*2.*q.*2.*cap.*5.*n.*26.Laym. *tract.*4.*cap.*1.*n.* 5. Granad.*controv.*7.*tract.*3.*p.*1.*disp.*8.*sect.*1.*n.* 3. Vazq. *disp.*151.*cap.*1.*n.*11.

PUNCTUM III.

Quotuplex sit lex? Ubi de lege æterna, naturali, & jure gentium agimus.

Variæ legis divisionis propo-nuntur.

19 REceptissima est illa divisio legis, quam D. Thomas tradit, & explicat 2. 2. *q.* 91.*per totam*, qua lex immediatè dividitur in æternam, naturalem, & positivam: quæ in divinam, & humanam subdividitur. Lex æterna est ipse Deus judicans quid faciendum, vel omittendum sit, & voluntatem habens obligandi homines, & Angelos ad sui observationem. Lex naturalis est, quæ rationali insita est naturæ, qua turpe ab honesto discernit, & quid faciendum, vel omittendum sit, intelligit. Lex positiva, prout distincta à naturali, & æterna,est quæ à superiori accidentaliter provenit: quæ subdividitur in divinam, & humanam.Illa est,qua Deus homines regit, & gubernat,quatenùs constituunt corpus politicum: quæ in legem veterem, & novam subdividitur. Lex vetus est, quæ continet præcepta Moysis de ritu sacrificiorum, de ordine judiciali, &c. Lex nova est, quæ à Christo Domino data fuit, vt sunt præcepta de sacramentorum administratione, & receptione, &c. Lex humana positiva est, quæ proximè, & immediatè confertur ab hominibus: & est in duplici differentia, ecclesiastica, & civilis: ecclesiastica dicitur, quæ à superioribus Ecclesiasticis imponitur, qui à Christo Domino potestatem condendi leges immediatè receperunt; & sic ab ipso tanquam ab Authore proprio provenit, subditosque dirigit in supernaturalem finem:Civilis,quæ à Principibus sæcularibus oritur,qui in ipsa Republica habent potestatem; & præcipuè attendit gubernationi politicæ, subditosque in pace conservare. Et præter has datur alia lex, quæ dicitur jus gentium, quod est medium inter jus naturale, & civile, & ferè ab omnibus gentibus introductum,non scriptura,sed vsu, & consuetudine. Præter has divisiones legis aliæ ex parte objectorum solent ab Authoribus numerari, de quibus *hoc tract.* agemus. Modo supradictas explicabimus breviter, doctrinam Div. Thom. circa illas ostendentes. Quod vt clarius fiat, distinctis paragraphis exequemur.



§.I.

§. I.

Quid ſit lex æterna, & in quo conſiſtat?

Diffinitio legis æternæ explicatur.

20 LEx æterna ex D.Thom. *q.91. art.* 1. diffinitur, quod eſt *Divinæ mentis imperium promulgatum, quo creaturæ omnes in ſuos fines à Deo ſupremo Principe ordinantur in æternitate.* Pro quo notandum eſt ex eodem D. Thom. *ad* 3. quod lex æterna dupliciter poteſt accipi: Primò paſsivè, pro directione, intimatione, & promulgatione facta creaturæ; & ſic lex divina non eſt æterna ex omni parte, quia rem temporalem in propria duratione exiſtentem ſupponit, ſicut quod Deus ſit Dominus, & Creator dicitur temporaliter, quia aliquid reale ex parte creaturæ in propria duratione productum ſupponit: Secundò, quantum ad id quod importat activè ex parte Dei: & ſic eſt in Deo lex æterna, quia in illo, vt in ſupremo Principe, eſt ratio divinæ ſapientiæ, omnium gubernatrix actionum, & motuum creaturarum, in bonum commune totius vniverſi. Et ſecundum hanc rationem propriè, & verè eſt lex æterna, vt docet D.Thom. *loc. cit.* Martinez *ibi, concluſ.* 2.Monteſin. *diſp.22.q.1.n.52.*Tapia *lib.* 4. *q.* 2. *art.* 1. Granad. *controv.* 1. *de legib. tract.2.diſp.* 1.*n.*1.Palaus *tract.3. diſp.*1. *punct.* 2. *n.3.* Et ratio eſt, quia ratio legis in eo conſiſtit, quod ſit regula, & norma ſubditorum in ordine ad bonum commune; ſed ratio divinæ ſapientiæ in divina mente exiſtens, eſt regula, & menſura omnis creaturæ, in ordine ad bonum commune totius vniverſi, imò eſt prima regula, cum qua aliæ leges debent conformari, quæ ratio ab æterno in mente divina præexiſtit: Datur ergo in Deo lex æterna, quæ veram rationem legis ſortiatur.

Omnia per legem æternam regulãtur.

21 Hæc lex æterna in Deo vna eſt: quia licèt multa Deus præcipiat, & diſponat mediante lege æterna, omnia ad vnum finem, qui eſt bonum vniverſi, & gloria Dei ordinat. Et ideò ſicut Dei omnipotentia vna eſt ſimpliciſsima formalitas, & providentia vna eſt, abſque diſtinctione vlla, perfectio; licèt per eas plura Deus diſponat, & efficiat, quia omnia ad eundem finem ordinat, ſic de lege æterna ſentiendum eſt. Ab hac æterna lege omnes aliæ leges, ſive naturales, ſive poſitivæ, tanquam à prima regula derivantur. Dicente D. Auguſt. *lib.* 1. *de libero arbitrio, cap.6. Simul te videre arbitror; in temporali lege nihil eſſe juſtum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivaverint.*

Quomodò lex æterna à providentia, & idea divina diſtinguatur?

22 Hæc autem lex æterna diſtinguitur virtualiter, ſive ratione ratiocinata, ab idea divina. Nam idea reperitur in Deo per modum exemplaris rei faciendæ, vt docet D. Thom. 1.*p.q.* 15.*art.*1.lex verò eſt in Deo per modum rationis gubernantis, & dirigentis creaturas in ſuos fines. Similiter diſtinguitur à divina providentia: quia, vt inquit D. Thom. *q.5.de veritate, art.*1.*ad 6. Providentia in Deo propriè non nominat legem æternam, ſed aliquid ad legem æternam conſequens: lex autem æterna eſt conſideranda in Deo, ſicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota, in quibus procedimus in conſiliando, & eligendo, quod eſt prudentiæ, ſive providentiæ. Unde eo modo ſe habet lex intellectus noſtri ad prudentiam, ſicut principium in demonſtratione. Et ſimiliter in Deo lex æterna non eſt prudentia, ſed providentiæ quaſi principium. Unde convenienter legi æternæ attribuitur actus providentiæ, ſicut & omnis effectus demonſtrationis principijs indemonſtrabilibus attribuitur.* Videatur Suar. *lib.*2.*de legib.cap.3.n.*12.Gregor.Martin.1.2.*q.*91.*art.*1.*dub.unic. concl.*4. Lorca *ibi, diſp.*5.*memb.*1.

Quomodò promulgetur lex æterna?

23 Habet etiam talis lex promulgationem ſufficientem, vt ſit lex, & æterna, ſi loquamur non de promulgatione paſsiva, ſeu intimatione facta creaturis, cum non ſint ſubditi ab æterno, quibus fiat talis promulgatio; ſed activè, ex parte Dei in ſua mente illam proponentis omnibus creaturis futuris, quæ in ſua æternitate illi coexiſtunt, & ſunt præſentes. Vnde ſicuti lex poſita, vt vim legis habeat, ſufficit quod in conſiſtorio Principis promulgetur, & coram ibi præſentibus legatur; quamvis, vt alios de facto obliget, requiratur, quod ad eorum notitiam perveniat: ſic ſufficit, vt lex æterna veram rationem legis ab æterno ſortiatur, quod modo dicto promulgetur. Quod ita explicat D. Thom. *dict.q.*91.*articul.*1.*ad* 2. *Ad ſecundum dicendum, quod promulgatio fit & verbo, & ſcripto; & vtroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, quia & Verbum Divinum eſt æternum, & ſcriptura libri vitæ eſt æterna; ſed ex parte creaturæ audientis, aut inſpicientis non poteſt eſſe promulgatio æterna.* Itaque in Verbo divino, in quo omnia, quæ in mente divina exiſtunt, repræſentantur, Deus ſuam legem, quæ eſt ratio gubernationis in ipſius mente exiſtens, ſufficienter promulgavit. Et licèt Verbum à ſolo Patre procedat; in ipſo tamen repræſentantur omnes rationes eſſentiales convenientes tribus perſonis: & per iſtam repræſentationem communem promulgatur lex æterna communiter ab omnibus tribus perſonis. Salas *diſput.* 2. *de legibus, ſect.*1. Suarez *libr.* 2. *capit.* 1. *num.* 6. Soto *lib.* 1. *de Iuſtitia, quæſt.*3.*art.*2.Martin. *ſuprà, concluſ.*3.

§. II.

De lege naturali.

In quo conſiſtat lex naturalis?

24 LEx naturalis quædam eſt participatio legis æternæ, vel quædam intimatio paſsivè ſumpta legis æternæ creaturæ rationali facta. Et ſic quod in lege æterna activè reperitur, paſsivè per legem naturalem participatur. D.Thom.1.2. *q.*71. *art.6.ad* 4.& 92.*art.*2.& 94.*art.6.*iuxta illud Pſal. 4.*Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Ex illa enim luce æterna, quæ eſt in mente divina, qua omnia in ſuos fines diriguntur, derivatur in nos quoddam lumen, quod ita paſsivè in nobis recipitur, vt ſimul activè dirigat nos, & oſtendat, quod bonum faciendum eſt, & quod malum fugiendum. Et hoc per imperium quoddam politicum, quo ita oſtendit bonum, & malum, vt ſimul præcipiat, illud conſequi, iſtud execrari: quia imbibit in ſe præceptum divinum, ſeu Dei imperium, quaſi notificans, & declarans illam legem æternam, & imperium eius, quo malum prohibet, & conſulit bonum. Unde non dicit imperium illud vltimum practicè practicum, ad quod infallibiliter ſequatur operis executio; ſed politicum; quod licèt moveat, & inclinet ad id, quod iubet, poteſt contra illud, vel præter illud creatura operari. Palaus *tract. 3. diſput.* 1, *punct.*

punct. 1. *n.* 3. Martin. *q.* 91. *art.* 2. *dub. vnic. concl.* 3. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *disp.* 4. *n.* 7. & hoc lumen in communi modo loquendi dicitur dictamen intellectus practici synderesis, seu conscientia.

De materia legis naturalis.

25 Hæc lex naturalis versatur circa omnes actus virtutum, & vitiorum, illos præcipiens; istos prohibens. D. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 3. quia ad legem naturæ pertinet quod est secundum, vel contra inclinationem naturæ intellectualis; sed omnes actus virtutum sunt secundum inclinationem naturæ intellectualis, & omnia peccata contra illius inclinationem, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 71. *art.* 2. omnes ergo prædicti actus sunt materia juris naturalis. Quidam ex illis ad legem naturæ non præceptivam, sed judicativam spectant, quia videlicèt judicat de bonitate illorum, non tamen eos præcipit, vt sunt actus virtutum, qui cadunt sub consilio, quos consulendo ostendit, non præcipiendo. Nisi mavis dicere cum Montesinos *disp.* 22. *q.* 2. *n.* 54. omnes actus virtutis cadere sub lege naturali præceptiva; non quidem absolutè, quasi omnes lex naturalis præcipiat; sed ex hypotesi, quod fiant, quia tunc lex naturalis jubet, quod si talis virtutis actus exerceatur, cum debito fine, & circumstantijs, & non aliter fiat. Hæc lex naturalis promulgatur, & intimatur hominibus in instanti vsus rationis, quia ex quo possunt mortaliter delinquere, per lumen divinum super nos signatum, & explicitum, quid bonum, quid malum, quid honestum sit, demonstratur. Psalm. 4. *Quis ostendit nobis bona?* Respondet Propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Tres dantur classes præceptorū naturalium.

26 Sed difficultas est inter Doctores, an ea, quæ sunt de jure naturæ, possint invincibiliter ab aliquibus ignorari? Pro intelligentia huiusmodi difficultatis notandum est, præcepta legis naturalis posse ad tres classes reduci, vt colligitur ex D. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. & 6. Quædam sunt præcepta communissima, & quasi prima principia per se nota: vt, *Quod bonum est faciendum, malum fugiendum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Ad quæ reducuntur præcepta Decalogi primæ tabulæ; vt vnum Deum esse colendum, non esse peierandum, &c. Hæc nullus invincibiliter potest ignorare, etiam pro parvo tempore, quia sunt exterminis ipsis notissima, adeoque conformia, & adæquata inclinationi rationis, vt tergiversari non possint. Alia sunt præcepta legis naturæ, quæ se habent vt conclusiones proximæ, quæ ex prædictis primis principijs evidenter, & facili discursu deducuntur, vt homicidium, furtum, mendacium esse illicita. Alia denique, quæ sunt conclusiones remotiores à primis principijs, indigentque maiori labore, difficiliorique discursu, vt ex illis inferantur; vt sunt præcepta de vitandis vsuris, de indissolubilitate matrimonij, de temperantia, & similia. De his vltimis etiam est communissimum apud Doctores, posse dari ignorantiam invincibilem, etiam per longum tempus, & in pluribus hominibus, quia cum talia præcepta sint conclusiones remotiores à primis principijs per se notis, indigent maiori discursu, & solertia, vt ex eis deducantur. Quæ solertia, & discursus pluribus desunt, propter defectum acuminis, & scientiæ: ergo in eis dari potest invincibilis ignorantia talium præceptorum.

Circa præcepta naturalia potest dari invincibilis ignorantia.

27 At verò circa præcepta secundæ classis dicendum est, posse dari ignorantiam inculpabilem in paucioribus hominibus, & per breve tempus. Non tamen dari potest ignorantia inculpabilis per multum tempus, si absolutè, & secundum substantiam accipiantur, vel in pluribus hominibus: & ratio est, quia hæc præcepta, licèt non tanto discursu indigeant, sicut illa, de quibus modo diximus; indigent tamen aliquo discursu, cum non sint prima principia, sed conclusiones ex illis deductæ. Sed contingere potest, aliquos homines in hoc discursu saltem per breve tempus deficere, vel propter ruditatem, vel propter defectum Doctorum: ergo in eis, saltem ad breve tempus, poterit inveniri ignorantia invincibilis; non tamen per longum tempus, vel in pluribus, maximè inter Christianos, quia cum tales conclusiones parum distent à primis principijs, & sint illis conformes, facillimo negocio cognosci possunt, & in actibus eorum natura ipsa, & conscientia pulsat, vt non permittat per multum tempus inculpabiliter ignorari, præcipuè inter fideles, qui Doctoribus abundant, à quibus possint circa illa edoceri. ¶ At illi qui habent ignorantiam invincibilem præceptorum secundæ tabulæ, modo dicto duobus *numeris antecedentibus*, ipsa durante, eos excusat à culpa, quidquid contrarium docuerint aliqui neoterici, contra quos noviter adest Alex. VIII. decretum, editum Feria 5. die 17. Decembr. anni 1690. in quo damnatur hæc Propos. quæ erat 2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.* Dictum in his duobus numeris tenent D. Thom. 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 4. & 6. N. Salmantincenses 1. 2. *quæst.* 76. *tract.* 13. *disp.* 13. *num.* 15. Illustrissimus Dominus Fr. Petrus de Tapia *tom.* 1. *catenæ moralis, libr.* 4. *quæst.* 2. *artic.* 5. Suar. *lib. de legib. cap.* 8. *à num.* 7. Soto *de Iustit. quæst.* 4. *art.* 4. Azor. *lib.* 1. *cap.* 13. *quæst.* 1. Gordonus *lib.* 2. *quæst.* 5. *cap.* 3. *n.* 15. Vazquez 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 122. *cap.* 2. Granados *controv.* 7. *tract.* 3. *disp.* 4. *num.* 9.

Quorum datur culpabilis inscitia.

28 Diximus *num. præced.* non posse dari de præceptis illis secundæ classis ignorantiam inculpabilem: nam culpabilis ignorantia illorum apud plures invaluit nationes: & sic refert D. Thomas peccata contra naturam, & furta apud aliquos non judicari improba, & apud Thebanos statutum erat seniores è rupibus præcipites dari: & Scythæ cum mortuis vivos amicos sepeliebant, vt refert Gregorius Martinez *quæst.* 94. *articul.* 5. *dub.* 1. & apud Platonem *dialogo* 5. *de Republica* vxores habebantur communes, & filij determinatos parentes non habebant, & Matth. 15. Iudæi existimabant bonum, filios patribus indigentibus alimenta denegare, vt ea in templo offerrent: & adulteria fuerunt approbata à Licurgo, vt refert Plutarchus in eius vita. Sed hoc accidebat, vt inquit D. Thomas, *Propter hoc, quod aliqui habebant depravatam rationem ex passione, seu ex prava consuetudine: quod non excusabat illos à peccato.*

Quomodò de præceptis Decalogi potest dari invincibilis ignorantia?

29 Diximus etiam loquendo de his præceptis absolutè sumptis, & secundum substantiam. Nam de illis, vt vestitis aliquibus circumstantijs, dari potest in pluribus, & per multum tempus ignorantia invincibilis, vt quod occidendus sit tyrannus privata authoritate; quod mentiendum sit, propter vtilitatem proximi: quod furandum, ob dandam eleemosynam: quod ob vitam tuendam, possit pudicitia violari, & aliqua peccata huius materiæ aliquibus indutà circumstantijs, eo quod

mate-

materiæ horum præceptorum cum his circumſtantijs non ita evidenter, & facilè ex principijs generalibus lumine naturæ notis deducuntur: & ſic potius ad tertiam ſpeciem, quam ad ſecundam præceptorum Decalogi pertinere, arbitrantur N. Salmant. Tapia, Vazq. Gordon. & Granad. *loc. cit.*

§. III.

De jure gentium.

Ius gentium eſt poſitivũ ab hominibus introductum.

30 DAri jus gentium, eſt apud Doctores certiſsimum, & in vtroque jure, Canonico videlicèt, & civili, paſsim nominatum. Quod differat à jure naturali, & civili, conſtat *ex l. 1. ff. de juſtitia, & jure*: vbi dividitur jus in naturale, gentium, civile: & *inſtitut. de jure naturali, gentium, & civili, §. 1. & 2.* Et ratio eſt: quia jus naturale eſt illud, quod cuilibet eſt naturæ inditum, ſive ſecundum ſe, ſive ſuppoſita ſocietate, & communicatione politica cum alijs, vt quod ſervus obediat domino, quod promittens reddat promiſſum, quod contrahens non defraudet proximum. Et ideò ſemper neceſſario prohibet, quæ mala ſunt, quia mala; vel quæ bona ſunt, præcipit, aut conſulit, quia bona. Ius civile eſt, quod aliquis Princeps in ſuo particulari Regno, vel Provincia ſtatuit, quod non ſtatuere poſſet. Ius gentium, nec à natura inſtitutum eſt, nec à determinato Principe latum, ſed vſu, vel conſuetudine ab omnibus, vel ferè omnibus gentibus introductum eſt, vt diſcretio gentium, Regnorum diviſio, bella, contractus, paces, fœdera, &c. Quod nec à natura eſt inſitum, quia alitèr homines poſſent decernere; nec ab aliquo determinato Principe aſsignatum. Ideòque jus gentium licèt naturæ ſit valde conforme, in illaque fundetur, propriè jus poſitivum eſt ab hominibus ortum, vt tenent Tapia *tom. 1. catenæ, lib. 4. q. 2. art. 6. num. 3.* Bañez 2. 2. *quæſt. 57. art. 3.* Granad. *controv. 7. de legib. tract. 3. p. 1. diſp. 3. ſect. 1. n. 5.* Salas *diſput. 2. ſect. 3. num. 21.* Bonacin. *diſput. 1. quæſt. 1. punct. 1. num. 15.* Palaus *tract. 3. diſp. 1. punct. 3. num. 2.* Unde ſicut ex conſenſu hominum fuit introductum, poteſt de illorum abrogari conſenſu, vel diſpenſari: ſicut in principio Eccleſiæ omnia, erant communia. Et ſic diviſio poſſeſsionum, quæ eſt de jure gentium, fuit abrogata. Et inter Chriſtianos, qui capiuntur in bello, non habentur, vt ſervi, quamvis de jure gentium oppoſitum decernatur.

In quo differant jus gentium, naturale, & civile?

31 Quare ad jus naturale pertinet totum, quod lex naturalis dictat, vt principia generalia demonſtrantia, quid fieri, aut non fieri debeat: & concluſiones evidenter illatæ ex illis, vt ſunt omnia Decalogi præcepta, & etiam aliæ, quæ nimis facilitèr deducuntur, vt vſurarum prohibitio, vnitas vxorum, indiſſolubilitas matrimonij, &c. Ius civile, concluſiones minus communes continet, & quas particulares Principes in ſingulares ferunt Provincias, aut Regna. Ius gentium continet illas leges, quæ nec ſcriptæ ſunt, nec ex principijs juris naturæ planè inferuntur; ſunt tamen valdè conformes naturæ, ſeu dictamini rationis: & ideò in illis omnes, vel ferè omnes conveniunt. Et ob talem conformitatem dixit D. Thom. 1. 2. *q. 95. art. 4. ad 1.* jus gentium eſſe concluſiones deductas ex principijs legis naturæ: quia videlicèt ſunt valdè propinquæ, & proportionatæ legis naturalis principijs.

Ea quæ ſunt de jure gentium, numerantur?

32 Ut declararet S. Iſidorus *lib. 5. Etymologiar. cap. 6.* quid ſit jus gentium, varia proponit exẽpla. Cuius verba ad totam iſtam rem declarandam ſufficientia ſunt, ſic enim aſſerit: *Ius gentium eſt ſedium occupatio, munitio, bella, captivitates, ſervitutes, poſtliminia, fœdera, pacis induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita.* Et ſubdit ſtatim: *Et inde jus gentium, quod eo jure omnes ferè gentes vtuntur.*

§. IV.

De lege divina veteri, & nova.

Quare præter legẽ naturalem detur lex poſitiva?

33 PRæter legem æternam, & naturalem, datur lex divina poſitiva, quæ ſpecialitèr divina dicitur, quia eſt circa ſupernaturalia in ordine gratiæ, quæ ſunt ordinis divini, Div. Thomas, *quæſt. 91. art. 4.* vbi etiam probat, dari præter naturalem, & humanam, legem divinam ex quatuor principijs. Primò, quia lex naturalis non poteſt verſari circa finem ſupernaturalem; & ideò vt homo ad ſuum finem ſupernaturalem dirigeretur, oportuit dari legem præſcribentem media ad talem finem proportionata. Secundò, ob incertitudinem humani iudicij, præcipuè circa ſingularia; & ſic vt homo certò cognoſceret, quid ſibi ad vitam æternam conduceret, debuit dari lex, quæ determinatè ſibi congruentia ad talem finem aſsignaret. Tertiò, quia lex humana non datur de occultis, vel interioribus actibus: ergo danda erat lex divina, quæ ſicut occulta judicare, ſic præcipere, vel prohibere poſſet. Quartò, quia lex humana non poteſt omnia bona præcipere, nec omnia avertere peccata, ſed potiùs aliqua permittere oportet, vt præcaveantur majora mala: lex autem divina omnia mala prohibet, & execratur cuncta peccata. Quæ omnia per Prophetam rectè aſsignantur: *Lex Domini immaculata*, quia nullam maculam peccati approbat, vel admittit: *Convertens animas*, quia dirigit etiam interiorem hominem: *Teſtimonium Domini fidele*, videlicèt propter certitudinem rectitudinis, veritatis: *Sapientiam præſtans parvulis*, quia hominem docet, dirigitque ad ſupernaturalem finem, & divinum, ad quem ſuis viribus, vel naturæ cognitione, nec primum poſſet pedem movere.

In quo lex nova à veteri diſcrimi netur?

34 Legem ergo divinam in veterem, & novam dividit S. Doctor *quæſt. 91. artic. 3.* tanquam in perfectam, & imperfectam; ſicut homo in puerum, & virum, qui intra eandem ſpeciem, vt perfectum, & imperfectum diſcriminantur, quia vtraque lex ab eodem authore, qui eſt Deus, eſt: vtraque ad eundem finem hominem dirigit, qui eſt beatitudo ſupernaturalis, & ſic ſunt eiuſdem ſpeciei. Sed lex vetus inquirebat talem finem ſolùm adhærendo bono ſenſibili, & terreno; & ſic præmia terrena pro hac vita illius obſervatoribus promittebat. Lex nova totis viribus bono ſpirituali innitens, ad ſupernam patriam anhelat. Illa timore ad obſervantiam ſui homines pertrahebat, quod fulgura, & tonitrua in ſui promulgatione tonantia indigitarunt; hæc amore, & charitate, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Unde dixit D. Auguſtinus, *brevis differentia eſt legis, & Evangelij: timor & amor.* Denique illa ſolos actus exterio-

res

res dirigebat; hæc verò etiam interiores prohibet, aut persuadet. Vnde solet dici, *quod lex vetus cohibet manum, nova animum.*

Diffinio veteris legis proponitur.

35 Lex vetus ita describi potest, vt brevis ejus notitia capiatur. Lex vetus, *est imperium à Deo derivatum ad Angelum, qui nomine Dei illud intimavit Moysi, vt promulgaret populo divinitus electo, & eum præpararet ad legem Christi Domini, quem expectabat, & suis cæremonijs præfigurabat.* Dicitur *imperium à Deo derivatum*, quia talis lex à Deo Bono, Optimo, & Maximo data fuit, vt probat D. Thom. 1. 2. *q.* 98. *art.* 2. contra Manichæos oppositum tenentes. Imò tota lex vetus quoad omnia sua præcepta divina est, strictè loquendo, immediatè à Deo data: & Moyses solum fuit promulgator totius legis, omniumque præceptorum illius, quæ illi sunt data à Deo, vt ea intimaret populo. Sic Valent. *disp.*7.*q.*7. *punct.* 1. Salas *disput.* 22. *sect.*2.Granad.*tract.* 4. *disp.* 6. *n.* 1. Martin. *q.* 99. *art.*2.*dub. vnic.concl.*2. Alias posset Moyses, vel ejus successor in tali lege dispensare, si ab ipso, non à Deo, lata esset: quod est falsum. Sed quia Moyses non immediatè à Deo illam recepit, nisi medio ministerio Angelorum, additur in diffinitione, *à Deo derivatum ad Angelum*: quia vt dicitur *ad Galat.* 3.*Lex data est per Angelos in manu mediatoris.* Et *Actor.*7.*Accepistis legem in dispositione Angelorum.* At probat D.Thom.*q.*99.*art.* 3. Non quia ipsi Angeli authoritativè talem legem tulerint, sed vt ministri in persona Domini loquentis per eos, & potestatem, & efficaciam tribuentis.

Quare præcepta lex vetus non cõtinebat?

36 Dicitur deinde in diffinitione, quod talis lex populo electo fuit concessa, nimirum populo Hebræorum, propter peculiarem prærogativam Sanctitatis Christi, & reverentiam ejus, qui ex illo populo nasciturus erat. D. Thom. *q.*98. *art.* 5. Vnde illum duntaxat populum obligabat quantum ad legalia, & cæremonialia; non verò ad alias gentes extendebatur, nisi per circumcisionem populo Dei aggregarentur. Diximus, *quantum ad legalia, & cæremonialia*, quia talis lex continebat tria genera præceptorum: nimirum moralia, cæremonialia, & judicialia. D. Thom.*q.*99. *art.* 2. ex Deuteron. 6. *Hæc sunt præcepta mea, & cæremoniæ, atque judicia.* Præcepta moralia erant illa, quæ in Decalogo continentur, & lege naturali sunt nota; sed quia lumen eorum erat non parum obscuratum, oportuit Deum ea explicare illis per suam legem. Ad hæc præcepta cum sint de jure naturæ, etiam aliæ gentes adstringebantur, sed specialiter ille populus. Tùm, quia præter lumen rationis, quo illis talia præcepta intimabat, Deus per suam legem ea specialiter ipsis exprimebat. Tùm etiam, quia in ordine ad altiorem finem erant expressè illis exposita, nimirum ad finem æternæ beatitudinis. Cæremonialia præcepta erant, quibus cultum Deo exterius exhibebant; & ad hæc aliæ gentes minimè adstringebantur. Quia licèt tenerentur ad cultum Deo præstandum, non tamen per cæremonias veteris legis; sicut nec ad judicialia, quæ in ordine ad decidendas lites, & peccata punienda ordinabantur.

Adveniente Christo, lex vetus cessavit.

37 Denique in diffinitione dicitur: *Vt eum præpararet ad legem Christi Domini*, &c. vt finis proximus illius legis exprimatur, quæ ad Christum Dominum, vt futurum omnia ordinabat, & sic omnia præcepta legalia, & cæremoniæ post adventum Christi Domini cessaverunt. D. Thom. *q.* 103. *art.*3. & ibi latè ejus interpretes; sed non cessaverunt secundum substantiam in tota vita Christi Domini: & ideò vsque ad ejus mortem, non solum licitum erat talia præcepta observare, sed obligatorium; & sic Christus Dominus illa observavit, & observari præcepit, Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Et *cap.* 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, &c. Omnia, quæ dixerint vobis, servate, & facite.* Sed in puncto mortis Christi veteris legis cessavit obligatio D. Thom.*q.* 103.*art.*3.*ad* 2.*&* 37.*art.*1.*ad* 1. Et sic explicat illud dictum Christi Domini in cruce, Ioann.19.*Consummatum est.*

Non statim ab adventũ Christi cœpit lex vetus esse mortifera.

38 Sed licèt tunc cessaret talis obligatio, & lex mortua fuerit, non tamen mortifera, & sic licitè poterant, qui vellent, illa vti quoad substantiam, non verò vt cæremoniæ illius erant protestationes Christi venturi. Ideoque Apostoli vsque ad vniversalem, & sufficientem Evangelij promulgationem, veterem legem in multis observabant, vt sic lex illa cum honore sepeliretur, & appareret discrimen inter eam, & leges Gentilium: quia cum lex vetus esset à Deo data, justum erat, quod non protinus extingueretur, ita vt ejus observantia esset illicita. Quod è contra accidit in Gentilitatis cæremonijs, quæ cum essent contra legem naturalem, vtpotè idolorum cultus, semper illicitæ erant D. Thom. 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. Cessavit tamen penitùs lex vetus, & mortifera esse cœpit post promulgationem Evangelij: non quidem qua solum necessitas servandi illud intimata est; sed qua promulgatum est, solum Evangelij ritus esse observandos, cæteroſque abijciendos: & ideò non statim post Pentecosten mortifera esse cœpit talis lex, nec simul, sed successivè, sicut fuit ab Apostolis observatum. Hoc ferè omnes Theologi asserunt sequentes D.Augustin. qui contra D. Hieronymum diversis in epistolis id defendit. Videantur D. Thom. 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 4. *ad* 1. Granad.*tract.*4.*disp.* 6. *num.* 5. Gregorius Martin. *quæst.*13. *art.*4. *dub.* 3. *concl.* 3. Tapia *lib.*4.*q.* 26. *art.*9.

Quid sit lex divina nova

39 Lex divina nova est lex Evangelica, quæ dicitur lex gratiæ, eo quod non solum mandat, sed ad observanda præcepta, vires per gratiam administrat. Hæc lex principaliter scripta est in cordibus hominum per charitatem, gratiam, & lumen supernaturale, & minus principaliter in Evangelijs exarata. Et ideò principaliter est indita in corde, minus principaliter scripta. Div. Thomas *quæst.* 106. *articul.* 1. & sic antequam Evangelistæ eam scriptis mandarent, jam in cordibus hominum scripta erat; & illos ad sui observantiam obligabat. Hoc enim ad novum, & excelentissimum legislatorem pertinebat, vt novo modo legem instituret per illapsum in cordibus, non terribili clangore buccinæ propositam, sed molli oratione interius loquentis. D. Thom.*3.part.q.*43.*art.* 4. Nam quo excellentior Doctor, eo excellentior debet esse modus docendi illius. Cum ergo Christus Dominus excellentissimus omnium Doctorum extiterit. Matth.7. *Erat docens sicut potestatem habens*; excellentissimè debuit cordibus suam doctrinam imprimere.

Quando lex nova cœpit obligare?

40 Hæc autem lex nova statim post passionem Christi obligare cœpit in ratione præcepti Apostolos, imò quemlibet alium, cui sufficienter proponeretur, qui teneretur baptizari statim, & post Baptismum peccata commissa confiteri (si verè tunc instituta esset pœnitentia) & in articulo mor-

mortis communicare, & Apoſtolis obedire. Div. Thom. *q.66.art.2. & 103. art. 2. ad 1.* Dixi, *in ratione præcepti*, quia ad hoc ſufficit quod particulariter intimetur, & notificetur. At in ratione legis non ſtatim cœpit obligare, quia vt ſic generalem exigebat publicationem. Quæ generalis publicatio facta fuit in die Pentecoſtes: & ideò ex tunc vim legis obtinuit, obligavitque omnes. Quamvis aliqui à culpa excuſarentur eam non obſervando vſque ad particularem illius notitiam. Ideòque ex tunc cœperunt Apoſtoli eam vt obligantem prædicare. Div. Bernard. *epiſt.* 77. D. Auguſt. *epiſt.* 119. D. Leo Papa *ſerm.* 1. *de Pentecoſt.* Capreol. *in* 4. *diſt.* 3. *q.* 3. *ad* 3. Valent. *diſp.* 7. *q.* 8. *punct.* 1. Gregor. Martin. *q.* 106. *art.* 3. *dub. vnic. concl.* 3. Quæ lex vſque ad finem mundi duratura eſt. D. Thom. *q.* 106. *art.* 4. Nec poſt ipſam alia eſt expectanda, Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum. Hebræor.* 7. Regnum Chriſti dicitur æternum; ſed Regnum, & Sacerdotium eandem habet cum lege durationem; eo quod, *translato Sacerdotio, oportet vt legis translatio fiat*, vt argumentatur Apoſtolus loco citato: ergo talis lex erit æterna, non quia per æternitatem ſit duratura, ſed æterna dicitur, quia vſque ad finem mundi permanebit nullo tempore abroganda.

§. V.

De lege humana, canonica, & civili.

Quare præter legē diuinam, & naturalem detur lex humana?

41 DAri præter legem naturalem, humanam poſitivam, probat rectè D. Thom. 1.2. *q.* 91. *art.* 3. hac ratione. Sic ſe habent præcepta legis naturalis in practicis, & moralibus, ſicut prima principia in ſpeculabilibus; ſed ex primis principijs per induſtriam, & diſcurſum humanum deducuntur aliquæ concluſiones quæ non ſunt naturaliter inditæ; & ſic pertinent ad ſcientiam, quæ eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus: ergo ex præceptis naturalibus, quaſi ex generalibus principijs poteſt ratio humana procedere ad aliqua magis particularia diſponenda; & hæc particularis diſpoſitio induſtria humana inventa, lex humana dicitur. Quæ diffinitur, quod eſt *Principis humani imperium ordinatum ad bonum commune, & ſufficienter promulgatum.* Quæ dividitur in legem Eccleſiaſticam, & civilem, vt ſuperius *n.* 19. diximus.

Quot detur leges canonicæ?

42 Lex Eccleſiaſtica, ſeu Canonica eſt, quam Eccleſia Catholica, ſive per ſe ipſam, ſive per caput ſuum condit, aut illos, qui jure divino, aut Eccleſiaſtico habent quaſi ſupremam poteſtatem. De quibus ex profeſſo ſuo loco agemus. Et ſi inquiras, quot ſint volumina juris canonici? Breviter dicimus, quod primum volumen appellatur *Decretum*, à Gratiano compilatum ex varijs Concilijs, & Patrum teſtimonijs. Quod dividitur in centum ſupra vnam diſtinctiones, & trigeſimam, & tertiam cauſam, & poſt vltimam ſunt ſeptem diſtinctiones de pœnitentia, & aliæ tres cauſæ: ac tandem quinque diſtinctiones de conſecratione. Secundum volumen appellatur *Decretales*, quinque libris diſpoſitum, & conſtans diverſis reſponſis, ſtatutis, ac præceptis Pontificum, & Conciliorum. Tertium dicitur *Liber ſextus decretalium*, qui eaſdem continet materias, in alijs quinque libris ex diverſis præceptis, & ſtatutis conſtantibus. Quartum ſunt *Clementinæ*, quæ ſunt variæ Pontificum deciſiones collectæ à Clemente Papa V. & Extravagantes Ioannis XXII. & aliæ Extravagantes communes aliorum Pontificum. Quintum eſt *Novum Bullarium*, in quo ſunt motus proprij, & Bullæ diverſorum Pontificum.

Decretum Gratiani legis rationem non habet.

43 Sed notandum eſt, hæc omnia jura Canonica vim legis habere Eccleſiaſticæ, totamque obligare Eccleſiam, præter decretum à Gratiano collectum, quod licèt ab aliquibus aſſeratur ex conſuetudine, vel confirmatione Pontificum, vt legem obligare, verius tamen eſt, nullam obligationem inducere, præter illam, quam decreta in eo contenta ex ſe habent: & ſic ſi fuerint Conciliorum generalium, aut Summorum Pontificum, totam Eccleſiam obligabunt: ſi Conciliorum Provincialium, totam illam Provinciam ſuæ juriſdictionis: ſi fuerint dicta Sanctorum Patrum, nullam ingerunt obligationem, & minus, quæ ab ipſo Gratiano adduntur. Et ratio eſt, quia ſolus Summus Pontifex, aut Concilium generale poſſunt totam Eccleſiam per leges, aut præcepta obligare. Et per hoc quod Gratianus cætera in illo volumine congeſſerit, non tribuit eis maiorem vim obligandi, quàm ipſa ex ſe habebant. Et ita tenent Soto *lib.* 7. *de juſtitia, q.* 3. *art.* 1. Caietan. 2.2. *q.* 88. *art.* 8. *dub. vltim. ad* 4. Suar. *lib.* 4. *de legib. cap.* 51. *n.* 5. Granad. *controverſ.* 7. *de legib. tract.* 3. *p.* 1. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 17. Salas *tract.* 14. *diſp.* 8. *ſect.* 13. Sanchez *de matrimon. lib.* 9. *diſp.* 12. *n.* 5. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 2. *diff.* 7. *n.* 3. Dian. 3. *p. tract.* 5. *reſp.* 26. & 5. *tract.* 14. *num.* 68.

Diviſio juris civilis.

44 Ius civile dividitur in leges Imperatorias, & dicitur jus commune, ſeu *Cæſareum*, & leges Regias, ſeu particulares Regnorum. Ius commune Cæſareum omnes leges Imperatorum continet, & in tres partes principales dividitur, ſcilicèt, *Digeſta, Codicem*, & *Inſtituta*. Digeſtum ſubdividitur in *Digeſtum Vetus*, & *Digeſtum Novum*, & *Digeſtum Infortiatum*. In quibus antiquorum Imperatorum leges, & Iuriſperitorum deciſiones, quæ à Iuſtiniano ſapientiſsimo & Chriſtianiſsimo Imperatore congeſtæ ſunt, continentur. Secunda pars, ſcilicèt *Codex*, quem etiam Iuſtinianus compilavit, continet leges, & conſtitutiones Imperatorum, qui Chriſtianam Religionem profitebantur, & ſic exordium illarum eſt, *Titulus de ſumma Trinitate, & fide Catholica*: quam ibi Imperator commendat. Et dividitur in duo corpora. Unum retinet nomen *Codicis*, & continet novem libros. Aliud appellatur *Volumen*, quod tres alios libros Codicis vſque ad duodecimum continet, & *Authenticas*, ſeu authenticas leges, & *Novellas*. Vltima pars dicitur *Inſtitata*, ſeu Inſtitutiones Iuſtiniani: & eſt compendium juris Civilis Cæſarei, ſeu principia ipſius Iuſtiniani juſſu compoſita, pro tyronibus in jure inſtituendis: & dividitur in quatuor libros.

Diviſio juris Hiſpani.

45 Sed aliorum Regnorum juribus, ſeu legibus prætermiſsis, jus Hiſpanum, quod ad nos pertinet, in quinque partes dividitur. Prima continet leges *fori*, ad quas leges ſtyli reducuntur: & vulgò in Hiſpania dicitur, *Fuero Juzgo*: & continet antiquiores Hiſpaniæ leges, & ſolummodo obligant illæ, quæ probantur eſſe in vſu, vt dicitur *leg.* 1. *Tauri*. Secunda continet leges *Partitarum*, quæ compoſitæ ſunt à Rege Alphonſo IX. diligentia, & labore ſapientiſsimorum virorum, & in ſeptem partes dividitur, quæ ſunt *ſeptem Partitæ*, ferè omnes materias

rias, & leges juris Cæsarei continentes,& aliqua decreta Iuris Canonici. Et hæc sunt in viridi observantia in Hispania à temporibus Catholicorum Regum Ferdinandi, & Isabellæ, qui *leg. 1. Tauri*, jusserant in his Hispaniæ Regnis per leges Partitarum judicari. Tertia leges *Ordinamenti*, quæ post Partitas fuerunt compositæ, & habent octo libros, & sunt in viridi observantia. Quarta leges *Tauri*, quæ in civitate de *Toro* à Regibus Ferdinando, & Isabella sunt ordinatæ, quæ hodie in his Regnis observantur. Quinta dicitur *Nova Recopilatio* legum, seu Pragmaticarum dispersarum, quæ jussu Regis Philippi II.compilatæ sunt, & novissimè jussu Philippi IV. amplior compilatio facta est. Quæ cum sint jus novissimum istorum Regnorum, in illis magna diligentia observantur.

Leges Cæsareas in Hispania obligare aliqui autumãt

46 Sed gravis modo restat difficultas, an in Hispania (& idem dicimus de alijs Regnis, quæ Imperatoribus subjecta sunt) obligent leges communes Cæsareæ, ita vt deficientibus proprijs legibus in aliqua materia, per illas judicandum sit ? Non est dubium in Lusitania obligare leges communes civiles, vbi propriæ in aliqua materia non dantur. Quia ita dispositum est per leges illius Regni, vt testantur Palaus *tract. 3.disp.1.§.1.n. 7.* Suar. *lib. 3. cap.8.n.3.* Granad. infra citandus; sed etiam in Castella obligare prædictas leges, saltem ex consuetudine, tenent Palaus *loc.cit.n.9.* Sanch. *lib. 7. de matrimon.disp.87.n.29.*Villalob.*tom.1.tract. 2. diffic. 8.n.6.* Qui citant Anton. Gomez, Burgos de Paz, Didacum de Castillo: & probant, quia leges civiles sæpissimè allegantur in tribunalibus, cum propriæ deficiunt, easque sequuntur judices, neque supremi ministri audent his legibus contrahire,nisi cum proprijs sunt contrariæ.

Verius est legesImperatorias non obligare in Hispania.

47 Cæterùm contrarium habetur *leg. 6. tit. 4. p.6.*vbi dicitur: *Los pleytos los libren por las leyes deste libro, y no por otras.* Idem habetur *leg. 15. tit.1.p.1.*ibi: *Todos los que son del señorio del facedor de las leyes, son tenudos de las guardar, è juzgarse por ellos, è no por los escritos de otra ley.* Ubi assignatur ratio, quare tales leges Cæsareæ in Hispania non obligent, quia Imperator non est dominus totius orbis. Et specialitèr nullam habere in Hispanos jurisdictionem, constat, quia Rex in hoc Regno suprema gaudet potestate: ergo non potest suis legibus Hispanos obligare, nec isti juri communi subjecti erunt. Unde si lex aliqua juris communis irritet aliquem contractum, non ideò irritus erit apud nos: & si aliquid præcipiat, aliquamve pœnam imponat, nulla parendi obligatio erit. Deservivnt tamen leges juris communis (per quod solvitur fundamentum contrarium) tanquam sapientium responsa, & doctrina in multis valdè conformis legi naturali, quæque afferunt rationes optimas, quibus possunt judices instrui: & propterea eius leges frequentissimè allegantur, & est vtilissimum juris communis studium. Et sic *in leg. 3. tit. 1. lib. 2. novæ collect.* dicitur: *Empero bien queremos, y sufrimos, que los libros de los Derechos, que los sabios antiguos hizieron, se lean en los estudios, porque ay en ellos mucha sabiduria.* Quasi dicat: Non quia obligent, aut habeant vim legis; sed quia sapientissimè studentes instruere possunt. Atque ita tenent Granad.*controv.7.de legib.tract. 3.p. 1. disput. 3.sect.3.n.23.*Gordon.*lib.2.q.9.cap. 3. num.3.* Suar.*lib.3.cap.8.à n.4.*Vazq. *1.2.tom. 2.disp. 153. cap.2.* Salas *tract. 14. disp. 7. n. 18.sect. 9.* Diana *5.p. tract.14.resol. 69.* Illustrissimus D. Fr. Petr. à Tapia *tom.1.catenæ,lib.4.q.7.art.3.n.5.*

PUNCTUM IV.

De effectibus legis, & illius proprietatibus.

Legis proprium est facere homines bonos.

48 VOluntas legislatoris hæc est (inquit Aristotel. 1. *Ethicor. cap.4.*) *vt faciat homines bonos.* Ex quo infert optimè D. Thom. 1.2.*q. 92.art.1.* proprium effectum legis esse homines bonos facere. Cum eo consentiunt omnes ferè Authores. Tapia *lib.4.q.1.art.4.*Martin.*q.92.articul.1. dub.vnic.* Montesin. *disp. 21. q.1. num.4.* Granad.*controv.7. tract.1. disp. 8.* Gordon.*lib.2.q.3.cap.1.n.5.*& ratio S. Doctoris est, quia est bonum subditi, vt subditus est, quod superiori legitimè præcipienti obtemperet; sed superior præcipit per legem honestam,quod conducit ad bonum commune, si legitimè præcipiat: ergo subditus illi obediens bonum honestum bono communi conveniens operatur: ergo bonus redditur. Et ideò nulla datur lex, quæ verè si talis, quæ si executioni mandetur, illius adimpletio non sit bona; sed à bono opere bonus dicitur homo: ergo per legem bonus efficitur.

Quomodo bonos faciat lex humana

49 Sed pro intelligentia notandum est, quod quando dicitur, legem bonos efficere, non intelligitur, quod ex omni parte bonos faciat; hoc enim solius legis æternæ, & naturalis, imò, & evangelicæ proprium est; non verò legis humanæ, præcipuè civilis, quia non omne bonum præcipit,aut intendit, sed aliquod particulare: quod cum sit bonum honestum, solum facit bonum simpliciter in illo genere. Quod etiam verificatur, tametsi lex solum sit ex his, quæ vtiles dicuntur, vt asportare, vel non, pecuniam: quia hoc bonum, vt ad commune bonum conducit, inàuit rationem boni honesti: & saltem subjectio subditi superiori præcipienti, honestum, & bonum morale est. Poterit tamen quandoque lex civilis per actum bonum, qui solum ex objecto sit talis, impleri, & tunc facit bonum secundùm hanc rationem duntaxat, vt contingit,cùm quis per actum malè circumstantiatum præceptum legis adimplet. Quia licèt ipsa intendat bonum actum,& quod benè fiat; hoc tamen non præcipit semper, quia finis legis non cadit sub lege. Unde fit legem non facere bonos, qui tales sint absolutè, & simpliciter, seu omnibus modis, cum impleri possit, & à peccatoribus, & ab infidelibus; sed sicut de virtute dixit Philosophus, bonum reddere habentem, quia bonum est morale absolutè servare legem, quæ ad bonum commune ordinatur, & Principi imperanti obedire.

Aliquæ objectiones contra dicta

50 Sed objicies primò, quod si aliqua lex bonos faceret, maximè divina; sed lex divina vetus non faciebat bonos: ergo non est de ratione legis bonos facere. Probatur minor: nam *ad Rom.1.* dicitur: *Lex subintravit, vt abundaret delictum.* Et *cap.7. Sine lege enim peccatum mortuum erat; sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Et *Isaiæ 1. Dedi eis leges non bonas*: ergo divina lex potiùs peccatores, quàm bonos facit. ¶ Secundò, quia lex civilis tantùm facit illam observantem bonum civem; & hoc sonat nomen legis civilis, quæ datur

tur, vt bonos cives faciat, ſed aliud eſt eſſe bonum civem, aliud bonum virum, vt inquit D. Thom. *ſolut. ad 3.* & Ariſtotel. *3. Politic. cap. 3.* ergo non facit bonos moraliter, & abſolutè, quod per eſſe bonum virum ſignificatur.

Solvuntur objectiones prædictæ.

51 Reſpondetur ad primam objectionem, legem veterem bonam fuiſſe, & ad bonum invitare; ſed dicitur per illam abundare delictum occaſionaliter, ex fragilitate humana, quia multa jubebat, & parum juvabat, & ſic tot poſitis præceptis, ex fragilitate plura fiebant peccata. Nec propterea Deus in conditione talis legis in ſua miſericordia defecit, quia potius fuit valdè conveniens ſecundùm eius providentiam, ad experiendam vtilitatem, & neceſſitatem Chriſti, vt ſic eius adventum ardentius homines ſitirent. Unde in illa propoſitione: *Lex ſubintravit, vt abundaret delictum*, ly *vt*, non importat finem, ſed effectum legis, non quidem à lege cauſatum, ſed ex fragilitate, ſumpta occaſione ex aſperitate legis. Unde ſubdit Apoſt. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* ¶ Ad ſecundum dicendum, quod lex civilis facit bonos, non omnibus modis, ſed tantùm bonitate civili: quæ bonitas in ſuo genere abſoluta eſt. Ut enim faciat bonum civem abſolutè, non requiritur vt faciat bonum omnibus modis, id eſt, omni bonitate virtutis, quia hoc eſt facere bonum virum: &, vt ait Ariſtot. *loc. cit.* alia eſt ratio boni viri, & boni civis. Nec requiritur eſſe bonum virum, qui eſt bonus civis. Et in hoc poſuit D. Thom. diſcrimen inter bonum civem, & bonum Principem, quia vt ſit bonus Princeps, bonum virum eſſe requiritur, quod non petitur ad eſſe bonum civem.

Effectus legis eſt ſubditos obligare.

52 Alius effectus legis eſt obligare ſubditos, qui eſt effectus reſultans in ſubdito ex vſu poteſtatis, quæ eſt in ſuperiore. Itaque legis propriũ eſt neceſſitatem moralem imponere adimplẽdi, quod præcipit, vel vitandi, quod prohibet, *leg. Legis virtus, ff. de legib.* & probat D. Thom. 1. 2. *q. 93. art. 2.* quia lex eſt imperium practicum ſuperioris includens rationis dictamen, & voluntatis actum: & ideò ſicut habet dirigere, & intimare ex qua parte eſt actus rationis, habet velle obligare ex qua parte eſt actus voluntatis, quandoque ad culpam, quandoque ad ſolam pœnam. De quo ſuo loco dicemus.

Objectio contra dicta, & ſolutio illius.

53 Sed objicies, quod vnus ex actibus legis eſt permittere, vt ſtatim probabimus; ſed in permiſſione actus nulla clauditur obligatio, nec ad culpam, nec ad pœnam, ſi omittatur: ergo non eſt de ratione legis ad vnum ex iſtis obligare. ¶ Nec valet dicere, permiſſionem dici actum legis, non reſpectu illius, cui permittitur, ſed aliorum, reſpectu quorum rationem præcepti importat, & obligationem inducit. Quia lex permittendo malum, prohibet, ne judices puniant, aut alij perturbent eum, qui operatur id, quod ſibi lex permittit. Quemadmodum privilegiũ eſt lex favorabilis, non quia obligationem imponat privilegiato, ſed alijs, ne contra eius immunitatem procedant. ¶ Nam contra eſt. Quia lex æterna plura permittit peccata, & tamen in illa permiſſione nullum clauditur præceptum: ergo nec etiam in permiſſione humana. ¶ Reſpond. optimam eſſe ſolutionem. Et ad replicam dicimus, permiſſionem legis æternæ non eſſe permiſſionem juris, ſed facti; ſed modo loquimur de permiſſione juris, quæ eſt propria legis; Deus enim eo permittit peccata, quia non impedit illa cum poſſet, ob altiſſimos fines; non tamen ſtatuit aliqua lege, vt peccata non prohibeantur, aut non puniantur: quod facit lex humana, quando habet permittere tanquam actum eius. Quod non intelligitur merè negativè, quia videlicèt non prohibet; ſed poſitivè, ſtatuendo, v. g. quod vir occidens adulterum in fragranti repertum cum vxore, pœna capitis non plectatur. Et ideò nec in lege æterna, nec in naturali, nec in Evangelica datur permiſsio alicuius peccati permiſsione juris, vt ſtatim dicemus.

Qui ſunt actus proprij legis.

54 Præter hos effectus aſsignat Div. Thom. *q. 92. art. 2.* actus proprios legis: nimirum *imperare, vetare, permittere, & punire*, qui habentur *in leg. Legis virtus, ff. de legibus*, ad quos cæteri omnes actus legis reducuntur: & ratio eſt, quia lex dirigit actus humanos: ergo ſecundum multiplicationem humanorum actuum oportet, quod legis actus multiplicentur. Actus autem humani, alij ſunt boni, & circa illos verſatur lex per *imperare*: alij ſunt mali, ad quos datur prohibitio legis, quæ eſt *vetare*: alij ſunt indifferentes, vel parum boni, aut mali in ſe continentes; & ad illos *permittere* ordinatur. Et quia lex per timorem pœnæ multoties procedit, ad hoc vt imperatum impleatur, ponitur vltimus actus, qui eſt *punire*, vt proprius actus illius.

Aliqua circa dicta notantur?

55 Sed advertendum eſt, hos actus legis dici, non quia ſint eliciti ab ipſa lege, quia cum lex non ſit habitus, vel potentia, non poteſt aliquos actus elicere; ſed actus legis dicuntur quaſi integraliter, quia ex eis quodammodo integratur lex. Non quia in qualibet lege in particulari omnes reperiantur, ſed quia ad legem in communi hæc omnia munera ſpectant, quorum aliqua per vnam legem, alia per aliam præſtat, & multoties per eandem omnia. Primus actus non dicitur *imperare* generali ratione, ſic non diſtinguitur à ſecundo, qui eſt *vetare*, nam etiam lex prohibens actum, præcipit, ne fiat; ſed ſpecialiter, ſecundum quod conſtituit præceptum affirmativum *præcipere*, & *vetare* præceptum negativum, & ſic per vnum inducitur obligatio ad agendum, per aliud ad non agendum. Quæ duo in ratione eſſentiali legis non diſtinguuntur, ſed in modo obligandi, quia præceptum affirmativum, tametſi ſemper obliget, quandiu durat; non tamen pro ſemper, quia, cum poſitivum actum imponat, non jubet, vt ſemper, ſed determinato tempore talis actus exerceatur. At præceptum negativum, quod prohibet malum faciendum, ſemper, & pro ſemper obligat; quia malum ſemper eſt malum, & ſic nunquam poteſt exerceri. Quare iſtud præceptum per commiſsionem, illud per omiſsionem violatur. Circa *permittere*, jam diximus *n. 53.* Circa actum, qui eſt *punire*, binæ ſe offerunt objectiones.

Duplex objectio.

56 Prima objectio eſt, quia non minus ad legem pertinet tranſgreſſores punire, quàm obſervatores remunerare; ſed non ob id remuneratio ponitur actus legis: ergo nec debet poni punitio. ¶ Secundo, quia punitio ſupponit jam legem violatam: ergo non eſt actus ipſius legis: eo vel maximè, quia hoc, quod eſt punire, pertinet ad judicem, cuius eſt tranſgreſſores legis pœna afficere: ergo non debet aſsignari actus legis.

Prioris objectioni ſolutio.

57 Reſpondetur ad primam objectionem ex D. Thom. *q. 92. art. 2. ad 3.* quod punire pertinet ad perſonam publicam, non autem præmiare, quia

quia pertinet etiam ad aliquam perſonam particularem. Cùm ergo lex debeat eſſe à perſona publica determinatè, ſolùm ea, quæ ad perſonam publicam privativè ſpectant, debent inter actus legis enumerari. ¶ Sed contra eſt, quòd etiam punire pertinet ad perſonam particularem; quia pater poteſt punire filios, *cap.* 1. 23. *q.* 5. ex D. Auguſt. *epiſt.* 159. *ad Marcellin.* & Magiſter punire poteſt diſcipulos, *leg. Sed & ſi quemcunque, §. Si Magiſter, ff. ad legem Aquil.* & paterfamiliàs punire poteſt eos, qui de familia ſunt, *cap. Duo iſta*, 23. *q.* 4. Reſpondetur eſſe diſcrimen inter præmiare, & punire, quod etiam magni ponderis præmia tribuere convenit, tàm perſonæ publicæ, quàm privatæ, & ſic non eſt peculiaris effectus legis. Punire verò convenit privatis perſonis, ſi ſit in levibus: punire autem in gravibus, ita vt deveniatur ad ſententiam capitis, vel mutilationem membrorum, tantum convenit Principibus, vel Magiſtratibus ab eis habentibus poteſtatem; & ideò abſolutè punire eſt actus, vel effectus legis. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. & habetur *leg. Illicitas, §. Qui univerſas, ff. de officio Præſidentis.*

Solvitur objectio ſecunda.

58 Ad ſecundam objectionem reſpondetur, quod quando *punire* legis actus aſſignatur, non eſt reſpectu illius actus, per quem lex ipſa violatur, ſed reſpectu Iudicum, vt tranſgreſſorem puniant; & ipſis reis, vt debitam pœnam ſuſtineat: & hæc pœna quandoque à lege aſſignatur immediatè reſpiciendo reum, vt quando ipſo facto incurrendam ponit pœnam; quandoque verò dirigitur immediatè ad Iudices, vt pœnam applicent in lege taxatam, vt in legibus reperitur, quæ ferendam, non latam aſſignant pœnam.

PUNCTUM V.

De materia legis humanæ, circa quam verſari poteſt. Ubi etiam, an actus purè internos poſſit præcipere, prohibere, aut punire, tractatur.

Materia legis humanæ

59 QUamvis Legislator humanus id ipſum præcipere, aut prohibere poſſit, quod lex divina, aut naturalis prohibet, aut jubet; & ſic furta, adulteria, homicidia prohibet, & punit, præcipitque plura, quæ lege naturali jubentur; ſed tamen multa poteſt præcipere, aut prohibere, quæ nec lege divina, aut naturali præcipiuntur, aut vetantur. Eſſet quippè inutilis poteſtas legislativa in creaturis, ſi ſolum ea poſſet jubere, quæ aliàs lex divina, aut naturalis decernunt; & contra id, quod dicitur Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Non tamen poſſunt talia mandata legi divinæ, aut naturali adverſari, quia eſſent injuſta, ſed debent eſſe conformia rectæ rationis dictamini (in quo lex naturalis conſiſtit) tanquam regulæ generali, cum qua particulares adaptari oportet. Et ob hanc conformitatem dixit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *articul.* 2. omnem legem poſitivam humanam derivari à lege naturali, & etiam quia ab illa omnem vim obligandi ſuſcipit; præcipit enim lex naturalis, vt ſuperiori, legitimè præcipienti, obediatur, & ſic contra legem naturalem indirectè operatur, qui mandatis juſtis legis poſitivæ humanæ reſiſtit.

60 Sed dices, Summus Pontifex non poteſt diffinire aliqui de fide, niſi id contineatur in principijs à Deo revelatis in ſacra ſcriptura, vel traditionibus apoſtolicis, vt tradunt communiter Theologi: ergo nec etiam præcipere, quod ſub lege divina, & naturali non continetur. Patet conſequentia ex paritate rationis. ¶ Et confirmatur, quia Prælati Religionum non poſſunt præcipere aliquid de novo, quod in regula, vel conſtitutionibus non contineatur, vt tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104. *artic.* 5. *ad* 3. & *quodlibet.* 10. *art.* 10. ergo nec aliquis homo aliquid, quod in lege divina, aut naturali non continetur, poteſt præcipere. Nam ſic ſe habet lex divina, aut naturalis vniverſaliter ſumpta ad leges humanas, ſicut regula Religionis ad leges impoſitas à Prælatis.

Objectio cõtra dicta proponitur.

61 Reſpondetur, Summum Pontificem non eſſe inſtitutorem veritatum fidei, ſed ſolum declaratorem, vt rectè inquit D. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 9. & 10. nam veritates fidei æternæ veritati, & divinæ revelationi innituntur. Unde non mirum, ipſum non poſſe alia tanquam de fide proponere, niſi quæ per revelationem divinam innoteſcunt; illa verò poteſt declarare, quæ per ſuas diffinitiones efficit. At in ratione Legislatoris auctoritativam habet poteſtatem à divina diſtinctam, licèt ab ea derivatam: & ſic condere poteſt novas leges etſi divinæ, aut naturali conformes, quæ tamen in ea non continentur formaliter. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, ſubditos ſolum promittere obedientiam Prælatis Religionum ſecundum regulam, & conſtitutiones illarum: quare Prælati nihil contra regulam, vel præter regulam præcipere poſſunt, vel quod inutile ſit ad regulæ, & conſtitutionum obſervantiam, ſed illa duntaxat, quæ vel in regula, aut conſtitutionibus reperiuntur, vel ad illarum conducunt obſervantiam; ſed reſpectu Principis ſæcularis, aut eccleſiaſtici ſubduntur homines, ſecundùm quod pertinet ad bonum regimen eccleſiæ, vel reipublicæ, in ordine ad bonum illorum. Cum ergo ad hoc bonum multoties expediat plura præcipere, aut vetare, quæ lege divina, ſeu naturali non prohibentur, aut præcipiuntur, id facere poſſunt.

Solvitur præcedens objectio.

Quæ vitia poſſit lex humana prohibere?

62 Sed inquires primò: An lex humana poſſit omnia vitia collectivè prohibere? ¶ Reſpondetur negativè, & ſi de facto omnia vitia prohiberet, irrita eſſet, & invalida. Ita Div. Thomas 1. 2. *q.* 96. *art.* 2. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 2. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 5. *n.* 2. Suarez *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 12. Et ratio eſt, quia lex non debet eſſe admodum difficilis, & impoſsibilis moraliter toti communitati, cui imponitur, aut præter ſtatum, & conſuetudinem illius, vt ex D. Thoma, & D. Iſidor. diximus *num.* 18. ſed abſtinere ab omnibus vitijs, eſt communitati admodum difficile, & ferè impoſsibile moraliter: quia hoc ſolum virtuoſorum eſt proprium, quorum minor numerus in communitate reperitur; & ſic eſt præter ſtatum, & conſuetudinem eius, quod omnes ab omni vitio abſtineant: ergo lex, quæ communitati debet imponi, plura minoris ponderis debet tolerare, alia impunita relinquere, & ſolum illa vetare, quæ graviora ſunt, maximè quæ in communis boni detrimentum cedunt, vel lædunt multum charitatem, à quibus etiam non multi virtuoſi facilitèr poſſunt abſtinere. Aliàs lex, quæ in bonum communitatis debet cedere, potius eſſet in multorum ruinam, qui ob ſui fragilitatem multoties ponderi ſuccumberent, & plura, ac graviora peccata committerent.

Proverb. 30. *Qui nimis emungit, elicit ſanguinem.*

Objectio, & ſolutio illius.

63 Sed dices: Lex divina, & naturalis omnia prohibet vitia, nullaque, quantumvis levia, permittit, & non ob id eſt inutilis, aut bono communi nociva: ergo nec lex humana eſſet talis, ſi omnia vitia prohiberet. ¶ Reſpondetur, eſſe diſparem rationem: nam Legislator divinus per legem naturalem, & divinam, non ſolum attendit ad bonum totius communitatis, ſed etiam ſingularium perſonarum; & ſic non ſolum præcipit, quod eſt omnibus communitèr bonum, ſed etiam quod eſt vnicuique bonum ob ſui vniverſalitatem, quæ, ſicut divina providentia, ad cuius finem deſervit, eſt vniverſaliſſima, ſic ad omnia ſe extendit; & inſuper præbet vires, & auxilia ad obſervantiam eorum, quæ jubet, vnde nec inutilis, neque irrationabilis, nec moralitèr impoſsibilis judicatur, tametſi omnia vitia prohibeat, cum vnicuique per auxilium Dei ſibi præparatum non ſit moralitèr impoſsibile ab omnibus ſingillatim abſtinere. At Legislator humanus, nec præbet vires, & auxilia, nec attendit ad id, quod ſingularibus congruit perſonis, vt ſingulares ſunt; cum multoties in ſingularum perſonarum detrimentum legem ferat; nec eius providentia ſit vniverſaliſsima, vt debeat ad bonum vniuſcuiuſque in particulari attendere; ſed ſolum ad bonum communitatis, vt communitas eſt, ſibi ſubjectæ reſpicit, cui eſſet admodum difficile, & moralitèr impoſsile, omnia vitare peccata.

Quas virtutes poſsit Legislator humanus præcipere?

64 Inquires ſecundò: An Legislator humanus poſsit actus cuiuſcumque virtutis præcepto poſitivo imperare? ¶ Reſpondetur, non eſſe virtutem, cuius actus non poſsit cadere ſub præcepto legis humanæ. Cæterùm omnes actus virtutum, nec collectivè, nec diviſivè poteſt humanus Legislator, ſive ſæcularis ſit, ſive eccleſiaſticus, præcipere. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 3. Gordon. *lib.* 2. *quæſt.* 9. *n.* 18. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 4. *n.* 4. Ratio eſt, quia nulla eſt virtus, quæ non habeat actus facilitèr obſervabiles, & qui in bonum commune cedere poſsint. Cæterùm omnes ſimul collective obſervare, valdè difficile eſt humanæ fragilitati, & moralitèr impoſsile, imo & diviſivè, quia ſunt aliqui valdè ardui, qui magnam virtutem ad ſui obſervationem requirunt: ergo non poterit omnes præcipere: & ſic non poteſt jubere abſolutè virginitatem, nec obſervationem conſiliorum evangelij, & alia huiuſmodi: igitur ſolum illos actus poterit prohibere, quorum prohibitio non ſit noxia, vel nimis difficilis communitati. Quæ autem in particulari iſta ſint, ad Legislatoris prudentiam ſpectat cognoſcere, conſideratis moribus, conſuetudine, & ingenio gentis, quam gubernat.

Actus indifferentes ſecundum ſe non cadunt ſub lege humana.

65 Inquires tertiò: An Legislator humanus poſsit actus indifferentes præcipere, aut prohibere? ¶ Reſpondetur, quod ſi actus indifferentes ſecundùm ſe conſiderentur, ſub nulla lege cadere poſsunt: quia, vt diximus ſuprà *num.* 16. lex debet eſſe juſta, & bonos facere illius obſervatores: at in actibus indifferentibus ſecundùm ſe nulla juſtitia reperitur, nec, per hoc quod exequantur, bonus redditur homo moralitèr: ergo iſti ſub præcepto legis cadere nequeunt. Ita Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *num.* 4. Suarez *lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 17. Tapia *quæſt.* 6. *artic.* 3. *n.* 2. Palaus *ſupr. n.* 2. Gordon. *n.* 17. Cæterùm, quia in individuo non dantur actus indifferentes, qui non ſint boni, aut mali moraliter, vt latè probant noſtri Salmant. *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract.* 11. *diſp.* 7. *dub.* 2. ideò non datur actus in individuo ſpecificè indifferens, qui ſub lege divina non poſsit cadere. Imò etiam ſub lege humana; non quidem nudè ſuptus, ſed ſecundum quod vtilis eſt ad finem, quam Legislator intendit: ideòque quia plures dantur actus ex ſe indifferentes, qui ad finem Legislatoris humani non parum conducunt, iſti prohiberi, aut præcipi poſsunt ab ipſo; & tunc ſpecifica gravitas peccati ex fine intento à Legislatore in tali prohibitione venanda eſt: ſicut cum ipſe præcipit alios bonos actus, aut malos prohibet, qui ſuperinduunt novã rationem malitiæ, ſecundum motivum quod Legislator habet in tali mandato. V. g. prohibet lex eccleſiaſtica furta fieri in eccleſia: iam furtum, quod aliàs erat contra juſtitiam, eſt ſimul contra religionem, quia motivum Legislatoris in tali prohibitione eſt reverentia loci ſacri. Prohibet in Sacerdotibus luxuriam ob motivũ religionis, ob decentiam ſtatus Deo dicati; iam actus contra caſtitatem in illis induit rationem ſacrilegij, præter malitiam luxuriæ, detegendam in confeſsione. Si tamen Legislator humanus ſub eodem motivo actus præcipiat, ſub quo à lege divina, aut naturali erant præcepti, non capiunt novam malitiam, per hoc quod contra vtramque legem exerceantur: vt furta, adulteria, homicidia, quæ, quia ex motivo juſtitiæ à lege naturali, & humana prohibentur, non habent diverſas malitias, per hoc quod ſub vtraque lege prohibeantur.

Non poteſt lex humana internos actus directè præcipere.

66 Inquires quartò: An Legislator humanus eccleſiaſticus, vel civilis poſsit præcipere per legem, aut prohibere per ſe, & directè actus merè internos, illos videlicèt, qui ſolum in voluntate, vel intellectu hominis ſunt nullo ſigno exteriori manifeſtati? ¶ Reſpondetur, probabiliorem eſſe partem negativam, quàm latè *tract.* 10. *de Cenſuris, cap.* 1. *punct.* 11. *num.* 136. docuimus, & ab objectionibus, quæ à nonnullis Auctoribus, non improbabilitèr oppoſitum aſſerentibus, adducuntur, vendicavimus. Eam tenet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 91. *art.* 4. & *quæſt.* 100. *artic.* 9. & 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. Soto 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 3. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. Tapia *quæſt.* 6. *art.* 4. Gregor. Martin. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *dub.* 5. Gran. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 6. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 6. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *n.* 8. Salas *diſp.* 9. *de legib. ſect.* 1. *num.* 30. Suarez *lib.* 3. *cap.* 13. & *lib.* 4. *cap.* 12. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 5. *n.* 20. & probatur ratione D. Thom. quia ſecundum Ariſtot. *lib.* 10. *Ethic. cap.* 5. de his tantùm lex ferri poteſt, de quibus Legislator judicare, quia poteſtas legislativa, ne inutilis reddatur, cum coactiva, & judicativa debet conjungi; ſed de actibus purè internis nequit judicare Legislator humanus: quia ſunt per ſe occulti, omninò inſenſibiles, & ſic nullo modo probabiles. Undè in cap. *Tua nos, de ſimonia*, dicitur: *Nobis ſolùm datum eſt de manifeſtis judicare.* ¶ Confirmatur, quia, vt docet Div. Thom. 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5. menſura debet eſſe conformis menſurato; ſed lex eſt menſura actuum, quos præcipit: ergo ſicut lex eſt actus ſenſibilis exterior, ſic etiam actus imperati per ipſam debent eſſe exteriores, & ſenſibiles.

Quædam objectio proponitur.

67 Et ſi objicias, quod Iudices eccleſiaſtici recipiunt poteſtatem judicativam à Chriſto Domino, qui non ſolum in actus externos, ſed etiam in internos habet juriſdictionem, & ſic illam communicat eccleſiæ: quod indicare videntur illa verba, quibus talem juriſdictionem Apoſtolis conceſsit: *Quodcumque ligaveritis ſuper terram,*

erit

erit ligatum & in cœlis; quæ vniverſalia ſunt, & non debent ad actus ſolum externos coarctari, eo quod poteſtatis conceſsio, vtpotè favorabilis, & nulli nociva, latè eſt interpretanda: & ſic ex illis verbis colligunt communitèr Doctores., peccata etiam interiora cadere ſub juriſdictione eccleſiæ, quoad forum pœnitentiale. ¶ Confirmatur, quia eccleſia præcipit, quod miniſtri, qui ſacris ordinibus initiantur, votum emittant caſtitatis, quia (vt probavimus *tract.* 8. *de Ordine, cap.* 6. *n.* 26.) eccleſiaſtici ad obſervationem caſtitatis non obligantur ex vi legis eccleſiaſticæ immediatè illam præcipientis, ſed ex vi voti emiſsi ab ipſis, quod emittere lex eccleſiaſtica jubet; ſed votum eſt actus merè internus: ergo, &c. Alias objectiones propoſuimus *loc. citat. de Cenſuris, num.* 140.

Solutio objectionis propoſitæ.

68 Reſpondetur, probare argumentum potuiſſe Chriſtum Dominum talem poteſtatem ſuis miniſtris tribuere. Cæterùm, non tribuiſſe de facto in ordine ad externam gubernationem, ad quam pertinet legislativa poteſtas, conſtat. Tùm quia talis poteſtas, tametſi ſpiritualis, reſidet tamen in hominibus, qui ſenſibiles ſunt, & ſenſibili modo operantur; & ſic in ordine ad ſenſibilia duntaxat debet exerceri. Tum etiam, quia neceſſaria non erat ad rectam eccleſiæ gubernationem, ad quam pertinet poteſtas legislativa: & ideò illa vniverſalia verba ad ſolos actus exteriores debent reſtringi, ſecundum quod hanc tribuunt poteſtatem. At in foro conſcientiæ, & pœnitentiali non reſtringuntur ad actus exteriores, ſed etiam de interioribus ſunt accipienda. Tum quia tales actus fieri poſſunt ſenſibiles per confeſsionem, & ſic poteſtati ſenſibili clavium ſubjacere. Tum etiam, quia hæc non eſt poteſtas juriſdictionis contentioſæ, quæ ordinetur ad bonum publicum, & inter hominem, & hominem verſetur, ſed voluntariæ, quæ in commodum ſubditi, vt particularis perſonæ eſt, & ex conſenſu eius habetur: & ſic agit de cauſis inter hominem, & Deum. Quare debet extendi etiam ad actus interiores. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, eccleſiam directè præcipere, quod ſacris ordinibus initiandi, verbo, vel opere externo votum caſtitatis emittant, ad quod, quia eſt neceſſarius actus internus; etiam indirectè iſtum præcipit, vt ſtatim explicabimus.

Poteſt lex humana præcipere actus internos indirectè, & ex conſequẽti.

69 Inquires ergo quinto: An ſaltem indirectè, & ex conſequenti poſsit Legislator humanus præcipere actus interiores, ob connexionem, quam cum exterioribus habent? ¶ Reſpondetur, quod ſi actus interior per ſe cum exteriori conjungatur, poteſt Legislator, vel eccleſiaſticus, vel civilis illum ex conſequenti, & indirectè præcipere. Si verò per accidens, & quaſi concomitanter jungatur cum eo, nullo modo poteſt. Prima pars reſolutionis conſtat ex à nobis traditis *tract.* 10. *de Cenſuris, cap.* 1. *punct.* 11. *num.* 139. quam tenent Tapia *ſupra art.* 5. Granad. *n.* 3. Palaus *num.* 3. Gordon. *n.* 12. Martinez *ſupra, fol.* 149. Caietan. *in Summ. verb. Excommunicatio, cap.* 3. Soto *de juſtit. lib.* 10. *qu. eſt.* 5. *cap.* 5. Probatur, & explicatur aſſertio: etenim dupliciter actus interior poteſt per ſe cum exteriori conjungi. Primò tanquam forma illum conſtituens, ſaltem in eſſe morali, vel in ratione actus virtutis: ſic attentio interior requiritur ad orationem exteriorem, & intentio miniſtri ad baptizandum, conſenſus conjugis ad contrahendum matrimonium, & intentio obligandi ſe ad quemlibet contractum, & interior actus doloris ad confeſsionem: alio modo tanquam cauſa cum effectu, vel effectus cum cauſa; quia actus exterior non poteſt exequi, niſi per interiorem actum applicetur: & ſic qui præcipit jejunare, præcipit hominem velle jejunare, & prohibet actum voluntatis contrarium: qui prohibet furtum, prohibet actum volendi furtum, vnde peccat contra tale præceptum, qui vult furari, etiamſi furtum exterius non ſequatur. Quo ſenſu in cap. *Commiſſa, §. Cæterùm, de elect. in* 6. obligatur Clericus ad reſignationem beneficij, & reſtitutionem fructuum illius anni, ſi illud accepit animo non ſe ordinandi intra annum, quia cum lex præcipiat intra annum ordinari, qui beneficium curatum accipit, conſequenter prohibere potuit animum non ſe ordinandi, & illum condignis pœnis punire.

Quando actus interior per accidens cum exteriori cõjungitur, nõ cadit ſub humana lege.

70 Secunda verò pars aſſertionis, quam contra Sotum, Angelum, Caietanum, & alios tenent Tapia, Palaus, Suar. Gordon. *loc. cit.* probatur. Quia ſi per accidens duntaxat actus interior cum exteriori conjungatur, nullam habet connexionem cum illo, tanquam cum forma requiſita, vt ſit actus virtutis, vel artificiatum morale, ſed merè concomitanter ſe habet: ergo ſi talis actus interior ſub lege cadere poſſet, iam directè per ſe, & ratione ſui caderet ſub illa: quia non poſſet dici prohiberi, aut imperari, quia conjunctus cum exteriori, ſed ſecundum ſuam ſubſtantiam: vnde lex humana prohibere non poteſt, v. g. quod ex intentione vanitatis eleemoſyna largiatur, quod ex hac, vel illa intentione extrinſeca operi, & ſolum ab operante adjecta, talis, vel talis actus exerceatur, vel omittatur.

Objectio. & ſolutio illius

71 Sed eſt contra hoc difficilis objectio, quod in Clement. 1. *§. Verum, de hæreticis*, excommunicantur Inquiſitores, qui ex odio, vel amore turpis lucri omittunt contra aliquem procedere in cauſa fidei: & Clement. 1. *de ſtatu Monachorum*, excommunicantur Monachi Benedictini ad curiam accedentes animo accuſandi Prælatum. Ubi ſolus actus interior eſt, qui his legibus prohibetur, qui nullam cum exteriori connexionem habet, cum poſſent tales actus ex alio animo fieri. ¶ Ad hanc objectionem iam aliquo modo *loco citato* ſatisfecimus, aſſerentes, Inquiſitores non incurrere illam excommunicationem, niſi odium, aut amorem internum aliquo ſigno exteriori manifeſtent. Imò ſufficit, quod moraliter, & probabiliter poſsit colligi eos ad talem omiſsionem exteriorem moveri (& idem eſt de Monachis Benedictinis) ex odio, vel amore, vel ex tali intentione, vt actus interior à lege puniatur, vt rectè aſſerunt Vazquez, & Palaus. Sed addimus nunc cum Gordono, in his legibus non eſſe extenſionem poteſtatis directam, vel indirectam ad actum interiorem; ſed potius reſtrictionem illius. Poterat enim lex illos actus exteriores excommunicatione punire ex quocumque animo fierent; & reſtrinxit ſuam poteſtatem ad caſum, quo ex tali animo procederent: quod familiare eſt in legibus eccleſiaſticis, quæ, cum benignæ ſint, multoties reſtringunt pœnam debitam pro actu exteriori facto, ad caſum quo ex pravo animo, ex malitia, ex contemptu fiant, vt cum dicitur: *Si quis ſuadente diabolo, ſi quis ſcienter, ſi quis ex contemptu, ſi quis temerariè hoc, vel illud operatur, ſit excommunicatus.*

Actus omninò occulti poſſunt per legem

72 Inquires ſextò: An actus exteriores, ſed omninò occulti, qui nullo modo probari poſſunt, poſsint per legem humanam prohiberi? ¶ Reſ-

humanam prohiberi.

pondetur affirmativè, & sic lex ecclesiastica prohibet sub excommunicatione hæresim externam, quantumvis occultam. Et ratio est, quia tales actus, licèt per accidens sint occulti ob defectum testium, & sic ex extrinseco principio; per se tamen, & ab intrinseco manifesti sunt, quia sunt sensibiles, & sic sensibus exterioribus cognosci possunt. Et conducere potest ad bonum regimen reipublicæ, & tranquillitatem illius, quod tales actus sub lege cadant, quia ex se possunt perturbare bonum publicum. Qua ratione furtum, adultetium, homicidium, & alia huiusmodi, quantumvis occulta, possunt per legem humanam prohiberi, aut puniri: & de facto homicidæ puniuntur per irregularitatem, quæ incurritur, quantumvis homicidium occultum sit, vt contra nonnullos oppositum tenentes diximus *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 16.

Objectio, & solutio illius.

73 Et si dicas: non potest Legislator humanus aliquid præcipere, si de illo non potest judicare, vt diximus *num.* 66. sed de actibus occultis non potest judicare Iudex humanus, quia ecclesia non judicat de occultis: & D. Thomas *quodlibet.* 4. *art.* 12. asserit, quod peccata occulta non cadunt sub humana sententia, & judicio. ¶ Respondetur, quod ecclesia non judicat de occultis, quæ per se, & ab intrinseco sunt talia, vt sunt actus purè interni; at judicare potest actus, qui duntaxat per accidens sunt occulti. Cum ergo lex ad id attendat, quod per se habet in actu; non ad id quod per accidens in aliquo casu ex accidentibus extrinsecis contingit, quia est regula vniversalis: hinc est, quod extendi potest ad actus quantumvis occultos, qui sunt sensibiles, ac proinde per se, & ab intrinseco manifesti, quamvis accidentaliter ex defectu probationis extrinsecæ sint occulti. At verò cum Iudex per sententiam particularem non procedat, nisi secundum allegata, & probata, hinc est, quod ad sententiam particularem Iudicis sit per se, quod actus non solum sit sensibilis, sed probabilis per testes. Unde optimè dixit D. Thom. *loc. cit.* quod actus occulti non cadunt sub judicio, vel sententia particularis Iudicis, non verò negat eos cadere sub lege, quæ est regula generalis.

PUNCTUM VI.

De promulgatione ad legis virtutem requisita: vbi quo loco, & tempore leges pontificiæ, & civiles debeant promulgari.

Promulgatio est de ratione legis humanæ.

74 LOquimur in hoc puncto solum de promulgatione legis humanæ ecclesiasticæ, aut civilis: nam quomodò lex æterna naturalis, & divina promulgatæ sint, ex dictis pro singulis *punct.* 3. *num.* 23. constat. Esse verò de ratione legis humanæ promulgationem, sive tanquam aliquid ad eius essentiam requisitum, sive vt conditionem necessariam, vt lex virtutem habeat obligandi, tradit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. *Promulgatio*, inquit, *necessaria est, vt lex habeat suam virtutem.* Et in jure canonico dicitur *cap. In istis, dist.* 4. *Leges tunc constitui, dum promulgantur.* Et ratio est, quia lex est regula humanarum actionum: regula verò in actu secundo est talis, dum regulato applicatur: sed non applicatur lex regulatis ab ipsa, nisi ad eorum notiam perveniat; nec pervenire potest, nisi aliquo signo externo promulgetur: ergo licèt, vt dicit imperium in mente Legislatoris existens, ex se habeat virtutem obligandi quasi in actu primò; in actu verò secundo talem vim non habebit, nisi cum per promulgationem subditis applicatur.

Diffinitio promulgationis explicatur.

75 Potest autem promulgatio sic diffiniri, scilicèt: *Quædam intimatio exterior communitati solemniter facta, qua subditi possint, moralitèr loquendo, venire in notitiam legis.* In qua diffinitione primò exigitur, quod intimatio fiat *communitati*: vnde non sufficit, quod particularibus personis denuntietur. Tùm, quia lex prius communitatem obligat, quam particulares: quia respicit prius totum, cuius bonum attendit, quàm partes. In quo differt à præcepto, quod potest dirigi ad singulares personas, vt tales. Lex verò non respicit per se, nisi communitatem, & si tangit personas singulares, non vt singulares, sed vt partes sunt communitatis, tangit illas: ergo promulgatio legis per prius ad communitatem, quam ad personas particulares debet fieri. Tùm etiam, quia lex est communis regula: ergo, vt vim habeat obligandi, debet communiter applicari, & sic per prius communitati. Unde, licèt ad notitiam alicuius particularis lex adveniret, antequam communiter promulgaretur, non obligaret illum. Ita Soto *de justit. lib.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. Tapia *tom.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 4. *articul.* 1. Bonacin. *dub.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 6. Dian. 3. *part. tract.* 6. *resolut.* 75. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 11. *numer.* 6. Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 17. *à numer.* 5.

Quædam illatio ex dictis.

76 Ex quo infero, quod si aliquis sciret legem iam esse factam à Rege, vel de taxatione tritici, vel de reductione monetæ, & statim esse publicandam; si tamen non esset de facto promulgata communiter (imò promulgatione completa cum conditionibus hoc puncto assignandis, vt lex completè promulgetur, ad hoc vt vim habeat obligandi) non teneretur illam observare. Unde si maiori pretio venderet triticum, quàm esset taxatum per illam legem, non teneretur excessum restituere: vel si monetam secundùm valorem tunc communiter currentem distribueret, vel debita solvendo, vel emendo merces, non teneretur ad restitutionem, juxta inferiorem valorem, ad quem per reductionem legis, aut pragmaticæ esset deducta: quia notitia illius singularis, seu privata intimatio non est proportionata cum lege: ergo lex per eam non habet vim obligandi. Ita Trullench. *in decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 7. *num.* 5. Diana 1. *p. tract.* 8. *resol.* 54. Lesius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. *n.* 45. Palaus *tr.* 3. *disp.* 1. *punct.* 10. *n.* 2.

Necesse nõ est, legem singulis personis intimare.

77 Sed quia, vt benè notavit Suarez *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 3. & ex ipso Granad. *controvers.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *disp.* 11. *num.* 3. promulgatio, quæ est de ratione legis, distincta est à divulgatione; nam illa hoc ipso, quod communiter lex publicetur, sufficienter salvatur; hæc verò petit, quod diffundatur per aures singularum, quod ad rationem legis minimè requiritur; propterea non est necesse, quòd lex singulis personis promulgetur, *capit.* 1. *de postulatione Prælatorum.* Est enim lex generalis regula pro omnibus: ergo, vt vim habeat obligandi, sufficit, si generaliter promulgetur pro multis sufficienter, vt ad aures singulorum decursu temporis diffundatur. Ex quo fit, post sufficientem, & generalem promulgationem solemniter factam, legem ex se obligare singulas personas;

nas; etiam eas,ad quarum notitiam non pervenit,licèt ignorantes invincibiliter ab illius transgressione excusentur. Gregor.Martin.1.2.*q.*90.*art.* 4. *dub.* 2.Soto *supra conclus.*2. Bonac. *num.* 9. Palaus *n.*3. Tapia *art.*2.

Alia ex præcedenti doctrina illata

78 Ex quo fit, quod si lex esset irritativa contractus, & ab aliquo post solemnem promulgationem talis contractus iniretur,nihil efficeret, etiamsi invincibilem ignorantiam haberet illius legis: quia ignorantia excusat à culpa; non tamen facit habiles ad actum, qui ex jure sunt inhabiles ad illum; nec actum validum facit, quem lex irritativa irritum reddit. Similitèr si lex præciperet, vt tanti frumentum venderetur, si quis in maiori pretio illud venderet post solemnem, & publicam illius promulgationem, etiamsi cum ignorantia legis procederet, teneretur ad restitutionem maioris pretij à lege prohibiti, non ob culpam, à qua ob ignorantiam excusatur, sed quia accepit, quæ ex lege sibi non debebantur. Bonacin. *disp.*1. *quæst.* 1.*punct.*4.*n.* 22. Palaus *tract.*3.*disp.*1.*punct.*11. *num.* 9. Suarez *lib.* 1.*cap.*17.*num.*11. Sed hoc intelligendum est, vt iam notavimus, de completa promulgatione, hoc est, postquam facta est promulgatio in locis,& cum duratione temporis petita,vt lex vim habeat obligandi: nam ante illam, etiamsi quis sciret legem esse promulgatam solemniter, non obligaretur ab ea: & multò minus,si ignoraret eam. Et hoc in lege irritanti maiorem vim habet, quod scil. non annullabit actus contra eam factos, vsque dum promulgetur adæquatè secundum conditiones infra assignandas. Ita Granad.*controv.*7.*tr.*13. *punct.*1.*disp.* 11.*sect.* 2.*n.*17.Molin.*tom.*2.*de justit.lib.*1.*q.*1. *art.*4.Azor. *tom.*1.*lib.*5.*cap.* 3.*q.*9.Tapia *lib.* 4. *q.*4.*art.* 4. *n.* 5. Suar.*lib.*3.*cap.*18.*fin.*Palaus *sup.n.*6.

Debet promulgatio ita fieri, vt ad subditorum notitiã perveniat.

79 Secundò in prædicta diffinitione promulgationis innuitur, quod taliter debet fieri,quod subditi moraliter in illius notitiam pervenire possint. *Leges sacratissimæ,Cod. de legibus*, vbi Iustinianus ait: *Leges sacratissimæ intelligi ab hominibus debent, vt universi; præscripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent.*Et *cap.* 1. *de concessione præbendæ in* 6. *vers.Nec obstat.* vbi dicitur: *Lex, seu constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, intra quod ignorari minimè debuissent.* Et ratio est, quia lex est regula suaviter, & morali modo dirigens actiones humanas; sed eas suavi modo, ac humano moraliter non dirigeret, nisi eo modo proponatur, quo moraliter possit ad subditorum notitiam pervenire: ergo taliter est promulganda, quod possit publico convictu, & conversatione hominum per aures maioris partis diffundi. Undè licèt ad completam promulgationem legis non requiratur, quod de facto ad singulorum notitiam perveniat, requiritur tamen, quod taliter promulgetur, quod moraliter possit ad eorum cognitionem accedere. Hanc tenent Auctores *num.*84. & *num.*90.citandi.

Promulgatio solemniter debet fieri.

80 Denique in diffinitione petitur, quod taliter promulgatio fiat solemni ritu, vt ex vsu omnium Legislatorum, tàm ecclesiasticorum, quàm civilium constat, & ex ratione: quia Princeps in ferenda lege agit vices personæ publicæ: ergo publica, & solemni intimatione debet eam promulgare, nimirum publica cæremonia, secundum vsum vniuscuiusque provinciæ, vel gentis, aut secundùm Principis voluntatem: quia sicut fertur secundum voluntatem illius, ita est in eius arbitrio solemnes cæremonias pro legis promulgatione assignare. Communiter autem fieri solet voce præconis, & tubarum, vel affigendo edictum in loco publico. Et ideò leges Pontificum in curia Romana promulgantur affigendo edictum ad valvas D.Petri. Vnde si hæc solemnis promulgatio deficiat, quamvis lex typis excudatur: & in ea contineatur, quod in tali die promulgata est, si de opposito constet, non obligabit, etiam eos ad quorum notitiam pervenit. Tapia.*lib.*4.*q.*4.*art.* 2.*num.* 3.Palaus *tract.* 3.*disp.*1.*punct.* 10. *num.* 1. Suarez *lib.*3.*cap.* 16. *num.*2.Salas *de legib. disp.*12. *sect.* 1. *num.* 6. Bonacin. *disp.* 1. *quæst.* 1.*punct.* 4. *num.* 10.Granad.*tract.*3.*p.*1.*dist.*1. *sect.*1. *n.*2. Sed nunc restat duplex difficultas: An ad promulgationem completam legis requiratur, quod in singulis provincijs promulgetur; an verò sufficiat, quod publicetur solemniter in curia Principis? Secunda, an duo menses à publicatione debeant præterire, vt lex virtutem obligandi habeat? Quod diversis paragraphis explicabitur.

§. I.

An lex ecclesiastica, aut civilis debeat in singulis provincijs promulgari? An verò sufficiat, quod in curia Principis promulgetur?

Designatio loci, vbi promulgatur lex, ex Legislatoris voluntate dependet.

81 Sicut ex Legislatoris voluntate dependet legem ferre,& solemnitatem promulgationis assignare; ita etiam loca,in quibus promulgari debeat, & tempus, pro quo obligare incipiat: quod si exprimat in edicto, illius determinationi standum est. Quomodo Concilium Tridentinum statuit, *sess.* 24. *de Reformat. matrimon.* quod decretum irritativum clandestini matrimonij obligare non incipiat, nisi prius in singulis Parochijs promulgetur, & post triginta dies ab illius promulgatione. Et in cap. *Cum contingat, de præbendis*: vbi dicitur, quod Religiosi habentes duos Prioratus, alteri intra mensem renuntient. Et in constit. Sixti V. *de male promovendis,& promotis*, dicitur talem constitutionem vim obligandi habere in vrbe post quindecim dies à promulgatione; extra vrbem citra alpes post quatuor menses, vltra alpes post novem.Et in pragmatica de reductione monetæ in Castella annis præteritis à Rege nostro Hispaniarum Maximo Philipo IV. edita, positum fuit,quod obliget post illius promulgationem in singulis civitatibus. Quare dubium est, an ita semper fieri debeat, vt in singulis civitatibus, saltem quæ sunt capita provinciarum, lex promulgetur? an secundum se sufficiat, quod in curia Regali promulgetur, vt,dum aliud non exprimitur, obligandi vim habeat? Diximus *secundum se*: quia si in aliquo Regno est lex,aut consuetudo,quod lex debeat in dictis civitatibus promulgari, vel in comitijs generalibus, ante talem promulgationem non habebit vim obligandi; quod de Regno Lusitaniæ, & Aragoniæ testantur Gordon.Martin.& Granad.infra citandi.

Leges particulares nõ debent vltra civitatẽ, quæ est caput provinciæ,promulgari.

82 Pro quo supponendum est, non esse necessarium leges municipales, seu statuta a populo, & civitate stabilita, vel ab Episcopo, Archiepiscopo, aut Principe, qui vnam habet tantùm sub sua ditione provinciam, promulgari in sin-

gulis vrbibus illius provinciæ ; ſed ſufficit, ſi in principali civitate promulgatio fiat ; nec requiri duos menſes tranſire à publicatione, ſed paulò poſt obligare vniverſos, licèt ignorantes à culpa excuſentur, ſi contra illam agant. Quod docent omnes Doctores, à quibus proinde referendis ſuperſedemus. Et ratio eſt, quia nec ex jure naturæ talis promulgatio requiritur; ſiquidem ex omnium ſententia, ex jure naturæ ſolum petitur, quod in curia publicetur, nec ex jure poſitivo, quia Authentic. *Ut factæ novæ conſtitutiones*, ſolùm loquitur de lege lata pro pluribus provincijs, non de illa, quæ in vna civitate, vel provincia fertur: quia, cum non ſit nimis ampla, poteſt talis lex moralitèr diffundi per notitiam ſubditorum, quamvis aliquod tempus debeat aſsignari arbitrio prudentis, vt moraliter poſsit ad notitiam ſubditorum pervenire.

Leges imperatorum in ſingulis provincijs debent promulgari.

83 Secundo ſupponendum eſt, leges Cæſareas (& idem dicendum eſt de illis, quæ à Principibus, quantumvis ſupremis, feruntur, ſi ſint aliquo modo Imperatori ſubiecti) non ſufficere, ſi in curia publicentur; ſed debere promulgari in ſingulis provincijs, ſeu in civitatibus Metropolitanis, & non habere vim obligandi, niſi poſt duos menſes à ſua promulgatione tranſactos: quia ita habetur in Authentic. *Ut factæ novæ conſtitutiones, collatione* 5. quæ eſt 66. inter novellas Iuſtiniani, quæ licèt ſpecialitèr loquatur de vltimis voluntatibus, non fuit illa ſpecialis mentio coarctiva, ſed exempli gratia appoſita, vt conſtat ex rubrica eiuſdem legis, addita communi Doctorum intelligentia. Sic Sotus *lib.* 1. *de Iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 4. *§. Ad hoc primum*, Monteſin. 1. 2. *diſp.* 20. *quæſt.* 4. *diffic.* 3. *num.* 94. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 4. *art.* 3. *n.* 3. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 11. *num.* 4. Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 8. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 16. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 7. *num.* 27. Martinez *quæſt.* 90. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 3. Et ratio, quæ potuit ſapientiſsimum Imperatorem movere, eſt, quia cum Imperium ſit adeò dilatatum, & in plures provincias extenſum, non poterat lex ad omnes moraliter pervenire, niſi in ſingulis provincijs promulgaretur. Quæ ratio probat convenientiſsimè ita factum eſſe; non tamen neceſſariò ſemper debere fieri: & ſic relinquitur locus difficultati, an videlicèt lex à Pontifice lata, vel à Principe ſupremo non ſubjecto Imperatori (vt eſt Rex Hiſpaniæ) & qui multas habet in ſua ditione provincias, debeat promulgari in ſingulis provincijs, vt obligandi vim habeat?

Prima ſententia circa quæſitum.

84 Circa quod prima ſententia dicit, leges pontificias, nec non civiles à Principe ſupremo nullo modo Imperatori ſubdito editas, exigere, vt obligandi vim habeant, præter promulgationem factam in curia, quod in ſingulis provincijs promulgentur; proindeque non obligare illos ſaltem, in quorum provincia non ſunt promulgatæ, etiamſi promulgationi factæ in curia præſentes adſtiterint, vel ad eorum notitiam quomodolibet pervenerint. Ita de lege civili teſtantur Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 5. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 11. *num.* 3. Suarez *lib.* 3. *cap.* 16. *à num.* 8. Angelus *verb. Lex, num.* 11. Bonac. *diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 16. & de vtraque, tam civili, quàm canonica, Ioannes Uviggers 1. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. *à num.* 84. Cæleſtinus *in Compendio Theologiæ, tractat.* 3. *cap.* 7. *& tract.* 8. *cap.* 17. Conrad. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. *ad* 2. Soto *lib.* 1. *de Iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 4. *§. At verò*, Navarr. *in Summ. cap.* 23. *numer.* 44. Medin. 1. 2. *quæſt.* 90. *artic.* 4. *verſ. Sed quæritur*, niſi oppoſitum jure, aut conſuetudine ſit introductum, vel niſi Legislator expreſsè in lege decernat ſe velle obligare ad illam poſt publicationem in curia factam.

Probationes prædictæ ſententiæ.

85 Et probatur primò, quia vbi jus canonicum, vel regale circa aliquid nihil diſponit, ſervandum eſt jus commune, *cap. Si in adiutorium, diſt.* 10. *& ſequentib. cap.* 1. *de novi operis nuntiatione*; ſed circa hoc nihil diſponit jus canonicum, nec jus Regni, v. g. Caſtellæ: ergo ſtandum eſt juri communi, ſecundum quod (vt diximus ex Authentica Iuſtiniani) poſt promulgationem in curia debet lex promulgari in ſingulis provincijs, vt obligandi vim habeat. ¶ Secundò, quia ratio, quare Iuſtinianus talem legem ſancivit pro Cæſareis ſtatutis, æquè currit in legibus pontificijs, & Regum, plures ſub ſuo dominio provincias habentium: cum non minus eccleſia diffuſa ſit per totum orbem, quam Imperium: nec minorem latitudinem habeat Regis noſtri dominium, quàm habebat Romanum Imperium, maximè Iuſtiniani tempore. ¶ Tertiò, quia probabile valde eſt, legem non obligare, etiam eccleſiaſticam, niſi à populo prius acceptetur; ſed acceptari non poteſt, niſi promulgetur in ſua provincia: ergo, &c.

Verior eligitur ſententia.

86 Probabilior autem eſt ſententia aſſerens, non requiri ad obligationem legis pontificiæ, vel Regis, v. g. Hiſpaniæ, quod in ſingulis provincijs promulgetur, niſi oppoſitum ex jure, vel conſuetudine alicubi habeatur, vel in ipſa lege expreſsè ponatur nolle obligare Legislatorem, niſi poſt publicationem in ſingulis diœceſibus, vel provincijs, vt Tridentinum fecit, quando legem irritantem matrimonium clandeſtinum ſancivit, & vt ſtatuta ſanctæ Inquiſitionis, quod (ob benignitatem illius Tribunalis) ſemper vult ſua decreta in ſingulis publicari diœceſibus, vt nemo allegare poſsit ignorantiam. Quod ergo aſſerimus, eſt, legem eccleſiaſticam, aut civilem Regis, v. g. Hiſpaniæ non petere ex ſe ad ſui obligationem, quod alibi quam in curia promulgetur. Ita de vtraque lege teſtatur Illuſtriſsimus Dominus Fr. Petrus à Tapia *tom.* 1. *ſuæ catenæ, lib.* 4. *q.* 4. *art.* 3. *num.* 4. Vazq. 1. 2. *q.* 156. *cap.* 2. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *num.* 26. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *diſp.* 11. *ſect.* 2. *num.* 17. Martin. 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. *dub.* 2. *concluſ.* 4. Monteſin. *tom.* 2. *diſp.* 20. *q.* 4. *diffinit.* 3. *n.* 96. & ſpecialiter de pontificia Fr. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 10. Salas *de legib. diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 10. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 12. *n.* 5. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 4. Dian. 1. *p. tract.* 10. *reſolut.* 8. *& 7. p. tract.* 1. *reſolut.* 28. Baſil. Pontius *de Matrimon. lib.* 5. *capit.* 7. *num.* 2. Bonacina, Palaus, Suarez *locis ſupra citatis.*

Rationibus concluſio probatur.

87 Probatur prædicta ſententia. Quia ex natura rei non requiritur, vt lex obliget, niſi ſolemnis, & communis promulgatio, vt omnes aſſerunt, cum etiam contrarij dicant, poſſe Legislatorem, ſi id in lege exprimat, per ſolam publicationem in curia ſubditos ad illam obligare: nec etiam ex jure, aut conſuetudine. Non ex jure, quia circa leges regias nihil eſt diſpoſitum in jure, nec Rex Hiſpaniæ tenetur jus Cæſareum obſervare, vt diximus *num.* 46. & circa leges canonicas potius colligitur oppoſitum: nam quando Pontifices volunt, non obligare ſuas leges, niſi poſt promulgationem

in

in ſingulis provincijs, id exprimunt. Quod eſt ſignum, quod, niſi exprimant, ſufficit promulgatio Romæ facta. Nec ex conſuetudine, quia oppoſitum circa leges regias habetur, cum ſemper Matriti promulgentur; quæ promulgatio ſufficit ad obligationem, niſi aliud in lege ipſa decernatur: & multò magis circa leges pontificias, quæ Romæ duntaxat ſolent publicari, affigendo edictum ad valvas B. Petri: & ſic omnes cauſæ, quæ ad romanam curiam referuntur, deciduntur juxta regulas chancellariæ, & alias leges, quæ Romæ ſolummodo publicatæ ſunt. Unde bulla cœnæ, decreta juris canonici, & conciliorum, vt obligent, ſufficit publicatio facta, vel in curia romana, in qua ferè ex omnibus provincijs gentes concurrunt, vel in concilio generali, in quo ex omnibus gentibus diverſæ perſonæ conveniunt. Quare Pius IV. in ſua bulla obligavit totum orbem ad obſervantiam Tridentini poſt promulgationem Romæ factam.

Solvuntur cõtraria fundamenta.

88 Ad primum contrarium argumentum negandum eſt antecedens; & textus oppoſiti nihil amplius probant, quàm quod diximus ſupra *num.* 47. quod quando jus canonicum, aut regium deficit, per imitationem ſervandum eſt jus commune, non per obligationem, aut neceſsitatem: hoc eſt, quod eſt æquum, & juſtum diſpoſitionem juris communis ſequi, vbi particulare nihil diſponit; cum ſit multùm conformis rationi, & à doctiſsimis viris approbata. Sed hoc non probat neceſſarium eſſe ſequi illam. Et eſtò eſſet neceſſarium in judicijs, & ſententijs à Iudicibus particularibus latis, de quibus videntur loqui allegati textus; non verò in legibus ferendis, quæ à ſupremo Principe ſtatuuntur, nullo modo ſubjecto poteſtati imperiali. ¶ Ad ſecundum conſtat ex dictis *num.* 83. ¶ Ad tertium conſtabit ex ijs, quæ *punct. ſequenti* dicemus. ¶ Ex dictis ſequitur, quod ſi aliquis, poſt promulgationem legis factam in curia Principis, etiam in remotiſsimis provincijs illius notitiam haberet, vel per literas, vel etiam per divinam revelationem, teneretur ad illius obſervantiam, niſi in lege exprimeretur, nolle Legiſlatorem obligare, niſi poſt publicationem in ſingulis civitatibus.

§. II.

An duo menſes debeant tranſire à publicatione legis civilis, aut canonicæ, vt obligandi vim habeat?

Prima ſententia circa quæſitum.

89 Circa ſecundam à nobis propoſitam difficultatem, triplex datur ſententia. Prima aſſerit, quod, niſi Legislator aliquod tempus determinatum deſignet, ſtatim obligat lex, ſive canonica ſit, ſive civilis, à Principe tamen ſupremo ſancita: & non eſt neceſſarium duorum menſium ſpatium expectare. Quod pro legibus Imperatoris neceſſarium eſſe diximus ſuprà *num.* 82. ob Authenticam Iuſtiniani, quam ob ſervare non tenentur Principes Imperatoribus non ſubditi. Ita Salas *diſput.* 12. *de legibus, ſect.* 2. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 17. Gregor. Martin. *quæſt.* 90. *art.* 4. *dub.* 6. *concluſ.* 2. & 3. Monteſin. *diſp.* 20. *quæſt.* 4. *diffinit.* 3. *nnm.* 101. Vazquez 1. 2. *diſp.* 156. *cap.* 3. Gordon. *lib.* 2. *quæſt.* 6. *cap.* 5. *num.* 15. Tanner. 1. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *dub.* 1. *num.* 7. Villab. *tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 14. *num.* 4. Ex qua ſententia ſequitur, quod ſi aliquis, poſt promulgationem legis in curia factam, protinus illius notitiam acciperet per divinam revelationem, aut alio modo, ſtatim teneretur illam obſervare. Et ratio eſt, quia lex, quando promulgatur, in ſuo eſſe integro conſtituitur: ergo ex tunc habet vim obligandi, quia lex ſine tali virtute non poteſt cenſeri in ſuo eſſe integro conſtituta: ergo ex tunc obligare incipit, & non eſt bimeſtre ad talem effectum expectandum. ¶ Confirmatur, quia fruſtra expectatur eventus, cuius nullus ſperatur effectus; ſed duorum menſium ſpatium ſolum ſperari poſſet, vt lex ad notitiam ſubditorum poſſet pervenire: ergo, quando iam datur illius notitia per publicationem, obligabit illam ſcientes: ergo omnes: quia lex, cum pro omnibus detur, vel omnes, vel nullos debet obligare, quamvis ignorantes ab illius tranſgreſsione excuſentur.

Proponitur ſecũda ſententia media

90 Secunda ſententia dicit, quod lex canonica, vel civilis, à Principe Supremo lata, in curia promulgata, obligat exiſtentes in ea paulò poſt ac promulgatio fit, ita vt poſsint commorantes in curia illius habere notitiam: alios verò extra exiſtentes non obligat, vſque dum tempus ſufficiens, ad hoc vt moraliter devenire poſsit ad eorum notitiam, intercedat: quod tempus, dicit, non eſſe duorum menſium determinatum, ſed plus minuſve, juxta diſtantiam regionum à curia, in qua fuit lex promulgata. Sicut conſtitutio Sixti V. *de male promovendis, & promotis* poſt illius promulgationem, quindecim diebus tranſactis, obligavit exiſtentes in curia, extra verò exiſtentes circa alpes per quatuor menſes, & vltra alpes per novem. Ita Palaus *tract.* 3. *diſput.* 1. *punct.* 11. *num.* 7. & *punct.* 12. *num.* 3. referens Farinacium 1. *part. fragmentorum, verb. Conſtitutio, num.* 663. Suarez *lib.* 3. *cap.* 17. *à num.* 7. Monteſinos, Granados, quos refert, & ſequitur N. Fr. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſput.* 5. *ſect.* 3. *num.* 3. Et quoad primam partem probatur ex fundamentis primæ ſententiæ. Quoad ſecundam ex à nobis pro tertia ſententia adducendis. Quoad tertiam, videlicèt tempus determinatum duorum menſium non eſſe aſsignandum, probatur. Quia ſi ob aliquam rationem tale tempus debet conſtitui, non eſt, quia id habeatur ex jure poſitivo, cum jus illud cæſareum Legislatores, de quibus nunc loquimur, non adſtringat; ſed vt morali modo poſsit talis lex ad ſubditorum notitiam pervadere: ſed ad hoc non debet eſſe duorum menſium ſpatium determinatum, cum alij proximiores ſint, alij magis diſtent, & ante duos menſes poteſt ad notitiam proximiorum pervenire; & non, niſi poſt plures menſes, ad notitiam illorum, qui in remotiſsimis habitant. Et ideò in romana curia, vt teſtatur Navarrus, puniuntur tranſgreſſores legis pontificiæ poſt illius promulgationem, etiam ante duos menſes tranſacto.

Expectandũ eſt duorum menſiũ ſpatium.

91 Tertia ſententia (cui nos adhæremus) dicit, quod quando in lege regia, aut pontificia non determinatur tempus ad obligationem illius, non habet vim obligandi, nec in curia exiſtentes, nec extra, niſi poſt duos menſes à publicatione. Ita Menochius *de arbitr. lib.* 2. *caſu* 185. *num.* 19. Valent. *tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *part.* 5. Sylveſt. *verb. Lex, quæſt.* 6. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 4. *art.* 4. *num.* 3. Soto *lib.* 2. *de Iuſt. q.* 1. *art.* 4. Reginald. *tom.* 1.

*lib.3.cap.16.à num.*152. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3.*disp.*11.*sect.* 2.*n.*8. & 12. Diana 1. *part. tract.* 10. *resol.*9. Bonac. *tom.*3.*cap.*6.*concluſ.*2.*num.*3.Sà *verb. Lex*, *n.* 8. Tabien. *num.* 52. Mirand. *in Manual.Prælat.tom.* 2.*quæſt.* 25. *art.* 4. *concluſ.* 5. & probatur hac ratione: quia facta publicatione requiritur aliquod tempus, quo moraliter poſsit lex ad notitiam ſubditorum pervenire, quatenus per communicationem, & curſum politicum poteſt diffundi, & divulgari, quod ex jure naturæ, vt obliget, requiritur, vt docet D. Thomas 1.2.*quæſt.*90.*art.*4.*ad* 2. & habetur *cap.* 1. *de conceſſ. præbendæ in* 6. vt diximus *num.* 79. ſed quando nec in jure, nec in lege aſsignatur determinatum tempus, vt lex humano modo ad ſubditorum aures perveniat, taxandum eſt arbitrio prudentum: ergo ſi jam arbitrio prudentum taxatum ſit, tali taxationi eſt ſtandum, ne pro arbitrio ſuo vnuſquiſque tempus extendat; ſed omnes vnanimiter, & communiter per eandem regulam gubernentur.

Probatio præcedentis doctrinæ roboratur.

92 Atqui in Authentic. *Ut factæ novæ conſtitutiones, collat.*5. à prudentiſsimis viris taxatum eſt jam duorum menſium ſpatium, vt leges Imperatoriæ poſt promulgationem omnes obligarent; vt ſic vnanimitas inter ſubditos ſervaretur, nec turbaretur pax, ſi alij modo, alij poſtmodum ad legem obligarentur; tametſi non ignoraret ſapientiſsimus Imperator, eiuſque Conſiliarij Doctiſsimi facilius poſſe legem ad notitiam eorum, qui in curia degebant, pervenire, quam ad extraneos, & per prius ad proximiores provincias, quam ad remotiores; ſed, vt pro omnibus regula certa daretur, ſic ſtatutum eſt: ergo tali determinationi eſt ſtandum. Non quia obtineat vim legis obligantis Principes Imperatoribus non ſubjectos, ſed quia prudentem taxationem continet, vt lex dicatur poſſe moraliter ad notitiam ſubditorum devenire: quod ex natura rei, vt ſit completa promulgatio illius, requiritur. Et ſi fortaſſe ad remotiſsimas provincias non poſsit intra illud tempus pervenire, id eſt per accidens, & minus eſt inconveniens, quod aliquos ignorantes lex obliget, qui excuſari poſſunt ab illius tranſgreſsione, quam quod pro arbitrio cuiuslibet tempus aſsignetur, aut quod æqualiter non ſe habeat ad omnes, quæ eſt pro omnibus æqualis regula; aut quod prius obliget Curiales, quàm extra curiam exiſtentes, cùm Legiſlator non aſsignando tempus pro obligatione illius, omnes æqualiter, & ſimul velit obligare. Ex quo ſequitur, non teneri ad obligationem legis, etiam qui habent notitiam illius, niſi poſt bimeſtre à publicatione illius ſolemni, quando in ipſa lege aliter non diſponitur.

Solvuntur cõtraria argumenta.

93 Ex dictis conſtat ad fundamenta ſecundæ ſententiæ. Ad primum primæ ſententiæ dicimus, legem eſſe conſtitutam poſt illius completam promulgationem, quæ licèt phyſicè habeatur, quando conſueta ſolemnitate publicatur in curia, moraliter verò non vſque dum tempus prætereat, vt in notitiam ſubditorum poſsit morali modo pervenire. Quod (vt diximus) prudentiſsimorum virorum arbitrio eſt iam taxatum per duorum menſium ſpatium à publicatione tranſactum. ¶ Ad ſecundum, plures effectus ſequi ex hoc quod tempus dictum expectetur, nimirum quod æqualiter lex omnes obliget, quod pax, & tranquilitas inter ſubditos non turbetur, ſi alij per legem obligarentur, alij verò non; quod moraliter ad omnium poſsit pervenire notitiam tempore arbitrio prudentum taxato, ne quilibet pro ſuo cerebro illud protendere, vel reſtringere vellet.

PUNCTUM VII.

De acceptatione populi ad legis valorem requiſita, tàm eccleſiaſticæ, quàm civilis.

Poteſt Summus Pontifex legem ferre indepẽdẽter ab acceptatione.

94 IN præſenti puncto ſupponimus, poſſe Summum Pontificem legem condere obligantem totam eccleſiam independenter à populi acceptatione, quæ proinde ſubditos obligaret ad ſui executionem, etiam ipſis repugnantibus: quia Pontifex à populo poteſtatem legislativam non recipit, ſed immediatè à Chriſto Domino, qui non ſub conditione acceptationis populi, ſed abſolutè illam conceſsit, dicendo: *Paſce oves meas*: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*: aliàs non pleniſsimam ſupra eccleſiam poteſtatem haberet, ſi illa vti non poſſet, niſi dependenter à ſubditorum conſenſu. Nec ob id injuſta judicaretur lex, ſi populo invito illum obligaret; quia vteretur jure ſuo Legislator, & multoties ad bonum commune tale inſtitutum conduceret, & iniquè populus ob id perturbaretur, & ſic non tolleret talis perturbatio legis æquitatem. Et idem dicendum eſt de alijs Prælatis eccleſiaſticis: quia poteſtas illorum, vel immediatè à Chriſto Domino fuit recepta, vel immediatè ſuo Vicario, & ex ipſo ad inferiores Prælatos derivata. Ita Bonac. *diſp.*1.*q.*1.*punct.*4.*n.*27. Palaus *tract.*3.*diſp.* 1.*punct.*13.*n.*1. & 2. Suar. *lib.*3.*cap.* 16. *n.*2. Villalob. *tom.*1.*tract.*12.*diffic.*6.*n.*1. Caſtr. *lib.*1. *de legib. pœn.cap.* 1. Quod adeò verum eſt, vt contra fidem eſſe oppoſitum aſſerere, dicat Villalob. & Suar.

An bulla cœnæ obliget, vbi non eſt acceptata?

95 Unde quia Pontifex per bullam cœnæ vult obligare ſubditos independenter ab eorum acceptatione, eo quod in ea excludat omnem prætextum, & prætenſionem illam abijciendi, rectè aſſerunt Bonacin. *in Bulla Cœnæ*, *tom.*3.*diſp.*1. *q.* 15.*punct.* 4. §.5.*num.*2. & ex ipſo Dian. 3.*p.tract.*1.*reſol.*54. talem bullam obligare, etiamſi à populo non acceptetur, ſeu, vt melius dicam, obligare ad ſui acceptationem. Licèt Putean. 1.2.*quæſt.*11.*art.*4.*dub.*2. Filliuc. *tom.*1.*tr.*11.*cap.*1.*q.*5.*n.*11. Bonac. 1.2.*tr.* 3.*cap.* 6. *q.* 8. *num.* 4. aſſerant, non obligare talem bullam, vbi non eſt vſu, & acceptatione recepta: quia in ea non exprimitur, velle Pontificem abſque ſubditorum conſenſu, & acceptatione obligationem imponere. Quod ergo in dubium vertitur eſt, an quando Summus Pontifex non exprimit ſe velle obligare per legem independenter ab acceptatione, ſed abſolutè legem ſtatuit, hæc habeat vim obligandi, quando populus contradicit poſitivè, vel negativè ſe habens non acceptat? Idem de legibus civilibus diſputatur.

Quando Rex à populo ſub cõditione recepit poteſtatem, non poteſt legẽ ferre, ſine conſenſu illius.

96 Sed circa civiles leges notandum eſt, quod ſi in aliquo regno ea ſub conditione Regem recipiant, vt non aliter ſua ſtatuta ſubditos obligent, niſi addito conſenſu, & acceptatione illorum, tunc leges à tali Principe ſancitæ vim non obtinebunt obligandi, niſi à maiori parte populi acceptentur, etiamſi Rex illas ferat intendendo expreſsè obligare independenter à populi conſenſu, vt in Aragonia, & Luſitania talem adeſſe conſuetudinem, teſtantur Palaus, Gordon. Granad. Martin. *infra cit. andi.* Quia tunc lex non habet vim legis, prout à ſolo Principe

cipe conditur, ſed prout ſimul adeſt regni conſenſus. Sed verè hæc dependentia Principis à ſubditis non eſt in acceptanda lege condita, & promulgata, ſed in condenda ipſa lege, vt benè notavit Doctiſſimus hiſpalenſis Antiſtes DominusFr.Petrus à Tapia *lib.4.q.4.art.10.n.2.* quia inutilis eſſet poteſtas legislativa translata in Regem, vt in Monarcham abſolutum, ſi ſub conditione acceptationis, vel non acceptationis à populo,in ipſum transferretur; ſed quando in translatione talis poteſtatis in aliquibus regnis apponitur illa conditio, eſt quia volunt ſtatuere regnum mixtum ex monarchia ariſtocratia, & democratia; nimirùm quod ad condendam legem concurrant optimates reipublicæ, aut etiam aliqui de plebe. Sic etiam in regno caſtellæ non aliter Rex poteſt legem ferre tributa imponentem, niſi concurrentibus ſuffragijs civitatum, quæ per ſuos procuratores in comitijs generalibus aſsiſtunt, vt inquit Martin.1.2.*q.96.art.4.dubit.8. §.Concluſio tamen ſit.*

Quid requiratur, vt lex acceptata dicatur?

97 Tertio prænotandum eſt, quando dicatur lex à populo acceptata,vel non? Ad quod dicimus, quod quando populus, vel maior pars illius proſequitur facere, quod facere conſueverat ante legis promulgationem,ſive notitiam talis legis habeat, ſive non, dicitur legem non eſſe acceptatam,vſuve receptam. Tunc verò acceptata dicitur, quando non vnus, vel alter eam obſervare procurat, ſed maior pars communitatis eam recipit, faciendo quod lege ſancitum eſt, vel eam approbando opere,verbo, aut ſcripto. Et ſi lex quoad vnam partem modo dicto à populo recipitur, non quoad aliam, quoad illam acceptata dicitur, non quoad iſtam: ſicut ſi per conſuetudinem quoad vnam partem abrogetur, non quoad aliam; ſolum quoad illam partem obtinet vim obligandi,quæ per conſuetudinem non eſt abolita.Unde ſi quoad ſubſtantiam lex recipiatur, non ſecundùm pœnam, quæ in ea ſtabilitur,erit acceptata quoad ſubſtantiam, non verò quoad pœnam. Bonacin.*de leg.diſp.1.q.1.punct.4.n.30.*Valent.*diſp.7.q.5.p.5.quæſtiunc.4.*Similiter quamvis lex pro toto Regno feratur, poteſt in vna provincia eſſe recepta, non in alia. Sicut lex Concil. Trindent.irritans clandeſtina matrimonia lata fuit pro tota eccleſia, & tamen in Gallia non eſt recepta, cum ſit recepta in Hiſpania. Sed quando lex non acceptatur, non ob id extingui cenſetur,adhuc in opinione illorum, qui acceptationem populi ad eius valorem requirunt: & ſic, ſi decurſu temporis acceptetur, quæ in principio non fuit recepta, obtinet vim obligandi,ſine eo quod de novo ſanciatur. In quo differt non acceptatio ab abrogatione, quod hæc legem penitùs extinguit, illa ſuſpenſam relinquit.

§. I.

Requirituine conſenſus inferiorum pro legis eccleſiaſticæ,& civilis valore?

Legem eccleſiaſticam non obligare ante acceptationem aliqui judicant.

98 CIrca legem eccleſiaſticam latam, vel à Pontifice, vel ab alio Prælato inferiori, aliqui judicant, dependere ab acceptatione communitatis, pro qua fertur, quando abſolutè, & abſque alia expreſsione Pontificis ſancitur: & probant primò ex cap.*3.diſt.4.§. Legis*, vbi dicitur ex ſententia D.Auguſt.*Leges conſtituuntur, cùm promulgantur, confirmantur, cum moribus utentium applicantur*: & alijs juribus id ipſum ferè aſſerentibus. ¶ Secundo, quia multæ ſunt conſtitutiones pontificiæ, quæ de facto non obligant, quia non ſunt à populo acceptatæ: imò licet acceptatæ ſint in vna provincia, non in alia: ergo talis acceptatio ad obligationem legis pontificiæ requiritur. ¶ Tertiò, quia ſub illa conditione cenſetur pontificem legem condere, *ſi populo placuerit*: quia hoc ad ſuave regimen eccleſiæ ſpectat, ne ſubditi inviti cogantur: aliàs eſſet talis lex occaſio perturbationis populi, & injuſta conſequenter. Ita docent Becan. *tract.3. cap.6.q.8.n.2.* Leſius *de Iuſt.lib.2.cap.22.dubit.13.n.98.*Valent.*tom.1.diſp.7.q.5.punct.2.* Filliuc. *tom.2.tract.21.cap.vlt.n.29.* Reginald. *tom.1.lib.13.cap.16.n.6.*Bonac. *diſp.1.q.1.punct.4.n.27.* Covarrub.*1.variar.cap.16.à n.6.*Salas *de legib.diſp.13.ſect.1.&* 5.& alij plures.N.Fr.Petrus ab Angelis *in ſpecul.Regul.diſp.5.ſect.9.n.1.*

Obligat lex eccleſiaſtica ab acceptatione independenter.

99 Dicendum tamen eſt primò, legem eccleſiaſticam non indigere populi acceptatione, ad hoc vt obligare incipiat; & ideò quod ſimpliciter lata ſtatim obligare incipit. Et probo primò, quia Pontifex à Deo recepit poteſtatem legislativam, non ex translatione populi in ipſum: ergo ad exercitium talis poteſtatis, & conſequenter ad ferendas leges vim obtinentes obligandi,non dependet à populi conſenſu. ¶ Secundò,quia acceptatio populi ad legem ab his Authoribus requiſita,vel eſt obſervantia ipſius legis,vel aliqua ipſius approbatio.Non primum, quia obſervantia legis iam ſupponit legem,& ſic cum virtute obligandi. Nec ſecundum, aliàs populus ſimul cum Pontifice eſſet Legislator, ſi requireretur populi approbatio ad legis ſanctionem, & ſic Pontifex non eſſet Monarcha abſolutiſsimus, vt *num.94.* dicebamus. ¶ Denique illæ rationes, quibus concluſione ſecùda probabimus,nec Legislatorem civilem indigere acceptatione populi,vt leges ab ipſo latæ obligent, à fortiori probant iſtam concluſionem,quam tenent Tap.*lib.4.q.4.art.9.n.2.*Baſil.*lib.5.de matrim.cap.7.n.2.*Granad.*controv.7.tr.3.p.1.diſp.7.n.3.*Laym.*tract.4.cap.3.n.1.*Dian.*1.p.tract.10.reſol.1.*Lorc.*1.2.tract.de legib.diſp.20.fol.mihi* 445.Suar.*de legib.lib.4.cap.16.n.4.&* 8.Palaus *tract.13.diſp.1.punct.13.n.3.*

Contraria argumenta diſſolvuntur.

100 Ad primum argumentum contrarium dicimus, leges per vſum, & acceptationem populi firmari,non jure,ſed facto; id eſt, non ab illa recipiunt vim obligandi, ſed quia in ſuo jure firmantur, & conſervantur per vſum, & executionem, ne per conſuetudinem contrariam, vel non vſum vim obligandi amittant. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe ſtare plura decreta Pontificum, quæ per non vſum, vel non acceptationem illorum, non habent vim obligandi; ſed hoc non contingit, quia illorum vis obligandi recipiatur à populi conſenſu; ſed quia per deſuetudinem robur amiſerunt, modo dicendo *§.ſeq.* Quæ, licet, quando latæ fuerunt, & promulgatæ, ſubditos obligarent, ac proinde qui illas non obſervaverunt, peccaverint (niſi fortè ſequantur probabilem opinionem eos à tali obligatione eximentem) poſtquam verò legitimè diſuetudo præſcripſit, iam non obligant. ¶ Ad tertium, falſum eſſe Pontificem ſub illa conditione leges ferre, nec poſſe ita præſumi,niſi illud exprimat: quia hoc derogaret eius auctoritati, & in eo innueret, ſe à populo poteſtatem recepiſſe. Nec eſt contra ſuave regimen eccleſiæ quod ita compellat ſubditos; ſed valdè conforme, & rationi conſentaneum, vt populus ſuo capiti ſubditus ſit, illique debitam exhibeat

hibeat obedientiam; ipsum verò caput sit à populo independens.

Leges civiles nõ obligare ante acceptationẽ, sunt qui dicunt.

101 Circa leges civiles est duplex alia sententia, vtraque satis probabilis. Prima asserens, Principes leges ferre non posse obligantes independenter à populi acceptatione; vel saltem, quando non exprimunt se velle independenter ab illa leges ferre, expectandum esse populi consensum, vt vim obligandi obtineant, proindeque minimè adstringere, nisi à populo acceptentur. Et probatur primò *ex l. De quibus, ff. de leg.* ibi: *Cum ipsæ leges nulla alia ex causa jus teneant, quàm quod judicio populi receptæ sint.* ¶ Secundò, quia Reges receperunt à populo mediatè, vel immediatè potestatem legislativam, *§. Sed & quod, instit. de leg. naturæ gentium, & civili*: ergo credendum est illam recepisse sub illa conditione: *Ne populus obligaretur invitus*, vt sic ab injuria, & gravamine Principum facilius liberaretur. ¶ Tertiò, quia lex civilis debet in bonum commune reipublicæ ordinari, illique conducere; sed si populus resistit legibus à Principe latis, non sunt convenientes bono communi, eo quod si populus compellatur invitus, lex introduci non potest absque tumultibus plebis, & magna reipublicæ perturbatione. Ita Bonacin. Valent. Becan. Covarr. supra citati. Navar. *cap.* 23. *n.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 1. & 5. *fin.* Dried. *lib.* 1. *de libert. Christ. cap.* 9. *docum.* 2. & vt probabilem defendit Tapia *lib.* 4. *q.* 4. *art.* 9. *n.* 3.

Verius est, leges civiles, vt obligent, non dependere à populi acceptatione.

102 Dicendum est secundò, nec legem civilem à populi acceptatione pendere, sed, postquam publicata est, omnes incipere obligare, etiamsi subditi resistant. Et probatur primò, quia vel Princeps potest obligare ad acceptandam legem, vel non? Si potest: ergo judicandum est ipsum velle independenter à populo obligare; quia, ferendo legem, vult quod observetur, & sic quod acceptetur; consequenterque vult obligare ante acceptationem. Secundum dici non potest, alias esset valde diminuta eius potestas, & inefficax ad regendum. ¶ Secundò, quia obligatio legis oritur ex potestate superioris, & obedientia inferiorum ad ipsum: si autem liberum esset populo resistere superiori justè præcipienti, non dicerentur subditi ex obedientia obligari, sed ex sua voluntate, qua volunt præceptis superioris annuere. ¶ Tertiò, quia si, Principe justè legem justam condente, posset populus justè illam non admittere, sed respuere, vtrinque daretur bellum justum: quod absurdum ab omnibus reputatur. ¶ Tandem, quia non minor, imò maior est vis legis ad obligandum subditos, quàm præcepti; sed, vt præceptum justum superioris obliget, non requiritur acceptatio subditi, quin potius ad illud acceptandum tenetur: ergo idem dicendum est de lege. Ita tenent Basil. Diana, Palaus, Suar. Granad. Laym. locis in conclusione prima citatis. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 8. *n.* 30. Castro *lib.* 1. *de leg. pœn. cap.* 1. Sylvest. *verb. Lex, q.* 6.

Solvuntur argumenta contraria.

103 Ad primum contrariæ sententiæ constat ex dictis *num.* 99. Ad secundum, concesso antecedenti, neganda est consequentia: quia licèt populus potestatem condendi leges in Principem transtulerit, non tamen sub illa conditione; aliàs populus se regeret, non Princeps populum. Quare iste absolutam potestatem Principi dedit, vt, quod conveniens judicaverit, decernat absque vlla limitatione, quia sic magis subditus est, & suo capiti vnitus. ¶ Ad tertium respondetur, populum iniquè perturbari, quando Princeps justè, & legitimè præcipit, quod non tollit talem legem secundum se ad bonum commune conducere. Multoties tamen expediens erit legem tollere, si videat Legislator ob illius sanctionem subditos perturbari; multoties in suo dictamine permanere, instareque pro viribus, vt lex à se lata observetur, ne ipsius potestas contemnatur; quod prudentis Principis arbitrio relinquendum est, non verò committendum judicio populi ignorantis.

§. II.

Aliquæ limitationes præcedentis doctrinæ.

Quędam limitatio præcedentis doctrinæ.

104 Limitant aliqui doctrinam vtriusque præcedentis conclusionis, quando lex à Principe, seu ecclesiastico, seu sæculari lata, est difficilis observationis, vel oppositæ consuetudini: quia tunc, dicunt, legem non obligare ante acceptationem, donec de illa difficultate informetur superior, & hoc ex benigna interpretatione mentis Legislatoris, qui creditur ex ignorantia illarum circumstantiarum procedere. Et observatu difficilis judicabitur arbitrio prudentum, & timoratorum, vel si videantur plures supplicationem, vel appellationem interponere, quia tunc est indicium legem sancitam esse difficilis observationis. Ita Palaus *tract.* 3. *punct.* 13. *n.* 4. & 12. Suar. *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 4. *fin.* & *n.* 7. & 8. Salas *de legib. disp.* 13. *sect.* 1.

Ab aliquibus impugnatur præcedens limitatio, sed media via incedendum est.

105 Alij verò id minimè admittunt, quia supponitur, legem impositam esse justam (de hac enim est tota quæstio præsens) ergo, quamvis sit gravis, & difficilis, ei est obediendum: quia superior habet potestatem obligandi per legem intra latitudinem justæ materiæ: & sic dixit Ulpian. *leg. Prospexit. ff. qui, & à quibus*: *Quod quidem perdurum est, sed ita lex scripta est.* Et Glos. in capit. *ex part.* 2. *de officio delegati. Licèt durum sit, superioris mandato obediendum est.* Et ita docent Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 8. *n.* 35. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 4. *art.* 10. *n.* 5. ¶ Sed vtraque sententia potest conciliari, si dicatur, primam locum habere, quando præceptum adeò sit durum, & consuetudini contrarium, alijsve circumstantijs vestitum, vt per epikeiam judicetur, quod si Legislator de illis notitiam haberet, minimè talem legem sanciret. Quod Auctores secundæ sententiæ etiam dicunt. Secunda verò sententia locum habeat, quando lex (licèt difficilis) justa est, & non nimis dura, & consuetudini contraria: ita quod prudenter judicetur, Legislatorem talem difficultatem prævidisse.

Si per desuetudinem non accipiatur lex, nõ obligat.

106 Secundò limitantur dictæ conclusiones, quando lex per desuetudinem non est recepta, nimirùm quia, instante tempore observationis illius, de facto, vel à tota, vel à maiore parte communitatis non observatur; si hæc non observatio duret toto tempore requisito, vt desuetudo, seu non vsus per præscriptionem introducatur. Tunc enim subditi præsentes non observare legem poterunt absque culpa, tametsi culpa non caruerint illi primi non observatores: per quorum non vsum introducta est desuetudo. Et ratio est, quia talis non observatio, seu non vsus, potest obligationem legis impedire: eò quod sicut consuetudo legi contraria tollere potest legem iam receptam; ita desuetudo, seu non vsus legis non receptæ potest illius obligationem impedire. *Leg. De quibus, ff. de legibus*, ibi: *Illud receptum est, quod leges non solum suffragio Legislatoris, sed*

etiam

etiam tacito consensu hominum per desuetudinem abrogentur. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *disp.* 7. *n.* 7. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 47. Azor. *tom.* 1. *instit. lib.* 5. *cap.* 4. *q.* 1. Suar. *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 9. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 5. & 9. Quas autem conditiones talis desuetudo requirat, vt obligationem legis impediat, dicemus, cum de consuetudine legem abrogante agemus. Videantur quæ diximus *tract.* 9. *de matrim. cap.* 11. *punct.* 1. & 2. nempè non requiri notitiam Principis talis consuetudinis: requiritur verò, quod à tota, vel à maiore parte communitatis introducatur, quia consensus communitatis est consensus maioris partis, *Leg. Quid maior, ff. ad municipalem.* Diximus etiam, decennium esse longum tempus, vt consuetudo, & consequenter desuetudo contra legem civilem præscribat, & quadrigennium contra ecclesiasticam.

Eo tempore, quo lex à maiore parte non acceptatur, nõ obligat minorem partem.

107 Tertiò limitatur prædicta doctrina, vt eo tempore, quo sanior, & maior pars populi repugnat legis receptioni, etiamsi iniquè id faciat, & tempus ad desuetudinem non præterierit, cæteri excusentur ab obseruatione legis; dummodò parati sint illam obseruare, quando maior, & præcipua pars eam receperit. Quia non est voluntas rationalis Principis velle à minoribus obseruari, quod à maioribus acceptatum non est. ¶ Et si dicas, leges communiter non obseruari à maiori parte populi: ergo communiter non tenentur inferiores ad obseruationem legis. Intellige, aliud esse non acceptare legem, aliud iam acceptatam non obseruare. Primum est illam non admittere vt legem, propositumque habere ab illa se eximendi: Secundum verò est, cognita iam obligatione, eam non exequi. Quod ergo inferiores excusat, est, quod lex à superioribus non admittatur; non verò quod iam admissa non obseruetur. Ita Martinez *quæst.* 96. *art.* 4. *dub.* 8. *fol.* 181. *col.* 1. Suarez *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 9. & 12. Palaus *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 13. *num.* 12. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 4. *art.* 10. *num.* 6. Gordon. *lib.* 2. *quæst.* 9. *cap.* 8. *n.* 30. *fine*, licèt hi duo vltimi aliquas addant limitationes minimè necessarias.

§. III.

Aliquæ quæstiunculæ circa præsentem materiam ad praxim necessariæ resolvuntur.

Obligantur subditi ad legis acceptationem.

108 INquires primò, an peccent subditi legem justam à Principe latam non acceptando? Respondet Bonacin. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *num.* 39. quod si Legislator exprimit, se velle obligare absque populi acceptatione, peccabunt subditi legem non acceptantes; erunt tamen à culpa immunes, si legem ferat absolutè absque tali expressione, vel sub tacita conditione: *Si populus acceptaverit.* Unde infert Dian. 1. *part. tract.* 2. *resol.* 2. cum Megala 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 3. *num.* 115. quod etiam tenet Montes. *tom.* 2. *disp.* 26. *quæst.* 80. *num.* 137. quod, cum omnes leges sub illa tacita conditione ferantur: *Si populus acceptaverit*, nulla (nisi oppositum exprimat) obligabit ad illius acceptationem, nec peccabit populus eas non acceptando: quia nondum est completa conditio, sub qua tales leges feruntur. Imò Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *part.* 5. putat, non posse Legislatorem, præcisa illa conditione, legem ferre; ac proinde nunquam peccare populum eam non acceptando. Sed, his non obstantibus, contrarium omninò dicendum est, juxta nostram sententiam; etiamsi Legislator non exprimat absque tali acceptatione velle obligare: quia lex à tali conditione non dependet, vt suam vim obligandi fortiatur. Ita Auctores pro nostris conclusionibus adducti, si consequenter loquantur. ¶ Et quod maius est Alex. VII. contrariam damnando, vt constat ex Propos. 28. in ipsius decreto contenta, hæc dicente: *Populus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Igitur hanc nostram sententiam sequendam fore subinde non dubitamus.



Si dubitetur de acceptatione lex nõ obligat secũdum probabilem sententiam.

109 Inquires secundò, an, supposita sententia asserente necessariam esse acceptationem populi, vt lex habeat vim obligandi, teneatur illam obseruare, qui dubitat, an sit acceptata, & vsu recepta? Affirmat Sanch. *in sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. Bonac. *disp.* 1. *q.* 4. *punct.* 7. *n.* 24. & *q.* 1. *p.* 4. *n.* 44. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *n.* 264. Quia possessio stat pro lege, quam constat esse latam, & dubitatur solum de executione. Verius tamen dicendum est, non teneri, quia in odiosis benignior est pars amplectenda; & quia possessio potius stat pro libertate subditi, quàm pro lege; lex namque vim non possidet, nisi per acceptationem (in hypotesi de qua loquimur) de qua in tali casu non constat. Ita Palaus *disp.* 3. *n.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 12. Diana plures referens 1. *p. tract.* 1. *resol.* 3. & 4. *p. tract.* 3. *resolut.* 14.

Possunt subditi ad superiorẽ appellare, & supplicationem interponere.

110 Tertiò inquires, an possint subditi appellationem, vel supplicationem interponere ad superiorem, vt legem à se justè latam suspendat, vel abroget? Sed quamvis aliqui appellationem cum supplicatione confundant, nos latum inter vtramque discrimen agnoscimus. Et de appellatione loquendo, asserimus, quod si Legislator fuerit inferior, poterit ab illo ad superiorem appellatio interponi, & suspendetur eius obligatio vsque ad sententiam illius: nam licèt justa, & valida fuerit, si tamen onerosa, datur causa rationabilis ad interponendam appellationem. At, si Legislator sit Princeps supremus, non potest interponi appellatio, quia appellatio est ab inferiori ad superiorem: habet enim effectum devolutivum, seu suspensivum: quo sensu dicitur in leg. *Si res, ff. de appellatione*: *Si ex perpetuo edicto aliquid decernatur, id quominus fiat, non permittitur appellare.* Potest tamen supplicatio humilis ad Legislatorem, quantumvis superiorem, fieri: hoc est, eum rogare, vt legem tollat, quod vsu, & praxi habetur: nec affert secum aliquod inconveniens, maximè in legibus Pontificijs, quæ, cum pro toto orbe ferantur, possunt esse alicui provinciæ disconvenientes; & sic merito interponitur in tali casu supplicatio. Ita Villalob. *tom.* 1. *tract.* 2. *difficult.* 16. *num.* 6. Martin. *quæst.* 99. *articul.* 4. *dub.* 8. *fol. mihi* 182. *column.* 2. Diana 1. *part. tract.* 10. *resol.* 6. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 13. Castr. *lib.* 1. *de leg. pœn. cap.* 1. Suar. *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 6. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 41. Salas *de legib. disp.* 18. *sect.* 4. *n.* 21.

Quandiu durat supplicatio, lex obligat.

111 Et si inquiras quarto, an totò illo tempore, quo supplicatio interponitur, peccent subditi contra legem operando? Respondent Martin. Castr. Dian. Villalob. Bonac. Salas, quod, quandò adest populo justa causa supplicandi, potest agere, ac si lex

lex non eſſet: quia hoc pertinet ad ſuavem eccleſiæ, & reipublicæ gubernationem, ne ſubditi premantur legis pondere, donec ſuperior magis ſuam mentem explicet. ¶ Verius tamen dicendum eſt, toto illo tempore legem obligare; & ſic peccare illius tranſgreſſores (niſi talis lex obſervari non poſsit abſque ſcandalo, vel gravi rerum mutatione, quia tunc ex epikeia; ſeu benigna voluntatis Principis interpretatione poſſunt ab obligatione excuſari) Quia lex obligat, eo ipſo quod lata ſit; & promulgata independenter à populi acceptatione: ergo per ſupplicationem non ſuſpenditur eius obligatio: quia ſupplicatio non habet effectum ſuſpenſivum, ſicut appellatio. Ita Suarez *n.*8. Palaus *n.*14. Lorca 1. 2. *tom.*2. *de leg. diſp.*20. & fortè id volunt omnes, qui talem ſupplicationem interponi poſſe negant. Videatur Tapia *lib.*4. *q.*4. *art.*11.

Si taceat Princeps, populo ſupplicante, legem abrogare cenſetur.

112 Sed ſi Princeps audiat ſupplicationem populi, & taceat, nec eius obſervationem procuret, aut inſtet, quod de facto lex obſervetur, ex tunc legem abrogare cenſetur (niſi ex conjecturis colligatur taciturnitatem Principis non dirigi ad tollendam legem, ſed vt prudenter, & ſuaviori modo eam firmari faciat) quia ſi haberet animum obligandi lege, inſiſteret, & ad eius obſervantiam vrgeret. Palaus *num.*15. Bonacin. *n.*43. Dian. 1. *part. tract.*10. *reſol.*6. Salas *de leg. diſp.* 18. *ſect.* 4. *num.* 21. N. Fr. Petrus ab Angelis *in ſpecul. Regul. diſp.*5. *ſect.* 9. *num.*17.

CAPUT II.

De obligatione, quam lex ex natura ſua inducit.

VNUS ex effectibus, ſeu proprietatibus legis eſt obligare ſubditos ad ſui executionem, id quod ipſum nomen *legis* indigitat, quod à *ligando* originatur; eo quod ſit vinculum ſubditos adſtringens, non phyſicè, ſed moraliter. Hanc obligationem in conſcientia, & coram Deo (ita vt contra eam facientes peccent mortaliter, & gehennæ reatum incurrant) inducere legem naturalem, & divinam nemo ambigit. Quare de lege ſolum poſitiva, & humana in præſenti ſermonem inſtituimus: & quia dantur diverſæ leges, tàm civiles, quàm canonicæ, in quibus eſt ſpecialis difficultas, de principalioribus agemus in præſenti, obiter tractantes de illarum natura, & proprietatibus. Quare caput hoc decem Puncta complectitur.

Punct. I. *AN ſit de ratione legis ad culpam mortalem, vel ad venialem obligare; & vnde colligenda ſit obligatio illius?* num. 1.

Punct. II. *Vnde colligenda ſit gravitas materiæ reſpectu legis præceptivæ, vt obliget ad peccatum mortale?* n.17.

§. I. *Quid intentio Legislatoris circa materiam gravem, aut levem efficere poteſt?* num.18.

§. II. *Vnde colligendum ſit materiam eſſe levem, aut gravem?* num.22.

§. III. *Quomodo materia levis per continuationem fiat gravis?* num.29.

§. IV. *Quando materia levis ob contemptum ſufficit ad peccatum mortale?* n. 37.

Punct. III. *De obligatione, quam lex pœnalis inducit.* num.41.

§. I. *Quomodo ex pœnis lege propoſitis colligatur ipſam, non ſolum ad pœnam, ſed ad actum præceptum obligare?* n.44.

§. II. *An, & quomodo legis pœnalis tranſgreſſor teneatur ad pœnam ante Iudicis ſententiam?* num. 56.

§. III. *De obligatione quam habet tranſgreſſor legis pœnalis ad pœnam poſt ſententiam Iudicis.* num.68.

§. IV. *De obligatione Iudicis ad applicandas pœnas in lege taxatas.* num.72.

Punct. IV. *De obligatione legis fundatæ in præſumptione.* num.78.

Punct. V. *De obligatione legis irritantis.* num. 87.

§. I. *Quando lex actus irritare ipſo facto judicetur?* num.90.

§. II. *Quando leges irritantes indigeant Iudicis ſententia, vt efficaciam ſortiantur?* num.101.

Punct. VI. *De obligatione legis dubiæ.* num.107.

Punct. VII. *An periculum gravis damni, vel mortis excuſet ab obligatione legis?* num.122.

Punct. VIII. *Quibus actibus poſsit obligationi legis ſatisfieri?* num.139.

Punct. IX. *Quomodo per eundem actum, & eodem tempore poſsint plures leges impleri?* num.149.

Punct. X. *Quando cenſeatur peccare impedimentum apponens, vel non tollens, legi, vel præcepto adimplendis?* n.154.

PUNCTUM I.

An sit de ratione legis ad culpam mortalem, vel venialem obligare? & vnde colligenda sit obligatio illius?

Lex humana obligare potest in cõscientia.

1 LEgem ecclesiasticam, vel civilem posse obligare in conscientia, seu coram Deo, ita vt eius transgressio sit peccatum, & multoties mortale, quando ita de Legislatoris constat voluntate, adeò commune est, & certum apud Authores, vt plures esse de fide, non immeritò, asserant ex illo ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, &c. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit; ideò necessitate* (id est obligatione) *subditi estote: non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et 1. ad Thessal. 4. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis::: Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.* Et 1. *Petri* 2. postquam jubet obedire Regibus, & alijs superioribus, addit: *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis.* Et ratio est, quia potestas legislativa, quæ residet in superiore, est à Deo recepta, vel immediatè, vt constat de potestate ecclesiastica; vel saltem mediatè, supposita electione Principis à populo facta, & translatione suæ potestatis in ipsum. Et sic dicitur: Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Et Sapient. 6. *Audite ergo Reges::: quoniam data est à Domino potestas vobis.* Ergo qui non obediunt superiori legitimè imperanti, peccant contra Deum, & eum abijciunt, 1. Reg. 8. *Non enim te abiecerunt, sed me.*

Deo obedit qui superiori ob temperat.

2 Unde fit, quod quando superiores justè imperant, nomine Dei id faciunt, & illum audiunt, dum subditi obediunt, & illum spernunt, dum non obtemperant: Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Quare, cum Legislator humanus legem statuit, Deus obligat illam servari, & pœnam æternam transgressoribus constituit: & sic omne peccatum ab Augustin. diffinitur: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: nimirum quia lex æterna jubet, vt legitimè præcipienti superiori obtemperetur. Unde est immediatè contra præceptum superioris, & mediatè contra legem æternam: quamvis pœna æterna transgredientibus imposita, non immediatè ab humano Legislatore, qui, sicut non potest eam infligere, non potest illam statuere; sed à Deo, supposita violatione ipsius mandati, vel ministri nomine eius præcipientis. Quemadmodum Rex pœnam capitis imponere potest non obedientibus suis Magistratibus; vndè licèt pœna à Rege statuatur, non à Magistratu; tamen per violationem mandati Magistratus incurritur.

De ratione legis est in conscientia obligare.

3 Ex doctrina communi apud Doctores infertur, nullam dari posse legem præceptivam, quæ vim obligandi in conscientia non obtineat: ac proinde non esse verè legem, aut præceptum, si non afferat secum obligationem in conscientia. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 2. & *quæst.* 93. *art.* 2. & *q.* 96. *art.* 4. Soto *lib.* 1. *quæst.* 6. *articul.* 3. *ad* 8. Tapia *lib.* 1. *q.* 9. *art.* 5. *n.* 6. Palaus *tract.* 3. *punct.* 14. *n.* 4. Arauj. 1. 2. *q.* 92. *disp.* 1. *sect.* 7. *difficult.* 3. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 1. Montesin. *disp.* 23. *q.* 5. *n.* 71. Suar. *lib.* 3. *cap.* 20. *à num.* 3. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 9. *n.* 32. & habetur in leg. *Legis virtus, ff. de leg.* Et ratio est, quia si lex verè est justa, & rationabilis, procedit à superiori, vt tali, imperante, & jubente: ergo vt obligationem imponente: quia impossibile est præceptum esse justum, & quod illi parere non teneantur subjecti: & sic lex, vt suprà diximus, à *ligando* dicitur, quia vim habet ligandi, & obligandi subditorum conscientias ad ipsius observationem. Quare licèt sit in potestate Legislatoris obligationem legis minuere, vt obliget ad veniale, quæ ad mortale obligabat; vel prorsus tollere, vel per abrogationem, & sic generaliter; vel per privilegium, respectu particularis subjecti, ipsa tamen lege manente, non potest non vim obtinere obligandi; aliter non erit verè lex, sed vel consilium, exhortatio, directio, vti dantur plures canones solum exhortantes, aut consulentes aliquid, vel per modum instructionis, aut directionis subditorum: & ideò secundum hanc partem a ratione legum deficiunt.

Aliquæ objectiones proponuntur.

4 Sed obijcies, quod jus gentium est verè lex, sive pertineat ad legem naturalem, sive ad positivam: & tamen non obligat in conscientia ad observanda ea, quæ sunt statuta per ipsum; & sic de jure gentium est homines in bello captos in servitatem redire, bella movere adversus occupantes terras nostras; quæ tamen nunc non obligare nemo nescit. ¶ Secundò, plures dantur Religionum sanctiones, seu constitutiones, quæ neque ad culpam, neque ad pœnam obligent: non ergo est de ratione legis talem obligationem inducere. Antecedens quoad primam partem constat ex nostris Constitutionibus 1. *part. cap.* 1. *num.* 7. vbi sancitur, nullam ex illis obligare ad culpam, sed ad pœnam in eis taxatam. Idem de Constitutionibus Prædicatorum tradit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *artic.* 9. *ad* 1. & ibi Caietan. Arauj. 1. 2. *quæst.* 92. *disput.* 1. *sect.* 7. *difficult.* 2. & de alijs tradit Sanchez *lib.* 6. *decalog. cap.* 4. *num.* 11. Suar. *lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 4. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 2. *n.* 5. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 14. *n.* 5. Quod autem nec ad pœnam obligent, constat. Tùm quia plures ex illis nullam pœnam taxatam habent. Tùm etiam, quia pœna, nisi ob culpam, non imponitur; sed transgressores harum legum non committunt culpam: ergo nec etiam obligantur ad pœnam.

Prima objectionis solutio.

5 Ad primam objectionem dicimus plures esse leges, quæ immediatè non obligant eos, pro quibus feruntur; obligant autem alios: & sic semper in lege obligatio ad culpam invenitur: vt leges permittentes aliqua mala, vel etiam minora bona, vt secundas nuptias: ista namque, quamvis permissivè se habeant respectu illorum, ad quos diriguntur; sed præceptivè ad alios; ne vtentes tali permissione concessa à lege perturbent. Idem invenitur in privilegijs, quæ verè leges sunt secundum aliquos, *cap. Privilegium, distinct.* 3. quæ quidem possunt renuntiari, si sint privilegia singularis personæ, *cap. Cum ad Monasterium, de Regularibus*; alij autem tenentur non perturbare, aut molestare vtentes sibi concessis privilegijs: sic etiam jus gentium quoad enumerata, & alia similia, solum est quædam permissio respectu victoris reducendi victum in servitutem, cui concessioni ipse renuntiare potest: si tamen illa vti velit, obligat tale jus gentium alios, ne vtentes tali concessione

ne perturbent, nisi vbi fuerit per consuetudinem hoc jus gentium revocatum.

Secundæ objectioni fit satis.

6 Ad secundum dicimus, Constitutiones Religionum, quæ verè leges sunt à Pontifice approtæ, & confirmatæ, vt sunt nostræ, licèt immediatè non obligent ad culpam, sicut in ipsis cavetur, obligant tamen ad pœnam, vel in ipsis taxatam, & à superioribus applicatam; vel taxandam, & imponendam ab ipsis: sicut in voto pœnali non datur obligatio ad culpam faciendi, quod per votum promittitur, sed subeundi pœnam à vovente assignatam, si talem actum non apponat: & ideò obligatio est ad culpam respectu superiorum, vt pœnam taxatam in legibus contra transgressores adijciant, & respectu inferiorum, vt eam patienter, & humiliter sustineant. Quæ pœna verè, & rigorosè non est pœna, de cuius ratione est culpam supponere, vt inquit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 5. sed quædam pœnalitas, seu molestia, & afflictio, per cuius timorem subditi à transgressione legis retrahantur; quæ non imponitur semper ob culpam, sed ob justam causam, vt constat ex illa regula juris in 6. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Benè verum est, ferè nunquam leges violari, nisi aliqua culpa intercedente: vel quia in individuo actus absque debito fine non apponitur; vel quia lex violatur ex contemptu, vel ex negligentia, vel ex passione: vt si quis in die jejunij ex immoderato appetitu contra illam operetur, vt inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1.

Quid de legibus, quæ nec ad culpam, aut pœnam obligant.

7 At verò si sanctiones aliquæ dantur, quæ neque ad culpam, neque ad pœnam modo dicto obligent, tales verè leges non sunt. Neque ob id inter consilia numerantur, sed ad leges lato modo reducuntur. Non quidem sunt consilia, quia imperando, prohibendo, aut jubendo procedunt. Nec sunt leges rigorosæ, quia obligationem non inducunt, nec subditos ligant in conscientia. Reducuntur tamen ad leges, quia ab habente potestatem legislativam procedunt, qui imperando, & jubendo eas imponit; quod est de ratione legis. Cæterùm, quia ex illius voluntate pendent quoad obligationem, nullam obligationem in conscientia inducunt, quando ipse Legislator exprimit se nolle per illas subditorum conscientias onerare: erunt tamen quædam regulæ, & ordinationes, seu simplices constitutiones, quæ ad bonum commune ordinantur, quid faciendum sit, aut vitandum subditis ostendentes, vt ad finem ab ipsis intentum perveniant. Ita Palaus *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 14. *num.* 5. Bonac. *disput.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 2. *n.* 5. Arauj. *q.* 92. *disp.* 1. *sect.* 7. *difficul.* 3.

Leges injustæ nō sunt obſervandæ

8 Hucusque dicta intelligenda sunt de legibus justis; leges verò injustæ, ex quocumque capite sint injustæ, non obligant ad sui observationem per se, nisi aliquando per accidens ratione scandali; vt si lex communiter justa putaretur, & vt talis observaretur ab alijs, nec esset contra bonum divinum, aut naturale, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 94. *artic.* 4. Præciso verò scandalo, nunquam lex injusta obligationem inducit: quia vel est injusta ex defectu potestatis ferentis illam; & sic deficit fundamentum obligationis, nimirum legislativa potestas præcipientis: vel est injusta, quia malum jubet, & sic *præstat magis obedire Deo, quàm hominibus. Actor.* 4. Vel si bonum jubet nihil ad commune bonum conducit, sed potius illi adversatur; & sic non erit lex, de cuius ratione est, quod ad bonum commune ordinetur. Si tamen dubitetur, an sit juxta bonum commune, vel non: legi est obediendum, quia in dubijs stat pro superiore præsumptio. Et multæ dantur leges, quæ primo aspectu videntur inutiles; cum tamen reipsa ad bonum commune plurimum conferant. Montesin. *tom.* 2. *disp.* 23. *q.* 5. *n.* 81. Bonac. *disp.* 1. *punct.* 7. *§.* 3. *num.* 11. Sed de hoc latius dicemus, quando infra de lege dubia *punct.* 6. agamus.

Quot modis tyrannus dicatur?

9 Et si inquiras primò, an leges, aliàs justæ, à Rege tyranno latæ sint necessario observandæ? ¶ Respondetur, Regem posse dici tyrannum dupliciter, vel gubernatione, vel vsurpatione regni sibi non competentis. Si tyrannus sit primo modo, eo quod, licet regnum legitimè obtineat, vsurpat tamen bona subditorum, onera incomportabilia imponit, aliave contra bonum reipublicæ exercet; certum est leges justas ab ipso latas obligare: quia legitimam habet potestatem, à qua non expoliatur per hoc quod alia statuta tyrannica, vel operationes tyranni exerceat. At Princeps tyrannus per vsurpationem regni potest in triplici statu considerari; vel in exordio, quando vi, & armis vult gubernationem sibi minimè debitam adscribere, adhuc republica repugnante, & armis contra illum ingruente: in quo statu leges ab ipso latæ nullum obligant, quia potestatem nullam habet illas ferendi. Vel potest considerari, dum iam est in pacifica possessione regni, ita vt respublica ex imbecillitate, & quia armis non potest illum expellere, bellum deponat, nec amplius contra illum dimicare contendat. Vel potest considerari, quando, multo tempore peracto, videns respublica benè illi esse cum tyranno, & gubernatione illius, consentit in dominium eius, eligens sibi illum in Regem. Et isto vltimo modo nulli dubium est illius leges obligare, quia iam est legitimus Rex per electionem, licèt à principio regnum tyrannicè acquisierit. Sic enim Reges Hispaniæ regnant legitimè, cum tamen à principio Gothi progenitores illorum tyrannicè inducti sint in his regnis. Quare dubium est in secundo statu, quando respublica involuntariè, & quia non potest tyrannum repellere, arma deponit, eumque in quieta possessione, licèt invita, durare permittit.

Leges justæ tyranni, qui est in pacifica possessione, obligant.

10 In quo casu dicimus, leges tyranni, si justæ sint, obligare subditos in conscientia: quia licet tyrannus per vsurpationem regnum obtinuerit; tamen cum respublica eum in pace gubernare relinquit, ipsi conferre potest, & debet, potestatem leges justas ferendi, ne deteriora mala contingant, omniaque cum confusione, & perturbatione procedant. Et sic ex hac sibi concessa à republica potestate, potest, & debet leges condere bono communi consulentes, quibus obtemperare debent subditi, qui, quamvis inviti consentiant ipsum gubernare; tamen, supposita tali vsurpatione, & imbecilitate reipublicæ ad eum repellendum, non vt bono tyranni consulat, nec vt eum in gubernatione firmet, sed vt sibi de necessarijs provideat, censetur illi potestatem conferre, vt leges ferat, cum alius non sit, à quo possint in bonum commune per leges ordinari. Ita Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 3. *n.* 12. Less. *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 9. *num.* 70. Salas *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 14. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 4. *concl.* 2. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 14. *n.* 10. Suarez *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 9.

11 Cum hoc tamen stat, peccare ipsum tyrannum

Peccetne tyrannus leges ferendo?

rannum leges ferendo, vt inquiunt Suar. Leſsius, & Martin. quia vtitur facultate ſibi data à republica coactè, & involuntariè ad redimendam vexationem; & ſic peccat ferendo leges per vſurpationem poteſtatis, & magis peccat non ferendo illas; quia deſtrueret rempublicam: à qua perplexitate non aliter poteſt liberari, niſi dimittendo regnum, quod tyrannicè poſsidet. Reſpublica verò non peccat leges juſtas ab eo petendo, quia ad redimendam ſuam vexationem conſulit minus malum, vt maius malum evitet. Sicut vſus pecuniæ illicitus eſt vſurario, licèt petens illam ad redimendam vexationem, vel evitandum ſuum damnum, non peccet. Verius tamen dicendum eſt cum Palao, Bonac. Salas non peccare tyrannum leges in bonum reipublicæ ferendo. Licet enim peccaverit vſurpando regnũ, vel retinendo illud tyrannicè; ex ſuppoſitione tamen, quod velit in tali regimine perſiſtere, non peccat vtendo facultate ſibi à republica conceſſa: quia licèt reſpublica coactè; & involuntariè permittat eum in regno permanere; ex ſuppoſitione tamen quod velit in illo perſiſtere, liberè, & voluntariè illi concedit facultatem, vt leges congruentes ad ſui conſervationem, & tranquillitatem ferat.

Vnde colligatur legem in conſcientia obligare?

12 Inquires ſecundò, vnde cognoſcendum ſit verba Legislatoris obligare in conſcientia? Reſpondetur, id ex voluntate ipſius pendere, qui ſi exprimat ſe velle obligare ad pœnam, & non ad culpam; vel obligare quoad vnam partem, non quoad aliam, illius intentioni ſtandum eſt. Nec ſufficit ipſum exprimere, ſe velle quod ſubditi hoc, vel illud faciant; ſed adeſſe debent verba ſufficienter explicativa voluntatis Legislatoris obligandi in foro conſcientiæ. Quo ſenſu dixit D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. *Quacumque ratione conſtet ſubdito de voluntate ſuperioris, ſufficere ad præceptum*: quod quidem intelligitur, quando conſtat de voluntate ſuperioris volentis obligare: nam multoties conſtat, ſuperiorem velle, quod hoc, vel illud fiat; & tamen, quia non explicant verba voluntatem obligandi, non habent vim præcepti, aut legis, vt quando explicat ſuam voluntatem per hæc verba, *Rogo*, *hortor*, *moneo*, quæ ſolum ſignificant ſimplicem voluntatem; imò verba clarè debent voluntatem obligandi innuere. Quare ſi dubium ſit, an præceptum, vel conſilium, & exhortationem verba contineant; mitior pars eſt eligenda, & quandiù non conſtat de voluntate Legislatoris, judicandum eſt in favorem libertatis: cum rigores, & odia non ſint amplianda, ſed potiùs reſtringenda. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 9. *artic.* 2. *num.* 9. Sanchez *Decalog. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 27. Caſtro *lib.* 1. *de leg. pœnali*, *cap.* 1. *document.* 4. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 9. *num.* 1. Idem dicimus, quando verba ſunt ambigua ad ſignificandam obligationem venialem, aut mortalem; cenſendum ſcilicèt eſſe ſolùm ad veniale obligare, niſi aliundè conſtet de mente Legislatoris. Quia ſemper in odioſis benignior interpretatio facienda eſt. *L. Si Præſes*, *ff. de pœnis*, Sayr. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 29. Diana 3. *p. tract.* 6. *reſol.* 74. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 4. *n.* 31. Arauj. 1. 2. *q.* 97. *diſp.* 3. *ſect.* 3. *diff.* 3. *fol.* 655. *col.* 2.

Quæ verba ad ſignificandam obligationẽ legis ſufficiant?

13 Quando autem verba ſecundùm communem ſenſum, & acceptationem gentis præceptum, ſeu legem ſignificant, niſi alitèr conſtet de voluntate Legislatoris, obligationem inducunt in conſcientia: vt illa, *jubeo*, *præcipio*, *impero*, *prohibeo*, *non licet facere*, vel alia æquipollentia: vt *teneantur omnes*, *obligentur omnes*, *nemini liceat*, *nemo poſsit*, & omnia, quæ neceſsitatem important: quia, cùm non ſit neceſsitas phyſica, erit vtique moralis; niſi vſus, & conſuetudo obtineat, vt non aliter, niſi ſub illis, vel alijs verbis, vel ſub tali forma obligatio inducatur. Parentes verò reſpectu filiorum, & Abbatiſſæ, quæ in Moniales non habent juriſdictionem ſpiritualem; & ſic præcipere non poſſunt in virtute Spiritus Sancti, ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto, ſi præcipiant aliquid ſub maledictione æterna, vel alijs verbis explicantibus ſufficienter ſuam mentem, & materia ſit gravis; quia gravitèr conducit ad gubernationem domeſticam, obligant ſub mortali. Sanch. *Decalog. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 70. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 9. *n.* 4.

Quæ verba ſint indifferẽtia ad conſiliũ & præceptum.

14 In alijs verò verbis, quæ licèt non exprimant præceptum, illud in actu exercito continent, vt ſunt verba imperativa, videlicèt, *facite hoc*, *implete*, *ſolvite*, *abſtineant omnes*, *nemo audeat*, aut *faciat*; quandoque conſilium ſignificatur, vt *ſi percuſſerit te in maxilla*, *præbe illi & alteram*; quandoque præceptum, vt in Decalogo: *Non occides*, *non mœchaberis*. Quare in illis ſtandum eſt conſuetudini regionis; vel modo quo communiter accipiuntur; quia communis vſus eſt optimus legum interpres; ſi de his non conſtat, materiæ gravitas, vel neceſsitas eſt attendenda. In legibus autem pontificijs, & Conciliorum decretis ſemper cenſenda ſunt præceptiva, & inducere obligationem in conſcientia, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. & 7. vbi ponitur per verbum imperativum præceptum Sacerdotibus, vt quamprimùm confiteantur, ſi celebraverint cum conſcientia peccati, & inconfeſsi, quia non habebant copiam confeſſoris: vt *tom.* 1. *huius Curſ. tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 52. *in fin.* diximus cum Alex. VII. Et in decreto Clementis VIII. *de caſuum reſervatione*, impoſitum eſt præceptum per verba imperativa, ne Superiores vtantur notitia in confeſſione habita pro gubernatione externa: quæ in omnium ſententia obligant ſub peccato. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 9. *art.* 2. *n.* 4. Palaus *ſupr. n.* 2. Bonac. *n.* 10. Sanch. *n.* 39. Arauj. *ſupr. fol.* 657. *colum.* 2. Illa verò verba *volumus*, *ſancimus*, *ordinamus*, *decernimus*, niſi ex adjunctis circumſtantijs determinentur, ambigua, ſunt ad obligationem, vel ſimplicem voluntatem vel exhortationem inducendam. D. Th. 2. 2. *q.* 189. *art.* 9. *ad* 2. Denique illud verbum *oportet* potiùs honeſtatem, vel convenientiam rei, quàm imperium importat. Sanch. *num* 38. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *n.* 2. Tap. *lib.* 4. *q.* 9. *art.* 2. *n.* 8.

Nec ex intẽtione Legislatoris, nec ex materia præcepta, nec tandem ex verbis legis, ſingillatim ſumpta, ſufficienter poteſt colligi legis obligatio qualis ſit.

15 Inquires tertiò, quomodò diſcernendum ſit, an lex (& idem eſt de præcepto) inducat gravem obligationem ſub mortali; an verò levem, & ſolùm ſub peccato veniali? Reſpondetur, nec poſſe colligi ſufficienter legem ſub mortali obligare ex ſola intentione Legislatoris, vt voluit Suarez *lib.* 3. *cap.* 25. *n.* 3. ſiquidem etiamſi Legislator velit ſub mortali obligare; ſi tamen materia præcepta levis ſit, aut parva, ſolam venialem obligationem inducit, vt dicemus *punct. ſeq.* Nec etiam ex ipſa materia, præſcindendo à Legislatoris intentione, vt inquit Tapia *lib.* 4. *q.* 9. *art.* 3. *n.* 5. ſiquidem poteſt Legislator materiam ex ſe gravem ſub levi tantùm obligatione imponere, vt de regula noſtra primitiva dicitur in noſtris Conſtitutionibus 1. *part.* *cap.* 1 *n.* 6. ſolùm ſub veniali obligare, licèt valdè graves materias præcipiat. Nec ſimiliter ex ſolis verbis, vt inquit Vazq. 1. 2. *diſp.* 158 *n.* 29. Nam

ſi

si quæ verba possent per seipsa gravem obligationem imponere, maximè illa, *jubeo, præcipio, mando*: hæc autem licèt obligationem aliquam ex se afferant, vt dictum est, tamen indifferentia sunt ad gravem, vel levem obligationem inducendam, secundùm intentionem Legislatoris, vel materiæ gravitatem. Nec etiam alia verba præceptiva hanc obligationem nudè sumpta imponunt; siquidem in decalogo eisdem verbis præceptivis, vel prohibitivis, quibus dicitur: *Non mœchaberis*: *Non occides*, dicitur: *Non mentieris*, & tamen hæc solum levem, illam gravem imponunt obligationem ad sui observantiam. Et si in Clement. *Exivit de paradiso, de verb. signific.* & cap. *Exijt, eod. tit. in 6.* ex verbis præcipientibus deducitur gravis legum, & præceptorum obligatio, intelligitur quantum est ex parte ipsorum præceptorum, supposita gravitate materiæ, ad quam nisi attendatur, nulla dantur verba ex se obligationem gravem inducentia, vt rectè asserit Caiet. 2.2. *q.* 186. *art.* 9. Villalob. 1. *p. tract.* 2. *diffic.* 9. *n.* 2. Tapia *lib.* 4. *q.* 9. *art.* 3. *n.* 2. Gordon. *lib.* 2. *quæst.* 9. *cap.*...

Vnde obligatio gravis legis colligatur?

16 Quarè talis obligatio venanda est, tùm ex intentione Legislatoris, si ipse exprimat graviter vel leviter obligare: tùm etiam ex materiæ gravitate, quando materia est gravis, & non constat de intentione expressa Legislatoris, de quo erit sermo *punct. seq.* Tùm etiam ex pœna imposita transgredientibus talem legem; de quo specialiter agemus, quando de lege pœnali sermonem instituamus. Tùm denique ex verbis, si cadant supra materiam de se capacem gravis obligationis. Vnde si per verba præceptiva aliquid jubeat, vel per illa, quæ sunt de se capacia obligationem significandi, & nulla datur expressio mentis Legislatoris volentis duntaxat leviter obligare, nec restrictio addatur ad legem purè pœnalem, sed absolutè proponantur, dicendo, *præcipio, mando, prohibeo, nullus audeat, nullus faciat, hoc facite, hoc cavete*, & similia, significant gravem obligationem, supposita gravitate materiæ: quia talia verba sufficientia sunt ad imperium Principis significandum: imperium autem Principis ex se habet gravem obligationem inducere, si cadat supra materiam gravem: ergo, nisi aliunde de intentione Legislatoris constet, gravem inducunt obligationem, etiamsi ipse Princeps nihil de tali obligatione in conscientia cogitaverit: quia sufficit ipsum absolutè velle legem ferre, imperium promulgare, vt virtualiter velit obligationem imperij in subditis ponere, eam que inducere censeatur. Ita Soto *lib.* 1. *q.* 6. *art.* 4. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 10. *fin.* Martin. 1.2. *q.* 95. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 4. Arauj. 1.2. *q.* 97. *disp.* 3. *sect.* 3. *diff.* 3. *n.* 34.

PUNCTUM II.

Vnde colligenda sit gravitas materiæ respectu legis præceptivæ, vt obliget ad peccatum mortale?

Quid sit in hoc puncto agendum?

17 CIrca quæsitum huius puncti tot dantur inter Authores sententiæ; vt vix possit colligi, quid sit pro comperto tenendum. Quia cum materia sit purè moralis, dependet ex varijs circumstantijs, & plurimum ex arbitrio prudentum, quorum judicio maximè judicandum est, quando materia gravis sit, & respectu quorum. Sed, vt in re adeò obscura clarius procedamus, quatuor nobis agenda sunt. Primùm, an ex intentione Legislatoris, independenter ab hoc quod sit materia gravis, aut levis, dependeat quod lex, aut præceptum (de quo idem sentiendum est, quod de lege in hoc puncto dixerimus) obligationem gravem inducat? Secundùm, vnde colligendum sit, materiam esse gravem, aut levem? Tertiùm, quomodo materia levis per continuationem gravis reddatur? Quartùm, quomodo violatio legis ex contemptu efficiat culpam mortalem, etiamsi circa materiam levem versetur? Et loquimur de lege purè præceptiva. Quid autem dicendum sit de lege pœnali? puncto sequenti elucidabimus.

§. I.

Quid intentio Legislatoris circa materiam gravem, aut levem efficere possit?

Lex circa materiam levē non potest obligare ad mortale.

18 COmmunissimum est apud Doctores, non posse Legislatorem humanum, sive ecclesiasticum, sive civilem facere quod lex ab eo lata circa materiam levem (quæ levis sit, omnibus inspectis) obliget ad mortale; vt quod mendacium evitetur, quod vrbanitas in rebus levibus exerceatur: & hoc sive sit materia totalis illius legis: vt si prohiberet, ne mendacium absque alterius damno dicatur; sive partialis: vt si furta etiam in parva materia sub obligatione gravi prohiberet: in nullo enim ex his casibus ejus præceptum ad mortale obligaret: quia materia levis de se est incapax gravis obligationis, nec potest talem gravitatem illi conferre intentio mandantis, quia potiùs tale mandatum esset inutile, & injustum, & sic obligationem gravem non posset subditis imponere. Nec obstat, quod Deus primis parentibus sub gravi obligatione levem materiam inhibuit, nimirum vnius pomi esum. Nam (quidquid sit, an Deus possit obligare graviter in materia levi) in illo casu illa materia, quæ de se erat levis, in ordine ad finem intentum præcepti multum conducebat, nimirùm ad præstandam Deo debitam subjectionem, ad humilitatem, in illo statu maximè necessariam, exercendam. Vti in Religionibus res ex se leves sub gravi obligatione præcipiuntur, quia in ordine ad finem intentum graviter conducunt, vt posteà explicabimus. Sic Araujo *tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 97. *disp.* 3. *sect.* 3. *difficult.* 3. *resp.* 3. Martin. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 6. *concl.* 3. Tapia *lib.* 4. *q.* 9. *art.* 3. *n.* 5. Granad. *controv.* 7. *tr.* 3. *p.* 1. *disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 13. Palaus *tract.* 2. *de peccat. disp.* 2. *punct.* 8. *n.* 2. Suar. *de legib. lib.* 3. *cap.* 25. *n.* 2. Gordon. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 2. *n.* 3. & est communis.

Non posse Legislatorē in materia gravi ad veniale obligare, aliqui dicunt.

19 Sed difficultas est, an Legislator possit facere, quòd materia gravis ab ipso imperata solùm obliget ad veniale? Prima sententia negat: eo quod voluntas superioris solùm requiritur ad ponendam obligationem in genere; gravitas verò obligationis ex gravitate, vel levitate materiæ dependet. Vnde sicut facere non potest, quod materia levis graviter obliget, ita nec quod gravis materia levem solùm obligationem inducat. Igitur sicut esset lex irrationabilis, quæ obli-

obligaret gravitèr in materia levi, quia gravitas cùm materia proportionanda eſt: ita eſſet, propter eandem rationem, lex irrationabilis, ſi in materia gravi, levem ſolùm obligationem imponeret. ¶ Et confirmatur: quia obligatio ſequitur tanquam paſſio ad naturam legis: ergo, quamvis ſit in poteſtate Legislatoris legem condere, vel non; ſemel tamen ab ipſo condita lege, non eſt in eius poteſtate, quod non obliget: ergo nec quod talitèr, vel talitèr obliget, niſi juxta quantitatem materiæ. Ita Monteſin. 1.2. *tom.* 2. *diſp.* 36. *quæſt.* 9. *num.* 136. Tapia *lib.* 4. *q.* 9. *art.* 3. *n.* 6. Gregor. Martinez *ſupr. dub.* 6. *concluſ.* 2. & 4. Bellarmin. *tom.* 1. *part.* 2. *controv.* 5. *lib.* 3. *cap.* 11. Reginald. *lib.* 11. *art.* 44. Azor *lib.* 5. *inſtit. moral. cap.* 6. *quæſt.* 5. Soto *de juſtit. lib.* 1. *quæſt.* 6. *art.* 4. Vazquez 1. 2. *tom.* 2. *diſp.* 158. *cap.* 3. *num.* 17. & *cap.* 4. *à n.* 32. Becan. *tom.* 2. *tr.* 3. *cap.* 6. *q.* 3. *n.* 10. Undè inferunt, quod licet ſit in poteſtate voventis, votum emittere, vel non: ſi tamen illud ſemel emittit circa materiam gravem, non eſt in eius poteſtate, quod leviter obliget; ſed ſemper obligavit mortaliter.

Poteſt Legislator in materia gravi ſub veniali obligare.

20 Noſtra tamen concluſio ſit, poſſe Legislatorem gravem materiam ſub levi obligatione præcipere: & ideò in pluribus Religionibus leges ferunt ſolùm ad culpam levem obligantes, tametſi circa gravem materiam verſentur. Et regulam noſtram primitivam, quæ graviſsimas materias continet, vt abſtinentiam perpetuam à carnibus, jeiunia ſeptem menſium, &c. ſolùm obligare ſub veniali aſſeritur in noſtris Conſtitutionibus, 1. *p. cap.* 1. *n.* 6. quam eſſe verè legem (quamvis aliqui immeritò negent) dubitari non poteſt, cùm ſit ab habente poteſtatem illam ferendi lata, & confirmata à ſede apoſtolica. Et ratio eſt: quia tota legis obligatio ex Legislatoris voluntate dependet, *leg. Si quis, leg. Non omnes, ff. ſi certum petatur.* Undè, quamvis materia de ſe ſit capax maioris obligationis, poteſt à Legislatore coarctari, vt ad levem duntaxat culpam obliget: ſicut poteſt Legislator eccleſiaſticus rem gravem, & ſic capacem maioris excommunicationis, ſub pœna minoris duntaxat præcipere. Vnde ſicut poteſt rem gravem ſolùm ſub conſilio proponere, vel ſolùm obligando ad pœnam præcipere, ſic poteſt materiam gravem ſolùm ſub obligatione culpæ venialis imperare. Ita Araujo *ſupr. diſp.* 3. *ſect.* 3. *diffic.* 3. *fol.* 658. *column.* 2. Granad. *cotrov.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 17. Gordon. *lib.* 2. *cap.* 10. *quæſt.* 2. *num.* 26. Leſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 46. Diana 3. *part. tract.* 6. *reſol.* 91. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *part.* 2. Sanch. *in Decal. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 25. Salas *diſp.* 10. *de leg. ſect.* 7. *num.* 33. Palaus *tract.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 8. *num.* 4. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 23. Unde fit, poſſe, qui votum emittit (quod eſt quædam lex particularis) ſe ſolùm obligare ad veniale, etiam in materia graviſsima, vt teſtantur Sanch. Dian. Palaus Granad. & D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 10. §. 13. *ad finem.* Et Confeſſarij poſſunt gravem materiam ſub levi tantùm obligatione pœnitenti imponere, quia ex eius voluntate dependet, ſicut materiam decernere, obligationem taxare. Ita Suar. *in* 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 38. *ſect.* 7. *num.* 5. Medina *Cod. de Confeſſ. tr.* 2. *quæſt.* 48. Palaus & Diana *locis citatis.*

Solvitur fundamentum contrarium.

21 Ad oppoſitum fundamentum dicimus, obligationem in genere eſſe de ratione legis: quod verò ſit tanta, vel tanta, ad illius rationem non exigitur; ſed, cùm ſit res moralis, poteſt ex intentione Legislatoris taxari; quia licèt in phyſicis non ſit in poteſtate agentis, quod poſsit paſsiones impedire, vel quod non exeant cum tanta intenſione, quia hoc habent neceſſario ex determinatione naturæ; at verò in moralibus, quæ ex meræ operantis libertate dependent, poteſt ipſe gravitatem illarum taxare, & facere quod ſint obligationis levis, quæ gravis erant capaces. Nec cum ipſis materijs debet proportionari obligatio, ſed, vt plurimum, cum fine, non ſecundum ſe, ſed prout à Legislatore intento, ad quem multoties expedit non imponere gravem obligationem, vt ſuavius, & abſque offendiculis poſsint ſubditi in via Dei procedere. Vnde ſicut materia de ſe levis, ſi tamen multum conducat ad finem intentum à Legislatore, gravitèr poteſt imperari; ita materia gravis poteſt ſub venia li culpa præcipi prudentèr, & rationabilitèr, ſi ad finem intentum à Legislatore ſic expedire judicaverit.

§. II.

Vnde colligendum ſit, materiam eſſe levem, vel gravem?

Prima regula ad cognoſcendã gravitatem materiæ.

22 MAior confuſio eſt circa difficultatem ſecundam: ad quam reſolutoriè reſpondemus, tres regulas generales aſsignantes, vnde colligendum ſit materiam eſſe levem, aut gravem, conſequenterque obligare ſub peccato mortali, aut veniali, quando non adeſt expreſſa Legiſlatoris intentio. Prima ſit, quod, quando actus imperatus, vel prohibitus multum conducit ad charitatem Dei, vel proximi habendam, vel conſervandam mediatè, vel immediatè, ex genere ſuo eſt peccatum mortale; vt actus juſtitiæ, pietatis, miſericordiæ, pœnitentiæ, qui immediatè prædicto fini deſerviunt. Quæ verò ex genere ſuo parum ad talem finem conducunt, ſolum ſunt peccata venialia, niſi ratione circumſtantiæ conjunctæ tranſeant ad aliam materiam, vt verbum otioſum, mendacium, vrbanitas; quæ tamen, ſi tranſeant ad alias materias, poſſunt ex illis gravitatem moralem accipere; vt ſi mendacium eſſet officioſum: vel verbum otioſum in tali loco, vel cum tali perſona ſcandalum generaret. Ratio prædictæ regulæ eſt: quia ille actus cenſendus eſt peccatum mortale, per quem vita animæ deſtruitur; ſed vita animæ, cum per conformitatem ad finem vltimum conſervetur, deſtruitur per actus, qui tali fini adverſantur: ergo actus, qui ſunt contra charitatem Dei, vel proximi, quæ eſt finis vltimus vitæ ſpiritualis, erunt peccata mortalia ex ſuo genere, niſi ex parvitate materiæ aliquando excuſentur à mortali modo infra dicendo. Sic Tapia *lib.* 4. *q.* 9. *art.* 4. *num.* 1. Cajetan. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 25. *q.* 1. Suar. *de legib. lib.* 3. *cap.* 25. *n.* 9. Sanch. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3.

Quæ leges humanæ obtineant gravem materiam?

23 Ex dicta regula ſequitur, omnia præcepta, & leges humanas, quæ reſpiciunt Deum diligendum, credendum, honorandum, ſperandum, & etiam quæ reſpiciunt dilectionem proximi, & juſtitiam, mediatè, vel immediatè, obligare ſub mortali ex genere ſuo: & ſic omnia præcepta charitatis, fidei, ſpei, religionis, vt præceptum auditionis ſacri ab eccleſia impoſitum, confeſsionis annuæ, ſumptionis euchariſtiæ, recitacionis officij divini, obſervationis feſtorum, ſolutionis decimarum: & ſi præcipiant eleemoſynam largiendam indigenti, correctionem fraternam, denuntiationem, vt delictum detegatur, vt debitum reddatur in re, vel in honore; ne lædatur proximus, vel in

in ſe, vel in ſuo principio, vel in ſuis bonis : & ſic adulterium, furtum, fornicatio, quæ eſt læſio prolis quoad educationem, & modum debitum, & præceptum jeiunij media temperantia Deum reſpiciens, quia diſponit ad orationem, & cultum Dei; præcepta fortitudinis, quæ diſponunt ad fidem contra pericula irruentia conſervandam, & ad tuendam rempublicam; præceptum præſcribens ætatem ad ordines, & matrimonium, vel profeſsionem, quia diſponunt vt debita prudentia, reverentia, & perſeverantia res adeò ſacra recipiantur.

Secunda regula ad cognoſcendam materiã gravem.

24 Sit ſecunda regula : præcepta, vel leges, quæ res leves ſecundum ſe tales (inſpecta earum materia duntaxat) jubent, quæ tamen multum ad finem intentum à Legislatore conducunt ex circumſtantijs ſibi adjunctis, vel ex ſua natura; non abſolutè ſpectata, ſed comparativè ad finem intentum, inducunt gravem obligationem. Quæ tamen, inſpectis omnibus, parum conducunt ad finem Legislatoris in præcepto intentum, ſolum obligant ſub culpa veniali, vt exceſſus vrbanitatis tribuendo titula nobiliora indebita, vel illa ſibi arrogando, & alia huiuſmodi. Pro quo nota, finem intentum ab eccleſia in ſuis præceptis eſſe profectum animarum; finem verò intentum à religionum Prælatis in ſuis legibus præcipuè eſſe obſervantiam trium votorum, in quibus ſubſtantialis ratio religionis conſiſtit; finem verò intentum à Legislatore civili eſſe optimam gubernationem reipublicæ in ordine ad bonum commune, & politicum illius, vt in pace conſervetur, & de omnibus ad vitam neceſſarijs provideatur. Præcepta ergo, quæ ab his Legislatoribus imponuntur de rebus, aliàs levibus, quæ ad fines vniuſcuiuſque proportionatos conducunt gravitèr, obligant ſub peccato mortali. Ita Granad. *controv.7.tract.3.p.1.diſp.4.ſect.3. n.14.* Caſtr. *lib. 1.de leg.pœn.cap. 5. docum.4.* Sanchez *lib. 1. decalog.cap.4. num. 9.* Tapia *lib. 4. quæſt. 9. artic. 4. num.3.*

Plura; quæ aliàs erant levia, poſſunt hic, & nũc eſſe gravia.

25 Ex qua regula ſequitur, quòd licèt canales purgare, vel vicos civitatis, ſit ex ſe materia levis, poteſt cadere ſub præcepto Principis gravitèr obligante, ſi multum conducat, ne corrumpatur aer, & peſtis graveſcat. Arma portare, materia de ſe eſt levis; obligat tamen ſub mortali, ſi prohibeatur, quia ad pacem tuendam conducit: ſicut non extrahere frumenta, quia ad ſuſtentationem reipublicæ eſt neceſſarium. Similitèr ingreſſus in aliquam domum poteſt à Prælatis Regularibus prohiberi gravitèr ad vitandum ſcandalum, vel periculum; ingreſſus in cellam aliorum fratrum cadere poteſt ſub præcepto gravitèr obligante, quia ad obſervantiam regularem, & pacem communem tuendam conducit, ne violetur ſilentium, ne ſtudium frangatur, aut à ſuis exercitijs religioſi perturbentur, vt rectè aſſerit Tapia *lib.4.q.9.art.4.n.3.* Bonac. *diſp.1.q. 1.punct. 7.§.4.n.21.* Dian. *5.p.tract.5.reſol.47.* Palaus *tract. 2.diſp.2.part.7.n.4.* Poteſt autem contingere, quod materia levis ſit reſpectu vnius ſubjectionis, quia ad finem illius parum conducit; & reſpectu alterius ſit gravis, quia ad finem Legislatoris multum adjuvat : & ſic auditio ſacri imperata à ſuperiore eccleſiaſtico, vel regulari, eſt gravis materia, quia ad profectum animarum intentum ab ipſis multum conducit : & ſic omiſsio vnius ſacri erit peccatum lethale; ſi verò imperetur à Rectore Univerſitatis, vel Collegij ſub pœna præſtiti juramenti, non erit mortale, quia ad finem illorum, qui eſt recta gubernatio ſubditorum, parum conducit. Bonacin. *num.16.* Sanch. *num.6.* Palaus *num. 4.* Tapia *num.3.* Qui etiam docent, quod in dubio, an parum, vel multum materia imperata ad finem Legislatoris conducat, judicandum eſt in favorem ſuperioris, & ſic judicandum eſt gravitèr obligare, quando ſub præcepto, vel lege abſoluta imperatur.

Tertia regula ad cognoſcẽdam gravitatem materiæ.

26 Tertia regula ſit : quando forma ſecundùm ſe eſt gravis, latitudinem tamen admittit, vt non tota integra in qualibet materia ſalvetur; tunc licèt contineat actum ex genere ſuo mortalem, admittit tamen parvitatem materiæ, vt in furto, in detractione, &c. quæ licèt ex ratione formæ, & ſic ex ſuo genere, ſint mortalia : quia tamen tota ratio integra offenſionis, & damni, in qualibet materia non ſalvatur, conſtituet grave peccatum, ſi in materia gravi reperiatur; & leve, ſi in materia levi. At verò, quando forma ita eſt gravis ex genere ſuo, vt non admittat latitudinem, ſed tota integra, & indiviſibilitèr in qualibet materia ſalvatur, non datur parvitas materiæ circa eam; ſed ſemper eſt grave peccatum quælibet, etiam in materia phyſicè minima, illius fractio : vt peccatum infidelitatis, quod quidem ſemper eſt grave deliberatè commiſſum : quia fides nititur teſtimonio divinæ veritatis, quod integrè, & indiviſibilitèr ſalvatur in qualibet materia à Deo revelata : & ſic, qui negat illam, negat divinam veritatem, deſtruitque totam rationẽ formalem fidei. Idem dicimus de peccatis contra ſpem, & charitatem immediatè verſantibus, vt peccatum deſperationis, odij Dei. Idem de juramentis aſſertorijs, in quibus Deus, vt teſtis, adducitur : & ſic eſt grave peccatum, ſi cum mendacio proferantur, etiam in rebus minimis. Idem dicendum eſt de ſimonia, qua res ſpirituales in quacumque materia pretio temporali coparantur. Idem de jeiunio naturali ad receptionem euchariſtiæ requiſito, quod per minimam ſumptionem cibi, aut potus frangitur. Tapia *lib.4.q.9.art.4.n.3.& art. 5. n.4.* Sanch. *lib.1.cap.4.à n.1.* Suar. *lib.2.cap.28.n.23.*

Materiæ parvitas quo modo aſſignanda eſt?

27 Quando verò peccata parvitatem materiæ admittunt, non eſt inſpicienda ipſa materia ſolitariè ſumpta, ſed comparatione ad ſubjectum, circa quod verſatur, & ad præceptum, quo prohibetur, vel præcipitur. Pro quo notandum eſt, quod in materia cuiuſcumque virtutis admittentis parvitatem datur materia magna (idem dic de parva) quæ abſolutè, & reſpectu cuiuſcumque eſt talis, ſive ſit materia totalis, ſive partialis alicuius præcepti : vt in materia juſtitiæ furtum centum aureorum eſt materia gravis, etiamſi ab homine ditiſsimo auferantur : furtum vnius aſsis eſt materia parva per ſe, etiamſi ab homine pauperrimo auferatur. Dixi *per ſe*, quia per accidens poteſt eſſe materia gravis ratione lucri ceſſantis : vt ſi à ſartore auferas vnam acum, ſine qua laborare non poteſt, & victum lucrari quotidianum. Similitèr omiſsio decem pſalmorum eſt materia gravis, etiam reſpectu eius, qui ex præcepto deberet recitare totum pſalterium; & omiſsio vnius ſalutationis angelicæ eſt levis, etiam reſpectu eius, qui votum haberet de illa recitanda. Inter has duas materias, alteram ex ſe gravem, alteram ex ſe levem, datur materia media, quæ dicitur reſpectiva : quia reſpectu vnius præcepti levis judicatur, & gravis reſpectu alterius : vt in materia religionis omiſsio duorum pſalmorum reſpectu recitationis vnius horæ

cano-

anonicæ minoris est materia gravis; & respectu mperantis totum recitare psalterium erit levis. Et similitèr in materia justitiæ furtum duorum argenteorum erit materia levis, si auferantur ab homine ditissimo, & gravis si à mendico auferantur.

In omni materia datur materia respectiva.

28 Igitur tàm in materia justitiæ, quàm aliarum virtutum, quæ materiæ parvitatem admittunt, præter materiam gravem secundùm se, & respectu omnium, & levem similitèr respectu omnium, datur materia respectiva, quæ respectu vnius erit gravis, & respectu alterius levis, vt in exemplis positis *num. præcedent.* & alijs similibus cernitur. Et in materia justitiæ (quod aliqui negant) ratione convincitur, quia gravitas, vel levitas illius attendenda est penes maius, aut minus nocumentum proximo illatum: at per eandem materiam, per quam pauperi fit grave damnum, nullum, aut minimum nocumentum diviti infertur: ergo respectivè pensanda est talis materia, vt gravis, aut levis dicatur. Similitèr in alijs materijs inspiciendus est finis præcepti: & sic laborare per vnam horam in die festivo erit levis materia, quia tale præceptum intendit totam diem feriari ab operibus servilibus, vt Deo vacetur, respectu cuius vna hora laboris parum adversatur: at si alicui præcipiatur, quod in aliquo die per tres horas vacet à servilibus, si vnam horam omittat vacationis, erit materia gravis, quia multum fini intento in illo præcepto defraudatur. Quando verò in particulari censenda sit gravis, vel levis materia, adhuc respectivè, non est huius loci, sed in proprijs materijs, specialitèr in materia justitiæ, quando de furtis agemus, elucidabitur. Dicta duobus numeris præcedentibus tenent Tapia *lib.* 4.*q.*9. *art.* 8.*n.* 6. loquendo de alijs materijs præter justitiam: nam loquendo de illa *num.*3. non admittit materiam respectivam; sed de omnibus. Laym.*tom.* 1. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.*1. *cap.* 1. *n.*3. Gordon.*lib.*5.*q.*3.*cap.*2.*n.*5. Lug. Cardin.*de just. & jur.tom.*1.*disp.*16.*sect.*2.*n.*28. Sanch. *lib.*1. *decalog. cap.*4. *n.*18. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.*1. *cap.* 7. *q.*3.

§. III.

Quomodo materia levis per continuationem fiat gravis?

Materiæ parvæ moraliter vnitæ vnã gravẽ efficiunt.

29 QUotiescumque materiæ parvæ moraliter vniuntur, vel inter se, vel in ordine ad eundem effectum, ex illis vna materia gravis efficitur: sicuti ex pluribus parvis quantitatibus vnitis vna resultat quantitas magna. Si tamen inter se, vel in suo effectu moraliter non vniantur, non efficiunt vnam gravem materiam: & sic ex pluribus transgressionibus levibus non efficitur vnum peccatum grave, vt in pluribus peccatis venialibus cernitur, quæ nunquam vnum mortale constituunt. Et ratio est, quia quando materiæ parvæ moraliter non continuantur, non efficiunt quantitatem magnam in genere moris, sed constituunt pluralitatem, & multitudinem; & sic non augent intensivè peccatum in gravitate, sed solum extensivè. Tunc autem materiæ parvæ moraliter vniri censentur, quando moraliter componunt vnicam materiam totalem, vel in ordine ad idem præceptum, vel ratione ipsarum, vel effectus ab ipsis relicti, & tunc vltima transgressio præcepti in materia parva est peccatum mortale. Ita Sanch. *lib.*1.*Decalog.cap.*4.*n.* 9. Suar.*de legib.lib.* 3.*cap.*28. Bonac.*disp.*2.*de peccat. q.*3.*punct.*5.*n.* 20. Tapia *lib.*4.*q.*9.*art.*6. Palaus *tract.*2.*de peccat. disp.* 2.*punct.*9.*n.*4.

Exẽplis doctrina tradita declaratur.

30 Declaratur præcedens doctrina aliquibus exemplis. Etenim si quis in die jeiunij multoties cibum sumat in parva quantitate singulis vicibus; si tamen ex omnibus magna quantitas consurgeret, si simul sumerentur, efficitur materia gravis, etiamsi physicè diversis temporibus sumantur, quia moraliter in eodem die continuantur, & in ordine ad idem præceptum: & tunc per vltimam comestionem, etsi in materia parva, grave peccatum committitur. Idem si in eodem die festivo per plures temporis morulas laboret, quæ tamen conjunctæ magnam quantitatem temporis efficerent, continuantur moraliter ratione temporis, quia nimirùm eodem die conjunguntur, & per vltimum actum committitur peccatum mortale. Idem dicimus in præcepto officij divini, quod coalescit ex septem horis canonicis: quod si in singulis materia parva omittatur, ita vt ex omnibus vna magna coalescat, vniuntur moraliter ratione vnius præcepti omnes illæ omissiones, ita vt efficiant peccatum mortale. Deinde in materia temperantiæ, si quis plures refectiones nocivas levitèr saluti recipiat, talitèr quod ex omnibus grave nocumentum resultet, tunc ratione effectus vniuntur illæ comestiones ad constituendum grave peccatum; & sic in vltima dabitur peccatum mortale. Denique in materia justitiæ, licèt surripere rem alienam in parva quantitate semel, aut iterum non sit grave peccatum; si tamen furta repetantur, ita vt gravis materia ex omnibus coalescat, vniuntur moraliter (si multum temporis inter vnum, & aliud furtum non intercedat) ratione effectus relicti, nimirùm gravis nocumenti alieni: & sic in vltimo furto committitur peccatum mortale. Idem dicimus non solum si respectu vnius fiant illa parva furta, sed etiam respectu diversorum; vt si ab vno vnus argenteus surripiatur, ab alio alius, ita vt ex omnibus efficiatur gravis materia, in vltimo committitur grave delictum ratione alterius effectus relicti, quia nimirum retinetur res aliena in magna quantitate. Quomodo peccant gravitèr venditores, qui singulos in materia parva defraudant, si ex omnibus gravis materia coalescit.

Quomodo materiæ parvæ discontinentur?

31 At verò moraliter materiæ discontinuantur, vel ratione temporis, vel ratione præcepti, vel ratione subjectorum. Ratione temporis, vt si in diversis diebus jeiunij modicam quis materiam accipiat: nam, etiamsi ex omnibus vna magna coalescat: quia tamen jeiunium onus est diei, non continuatur comestio vnius diei cum alia alterius ad constituendam eandem materiam gravem. Idem dicito, si in diversis diebus festivis aliquis modicum temporis laboret: vel in diversis diebus parum officij divini omittat: vel si intentionem haberet, v. g. tota quadragesima singulis diebus modicam materiam primo manè sumere: quia intentio illa non sufficit ad continuandam materiam ex se discontinuatam. Ratione præcepti, vt si in eodem die teneretur aliquis ad jeiunium, auditionem sacri, recitationem officij divini, & vacationem à servilibus; si in parva materia contra quodlibet eorum delinquat, solum committet peccatum veniale, quia, licèt in tempore conveniant, ex diversitate præceptorum moraliter discontinuatur. Denique ex diversis subjectis discontinuatur materia moraliter: vt si quis esset in causa,

quod plures homines eodem die festivo parum temporis laborarent, vel quod eodem die jejunij diversæ personæ modicam refectionem sumerent: quia quamvis istæ parvæ materiæ concurrant eodem die, & in ordine ad idem præceptū, sunt tamen solutæ, & discontinuatæ moraliter ob diversitatem subjectorum, in quibus reperiuntur. Palaus *tract. 2.disp.2.punct.9.§. 4.n.5.* Tapia *lib.4.q.9.art. 4. n. 6.* Sanch.*lib.1.cap.4.n.11.* Suar.*lib.5.de religion. cap. 5.num.11.*

Quid si materiæ parvæ totalis sit materia voti?

32 Sed rogabis primò, an si aliquis votum emitteret recitandi semel, aut iterum salutationem angelicam, vel dandi eleemosynam in parva quantitate, toto autem anno illud omitteret, vnirentur moraliter illæ materiæ ad constituendum vnum grave peccatum? ¶ Respondetur cum distinctione: vel enim votum alicuius materiæ emisit designando diem tanquam terminum præfixum suæ obligationis (quod in votis personalibus, nisi aliud constet de intentione voventis, ita accidere censendum est, vt si voveat se recitare officium divinum, audire sacrum, &c. singulis diebus, vel talibus diebus, credendum est, ipsum nolle ad alios dies obligationem transire, sed designare diem; vt terminum suæ obligationis) & tunc non cōtinuantur moraliter illæ materiæ, sive sint materiæ integræ illius voti, vt si quis toto anno omitteret salutationem angelicam, quam singulis diebus recitare promisit; vel solum partiales, vt si promitteret se audire sacrum singulis diebus, & diebus singulis parvam illius materiam prætermitteret: quia quando assignatur dies, vt terminus illius obligationis, in illo die finitur: est enim onus diei, & sic quamvis eo die parva materia omittatur, non continuatur moraliter cum alia materia parva in altero die prætermissa. Soto *lib.7.de Iustit. q.2.art.1.col.1.* Arag.2.2.*q.*82.*art.3. concluſ.3.* Medina 1.2.*q.*84.*art. 4. ad* 4. Ledesm. 2. *tom. ſumm. tract. 10.cap. 3.dub.1.* Palaus *tract.2.diſp.2. punct. 9.§.4.n.9.* Sanch.*lib. 1. cap. 4.n. 13.* qui etiam addit *n.15.* id verum esse, etiamsi quis intentum haberet omittendi per totum annum illam materiam parvam: quia cum ipsæ materiæ non continuatur, vt vnam gravem efficiant, nec intentio de illis erit de materia gravi.

Præcedens doctrina declaratur.

33 Si autem dies non assignetur, vt terminus obligationis (quod frequenter in votis realibus contingit, nimirùm in voto dandi eleemosynam singulis diebus) tunc, sicut in crastinum transit obligatio elargiendi eleemosynam die præterito prætermissam, si per plures dies omittatur illa eleemosyna, quamvis alias sit materiæ parvæ, vna cum alia continuatur moraliter, & sic in vltima omissione mortaliter delinquitur: nisi fortè eleemosyna illa promissa sit in honorem alicuius diei, quia tunc, sicut est onus diei, transacto die, cessat: & censendum est in honorem diei esse promissionem emissam, si constat de intentione voventis; vel, si non constet, si promisit diebus sabbati eleemosynam dare: vel vesperis B. Virginis, quia credendum est, votum esse emissum in honorem diei, cùm quo cessat obligatio. Unde idem dicendum est in isto casu, ac in illo, de quo numero præcedenti locuti sumus. Ita Authores suprà citati.

Si plura eodem die vota concurrāt esse mortale

34 Rogabis secundò, an si quis pro eodem die plura haberet vota, nimirùm aliud recitandi rosarium in honorem B. Virginis, aliud recitandi coronam dominicam in honorem passionis Christi, aliud recitandi septem psalmos pœnitentiales in satisfactionem peccatorum, & ex singulis parvam materiam omitteret, peccaret mortaliter, si omnes illæ materiæ parvæ vnam magnam materiam constituerent? ¶ Affirmativè respondet Sanch. *lib.1.cap.4. n.16.* Bonac. *de peccat.diſp.2.q.3.punct.5.n.29.* sive sint vota eiusdem materiæ, sive diversæ: vt si in vno voto promitteret recitare rosarium, alio eleemosynam impertiri: quia dicunt esse per accidens diversis votis illa promitti, cum possent eodem voto polliceri; sed si eodem voto promitterentur, & gravis materia ex omnibus omitteretur, committeretur peccatum mortale: ergo idem dicendum est, quando diversis votis promittuntur. Ut, si Petro promitteres diversis promissionibus modicam materiam, si tamen ex omnibus gravis materia coalesceret, peccares mortaliter, si promissa adimplere prætermitteres, ac si vnica promissione omnes illas pollicitus esses.

in parva materia quodlibet frangere, aliqui dicunt.

Mortale nō est plurium votorum eodem die parvitatē prætermittere.

36 Verùm sententia Suar. *lib. de vot. cap. 5.n. 11.* & 12. Palai *tract. 2. de peccat. diſp. 2. punct. 9. §.4.n.11.* nobis magis placet; qui asserunt, quod si quis promitteret singulis horis mentem ad Deum erigere, etiamsi toto die hoc omitteret, non esset lethale peccatum, quia omnes illæ materiæ inter se non colliguntur. Undè negativè respondendum est ad quæsitum: quia omnia illa vota non vniuntur in aliquo tertio, sed quodlibet ex illis est separatum, & distinctum. Nam quod vniantur in virtute religionis, non obstat; siquidem si quis promitteret singulis diebus recitare officium divinum, & parum singulis diebus ex illo omitteret, non ob id omnes illæ omissiones vnirentur moraliter, nec graviter læderent religionem, quia solùm læditur religio in materia parva, & discontinuata. Sic ergo in nostro casu omnia illa vota vno die implenda ita inter se distinguuntur, ac si quodlibet illorum quolibet die præstandum esset: nam quodlibet eorum in honorem alicuius sancti, vel mysterij implendum esset, in quo non convenit cum alio; & sic erunt per se disparata, quamvis per accidens eodem die conjuncta. Sicut diximus *n.31.* quod si eodem die concurrant plura præcepta, quia sunt inter se distincta, non vniuntur moraliter materiæ parvæ in illis, ad fundandam vnam gravem obligationem.

Solvitur cōtrarium fundamentum.

36 Ad fundamentum contrarium dicimus, quod licèt omnes illæ materiæ possint vnico voto materiali promitti; at tale votum esset multiplex virtualiter concernens multiplicem materiam omninò distinctam, & diverso motivo proximo promissam, nimirùm in honorem diversi sancti, aut mysterij. Quemadmodum si quis promitteret vno actu singulis diebus recitare salutationem angelicam, tale votum esset multiplex virtualiter, quia quolibet die absolvitur, quantum ad onus vnius diei: & sic quamvis pluribus diebus omitteretur, non ob id vniretur ad constituendum vnum peccatum mortale: & est diversa ratio, quando homini diversis promissionibus rem parvam promittis: quia, cum omnes illæ habeant pro motivo proximo convenientiam ipsius hominis, in illa ratione omnes adunantur moraliter, etiamsi pro diversis diebus essent implendæ, vt diximus *n.33.* & ideò non mirùm, omissiones earum vniri moraliter ad constituendam vnam materiam gravem.

§. IV.

Quando materia levis ob contemptum sufficiat ad peccatum mortale?

Quotuplex sit, & quid sit contemptus?

37 COntemptus, potest esse, vel rei præceptæ, vel legis, vel ipsius Legislatoris. Cæterùm non omnes conveniunt, dum explicant, in quo formalis contemptus consistat. Aliqui asserunt, quod in ipsa consuetudine operandi contra legem, sive ex passione, sive ex concupiscentia talis consuetudo proveniat: quia qui ex consuetudine contra legem operatur, illam contemnere censetur. Veruntamen licèt talis sit contemptus legis materialis, non tamen est formalis. Pro quo nota ex Div. Thom. 4. *distinct. 9. art. 3. quæst. 3.* contemptum, sicut & in obedientiam, esse in duplici differentia; nimirùm materialem, seu generalem, & formalem, seu specialem. Contemptus, & inobedientia generalis datur in quolibet peccato: quod sicut est fractio legis, ita est inobedientia, & contemptus ipsius legis, quod est generale omnibus peccatis; & sic dicitur inobedientia, & contemptus generalis, quæ non est circumstantia specialis in confessione detegenda. Contemptus specialis præter fractionem ipsius legis importat causam, & motivum tendendi expressè contrà legem, vt quando non vult obedire legi, quia parvi illam æstimat, & ex motivo parvipendendi ipsam legem, & sic ex formali deæstimatione ipsius legis, & consequentèr Legislatoris: quia qui contemnit legem, Legislatorem contemnit. Alij etiam id explicant ex D. Thom. 2.2. *quæst.* 186. *art. 9. ad* 3. quando quis non vult obedire, ne subdatur legi, seu ex motivo non obediendi legi, quia ideò non vult subijci, quia parvipendet ipsam legem. Unde præter violationem præcepti includit causam, & motivum formale non se subijciendi legi; & sic contemptus formalis cum inobedientia formali coincidit, quia hæc, vt inquit D. Thom. 2.2. *q.* 104. *art.* 2. *ad* 2. consistit in eo quod est nolle obedire præcepto, eo quod præceptum est. Unde contemptus includit specialem inobedientiam in confessione detegendam. D. Thom. 2.2. *q.* 186. *art. 9.*

Cõtemptus legis semper est mortale.

38 Igitur contemptus formalis legis, vt lex est, seu Legislatoris, vt talis, sive divinus sit, sive humanus, in quacumque materia, quantumvis parva, semper est peccatum mortale. Et quidem si divinus sit Legislator, & lex divina, vel naturalis, probatione non indiget: quia parvipendere maiestatem Dei, illiusque præcepta contemnere in quacumque materia blasphemia est, & grave peccatum. Sed in Legislatore humano id probatur: quia contemnere superiorem, vt superior est; & consequentèr illius præceptũ, vt præceptum superioris est, est despicere superioris potestatem: ergo, cum repræsentet Deum, vt superior est, & illius vicem gerat, contemptus superioris est contemptus Dei, seu redundat in contemptum Dei, secundum illud: *Qui vos spernit, me spernit*: ergo erit peccatum mortale in quacumque materia fiat. D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art. 9. ad* 3. Tapia *lib.* 4. *q.* 9. *n.* 6. Palaus *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 7. *n.* 6. Sanch. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 26. Suar. *de legib. lib.* 3. *cap.* 28. Covarrub. *cap. Alma mater*, 1. *p.* §. 7. *n.* 6.

39 At verò si quis violet præceptum ex contemptu, non quidem ipsius legis, aut Legislatoris, sed ipsius rei præceptæ; vt si contemnat se subijcere, non absolutè, sed in illa materia, quia parvi eam æstimat, non erit grave peccatum, si materia parva sit; & si fuerit magni momenti, erit quidem lethale peccatum nolle in illa obedire; non autem tale peccatum habebit specialem circumstantiam contemptus: quia tunc non est formalis contemptus Legislatoris, aut eius præcepti; sed solum rei mandatæ: & sic juxta gravitatem illius erit metienda gravitas transgressionis: vt si præcipiatur tibi, ne verbum otiosum loquaris, ne modicam refectionem in die jeiunij accipias, non peccares ex contemptu, si recuses obedire: quia parvi æstimas materiam præcepti, non quia præcepta est, sed quia parva est. Sanch. *lib.* 1. *Decalog. cap.* 5. *n.* 11. & 13. Lessius *lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 6. *à n.* 45. Tapia *sup. n.* 7. Suarez *lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 22. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 2. *fol.* 157. *col.* 1. Similitèr si quis nollet obedire ex indignatione, non quia superiori, vt tali, subdi despiciat, sed ne in illa re solatio ipsum afficiat, tunc non dicitur peccare ex contemptu, quia non despicit superiorem, vt talem, sed vt sibi repugnantem, & offensum. Sanchez *n.* 12. Caietan. *in summ. verb. Contemptus*, Armilla *ibi*, *n.* 2.

Cõtemptus rei præceptæ mortale non est.

40 Denique si contemptus superioris non ad ipsum superiorem, vt talem, dirigatur, sed ad singularem personam, non erit formalis contemptus legis, aut superioris; sed erit magis, vel minus grave peccatum, juxta quantitatem deæstimationis, & merita personæ singularis; vt si quis despiciat obedire Petro, non quia superior est, sed quia est indoctus, imprudens, vitiosus, &c. vel eius imperio subijci renuat, non quia imperium, vt tale, despiciat, sed quia in tali materia judicat inutile, imprudens, vel injustum. Tunc tamẽ, si judicium fuerit temerarium, despiciendo personam, & contra eam pravè judicando, erit peccatum mortale, juxta gravitatem materiæ, sicut si talis deæstimatio de alio quocumque haberetur: quamvis, quia est despectus specialis personæ in dignitate constitutæ, haberet circumstantiam specialem contra virtutem observantiæ, & reverentiæ illi debitæ; non verò erit formalis contemptus, aut inobedientia, quia non est despectus personæ, quia superior est: & sic non contemnitur superioritas, quæ in nomine Dei imperat; sed est despectus personæ particularis, ob qualitates singulares illius. Palaus *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 7. *num.* 9. *concl.* 3. Less. *lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 6. *num.* 46. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. 12. & 13. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. quæst.* 3. *punct.* 5. *n.* 10. & 12. Montesin. *tom.* 2. *disp.* 33. *q.* 9. *n.* 145. Ex quibus apparet, raro contingere peccatum formalis contemptus, cùm vix vnquam despiciatur superior, vt talis, sed parvi æstimatur obedire illi in tali, vel tali materia, vel solum despicitur, vt persona particularis, non superioritas à Deo recepta.

Cõtemptus superioris, vt singularis personæ, nõ semper est mortale.

PUNCTUM III.

De obligatione, quam lex pœnalis inducit?

Quid in hoc puncto sit agendũ?

41 IN hoc puncto quatuor nobis circa legem pœnalem examinanda sunt. Primùm de obligatione immediata, quam lex pœnalis imponit in conscientia. Diximus multoties, legem purè pœnalem non imponere obligationem exercendi actum, quem sub pœna propo-

nit, ſed ſubeundi pœnam, quam taxat. Hoc ergo in præſenti examinandum eſt, an non ſolum ad pœnam, ſed immediatè ad actum detur lex pœnalis in conſcientia obligans, & quomodo id fiat? Secundum, circa obligationem mediatam, quam lex pœnalis imponit pœnam ſubeundi; an hoc fiat ante ſententiam Iudicis, ſaltem declaratoriam criminis? an ipſa expectata, & non aliter? Tertium, quam obligationem habeat tranſgreſſor pœnalis legis ad pœnam poſt ſententiam legitimam Iudicis condemnativam illius? Quartum, quam obligationem habeat Iudex applicandi pœnam in lege taxatam tranſgredientibus talem legem?

Quotuplex ſit lex pœnalis?

42 Sed ad omnia præmittendum eſt, legem pœnalem bifariè poſſe conſiderari; alia enim eſt lex purè pœnalis, alia mixta ex pœnali, & præceptiva. Lex purè pœnalis eſt, quæ nullum in ſe imbibit præceptum, ſed verbis ſolam pœnam taxantibus vtitur, vt, *qui talia arma portaverit, ea perdita habeat*; *qui hoc fecerit, ad talem pœnam ſolvendam teneatur*. Et licèt vtatur verbis præceptivis, nimirùm, *jubemus*, *mandamus*; tamen ipſa, vel ſpecialiter in eo loco, vel generaliter in alio, explicat ſe nolle ad culpam aliquam immediatè obligare: quod in noſtris conſtitutionibus apparet, in quibus, quamvis verbis præceptivis multoties vtatur Legislator, ipſemet explicat, ſe nolle ad culpam aliquam obligare: quod licèt non præſtet ſpecialiter in qualibet lege, illud habet iam præſtitum initio earum generaliter. Quod etiam in ſtatutis plurium religionum invenitur. Et ſupponitur id fieri poſſe in jure canonico *reg. 23. de regul. jur. in 6.* vbi aſſeritur, poſſe pœnam pro culpa, vel pro cauſa applicari: in quo ſupponitur non ſemper talem legem obligare immediatè ad culpam. ¶ Et poſſe inveniri veram legem ſolùm ad pœnam obligantem, tenet D. Thom. 2.2. *q.* 108. *art.* 4. *ad* 2. & 186. *art.* 9. *ad* 1. Et ratio eſt: quia dari poteſt juſtiſsima cauſa condendi legem conducentem ad bonum commune, qua vtilius, & ſuavius, abſque præcepto actus exercendi à ſubdito, ad talem finem dirigatur: ergo tunc dari poterit lex juſta, & rationabilis ſolum obligans ad pœnam. Quod ab omnibus ferè ſupponitur, ſive talis pœna verè, & propriè ſi talis; ſive (quod verius eſt) ſolum lato modo: quod parum ad noſtrum intentum conducit. ¶ Lex pœnalis mixta eſt, quæ conſtat ex præceptiva, & pœnali, quia nimirùm, & habet præceptum reſpectu actus, quem aſsignat, & pœnam proponit contra tranſgreſſores illius, vt ſi dicat, *præcipimus*, *prohibemus*, *vetamus ſub tali pœna, ne hoc, vel illud fiat*. Et quod hoc modo poſsit lex ſtatui, conſtat ex jure canonico, plura ſub pœna excommunicationis, irregularitatis, &c. præcipiente. Tum ex ratione: quia talis lex poteſt eſſe conveniens bono communi, vt ſubditi taliter per præceptum ad illud ordinentur, quòd per timorem pœnæ à tranſgreſsione legis, quaſi fræno quodam detineantur, & retrahantur: ergo non excedit facultatem Legislatoris, quæ ei conceſſa eſt pro bono communi promovendo.

Quot ſint pœnæ?

43 Secundò præmittendum eſt circa pœnas, alias eſſe poſitivas, vt flagellatio, mutilatio, &c. quæ ſolùm actionem, vel paſsionem poſitivam concernunt; alias privativas, quæ in privatione alicuius boni præcisè conſiſtunt, vt excommunicatio, irregularitas, &c. alias mixtas ex poſitivis, & privativis, vt ſunt illæ, quæ partim actionem, vel paſsionem includunt, partim privationem boni; vt ſolutio tantæ pecuniæ, quæ includit actum ſolvendi, & privationem dominij; renuntiatio beneficij, &c. Ex his pœnis aliæ ſpirituales ſunt, ſeu bonis ſpiritualibus ad finem ſupernaturalem conducentibus privantes, vt ſunt omnes cenſuræ, irregularitas, & aliæ pœnæ eccleſiaſticæ. Aliæ temporales, quæ ſolum circa temporalia exercentur, vt confiſcatio bonorum, exilium, carcer, officij depoſitio, ac denique omnes quæ poſſunt per legem ipſo facto aſsignari, quæ dicuntur *latæ ſententiæ*, quia ſtatim ac actus exercetur, incurruntur. Et tunc fit, quando lex vtitur verbis de præſenti pœnam ſignificantibus: vt, *qui hoc fecerit, ſit ipſo facto, ipſo jure, protinus excommunicatus, ſit anathema. Præcipimus ſub excommunicatione latæ ſententiæ. Qui hoc fecerit, ſit excommunicatus ſuſpenſus, &c.* Tunc dicitur pœna ferenda, quando in lege habetur: *Qui hoc fecerit, excommunicetur, ſuſpendatur, tali pœna plectatur.*

§. I.

Quomodo ex pœnis in lege propoſitis colligatur ipſam non ſolùm ad pœnam, ſed immediatè ad actum præceptum obligare?

Omnes leges ſub excommunicatione latæ ſententiæ ſanctæ obligãt ad mortale.

44 SIt generalis regula. Omnes illæ leges, quæ ſub pœna excommunicationis maioris ipſo facto incurrendæ ſanciuntur, obligant ad actum immediatè ſub peccato mortali: ſi verò ſolum minorem excommunicationem contineant, quandoque ad mortale, quandoque ad veniale obligant, juxta tantitatem materiæ præceptæ: & ſic iſtæ leges ſemper ſunt mixtæ ex præceptivis, & pœnalibus. Et ſciendum eſt, quod hoc ipſo, quod excommunicatio abſolutè contineatur in lege, de maiori intelligendum eſt, vt tenet concors Doctorum ſententia, & diximus *in tract. de Cenſuris*. Probatur ergo concluſio: quia maior excommunicatio non incurritur, niſi peccatum mortale, cui mederi intendit, præſupponatur, vt diximus *dicto tractat.* 10. *de Cenſur. cap.* 1. *punct.* 10. *n.* 119. at minor excommunicatio aliquando ob venialem culpam incurritur, vt quando quis communicat cum excommunicato in temporalibus: aliquando propter mortalem, vt ſi communicet cum illo in ſacris: ergo eo ipſo quod lex excommunicationem maiorem ipſo facto imponat, obligat ſub mortali; & ſi minorem, juxta gravitatem materiæ, obligabit ſub mortali, vel veniali: & cum nunquam ſive maior, ſive minor excommunicatio incurratur abſque aliqua culpa, ſemper talis lex obligabit immediatè in conſcientia. Ita docent communiter Doctores.

Idem dicẽdum eſt de alijs cenſuris, & de irregularitate

45 Circa alias cenſuras, & irregularitatem non eſt ita inter illos receptum. Nam Caietan. *in ſumm. verb. Præceptum*. Valentia 2. *part. diſp.* 7. *q.* 5. *punct.* 9. §. 13. Salon. 2.2. *tom.* 2. *q.* 77. *art.* 1. *ad* 8. negant de ſuſpenſione, interdicto, & irregularitate, quando in lege latæ ſententiæ continentur, eſſe ſigna ſufficientia obligationis ad mortale rei præceptæ, quia judicant incurri poſſe abſque peccato mortali: de ſuſpenſione idem tenet Azor. 1. *p. lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 5. & de irregularitate Sayr. *in Clavi Regia, lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 25. ¶ Sed nos iam de irregularitate diximus *tract.* 10. *de Cenſur. cap.* 7. *punct.* 1. *num.* 12. incurri non poſſe (loquendo de illa, quæ eſt per modum pœnæ) niſi ob pecca-

peccatum mortale, cùm sit pœna gravissima privans pluribus bonis spiritualibus. Quare quando per modum pœnæ in lege sancitur(vt si in execrationem alicuius actus, vel omissionis, vel in vindictam eius imponitur) verè talis lex obligat ad peccatum mortale. Ita Tapia *lib.*4. *quæst.* 10. *art.* 2. Sanchez *Decal.lib.6.cap.*4.*num.*49.Gregor. Martin.1. 2. *q.* 96. *art.*4.*dub.*3. Granad.*controv.*7.*tract.*3.*p.*1. *disp.*4. *sect.*2.*n.*4. Araujo 1.2. *q.*97. *disp.*7. *sect.*3. *diff.* 1. Suarez *lib.* 4. *de leg. cap.* 18. *n.* 19. Palaus *tract.* 3. *disp.*1.*punct.*15. *n.*2. Idem dicimus de interdicto,& suspensione, si maiores sint; secus verò si minores, juxta dicta *tract. de cens.cap.*1. *num.* 126. quòd tales censuræ, sicut excommunicatio, possunt in maiores, & minores partiri, propter eandem rationem, quam diximus de excommunicatione. Ac denique idem dicendum est de alijs pœnis spiritualibus, scilicèt degradatione, depositione, privatione ecclesiasticæ sepulturæ : quia pœnæ etiam gravissimæ sunt, nunquam ab ecclesia impositæ, nisi ob lethale delictum. ¶ Quæ diximus *hoc num. & præcedenti*, esse nimirùm sufficiens signum velle legem obligare sub mortali ad actum præceptum, quando tales pœnas contra transgressores assignat, intelligendum est, etiamsi lex non vtatur verbis expressè præceptivis, vt, *Præcipimus*, *mandamus*; sed indifferentibus, vt, *Ordinamus*, *statuimus* : quia ratione pœnæ spiritualis adjectæ determinantur, vt significent voluntatem Legislatoris obligandi ad mortale.Ita Sanchez *sup.n.*55. *&* 56.Palaus *n.*5. Azor *q.*5.*citata.*

Quid dicendum sit, quando pœna non est latæ sententiæ, sed ferendæ?

46 Quando ergo prædictæ pœnæ spirituales non sunt latæ in lege, sed ferendæ sententiæ, aliqui dicunt, non colligi velle obligare Legislatorem ad mortale, ex eo quod tales pœnas assignet : alij verò oppositum tenent. Sed possunt concordari juxta dicta *tract.* 10. *de cens. cap.* 1. quod aliquando talis pœna ferenda est, non expectata alia monitione, & est solum quando in ipsa lege dicitur, *quod excommunicetur*, v. gr. *qui hoc fecerit*, *absque alia monitione* : aliquando talia verba non apponuntur; & sic non potest.Iudex excommunicare reum adhuc post transgressionem, nisi præmissa canonica monitione. Dicimus ergo, quod in primo casu ratione pœnæ assignatæ sufficientèr innuitur velle Legislatorem obligare ad actum sub mortali, non in secundo. Ratio est: quia reus non potest excommunicari, nisi præcedente peccato mortali, & contumacia contra legem talem pœnam imponentem; sed hanc habet quando in lege præcipitur, vt absque alia monitione tali pœna feriatur, quia cùm lex ipsa loquatur, & admoneat, contumax est, qui contra illam sic loquentem operatur : quod non verificatur, quando lex solùm comminatoriam pœnam assignat, & sic debet reus admoneri à Iudice, à quo censura ligatur, vt desistat : & tunc completur contumacia, quando contra tale præceptum Iudicis operatur : ergo non censetur lex obligare gravitèr ex vi pœnæ, quando relinquit locum novæ monitioni à Iudice exhibendæ: secùs verò quando absque illa vult, quod talis pœna à superiore applicetur. Si tamen aliàs lex in secundo casu esset præceptiva, & gravis materiæ, ex hoc colligeretur obligare sub mortali independentèr à pœna, non verò ex eo quod pœna in tali lege taxetur. Ita Araujo *supr.* Tapia *lib.* 4. *quæst.* 10. *artic.* 3. *num.* 3. Caiet. 2. 2. *quæst.* 186. *artic.* 9. Castro *lib.* 1. *de leg. pœnali*, *cap.*5. *docum.*4. Suarez *lib.* 4. *cap.*18. *num.* 17. Diana 1. *part.tract.* 10. *resol.* 21. Sanch. *supr.num.*51.Palaus *num.*3. Vazq.*disp.*158. *cap.*5.*à num.*45.

47 Maior difficultas est circa pœnas temporales, an nimirùm detur lex mixta ex præceptiva, & pœnali continente illas: Quod est quærere an leges pœnales, quæ assignant pœnas temporales, & simùl præcipiunt, & mandant, obligent in conscientia, & sub peccato, juxta gravitatem materiæ? An solùm ad pœnam solvendum? Prima sententia tenet, nullam legem pœnalem temporarias pœnas assignantem, quamtumvis gravissimas, obligare ad peccatum, sive sit ecclesiastica, sive civilis, nisi in ipsa lege exprimatur talis obligatio,dicendo,se velle obligare ad culpam, vel pœnam æternam, præter temporalem, quam ponit (quod vix vnquam invenitur) consequenterque in his legibus pœnalibus non cognoscit aliquam mixtam ex pœnali, & præceptiva; sed omnes esse purè pœnales. Ita docent Navarr. (qui est Author huius sententiæ) *in manuali cap.* 23. *n.* 55. quem sequuntur Menchaca 1. *contr. cap.* 9. Ludovic. Gomez *cap.* 2. *de constitut.in 6.num.*60.favet ex parte Caiet. *in sum. verb. Clericus*, *§.Verùm*, *& verb.Ieiunium*, *§.Quoad quartum.* Imola *in repetitione c. Cùm contingat*, *de jure jurando*, asserentes, nullam legem pœnalem obligare ad mortale, præciso periculo, & scandalo. Sententiam Navarr. probabilem dicunt Tap. *lib.* 4. *q.* 10.*art.*4. *n.*3.Valent.*tom.*2.*disp.*7.*q.*5.*punct.*6.*§.*3. *in 6. signo.* Dian. 1. *part. tract.*10. *n.* 20. Bonacin. *disp.*1. *quæst.*1.*punct.*7. *§.*4. *à num.* 3. Villalob. 1. *part.tract.*2. *diff.*22. *num.* 7.

Sententia asserens legem obligantem ad pœnam temporalem,nõ obligare in conscientia.

48 Et probatur primò : quia sufficit Legislatori humano ad suum regimen imponere pœnas temporales:vnde hoc ipso,quod eas imponat, non videtur obligare ad æternas; quia hoc esset bis id ipsum punire, quod est contra rationem naturalem. ¶ Secundò, quia consuetudo, quæ est legis legitima interpres; ita videtur interpretari has leges pœnales, præcipuè civiles,de quarum transgressione vix vllus format scrupulum conscientiæ; sed omnes judicant se solùm ad pœnas in eis taxatas obligari. ¶ Tertiò, quia negari non potest, Legislatorem posse pœnam æternam, & temporalem contra transgressores minari,æternam indirectè, scilicèt imponendo obligationem in conscientia ad actum præceptum, & directè temporalem : sed solùm assignat pœnam temporalem non curando de æterna, nec de obligatione conscientiæ:ergo videtur hæc exclusa:nam,vt dicitur in cap. *Nonne*,*de præsumptionibus*, qui vnum exprimit,& aliud tacet,censetur excludere quod tacet.

Argumenta dictæ sententiæ.

49. Nihilominus, dicendum est primò, leges mixtas, seu illas, quæ præter pœnam, quam assignant, verba præceptiva continent, nimirùm, *præcipimus*, *jubemus*, *prohibemus*, & c. obligare non solùm ad pœnam, sed directè ad culpam gravem, vel levem, juxta tantitatem materiæ. Et ratio est manifesta : quia talis lex includit præceptum, & pœnam : ergo sicut ex qua parte continet pœnam, obligat ad illam : ex qua parte continet præceptum, obligat secundùm vim, quam habet præceptum obligandi, quæ est ad culpam. ¶ Et confirmatur primò : quia si lex solùm contineret præceptum, nemo dubitat obligare ad culpam, sicut de omnibus legibus præceptivis diximus suprà : sed per hoc quod addatur pœna, non aufertur à præcepto vis obligativa, quam habet; siquidem talis pœna non additur ad infringendum præceptum, sed magis ad illud roborandum,

Leges pœnales mixtæ obligant in conscientia.

dum, & confirmandum, vt per timorem illius homines à transgressione legis avertantur: ergo talis lex continens præceptum, & pœnam habet obligare ad peccatum. ¶ Confirmatur secundò: quia potest Legislator, si exprimat, obligare ad culpam per legem pœnalem, vt etiam Navarr. confitetur, asserens, quod si Legislator exprimat se velle ad culpam obligare, talis lex obligationem inducet in conscientia: sed hoc exprimit legem sub verbis præceptivis ferens: quia, imponendo præceptum, interponit suam authoritatem præceptivam, secundum vim, quam habet: ergo, &c. Sic Tapia Valent. Dian. Bonac. Villalob. *loc. citat.* Arauj. 1. 2. *q.* 97. *disp.* 3. *sect.* 3. *diff.* 1. Montes. *disp.* 33. *q.* 7. *n.* 105. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 9. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 6. Sot. *de just. lib.* 1. *q.* 6. *art.* 4. & 5. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 15. *n.* 8. Suar. *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 6. Sanch. *Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 6. & est communis.

Solvuntur contraria fũdamenta.

50 Ad contraria fundamenta respondetur. Ad primum, sufficere Legislatori pœnam, si illam solum assignaret per legem purè pœnalem, vt statim dicemus; tamen, hoc ipso quod adjunxit præceptum, etiam voluit obligare ad culpam, ad quam connaturale est pœnam æternam consequi. Sed, quia hæc plures minùs timoratos parum terret, voluit eos per pœnas temporales coercere. ¶ Ad secundum, non constare de tali consuetudine; & licèt plures non forment scrupulum de transgressione talis legis, fortè est, quia contrariæ sententiæ nituntur, quæ eos liberat à peccato. ¶ Ad tertium, Legislatorem vtramque exprimere obligationem, in conscientia per præceptum, & ad pœnam temporalem, per hoc quod eam apponat.

Lex purè pœnalis nõ obligat in conscientia.

51 Dicendum est secundò, quod lex pœnalis (illa nimirùm quæ tantum imponit pœnam, & non vtitur verbis præceptivis; sed vel indifferentibus, vt *statuimus*, *decernimus*; vel solùm assignat pœnam dicendo, *qui arma portaverit*, *ea amittat*: *qui tale fecerit*, *solvat tantum*) si sit purè pœnalis, ex se nullam inducit obligationem in conscientia, & sic solùm obligat ad pœnam, non ad culpam. Dixi, *Si sit purè pœnalis*: nam si est taxativa pretij, aut alterius debiti, obligat in conscientia, non quia est lex pœnalis; sed quia est declarativa legis naturalis. Dixi, *Ex vi sua*, quia si id, quod statuit, iam præceptum est per aliam legem, peccatum erit operari contra eam: non quia contra eam, sed quia est contra aliam legem præceptivam, quam supponit. Sic explicata conclusio probatur: quia potest Legislator obligare ad solam pœnam immediate per suam legem, vt diximus *n.* 42. sed hoc ipso, quod præceptum non imponat, sed solam pœnam, significat se nolle obligare ad culpam; quia si ad hanc vellet, præceptum imponeret: ergo, &c. Nec, per hoc quod aliquis obligetur ad pœnam, censetur obligari ad culpam, ex eo quod pœna culpam supponat: quia (vt multoties diximus) tunc non est pœna propriè talis, sed quædam pœnalitas, seu molestia, quæ largo modo dicitur pœna. Ita Sanch. *Decalog. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 6. Martin. *supr. concl.* 3. Palaus *n tm.* 10. Bonacin. *num.* 4. Araujo *quæst.* 97. *disp.* 3. *sect.* 3. *difficult.* 1. Reginald. *in prax. tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 6. *sect.* 5. *num.* 50. Azorius *lib.* 6. *cap.* 6. *quæst.* 5. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 10. *artic.* 4. *num.* 5. Suarez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. & 7. Villalob. *tract.* 2. *difficult.* 22. *n.* 2. Vazquez 1. 2. *disp.* 159. *cap.* 2. *num.* 11.

Limitatio conclusionis ab aliquibus adhibita.

52 Limitant aliqui præcedentem conclusionem, quando lex gravissimas pœnas imponit, nimirùm capitis, mutilationis, infamiæ, triremium, carceris perpetui, publicæ flagellationis, amissionis omnium bonorum, & c. quia talis lex assignans has pœnas, culpam mortalem supponit; & non aliam, nisi quæ committitur contra ipsam legem: siquidem tam graves pœnæ nunquam rationabiliter assignarentur, nisi ob gravem culpam: ergo, quamvis lex non exprimat præceptum, censendum est eam tacitè continere illud, velleque ad culpam obligare, quia necessariò prærequiritur ad talem pœnam. ¶ Deinde quia exponere se periculo gravis damni est culpa lethalis: sed qui operatur contra legem imponentem pœnam mortis, v.g. exponit se periculo gravis damni: ergo, & c. Sed hoc solùm probat esse peccatum mortale agere contra talem legem, non ex vi illius, sed ex vi præcepti charitatis erga seipsum, quo vnusquisque tenetur malum quodcumque grave præcavere. Quare, si in secreto, & cum circumspectione contra talem legem ageret, ita vt moraliter non adesset tale periculum; ex nullo capite peccaret mortaliter.

Etiamsi lex pœnalis gravissimas pœnas contineat, non obligat ad peccatum.

53 Igitur dicendum est tertiò, legem purè pœnalem, sive ecclesiasticam, sive civilem, non obligare ad culpam, quantumvis gravissimas pœnas temporales contineat. Nam ad incurrendam pœnam, quantumvis gravem, non requiritur culpa mortalis; sufficit civilis, & politica: sicut custodibus murorum in bello imponitur sub pœna mortis vigilia, quam incurrere possunt, etiamsi ad culpam mortalem non obligentur. Frangentibus carcerem imponitur gravissima pœna, tametsi non peccet reus fugiendo è custodia. Expediens quippe est multoties bono communi politico cohibere subditos per gravissimas pœnas, etiam non interveniente culpa: ergo, quando non exprimit lex, se velle ad culpam obligare, non est judicandum velle ratione pœnæ, quam adijcit; quin potiùs oppositum: quia obligatio ad culpam rigor juris est, qui potiùs debet mitigari, quam augeri. Ita Tapia *supr. art.* 6. *n.* 2. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 15. *n.* 12. Navar. *in Manual. cap.* 23. *n.* 55. Montes. *disp.* 33. *q.* 9. *n.* 149. Reginald. *supr. à n.* 50. Philiarch. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *disp.* 4. & probabile dicit Dian. 1. *p. tract.* 10. *resol.* 18.

Quid ex dictis sequatur?

54 Ex dictis colligitur primò, leges oppidorum prohibentes sub certa pœna cæsionem lignorum, aut herbarum sponte nascentium in sylvis, vel pascuis communibus, necnon prohibentes piscationem, & venationem in fluminibus, vel montibus, vel ipsius oppidi, vel alterius, non obligare ad culpam, sed ad pœnam legitimè positam, & quando ipso facto comprehenditur reus: tùm ex consuetudine, & vsu, qui est legitimus legum interpres: tùm etiam ex forma harum legum, quæ solam statuunt pœnam, vt metu illius prohibeantur homines, ne res illæ passim, & à quocumque pro libito, & cum detrimento reipublicæ fiant, in cuius commodum, & vtilitatem pœna taxata cedit. Ita Arauj. Navar. Valent. Montes.

Quid dicendum sit de præceptis sub pœna præstiti juramenti.

55 Sequitur secundò, quid dicendum de illis legibus, seu præceptis, quæ imponuntur à Rectoribus aliquarum vniversitatum, & specialiter vniversitatis salmantinæ *sub pœna præstiti juramenti*. Et idem dicendum est de statutis aliquorum Collegiorum, quorum observatio juratur à collegis. Dicimus ergo, quod si materia sit levis, putà audire sacrum, (quæ levis materia reputatur respectu illarũ legum,

gum, quæ non ad bonum ſpirituale ſingularum perſonarum, ſed ad bonum regimen politicum ordinantur, vt *cap. præc. punct. vlt.* diximus) comitari Rectorem, non indui veſtibus feſtis, intereſſe capellæ, aut alij actui: ſi ergo hæc præcipiat Rector ſub pœna præſtiti juramenti, erit veniale contra agere; ſi tamen materia eſſet gravis, mortale: vt ſi juberet, quod domi ſe contineant ad ſedandos graves tumultus, vel prohiberet ſub pœna præſtiti juramenti publicas acclamationes: & in Collegijs ſi ſtatuta gravem materiam arbitrio prudentum continerent, peccatum eſſet mortale illa frangere; & veniale, ſi levem. Et ratio eſt: quia talia juramenta ſolum intelliguntur cum illo rigore, quem habent ex gravitate materiæ: cum ergo juramentum promiſſorium in re gravi ſit mortale non adimplere, & veniale, ſi in re levi, ſequitur quod diximus. ¶ Et confirmatur ex Clem. *Exivit, de verbor. ſignificat.* vbi dicitur, eum, qui vovit ſervare certam regulam, & contenta in ipſa, ſolum obligari ad eorum obſervationem, juxta materiæ qualitatem; ſed non eſt minor, ſed major obligatio voti, quod fit Deo, quàm juramenti, quod ſit hominibus, vt docet Div. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 8. ergo, &c. Ita Tapia *lib.* 4. *q.* 10. *art.* 7. Sanch. *Decalog. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 3. Medina *in ſum. lib.* 1. *cap.* 16. §. 11. Arauj. *ſupra corol.* 2. Soto *lib.* 4. *de Iuſtit. q.* 6. *art.* 3. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 9. *concl.* 3.

§. II.

An, & quomodo legis pœnalis tranſgreſſor teneatur ad pœnam ante Iudicis ſententiam?

Poteſt Legislator ad pœnã obligare ante Iudicis ſentẽtiam.

56 EGimus iam de obligatione immediata, quam lex pœnalis habet ad actum, quem præcipit. Veniamus ad obligationem mediatam, quam habet ad pœnam per legem taxatam. In quo ſupponimus, poſſe Legislatorem humanum, eccleſiaſticum, vel civilem, obligare ad quamcumque pœnam poſitivam, vel privativam ſubeundam, ante Iudicis ſententiam; ſi talis pœna, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm modum, non excedat limites æquitatis; vt ſi non ſit nimis rigida, & exerceri poſsit abſque culpa ab ipſo reo; vt ſolvere pecuniam, exulare, jeiunare, corpus macerare, &c. Si enim pœna eſſet nimis rigida, vt ſe privare omnibus bonis: vel quam non poſſet reus in ſeipſum abſque culpa exercere, vt ſe occidere, mutilare, ad has non poſſet facere, quod ſubditus obligetur ante Iudicis ſententiam. Quod ad alias poſsit, probatur: quia poteſt obligare ad culpam ante Iudicis ſententiam, & etiam ad pœnam privativam, quæ non excedat limites æquitatis; vt de legibus imponentibus pœnas ſpirituales dicemus: ergo etiam poterit ad pœnam poſitivam, ſi tales limites non excedat. Ita Tapia *lib.* 4. *q.* 10. *art.* 8. Palao *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 1. *n.* 4. Salas *diſp.* 15. *ſect.* 2. *n.* 25. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 2. *n.* 8. & 9. Suar. *lib.* 5. *cap.* 5. *à n.* 15. Monteſ. *diſp.* 24. *q.* 1. *n.* 6. Quare dubium eſt, an de facto ita obligare velit, & in quibus legibus? Et loquimur de legibus continentibus pœnam latæ ſententiæ, ſeu ipſo facto incurrendam: nam ſi ſolum ſit ſententiæ ferendæ, indubitatum eſt non obligare, niſi poſt ſententiam Iudicis, nedum declaratoriam criminis, ſed inflictivam pœnæ.

Leges canonicæ, quæ pœnas ſpirituales cõtinent, ad illas obligant, non expectata alia ſententia.

57 Circa quod ferè omnes conveniunt, leges eccleſiaſticas continentes pœnas ſpirituales, nimirum excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum, irregularitatem, &c. ipſo facto incurrendas, de facto incurri ante Iudicis ſententiam, *capit. Non dubium, de ſentent. excommunicat. capit.* 2. *de Cleric. non ordinato miniſtr. cap. Significaſti, de homicidio.* Quod praxis, & conſuetudo confirmat, quæ eſt legum optima interpres. Et ratio eſt: quia obligare ad tales pœnas, non expectata ſententia Iudicis, non excedit ſuavitatem, & æquitatem humanam; nullam enim actionem delinquentis requirunt habentem ſpeciem rigoris, aut iniquitatis: ergo, cum lex dicat ipſo facto eas incurrere delinquentem, credendum eſt Legislatorem velle vti poteſtate, quam habet ad inducendas illas abſque alia ſententia: & hoc maximè currit in pœnis medicinalibus, quæ protinus, ac morbus incurritur, debent applicari, vt medelæ.

Idem dicũt aliqui de reliquis pœnis privativis.

58 Idem aſſerunt aliqui de alijs pœnis temporalibus purè privativis, vt in privatione vocis activæ, aut paſsivæ: & ideò quod electio, tàm activa, quàm paſsiva, eſt illicita, & nulla, ſi cum hac inhabilitate activè eligendi, vel paſsivæ electionis aliquis eligatur: & ſi reus poteſt ſine infamia, tenetur ſe privare voce activa, & paſsiva: ſi tamen ſine nota non poteſt, ad id non tenetur, etiamſi lex dicat ipſo facto, non expectata alia declaratione: quia jus ad propriam famam tuendam fortius eſt quolibet jure humano imponente talem pœnam. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 1. *articul.* 9. *num.* 5. Vazquez *diſput.* 168. *capit.* 6. Suarez *lib.* 5. *capit.* 9. *num.* 5. Bonacin. *diſput.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *n.* 10. Dian. 1. *p. tract.* 10. *reſol.* 24. Monteſin. *diſp.* 24. *quæſt.* 1. *num.* 4. Martin. *q.* 96. *artic.* 4. *dub.* 10.

Nulla pœna temporalis privativa obligat ante Iudicis ſententiam.

59 Nihilominùs dicendum eſt, quod ſi pœna temporalis conſiſtat in privatione alicuius juris acquiſiti, vel quod acquiri cœptum eſt, & pœna ſit abſoluta, non incurritur ante Iudicis ſententiam; etiamſi lex dicat incurri ipſo facto, nulla Iudicis expectata ſententia, aut declaratione: quia intelligi poteſt de declaratione pœnæ, non verò de declaratione culpæ: & ſic quod requiritur ſaltem ſententia criminis declarativa, vt quis privetur jure iam acquiſito: vt quando quis acquiſivit jus, vt eligat, aut eligatur, jus in beneficium, jus in ſua bona, quæ iam poſsidet, vel poſsidere cœpit, requiritur ſententia Iudicis, ſaltem declarativa criminis, vt eis expolietur, interimque contractus ab ipſo initi cum talibus bonis erunt validi, electiones ratæ, & fructus beneficij legitimè poſſeſsi. Sic explicata concluſio probatur: quia in obligationibus, & rigoribus ſemper benignior pars eſt amplectenda, ſi verba id patiantur; ſed verba illa addita in lege, *ipſo facto, nulla ſententia, nulla alia declaratione expectata*, explicari poſſunt de declaratione novæ pœnæ, ſeu de impoſitione illius facta à Iudice; non verò negando declarationem Iudicis, & applicationem pœnæ, quæ à lege decernitur ab ipſo faciendam: ergo, &c.

Duplicitèr cõfirmatur præcedens doctrina.

60 Confirmatur primò: quia lex non debet eſſe nimis rigida, & dura, ſed ſuavi ac morali modo obſervabilis; ſed quod homo ſe privet bonis à ſe poſſeſsis, non auditus in judicio, non condemnatus à Iudice, eſt valdè durum, rigidum, &

mo-

moraliter in obſervabile: ergo non eſt dicendum, hunc eſſe Legislatoris intentum. ¶ Confirmatur ſecundò: quia in cap. *Secundum leges, de hæreticis in 6.* hæretici privantur ipſo jure bonis à ſe poſſeſsis à die commiſsi criminis; & tamen non tenentur bona tradere ante Iudicis ſententiam, vt *in eodem cap.* habetur, & contractus ab ipſis facti validi ſunt. Similiter ſimoniaci expoliantur beneficijs, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda in Tridentin. *ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 18.* & non tenentur illa renuntiare; aliàs cogerentur ad manifeſtandum ſuum crimen, gravemque patiendam neceſsitatem. Sic Soto *lib. 1. quæſt. 6. artic. 6. & lib. 4. q. 6. artic. 6.* Ledeſm. *2. part. 4. quæſt. 19. art. 2.* Molin. *de Iuſtit. tom. 1. tract. 2. diſput. 96. num. 8.* Caietan. *in ſumm. verb. Pœna.* Granad. *controv. 7. tract. 3. part. 1. diſput. 13. ſect. 2. num. 15.* Sanchez *lib. 2. de Matrimon. diſput. 53. à num. 5. & lib. 7. diſput. 89. num. 11.* Leſſ. *lib. 2. capit. 29. dub. 8. & cap. 34. dub. 34.* Salas *de legib. diſput. 15. à num. 46.* Palaus *tract. 3. diſput. 2. punct. 2. num. 8.* qui excipit (& benè) pœnam illam privativam, qua conjuges petitione debiti privantur ob inceſtum cum conſanguineo alterius commiſsum: quia ita eſt vſu, & conſuetudine receptum. Et idem dicimus de alijs pœnis, aut privativis, aut mixtis ex privativo, & poſitivo, quando, & vbi eſt conſuetudine receptum, quod ante ſententiam Iudicis incurrantur.

Idem dicẽdum eſt in pœnis poſitivis.

61 Quod diximus de his pœnis privativis, vel mixtis, à fortiori dicendum eſt de pœnis poſitivis, quæ conſiſtunt in actione poſitiva, vel paſsione. Nam ideò ipſo facto apponuntur incurrendæ, vt Iudex non aliam, niſi illam aſsignet, nec facilè eam minuere, aut mutare poſsit; cum eſſet nimis rigidum, & contra ſuavitatem, quam leges humanæ depoſcunt, obligare, inaudito reo in judicio, quòd pœnas in ſeipſum exequatur: cum executio illarum potius ſit officium Iudicis, aut miniſtrorum eius, quàm ipſius rei. Hoc eſt commune inter Doctores, & tenent præter citatos D. Thom. 2. 2. *q. 62. art. 3.* Tapia *lib. 4. q. 10. art. 20. n. 2.* Martin. *q. 91. art. 4. dub. 10. concluſ. 4.* Vazq. *diſp. 168. cap. 4. & 170. cap. 3. & 4.*

Pœnæ inhabilitantes obligant ante Iudicis ſententiam.

62 Illæ verò pœnæ, quæ ſolum impediunt translationem beneficij, ſeu jutis acquirendi, quæ propriè pœnæ non ſunt, ſed quædam inhabilitates ad actus, proculdubio incurruntur, non expectata Iudicis ſententia, ſive ſint jure canonico, ſive civili impoſitæ: quia cum reſpublica ſit domina ſuorum bonorum, ea juſtiſsimè poteſt non donare eis, qui ſuas leges non obſervant. Hoc modo beneficiarijs non recitantibus officium divinum imponitur pœna reſtitutionis fructuum beneficij pro rata in Concil. Lateranenſ. 1. *canon. 10.* ſub Leone IX. quæ obligat ante ſententiam Iudicis: quia nimirum vult lex reddere illos inhabiles ad percipiendos fructus: vnde ſequitur teneri illis renuntiare. Quamvis dici poſſet aliàs ex jure naturæ ad id teneri, quia non præſtant officium, ob quod datur eis beneficium. Idem dicendum eſt de pœna impoſita à Tridentin. *ſeſſ. 23. capit. 1. de Reformation.* contra non reſidentes in ſuis eccleſijs, quod ſcilicèt pro rata non reſidentiæ reſtituant fructus beneficij, quæ obligat ante ſententiam, propter modo dicta. Similiter conſequentes ſecundum beneficium incompatibile cum primo, ipſo jure illo privantur, & redduntur inhabiles ad alios ſuſcipiendos, ſi non renuntient, *cap. Cum ſingula, de præbend. in 6.* Idem dicendum eſt de inhabilitate ad matrimonium impoſita contra conjugem, qui vxorem interficit, vt ducat aliam; vel ſub promiſsione futuri matrimonij, vivente propria vxore, aliam cognovit. Ac denique in cap. *Quicumque, de hæret. in 6.* electio hæretici ad eccleſiaſticum beneficium, vel ad publicum officium, ipſo facto irritatur, & ſic eſt nulla ante Iudicis ſententiam: quia in his omnibus pœnæ imponuntur per modum inhabilitatis, & ſic ſtatim obligant, & ſuum producunt effectum; in quo omnes Authores conveniunt.

Pœnæ conditionales obligãt abſque alia ſententia.

63 Idem dicendum eſt, quando pœnæ non ſunt abſolutæ, ſed conditionales: quia iſtæ non tàm pœnæ dicuntur, quàm conditio, ſub qua aliquid datur, & ſic qui conditionem non implet, tenetur ante ſententiam amittere, quod ſub tali conditione recepit. Unde in cap. *Licet can. de electione in 6.* ſtatuitur, vt habens beneficium curatum, ſi intra annum non ordinetur Preſbyter, ſit ipſo facto privatus beneficio: & in Trident. *ſeſſ. 23. cap. 2. de Reform.* quod electus in Epiſcopum, ſi non conſecretur intra ſex menſes, ſit ipſo facto privatus epiſcopatu: & in vtroque caſu, abſque alia ſentẽtia Iudicis, incurrit dictam pœnam, qui voluntariè omiſerit prædictos ordines: quia ſub ea conditione ab eccleſia talia beneficia conferuntur, qua proinde non appoſita, gratia, & beneficium ceſſat. Sic etiam Clericus beneficiatus habitum non deferens clericalem, privatur privilegio fori: & ſimiliter Clericus conjugatus, ſi non contraxerit cum vna, & virgine, & alicui deſerviat eccleſiæ, apud Tridentin. *ſeſſ. 23. cap. 6. de Reform.* quia ſub illa conditione privilegium eis confertur. Idem dicendum eſt in legatis ſub conditione relictis, qua non appoſita, amittuntur. Ut ſi Mariæ legatum relinquatur, ſi caſtè vivat, ipſo facto ac non verificatur conditio, privatur legato, non vt pœna delicti, ſed quia non apponitur conditio, ſub qua conceſſum eſt: & in ſimilibus caſibus. Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 91. art. 2.* Tapia *lib. 4. q. 10. art. 10. n. 1. & 2.* Suar. *lib. 1. cap. 6. n. 10.* Granad. *controv. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 4. ſect. 13. n. 1.* Palaus *tract. 3. diſp. 2. punct. 3. n. 3.* Suar. *de legib. diſput. 15. ſect. 3. circa fin.* Bonac. *diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 2. num. 24.*

Nullæ pœnæ, præterdictos caſus obligant ante Iudicis ſententiam.

64 Præciſis ergo dictis caſibus, & ſimilibus, nunquam incurritur pœna, ſive purè privativa ſit, ſive poſitiva, ſive mixta ex privativa, & poſitiva, quia ſimul cum privatione alicuius boni aliquam actionem requirit, ante Iudicis ſententiam, ſaltem declarativam criminis, etiamſi in lege, aut præcepto habeatur, quod ipſo facto, nulla expectata Iudicis ſententia incurratur: & ſic in beneficijs iam poſſeſsis nunquam privatur illis reus ante Iudicis ſententiam, etiamſi dicatur, talem privationem incurri ipſo facto, nulla declaratione præmiſſa. Ita Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp. 53. n. 1.* Vazq. *1. 2. q. 168. cap. 4.* Covar. *2. p. de ſponſalib. cap. 6. §. 8. n. 8.* Sà *verb. Pœna, n. 1.* Molin. *1. de Iuſtit. tract. 2. diſp. 96. pag. 590.* Martin. *q. 96. art. 4. dub. 10.* Tapia *lib. 4. q. 10. artic. 11. n. 4.* Soto *lib. 1. de Iuſtit. q. 6. art. 6. ad 8.* Unde, quando illi, qui per aſſaſsinos aliquem chriſtianum occidunt, vel occidere tentaverunt, vel eis opem tulerunt, privantur ipſo facto beneficijs poſſeſsis, *capit. Pro humani, de homicid. in 6.* intelligendum eſt, Iudicis ſententia ſuppoſita declaratoria criminis. Idem dicendum eſt circa extravagant. *Ambitioſæ, de rebus eccleſiæ non alienandis,*

vbi

vbi Prælati, & Rectores eccleſiaſtici alienantes bona ſuorum beneficiorum contra præſcriptum illius legis, privantur ipſo facto beneficijs. Idem circa conſtitutionem Pij IV. contra committentes ſimoniam confidentialem, qua privantur beneficijs obtentis ipſo facto. Et eodem modo explicanda eſt lex Bonifac. VIII. quam confirmavit Greg. XIII. privans beneficijs obtentis recipientes in curia aliquid pro gratia,& juſtitia. Et eodem modo debet explicari Trid. *ſeſſ.*24.*cap.*8.*de Reformat.*privans beneficijs obtentis Examinatores ſimoniam in examine committententes. Videantur Authores citati.

Quid de pœna conventionali ſentiendum ſit?

65 Sed rogabis, an pœna conventionalis contractibus adjecta debeatur ſolvi à reſiliente à contractu, ante ſententiam Iudicis? v.g. contrahit Petrus cum Ioanne, & ſibi pœnam imponunt, quòd qui contractui non ſteterit, ſolvat centum aureos. Et loquimur de pœnis non reprobatis in cap. *Gemma, de ſponſal.* vt ſunt illæ, quæ à contrahentibus ſponſalia apponuntur ſolvendæ à reſiliente ab eis: quæ ideò reprobantur in jure, quia minuunt aliquid de libertate ad matrimonium, vt diximus *tom.*2.*huius curſ. tract.*9.*cap.*1. *toto punct.*8. Supponimus etiam, pœnam non eſſe exorbitantem, ad quam nullus tenetur: & eſſe in mora culpabili, qui non ſtat promiſsis: nam ſi tempus determinetur ad impletionem contractus; & illud abſque culpa alicuius præterierit; ea non impleta, nullus ad pœnam tenebitur: imò debet mora culpabilis eſſe notabilis, vel vnius hebdomadæ, ſecundùm aliquos, vel ſecundùm alios, viginti dierum. Quibus ſuppoſitis, circa quæſitum datur duplex ſententia ſatis probabilis, vt inquit Dian. 1.*p. tract.*10.*reſol.*29.

Sententia aſſerens teneri reſilientẽ ante Iudicis ſententiam.

66 Prima aſſerit, teneri reſilientem à contractu ſolvere pœnam impoſitam ante Iudicis ſententiam: quia talis pœna eſt obligatio ex contractu reſultans; ſed vnuſquiſque tenetur ante Iudicis ſententiam ad obſervandum contractum, & ea, quæ cum illo connectuntur: ergo, &c. Et explicatur exemplo voti pœnalis, in quo qui non apponit rem voto promiſſam, tenetur abſque alia ſententia ſubire pœnam, quam ſibi, ſi frangeret votum, aſsignavit. Sed hoc intelligitur, niſi conſtet de mente contrahentium aliter diſponentium: nam in omni ſententia ſtandum eſt intentioni illorum, ſi conſtet de ea; quæ ſi fuerit de obligando ſe ad pœnam ante aliam ſententiam, ita eſt dicendum in omni ſententia; & quando contrahentes explicavere, ſe nolle obligari ad pœnam ante Iudicis ſententiam, hæc eſt expectanda, vt pœna incurratur. Et ſic ſolum procedit hæc, & ſequens ſententia, quando non conſtat de intentione vtriuſque. Et hæc dicit teneri ad ſolvendam pœnam reſilientem à contractu, etiam ante omnem ſententiam, in caſu, quo ab alio contrahente petatur. Ita Bonacin. *diſp.*1.*q.*1.*punct.*7.*§.*2.*n.*23. Salas *diſp.*15.*ſect.* 3.*n.*51. Covar.*lib.*4.*decretal.cap.*6.*§.* 8.*n.* 11. Suar. *lib.*5.*cap.*6.*n.*8. Molin.*tom.*1.*tract.*2.*diſp.*97.*fine*, Sà *verb.Pœna,n.*2.

Æquè probabilis eſt ſententia negans.

67 Sed æquè probabilis eſt ſententia negativa, quam tenet Sanch.*lib.*1.*de matrimon. diſp.*37.*num.* 4. Navarr. *cap.* 23. *num.* 67. Leſſ. *lib.* 2. *capit.* 20. *n.*15. Vazq.*diſp.*173.*cap.* 1. Gutierr.*canonic. quæſt. lib.*2.*cap.*20.*n.*13. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 3. *n.*4. Granad.*controv.*7.*tract.*3.*p.*1. *diſp.* 13.*ſect.* 2. *n.*19. Laym.*lib.*3.*ſect.*5. *tract.*4. *cap.* 16.*n.*11. Quia quando non conſtat de mente contrahentium, ſentiendum eſt ipſos ſibi velle imponere illam legem pœnalem, juxta diſpoſitionem juris communis circa leges pœnales: ergo ſicut leges pœnales, quæ generales ſunt ad omnes, intelliguntur de pœnis contrahendis poſt ſententiam Iudicis ita in lege illa particulari interpretandum eſt: maximè quia eſt odioſa, & ſic in benigniorem partem deflectenda. Quod ſecus accidit in voto, quia ibi non eſt imaginabilis alia ſententia præter eam, qua vovens ſibi pœnam imponit: at in debitis homini factis non ita contingit, & ſic vovens ante aliam ſententiam pœnam ibi impoſitam, tenetur ſubire, quia ipſe eſt Iudex in illa cauſa, quæ ſolum inter ipſum, & Deum agitur.

§. III.

De obligatione, quam habet tranſgreſſor legis pœnalis ad pœnam poſt ſententiam Iudicis.

Non tenetur reus pœnas exequi, quas juſtè exequi non poteſt.

68 CIrca tertiam partem huius puncti inquires primò, an tranſgreſſor legis, poſtquam condemnatus fuit per Iudicis ſententiam, teneatur ipſe in ſe pœnam exequi; an verò poſsit expectare executionem juſtitiæ? Reſpondemus ſub hac diſtinctione. Vel enim pœna eſt ex illis, quam reus in ſeipſum exequi poteſt abſque ſpecie crudelitatis, aut inhumanitatis, vt quod privatim verberetur, quod jejunet, quod ab hoc, vel illo abſtineat, quod exulet, quod tantam pecuniam ſolvat; & his ſimilia, quæ licitè poſſunt à reo poni: vel ex illis, quas reus proprijs manibus non poteſt in ſeipſum exercere, vt pœna capitis, mutilationis, infamiæ, &c. has nec poteſt Iudex præcipere, nec reus ſuis manibus ſibi inferre: quia licèt pœna ſit juſta (vt ſupponimus) quoad ſubſtantiam, injuſta eſt quoad modum, eo quod talis aggreſsio in proprium corpus eſt violenta omninò, & crudelis, quam ipſamet natura abhorret, & deteſtatur. Poteſt tamen, & tenetur indirectè ad talem pœnam concurrere, nimirùm aſcendendo ſcalam, vt ſuſpendatur, guttur applicando, vt iuguletur, manum porrigendo, vt abſcindatur à carnifice: quia talis cooperatio nihil crudelitatis præſefert; quinimò neceſſaria eſt, vt à miniſtro talis pœna infligatur, quam ſi reus non apponeret, indicaret ſe non ſubire pœnam patienter, ad quam ex lege tenetur. Ita Monteſin.2.2. *diſp.*24.*q.*1.*n.*1. Martin.*q.* 96.*art.* 4. *dub.*12.*concl.*3. Tap.*lib.*4.*q.*10. *art.* 17. Soto *lib.* 1. *de iuſt.q.*6.*art.*6. Palaus *tract.*3. *diſp.* 2.*punct.* 4.*n.* 3. Granad.*controv.*7.*tract.*3.*p.* 1.*diſp.*13. *ſect.*2.*n.* 23.& 25. Suar.*lib.*5.*cap.*10.*n.*14. Salas *diſp.*15.*ſect.* 7.*n.*82. Bonac.*diſp.*1.*q.*1.*punct.*7.*§.*2. *n.* 23. Vazq. *diſp.*153.*cap.*3.*à n.*19.

Tenetur reus pœnas à Iudice inflictas patiẽter ſuſtinere.

69 Tenetur etiam reus tales pœnas patienter ſuſtinere à miniſtris illatas, quia ſic illatæ juſtæ ſunt, à lege præſcriptæ, & gravitati delicti proportionatæ. Et quamvis liceat reo fugere, ſi poſsit, ex jure naturali ſibi hoc concedente; non tamen poteſt ſe defendere contra miniſtros, illos vulnerando: ſed ad ſummum poterit eos armis terrere, vt ſibi fuga concedatur. Ratio huius eſt: quia ab eis injuriam non accepit: & non licèt injuriam facere ei, qui injuriam non infert. Palaus, Soto, & Salas *locis cicat.* Rectè autem aſſerit Tapia *ſupr.num.* 8. peccare mortaliter eccleſiaſticos qui vi, aut armis eripiunt reos de manibus miniſtrorum juſtitiæ, ne ſuſpendantur, aut jugulentur: quia vi impediunt miniſtros ab executione juſtitiæ, ad quam ipſi habent jus, & reſpublica per eos.

In

Pœnas, quas poteſt reus exequi, tenetur ſolvere poſt Iudicis ſententiam.

70 In pœnis autem, quas poteſt reus in ſeipſum exequi, tenetur eas ſubire poſt ſententiam vltimam, & diffinitivam Iudicis, à qua nequeat appellare, vel quam infirmare nullo remedio juris poſsit; & ſic tenetur exequi pœnam exilij, triremis (quamvis aliqui velint, poſſe ab ea pœna, quia graviſsima eſt, aufugere: & idem dicunt de carcere perpetuo, qui morti æquiparatur) ſolutionis, fodendi metalla, cedendi officio, & beneficio: quia talis pœna, & quantum ad ſubſtantiam, & modum juſta eſt, & alias vix exequi poteſt, niſi ab ipſo reo executioni mandetur voluntariè, & directè ad tales pœnas cooperando, & eas in ſeipſum exercendo. D. Thom. 2.2. *q.* 62. *art.* 3. Bañ. *ibi*, *concl.* 7. Tapia *ſupr. n.* 5. Palaus *n.* 4. Bonac. *n.* 33. Martin. *concl.* 1. Granad. *n.* 21. & 25. Suar. *n.* 5. Covar. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *n.* 10. ¶ Sed notandum eſt, non teneri reum ad ſolvendas pecunias, niſi petantur à parte, nec ad exilium exequendum, niſi præcipiatur, vt exeat, & ſimiliter in alijs pœnis, vt communiter ſententia profertur, niſi in ea exprimatur, quod ſtatim abſque alio executioni mandentur, Martin. Bañ. Covar. & patet ex praxi, fundata in eo quod executio eſt actio propria Iudicis, vel miniſtrorum eius. Maximè ſi pœna nimis acerba ſit, vt confiſcatio omnium bonorum, quia tunc vltra ſententiam requiritur præceptum Iudicis, & miniſtrorum executio. Granad. 2.2. Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 22. *n.* 8.

Reus negãs in judicio veritatẽ, non tenetur ſolvere pœnas legis.

71 Inquires ſecundò, an reus negans in judicio veritatem, teneatur ſolvere pœnam contra eum in lege latam: vt ſi eſſet de ſolvenda pecunia, & applicanda fiſco, vel pauperibus, aut parti, an teneatur eam ſolvere ante ſententiam in caſu dicto? ¶ Reſpondetur, per ſe non teneri: quia non tenetur ex officio fateri veritatem, ſed ex ſola juſtitia legali, quæ reſpicit legem, & Legislatorem, non ex commutativa juſtitia: ergo licet peccet contra illam, non tamen contra iſtam, ex qua ſolum poteſt obligatio oriri ad reſtitutionem. Ita Tapia *ſupr. art.* 16. *n.* 1. Navar *in ſum. cap.* 18. *n.* 48. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 11. Vazq. *diſp.* 175. *cap.* 2. *n.* 13. Bañ. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *dub.* 2. *concl.* 6. Per accidens autem poteſt ad aliquam reſtitutionem obligari, ſi ſcilicèt ex ſua negatione damnum alteri inferat: quia habet jus, ne lædatur in judicio à reo; vt ſi ex tali negatione alteri infamia adveniret, vel ipſi Iudici: ſi neget mutuum, vel pignus, vel depoſitum, vel ſponſalia, quæ tenebatur adimplere; tunc peccat contra juſtitiam commutativam, qua tenetur jus alterius ad prædicta bona illæſum ſervare, quibus alter ob impiam negationem privatur. Unde non ex vi legis pœnalis adſtringitur, ſed ex alio capite: ſicut ſi iniquè fugiat è carcere ante ſententiam, quamvis teneatur ad damna inde ſecuta cuſtodibus, aut miniſtris, non tenetur ad pœnam latam à lege, quia ad hanc ſolùm adſtringitur poſtquam eſt per ſententiam Iudicis condemnatus.

§. IV.

De obligatione Iudicis ad applicandas pœnas in lege taxatas.

Iudex tenetur pœnas legis applicare.

72 CUm non liceat Iudici de legibus judicare, ſed ſecundùm ipſas, vt inquit D. Auguſt. relatus in cap. *In iſtis*, *diſtinct.* 4. hinc eſt, quod tenetur Iudex pœnas à lege præſcriptas reo applicare, & peccabit juxta gravitatem materiæ, ſi pœnam latam, vel ferendam in lege taxatam, non exequatur: quia officium Iudicis non eſt ferre, aut mutare leges, ſed eas executioni mandare: ergo delinquit contra legem eas prætermittendo, graviter, vel leviter, juxta gravitatem materiæ, ſive per exceſſum, ſi vltra pœnam taxatam in lege maiorem applicaverit, ſive per defectum, pœnam aſsignatam in lege prætermittendo. Ita Div. Thom. 2.2. *q.* 66. *art.* 5. & 67. *art.* 4. Soto *lib.* 3. *q.* 4. *art.* 5. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 14. *concl.* 1. Tapia *lib.* 4. *q.* 10. *art.* 12. *n.* 2. Undè ſi maiori pœna reum afficiat ac illa, quæ eſt in lege ferendæ, vel latæ ſententiæ, tenetur ad reſtitutionem exceſſus illi faciendam: quia reus ſolùm debet pœnam in lege poſitam à Iudice applicandam; ſed qui ab alio exigit pluſquam debet, peccat, & ad reſtitutionem exceſſus tenetur: ergo, &c.

Prima limitatio doctrinæ præcedẽtis.

73 Sed dicta *præced. num.* duplici limitatione ſunt intelligenda. Prima, quod ſi Iudex fuerit Princeps ſupremus, qui legem condidit, & eam abrogare poteſt, vel in ea diſpenſare, non peccabit mortaliter, ſi pœnas legis prætermittat: quia in ipſius eſt volũtate aliquem a lege eximere, nec tenetur illam obſervare quantum ad vim coactivam, ſed ad ſummum quantum ad decentiam, & congruitatem, ſeu quoad vim directivam; niſi fortè, ex eius omiſſione in applicandis pœnis, ſubditi audaciores fiant in committendis criminibus, & furta, homicidia, aliave delicta ob eius omiſsionem in republica acreſcant; non verò ſi bis, aut tertiò hoc faciat. Si tamen abſque cauſa reum à pœna in lege taxata liberet, peccabit venialiter, quia ſine cauſa ſubditum excipit ab obligatione legis. Cæterùm illæ cauſæ quæ in Iudice inferiori locum non habent, in ſuperiori ſufficiunt, vt benignitatis, & liberalitatis oſtenſio, interceſsio alicuius magnatis, gratificatio obſequiorum delinquentis, & eius progenitorum. Suar. *lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 9. Salas *diſp.* 15. *ſect.* 8. *n.* 109. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 5. *n.* 1.

Alia limitatio præcedẽtis doctrinæ

74 Secunda limitatio eſt circa id, quod diximus, quod tenetur Iudex reſtituere exceſſum, ſi maiorem ac eſt in lege taxatam, pœnam applicaverit: quod eſt intelligendum, niſi delictum cum extraordinarijs circumſtantijs committatur, quæ illud gravius, & atrocius efficiant: quia tunc Iudicis eſt pœnam augere, & vltra taxatam maiorem, & arbitrariam applicare; ſic enim reipublicæ expedit, cuius bono incumbere tenetur, ſic etiam jura ipſi concedunt: *leg. Quid ergo, de his, qui notantur infamia*, *leg.* 18. *tit.* 31. *p.* 7. & ibi Gregor. Lop. Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 9. Sanch. *tom.* 2. *conſil. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 21. *n.* 7. Suar. Salas, Tapia, Martin. Palaus *loc. citat.*

Peccat Iudex minuẽdo pœnã legis ſine cauſa.

75 Peccat ſimiliter Iudex juxta gravitatem materiæ, ſi pœnam in lege poſitam minuat: eo quod præbet occaſionem ad frequentiam delictorum: & quia eſt contra juſtitiam legalem, & punitivam, quod delicta non ſint ſufficienter punita: & quia Iudex leges juſtas tenetur obſervare: quia, cum leges pœnales non obligent immediatè delinquentem, nec mediatè, niſi ſuppoſita ſententia Iudicis, ſi tandem non obligarent pœnas in lege taxatas per ſententiam applicare, nullus his legibus obligatus manebit. Poterit tamen, tàm ſuperior, quàm inferior Iudex, pœnas legis mitiuere ex juſta cauſa, quantum par fuerit, & ipſa cauſa permiſerit, arbitrio prudentum, vt de ſuperiore docet D. Thom. 2.2. *q.* 67. *art.* 4. & de omnibus Soto *lib.* 3. *q.* 4. *art.* 5. Tapia *lib.* 4. *q.* 10. *art.* 12. *n.* 5. Martin. *ſupra*, *concluſ.*

concluſ.6. Suar.*lib.*5. *cap.*11. *n.*7. Covar. *lib.* 2.*variar.cap.*4.*n.* 8. Et eſt diſcrimen inter ſupremum Iudicem, & inferiorem, quod ille poteſt authoritate propria pœnam remittere, ſicut poteſt legem abrogare, vel in ea diſpenſare: & ſic minori cauſa indiget ad hoc efficiendum, vt diximus *n.* 73. At inferior ſolùm poteſt pœnam legis minuere ex interpretativa voluntate ſuperioris, vel ex benigna epiKeia: vnde maiori indiget cauſa. Sufficiens autem erit, vel lapſus longi temporis à crimine commiſſo,*leg.Si diutino*, *ff.de pœnis*, indeliberatio actus, vel ſi quis provocatus, aut ſubita ira correptus illud efficiat, *leg.Abſentem*, *ff eod. tit.* ætatis infirmitas in ſenibus, & pueris, *leg.Auxilium*, *ff.de minor.* ſimiliter paupertas ſufficiens eſt cauſa minuendi leges pecuniarias, *leg.Illicitas*, *ff.de offic.Præſidis.* Iudicibus autem eccleſiaſticis ampliorem licentiam concedit jus canonicum pœnas remittendi; maximè ſi procedant ex officio, & non ad petitionem partis, *cap. Vt commiſſi, de hæretic.in 6.cap.At ſi Clerici,de judicijs.* In dubio autem omnes tenentur benigniorem partem amplecti. Vnde nec debent judices ita rigidi, & legis obſervatores exiſtere, vt locus pietati, & benignitati non detur; nec ita remiſsi, vt leges contemnantur, & crimina paſsim multiplicentur.

Non tenetur Iudex ad reſtitutionẽ, etiamſi pœnam legis non applicet.

76 Sed nunc inquires primò, an ſi Iudex abſque cauſa pœnam legis latæ, vel ferendæ ſententiæ remittat, teneatur reſtituere illam? ¶ Reſpondetur, quod ſi pœna pecuniaria fuerit applicanda fiſco, vel parti, aut pauperibus, tenetur illam reſtituere in tali caſu, ſecundum aliquorum ſententiam. Ita Tap. *lib.* 4.*q.*10.*art.*14. qui idem aſſerit de alijs miniſtris juſtitiæ, vt Procuratore Fiſcali, cuſtodibus agrorum, aut ſimilibus, qui tenentur ex officio denuntiare delicta, vt puniantur, ſi negligant deferre crimina ad judicium: ſecus autem dicendum aſſerit in alijs pœnis merè punitivis, & perſonalibus. Sed in omnibus meliùs negat Greg. Martin. *ſuprà* teneri: quia ante ſententiam Iudicis nullus ad talia bona jus acquirit: ergo non violat Iudex alicuius juſtitiam commutativam tales pœnas remittendo, vel omittendo, ſed ſolùm legalem, aut punitivam: ergo ad reſtitutionem non tenetur.

Non poteſt Iudex ſemel latam ſententiã reformare.

77 Inquires ſecundò, an Iudex poſt pronuntiatam ſententiam poſsit reformare pœnam, quam juſtè intulit, juxta legem præſcribentem ipſam, vel ipſo facto, vel ferendam, aut etiam arbitrariam? ¶ Reſpondetur negativè; niſi detur juſta cauſa ex dictis: quia iam functus eſt officio ſuo, pronuntiata, & promulgata ſententia diffinitiva, vnde tale negotium reſpectu illius Iudicis tranſijt iam in rem judicatam, ac proinde ipſe ad illã redire non poteſt. Caſtro *lib.*2.*de legat.pœn.cap.*12.*cõcl.*3. Tap.*lib.*4.*q.*10.*art.*5 *n.* 1. Excipe tamen crimen hæreſis, ob quod lata eſt pœna à Iudice per ſententiã: quam quidem poteſt remittere ipſe Iudex, vel mutare, ex cap. *Vt commiſſi, de hæretic. in 6.* forſitan vt facilius illius criminis reus benignitate reſipiſcat, & convertatur ad fidem. Imò non poteſt Iudex inferior declarare ſuam ſententiam, ſi dubium ſuboriatur circa illam (loquendo de interpretatione judiciaria, & authoritativa: nam ſi de interpretatione doctrinali loquamur, optimè poteſt Iudex, ſicut quilibet alius Doctor, declarare ſententiam declaratione juris conſonam, vt poſſint doctrinaliter declarare ipſas leges) propter eandem rationem: quia nimirùm iam eſt finitum judicium, ipſeque iam functus eſt officio ſuo, nec habet vltra authoritatem aliquam circa illud negotium. At Iudices ſupremi, vel qui habent poteſtatem condendi legem, vel illi, à quibus non datur appellatio, vt ſunt Regij Conſiliarij ſupremi Senatus, poterunt ſuam ſententiam interpretare, aut declarare, etiam authoritativè: quia, cùm non detur ab eis appellatio, non eſt alius, qui dubium ſententiæ authoritativè ſolvat. Silveſt. *verb.Iudex* 2.*q.*8. Tap. *art.* 5.*num.*7.

PUNCTUM IV.

De obligatione legis fundatæ in præſumptione.

Leges, quæ fundãtur in præſumptione falſa, nõ obligant.

78 EA, quæ hoc puncto dicemus de obligatione legis in præſumptione fundatæ, etiam intelligenda ſunt de ſententijs, & præceptis particularibus, quia eadem eſt ratio pro omnibus. Dicimus ergo generaliter, quòd leges, quæ in præſumptione fundantur, non obligant (præciſo ſcandalo) in conſcientia (quidquid ſit de foro exteriori) quando præſumptio fallit, ſeu quando deeſt veritas præſumptioni. Probatur concluſio: nam vel illud, quod præcipit lex, eſt illicitum, & contra jus divinum, licitum tamen, & bonum præſumitur à jure; vel licitum eſt: ſi primum dicas, planum eſt non obligare legem. Vnum exemplum ſufficiat pro mille. Præcipit Iudex per ſententiam; vt non dimittas vxorem, ſed cum illa cohabites, & debitum reddas: quia ſecundum allegata, & probata, tuum matrimonium judicat validum: ſcis autem certò impedimentum ſubeſſe dirimens, quod propalare, aut probare non potes: non teneris, imò non potes, cum illa cohabitare, debitumque reddere: quia illa ſententia nititur præſumptioni falſæ, cui cùm deficiat veritas, illicitus jure naturæ redditur actus conjugalis, & ſic illi reſiſtere teneris, & nullo modo ſententiæ obtemperare. Vel id quod præcipit lex, tametſi falſæ innixa præſumptioni, eſt licitum; tunc autem te non obligari ad illam, probatur: quia lex non intendit obligare, quando fallit præſumptio, eo quòd ſecundum rectam rationem veritas debet præſumptioni falſæ præponi, *cap.Veritatem,diſt.*8. & ideò in his legibus admittitur in foro externo probatio contra præſumptionem; & non admitteretur, niſi veritas eſſet præſumptioni præferenda. Quare lex ſub ea tacita conditione cenſetur lata: *Si ita eſt ſi ut à Legislatore præſumitur, ſeu ſi non conſtet de veritate contraria præſumptioni.* Ita tenent Arauj. 1.2.*q.* 97. *diſp.*7. *ſect.*3. *diff.*2.*n.*26. Monteſ.*diſp.*23.*q.*5.*n.*85. Sot. *de juſt.lib.*1. *q.*6.*art.*4. Greg. Mart.*q.* 96. *art.* 4. *dub.*5. Tap.*lib.*4.*q.*13.*art.*2. Baſil. Pont. *de matrim. lib.*5. *cap.* 5.*n.*6. Bonac.*diſp.*2.*q.*1.*punct.*7.*§.*3.*n.*2. &.6: Suar.*lib.*3.*cap.* 23. & *lib.* 5. *cap.* 24. Pal. *tr.*3. *diſp.*1.*punct.* 14. *n.*12. Sal. *diſp.* 16.*ſect.* 7. *n.* 14. Gordon. *lib.*2. *q.* 9. *cap.*9. *n.* 35. Dian. 1.*p. tr.*10. *reſol.* 27.

Explicatur concluſio diverſis exemplis.

79 Exemplis id manifeſtum fiet. Nam in cap.*Veniens* 1.*cap. His*, *qui fidem*, *de ſponſalibus*, præcepit eccleſia ante Tridentinum (per quod matrimonia clandeſtina annullantur) vt ſi aliquis cognoſceret carnaliter mulierem, cum qua contraxerat ſponſalia, per talem copulam ſponſalia tranſirent in matrimonium de præſenti: quia præſumit eccleſia ſponſum non animo fornicario, ſed maritali ad ſponſam accedere; ſi tamen verè non accederet hoc animo, poſſet validè cum alia con-

contrahere, &, ſi contraxiſſet, non teneretur ad primam redire. Item præcepit Iudex, vt ſolvas pecunias ei, qui per falſos teſtes probavit in judicio, te illi tales pecunias debere: poteris non ſolvere, &, ſi coactus ſolvas, vti compenſatione ſecreta; ſi certò ſcis, te illi tales pecunias non debere, quia Iudicis ſententia nititur falſæ præſumptioni debiti. Idem de legibus concedentibus præſcriptionem eis, qui non probantur mala fide poſsidere, quia præſumunt bonam fidem, & legitimum titulum poſſeſsionis: quod ſi talis titulus deficeret poſſeſſori, non poſſet favore harum legum tuta conſcientia talia bona retinere. Item hæres, qui accepit hæreditatem minoris quantitatis, ac debita teſtatoris abſque inventario, non tenetur ad illa, quæ ſuprà hæreditatem ſunt, tametſi leges ad omnia teneri jubeant: quia nituntur falſæ præſumptioni, quòd ipſe plura bona occultavit. Similitèr Conſtitutio Clem. VIII. *de largitione munerum*, quia eſt de præſumpta cauſa ambitionis, non adſtringit eos, qui non cauſa ambitionis munera largiuntur. Denique decretum Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* præcipiens, quod, tranſacto quinquennio profeſsionis, Religioſus reclamare intendens de nullitate profeſsionis non audiatur in judicio, eo quod præſumitur profeſsio ratificata, etiamſi antea fuiſſet nulla: ſi reipſa non ſit facta ratificatio præſumpta, ad talem legem non tenetur. Tapia *lib.* 4. *q.* 13. *art.* 3. *n.* 2. Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 37. Dian. 1. *part. tract.* 10. *reſol.* 27. Rodrig. *in quæſt. Reg. q.* 54. *art* 4.

Duplex contra concluſionem difficilis objectio.

80 Sed adverſus dicta aliquæ ſe offerunt objectiones. Prima, quia Tridentinum irritans matrimonium clandeſtinum nititur præſumptioni de fallacijs in talibus matrimonijs occurrentibus; & tamen nemo dixit valere matrimonium clandeſtinum, vbi reipſa nulla intervenit fallacia, aut aliud ex damnis præſumptis ab ipſo. Similitèr idem Concilium irritat profeſsionem factam ante decimum ſextum annum expletum; & matrimonium in viris antedecimumquartum annum contractum, & in fœminis ante duodecimum, quia præſumitur non adeſſe ſufficientem deliberationem, & cognitionem, ac prudentiam ad illos actus ante præfatam ætatem; & tamen in omnium ſententia eſſent nulli, etiamſi talis præſumptio falleret in aliquo caſu particulari. ¶ Secunda, quia teſtamenta (& idem dicimus de alijs contractibus) annullantur, ſi fiant abſque ſolemnitate ſubſtantiali in jure præſcripta, præſumente plures fraudes adeſſe, quando abſque tali ſolemnitate fiunt: & nihilominùs, licèt fraus ceſſaret in aliquo caſu, teſtamentum non ſubſiſteret: & ſic non poſſet hæres, aut legatarius adire hæreditatem, vel legatum in conſcientia, etiamſi certò ſciret, nullam ſubeſſe fraudem, & illam eſſe mentem teſtatoris, vt tenent Palaus *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 14. *n.* 13. Arauj. *q.* 97. *diſp.* 3. *ſect.* 3. *diffic.* 2. *n.* 29. Vazq. 1. 2. *diſp.* 163. *cap.* 3. Anton. Gom. *in* 3. *leg. Tauri*, *n.* 23.

Duplex alia objectio proponitur.

81 Tertia, quia bulla Sixti V. contra judiciarios edita, qua prohibetur judicare de futuris contingentibus, fortuitiſque caſibus, & de nativitate hominum, &c. fundatur in præſumptione, quod tales judiciarij habent pactum occultum cum dæmone: & tamen ex vi talis conſtitutionis, etiam præciſo ſcandalo, illicita ſunt talia judicia, & tenentur, qui ſciunt, illa facientes denuntiare, etiam ſecluſo omni pacto dæmonum: vt docet Sanch. *lib.* 2. *ſum. cap.* 38. *n.* 34. Dian. 1. *p. tr.* 10. *reſ.* 27. Sal. 1. 2. *q.* 9. *art.* 5. *tract.* 5. *diſp.* 2. *ſect.* 3. *n.* 36. ¶ Denique Pius IV. per ſuam conſtitutionem contra ſolicitantes Confeſſarios editam, quam confirmavit Greg. XV. præcepit ſub gravibus pœnis mulieribus ſolicitatis in confeſsione à ſuis Confeſſarijs, vt eos coram tribunali Inquiſitionis denuntient: quæ quidem lex fundatur in præſumptione, quod non rectè ſentiunt de fide, qui ſacramentis eccleſiæ abutuntur; & ob id ad tribunal Inquiſitionis fidei pertinet cognoſcere de tali crimine: & ſic dixit Gregor. XV. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica rectè ſentiunt, &c.* & nihilominùs, licet fœmina certò ſciret Confeſſarium de fide non eſſe ſuſpectum, ſed ſolùm ex paſsione procedere, teneretur ad denuntiationem; aliàs inutilis, & penè inanis eſſet tam gravis conſtitutio: cùm ex hac parte facillimo negotio poſſent omnes à denuntiatione excuſari, vt rectè aſſerit Dian. cum alijs à ſe citatis, 1. *p. tract.* 4. *reſol.* 10.

Duplex ſpecies præſumptionis declaratur.

82 Sed pro ſolutione harum difficultatum notandum eſt ex D. Thom. 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. *ad* 3. præſumptionem, ſeu ſuſpicionem (quod idem eſt) eſſe in duplici differentia; aliam præſupoſitionis, aliam diffinitionis. Præſumptio præſumptionis illa dicitur, quæ præſupponit detrimentum, ſeu damnum, aut periculum, ac ſi vera eſſent; & hoc præſuppoſito, procedit ad præcavendum illud, ſtatuendo leges, quibus tale periculum evitetur: & ideò ab alijs dicitur *præſumptio periculi*, ab alijs *præſumptio juris*. Quæ quidem non præſumit fraudem, vel damnum in omnibus, & ſingulis caſibus adeſſe, ſed regulariter, & in plurimum, & ideò non proprie præſumptio dicitur, quia non fundatur in aliquibus indicijs, nec tantùm probabile judicium ſupponit, ſed certum, & infallibile, ſaltem moraliter, & practicè loquendo; cui, vt ſic, non poteſt ſubeſſe falſum, licèt ſpeculativè loquendo, & materialiter oppoſitum per accidens contingat aliquando: ſicut in hac propoſitione philoſophica, *in vere ſunt tonitrua*, datur veritas infallibilis practicè, & moraliter, licèt in aliquo verè ſingulari non dentur tonitrua, quia tale judicium, prout procedit à lumine philoſophico, non dictat in omni vere eſſe futura; ſed id evenire regulariter, & vt in plurimum: quæ veritas infallibilis eſt, non obſtante exceptione, & defectu alicuius ſingularis. Similitèr in veritate huius judicij prudentialis: *Omnis hoſtia, quæ oſtenditur à Sacerdote ſacrum faciente populo adoranda, eſt ritè conſecrata, & in ea eſt Corpus ſanctiſsimum Chriſti*, non impingetur, ex eo quod aliqua hoſtia in particulari ex prava intentione miniſtri non fuerit conſecrata; quia veritas talis judicij eſt tantum infallibilis practicè, eo quod dictat id eſſe rectæ rationi, & prudentiæ conſonum, contra quod non eſt quod ſit falſum ſpeculativè, cùm oppoſitum per accidens contra rectam rationem contingit. Ita præſumptiones, de quibus loquimur, ſunt quædam judicia infallibilia, & certa moraliter, dictantia damnum, aut fallaciam, quæ præſumitur contingere regulariter, eſſeque proindè timendum eventuram prudenter.

Quid ſit præſumptio diffinitionis.

83 Præſumptio diffinitionis illa eſt, quæ judicat, diffinit, & determinat ita rem accidere in hoc ſingulari caſu, vel in omnibus in ſingulari, vnde ab alijs *præſumptio facti* dicitur, & ex hac ſuppoſitione procedit ad aliquid decernendum ſub hac tacita conditione, *ſi ita factum contingat*; ita vt ſi in foro exteriori probaretur falſitas præſumptio-

tionis , absolveretur subditus ab obligatione legis , aut præcepti. Et hæc est rigorosa præsumptio , de qua loquimur , quæ procedit ex levi judicio , & incerto facti , amplectiturque omnes casus in singulari , vt de facto contingunt , in quibus multoties falsum invenitur ; & sic solum sub illa conditione ad omnes extenditur , *si ita fuerit sicut per Legislatorem judicatur* ; vt in omnibus casibus , quos *num. 79.* adduximus , cernitur. Concluſio ergo nostra procedit de hac secunda præsumptione, non de prima : quia in ista non deficit veritas præsumptionis, ac proinde causa motiva legis , etiamsi in isto , vel illo casu particulari per accidens deficiat : quia semper est verum subesse illud periculum , & prudenter timendum esse tale damnum , quod vt evitetur , absolutè prohibet , aut præcipit lex aliquid , etiamsi prævideat aliquando per accidens posse esse falsum, quod præsumitur : quia minus est inconveniens maximè in rebus pernicioſioribus , & ex natura rei valde periculosis , quod aliquis subdatur legi, etiam non existente tali damno , quàm quod lex non feratur pro omnibus , quibus tale damnum , aut periculum eius ex natura talis actus imminet. At in secunda præsumptione,cum lex supponat semper adesse id,quod præsumit deficit adæquatum motivũ eius , ac proinde ipsa lex, hoc ipso quod in casu particulari veritas præsumpta deficiat.

Prima , & secunda objectio ex dictis solvitur

84 Quibus suppositis, constat ad primam , & secundam objectionem : nam in illis casibus lex non fundatur in præsumptione strictè dicta , sed in vero , prudenti , & infallibili judicio de eo , quod frequenter accidit : quod semper verificatur, etiamsi in particulari damnum , aut fraus , quæ timetur, minimè reperiatur. Nam quia Legislator jucat prudenter semper subesse tale periculum , pro omnibus casibus talem legem statuit , etiamsi sciat, aliquando per accidens posse sine tali damno actus exerceri : quia , licèt non detur , non infringitur veritas præsumptionis , quæ non est de facto, sed de periculo. Quamvis non desinat hic adnotare , plures Doctores satis probabiliter tenere , testamenta , & cæteros contractus (dempto matrimonio , aut illis , de quibus fit mentio in prima objectione) validos esse , etiamsi fiant absque solemnitate in lege præscripta : quia judicant præsumptionem illius legis esse secundæ classis , à nobis propositæ , non primæ : & sic esse probabile, posse hæredem , aut legatarium adire hæreditatem , aut legatum in testamento absque debita solemnitate relictum , si ipsi constet , nullam subesse fraudem circa intentionem testatoris. Ita Sylvester *verb. Hæreditas* 3. Medina Complutens. *Codic. de restitut. quæst.* 23. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 13. *articul.* 3. *num.* 7. Sayr. *tom.* 1. *thesaur. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 9. Adrianus *quodlib.* 6. *articul.* 1. *concl.* 2. *colum.* 2. Panormitanus in cap. *Quia plerique* , *num.* 43. & probabilem dicit Araujo *quæst.* 97. *disput.* 3. *sect.* 3. *diffic.* 2. *num.* 29. & hanc opinionem refert , & non contradicit Dian. 1. *p. tract.* 10. *resolut.* 27.

Solvitur tertia objectio.

85 Ad tertiam objectionem respondetur, probabile esse , illam constitutionem Sixti V. non obligare judiciarios , qui absque pacto explicito, vel implicito dœmonis illos actus efficiunt, eo quod fundatur in præsumptione talis pacti;& sic,deficiente veritate illius,deficit obligatio legis.Et ita tenent Tapia *supr. art.* 3. *n.* 4. Dian. sibi contrarius 2. *part. tract.* 15. *resol.* 58. Caietan. 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. *fin.* Riccius *resol.* 278. *n.* 8. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 4. Suar. *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 30. Torres 2. 2. *q.* 95. *articul.* 5. *disput.* 2. *fol. mihi* 271. Valent. 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 12. *punct.* 3. *column.* 3. Sed oppositum probabilius judicamus : quia huiusmodi divinatio circa casus fortuitos , & circa pendentis à libero arbitrio , est valdè pernicioſa reipublicæ , expositaque multis superstitionum periculis , & calumnijs divinatorum ex cerebro plura fingentium ; & ob id prohibita fuit à Sixto V. vt rectè asserunt Sanch.& Salas *loc. cit.*

Quartæ objectioni fit satis.

86 Ad vltimam objectionem, quamvis Thom. Hurtad. *de Sacerdotibus solicitantibus* , *tract.* 4. *cap.* 8. *resolut.* 57. *§.* 2. *n.* 722. citans Riccium,& Valerum, sentiat , non teneri fœminam solicitatam denuntiare Confessarium , si moraliter certò sciat ipsum potius ex libidine , quàm ex pravo judicio contra fidem , aut suspicione procedere , quod colligere potest , si non multum frequenter , sed bis, aut tertiò solicitetur , nec sit diffamatus Confessarius de tali crimine , ob rationem in objectione tactam , & alias ab ipso Hurtado expensas; nos tamen cum Dian. 1. *part. tract.* 4. *resolut.* 10. oppositum sentimus (favente quodam Alexandr. VII. decreto,die 8.Iulij anno 1660. expedito,generaliter omnem excusationem ad denuntiandum abijciente) vtpotè de re adeò pernitiosa,quia illa lex,non fundatur in præsumptione facti, sed periculi; & inde conijci potest,quod si Confessor delatus esset,etiamsi probaret se non ex malo sensu contra fidem , sed ex alia ratione solicitasse, nihilominùs in foro exteriori, tanquam reus solicitationis, per dictas constitutiones prohibitæ condemnaretur.

PUNCTUM V.

De obligatione legis irritantis.

Potest Legislator humanus leges irritantes statuere.

87 POsse Legislatorem humanum , seu ecclesiasticum , seu civilem, ita prohibere aliquos actus , vel præscribere formam , aut solemnitatem pro illis , vt aliter facti sint omninò nulli , non solùm in foro exteriori , sed etiam in conscientia , ita vt nullam ingerant obligationem ad standum illis , adeò indubitatum est apud Doctores , vt supervacaneum sit aliquos recensere: nam ad Principem,seu Moderatorem reipublicæ spectat ad bonum commune respicere; sed multoties expedit bono communi tales actus,non solùm prohibere,sed eos irritos reddere: ergo hoc facere potest. Maximè,quia contrahentes possunt invicem pacisci,vt contractus sic , vel sic factus subsistat , & non aliter ; & contra talem pactionem irritus est ille contractus : ergo etiam respublica poterit : quippè cui subditæ sunt civium voluntates , vt constat ex praxi. Ecclesia enim plures actus reddit inanes,non servata forma ab ipsa præscripta,exercitos; vt matrimonium sine assistẽtia Parochi,& testium, & celebratum inter consanguineos; alienationem bonorum ecclesiæ,non servata forma assignata; professionem religiosam factam ante decimumsextum annum ; & etiam jure civili,vt testamenta sine tot testium , & tabellionis præsentia, aut subcriptione facta;alienationem dotis,invita vxore,minorum contractus,& plures alios.

Lex

Lex irritans vel est ipso facto, vel ferendæ sententiæ.

88 Lex igitur actus irritans (quæ ab effectu dicitur irritativa) alia est, quæ ipso jure eos reddit inanes; vt matrimonium clandestinum, vel intra gradus prohibitos: contractus impuberum: religiosa professio ante legitimam ætatem: alienatio bonorum ecclesiæ, non servata debita solemnitate: & tunc irritatio ipso facto inducitur, quando in lege habentur verba id sufficienter denotantia, vt *aliter factus sit nullus, nullas vires habeat, sit inanis, infectus, inutilis, &c.* Alia est irritatio ferenda, vt quando dicitur: *Si hoc modo fiat, irritetur, cassetur, annulletur, rescindatur*: & tunc actus non est nullus, nisi post Iudicis sententiam illum rescindentem, & annullantem. Similiter irritatio in jure alia est explicita, vt quando dicitur: *Ipso facto sit nullus, sit irritus, sit inanis, sit nullius roboris.* Alia est implicita, vt est illa, quæ per verba æquipollentia similibus verbis datur: vt quando aliquam solemnitatem, seu conditionem assignat pro forma actus, quia hoc ipso indicat illum actum fore nullum, factum sine tali forma: cum forma det esse rei, ac proinde actus absque illa non subsistat: sicuti jure divino irritantur sacramenta, non adhibita forma, aut materia debita illorum.

Lex irritans alia est pœnalis, alia non.

89 Inter leges irritantes aliæ dantur, quæ sunt pœnales, aliæ verò, quæ sunt purè irritativæ. Tunc lex irritans est pœnalis, quando irritationem assignat in odium transgressoris; vt lex irritans matrimonium ob vxoricidium, vel ob adulterium cum promissione futuri conjugij: collationem beneficij ob simoniam commissam: quia tunc talis irritatio imponitur quasi onus, & gravamen delinquentis, vt vel sic refrænatus ab his criminibus arceatur. Alia est purè irritativa, vt est illa, quæ non in odium alicuius inducitur, sed ob bonum commune, vel privatum; & ideò ex se non supponit actum malum, sed, præcisa illa lege, posset esse bonus, aut indifferens, quia tunc non assignatur irritatio, vt pœna, & gravamen; sed potius, vt favor cedens in bonum commune, vel privatum alicuius generis personarum: vt quando irritat contractus, aut testamenta, aut matrimonia, non servata forma à lege præfixa; alienationem bonorum ecclesiæ sine solemnitate assignata, Clement. 1. *de rebus ecclesiæ non alienand.* professionem ante annos sexdecim: contractus pupilli sine auctoritate tutoris. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 12. *artic.* 1. *num.* 4. Salas *disput.* 16. *sect.* 2. Palaus *tract.* 3. *disput.* 2. *punct.* 7. *num.* 4. Suarez *lib.* 5. *cap.* 19. *à num.* 4. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disput.* 4. *à num.* 9. Cæterùm, sive vno modo, sive alio lex irritativa sit, semper judicatur odiosa, & onerosa, quia onerosum est homini impediri, ne faciat, ad quod de se habebat potestatem, & libertatem. Vnde hæc lex irritans semper in benigniorem partem est interpretanda, juxta regulam generalem, quod odia sunt restringenda. Tapia *art. cit.* Suar. *n.* 1. & 2. Bonacin. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 5. *num.* 4.

§. I.

Quando lex actus irritare ipso facto judicetur?

Non hoc ipso, quod lex prohibeat, irritat actū.

50 QUamvis communis Iuristarum sententia ferat, quod, hoc ipso quod lex aliquem actum prohibeat, eo ipso illum irritum reddit; & sic non stare actum esse illegitimum, id est, contra legem, & esse validum, ob plures textus, quos pro se citant à nobis infra explicandos; vera tamen, & communis Theologorum sententia tenet, non eo ipso quod lex actus prohibeat, eos reddere nullos, & inanes: nam plures actus validè efficiuntur, etiamsi illicitè fiant contra legem eos prohibentem: & ideò, nisi lex implicitè, vel explicitè eos irritare dicat, tametsi illos prohibeat, manent in suo robore, quia aliud est prohibere, ne fiat; aliud irritare, ne validè fiat; & vnum potest ab alio separari. Vnde in cap. *Ad apostolicam, de Regularibus*, dicitur: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Ut matrimonium clandestinum ante Tridentinum erat illicitum, validum tamen: & modo matrimonium ab habente votum simplex castitatis contractum, validum est, & tamen illicitum. Vnde, quando Legislator vult actum esse nullum, quem prohibet, vltra simplicem prohibitionem, addere consuevit clausulam irritantem, vt ex jure canonico cernitur in cap. *Statutum*, §. *Insuper*, & §. *Si quid autem, de rescriptis in 6.* & ex jure civili: nam contractus ludi credita pecunia, postquàm prohibitus fuit à Carolo V. & habetur *leg.* 8. *tit.* 7. *lib.* 8. *Novæ Recop.* addit Princeps, fore nullum, si ita fiat, his verbis: *Mandamos, que ninguna persona juegue à credito, ni fiado, y por la presente damos por ningunos qualesquier escrituras, obligaciones, ò promessas, que las tales personas cerca de ello hicieren.* Ergo vltra prohibitionem actus requiritur, quod lex illum irritet, vt reddatur nullus, & innanis. Atque ita docent Sanch. *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 2. *n.* 10. Tapia *lib.* 4. *q.* 12. *art.* 3. *n.* 3. Palaus *tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 8. *num.* 2. Martin. *q.* 94. *art.* 4. *dub.* 13. Laym. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 6. Suar. *lib.* 5. *cap.* 25. *n.* 22. Granad. *contr.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *disp.* 10. *n.* 8. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 5. *n.* 8.

Textus difficiles proponuntur.

91 Sed objicies celebrem textum *in leg. Non dubium, C. de legib. & constitutionib. Principum*, ibi: *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur*; licèt Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est. Eadem ferè habentur verba, *leg. Iubemus* 2. *C. de sacrosanctis ecclesijs, & leg.* 6. *C. de pactis*, ibi: *Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est.* ¶ Nec valet cum aliquibus dicere, quod hi textus solum habent vim in regnis Imperatori subjectis, non in Hispania, Gallia, Italia, & alijs regnis, quæ ab illius sunt exempta jurisdictione, & sic non teneantur leges communes cæsareas observare, juxta dicta *cap.* 1. *n.* 46. ¶ Nam contra est, quia hæc lex videtur confirmata jure canonico, *regul.* 64. *de regul. jur. in* 6. ibi: *Quæ contra jus fiunt: debent vtique pro infectis haberi.* Et Greg. I. *lib.* 7. *regist.*, *in epist.* 7. & refertur *cauſ.* 13. *q.* 2. *cap.* 13. inquit: *Imperiali constitutione sancitum est, vt quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* Et jure regni *leg.* 28. *tit.* 11. *partit.* 15. ibi: *Otrosi, decimos, que todo pleyto, que es fecho contra nuestra ley, ò contra las buenas costumbres, que no debe ser guardado, maguer pena, ò juramento fuesse puesto en èl.*

Adhuc leges cæsareæ non, eo ipso quod prohibeāt, actū irritant.

92 Respondetur, adhuc in regnis Imperatori subjectis, actus non esse ipso facto nullos, tametsi fiant contra legem prohibentem eos, si non sunt contra legem eos irritantem; sed annullandi, & irritandi sunt per Iudicis sententiam, juxta cap. *Vides, dist.* 10. ibi: *Quidquid contra legem accipitur,*

tur, per legem diſſolvi meretur. Nec eſt acceptata prædicta lex communis, ſi ampliùs intendit; quia eſt manifeſtè contra jus canonicum, cap. *Ad Apoſtolicam, de regularibus*, iam citato, & contra praxim eccleſiæ, quæ plura prohibet; & tamen facta, vt valida tenenda iubet, vt conſtat exemplis in noſtra concluſione adductis. Præterquam, quod illa, quantum ad irritationem, pœnalis eſt: nam in pœnam tranſgreſsionis tales contractus annullat: lex autem pœnalis (vt diximus *à num.* 59.) non habet effectum ante Iudicis ſententiam. Sed in tantùm dicitur in tali lege actus infectos eſſe, & nullos, in quantum poſt ſententiam declaratoriam Iudicis habendi ſunt vt nulli, non ſolùm à tempore, quo ſententia prolata eſt; ſed à tempore, quo crimen commiſſum eſt: & ſic quaſi retrotrahitur ſententia ad tempus tranſgreſsionis legis. Ita Molin. *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 88. *ad confirmat. primi argum.* Salas *diſp.* 16. *ſect.* 8. *num.* 23. Suar. *lib.* 5. *cap.* 28. *à num.* 7. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 8. *n.* 2. & 4. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *diſp.* 10. *n.* 2. Tapia *lib.* 4. *q.* 12. *art.* 4. *n.* 1.

Leges canonicæ, aut hiſpaniç, nõ eo ipſo quod prohibent, irritant.

93 Sed in regnis non ſubiectis Imperio, nec quoad dicta habet prædicta lex vim. Vnde ad regulam juris reſpondetur, in ea ſolùm haberi actus contra legem factos infectos eſſe, ſecundùm modum, & conditionem legis, contra quam fiunt: ita vt ſi fuerint contra legem irritantem, erunt ita infecti, vt ſint nulli: ſi contra duntaxat prohibentem, erunt infecti malitia, id eſt, illiciti, ac reprobati. Et Greg. I. ſolùm teſtificavit de eo, quod jure communi habebatur; non tamen illam legem canonicam fecit, aut confirmavit. Ad textum autem noſtri regni optimè reſpondet Granad. *n.* 15. mentem illius legis eſſe, non debere ſervari, quod eſt contra legem, & bonos mores objectivè, id eſt, quod, ſi fiat, malum eſt, & non debet fieri; & ſi continuatio illius actus mala ſit, non debet permanere, aut durare, etiamſi juramento firmetur; quod quidem eſt certiſsimum, quia nunquam licèt male agere. Id autem non eſt contra nos: quia multa ſunt, quæ licèt prohibeantur fieri, & quando fiunt contra prohibitionem, mala ſunt; poſteà verò, ſi continuentur, nec ſunt mala, nec contra prohibitionem aliquam: vt matrimonium contractum tempore non debito, vel ab habente cum alio ſponſalia, malum eſt, quando fit: poſteà verò malum non eſt, quando continuatur, nec vſus illius.

Quando lex irritare cenſeatur?

94 Quando autem lex aliquam formam pro actu aſsignat, ſi præter ipſam fiat, nullus eſt, quia res abſque ſua forma ſubſiſtere non poteſt: vt accidit in ſacramentis, in quibus, ſi debita forma non apponatur, nullum ſacramentum conficitur. Cæterùm ſicut in ſacramentis plura aſsignantur, vt accidentalia; alia, vt formæ ſubſtantiales, & ſine illis ſubſiſtunt, non abſque iſtis: ita in contractibus à lege prohibitis alia eſt forma ſubſtantialis, ſine qua irriti redduntur; alia ſolemnitas, & forma accidentalis, qua etiam deficiente, in ſuo robore actus perſeverat: vt matrimonium initum abſque proclamationibus, cenſura lata abſque ſolemnitate, in cap. *Medicinalis, de ſententia excommunicationis in* 6. aſsignata: quia ſunt formæ accidentales, vt ſuis tractatibus diximus. Et generaliter quando lex dicit tali loco, aut tempore contractum debere fieri, aſsignatio loci, aut temporis ſe habet, vt forma accidentalis: & ideò licèt alio loco, aut tempore actus fiant, ſubſiſtere aſſerunt Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 5. *n.* 12. Palaus *tractat.* 3. *diſp.* 2. *p.* 9. *n.* 8. Suar. *lib.* 5. *c.* 25. *n.* 10. & *cap.* 28. *n.* 17. Si autem dubium ſit, an ſolemnitas aſsignata in lege ſe habeat, vt forma ſubſtantialis, vel accidentalis; judicandum eſt eſſe accidentalem; quia reſervatio eſt odioſa, & ſic ſtrictè interpretanda, vt diximus *n.* 99. Sed difficultas eſt, quomodo cognoſci poſsit ſolemnitatem aſsignatam in lege ſe habere, vt formam ſubſtantialem?

Quando ſolemnitas in lege aſsignata eſt forma ſubſtantialis?

95 In quo certum eſt, quod quando lex dicit, talem ſolemnitatem habendam eſſe pro forma, intelligitur de ſubſtantiali: quia accipitur pro famoſiori, & ſic pro illa, quæ dat eſſe rei: vel ſi dicat, *Actus aliter factos eſſe nullos*, vel *ipſo facto irritos, nullius roboris*, &c. quia cùm actus abſque forma accidentali habeat eſſe, ſentiendum eſt talem ſolemnitatem, ſine qua actus non poteſt eſſe, aſsignari vt formam ſubſtantialem; non autem ſufficit, ſi dicat: *Non poteſt hoc facere, non poteſt accipere, non poteſt contrahere*, quia hæc verba indifferentia ſunt, vt ſignificent non poſſe validè, vel non poſſe licitè: & ſic inſpicienda eſt materia, aut aliæ circunſtantiæ, vt, quando de illicita, quando de invalida loquuntur, intelligatur. Exemplum ſit in leg. 6. *tit.* 8. *lib.* 5. *novæ collect.* vbi dicitur de filijs illegitimis, *no puedan heredar*: & intelligitur communiter à Doctoribus, eſſe incapaces hæreditatis, quia ita habetur in leg. 8. *eiuſdem tituli.* At in leg. 56. *tit.* 5. *lib.* 2. *novæ collect.* dicitur de Iudicibus ſæcularibus, non poſſe recipere munera, *no puedan recibir*: & tamen eſt valdè probabile eos, licèt peccent recipiendo, non tamen teneri munera accepta reſtituere, niſi condemnentur; & reverà eſſe capaces dominij nummorum, quæ gratis donantur, non obſtante illa lege, vt docent Molin. *tom.* 1. *de iuſt. tr.* 2. *diſp.* 88. Granad. *contr.* 7. *tr.* 3. *p.* 1. *diſp.* 10. *ſine.*

Aliæ regulæ ad id cognoſcendum.

96 Similiter quando lex ei, qui aliàs non habet poteſtatem ad aliquem actum, præbet eam facultatem, vt ea vtatur ſub his conditionibus, aut ſolemnitatibus, tales ſolemnitates, vt formæ ſubſtantiales actus, ponuntur; quia poteſtas ad actum non cenſetur conceſſa, niſi ſub illa conditione (quemadmodum in delegante facultatem ad aliquid faciendum, ſi ſub aliqua forma faciendum deſignat, non aliter delegatus cenſetur facultatem habere, vt *tract. de cenſur. cap.* 2. *num.* 25. diximus) ſed ſine legitima poteſtate actus exercitus corruit, & nullam vim habet: ergo talis conditio, aut ſolemnitas ſe habet vt forma ſubſtantialis. Et idem dicimus, ſi lex dans formam actui, tollat poteſtatem aliter faciendi illum ab eo qui aliàs eam habebat; tunc etiam eſt forma ſubſtantialis propter eandem rationem, quia iam non remanet facultas legitima ad actum ſine tali forma; & actus factus à non habente facultatem, eſt nullus. Exemplum primi habemus in jure, *§.* 1. *Inſtitut.* vbi dicitur, maritum non poſſe alienare dotem, invita vxore: vbi ſolùm de conſenſu illius conceditur marito facultas ad talem alienationem: & ſic abſque illo eſt nulla. Exempla ſecundi habentur in toto titulo 6. *lib.* 1. *novæ collect.* vbi prohibetur, patrem meliorare filiuum vltra talem quantitatem, auferendo poteſtatem, quam aliàs habebat id faciendi. At verò, ſi ei, qui iam habebat poteſtatem ad actum, talis forma aſsignetur, ſub qua illum facere debeat; niſi lex expreſsè irritet actum aliter factum; etiamſi ſine tali forma fiat, ſubſiſtit, & intelligitur de forma accidentali, vt in cap. 1. *de ſententia excommunicationis in* 6. præſcribitur Prælatis forma ferendi cenſuras: & quia iam facultatem habebant ad eas ferendas, intelligitur de forma accidentali. Ita Tap. *lib.* 4. *q.* 12. *art.* 5. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 9. *n.* 2. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 5.

7. §. 5. *num.* 17. Sanch. *lib.* 5. *Decalog. punct.* 4. *num.* 26. Suar. *lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 6. & 32. *n.* 9. Salas *disp.* 19. *de legib. sect.* 9.

Quid sequitur ex dictis.

97 Ex quo fit, quod si alicui detur potestas, qui aliunde eam non habebat, ad aliquid faciendum, & præcipitur, vt de consilio aliquorum id faciat, absque tali consilio actus erit nullus; si tamen iam potestatem habebat, etiamsi de consilio aliquorum præcipiatur, vt faciat, prætermisso consilio, factum tenet. Et ratio est, quia quando datur facultas sub illa conditione, talis conditio se habet vt forma substantialis, vt diximus *numer. præcedent.* & constant ex Clement. 1. *de Iure Patronatus*, §. *Inhibentes*, vbi datur facultas conferendi certas præbendas de consilio Episcopi: quod quia omissum fuit, tales collationes declarantur nullæ. At quando præcedit potestas in subjecto, nisi aliud exprimatur, solùm præsumitur addita illa conditio, vt rectè actus fiat, non vt validè. Salas *disp.* 16. *sect.* 10. *numer.* 43. Tapia *supr.* Palaus *num.* 7. Sylvest. *verb. Consilium, quæst.* 1. & 3.

Doctrinæ præcedentis limitatio.

98 Sed dicta duobus numeris præcedentibus intelligenda sunt, quando solemnitas, sub qua præcipitur actus, non habetur in jure tanquam forma accidentalis; quia tunc licèt concedatur facultas, & præcipiatur, quod, tali forma servata, actus fiat, intelligendum est, non aliter illam conditionem assignari, ac est in jure: & cùm in jure solùm sit vt forma accidentalis, non vitiatur actus, licèt talis conditio ommitatur: vnde diximus *tr.* 10. *de censuris, cap.* 2. *numer.* 25. quod quando in bullis pontificijs datur facultas absolvendi à censuris reservatis Pontifici, *satisfacta parte*, intelligitur hæc conditio, vt in jure habetur: & cùm in jure solùm sit conditio accidentalis, sine qua absolutio subsistit, etiam hoc modo facultas concessa censetur. Et in tract. 9. *de matrim. cap.* 3. *num.* 101. diximus, quod licèt procurator omittat denunciationes, valet matrimonium, etiamsi contrahens illi dederit facultatem contrahendi, præmissis denunciationibus; quia intelligitur talis conditio adjecta, vt est in jure, in quo solùm est solemnitas accidentalis. Ita Palaus *suprà num.* 3. Salas *disp.* 16. *sect.* 9. *num.* 39. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 5. *num.* 4. Basilius Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 39. *num.* 6.

Non datur parvitas materiæ circa omissionem formæ substantialis.

99 Hìc duo notanda sunt. Primò, quod licèt aliqui asserant, posse dari parvitatem materiæ circa omissionem formæ substantialis, ita vt, si levis sit prætermissio illius, non vitiet actum contra legem irritantem exercitum, vt probabile judicat Tapia *lib.* 4. *q.* 12. *art.* 6. *num.* 5. & tenet Bonacin. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 5. *num.* 21. Salas *cap.* 21. *sect.* 3. vterque Molina, Iurista *de pignorib. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 33. & Theologus *de Iust. tract.* 2. *disp.* 81. *in fine*. Sà, *verb. Interpretatio, n.* 6. Probabilius tamen est, talem parvitatem non esse admittendam; quia forma substantialis in indivisibili tota consistit; & quando tota forma consistit in indivisibili, non admittit parvitatem materiæ, vt diximus *n.* 26. Et quidem, si lex integritatem formæ absque vllo defectu servandam præscribat, nemo est qui neget, quamlibet illius, quantumvis minimam, transgressionem actum vitiare, vt in lege præscribente decimumsextum annum ad professionem, & decimumquartum ad matrimonium; quæ non admittit nec dimidiam horam ad parvitatem materiæ. In alijs verò vix assignari potest levitas materiæ, quæ sufficiat ad non vitiandum actum. Nam vel illa parvitas ad rationem substantialem formæ requiritur, vel non? Si primum, non poterit actus subsistere sine illo: si secundum, iam non pertinebit ad formam substantialem, sed accidentalem: vt constat in formis sacramentorum, à quibus si demas vnam literam, vndè mutetur sensus, irritum redditur sacramentum; si autem non mutet sensum, non est ex his, quæ pertinent ad formam substantialem. Ita Tapia *supr. n.* 4. Palaus *tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 13. *n.* 2. Suarez *lib.* 5. *cap.* 32. *n.* 8.

Non semper lex irritativa obligat in conscientia.

100 Secundò nota, quod non, eo ipso quod lex irritet actum, & assignet aliquid pro forma substantiali illius, prohibet illum facere absque tali forma; & sic non, eo ipso quòd aliquis intentet actum exercere, peccabit mortaliter, nisi alia lege talis actus sit prohibitus: quia irritatio ab obligatione est quid diversum, & potest vnum separari ab alio: & sicut dari potest lex prohibitiva duntaxat, & non irritativa: ita irritativa, quæ prohibitiva non sit. Vt matrimonium, & professio facta gravi metu irritantur per legem; non tamen prohibentur; & sic non peccabit, qui metu gravi impulsus vnum, vel alterum facere attentaverit. Testamentum conditum sine debita solemnitate est nullum; & non peccabit, qui, illa prætermissa, testamentum ordinaverit; quia sicut posset illud prætermittere, ita illo modo facere, valeat quidquid valeat. Ita Tapia *supr. art.* 2. *n.* 1. & 4. Palaus *punct.* 11. *num.* 1. Suar. *lib.* 5. *cap.* 20. *n.* 8. & 11. Salas *disp.* 16. *sect.* 6. Si autem lex præceptum includat, vel ipsa materia sit à lege execrata, ita vt in eius odium talis irritatio fiat; tunc intelligendum est adesse præceptum de illa vitanda. Exemplum primi est in lege irritante matrimonia clandestina, vel cum impedimento dirimente, quæ simul prohibet illa; & similiter in lege irritante professionem ante decimumsextum annum. Exemplum secundi monstratur in lege irritante collationem beneficij per confidentiam, quæ hoc ipso censetur eam prohibere: & in lege irritante electionem religiosi ad episcopatum acceptatum absque licentia Prælati, quæ tacitè simul prohibet talem acceptationem.

§. II.

Quæ leges irritantes indigeant Iudicis sententia, vt effectu sortiantur?

Quando irritatio legis sequitur ad actum non ipso facto illum, facit nullum.

101 CIrca quæsitum *in hoc* §. sit generalis regula. Si irritatio legis sequatur ad actum iam factum, ob non servatam aliquam conditionem ab ipsa assignatam, non reddit irritum actum, sed irritandum per Iudicis sententiam, saltem declarativam: sic enim censetur lex pœnalis. Nam irritatio post suppositionem substantiæ actus adveniens, eo quòd factus non sit, servato ordine à lege præscripto, supponit iam actum factum, & subsistentem, & in odium illius additur talis pœna annullationis: ergo sequi debet talis lex conditiones legis pœnalis, de qua diximus *num.* 54. non obligare ad pœnam ante sententiam Iudicis. Sit exemplum: Provideris in aliquo beneficio, cum obligatione residendi, & quod aliàs facta gratia nullius erit momenti: tunc non irritabitur talis collatio, nisi post Iudicis sententiam; quia irritatio in tali casu ponitur, vt pœna culpæ commissæ in omissione residentiæ. Similiter si irritetur in lege talis venditio, aut donatio, non solu-

ſoluta gabella, etiamſi hæc non ſolvatur, manet actus in ſuo robore vſque ad Iudicis ſententiam, qua reſcindatur, quia eſt propriè pœna intendens jus quæſitum tollere. Ita Suarez *lib.* 5. *cap.* 32. *numer.* 2. Granad. *tract.* 3. *controv.* 7. *part.* 1. *diſput.* 10. *numer.* 13. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 4. *n.* 9. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 1.

Quid ſi antecedat actũ vel illũ comitetur?

102 Quando verò irritatio legis vel antecedit actum, vel ipſum commitatur, ſi talis lex non ſit pœnalis, vt quando non in odium tranſgreſſoris imponitur, ſed in bonum commune, iuxta dicta *numer.* 89. ſtatim ſortitur effectum, & actum reddit irritum, nulla expectata ſententia: vt in matrimonio clandeſtino, in teſtamento abſque debita ſolemnitate facto, in contractibus pupillorum abſque authoritate tutorum, in alienatione bonorum eccleſiæ, & in his ſimilibus. Si verò lex irritans ſit pœnalis, quia imponitur ob ſolam tranſgreſsionem legis, vel in odium delinquentis, videndum eſt, an talis actus ſit capax irritationis, poſtquam eſt validè factus? vt in alijs contractibus præter matrimonium contingit; an verò ſit incapax huiuſmodi irritationis? Si ſit huius ſecundi generis, ipſo facto redditur nullus ante Iudicis ſententiam; quia licèt irritatio ſit pœna, ſtatim habet effectum, eo quod alio tempore illam habere non poteſt: vt in matrimonio contracto ab vxoricida, vel ab eo, qui adulterium commiſit cum promiſſione futuri matrimonij. Quando verò eſt capax irritationis factæ per Iudicem, validè fit, quando contra formam præſcriptam fit; cuius valor non evacuatur, niſi poſt Iudicis ſententiam: quia talis evacuatio ſe habet vt pœna, quæ ſententiam Iudicis debet expectare, cap. *Si religioſus, de elect. in 6.* ibi: *Et in pœnam præſumptionis illius, electio illa viribus vacuetur.* Ita Martinez *quæſt. 96. art.* 4. *dub.* 10. *fol. mihi* 203. *column.* 2. Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 5. Salas *diſp.* 16. *ſect.* 2. Farinac. 2. *part. fragm.* vbi *de lege, num.* 102. *pag.* 196. & probabile dicit Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 19. *num.* 2.

Sententia aſſerens cõtractus non eſſe nullos ipſo facto.

103 Sed inquires primò: An ſi lex requirat aliquam ſolemnitatem, vel conditionem in contractibus, vel electionibus, addendo verba ipſo facto irritantia, omiſsio illius reddat ſtatim actus nullos abſque ſententia Iudicis, non ſolùm in foro exteriori, ſed etiam in conſcientia? V. g. in teſtamento minùs ſolemni, in alienatione bonorum eccleſiæ, in electione facta abſque conſenſu Capituli, an aliquis poſsit retinere in conſcientia hæreditatem relictam in teſtamento minùs ſolemni, bona eccleſiæ abſque debita ſolemnitate alienata, & beneficium collatum ſine forma præſcripta in jure, antequam per Iudicem ab illis expolietur? Ad hoc iam diximus, loquendo de lege quæ in præſumptione fundatur, *num.* 84. duplicem dari ſententiam: aliam tenentem, quod ſi tales actus abſque vlla fraude, vel injuſtitia fuerint facti, non irritantur ipſo facto in conſcientia, vſque dum in foro exteriori reſcindantur; quia talis lex nititur in falſa præſumptione putans electionem eſſe indigni, alienationem in damnum eccleſiæ, & teſtamentum cum fraude eſſe factum: ergo, ſi hæc deficiant, ſubſiſtent tales actus. Ita præter Doctores ibi citatos tenent Navarr. *comment. de alienatione rerum eccleſiaſticarum, notabili* 11. *num.* 19. Covarr. *cap. Cùm eſſes, de teſtamentis, num.* 5.

104 Sed conſequenter ad ibidem dicta probabilius tenendum eſt oppoſitum. Tùm, quia illæ leges non tàm fundantur in damno, vel fraude quæ de facto in caſibus particularibus reperitur, quam in periculo, quod ſemper adeſt. Tùm etiam, quia Princeps media ſua lege poteſt immediatè inhabilitare perſonas ad tales actus, non ſervata forma ab ipſo præſcripta, iuxta dicta initio huius puncti; ſed hanc ſuam poteſtatem explicat, cùm vult ipſo facto actus eſſe nullos abſque tali ſolemnitate: ergo ita redduntur ipſo facto in foro conſcientiæ. Maximè quia loquimur de lege, quæ non eſt pœnalis, ſed in bonum commune præcisè lata; & ſic non indiget ſententia, vt ſortiatur ſuum effectum. Quarè, hoc ipſo quod teſtamentum abſque debita ſolemnitate ſit factum, hæreditas tranſit ad hæredes ab inteſtato, & hæres in illo teſtamento relictus tenetur in conſcientia relinquere hæreditatem. Idem dicimus in alienatione bonorum eccleſiæ, & in electione abſque præſcripta forma ſubſtantiali facta. Ita Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 10. *n.* 7. Salas *diſp.* 16. *ſect.* 9. *circa finem*, Suarez *lib.* 5. *cap.* 34. & alij *dicto loc. citati.*

Verius eſſe oppoſitum oſtenditur.

105 Inquires ſecundò: Vtrum, quando actus remanet irritus, ſubijciatur pœnis impoſitis in jure contra facientes talem actum? ¶ Reſpondetur, quod ſi tales pœnæ latæ ſint in jure contra facientes tales actus aliàs invalidos, vel ipſa lege irritos, quia nimirum vel ſupponit nullos, vel efficit; tunc lex non tàm intendit punire actum, quem ſcit nullitèr factum, quàm animum, ſeu audaciam, & temeritatem intentandi exercere illos; & ſic ſubjacet eius pœnis, qui tales actus intentat, etiamſi de facto eos verè non efficiat: vt quando jus aſsignat pœnam irregularitatis contra Sacerdotes excommunicatos ſacramentaliter abſolventes; quam pœnam incurrunt, etiamſi abſolutio nulla ſit ob defectum juriſdictionis, qua per excommunicationem privantur. Similiter lex excommunicans eum, qui abſque diſpenſatione Pontificis contrahit cum conſanguinea, quam excommunicationem incurrit, etiamſi tale matrimonium ſit invalidum: quia tunc punit lex ipſum actum irritum. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. diſp.* 2. *n.* 2. & 3. Suarez *lib.* 5. *cap.* 34. *numer.* 13. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 12. *art.* 11. *num.* 2. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 15. *num.* 4.

Quando lex animum intentat punire, obligat, etiamſi nullus ſit actus.

106 Si tamen lex punire intendit actum pravum, qui validè fieri poteſt, ſi fiat nullus ex aliqua ratione, non ſubjacebit pœnis aſsignatis contra exercentes tales actus, qui illum facere attentaverit: vt qui matrimonium clandeſtinum contrahere auderet, non ſubjacebit pœnis olim ante Tridentinum aſsignatis in jure contra clandeſtinè contrahentes, quia latæ erant contra matrimonium contrahentes: quod non verificatur in eo, qui nullitèr modò contrahit: ſiquidem lex pœnalis eſt odioſa, & ſic ſtrictè in ſenſu proprio interpretanda. Unde ſi pro actu imponatur, pro illo, qui verè talis eſt, eſt intelligenda: & non eſt verè talis actus, qui per legem eſt nullus; nam nomen ſimpliciter dictum ſignificat veram rem: & in cap. *Relatum, de clerico non reſidente*, dicitur, quod verba cum effectu ſunt intelligenda; & ſic non habent vim, quando effectus ob nullitatem evacuatur. Unde pœnas latas contra Prælatos excommunicantes ſine forma præſcripta in jure, *cap.* 1. *de ſent. excomm. in 6.* diximus *in tract. de cenſuris* non afficere Prælatos, qui culpabiliter

Quando lex actum punire intendit, non obligat pœna, ſi ſit nullus.

ſolemnitatem ibi aſsignatam prætermittunt, ſi ex aliquo capite excommunicatio ſit nulla, vel non ſortiatur effectum: vel quia ſubditus obedivit, vel appellationem ſuo tempore interpoſuit. Ita Auctores nuper citati.

PUNCTUM VI.

De obligatione legis dubiæ.

Multiplex dubium, de quo alibi actum eſt.

107 DIverſa dubia occurrere poſſunt circa diverſas leges particulares, quæ ad proprios tractatus ſpectant: nam circa dubitantes de valore matrimonij, quomodo poſsint petere, aut reddere debitum, diximus in materia de matrimonio *tract. 9. cap. 15. punct. 4.* circa cenſuras, quomodo ſe gerere debeat, qui dubitat, an eas incurrerit, *tract. 10. cap. 1. punct. 16.* & circa irregularitates, *cap. 7. punct. 3. numer. 42.* & alia dubia circa diverſas materias ſuis proprijs locis diſſolvemus: hìc ſolùm de generalibus dubijs circa leges acturi, quæ ad præſentem tractatum ſpectat. Tunc dicitur dubium, vt diſtinguitur à judicio probabili, quando non formatur aſſenſus determinatus ad vnam partem, ſed manet vtrimque intellectus pendulus, & ſuſpenſus: & poteſt eſſe dubium practicum, vt cùm quis hìc & nunc, non depoſito dubio quod habebat, contra legem operatur: & hoc in communi ſententia ſemper eſt peccatum ob periculum, cui exponitur, formalis tranſgreſsionis legis. Aliud eſt merè ſpeculativum, cum quo cohæret, quod dubium practicum non detur, quando nimirum practicè dubium deponitur per aliquam rationem moralem, aut probabilem, qua hic & nunc judicat licere operari adhuc durante dubio ſpeculativo. Et modò difficultas eſt, quando liceat deponere dubium practicum ad operandum contra legem, de qua dubitatur, perſeverante ſolo dubio ſpeculativo?

Quot modis poteſt circa legem eſſe dubium?

108 Hoc dubium de lege poteſt multiplicitèr haberi. Primò ex parte legis, vt ſi dubites, an lex poſita ſit, & promulgata? vel an ad hunc caſum extendatur? Secundò ex parte rei præceptæ, vt quando es certus de lege, aut præcepto; dubitas verò an res mandata juſta ſit, vel vtilis, aut neceſſaria ad finem intentum. Tertiò ex parte Legislatoris; vt quando certus de lege, & juſtitia eius, dubitas de poteſtate Legislatoris, an legitimè electus ſit, vel confirmatus, & an tu ſis ſubditus illius? Quarto ex parte adimpletionis, vt quando es certus de legitima poteſtate ſuperioris, de lege juſta lata, & promulgata ab ipſo; dubitas verò, an illam adimpleveris, vel non? Quintò denique ex parte inceptionis, aut deſitionis talis præcepti; vt quando es certus de lege juſta, legitimèque lata ac promulgata; dubitas verò, an tempus advenerit, quo incipiat obligare; vel tempus præterierit, pro quo obligatione, & virtute pollebat?

Regula iuris, *in dubijs, melior eſt conditio poſſidentis*, in omni materia tenet.

109 Sed pro his omnibus ſupponendum eſt, regulam illam communem, quam tàm à Iuriſtis, quàm à Theologis repetitam paſsim reperies, nimirum, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*; non ſolùm habere locum in materia juſtitiæ (de quo nemo dubitat) ſed etiam in materia aliarum virtutum; quia, cæteris paribus, in quacumque materia melior eſt illius conditio, qui poſsidet: ſiquidem poſſeſsio novus titulus eſt ad rem; quam non habet alia pars, quæ non poſsidet: & ideò, cùm cætera ſint paria, & pro vtraque parte dubium detur, illius partis, quæ poſsidet, proculdubiò melior eſt conditio. Ob hanc enim rationem in materia juſtitiæ omnes aſſerunt, meliorem eſſe conditionem poſsidentis in dubio; quia cùm dubium ſit circa vtramque partem, illa pro qua ſtat poſſeſsio, novum titulum habet, quo caret alia pars, quæ poſſeſsione caret. Atque ita tenent Tapia *lib. 1. de conſcient. dubia, queſt. 8. art. 9.* & *lib. 4. de leg. quæſt. 15. art. 2.* Diana, pluribus relatis, *4. part. tractat. 3. reſolut. 2.* Filliuc. *tom. 2. tractat. 21. cap. 4. numer. 165.* Villalob. *tractat. 1. diffic. 214.* Garcia *tom. 2. de beneficijs, part. 7. cap. 2. numer. 14.* Sanch. *lib. 2. de matrimon. diſput. 41. numer. 32.* & *in ſumm. lib. 1. cap. 10. num. 21.* Pal. *tract. 1. de conſcient. dubia, diſput. 3. punct. 6. numer. 1.* Quomodo autem hoc cohæreat cum alio principio juris, videlicet, *in dubijs tutior pars eſt eligenda*? diximus *tractat. 10. de cenſur. cap. 7. punct. 3. numer. 47.* Quibus ſuppoſitis, & quod ſufficiens diligentia adhibita ſit circa notitiam rei, & nihilominus dubium perſeveret; diverſis concluſionibus, quæ pertinent ad præſentem materiam, declarabimus.

Qui dubitat, an lex lata ſit, non tenetur eam obſervare.

110 Dicendum eſt primò, quod ſi dubium ſit ex parte legis, quia nimirum dubitatur, an ſit lata talis lex, & promulgata, vel non; &, adhibita ſufficienti diligentia, adhuc dubium manet, poteſt tuta conſcientia deponere illud practicè, qui dubius eſt de tali lege, & cum tali dubio ſpeculativo contra talem legem operari abſque peccato, præciſo ſcandalo, aut alio inconvenienti. Et ratio eſt, quia quando datur dubium de lege, ſubditus poſsidet ſuam libertatem, de qua certus eſt; cum lex non certò poſſidat, ſed de eius exiſtentia dubitetur: ſed in dubio melior eſt conditio poſsidentis: ergo in tali caſu poteſt vti ſua libertate, & non ſubijci legi, de cuius dubitat exiſtentia. Et idem dicendum eſt in caſu quo dubitatur, an hæc res comprehendatur ſub lege, vel præcepto, licèt legem eſſe certò ſciatur; quia idem eſt dubitare de hac re, an comprehendatur ſub lege, ac dubitare de ipſa lege, an impoſita ſit pro illa materia. Sic Villalob. *tom. 1. tract. 1. diffi. 24.* Suarez *tom. 3. 3. p. diſp. 40. ſect. 5. n. 15.* Sanch. *in ſumm. lib. 1. cap. 10. n. 32. & 33.* Tapia *lib. 4. quæſt. 15. art. 2.* Palaus *tom. 1. tract. 1. diſp. 3. punct. 7. n. 1.* Gregor. Mart. *q. 96. art. 4. dub. 5. concluſ. 3. & 4.* Araujo *1. 2. q. 97. diſp. 3. ſect. 3. diffic. 3.* Et idem dicendum eſt, ſi dubitetur, an lex, de qua conſtat eſſe latam, & promulgatam, extendatur ad hoc, vel illud ſubjectum, propter eandem rationem: vt ſi eſſet lex impoſita pro regularibus, & dubitetur, an comprehendantur Prælati ſub illa?

Si conſtet de lege, & dubitetur, an obliget, aliqui dicunt, nò obligare

111 Sed quid dicendum ſit, ſi conſtet de lege, & dubitetur, an hic & nunc propter diverſas circumſtantias occurrentes obliget? Ut ſi conſtaret de lege jejunij pro hac die, & dubitaretur; an neceſsitas, vel infirmitas, vel alia ratio occurrens excuſet ab illa lege? Et non eſt dubium, in caſu quo ſimul cum dubio de illa lege daretur dubium de alia lege ſuperiori: vt ſi dubitans, an ratione neceſsitatis eximatur à jejunio; dubitaret etiam, an jejunium nocivum eſſet gravitèr ſaluti; quia, cùm obligatio legis ſuperioris ſit potior, cùm detur dubium de vtraque, potius ob-

temperandum est superiori. Verum in tali casu (imò in omnibus dubijs, si absque notabili incommodo, nec aliqua gravis ratio, vel authoritas suppetat pro dubio deponendo, fieri possit) tutius, & securiùs erit superiorem adire, vt à dubio liberetur. Sed si hoc fieri non potest; tenetur, qui in tali dubio invenitur, contra legem inferiorem agere, de qua dubitat, an legi superiori, quæ semper possidet, conformetur. Quarè quæstio procedit, præcisa dicta circumstantia. Ad quam respondet Salas 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 25. *n.*259. quod non esse improbabile dicit Tapia *lib.*4.*q.*15.*art.* 3. *num.* 4. non teneri in tali casu legi obedire, qui modo dicto dubitat de illa; quia lex improprijssimè dicitur possidere; voluntas autem possidebat suam libertatem, & exemptionem à lege: ergo,cùm dubitatur de exemptione, seu excusatione in casu particulari, judicandum est pro libertate voluntatis, & dicendum, esse exemptam à tali lege.

Verius est, obligare legem in casu proposito.

112 Verius tamen dicendum est, quod in casu quo certus es de lege jejunij, v. g. & dubitas, an ratione circumstantiæ occurrentis eximaris ab illa, teneris legi obedire: quia in tali casu lex possidet ante exemptionem, & libertatem ab illa; siquidem est antiquior, & certa, vtpotè præcedens ad rationes dubitandi contra illam: ergo erit melior conditio illius, & sic obtemperandum est ei: vt in omnium sententia, si quis est certus de debito; & dubitat, an excusetur à solutione, tenetur solvere in conscientia: quia alius possidet suum jus certum, à quo non debet expoliari per incertam excusationem alterius. Ita Palaus *suprà punct.* 7. *num.* 6. Martinez *concluf.* 5. Tapia, *loco proximè citato*, *num.* 2. Sanch. *illo cap.* 10. *num.* 34. Idem dicendum est, quando est certitudo de lege, & dubitatur, an abrogata fuerit, an dispensatum in ea? quia semper lex possidet: & ei, qui objicit exemptionem, incumbit probare ab ea manere liberum.

Si certò sciatur lex, & dubitetur esse receptâ, aliqui dicût, nõ obligare.

113 Sed quid, si certò sciatur legem esse latam, & promulgatam, & dubitetur, an sit, necne recepta? Ad quod aliqui respondent, quod in legibus pœnalibus, præcipuè quæ habent aliquam censuram, vel irregularitatem, non tenetur, qui modo proposito dubitat, ad talem legem: eo quod lex pœnalis est odiosa; & sic in dubio est interpretanda secundùm mitiorem partem. Quod probabile asserit Tapia *lib.*4.*q.*15.*art.*5. & tenet Salas *loc. cit.n.* 258. Azor, *tom.*1.*lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 12. Moura *opusc.* 1. *de empt. salmis, & incant. sect.* 1. *cap.*5. *n.*13. quem refert, & sequitur Diana 4. *p. tr.*3.*res.*14. Imò esse valde probabile, quod in omnibus legibus, sive sint pœnales, sive non, si dubitetur de illarum acceptatione, non obligare in conscientia, tenet Palaus *tract.*1. *de conscient.dub.disp.*5.*punct.*7. *n.* 4. Quia quando dubitatur, an aliqua lex sit recepta, dubitatur, an aliquando obligaverit: quia, vt obliget, debet recipi, iuxta valde probabilem sententiam. Vnde tunc dubitatur, an aliquando fuerit vera lex? ergo lex non possidet certò: ergo possessio stat pro subditi libertate. Quod quidem satis probabiliter dictum est, iuxta superius dicta cap. *præced.num.*98.& 101.

Obligat lex certa,etiamsi dubitetur de eius acceptatione.

114 Nihilominus tenendum est, quod, sive lex pœnalis fuerit, sive non, obligat, si constet esse latam, & promulgatam, etsi dubitetur esse receptam: quia libertas in tantum possidet, in quantum non est ligata per certam possessionem legis; & tunc erit benignior pars amplectenda, quando non constiterit de possessione legis: at in præsenti lex possidet certò: quia ad eius possessionem, vt diximus loco citato,*num.*99.& 102. non requiritur acceptatio populi, sed quod sit lata, & promulgata; quod in presenti de certo reperitur: ergo obligat subditos de tali acceptatione dubitantes. Ita Sanchez *Summ.lib.*1.*cap.*10.*n.*35.Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 1.*punct.* 4. *n.* 44.&, vt probabilius,& securius, tenet Tapia, & Palaus *locis citatis.*

Si dubium sit, an sit lex justa obligat.

115 Dicendum est secundò, quod si dubium sit ex parte rei præceptæ; quia nimirum solùm dubitatur, an lex,quam constat esse latam, & receptam, sit de materia honesta, vtili, vel necessaria ad bonum commune, vel ad finem Legislatoris intentum; vt si miles dubitet de justitia belli à Rege præcepti, tenetur subditus legi, aut præcepto obedire. Tùm, quia præsumendum est in favorem Prælati, quando non constat de opposito: quia judicandum est ipsum debitam diligentiam adhibuisse ad examinandam rem, quam præcepit; & in pari discrimine parendum est superiori, ac standum eius judicio, qui jus præcipiendi habet, quia hoc ad commune bonum multùm expedit. Tùm etiam, quia certum est, legem esse latam à legitima potestate: ergo possessio stat pro illa: ergo, quandiu non constiterit de illius injustitia, melior est eius conditio, & sic omninò est illi obediendum. Ita Sanch. *Summ.lib.*6. *cap.* 3. *n.*3. & *de matrim.lib.*2.*disp.* 45. *n.* 35. & 37. Tapia *lib.* 4.*quæst.*15.*art.*4.*n.*1. Diana 4. *part. tract.* 3. *resol.* 9. Molina *tom.*1.*de Iust. tract.*2. *disp.* 113. *concluf.* 3. Araujo 1. 2. *quæst.*97.*disp.* 3.*sect.* 3. *diffic.* 2. *n.* 32.Martinez *q.* 97.*art.*4.*dub.*15.*concluf.*2.

Obligat lex certa,etiamsi detur opinio probabilis de eius injustitia.

116 Idem dicendum est, etiamsi subditus non solùm dubitet, sed etiam habeat opinionem probabilem de injustitia,aut inutilitate legis, aut præcepti; si datur ex parte Prælati probabilis opinio de justitia illius: siquidem Prælatus probabiliter opinans certò obligat per suum præceptum; quia sicut subditus ex probabilibus potest operari, ita superior ex probabilibus potest præcipere: quando autem ex probabilibus præcipit superior, non est probabile practicè, subditum non teneri illi obedire; & sic debet manifestè constare de injustitia, vt à tali mandato eximatur. Quod magis roboratur, siquidem in duobus casibus præcedentibus, in foro exteriori, semper præsumptio stat pro Prælato; & sic in favorem illius semper judicabitur in quocumque tribunali; sed forum conscientiæ debet conformari cum præsumptione fori exterioris, quando manifestè non nititur falsitati, vt rectè inquit Sotus *lib.* 4. *de just.* *q.*5.*art.* 3.*§. Quartò arguitur.* Covar. *cap. Cum esses, de testament. n.* 7. ergo in conscientia tenetur in illo casu obedire;alias vtrimque daretur bellum justum,si subditus posset justè resistere Prælato justè præcipienti, quod ab omnibus reputatur inconveniens.

Limitatio præcedentis doctrinæ.

117 Sed dicta *duobus numeris præcedentibus* intelligenda sunt, quando non datur dubium de alio jure fortiùs obligante: vt si superior præciperet manifestare alicuius crimen; & dubium esset, an in tali inquisitione legitimè procederet: quia, cùm imminet periculum infamiæ, & damni tertij, non tenetur subditus obedire tali legi, aut præcepto: imò non potest, quia lex anterior, & superior divina, & naturalis possidet: & magis expedit obedire Deo, quàm hominibus. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *ad* 1. & ex ipso Auctores citati. In omni autem casu curandum est superiori, vt non temerè aliquid præcipiat, sed magna diligentia adhibenda est ab eo in inquirenda justitia, & vtilitate præ-

præcepti : nec potest in dubio illud imponere: vnde, si constaret subditis, superiorem cum tali dubio operari, non tenerenter tali præcepto obedire, quia iam constaret de injustitia illius.

Si dubitetur de potestate superioris, non obligat lex.

118 Dicendum est tertiò, quod si dubium sit circa potestatem superioris, quia nimirum dubitatur, an habeat talem potestatem; eo quod, an ritè sit electus, an confirmatus, v. g. dubitetur; etiamsi lex sit certò lata ab ipso, & promulgata; & de materia justa, non tenetur subditus illi obedire, si non est in pacifica possessione sedis: si tamen pacifica iam potestatis, & sedis possessione fungatur, tenetur subditus justis præceptis,& legibus illius obedire. Et ratio est,quia in primo casu possessio stat pro libertate subditi, cùm non possideat superior, de cuius potestate dubitatur: imò nullam habet potestatem imperandi, quia idem est incertam habere potestatem,ac nullam. In secundo autem casu possidet superior, & est certa possessio suæ potestatis : ergo erit melior eius conditio, & sic omninò illi erit obediendum. Ita Gregor. Martin. 1.2.*q.96.art.*4.*dub.* 15.*concluſ.* 1. Sanch. *in Summ.tom.*2.*lib.*7.*cap.*3.*n.*29. Tapia *lib.*4.*q.*15. *art.* 12. Sed non desunt gravissimi Doctores, qui absque distinctione proposita asserant, quod, quoties dubitatur de potestate superioris, non est obligatio obediendi legibus, aut præceptis eius. Ita Araujo *q.* 97. *disp.*3.*sect.*3.*diffic.*3. Vazq. 1.2.*q.*19.*art.*6.*dub.* 62. *cap.*7.*fine.* Diana 4.*part.tract.*3.*resol.*8. Salas 1.2. *q.* 21. *tract.*8.*disp. vnic.sect.*8.*n.*76.

Obligat lex, quando de eius impletione dubitatur.

119 Dicendum est quartò, quod si dubium sit de adimpletione legis, vt quando aliquis est certus de lege, aut de præcepto, & de potestate superioris; dubitat tamen, an illam impleverit, vel non; tenetur actum præceptum exercere (loquimur de dubio prudenti, ac rationabili, non de scrupulis ex levi fundamento ortis.) Sit exemplum : scit certò Clericus in sacris, teneri ad recitationem officij divini, & dubitat, an aliquam horam persolverit; tenetur illam recitare. Dubitat quis, an debitum reddiderit, cùm sit certus se illud contraxisse; tenetur debitum reddere; & sic de alijs. Et ratio est, quia tunc possidet lex, à qua possessione non deijcitur per dubium; quandoquidem semper pro illa perseverat præsumptio, & subdito incumbit adimpletionem probare. Ita Martin. *suprà concluſ.*6. Tapia *lib.*4. *quæst.* 15. *art.* 6. Sanch. *lib.*1.*Summ.cap.*10.*num.*12. Palaus *tom.*1. *tract.*1.*disp.*3.*punct.*7.*num.* 7.

Quando est dubium, an legis tẽpus advenerit, nõ obligat.

120 Dicendum est quintò, quod si dubium sit de inceptione legis, vt si dubitetur, an tempus advenerit, in quo obligat lex, vel non; non tenetur quis præcepto legis obedire : si verò dubitetur, an tempus obligationis legis præterierit, tenetur illi obtemperare. Et ratio est, quia in primo casu possessio stat pro libertate, cum adhuc lex non possideat vim obligandi certò; sed dubitetur, an advenerit tempus,in quo obligare incipit. In secundo vero casu possessio stat pro lege;cùm de illa certò constet; & solùm dubitetur, an tempus advenerit,in quo à possessione obligationis deijciatur. Exemplis rem illustro. Incipit lex jeiunij post 21. annos, dubitat quis, an 21. annos impleverit; non tenetur jeiunare; quia possidet suam libertatem, & dubitat de obligatione legis. In die jovis dubitat quis,an hora 12.noctis advenerit; poterit carnes comedere: quia non dum est certus incepisse feriam sextam, in qua obligat lex abstinentiæ : imò etiamsi vnum horologium iam 12. dederit; aliud tamen non;poterit conformari cum illo, qui non dedit; quia vtrumque facit opinionem probabilem, nisi aliquod ex illis communiter habeatur vt errans. E contra verò, si scis te esse obligatum ad jeiunium; dubitas verò, an ætas senilis advenerit, in qua ab illo excusaris; teneris jeiunare : quia possessio stat pro lege, & tibi incumbit probare exceptionem ab illa. Existis in die vigiliæ; dubitas verò, an 12. hora noctis advenerit; non poteris cœnare, aut carnes comedere : quia de obligatione constat,& de cessatione illius dubitatur. Dubitas, an annos 16.requisitos ad professionem habeas; an annos 12. ad matrimonium à lege præscriptos; an. 25. pro ordinatione presbyteratus attigeris; non poteris ordinari, profiteri, aut matrimonium contrahere; quia semper possidet lex prohibens ante talem ætatem hos actus : & ideò tibi incumbit probare ætatem ab ipsa petitam adimpletam esse. Sic Tapia *lib.* 4. *quæst.* 5. *art.* 7. Diana 4. *part. tract.* 3. *resolut.* 18. 19. & 21. Layman *lib.*1.*tract.* 1.*cap.*5.§.4.Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 4. & *in Summ. lib.*1.*cap.*10. *num.* 38. Palaus *tract.* 1. *disp.* 3.*punct.*8.*à num.*6. Villalob. *tract.* 1. *diffic.* 21.*num.* 6.

Qui dubitat, an sit jeiunus,non potest eucharistiam sumere.

121 Sed maior difficultas est: An, qui,dubitans de hora 12. noctis,comedit, vel bibit,possit crastina die missam celebrare, vel ad eucharistiam recipiendam accedere? Et idem est de eo qui dubitat,an aliquid per modum comestionis transierit in die quo communicaturus est, an scilicet possit eo die eucharistiam accipere? Affirmat Leander cum alijs à se relatis *tom.*2.*de Sacram.tr.*17.*disp.*3.*q.*4. Dian. 3.*p.tr.* 4. *res.*29. Laym.*lib.*1.*tr.*1.*cap.*5.§.4.*n.* 36. Ioannes Sanctius *in select. disp.* 42. *n.* 1. citans Medinam, & Lessium, & probabile reputat Palaus infra citandus, quatenus oppositum dicit probabilius. Quia homo habet libertatem, & potestatem communicationis: ergo, si non constat esse indispositum per sumptionem cibi, aut potus, poterit accedere ad eucharistiam. ¶ Sed nos, consequenter ad ea quæ diximus *tract.* 4. *de eucharist. cap.* 7. *n.* 69. negativè respondemus: quia lex de sumptione eucharistiæ cum jeiunio naturali semper obligat;nom enim est pro hoc, vel illo die; sed generaliter loquitur: *Nemo non jeiunus accedat ad hoc sacramentum*: Ergo possessio huius legis semper est quocumque die,& hora: ergo, si tunc dubitatur, an sit jeiunus, vel non, non potest contra possessionem legis ad sacramentum accedere. Ita, prætet Sanch. Villalob.& Fagund. ibi citatos, tenet Tapia *lib.*4.*quæst.*15. *art.* 8. Bonacin. *disp.* 4. *quæst.* 6. *punct.*2.*num.* 7. Palaus *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.*8. *n.*9. Lugo *de sacram. disp.*15.*n.*44.

PUNCTUM VII.

An periculum gravis damni, vel mortis excuset ab obligatione legis?

Quæ agẽda sunt in hoc Puncto?

122 QUamvis ex diversis capitibus posset quis ab obligatione legis excusari, de quibus plura hucusque diximus, pluraque in sequentibus dicemus, præcipuè ob ignorantiam illius; sed quia de excusatione ab obligatione legis per ignorantiam, & de diversis ignorantiæ modis plura diximus *tract.*10.*de cens.cap.*1.*à num.*188.quę huic materiæ applicari possunt, ab hoc supersedemus; solummodò acturi de excusatione, quæ potest venire ratione gravis metus: quis verò sit metus gra-

gravis, seu cadens in virum constantem; quis levis? diximus *tract. 9. de matrim. cap. 9. punct.* 1. & suppositis ibidem dictis, quæ non oportet repetere, & quæ diximus *tr.* 10. *de censur. cap.* 1. *n.* 203. de metu gravis damni excusante à lege censuras continente; nunc solùm agemus, quomodò, aut quandò possit Legislator humanus aliquid præcipere, ad cuius observantiam subditi teneantur, etiam cum periculo mortis, & consequenter cuiuslibet gravis damni.

Sententia asserens legem semper obligare etiam cũ periculo vitæ.

123 Circa quod est triplex sententia. Prima asserit, omnem legem justam, & à legitimo superiore latam, obligare ad sui observationem semper, etiamsi periculum vitæ, vel alterius gravis damni immineat. Hanc defendit acerrimè Caietanus 1. 2. *q. 96. art.* 4. & oppositam dicit erroneam Henriq. *lib. de Synod. p.* 1. *art.* 1. *n.* 231. Alensis, 4. *p. q.* 81. *art.* 2. Durand. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 5. *art.* 3. & probant primò, quia lex, quando est justa, ordinatur ad bonum commune; sed id quod expedit bono communi, semper obligat, etiam cum detrimento particularium: ergò, &c. Probatur secundò diversis exemplis. Primùm, nam contrahere cum consanguinea, est solùm jure positivo prohibitum: & tamen non potest cum illa contrahere, etiamsi immineat periculum mortis. Secundùm, communicare cum excommunicato non potest aliquis absque peccato, etiam ex metu gravi, vt habetur cap. *Sacris, de his, quæ vi*, & tamen solùm jure canonico est prohibitum. Tertiùm, quia nemini licet celebrare absque vestibus sacris, quod est solùm jure canonico præceptum, etiamsi metu, aut gravi damno minetur. Quartùm, quia lex clausuræ obligat moniales, etiamsi gravissimo morbo laborent, cuius remedium foras invenirent, quamvis mors, certò eventura absque tali remedio sciatur. Quintùm, quia lex Carthusianorum prohibens esum carnium, eos obligat etiam cum periculo mortis, quam subituros se certò sciunt, nisi carnibus vescantur.

Sententia dicens, legem cum periculo vitæ nũquam obligare.

124 Secunda sententia huic extremè opposita asserit, dari non posse legem humanam, nec divinam positivam, quæ obliget in conscientia, quando imminet periculum mortis, aut gravis damni, nimirum famæ, amissionis bonorum, mutilationis, aut gravis infirmitatis. Ita Almainus 1. *moral. cap.* 3. *q.* 2. *propos.* 3. Sylvest. *verb. Metus, q.* 7. Valent. *hic, disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 6. Azor *lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 6. & 7. & probant primò, quia conservare vitam est de jure naturali: ergo nihil potest præcipi lege humana, quod vitæ conservationi obstet; erit enim injusta talis lex, quandoquidem justitia illius consistit, in eo quod legi naturali non sit contraria, vt diximus *cap.* 1. *num.* 172. Secundò, quia secundum D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. in his, quæ ad conservationem corporis spectant, homo non tenetur homini obedire.

Aliquando lex obligat, aliquãdo nõ cum mortis periculo.

125 Sed nos, media via incedendo, dicimus, quod licèt lex canonica, aut civilis non semper obliget, imò frequentèr non obliget cum periculo mortis, aut gravis damni; poterit tamen multoties obligare, etiamsi tale periculum immineat, vnde tenebitur subditus obedire, etiamsi vitam perdere manifestè timeat. Et quod non semper obliget lex humana canonica, aut civilis, cum tanto discrimine, constat ex probationibus pro secunda sententia adductis: & quia exponere vitam est opus difficillimum, & naturali inclinationi de conservanda vita contrarium: & ideò, nisi detur vrgentissima causa, quæ rarò accidit, non potest cadere sub præcepto. Quod autem id possit lege iuberi in aliquo vrgentissimo casu, probatur; quia respublica, & eius Gubernator habent potestatem ad præcipiendum id quod expedit ad sui conservationem, & promovendum bonum commune; sed ad hoc multoties est necessarium, quòd aliquis se exponat periculo mortis: ergo id justè præcipere potest, & consequenter subditus ad obediendum erit obligatus, vt constabit exemplis infrà adducendis. Vtramque partem conclusionis tenent Covar. cap. *Alma mater*, 1. *part.* §. 3. *num.* 9. Tapia *lib.* 4. *q.* 9. *art.* 10. Suar. *lib.* 3. *cap.* 30. Sanch. *tom.* 2. *Summ. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 39. *ad* 3. Araujo 1. 2. *q.* 97. *disp.* 3. *sect.* 4. *diffic.* 3. Martin. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 6. *concl.* 1. Montesin. *disp.* 23. *q.* 10. *n.* 165. & 167. Granad. *controv.* 7. *tra.* 3. *p.* 1. *disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 14. Palaus *tra.* 3. *disp.* 1. *punct.* 16. *num.* 1. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 20. & alij ab ipsis relati.

Idem de lege naturali, & divina est sentiendum.

126 Idem quod diximus de lege humana, dicimus de lege divina, & naturali, quod videlicèt aliquando potest obligare etiam cum gravis damni, aut mortis periculo; aliquando potest quis ab ea excusari ob metum prædicti detrimenti: vt constabit ex exemplis adducendis, postquam statuerimus regulam generalem, ad cognoscendum, quando obliget lex divina, naturalis, aut humana, etiam cum mortis periculo, & quando non obliget: nisi quod est duplex discrimen inter legem divinam, & naturalem ex vna parte, & humanam ex alia. Primum, quòd lex divina, aut naturalis frequentiùs obligant cum periculo vitæ, quàm humana, eo quòd illius materia est magis attingens Deum, & est bona, vel mala ab intrinseco frequentèr: at lex humana è contra frequentèr non obligat in tali discrimine, nisi ex vrgentissima causa, quæ rarò accidit. Secundum, quod Legislator divinus, qui est legis divinæ, & naturalis Auctor, cùm sit Dominus vitæ, omniumque bonorum creaturæ, posset per suam legem semper obligare, etiam cum periculo vitæ: at sic non potest Legislator humanus, qui vitæ & bonorum subditorum non habet absolutam potestatem.

Generalis regula ad cognoscendum, quando lex obliget cũ periculo mortis.

127 Statuamus modò regulam generalem ad cognoscendum, quando lex humana (idem proportionabilitèr dicendum est de naturali & divina) obliget in conscientia, etiam cum periculo vitæ. Et supponimus, rem prohibitam per ipsam, non esse ab intrinseco malam: si enim mala fuerit ab intrinseco, non est alia regula necessaria, vt sciatur semper, & in omni occasione obligare, etiam cum periculo vitæ; quia malum facere numquam licet, vt mentiri, fornicari, in Deum blasphemare, actus infidelitatis exercere, &c. Quando ergo materia legis aliàs non erat mala, sed solùm est mala, quia prohibita, vt carnes comedere, non jejunare, &c. sit regula generalis: Quando id, quod præcipitur, est vtilius bono communi, aut bono religionis, quàm vitam particularis conservari, non solùm in genere, sed etiam hic & nunc, & in hoc casu particulari (quæ præponderatio arbitrio prudentum facienda est) lex obligat etiam cum periculo mortis; alioqui non obligabit cum tanto dispendio. Ratio primi est, quia bonum commune præponderare debet commodo particulari: ergo, quando expediens fuerit ad conservationem boni communis, quod vita particularis expendatur, jus habet superior ad præcipiendum, etiam cum tali periculo, cui proinde tenetur subditus obtemperare. Ratio secundi est, quia superior non habet jus, nisi in ordine ad bonum commune promovendum, nec est dominus vitæ, nisi in ordine ad conservationem boni communis: ergo, nisi fuerit conve-

venientibus, penſatis omnibus, ad bonum commune, quòd ſubditus morti ſe exponat, quàm quòd propriam vitam conſervet, id non poterit imperare. Hanc regulam admittunt ferè omnes Auctores citati; qui, licèt alias diverſas aſsignent, in hac omnes conveniunt, exempliſque diverſis illuſtrabitur.

Exempla varia proponúntur.

128 Eſt civitas obſeſſa, & periclitatur multitudo; præcepit ergo militibus Princeps præliari; etiam cum periculo vitæ, hoc facere tenentur. Tibi præcipit portam defendere, in qua imminent maius periculum; teneris obedire: quia boni communis periculum imminens, tuo particulari commodo debet præponderare. Graſſatur peſtis per vrbem, tibi præcipitur miniſtrare infirmis; Parocho præcipit Epiſcopus ſacramenta illis impertiri; hic tenetur ad hoc, tùm ratione officij, tùm ratione præcepti, etiam cum ſuæ vitæ periculo; & tu teneris inſervire infirmis ex obedientia ſuperioris, licèt non ex officio, etiam cum tuæ vitæ diſpendio. Nec excuſaris ab hoc, eo quòd non es magis obligatus, vel ad præliandum in caſu belli, vel ad inſerviendum infirmis in caſu peſtis, quàm alij. Quia ſic nunquam poſſet ſuperior providere bono communi, quipè hac ratione omnes excuſarentur. Quare licèt ante deſignationem non eſſes ad id obligatus, poſtquam verò ſuperior te deſignavit ad illud miniſterium, teneris ipſum exequi. Vnde in tali caſu non ſolùm ex lege naturali obligaris propriam ſubire mortem ob defenſionem totius, vt pars corporis ictui exponitur, vt totum defendat; ſed etiam ex præcepto ſuperioris, ſuppoſita deſignatione: quia, vt innuit Philoſophus *6. Ethic. cap.* 1. ad Principem pertinet præcipere hic & nunc actus fortitudinis, ad quos in communi lex naturalis, & virtus fortitudinis obligat.

Poteſt quis exponere vitam, etiamſi ad id non teneatur.

129 Benè verum eſt, quòd licèt in prædictis caſibus (in quibus ex officio non tenetur aliquis) non obligetur ad ſubeundum mortis periculum, ante ſuperioris deſignationem; at licitè poteſt illud ſubire, cùm damnum commune imminet; vel etiam particulare, ob motivum charitatis: quia in multis caſibus poteſt quis (licèt non teneatur) ſe exponere periculo mortis ob motivum alicuius virtutis: vt juſtè condemnatus ad mortem poſſet fugere, & liberare ſe; poſſet etiam non fugere, & mortem patienter ſuſtinere: imminet periculum mortis, ſi non contrahas matrimonium; potes non contrahere, ob conſervationem caſtitatis: potes peſte infectos viſitare, inſervire, ſacramenta miniſtrare, etiamſi ad id nec ex officio, nec ex præcepto ſuperioris tenearis: potes tabulam in naufragio relinquere, vt ſalvetur alius per eam, etiamſi tu mortis periculo te exponas: potes non te defendere ab aggreſſore injuſto cum mortis periculo, tametſi licitè poſſes eum occidere, & te ab illius manibus liberare: potes non mutare locum peſte infectum, vt in tua patria moriaris. Et generaliter pro quocumque actu virtutis potes te periculo vitæ exponere, vt tradit D. Thom. *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 2. *art.* 4. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3. niſi ſis perſona multum bono communi neceſſaria; quia tunc non poteris, ob bonum commune, quod debet præponderare.

Quando cũ periculo mortis obligat lex?

130 Similiter teneris quamcumque legem obſervare, quando ab extrinſeco cogeris ob contemptum, vel deriſum religionis, aut alterius virtutis contra illam agere: & ſic non poteris, etiam cum periculo mortis, carnes die veneris comedere, aut jejunium frangere, aut aliam legem eccleſiaſticam, aut civilem non implere; ſi ob contemptum religionis, aut præcepti ad id cogaris; quia tunc eſt bonum divinum & commune, quod ibi præponderat; & quia ab intrinſeco eſt malum in contemptum præcepti aliquid agere. Quapropter celebratur fortitudo Eleazari, 2. *Machab.* 6. qui elegit potiùs glorioſam mortem ſubire, quàm carnes porcinas contra legem manducare: & *eodem lib. cap.* 7. ſeptem pueri Machabæi, ad evitandum religionis contemptum, mortem gloriosè pro lege ſubierunt.

Quando nõ obligat lex cum magno periculo.

131 At non teneris legem divinam, vel naturalem obſervare cum periculo vitæ, quando non imminet damnum commune, vel religionis contemptus, aut præceptum eſt ab intrinſeco malum; & ideò in lege divina Moyſis erat prohibitum laicis manducare panes propoſitionis; & tamen David in extrema neceſsitate poſitus illos manducavit, 1. *Reg.* 12. quod factum approbatur à Chriſto Domino, *Matth.* 12. eo exemplo diſcipulos defendens à calumniantibus, quòd, contra præceptum divinum de obſervatione ſabbati, in ſabbato laborarent, colligendo ſpicas ad ſui ſuſtentationem, vt rectè ponderat D. Tho. 3. *p. q.* 4. *art.* 4. *ad* 3. & 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. vbi etiam laudat factum Machabæorum præliandi in die ſabbati ob vitæ defenſionem. Similiter non occidere alium eſt de jure naturæ; & tamen potes invaſorem injuſtum occidere ob defenſionem propriæ vitæ. Idem dicimus de præcepto non furandi, quando imminet extrema neceſsitas. Secretum obſervare de jure naturæ eſt; & tamen potes ob mortis periculum illud frãgere. (Non loquimur de præcepto ſigilli confeſsionis, quia hoc obligat etiã cum vitæ propriæ periculo; quia magis expedit bono communi eccleſiæ, quòd in omni caſu obſervetur.) Præceptum naturæ eſt ſuccurrere extremè indigenti; ad quod non teneris ſi ipſe es in æquali neceſsitate. Lex naturæ eſt priùs bona conferre probis, quàm improbis; & tamen ex metu gravi potes illa peccatoribus impertiri, vt inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 125. *art.* 4. Ac tandem in præceptis humanis id etiam cernitur; quia non tenetur quis jejunare, à carnibus abſtinere, miſſam audire, feſtum obſervare, recitare officium divinum, quando imminet mortis periculum, vt ipſa praxis, & conſuetudo teſtatur.

Duplex argumentum contrarium ſolvitur.

132 Ex quibus ad contraria argumenta conſtat ſolutio. Ad primum ſententiæ Caietani dicimus, quod licèt præceptum juſtum ordinetur ad bonum commune; non tamen in omni caſu expedit bono communi vitam prodigere pro illius obſervantia: nec id juſtè poteſt præcipere ſuperior, quia duriſsimum eſſet, & contra præceptum juris naturalis. ¶ Ad ſecundum, quod ex pluribus caſibus coaleſcit, dicimus, quod in tribus prioribus non obligat præceptum cum periculo vitæ, & ſic poteſt quis cum conſanguinea contrahere ex metu mortis, dummodò conſummandi matrimonium animum non habeat: hoc enim eſt intrinſecè malum, quod ob nullum periculum fieri poteſt. Nam licèt ſe exponat periculo conſummandi, ab hoc excuſatur, ob vrgentiſsimum damnum, quod imminet. Similiter poteſt Sacerdos metu mortis coactus, abſque veſtibus ſacris ab eccleſia præceptis celebrare. Regulariter tamen, quia id non fieret niſi ob contemptum religionis, non poſſet celebrare ſine illis. Ac tandem poſſe communicare cum excommunicato ad vitandum mortis periculum, diximus *tract.* 10. *de cenſ. c.* 1. *n.* 206. vbi etiam illum textum, ex cap. *Sacris*, explicuimus.

Moniales tenentur ad clauſuram,

133 Duplex vltimus caſus maiorem habet difficultatem. Ad illud de clauſura monialium, relictis aliorum placitis, dicimus, moniales teneri non

etiam cũ periculo vitæ.

non egredi monasterio propter ægritudinem, etiamsi certo sciretur, eas aliter morituras. Tum quia maioris momenti est clausura monialium ad decorem, & honestatem, proindeque ad bonum commune, quàm vita particularis, ne aditus pateat multoties frangendi tale præceptum; cum periculum mortis sæpè crederetur imminere, & medici illarum agnoscentes propensionem, frequentissimè tale remedium consulerent.

In quibus casibus possunt moniales clausurã frangere?

134 Tum etiam, quia Pius V. in bulla, quæ incipit: *Decori, & honestati*, expedita anno 1569. restrinxit decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. quo prohibebatur illas exire, nisi ex justa causa approbata ab Episcopo: & aliud Bonif. VIII. in cap. *Periculoso, de statu Regular.* vt in his solum tribus possent moniales exire, ad quos, præter licentiam Prælati proprij, approbationem Episcopi exigit Primus, in casu incendij domus, ad quem reducitur inundatio, vel incursus hostium, maximè infidelium. Secundus, si sit lepra infecta, vel alio morbo contagioso, ob quod alijs periculum immineat. Tertius, si pestis grassaretur per monasterium. Alij tres sunt vsu, & consuetudine introducti, ad quos non requiritur Episcopi approbatio, sed proprij Prælati sufficit licentia. Primus, si deferatur ad aliud monasterium, vt illi præsideat, aut exhibeat aliud ministerium juxta Trident. *sess.* 25. *cap.* 7. Secundus ratione delicti, si in monasterio nequit congruenter corripi. Tertius, si necessarium sit totum conventum ad alium locum transportare: ergo extra hos casus, qui sunt per Pium V. concessi, & consuetudine introducti, non poterunt moniales præceptum clausuræ frangere: cum ergo casus, de quo loquimur, non sit ex numeratis, censetur excluſus, cum exceptio firmet regulam in contrarium. Ita Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 23. Sanch. *lib.* 6. *Decalog. cap.* 15. *n.* 39. Arauj. 1. 2. *q.* 97. *disp.* 3. *sect.* 4. *difficul.* 3. *fin.* Gregor. Martin. *q.* 96. *art.* 4. *dub.* 6. *in solut. ad* 5.

Non potest Carthusianus à carnibus abstinere, quando non habet alios cibos.

135 In vltimo casu, in quo agitur de obligatione sanctissimæ observationis abstinentiæ à carnibus gravissimæ religionis, & observantissimæ Carthusianorum, vnum certissimum judicamus, quòd si Carthusianus non habeat alios cibos, ita vt fame perire cogatur (quod rarissimè contingit) non tenebitur (imò non posset) à carnibus abstinere (sive ad talem observationem ex voto, vel præcepto, vel ex consuetudine, vel ex instituto obligante illos ad mortale, teneantur) etiamsi inde alij sumant scandalum: esset enim non datum, sed acceptum. Et ratio est, quia si quis non pasceret cibo proximum extremè indigentem, occideret illum, secundum illud D. Ambrosij, relatum in cap. *Pasce, dist.* 86. *Pasce fame morientem, quisquis pascendo hominem servare potest: si non pavisti, occidisti*: ergo etiam est occisor sui, qui cibos, quos præ manibus habebat, relinqueret, ac fame periret. Qua ratione dixit D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 4. quod aliquis non tenetur de necessarijs ad suæ vitæ sustentationem extremè indigenti providere, quia videlicet esset se occidere. Et *quæst.* 69. *art.* 4. asserit damnatum ad fame, pereundum, teneri cibum sumere; si posset, quia alias esset sui occisor quod nunquam licet. In quo conveniunt Authores pro vtraque sententia infrà adducendi.

Si alios cibos habeat potest licitè

136 Sed difficultas est, in casu quo Carthusianus alios cibos habeat; sed ex judicio medicorum dicitur ipsi imminere certò, vel probabiliter mortis periculum, nisi carnes comedat, an posset licitè illis vesci? Posse enim ab illis abstinere ob exemplum aliorum, ob conservationem tàm sanctissimi instituti, quam si aliqui negent, id tamen certissimum judicamus: quia, vt diximus ex D. Thoma *n.* 129. licitum est vnicuique se mortis periculo exponere, ob finem honestum alicuius virtutis: at honestissimus finis est ob vigorem tàm sancti statuti, & rigorem observandum, ne passim labefactetur, & aditus patefiat ad illud enervandum, se vitæ periculo exponere: ergo licitum erit ei in tali casu à carnibus abstinere.

Carthusianus relinquere carnes, etiam cum periculo vitæ.

137 Circa obligationem verò, an teneatur sub mortali ad abstinendum à carnibus in casu dicto, duplex versatur sententia, vtraque satis probabilis, propter vtriusque patronos. Prima negativa, quam tuentur Almainus 4. *dist.* 15. *q.* 2. *propos.* 3. Montesin. *disp.* 23. *q.* 10. *n.* 174. Medin. *Codic. de jeiunio, q.* 13. Victor. *relect. de temperant. num.* 3. Martin. *q.* 56. *art.* 4. *dub.* 7. *concl.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 6. *q.* 7. qui limitat ad casum, quo secretò, & absque scandalo id facere posset. Sed alij absolutè loquuntur, etiamsi scandalum sequeretur, quia dicunt esse acceptum, non datum. Et fundamentum præcipuum illorum est, quia multoties mortis periculo exponeretur, contra præceptum naturale de propriæ vitæ conservatione. ¶ Sed hoc fundamentum nullius roboris est: quia lex naturalis de vitæ conservatione solum tenet, quando vita conservari potest absque dispendio maioris boni communis: sicut lex naturalis de conservatione vnius membri solum tenet, quando non imminet bonum totius: hoc verò imminente, potius lex naturalis iubet prodigere bonum particularis, vt bonum commune conservetur: sicut membrum suum commodum amittit, vt maius bonum totius defendat.

Sententia asserens non teneri Carthusianum à carnibus abstinere cum vitæ periculo.

Tenetur Carthusianus abstinere à carnibus, etiam cũ vitæ periculo.

138 Quare dicendum est, teneri in casu dicto Carthusianum abstinere à carnibus, quando alijs cibis vesci potest, etiamsi ob talem abstinentiam se moriturum sciat: quia lex hæc tanti æstimationis est apud illos religiosissimos Patres, vt meritò præponderare credatur cuiuscumque periculo vitæ; siquidem multum interest bono communi, & splendori religionis, quod abstinentia adeò sacra cum toto rigore conservetur, & ne detur aditus relaxationi illius, ob particulare damnum (quod aliquando erit verum, aliquando incertum, & aliquando falsum) particularium personarum. Ita Vazq. 1. 2. *disp.* 162. latissimè Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *disput.* 8. *sect.* 5. *num.* 27. Arauj. 1. 2. *q.* 94. *disp.* 2. *sect.* 3. *fol. mihi* 607. *column.* 2.

PUNCTUM VIII.

Quibus actibus possit obligationi legis satisfieri?

Præceptum negativum actu non indiget ad sui observationem.

139 PRæmittendum est, legem, seu præceptum, aliud esse negativum, vt est illud, quod prohibet faciendum, licèt verbis imperativis loquatur, dicendo; *fiat cessatio ab operibus*; aliud esse positivum, quod præcipit actum faciendum. Illud ad sui adimpletionem nullum requirit actum, sed cessationem, seu non positionem illius, vt *non furaberis, non occides, non mœchaberis*, & ideò

& ideò ſi præceptum eſſet, quod quis jeiunet vno die hebdomadæ (præceptum enim jeiunandi negativum eſt; licèt verbis poſitivis exprimatur) vel abſtineat à carnibus, &, etiamſi abſque vllo actu voluntatis, verificaretur per vnum diem non niſi ſemel comediſſe, & à carnibus abſtinuiſſe, non teneretur alio die ad talem abſtinentiam. Præceptum autem poſitivum impleri non poteſt, niſi detur actus poſitivus voluntatis, ſaltem, quo velit, & intendat facere actum, qui præceptus eſt; quamvis non velit, nec intendat implere præceptum, de quo ſtatim. Aliud quippè eſt velle, aut intendere præcepto ſatisfacere, aliud verò velle, aut intendere rem mandatam efficere. Ad illud namque requiritur actus voluntatis directè reſpiciens præcepti adimpletionem; ad hoc verò ſufficit actus voluntatis ad ipſam rem mandatam reſpiciens: hic ergo neceſſarius eſt, vt præceptum impleatur, nimirum velle audire ſacrum, vel recitare officium divinum, velle eleemoſynam tribuere: quia lex jubet actum humanum non more pecudum, ſed humano modo exercitum. Unde ſi quis animo ſtudendi divinum officium percurreret, non verò animo orandi, non ſatisfaceret obligationi recitandi, quam habebat. Ita Leſſ. *lib. 2. capit. 37. dub. 11. n. 67.* Sanch. *lib. 1. ſum. cap. 13. n. 2.* Palaus *tract. 3. diſp. 1. punct. 17. n. 2. & 12. fin.* Bonac. *diſp. 1. q. 1. punct. 10. n. 2.*

Qui coactus actum exercet, non ſatisfacit præcepto.

140 Ex quo fit, minimè ſatisfacere præcepto, qui ſimpliciter coactus per violentiam abſolutè talem, opus mandatum exerceret, quia requiritur actus, quo velit rem mandatam exercere, & hoc libero modo: ſiquidem lex actus liberos jubet, quandoquidem datur hominibus, vt humano modo illam adimpleant: & ſic res mandata actus liber eſt. Unde dixit D. Thom. 1. 2. *quæſt. 100. articul. 9.* modum intrinſecum actus, nimirum quod cum electione fiat, cadere ſub præcepto. Quare ſi quis violenter detineretur in eccleſia, aut ſacello, in quo miſſa celebratur, non ſatisfaceret præcepto ſacrum audiendi, niſi poſteà mutaret animum, & liberè vellet miſſæ intereſſe. Idem eſt de eo, qui dormiens, aut ebrius divinum officium recitaret, quia tunc non libero modo actus illos exerceret. Ita Soto *de juſtit. lib. 2. quæſt. 3. artic. 9.* Ledeſm. *ſumm. cap. 27. de Euchariſt. poſt. 10. concluſ. fol.* 344. Molin. *de juſtit. tract. 15. dub. 56. à num. 2.* Gordon. *lib. 2. q. 6. cap. 3. n. 6. & 8.* Martin. 1. 2. *q. 96. art. 4. dub. 2. in concl.* Palaus, Sanch. Leſſ. Bonacin. *ſupra.*

Objectio, & ſolutio illius

141 Nec valet, ſi dicas, quod qui coactus miſſæ aſsiſtit, reipſa rem præceptam ponit, quod ſufficit, vt adimpleat præceptum: ſicut præceptum ſolvendi debitum impleret, vel elargiendi eleemoſynam extremè indigenti, qui reipſa pecunias traderet, licèt coactus, & abſque vlla libertate id efficeret: & ſic non teneretur amplius ad talem ſolutionem, vel elargitionem eleemoſynæ. ¶ Reſpondetur, eum, qui abſque libertate actum efficit, non apponere reipſa actum debitum; ſiquidem actus imperatus eſt actus liber. At in duobus caſibus enumeratis ſolutionis debiti, vel elargitionis eleemoſynæ, quamvis præceptum non adimpleat, qui liberè eos non exhibet; non tenetur amplius ad illos, quia per illam largitionem quomodolibet exercitam ceſſabit præceptum, quod habebat: hoc enim ſolum vrget, quando retinet rem alienam, vel indigens eſt in extrema neceſsitate: quod totum ceſſat per illam qualem largitionem pecuniæ. Undè, ſi ad eleemoſynam largiendam obligaretur, non ob extremam alterius neceſsitatem, ſed vel ex voto, aut pœnitentia impoſita à Confeſſario, non impleret hoc præceptum; ſed teneretur poſteà dare illam eleemoſynam, qui omninò coactus pauperi eleemoſynam tribuit: quia tunc non exerceret actum liberum, & humanum, ad quem tenebatur illis titulis.

Qui ex metu actū mandatum facit, præceptum adimplet.

142 Diximus, *non implere præceptum* (& idem eſt de voto, juramento, pœnitentia à Confeſſario impoſita) qui omninò coactè actum exerceret: quia ſi liberè ſimpliciter tales actus exhibet, tametſi metu gravi coactus eos agat, adimplet præceptum, & non tenetur amplius ad illos: quia metus, quantumvis gravis, quamvis ſecundum quid diminuat libertatem, eam ſimpliciter non tollit, ſed ſimpliciter manet liber ad actum, qui metu gravi impellitur ad eum (& ideò ſi eſſet malus ab intrinſeco, vt fornicatio, adulterium, peccaret mortaliter, qui ex tali metu hos actus efficeret) & cum res præcepta ſit actus liber ſimpliciter, ſatisfacit præcepto, qui actum ex metu exhibet. Vnde pueri qui metu flagellationis miſſam audiunt, præceptum audiendi ſacrum adimplent. Benè verum eſt, quod ſi quis haberet hunc actum expreſſum conditionatum: *Niſi immineret tale damnum, vel talis pœna, non adimplerem præceptum*, peccaret mortaliter: quia voluntas non adimplendi præceptum eſt prava. Cæterùm ſi hoc ſolum haberet habitualiter, quia nimirùm ita diſpoſitus eſſet, quod, niſi damnum immineret, verè non impleret præceptum, non peccaret: quia habitibus nec meremur, nec demeremur.

Intentio ſatisfaciendi præcepto poteſt eſſe poſitiva; & negativa fundamentaliter.

143 Sed quæres primò, an non ſolum requiratur, ad adimplendam legem, voluntas, & intentio faciendi opus præceptum, ſed etiam voluntas, & intentio adimplendi præceptum? Quod bifariam poteſt intelligi. Primò, quando quis ſe habet merè negativè reſpectu impletionis præcepti, vt ſi audiret ſacrum neſciens eſſe diem feſti, vel de eo non recordans. Secundò ſi ſciens teneri ad tale opus, haberet poſitivam intentionem non ſatisfaciendi præcepto, per hoc quod agit; vt ſi quis primo mane audiret ſacrum ex ſola devotione, animo, non ſatisfaciendi tunc præcepto, vt poſteà cogeretur aliud audire: vel ſi ſcrupulis angeretur recitando divinum officium; & poſitivè intenderet non implere præceptum per illud officium, quod modo recitat, animo poſteà illud integrè recitandi. Et quod dictum fuerit circa legem, ſentiendum eſt circa quodlibet aliud præceptum, votum, juramentum, vel pœnitentiam impoſitam à Confeſſario: vt ſi quis non haberet animum adimplendi votum, vel pœnitentiam per calculum virginis, quod recitat; vel poſitivè intenderet non implere: an ſine nova recitatione roſarij ſatisfaciat voto, aut pœnitentiæ, ex quibus ad illud recitandum tenebatur? Duplex datur ſententia, vtraque ſatis probabilis.

Sententia aſſerens requiri intentionē ſatisfaciendi præcepto, vt impleatur.

144 Prima tenet, requiri intentionem, ſaltem virtualem, vel interpretativam, adimplendi præceptum, vt per opus exercitum impleatur; quam cenſetur habere ille, qui non recordatur præcepti, vel illud ignorat: vnde ſi hanc non habeat (quod verificatur, quando habet poſitivam voluntatem non implendi præceptum) non implet illud, qui cum tali voluntate opus mandatum exercet. Ideòque ſi audis miſſam, vel recitas divinum officium intendens non ſatisfacere præcepto; teneris poſteà miſſam audire,

audire, officium repetere: & si tempus pro adimpletione transeat, fregisti præceptum: & consequenter, si extent censuræ impositæ contra non audientes missam, eas incurristi, si tali animo missam audisti. Quod probant, quia auditio sacri præcepta, non solùm est actus religionis, sed obedientiæ, quia diversum quid est audire sacrum ex devotione, ac audire ex præcepto: ergo teneris voluntatem habere non solum exercendi opus, sed implendi præceptum: & ideò si non ex animo facis, teneris posteà sacrum audire. Quemadmodum si quis centum Petro deberet, & ex pura liberalitate centum daret, teneretur posteà centum debita ex justitia solvere, quia ex liberalitate dare, & ex justitia solvere est longè diversum. Ita Arauj. *tom.* 1. *in* 1.2. *quæst.* 97. *disp.* 3. *sect.* 4. *difficult.* 4. *ad* 2. *object.* Medin. *Cod. de orat. tract.* 16. *quæst.* 16. Martin. 1. 2. *quæst.* 96. *articul.* 3. *dub.* 3. Ledesm. *de Eucharist. cap.* 27. *post* 10. *conclus. fol.* 346. Sylvest. *verb. Hora*, *quæst.* 11. *disput.* 15. *num.* 14. Henriq. *lib.* 6. *de Missa, cap.* 25. *n.* 6. & alij.

Etiamsi quis intendat nõ implere præceptum, illud implere potest.

145 Verius tamen dicendum est, satisfacere præcepto audiendi sacrum, qui animo non adimplendi præceptum illud audit, consequenterque non teneri posteà aliud audire, nec incurrere censuras, si quæ sunt impositæ contra non audientes sacrum, si aliud eo die non audierit: peccabit tamen mortaliter, si in animo non satisfaciendi præcepto perseveraverit, & tempus ad satisfaciendum aptum præterierit; non quia frangit præceptum positivum audiendi sacrum; sed quia operatur contra præceptum naturale prohibens habere animum non adimplendi præceptum: si verò non recordetur posteà illius animi, nullum peccatum committet; vel si recordatus tempore debito contentus sit cum illa auditione sacri, & velit per eam satisfacere præcepto, non tenebitur posteà aliud audire. Idem dicito in jejunio, recitatione officij divini, & in alijs præceptis. Quorum omnium ratio est: quia præceptum solum jubet rem faciendam, nimirùm audire sacrum modo humano, ac libero: non verò intentionem habere præceptum illud adimplendi. Et ideò sufficienter impletur per obedientiam materialem, qua res præcepta exhibetur; non autem requiritur obedientia formalis, qua præcepti intenditur adimpletio: aliàs, si quis obliviscetur rem esse præceptam, vel illud nesciret, non impleret præceptum apponendo rem præceptam, quia non exerceret actum obedientiæ formalis: quod etiam Authores contrarij negant. Ita Arag. 2.2. *q.* 83. *art.* 13. *fol.* 864. Pal. *tract.* 3. *disp. punct.* 17. *n.* 12. Valent. 2.2. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 1. *vlt. fine*, Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 26. *n.* 8. Sanch. *lib.* 1. *sum. cap.* 13. *n.* 13. Less. *de justit. cap.* 37. *dub.* 10. *n.* 59. Gordon. *lib.* 2. *q.* 6. *cap.* 3. *n.* 9. Salas *de legib. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 23. Bonacin. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 10. *num.* 9.

Solvitur cõtrarium argumentum: & in materia justitiæ ostenditur requiri intentionem debito satisfaciẽdi.

146 Ex dictis constat ad fundamentum contrariæ sententiæ. Ad paritatem verò ibi adductam de eo, qui ex justitia debebat centum, & ex misericordia, aut liberalitate totidem donavit; dicimus, hoc esse speciale in debitis ex justitia, quibus vt satisfiat, requiritur intentio satisfaciendi debito: quia cum justitia petat æqualitatem inter rem, & rem; per eandem rem non potest fieri adæquatio cum re ex duplici titulo debita, nam si solvas quinquaginta, adæquare non poteris cum debito duplicis quinquaginta, quod in re est centum. Cum ergo Petrus per acceptationem gratuitæ donationis à suo debitore facta novum jus ad illa centum acquisisset, alia centum pro primo jure extinguendo, remanent solvenda: ob idque, vt debitum solvas, debes dare, non ex intentione donandi, sed ex intentione solvendi: vt est apud Doctores commune. Licèt aliquos referat Sanch. tacito nomine, *consil. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 121. asserentes, non teneri solvere eum, qui ignorans debitum, centum gratiosè dedit creditori, à quo nihil gratis accepit, quod non esse omninò improbabile, latè probat Fr. Ludov. à Concep. *in examin. moral. tract.* 2. *de restit. cas.* 2. *num.* 6. si talitèr esset affectus donans, quod minimè centum donaret, si illa se debere sciret: quia si error dans causam contractui eum annullat, secundum aliquos, etiam donatio gratiosa ex errore, aut oblivione debiti procedens potest in ratione donationis annullari, & pro compensatione debiti haberi.

Per actum malum ex circũstantia potest præceptũ legis impleri.

147 Quæres secundò, an præceptum legis impleri possit per actum peccaminosum? Respondetur affirmativè: vt si missam audias, vel jejunes ex vanitate, aliove pravo fine, præceptum jejunandi, & audiendi sacrum implevisti (idem dicendum est de voto, pœnitentia, &c.) quia lex præcipit actum, non modum; nisi tamen modus sit intrinsecus actui: vt inquit D. Thom. 1.2. *q.* 96. *art.* 3. *ad* 2. & *q.* 10. *art.* 9. & 10. sed qui jejunat ex vanitate, vel audit missam animo videndi mulierem, verè apponit actum secundùm substantiam: ergo implet præceptum. Ita communiter moderni contra nonnullos antiquos, qui per actum peccaminosum ex pravo fine non posse impleri præceptum asserebant, fundati in illo textu legis *Non dubium, C. de legib. leg. Contra legem, ff. eod. tit.* vbi dicitur: *Is in legem delinquit, qui legis verba amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem*; at intentio, & voluntas legis est facere bonos: ergo delinquit contra legem, qui per actum pravum mandatum legis adimplet. ¶ Sed dicendum est, duplicem esse intentionem legis: aliam de re præcepta, & consequenter de modis intrinsecis illius, vt si præcipiat missam audire, aut officium divinum recitare, præcipit etiam debitam attentionem, quæ est modus intrinsecus actui, sive de substantia illius; aliam de fine intento per præceptum, vt finis præcepti jejunij est maceratio carnis, & elevatio mentis in Deum, juxta illud, quod canit ecclesia: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.*

Finis legis non cadit sub lege.

148 Itaque intentio rei præceptæ, & modi intrinseci illius, cadit sub præcepto: imò est vita, & forma præcepti; finis verò per præceptum intentus, qui est facere bonos, non cadit sub præcepto: & ideò dixit D. Thom. 1.2. *q.* 96. *art.* 3. *ad* 2. finem legis non cadere sub lege. Vt cernitur in exemplo posito præcepti jejunij, quod potes implere, etiamsi lautè comedas, & nullo modo per illud caro maceretur, nec mens in Deum elevetur. In quo differt præceptum charitatis ab alijs præceptis juris divini, naturalis, aut positivi: hæc enim in singulari impleri possunt, tametsi pravo fine actus adimpletivus vitietur; non verò præceptum charitatis: quia ex se respicit vltimum finem divinum; & sic impleri non potest cum prava intentione finis creati, vt rectè asserit D. Thom. *q.* 109. *art.* 10. Dixi, præcepta etiam naturalia, aut divina in particulari impleri posse per actum pravũ: nam cum hoc stat, violati præceptum naturale, & divinum in illo casu prohibens in generali apponi

malum

malum finem actui virtutis, qui exercetur, contra quod peccat, qui ex malo fine actum exercet, & erit malitia illius speciei cum fine pravo, quem apponit. Cæterùm non peccat contra præceptum, v.g. dandi eleemosynam extremè indigenti, jeiunandi, audiendi sacrum, sed tale præceptum implet, etiamsi ex vanitate, aut alio fine pravo actum imperatum exerceat. Ita Martin. *q.96 artic.5.dub. 2. initio*, Arauj.*q.97.disp. 3. sect.4.diff.*4.Bordon.*lib.2. q.9. cap.*11.*n.*42.Bonac.*disp.1.q.1.punct.* 10.*n.*19. Soto *lib. 2.de justit.q.3.art.9.* Sanch.*lib. 1.sum. cap.* 14.*n.*1.Palaus *tract. 3.disp.1.punct.*18.*n.3.*

PUNCTUM IX.

Quomodo per eundem actum, & eodem tempore possint plures leges impleri.

Potest quis extra materiam justitiæ per vnum actum pluribus satisfacere.

149 CErtum est, in materia justitiæ non posse aliquem per eundem actum pluribus debitis satisfacere: vt si debeas Petro centum ex contractu, totidem ex promissione acceptata, totidem ex illicita acceptione, vel furto, non potes satisfacere; centum dando illi, propter rationem dictam *num.* 146. in quo omnes Doctores conveniunt. Quare præsens dubium procedit respectu aliarum virtutum: vt si debeas audire sacrum ex voto, ex præcepto ecclesiæ, & ex pœnitentia Confessoris; an per auditionem vnius missæ omnibus his præceptis satisfacias? In quo certissimum est, te posse per vnicum actum pluribus præceptis satisfacere, quæ cadunt supra eandem materiam: vt eodem jeiunio potes satisfacere voto jeiunandi, pœnitentiæ Confessoris, præcepto ecclesiastico, si sit vigilia, & alteri præcepto, si talis vigilia cadat in quadragesima. Similiter si voveas eleemosynam dare, & occurrat extremè indigens, & à Confessore imponatur tibi eleemosyna pro pœnitentia, satisfacere potes per eandem elargitionem eleemosynæ, & voto, & præcepto naturali subveniendi extremè indigenti, & pœnitentiæ injunctæ à Confessario; sicut per eandem recitationem officij divini satisfacit Sacerdos beneficiarius, & obligationi beneficij, & præcepto ordinis: quia non implicat quod res vno titulo debita, alijs titulis debeatur, maximè in his, quæ ex mera voluntate mandantis dependent. Ita Medina *Codic.de satisfact.q.*4. Sanch.*lib.1.sum. cap.*14.*n.*5. Bonac.*disp.1.q.1.punct.9.n.*4. Palaus *tract. 3.disp. 1.punct.9.n.*2.

Quãdo præceptum novũ nõ multiplicat obligationem.

150 Sed difficultas est, quando præceptum superveniens cadat supra eandem materiam, ita vt per vnicum actum possimus vtrique satisfacere? Respondetur, id colligendum esse ex circumstantijs occurrentibus, quando de mente obligantis non constat: vt si quis voveat castitatem, & alio, aliove voto castitatem promittat, semper vnam tantum obligationem subit, nec est in potestate voventis multiplicare obligationes; aliàs posset ab initio omnes illas sibi imponere, quod est falsum, vt rectè asserit Sanchez *loc. citat.* Idem dicimus, si à superiore id ipsum, quod præceptum est ab inferiore, vel è contra, de novo imperetur, & ex eodem motivo; vt præceptum naturale non furandi, non occidendi, & positivum de illis, non multiplicat obligationem. Vnde si posita essent præcepta circa illas materias, per vnum actum implerentur. Sed quando ex diverso motivo mandatum procedit, nisi constet de mente mandantis, regulariter distinctum actum deposcit ab eo, quod præcedens præceptum exigebat: quia sic communiter mandantes intendunt novum onus imponere, & ideò in dubio de intentione Legislatoris, sentiendum est, velle novum actum exigere: quia in dubijs juxta communiter accidentia judicandum est. Ita Authores citati.

Exempla præcedentis doctrinæ.

151 Exemplis hoc declaratur. Habes votum recitandi calculum virginis semel, vel bis in hebdomada, imponitur tibi à Confessario, quod bis recites rosarium; non satisfacis vtrique obligationi per eandem recitationem; quia regulariter Confessarius voluntariam tibi imponere pœnitentiam intendit, non debitam, nisi aliud exprimat. Habes votum jeiunandi, & tibi jeiunium imponitur à Confessario, & advenit dies jeiunij ex præcepto, nisi constet de mente voventis, aut mandantis, teneris aliud jeiunium propter votum, aliud propter pœnitentiam, aliud propter præceptum ecclesiasticum implere. Si vero vovisses recitare rosarium per vnum mensem, vel hebdomadam, aut jeiunare, & tibi jeiunium, non determinando diem, aut rosarij recitatio à Confessario imponeretur; probabile est, te satisfacere per vnum actum omnibus illis obligationibus: quia, nisi exprimat Confessarius, non est sentiendum velle tibi adijcere ad tantum onus. Oppositum dicimus, si tibi jubeat Confessarius bis, aut tertio audire sacrum: non enim satisfacis per auditionem sacri, ad quam diebus festis teneris; nisi dicat, quod audias per vnum mensem, aut hebdomadam singulis diebus, quia tunc, si occurrat dies festus, cum vnius missæ auditione poteris esse contentus.

Quod si ignoret pluribus titulis ad actum teneri, cuinam illorum satisfaciet?

152 Si verò contingat, te ex pluribus titulis esse obligatum vnam missam audire (idem in diversis exemplis poterit philosophari) quia nimirùm vovisti eam, est dies festus, & tibi imposita est à Confessario; si quando audis missam intendis tali determinatè obligationi satisfacere, illam adimples, non aliam: si verò non recorderis alicuius, & rem præceptam apponas, vel intendas satisfacere, quantum possis, debitis, videndum est, an talis res, ad quam teneris, divisibilis sit; vt si tenearis ex voto, & mandato Confessoris eleemosynam largiri, & etiam ob incerta debita ad id eras adstrictus; tunc censendus es pro rata cuilibet obligationi satisfacere, manendo cum obligatione ad singula debita, quæ supersunt. Si tamen talis materia non sit divisibilis, vt in exemplo de obligatione audiendi sacrum, aut jeiunandi cernitur, tunc judicandum est, te velle satisfacere vrgentiori obligationi, vt est lex ecclesiastica, & suo ordine reliquis; nisi aliquod ex illis debitis sit de justitia, quia, vt diximus *n.*149. debitum ex justitia, nisi adsit intentio solvendi illud, non impletur; ideoque illi nullo modo satisfacies, per hoc quod rem debitam efficias; nisi simul habeas saltem illam generalem voluntatem satisfaciendi debitis, quantum possis. Ita Palaus *n.9.* Sanch.*d n.6.* Bonac.*n.13.*

Eodem tempore potest quis plures leges implere.

153 Circa secundam partem puncti, certissimum judicamus, posse quemquam per diversos actus eodem tempore factos satisfacere pluribus obligationibus illo tempore occurrentibus, si actus efficias quales, & quomodo præcepta postulant: vt audiendo missam, potes officium divinum recitare, vel calculum Virginis, ad quod

vel

vel ex voto, vel ex pœnitentia teneris: quia exercendo tales actus qualitèr per præcepta postulantur, agis quidquid per præcepta exigitur: ergo illa executioni mandans: nec enim potentia intellectiva nostra adeò est limitata, vt non possit duplici illi actioni, vt par est, attendere. Ita Ledesm. *sum. de Eucharist. cap.* 27. *fol.* 343. Soto 4. *distinct.* 19. *q.* 2. *art.* 1. Henriq. *lib.* 9. *de Missa, cap.* 25. *n.* 5. Suar. *de Sacram. disp.* 38. *sect.* 6. *n.* 5. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 9. *n.* 8. Pal. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 20. *n.* 1. Sanch. *sum. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 11. Qui etiam *n.* 12. cum Ledesm. inquit, posse qui teneretur ad duplicem missam audiendam, satisfacere tali obligationi, si simul, & semel duplicem illam audiret; imò etiamsi triplicem, inquit Sanch. quando ita coniunctæ essent, vt verè diceretur esse præsentem moraliter illis.

PUNCTUM X.

Quando censeatur peccare impedimentum opponens, vel non tollens, legi, vel præcepto adimplendis?

Rationes pro vtraque parte dubitandi circa materia puncti.

154 DUbitari non potest, esse plura impedimenta impedientia observationem legis; quæ si apponantur, vel apposita non removeantur, peccat qui hoc facit, vel omittit: quia Legislator finem, aut rem præceptam intendens, & mandans, etiam jubet media apponi ad illam exequendam; & consequenter removere, vel non apponere illa, quæ tali obstant executioni. Ex alia parte, non semper id verificari, liquido constat: nam sic teneretur dives non laborare, si labor illum ab obligatione jeiunij eximeret; teneretur non itinerare pedestris, vel in alium diem peregrinationem relinquere; quod nemo asserit: excommunicatus teneretur ex præcepto sacrum audiendi, se procurare absolvi ab excommunicatione, vt posset sacrum audire; aliàs peccaret contra hoc præceptum, cuius oppositum, agentes de excommunicatione, diximus. Quare videndum est, quando tenearis hæc impedimenta tollere, quando verò possis licitè ea apponere, quamvis sint impeditiva præcepti?

Regula ab aliquibus assignata.

155 Circa quod nobis non placet regula, quam adhibent Greg. Martin. 1. 2. *q.* 71. *art.* 4. *dub.* 4. Pal. *tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 21. *n.* 3. Quod videlicet, si impedimentum sit proximum rei præceptæ, peccas illud apponendo: si verò sit remotum, quia aliquibus diebus, antequam præceptum vrgeat, apponitur, non teneris illud removere. Vt si, tempore quo vrget auditio sacri, somno te tradas, vel studio, vel ludo, peccas: quia proximè apponis impedimentum obstans executioni præcepti. Similiter si inebriaris die, quo debebas recitare officium, sacrum audire; peccas per omissionem talium præceptorum: & idem dicunt de eo, qui cibum nocivum sumeret proximè ad tempus præcepti, prævidens futuram infirmitatem, ratione cuius impediretur ab observatione illius. At verò si aliquibus antea diebus in morbum, ebrietatem, aliudve impedimentum ex sua culpa incideret, dicunt non peccaturum, quando præceptum proximè vrget; licet non recitet, aut sacrum audiat, aut jeiunet: quia præcepta, quæ sunt de jure positivo, non semper obligant impedimenta tollere, aut non apponere illorum observationi contraria.

Impugnatur prædicta regula.

156 Hæc tamen doctrina displicet: quia si semel impedimentum est causa vera omissionis rei præceptæ, semper erit malum per ordinem ad illam. Quod enim proximè, vel remotè ponatur, non obstat, quod verè, quando præceptum adest, impediat: si ergo tenetur tollere impedimentum, seu non apponere proximè, quando vrget præceptum; etiam tenetur non apponere illud remotè, si impedimentum duraturum est vsque ad tempus præcepti; quia tunc prævidens duraturum vsque ad illud, & volens illud apponere, perinde est, ac si de facto tunc impedimentum rei præceptæ existeret. Vt si Sacerdos navigationem orsurus mitteret breviarium in mare; sive hoc faceret diebus viginti ante navigationem, sive proximè quando mari se commisit, semper peccat, quia impedimentum apponit recitationi officij divini, ad quam tenetur. E contra, etiamsi proximè quis ponat impedimentum præcepto, non videtur operari contra illud, nec peccare: vt si hoc die jeiunij labores, pedestris iter agas, quod alio die facere poteras, impediris ab observatione jeiunij; & non ob id te peccaturum, nec prædicti Authores, nec alij communiter concedunt.

Quid præsupponatur ad quæstum.

157 Investiganda verò est alia via, vt cognoscamus generaliter, quando teneamur tollere impedimenta, vel non apponere præcepti observationi obstantia? Et non quærimus in præsenti an de facto peccet, omissionibus secutis, quando præceptum vrget, an solum in causa, quando impedimentum apponit? Vt qui breviarium misit in mare, an non solùm peccaverit mittendo, sed quandiù de facto diebus sequentibus recitationem omittit: & qui somno se committit, prævidens se non auditurum sacrum, vel non recitaturum officium, an non solum peccet, quando somno se tradit, sed quando tempus pro obligatione præcepti præterijt. Id enim longam petebat disputationem, quam latè exagitant Thomistæ 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. & sive vnum, sive aliud dicatur, ad nostrum intentum parum interest; semper enim verificatur, apponentem illud impedimentum, de quo diximus, tunc peccare, quando illud ponit, vel non tollit, si potest removere. Quare dubium est, quando peccet apponendo illud, vel non removendo per ordinem ad præceptum, cuius impedit impletionem; quidquid sit, an ex alio capite ponendo impedimentum peccet: vt si cibum nocivum sumat, prævidens futuram infirmitatem, si se inebriet, si iter agat ad quærendam concubinam, dubium non est, peccare, vel contra charitatem, vel temperantiam, vel castitatem; sed hoc aliunde est. Nobis tamen solum est investigandum, quando peccet ex hoc precisè quod impletioni præcepti impedimentum apponat?

Aliud est lege exonerari, aliud excusari ab impletione legis.

158 Pro quo nota ex N. Salmanticens. 1. 2. *q.* 71. *tract.* 13. *de peccat. disp.* 5. *dub.* 6. Aliud esse, quod quis non obligetur lege, seu sit ab ea absolutus; aliud quod excusetur à transgressione legis; manendo tamen sub eius obligatione. Nam malum non est (etiam objectivè) nolle adimplere legem, vel impedimentum ponere illius adimpletioni, cum quis lege non est obligatus: quia, si non teneor ad obligationem legis, cur erit malum me nolle illam observare? At verò qui excusatur à transgressione legis manendo sub illa, malum facit (objectivè saltem) non observando legem; quamvis excusari poterit, vel ex ignorantia, vel impotentia à peccato commisso in tali transgressione. Vnde fit, dupliciter posse aliquem impedire se à legis observatione, vel

vel apponendo cauſam, per quam à legis obſervatione extrahatur, vt, ſic extractus, legem non poſsit adimplere; vel efficiendo opus, quod, licèt ſit cum legis obſervatione incompoſsibile, illum tamen non extrahit ab obligatione legis. Sit exemplum primi: ſi tu, ſciens in hac civitate obligari omnes ad jeiunium, tendis ad aliam, vbi tale præceptum non viget, extractus es ab obligatione legis. At verò ſi die dominica venationi te tradas, & ita à loco, vbi miſſam audire poſsis, diſcedas, vt non poſsis tempore ſacri venire, opus exerces incompoſsibile cum auditione ſacri; non tamen ab illius obligatione extraheris: nam hæc vbique die dominica obligat.

Diverſitas inter præcepta naturalia & poſitiva, quoad hoc.

159 Secundò notandum eſt, eſſe diverſitatem, quoad dicta, inter leges naturales, & poſitivas; nam lex naturalis, cum proveniat ex rerum natura omni tempore, & loco obligat; vt *non occides*, *non mœchaberis*, *non mentieris*. Quare nullum impedimentum potes apponere, per quod extraharis ab illarum obligatione. Nec tibi proderit, ſi dicas, de ratione legis eſſe, quod ſit, nedum phiſicè, ſed & moraliter adimplebilis: poteſt autem impedimentum advenire, quod tam moraliter, quàm phiſicè lex inadimplebilis reddatur. Nam reſpondetur, de legis ratione tantum eſſe, quod ſit moraliter adimplebilis reſpectu multitudinis, pro qua fertur: maior autem, vel minor extenſio in ea ſumitur, tum ex honeſtate, & neceſsitate materiæ, tum ex maiori, vel minori poteſtate Legislatoris.

Præcepta poſitiva non ſemper, & omnes obligant.

160 Vnde præcepta, quæ ſunt juris poſitivi, & humani, non obligant cum tanto rigore: quia ſolum ex intentione Legislatoris pendet eorum obligatio, cuius eſt limitare illam, vel ad hoc tempus, non ad aliud; ad hunc locum, non ad illum, reſpectu vnius perſonæ, non alterius: & etiamſi ad omnes extendatur, non verò ſemper obligant abſolutè, ſed ſub quadam tacita conditione: *Si non ſis impeditus*: *ſi non ſis infirmus*: *ſi viribus non deficias*: *ſi non ſis defeſſus*: & ſic plura impedimenta poſſunt apponi, ratione quorum ponatur homo, vel in loco, vel in tempore, vel in ſtatu, in quibus extractus ſit ab obligatione eorum. Hæc autem impedimenta, quæ hominem extrahere poſſunt ab obligatione legis, non ſunt æqualia in omnibus præceptis; alia enim graviora ſunt, & maiorem cauſam expoſcunt, vt non obligent; alia leviora, quæ minorem: ideòque neceſsitas, quæ extrahere poteſt ab obligatione vacandi à ſervilibus in die feſto, non ſufficiet ad extrahendum ab obligatione auditionis ſacri: labor, aut infirmitas, ſufficiens ad extrahendum ab obligatione jeiunij, non ſufficient ad excuſandum à recitatione officij divini. Quæ verò ſufficiant in vno præcepto, quæ in alio, pendet ex diverſa conditione vtriuſque, & de ſingulis agere, non eſt præſentis loci; ſed quando materia cuiuſcumque occurrerit, in ſuis proprijs locis aſsignabimus.

Caſus particulares, quibus non peccat, qui impedimentum apponit.

161 Ex dictis conſtat, eum qui eſt excommunicatus, non peccare, ſi abſolutionem non procuret, contra præceptum audiendi ſacrum: quia hoc præceptum ſolum obligat non impeditos; & non peccat, qui impedimentum apponit, quo extrahatur ab obligatione præcepti. Similiter non peccat contra præceptum jeiunij, auditionis ſacri, recitationis officij divini qui ſua culpa incidit in infirmitatem, etiamſi prævideret per eam impediri à tali obligatione: quia per infirmitatem extrahitur ab obligatione talis præcepti, quod non obligat niſi valentes viribus. Similiter non peccat contra præceptum jeiunij, non jeiunando, qui die jeiunij pedeſtris iter agit, vel ſi multum laboret, ita vt ſine gravi incommodo jeiunare non poſsit; vel id faciat ex neceſsitate, vel ex vtilitate, vel etiam ex vitio, vt ſi in pilæ ludo, aut venatione multum ſe exerceat, vel etiamſi iter aſſumat ad inviſendam amaſiam, aliove pravo fine. Lex enim jeiunij ſolum obligat valentes viribus, non debiles, aut defeſſos: & ſic impedimentum apponit, quo extrahatur ab obligatione jeiunij. Ita Henriq. *lib. 9. cap. 25. n. 11. in comment. lit. P.* Medin. 1. 2. *q. 77. artic. 7. & in ſumm. in declarat. 3. præcept. cap. 14. §. 10. fol. 101.* Sanch. *lib. 1. ſumm. cap. 15.* & non videtur ab hac ſententia diſſentire Ioann. Sanctius *in ſelect. diſp. 54. n. 20.* quos referunt, & ſequuntur N. Salmant. *loc. cit. n. 97. & 100.*

Caſus, in quibus peccat, qui ſe impedit ab obſervatione legis.

162 At verò peccat contra præceptum, cuius impletionem impedit, qui impedimentum apponit, vel non tolit, adimpletioni præceptorum naturalium, & divinorum; niſi ex aliqua ratione, nimirùm ex ignorantia, neceſsitate, vel impoſsibilitate excuſetur: quia hæc præcepta ſemper obligant, & nullum eſt impedimentum extrahens ab obligatione illorum. Vnde qui, prævidens in ebrietate ſe hominem occiſurum, facit aliquid, per quod ebrius fiat, peccat contra præceptum prohibens homicidium: qui non abſolvitur, cum poſsit, ab excommunicatione tempore, quo inſtat præceptum communionis paſchatis, peccat contra illud, vt diximus *tract. 10. de Cenſuris*, quia illud eſt præceptum divinum, licèt ab eccleſia tempus illius deſignetur. Similiter qui ſe inhabilem reddit ad obſervationem ſui inſtituti, peccat contra talem obligationem: quia ex jure naturæ tenetur ad oppoſitum: qui ſe ſomno committit, ludo, vel ſtudio tradit, vel ſe inebriat tempore, quo audire ſacrum, vel officium recitare divinum tenebatur; peccat, ſi hoc voluntariè, & abſque gravi neceſsitate efficiat: quia ebrium, dormientem, ſtudentem, ludentem, &c. illa præcepta ſemper obligant: nec enim per ebrietatem, aut ſomnum extrahuntur ab illis, & ideò non excuſantur, ſi voluntariè, & abſque neceſsitate talia apponant impedimenta. Idem dicimus de Clerico projiciente breviarium in mare tempore navigationis, quòd ſcilicèt peccat contra præceptum recitandi officium divinum: quia ſemper ſub lege continetur, & abſque neceſsitate impedimentum apponit illius impletioni. Ita Authores citati, & ferè omnes communiter.

Qui animo ſe ex onerandi à lege aliquid faciat peccare aliqui dicunt.

163 Sed reſtat difficultas in caſibus, in quibus quis extrahitur ab obligatione præcepti, an peccet impedimentum apponens, ſi eo animo faciat, vt à legis obligatione eximatur; vt ſi iter agat, aut fatigetur, vt non jeiunet: ſi infirmitatem voluntariè ſubeat, vt ab hoc, & alijs præceptis eximatur? Affirmat peccare Salas 1. 2. *quæſt. 13. diſput. 2. ſect. 9. num. 118.* quem refert, & ſequitur Palaus *tract. 3. diſput. 1. punct. 21. numer. 3.* Medina, & Henriquez *loco citato*, Alvarez 1. 2. *quæſt. 71. articul. 5. diſput. 127.* quoniam fraus nemini debet patrocinari, nec debet aliquis commodum reportare ex dolo: ergo qui doloſa illa intentione, & in fraudem legis jeiunij vult ab eius obſervatione impediri, non debet à jeiunandi obligatione exonerari.

Satis

Probabile eſt nõ peccare, qui animo ſe exonerandi à lege impedimentum apponit.

164 Satis tamen eſt probabilis, & ab intrinſeco fortè probabilior, ſententia negans, in tali caſu peccare: quia, eo ipſo quod aliquis extrahatur ab obligatione legis, ſeu lex illum non obliget (ſive hoc bona, ſive mala intentione, ſive licitè, ſive illicitè factum ſit) eſt incapax delinquendi in effectu contra talem legem: ergo ex quocumque motivo ponat impedimentum, quod ipſum extrahit ab obligatione jeiunij, non peccat contra jeiunij præceptum; ſed vtitur jure ſuo, quo poteſt exonerari à lege, & extrahi ab obligatione illius. Quemadmodum ſi quis animo non jeiunandi exeat ab hac civitate, vel vico, in quo obligat jeiunium, & in alium ſe conſtituat, in quo ab obligatione jeiunij ſit exoneratus, non committit fraudem contra legem jeiunij, ſed ſuo vtitur jure, nec commodum ex dolo dicitur reportare. Ita Ioannes, & Thomas Sanchez, Filliucius, Fagundez, Azor, Villalob. quos referunt, & ſequuntur N. Salmanticenſ. *tract. 13. de peccatis, dub.6.n.103.*

CAPUT III.

De Poteſtate ferendi leges, & de his, qui legibus ſubijciuntur.

AGimus de legibus quoad earum naturam, & objectum, de promulgatione, alijſque proprietatibus illarum, deque obligatione ſubditorum illis obtemperandi, & de actibus, quibus poſſunt leges impleri. Nunc ad cauſam efficientem, & materialem legis devenimus, ſeu ad inveſtigandum, in quibus poteſtas condendi leges reſideat, & qui ſint ſubjecti, qui legibus obedire tenentur? Has duas partes in hoc capite advnamus, quod quinque Punctis complebitur.

Punct.I. *IN quibus reſideat poteſtas condendi leges civiles?* n.1.
Punct.II. *De his, in quibus poteſtas reſidet condendi leges canonicas, aut eccleſiaſticas.* num.13.
§.I. *De perſonis ſingularibus, in quibus poteſtas legislativa eccleſiaſtica reperitur.* num.14.
§. II. *De communitatibus, in quibus poteſtas ferendi leges reperitur.* num.23.
Punct.III. *An Princeps teneatur obſervare leges, quas ipſe tulit?* num.34.
Punct.IV. *Quomodo pueri, amentes, infideles legibus humanis obligentur?* n.47.
Punct.V. *An peregrini, & vagi teneantur legibus ſuæ patriæ, & locorum, per quæ tranſeunt?* num.53
§. I. *De advenis, & alienigenis, an teneantur obſervare leges, vel conſuetudines locorum, per quæ tranſeunt?* num.54.
§. II. *An abſentes à ſuo territorio teneantur legibus illius?* num.62.

PUNCTUM I.

In quibus reſideat poteſtas condendi leges civiles.

Qui ordinariam, & delegatam habent poteſtatẽ legiſlativam.

1 IN hoc puncto, & ſequenti loquimur duntaxat de his, in quibus reſidet poteſtas legislativa jure ordinario, quia circa hoc certæ poſſunt aſsignari regulæ; non de his, in quibus ex delegatione reperitur: quia cum delegatio ex mera voluntate delegantis dependeat, eo modo, & ſub illis conditionibus poterit delegatus leges ferre, quomodo ſibi conceſſum fuerit, & non aliter. Certiſsimum autem eſt, eum, qui ordinariam poteſtatem obtinet leges ferendi, poſſe talem facultatem alteri delegare. Id enim proprium eſt habentis ordinariam juriſdictionem; nec eſt ratio, aut textus, aut conſuetudo hanc virtutem delegandi tollens ab habentibus ordinariam poteſtatem legislativam.

Datur poteſtas legislativa in homĩbus.

2 Dari in hominibus poteſtatem leges civiles condendi, eſt certum, & ſecundum fidem diffinitum in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. *& vltim.* habeturque in illo ad Roman. 3. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et probat Div. Thom. *opuſcul.*20. *de regim. Princip. lib.*1. Quia ad conſervationem boni communis requiritur eſſe aliquam communem, & publicam poteſtatem, qua communitas gubernetur: *quia vbi non eſt Gubernator, corruet populus.* Proverb.11. ſed Gubernator non poteſt, niſi medijs legibus, communitatem ad bonum commune dirigere. Dicendum ergo eſt, in hominibus dari poteſtatem condendi leges, quibus bonum commune promoveatur, ne ſinguli cives divertantur ad bona privata propria, & deſerant bonum publicum, & commune. Videantur Driedo *lib.* 1. *de libertate Chriſt. à cap.*1. Caſtr. *de leg. pœnal. lib.* 3. *cap.*4. Sot. *lib.*2. *de juſt. q.*2. *art.*4. Tap. *tom.* 1. *caten. lib.*4. *q.*3. *art.*2. Gordon. *lib.*2. *q.*9. *art.* 2. Gregor. Martin. 1.2. *q.*90. *artic.*3. *dub.*2. Sed difficultas eſt, in quibus reſideat talis poteſtas?

A natura ſola communitas poteſtatẽ leges ferendi accepit.

3 In quo ſupponendum eſt, poteſtatem ferendi leges nemini competere à natura: omnes enim homines natura fecit æquales: nec eſt ab ipſa aſsignatum diſcrimen, quare hic inferior, ille ſuperior exiſtat: nemini enim dedit natura ſupra alium poteſtatem. Quapropter ſolum ipſa communitas humana, ſeu hominum congregatio hanc à natura accepit poteſtatem, & à Deo, media ipſa natura, per quandam reſultantiam; in quo differt poteſtas legislativa eccleſiaſtica à civili. Vtraque enim eſt à Deo immediatè recepta; ſed eccleſiaſtica per actionem Dei directè ordinatam ad communicandam talem poteſtatem, ſuppoſita iam natura, & electione legitima eius, cui conferenda eſt, vt dicemus puncto ſequenti; civilem autem Deus communicavit, vt proprietatem naturæ: quia, hoc ipſo quod homines produxerit civiles, & poli-

politicæ conversationis capaces, eis concesit facultatem, vt, eo ipso quòd in communitatem vniantur, & plures familiæ velint se invicem juvare, & inter se vinculo societatis vniri, possint leges ad bonum commune statuere; quia sine tali potestate non possent in pace, & justitia conservari. Ita Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *n.* 3. Tapia *lib.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 4. Soto *lib.* 4. *de just. q.* 4. *art.* 4. Valent. *disp.* 7. *q.* 1. *punct.* 1. §. 2. Martinez 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. & 4. Palaus *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 22. *num.* 2. Ideòque dixit Div. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 3. *ad* 2. solius esse communitatis leges facere, vel Principis, vt gerit vicem illius.

Princeps à republica recipit potestatem legislativam.

4 Cæterùm, quia communitas judicavit rectius gubernandam fore per vnum, vel per plures personas determinatas, suam transtulit potestatem in vnum, vel in plures, à quibus regeretur, quia ad rectè illam gubernandam vim legislativam habere debent; & sic dixit D. Thom. *loc. cit.* & *q.* 97. *art.* 3. *ad* 3. nullam habere Principes potestatem, nisi quam eis respublica concesserit. Ex quo fit, quemlibet Regem potestatem, quam habet gubernandi, & ferendi leges à republica accepisse, *leg.* 1. *ff. de constitutionibus princ. leg.* 3. *ff. de origine juris*: quia hanc non habent à natura, cum hæc sit communis omnibus, & non fit ratio, quare vnus, & non alius superior existat: ergo habent illam à communitate, & republica: quod tamen non tollit eam à Deo mediatè, vel immediatè habere: ad Roman. 15. *Non est potestas, nisi à Deo.* Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*: quia, supposita electione à republica facta, Deus illam potestatem, quæ in communitate erat, Regi impertitus est. Vnde ipse nomine Dei regit, & gubernat: & qui illi resistit, Deo resistit; redditurque communitas illi inferior: quia licèt ante translationem ita non fuerit, post translationem potestati illius subjicitur, vt ab eo gubernetur, & imperetur; nec est in potestate reipublicæ, facta dicta translatione, jurisdictionem Regum limitare, vel eam ad se reducere, vt communis fert Doctorum sententia.

Pontifex nõ potest leges civiles sancire pro toto orbe.

5 Et descendendo in particulari ad explicandos illos, in quibus talis potestas invenitur, tenendum est in imprimis, quòd summus Pontifex, licèt habeat potestatem spiritualem in totam ecclesiam; non tamen in totum orbem habet jurisdictionem politicam, & civilem; ideòque solum potest leges ferre civiles obligantes illos populos, vel provincias, quæ sunt sub sui temporali ditione: quia Imperatores, illas terras sub dominio illius temporali relinquentes, consequenter hanc potestantem condendi leges pro illorum bono communi concesserunt. Leges autem ferre non potest civiles, quæ obligent alias provincias, in quibus Rex, aut Princeps supremus habet potestatem, aut jurisdictionem, vt in Hispania, Galia, &c. Et ideò in cap. *Si duobus*, §. *Denique*, *de appellationibus*, dicitur, quod à civili Iudice ad sedem apostolicam, extra temporalem Papæ jurisdictionem, appellari non potest. Ita tenent Caietan. *tom.* 1. *opuscul. tract.* 2. *cap.* 3. & 2. 2. *quæst.* 43. *artic.* 8. Tapia *tom.* 1. *caten. lib.* 4. *quæst.* 7. *artic.* 4. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 22. §. *n.* 1. Salas *disput.* 7. *sect.* 4. *num.* 30. Bonacin. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *n.* 5. Suar. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 3.

Potest Pontifex corrigere, & ab

6 Poterit tamen summus Pontifex, vel abrogare, vel corrigere leges civiles à Principibus fœcularibus sancitas, si sint rationi, & æquitati contrariæ: & ideò in cap. *final. cap. Vigilanti, de præscriptionibus*, abrogavit legem civilem, quæ permittebat præscriptionem cum mala fide, quia fovebat fraudes, & latrocinia. Et cap. *Cum haberet, de eo, qui duxit in matrimon.* abrogavit legem civilem prohibentem alimenta dare filijs illegitimis, quia erat naturali pietati contraria. Potest etiam leges ferre civiles, si Principes sint negligentes in illis statuendis: & ob eorum negligentiam peccata grassentur, crimina paulatim invalescant: quia hoc pertinet ad bonum spirituale fidelium, quod promovere incumbit vniversali Pastori; & generalis potestas civilis est subordinata ecclesiasticæ, sicut corpus animæ, naturalia supernaturalibus, & temporalia æternis: & ideò Innocent. III. in cap. *Solicite, de majoritate, & obedientia*, ait: *Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.* Et hinc infert Bonifac. VIII. Extravagant. *Vnam sanctam, eodem titulo*: *Oportet gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati.* Sic Tapia *supr. n.* 3. Palaus *n.* 2. Bonac. *n.* 5. Laym. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 2. & 3.

rogate leges civiles.

Imperator in regnis sibi subjectis potest leges ferre, non in alijs.

7 Imperator legitimè electus potest leges ferre, quæ habeant vim obligandi cunctas provincias, quæ suo dominio, & potestati subduntur: est enim in illis supremus Dominus, supremam habens potestatem suos subditos regendi: quod rectè facere non posset, nisi leges condere eos obligantes in conscientia valeret; sed leges imperiales non obligant totum orbem, vt diximus *cap.* 1. *n.* 47. quia provinciæ, quæ Regem, & Principem habent supremum, nullo modo Imperatori subditum, vt Hispania, Gallia, &c. non tenentur leges imperiales observare: quia in his provincijs nullam habet jurisdictionem, aut potestatem, sed Reges illarum sunt Domini supremi in temporalibus. Ita Martin. 1. 2. *q.* 90. *artic.* 3. *dub.* 6. *concl.* 1. Suar. *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 8. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *cap.* 3. *n.* 13. Tap. *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 3. *n.* 4. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 12. §. 1. *n.* 5. Bonac. *disput.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *n.* 5. Leges tamen condere potest obligantes provincias, aut citates, aut regna, quæ Principibus, vel Ducibus supremis, qui possunt monetam cudere, & indicere bellum, sunt immediatè subjectæ; quia licèt ea non gubernet, recognoscitur à Principibus, vt supremus Dominus, vel jure feudi, vel alio simili titulo. Et in his regnis, vel provincijs, licèt proprij Principes possint leges condere perpetuas subditos in conscientia obligantes, etiam tenentur gubernari legibus cæsareis, quæ in his locis vim habent obligandi, vti docent præcitati Auctores.

Quilibet Rex potest in suo regno leges ferre.

8 Quilibet Rex in suo regno potest leges civiles condere, omnes incolas illius regni obligantes in conscientia: quia in suo regno habet potestatem gubernativam; sed hæc inutilis, & inermis esset, nisi simul legislativam haberet: ergo, &c. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *articul.* 3. & 2. 2. *quæst.* 50. *articul.* 1. & 2. Idem dicendum est de alijs Principibus supremis, qui superiorem non agnoscunt in temporalibus quocumque titulo nuncupentur, Duces, Marchiones, Comites, aut Principes: illi verò Dynastæ, qui superiorem Dominum recognoscunt, nec sunt supremi, eo modo, quo *num. præcedent.* diximus, poterunt solum leges condere pro suis terris, si ex consuetudine, vel concessione Principis supremi talem potestatem habeant (idem de Proregibus sentiendum est,

qui

qui attendere debent,quomodo talem recipiant poteſtatem,an dependenter à Rege?an vniverſalem ad omnes materias? an limitatam ? & ſolum eo modo, quo ſibi poteſtas delegata fuerit ab eo,qui illam habet ordinariam,poterunt illa vti.In Hiſpania autem nullus Dux, Comes, Marchio, Dynaſta poteſt leges condere : quia ita eſt vſu, & praxi receptum,& expreſsè habetur in leg. 12. *tit.*1.*p.*1.*& leg.*8.*tit.*1. *lib.6.Novæ Recompil.*

Regina proprietaria,aut gubernatrix regni poteſt in eo leges ferre.

9 Circa Reginam eſt aliqua inter Doctores difficultas, an illa, quæ eſt hæres regni, & Domina illius, poſsit leges ferre ? Et quidem ſi conjugata non ſit, certiſsimum eſt ipſam, ſive Domina, ſive Gubernatrix regni exiſtat (quomodo his temporibus feliciſsimè ſe jactat Hiſpania ſubditam eſſe Præclariſsimæ, & Chriſtianiſsimæ Reginæ Dominæ D. Marianæ de Auſtria, ob mortem ſui feliciſsimi conjugis Magni Philippi IV. & ob minoritatem Regis noſtri D. Caroli II.quem Deus, vtinam, vt præcamur, ſalvum, & incolumen conſervet,vt ſuorum Parentum veſtigia ſequens, fidem catholicam promoveat, & tot ampliſsima regna in pace, & tranquilitate gubernet) poſſe, ſicut Rex, condere leges: quia ratione dominij in regnum habet poteſtatem illud gubernandi, & capax regiæ juriſdictionis,cap.*Dilecti, de arbitris*, *cap. Ex parte*, *leg.* 2. *de privilegijs*: ideòque leges condere, cauſas cognoſcere, ſententias ferre poteſt : quia omnia ad rectam gubernationem ſunt neceſſaria. Ita Suarez *lib.*3.*de legibus*, *cap.*9. *num.* 9. Palaus *tract.*3.*diſp.* 1.*punct.*22.*§.*2.*num.*2. Tapia *lib.*4.*q.*7. *art.* 2. *n.* 4. Salas *diſp.*7.*ſect.*11.Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *num.*8.

Etiam Regina conjugata leges ferre poteſt independenter à marito.

10 Si verò Regina hæres regni eſt matrimonio ligata, aliqui aſſerunt, leges ferre non poſſe,ſed hoc pertinere ad maritum, in quem jure matrimonij tranſtulit ſuam poteſtatem, vel ſaltem non eſſe ipſius ſolùm,ſed ſimul cum marito, ferre leges: quia vir jure matrimonij cum Regina contracti verè eſt Rex,vt dicitur *leg.*1. *tit.*1.*part.* 1. ergo poteſt regere, & gubernare populos, proindeque ad ipſum leges ferre pertinebit. ¶ Cæterùm nos probabilius judicamus, adhuc durante matrimonio, jus gubernandi regnum ad ſolam Reginam hæredem pertinere ; & conſequenter poteſtatem condendi leges, niſi ipſa velit talem poteſtatem communicare marito, vt fecit magna illa Heroina Eliſabeth, Fernandi Catholici vxor. Ita decreverunt omnes Doctores huius regni tempore, quo gubernare cœpit magna hæc Regina Eliſabeth, & in comitijs generalibus habitis in civitate de Toro fuit deciſum: & meritò: quia ipſa eſt verè Domina, non Rex, aliàs,mortua Regina ſine liberis, ad Regem pertineret regnum, quod eſt falſum: ſi Domina eſt, habet dominium,& gubernationem politicam ; quod dominium non tranſtulit in maritum per matrimonium (imò nec transferre poſſet abſque populi conſenſu) quia matrimonium ſolum in ordine ad vſum illius, ad domus, & familiæ gubernationem jus præbet viro; non verò in ordine ad politicam, & communem gubernationem. Quod non tollit maritum vere Regem dicendum eſſe, & vt talem honorandum, non ratione dominij in regnum, ſed ob conjunctionem cum vxore; ſicut fœmina verè eſt Regina,ſi cum domino proprietario regni eſt matrimonio conjuncta. Ita, præter Iuriſtas, Salas *diſp.*7.*ſect.*11.*n.*63. Tapia *ſuprà n.*4.Suar.*n.*10.Palaus *n.*6. Bonac.*n.* 8. Gordon. *lib.*2.*q.*9.*cap.*3.*n.*15.

Quæ cõmunitates habeant hanc poteſtatem legislativam

11 Denique hanc poteſtatem legislativam habent omnes civitates exemptæ, quæ ſupremam juriſdictionem habent,& nullum ſupremum, & abſolutum Dominum cognoſcunt, vt Veneta, Genuenſis, & ſi quæ ſunt aliæ,leg.*Omnes populi, ff. de juſtit. & jure*,*§.Sed natura*, *inſtit.de jur.natur. gent. & civil.* quia ipſa civitas, hoc ipſo, quod ſupremum dominium obtineat, ſe gubernare poteſt, & conſequenter leges ferre, quæ ſunt adeò neceſſariæ ad rectam gubernationem. Si verò talis civitas exempta aliquando transferat ſuam poteſtatem in aliquem Principem, ſi integrè illi ſubijciatur, committatque poteſtatem gubernativam,non civitas, ſed Princeps leges ferre poterit. Si non integrè gubernationem illi committat, nec civitas ſine illo leges ferre poterit, nec ille ſine civitate ad hoc poteſtatem habebit. Martin.1.2.*q.*90.*art.*3.*dub.*4.*concl.*3.Suar.*lib.*3. *cap.*9.*n.*19.Bonac.*diſp.*1.*q.*1. *punct.* 3. *n.*10.Palaus *tract.*3.*diſp.*1.*punct.*22.*§.*2.*n.*10.

Civitates nõ exemptæ leges ferre nõ poſſunt.

12 Aliæ verò civitates non exemptæ leges ferre non poſſunt, niſi ex conſuetudine, ex privilegio, vel conceſsione Principis, cui ſunt ſubjectæ, id obtineant, quia non habent dominium, & juriſdictionem, quæ ad leges condendas eſt neceſſaria. In Hiſpania autem nullæ civitates, nec ex vſu, nec ex privilegio id habent, quia hoc ſolum pertinet ad Regem,leg.12.*tit.*1.*p.*1.leg.8.*tit.*1.*lib.* 6. *Novæ Recompil.* Quando ex privilegio, aut conceſsione Principum civitates leges ferre poſſunt, dicuntur leges municipales, leg. *Leges, ff. de legibus.* Poterunt tamen omnes aliqua ſtatuta condere,& conventiones aliquas facere inter ſe, quibus in vi contractus obligentur; & aliqua præcepta imponere, non perpetua, ſed temporalia, ad nutum Principis revocabilia, quibus obedire tenentur ſubditi: ſicut Paterfamilias in ſua domo, quando id ad rectam gubernationem, & bonum ſubditorum expedire judicaverit. Div. Thom.1.2.*q.*90.*art.*3.Martin. *ſupr.dub.*5.*concl.* 1. Bonacin.*n.*11.Suar.*cap.*9. *n.* 13. Palaus *n.* 11. *fine.* Tapia *art.*2.*n.*6.

PUNCTUM II.

De his, in quibus poteſtas reſidet condendi leges canonicas, aut eccleſiaſticas.

In eccleſia eſt poteſtas ferendi leges eccleſiaſticas.

13 LEges eccleſiaſticæ aliæ ſunt pro tota eccleſia, & *canonicæ* propterea dicuntur, id eſt vniverſales: aliæ pro aliquo regno, provincia, aut communitate, & non ſunt canonicæ; ſunt tamen *eccleſiaſticæ*, quia à poteſtate eccleſiaſtica proveniunt. Eſſe verò in eccleſia poteſtatem condendi leges obligantes in conſcientia, certum eſt ſecundum fidem: nam *Ioan.*21. dixit Chriſtus Dominus Petro; *Paſce oves meas*, quod facere non poſſet, ſi eas per leges dirigere non valeret. Et Matth. 18.*Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Et ratio eſt, quia eccleſia eſt communitas perfecta à Deo inſtituta in ordine ad finem vitæ æternæ : ergo ad bonum regimen illius data eſt illi poteſtas directiva, & coactiva per præcepta, & leges perpetuas; aliàs inſufficienter, & diminutè conſtituta eſſet. Hæc autem poteſtas à Deo auctore proceſsit, & à Chriſto inſtitutore eccleſiæ evan-

evangelicæ: siquidem ad institutorem communitatis pertinet conferre ei jus, & potestatem se rectè gubernandi, & consequenter potestatem ferendi leges, ad rectam gubernationem omninò requisitam. In hoc omnes catholici conveniunt. Videamus modo, in quibus talis potestas reperiatur. Loquemur prius de personis singularibus, postea de communitatibus, in quibus invenitur.

§. I.

De personis singularibus, in quibus potestas legislativa ecclesiastica reperitur.

Pontifex leges ferre ecclesiasticas potest pro toto orbe.

14 IN primis, secundùm fidem tenendum est, hanc potestatem reperiri apud summum Pontificem pro tota ecclesia concessam à Christo Domino tanquam primo, & vniversali capiti, successori D. Petri, & Vicario Christi in terris. Ratio à priori est voluntas Christi Domini declarata, *Matth.* 18. *Ioann.* 21. & congruenter quidem, quia cum congregatio fidelium, quæ est ecclesia, sit perfectissima communitas, oportuit relinquere illi perfectissimum regimen, nimirum monarchicum; quod consistit in eo, quod in vno tanquam in supremo capite, & Principe potestas gubernandi (& sic ferendi leges) vniversalis reperiatur. Hanc non recipit Pontifex ab hominibus, sed immediatè à Christo Domino, suppositâ electione hominum facta in ipsum. Vnde dixit Anacletus Papa *cap.* 2. *dist.* 20. *Romana ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino primatum obtinuit.* Quia Christus Dominus non solum D. Petro hanc supremam concessit potestatem pro seipso tantum, sed etiam pro successoribus eius. Et Gelasius Papa in cap. *Significasti, de electione*, dicit, leges romani Pontificis non pendere à Concilijs, sed leges Conciliorum pendere à romano Pontifice. Et sic Pontifex se solo absque consensu Cardinalium, & Concilij potest ferre leges obligantes totam ecclesiam: quia Christus Dominus contulit Petro, & cæteris successoribus eius absolutissimam potestatem absque dependentia ab alijs; & ideò in cap. *Cuncta 9. quæst. 3.* dicitur: *Apostolica sedes sine vllo synodo præcedenti, solvendi, & damnandi habuit potestatem; & hoc quidem pro suo principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce tenuit semper, & tenebit.* Si autem Concilia congregat, aut Cardinales consulit; id non facit ex necessitate, sed ex congruitate, & decentia. Vide Bellarm. *lib.* 4. *de roman. Pontific. cap.* 23. Caietan. *opusc. de authoritate Papæ, cap.* 3. Salas *disp.* 3. *de legib. sect.* 3. Martin. 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. *fol.* 41. Gordon. *lib.* 2. *q.* 10. *cap.* 2. Laym. *tract.* 4. *cap.* 3. *à n.* 5. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 23. *n.* 3.

Etiam omnes Apostoli poterant pro toto orbe leges ferre.

15 Cæteris verò Apostolis etiam data est tàm vniversalis potestas ecclesiam gubernandi, condendique leges obligantes totam ecclesiam, ac concessa fuit D. Petro; diverso tamen, ac imperfectiori modo, ac illi. Prima pars probatur ex illo Psalm. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Matth. 18. *Quodcumque ligaveritis super terram*: quæ verba non solum D. Petro dicta sunt, sed etiam cæteris Apostolis. Et Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, eamdem potestatem, & jurisdictionem, quam mihi Pater concessit, ego vobis impertior ad regendos populos, vt constat ex cap. *In novo, dist.* 21. cap. *Loquitur Dominus* 24. *q.* 1. cap. *Nova, de pœnit. & remis.* & sic D. Paulus à Christo Domino plenitudinem potestatis accepit, 1. ad Corinth. 6. *Nescitis, quia Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Vnde hæc potestas, non solum concessa fuit omnibus collectivè, sed divisivè singulis Apostolis in solidum, vt quilibet seorsim posset condere leges necessarias omnibus ecclesijs. Et ratio est, quia Apostoli immediatè fuerunt electi à Christo Domino ad dignitatem apostolicam, Lucæ 6. *Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*: sed ad illam dignitatem apostolicam annexa erat potestas gubernandi totam ecclesiam, quia erant Principes vniversales illius; & cum ex vi sui muneris separandi essent, & dispergendi per totum mundum, necessarium fuit, quod singulis talis potestas concederetur. Caietan. *tract. de authoritate Papæ, cap.* 3. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 30. Bellarm. *de rom. Pontif. cap.* 23. Soto *lib.* 1. *de justit. cap.* 1. *art.* 3. Mart. 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2. *fol.* 41. Tapia *lib.* 4. *q.* 8. *artic.* 2.

Diversimodè poterant leges ferre Apostoli reliqui, ac D. Petrus.

16 Secundam verò partem assertionis, nimirum hanc potestatem recepisse Apostolos diverso modo, & inferiori, ac D. Petrus, tenent prædicti Auctores, & probatur: quia Petro tanquam capiti concessa est, alijs verò, vt membris, vt loquitur D. August. *lib.* 1. *de doctrin. christ. cap.* 17. & Hieron. *lib.* 1. *contra Iovinian.* D. Leo Papa *serm. de Assumpt.* Et continetur in illis verbis Ioan. 21. *Pasce oves meas.* Vbi nomine ovium Christi etiam Apostoli, vt constat, intelligebantur. Quapropter Petro data est hæc potestas, ita vt transeat cum omni sua plenitudine respectu totius ecclesiæ ad eius successores: & ideò sedes Petri semper apostolica dicitur, etiam in suis successoribus. Apostolis vero est data talis potestas pro ipsis tantùm, non vt transeat quoad vniversalitatem ad eius successores, qui sunt Episcopi. Hi enim non succedunt Apostolis quoad apostolatum, & sic illorum sedes non dicicitur apostolica; sed quoad episcopatum, & consecrationem, & quoad jurisdictionem ad summum in particulari ecclesia, & diœcesi: nam id ad regimen monarchicum exigebatur, quod vnum esset tantummodo caput vniversale. Deinde quia D. Petrus erat superior, & ab alijs Apostolis independens, ideoque poterat alios Apostolos obligare, & nullus suam revocare legem: alij vero non poterant Petrum obligare, & ipse illorum leges poterat abrogare. Quarè cum ab aliquibus Patribus dicitur Apostolos fuisse æquales quantum ad dignitatem apostolicam, intelligendi sunt de æqualitate vniversalitatis, quam diximus *num. præced.* non quoad omnia, vt hic explicuimus.

Episcopi pro sua diœcesi leges possunt sancire.

17 Ex dictis sequitur, quòd cum Episcopi sint successores Apostolorum pro illa ecclesia, & diœcesi illis assignata, possunt in ea leges ferre: quia sunt Pastores, & Rectores, Principesque ecclesiæ post summum Pontificem: *Actor.* 20. *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere ecclesiam Dei.* Et habetur expresè cap. 2. *de maiorit. & obedient. cap.* 2. *de constitutionibus in* 6. tenentque Laym. *tract.* 4. *cap.* 7. *§.* 2. Gregor. Martin. *q.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. *concluf.* 5. *fol. mihi* 45. Suar. *lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 2. Vazq. 1. 2. *q.* 153. *cap.* 1. Tapia *lib.* 4. *q.* 8. *art.* 3. *n.* 1. Palaus *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 23. *n.* 4. Quæ potestas competit eis independenter à Capitulo cathedralis, à clero, & à Synodo: quia illam vel à Christo Domino, vel à summo Pontifice recipiunt, non à clero; nec constat

alicu-

alicubi cum hac dependentia recepiſſe eam; niſi in aliquibus caſibus particularibus, vt in cap. vltim. *de feriis*, in ordine ad dies feſtos aſsignandum. Et cap. *Veſtra, de locatione*, cap. *Novit*, cap. *Quanto, de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli*, pro rebus, quæ poſſunt cedere in præjudicium Capituli, aut cleri. Ita, præter Auctores modo datos, Bonac. *diſp. 1. q. 1. punct. 3. n. 24.* Gordon. *lib. 2. q. 10. n. 6.*

Epiſcopi dependentèr à ſummo Pontifice habẽt dictam poteſtatem.

18 Reſtat nunc gravis difficultas: An poteſtatem juriſdictionis, & conſequenter legislativam, quam Epiſcopi habent, à ſummo Pontifice receperint; quamvis illis competat ex jure ordinario, quia convenit eis ex vi ſui muneris? An verò immediatè à Chriſto Domino? Circa quam difficultatem duo communiſsima inter catholicos ſupponimus, quæ ad noſtrum inſtitutum morale ſpectant. Primum eſt, quod ſive Epiſcopus immediatè à Chriſto Domino, ſive à ſummo Pontifice hanc poteſtatem receperit (& idem dicimus de Archiepiſcopis, Patriarchis, aut Primatibus) eam ſuſceperunt cum ſubordinatione ad ſummum Pontificem, tanquam ad primum Paſtorem, & caput, cui omnia membra eccleſiæ ſubijciuntur, & à quo omnis juriſdictio, & poteſtas eccleſiaſtica dependet. Quia Chriſtus conſtituens perpetuum Vicarium ſuum in terra, & vniverſalem eccleſiæ Paſtorem, talitèr Epiſcopis ſuam juriſdictionem conceſsit (ſi verè conceſsit) quod eſſet cum ſubordinatione, & dependentia ad illum: quia id requiritur ad perfectam monarchiam, quam condebat, vt ſub vno Principe alij inferiores collocarentur. Vnde dicit Virgilius Papa *epiſt. ad Eleuterium*, cap. vlt. & refertur in cap. *Qui ſe ſcit 2. quæſt. 6. Ipſa namque eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis eccleſijs vices ſuas credit largiendas, vt in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Quod etiam conſtat ex canone 21. Concilij VIII. generalis, & ex cap. 5. Concilij IV. Lateranenſis ſub Innocentio III. praxiſque, & traditio eccleſiæ comprobat pertinere ad romanum Pontificem Epiſcopos electos confirmare, eos ex juſtis cauſis deponere, eorum juriſdictionem cum locorum ſpatijs, & cauſarum qualitate diffinire, ab eorum juriſdictione aliquos eximere, & admittere appellationem ab Epiſcopis ad apoſtolicam ſedem.

Epiſcopi abſque licentia Pontificis leges ferre poſsũt.

19 Secundò ſupponendum eſt, quod ſive Epiſcopi immediatè à Chriſto Domino, ſive à ſummo Pontifice juriſdictionem, & poteſtatem dictam receperint, poſſunt leges ſuas ferre, & ſtatuta perpetua abſque poſitiva, & expreſſa licentia ſummi Pontificis: quia hoc competit eis jure ordinario, & ex vi ſui muneris: & habetur ex cap. 2. *de maiorit. & obedient.* cap. 2. *de conſtitutionibus in 6.* & ex perpetua praxi, & conſuetudine; dummodo nihil conſtituant contra jus commune: quia inferiores non poſſunt jus commune abrogare latum à ſuperiori poteſtate; & dummodo non fuerit circa res, quas ſibi Papa reſervavit, vt in gravioribus caſibus, qui per regulam generalem ad ſuperiorem poteſtatem ſpectant, cap. *Maiores, de baptiſm. cap. 1. de translat. Epiſcopor.* vel quæ concernunt totam eccleſiam vniverſalem. Vnde non poſſunt, quæ ad fidei declarationem pertinent ſtatuere, nec impedimenta matrimonij aſsignare, officium divinum mutare, continentiam Sacerdotibus, niſi quando eſt de jure communi, indicere, clericis tributum imponere, cap. *Prohibemus, de cenſibus*, duos epiſcopatus vnire, vel duos ex vno facere, quadrageſimale jejunium mutare, viros præclaros in canone Sanctorum ponere, ſeu canoniza-

re, cap. 1. *de religioſis domibus*: alterare, quæ repugnant privilegijs, & conſtitutionibus vniverſalibus, cap. *Cum dilectus, de conſuetudine*, & his ſimilia. Et cum dictis limitationibus intelligendum eſt illud commune proloquium Canoniſtarum: quod poteſt Pontifex in ſua eccleſia, id poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi. Suar. *lib. 4. cap. 5. à num. 1.* Tapia *lib. 4. q. 8. art. 3. n. 6.* Gordon. *lib. 2. q. 10. n. 6.* Martinez 1. 2. *q. 90. art. 3. dub. 2. fol. 45.* Palaus *tract. 3. diſp. 1. punct. 23. à n. 4.* Laym. *tract. 4. cap. 7. §. 2. n. 5.*

Sententia aſſerens à Chriſto Domino immediatè Epiſcopos juriſdictionem acceptiſſe.

20 Ex dictis iam apparet, parum conducere ad noſtrum inſtitutum, an poteſtas, & juriſdictio Epiſcoporum ſit à jure divino, vel à Pontifice conceſſa? quia ſi dictæ conditiones, quæ ad praxim pertinent, ſive vnum, ſive alterum dicatur, obſervandæ ſunt, ſolum remanet quæſtio ſcholaſtica; ideòque nobis per illam breviter diſcurrendum eſt, proponendo duas opiniones æquè probabiles, vt eligat lector quam maluerit. Prima aſſerens, eſſe de jure divino talem juriſdictionem immediatè à Chriſto Domino conceſſam: quia Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, & eorum dignitas, & officium ex inſtitutione Chriſti: Actor. 20. *Poſuit eos Spiritus Sanctus Epiſcopos regere eccleſiam Dei*: ſed poteſtas, & juriſdictio ſequitur ad munus epiſcopale: ergo ſicut eſt de jure divino munus, & officium, ſic juriſdictio, & poteſtas. Ita Martin. *ſup. concl. 5. fol. 43.* Vazq. 1. 2. *q. 152. cap. 3.* Victor. *relect. 2. de poteſtate eccleſ. quæſt. 2. fine.*

Sententia quæ dicit à ſummo Pontifice illam habere.

21 Alia ſententia aſſerit, hanc poteſtatem à Pontifice recepiſſe: quia regimen eccleſiæ eſt monarchicum, & ſic debet reduci ad vnum caput; quod non fieret, niſi omnis poteſtas manaret à Papa: & proinde ab illo habet Epiſcopus, quod in hæc, aut illa oppida dominetur; maiorem, vel minorum juriſdictionem habeat. Et ita videtur diffinitum à Leone in cap. *Ita Dominus 19. diſtinct.* & à Gregor. in cap. *Decreto 2. diſtinct. 6.* ibi: *Romana eccleſia vices ſuas ita alijs impertivit eccleſijs, vt in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Et D. Thom. 4. *diſtinct. 20. q. 1. art. 4.* *Papa*, inquit, *habet plenitudinem poteſtatis pontificalis quaſi Rex in regno. Epiſcopi autem aſſumuntur in partem ſolicitudinis, quaſi Iudices ſingulis civitatibus præpoſiti.* Idipſum habet 4. *contra gent. cap. 76. artic. 4.* Caietan. *tom. 1. opuſc. tract. 1. cap. 19.* D. Antonin. 3. *p. tit. 22. cap. 4. §. 1.* Soto 4. *diſt. 20. q. 1. art. 4.* Gordonus, Palaus, Tapia *loc. cit.*

Cæteri, in quibus reſidet poteſtas leges ferendi.

22 Denique dictam poteſtatem legislativam habent Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ reſpectu propriæ diœceſis, ſunt enim in illa verè Epiſcopi; & ideò, ſicut illi, habent juriſdictionem, & gubernationem ſpiritualem: at ferre non poſſunt leges in provincijs, aut nationibus ſuffraganeis niſi alicubi ex conſuetudine id habeant, vel ex conceſsione Pontificis: *cap. 4. cap. Conquæſtus*, cap. *Nullus primas 9. q. 5.* cap. *Duo ſimul, de officio Ordinarij.* Poſſunt tamen cum Concilio provinciali, & de conſenſu provincialium Epiſcoporum id efficere: dicto cap. *Nullus primas*, cap. *Sicut aliunde, de accuſationibus.* Et tempore viſitationis poſſunt præcepta imponere non perpetuò duratura, quæ proinde vim legis non habeant. ¶ Cardinales ratione ſuæ dignitatis poſſunt tantum in eccleſijs ſuorum titulorum leges ferre: quia in eis tantum habent juriſdictionem epiſcopalem: cap. *His, quæ, de maior. & obedient. cap. Quærelam, de electione.* ¶ Legati ſummi Pontificis in provincia ſuæ legationis poſſunt imponere leges

perpetuas: *cap. vlt. de officio Legati.* ¶ Et etiam Abbates exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Ita Iacobus de Gordono *lib. 2. q. 20. n. 7.* Laym. *tr. 4. cap. 7. à n. 21.* Gregor. Martin. *1. 2. q. 90. art. 3. dub. 2. concl. 8.* Suar. *lib. 4. cap. 5. à n. 3.* Tapia *lib. 4. q. 8. n. 4.* Bonac. *disp. 1. quæst. 1. punct. 3. n. 25.* Palaus *tract. 3. disp. 1. q. 1. punct. 23. n. 11.*

§. II.

De communitatibus, in quibus potestas ferendi leges reperitur.

In Religionibus datur facultas ferendi leges perpetuas.

23 HActenus egimus de personis particularibus, quibus potestas legislativa jure ordinario competit: nunc videamus, in quibus communitatibus huiusmodi facultas resideat. Et in primis dicimus, quod in omnibus religionibus, in quibus non solum datur potestas dominativa respectu suorum subditorum ratione voti obedientiæ, sed etiam jurisdictionis à Pontifice concessa, talis potestas legislativa reperitur; proindeque omnes ferre leges perpetuas poterunt, obligantes subditos in conscientia, vel subveniali, vel sub mortali, prout voluerint. In quibus autem in particulari talis reperiatur facultas; an in Capitulo generali, an in provinciali Capitulo, an duntaxat apud Patrem Generalem, Provincialem, vel Abbates, seu Priores, pendet ex particularibus institutis singularum religionum, & quæ in ipsis stabilita sunt, sunt observanda. In nostra autem religione solum potest Capitulum generale leges ferre, vt expressè habetur in nostris constitutionibus *3. p. cap. 1. n. 16. & cap. 3. num. 1.* Cum hoc tamen stat, posse singulos Prælatos præcepta imponere obligantia in conscientia, non perpetua, sed temporalia, & ea forma, & modo, quæ in singulis religionibus assignatur.

Concilia generalia possunt leges ferre pro tota ecclesia.

24 Restat nunc loqui de alijs communitatibus præter Regulares. In quo est certum secundùm fidem, posse Concilia generalia statuere leges obligantes totam ecclesiam, si sint legitimè congregata de licentia summi Pontificis, pro loco, & tempore ab ipso assignatis. Colligitur ex Actib. Apost. *cap. 15.* vbi Apostoli in primo ecclesiæ Concilio congregati statuta perpetua pro tota ecclesia sanxerunt: & ita tenet praxis, & vsus ecclesiæ catholicæ, & omnes Doctores, & Patres. An verò tales leges vim, & robur obligandi obtineant ante confirmationem Pontificis? Aliqui affirmant, quando tales leges sanciuntur consentientibus Legatis, qui authoritatem, & potestatem à summo Pontifice receperunt. Alij verius negant, sed requiri expressam confirmationem Pontificis, quando ipse non est præsens Concilio personaliter: quia ita est in praxi, quod scilicèt semper Concilium petat confirmationem à summo Pontifice, vt statuta Concilij roboret, habeantque vim obligandi: vt fecit Tridentinum *sess. 25. fine*: & in epistola synodica Concilij Nicæni ad Sylvestrum Papam, dicitur: *Quidquid constituimus in Concilio Nicæno, præcamur, vestri oris consortio confirmetur.* Et ita docent Turrecremata *lib. 2. summæ, cap. 71.* Laym. *tract. 4. cap. 2. §. 2. n. 9.* Martin. *q. 90. art. 3. dub. 2. concl. 13.* Salas *de legib. disp. 8. sect. 3.* Suar. *lib. 4. cap. 6. n. 2.* Tapia *lib. 4. q. 8. art. 6. n. 2.* Palaus *tract. 3. disp. 1. punct. 23. n. 15.*

Concilia provincialia solum leges

25 Alia provincialia Concilia, sive sint nationalia, illa nimirum, in quibus Archiepiscopi, & Episcopi alicuius nationis sub Primate, vel Patriarcha illius congregantur, vt ea, quæ toties in Hispania in civitate toletana congregata sunt; sive provincialia vnius metropolis, ad quæ Episcopi suffraganei cum suo Archiepiscopo concurrunt; vel synodalia, in quibus Abbates, Parochi, & Decanus, seu Procurator ecclesiæ cathedralis vnius diœcesis cum Episcopo conveniunt, leges perpetuas condere possunt, vim obligandi obtinentes, donec revocentur, pro suo territorio, in quacumque materia, quæ ex jure communi non sit apostolicæ sedi reservata: cap. *Catholica, dist. 11. cap. Concilia, dist. 17.* & ferè tota *dist. 18.* Et ratio est manifesta, quia si Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha potest per se solum leges perpetuas stabilire, multo magis id poterit cum suo Synodo, aut Concilio provinciali: & vt tales leges habeant vim obligandi, non indigent confirmatione summi Pontificis, dummodo nihil in eis contra leges communes decernatur, vel ecclesiæ vniversæ consuetudines: quia habet vnum caput proprium, & singulare sibi conveniens, & sic est communitas perfecta cum omnibus conditionibus ad leges pro sibi subditis sanciendas. Sic Layman *tract. 4. cap. 7. §. 1. n. 2.* Tapia *lib. 4. q. 8. art. 6. num. 3.* Martin. *supra concl. 15.*

Quid, si dicta statuta à Pontifice approbentur.

26 Si tamen statuta huius Concilij provincialis à Pontifice confirmentur, & approbentur, ratione approbationis vim habere legis vniversalis, ita vt inferior Papa ea abrogare non possit, inquit Sanch. *lib. 8. de matrim. cap. 27. n. 30.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 15. q. 7.* Sed hoc intelligendum est, si Papa ita approbet, & confirmet illa statuta, quod ea approbet, & confirmet, vt canonica, & pro tota ecclesia vniversali. Si tamen illa Papa duntaxat confirmet, & approbet, vt recta, & minimè contraria juri communi, ad maiorem securitatem, ne ab aliquo impugnari possint, non dat eis maiorem vniversalitatem, aut infirmitatem, quam ex suo principio habebant. Vt rectè notavit Suar. *lib. 6. cap. 26. n. 16.* Laym. *tract. 4. cap. 7. n. 2. fine.*

Cõgregatio Cardinaliũ leges non potest ferre.

27 Collegium Cardinalium nullam vim obtinet condendi leges, nisi à summo Pontifice eam receperit; cùm enim habeant pro immediato capite ipsum Papam, non possunt absque illo censeri communitas perfecta: & idem asserimus tempore sedis vacantis, quia eo tempore solùm Cardinalibus conceditur, vt statuant, quæ pro electione summi Pontificis requiruntur, & quæ visa sint expedire pro ecclesiæ defensione, & periculorum tunc occurrentium: cap. *Ubi periculum, de elect. in 6.* Quæ omnia per præcepta pro tunc obligantia perficere possunt; & sic leges, & statuta perpetua nequeunt sancire, & si fecerint, nihil facient. Clement. *Ne Romani, de electione*, ibi: *Irritum, & inane decernentes quidquid potestatis, aut jurisdictionis ad Romanum Pontificem (dum vivit) pertinentis cœtus ipse duxerit exercendum.* Ita Palaus *tr. 3. disp. 1. punct. 25. n. 19.* Bonac. *disp. 1. q. 1. punct. 3. n. 26.* Salas *de legib. disput. 8. sect. 8.* Suar. *lib. 4. cap. 6. n. 5.* Tap. *lib. 4. q. 8. art. 7. n. 2.* Martinez *q. 90. art. 3. dub. 2. concl. 6. fol. 45. colum. 2.*

Declarationes Cardinalium magnã vim, & auctoritatẽ habent.

28 Sed dificultas est, an declarationes sacræ congregationis Cardinalium, quæ passim circumferuntur, habeant vim legis: & sic non solum obligent in conscientia per modum sententiæ pro illo casu particulari, pro quo dantur; sed etiam per modum legis ad alios similes decidendos. Circa quam gravissimam quæstionem duo invenies apud Doctores indubitata. Primum, tales declarationes maximi ponderis esse, magnamque habere auctoritatem, & gravi-

ta-

sancire possunt pro sua provincia.

tatem,vtpotè à graviſsimis viris, auctoritate ſummi Paſtoris congregatis expenſæ: proindeque, adhuc in ſententia illorum,qui dicunt non habere vim legis, deferendæ non ſunt,niſi graviſsima ratione, & cauſa interveniente.Secundùm,quod ſi tales declarationes promulgantur ea ſolemnitate,qua ſolent leges promulgari, cùm id fiat authoritate ſummi Pontificis, adſintque cæteræ conditiones ad naturam legis requiſitæ, proculdubiò vim legis perpetuæ habebunt totam eccleſiam obligantis; quod nemo negare poteſt; ſiquidem, qui negant habere vim legis, illo nituntur fundamento, quod promulgatæ non ſunt, ſicut requiritur ad rationem legis. Quare dubium eſt de illis, quæ communitèr circumferuntur, quæque promulgatæ non ſunt debita ſolemnitate. In quo eſt duplex ſententia,vtraque ſatis probabilis, vt inquit ſapientiſsimus, & illuſtriſsimus Dominus D.Fr. Petrus à Tapia *tom.1.ſuæ catenæ, lib.4.q.8.n.8.*

Declarationes vim legis habere, aliqui dicũt

29 Prima ſententia aſſerit, quod ſi tales declarationes ſint authenticæ(nimirum, ſi ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſsimi Cardinalis Præfecti,ac Secretarij Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ ſint) ſtatim habent vim legis vniverſalitèr, ac pro vtroque foro obligantis, ac ſi ab ipſo Pontifice eſſent editæ. Quia latæ ſunt auctoritate Papæ, & à perſonis habentibus auctoritatem interpretandi à Principe, vt conſtat ex bulla 74. Sixti V. edita anno 1588. incipiente: *Immenſa æterni Dei.* Nec obſtat non eſſe promulgatas: quia promulgatio requiritur,quando conditur nova lex; non verò quando iam lata, & promulgata declaratur. Ita Garc.*de Beneficijs,tom.1.in Præfat.* Salas *tract.14.diſp.21. ſect.12.*Rodrig. *quæſt. Regul. tom.1.quæſt.11. art.1.&2.* Palaus *tract.3.diſp.5.punct.3.§.1. num.6.* Miranda *in Manuali Prælat. tom.2. q.26. art.11.* Sed dicunt,eſſe neceſſarium, quod in ipſa authentica declaratione exprimatur fuiſſe promulgatam,aut latam conſulto ſummo Pontifice; nam ita expreſsè voluit Sixtus V. in prædicta bulla, & ita etiam animadverterat Pius IV.in bulla 81. quæ incipit:*Alias tom.2. Bullarij.*

Probabilius eſt declarationes Cardinalium nõ habere vim legis.

30 Sed,hoc non obſtante, probabile eſt, tales declarationes, quamvis maximi ponderis ſint,& auctoritatis, ſolum habendas eſſe vt doctrinales à graviſsimis,& doctiſsimis Patribus editas:non verò habere vim legis,nec robur obligandi ſemper, & perpetuò; ſed ſolum vt ſententiæ particulares illius caſus, pro cuius deciſione petuntur: non verò pro ſimilibus, aut æqualibus. Et ratio eſt, quia ſolemnis promulgatio eſt de ratione legis, vt diximus *cap.1.* ſed illæ declarationes, tametſi auctoritate Pontificis editæ, promulgatæ non ſunt ſolemnitèr, vt ſupponimus;quia,vt diximus *num.28.* non eſt dubium habere vim legis,quando conſtat, eſſe ſolemnitèr promulgatas; quod frequentèr non habent: ergo,&c. Nec obſtat quod dicit contraria ſententia,promulgationem non requiri pro declaratione legis iam ſancitæ, & promulgatæ. Quia id verum eſt, quando id, quod delaratur, clarum, & manifeſtum eſt in ipſa lege, non verò quando eſt dubium, & obſcurum, vt frequentèr accidit: quia tunc ſe habent prædictæ declarationes, vt novæ leges: & ſic videmus multoties contrarias eſſe, & in vna abrogari, quod in altera ſancitur: quod in lege non ita frequentèr contingeret, vel ſi eſſet clarum in illa. Vnde cum non lateat ſummum Pontificem hæc Doctorum publica opinatio, videns, & patiens eam videtur, vt probabilem, ſuſtinere. Sic Tapia *n.4.& 5.fine*,N. R. P. Fr. Petrus ab Angelis *in ſpeculo privil.diſp.1.ſect.4.n.7.*N.Lezan. *in ſum. verb. Sacra Congregatio*, Ledeſin. *ſum. tom.1. de Sacram. Pœnit. cap.13.difficult.7. fol.285.* Sancha *de matrimon. tom.3.lib.8. diſp.2.n.10.* Vazq.1.2. *diſp.177. cap.vltim.*Baſil.Pontius *de matrimon. lib.5.cap.13.§.2.num.7.*Bonac.*diſp.2.q.1.punct.8.n.4.* Villalob.*tom.1.tract.2.dub.7.n.5.* Dian. *1.p. tract.10.reſol.29.*

Capitulum eccleſiæ cathedralis,vivente Epiſcopo, non poteſt leges ferre.

31 Capitula verò eccleſiæ cathedralis, & collegialis, & aliæ communitates inferiores non poſſunt condere leges abſque conſenſu proprij Epiſcopi, non enim ſunt communitates perfectæ ſine ſuo capite. Idem dicimus de Academijs,& Vniverſitatibus Doctorum, vel ſtudioſorum Collegijs, quorum ſtatuta ſolum obligant in vi juramenti, ſi fortè illud emiſerunt de illis obſervandis, aut in vi pacti initi inter eos: cap.*Ex literis,de conſtitutionibus*, Tapia *lib.4.q.8. artic.6.n.4.*Sylveſt. *verb. Lex, q.4.*Martinez *ſuprà concluſ.16.*licèt ſit probabile,quod dicunt Palaus *tract.5.diſp.1.punct.23.n.23.* Salas *diſp.8. ſect.16.n.84.*Suar.*lib.4.cap.6.n.11.& 12.* poſſe capitulum eccleſiæ cathedralis, etiam vivente Epiſcopo, & abſque illius conſenſu,ſtatuere leges,& ſtatuta perpetua obligantia in conſcientia ſolum ipſos Capitulares, & in his,quæ pertinent ad ordinariam gubernationem ſuorum bonorum, & eccleſiæ, quia in his independenter ab Epiſcopo gubernantur.

Adhuc mortuo Epiſcopo, nõ poſſe dicta Capitula leges ferre, aliqui aiũt.

32 Sed maior dificultas eſt; an,mortuo Epiſcopo, & in tempore ſedis vacantis, poſsit Capitulum eccleſiæ cathedralis leges, & ſtatuta condere pro tota diœceſi obligantia in perpetuum, donec revocentur ab Epiſcopo ſucceſſore? Et diximus *Capitulum eccleſiæ cathedralis*, nam id non poſſe eccleſias collegiatas adhuc pro ſuo territorio, aliaſve communitates inferiores, compertum eſt, cum ſubjectæ ſint eccleſiæ cathedrali, & ſic non ſunt communitates exemptæ; eſſetque magna in diœceſi confuſio, ſi plures eſſent Gubernatores, & omnes ſuas leges ferrent,& multoties fortè contrarias.Negat prima ſententia poſſe cathedralem eccleſiam ſimiles leges ſancire. Tum quia in ſede vacante ſolum conceditur illi adminiſtratio ſpiritualium, & temporalium pro limitato tempore: ergo non poterit leges de ſe perpetuas condere. Sed hoc nihil obſtat, quia etiam ſuo Legato ſolum pro limitato tempore concedit gubernationem ſummus Pontifex, & poteſt perpetuas leges condere,vt diximus *punct.præcedent.*Tum etiam,quia alias poſſent leges antiquas Epiſcopi revocare,contra id quod ſancitur *1.ne ſede vacante aliquid, &c.* Nec iſtud obſtat, quia licèt poſsit antiquas leges abrogare,non illas,quæ ad bona eccleſiæ pertinent, vel ad dignitatem Epiſcopalem, de quibus loquitur ille textus. Tum denique, quia non poteſt præbendas conferre, cap.*2.Ne ſede vacante, cap.vnico, eodem tit. in 6.* ergo nec leges condere. Sed nec iſtud eſt alicuius roboris: quia aliud eſt leges condere, aliud præbendas conferre, & hoc eſt Capitulo negatum in jure,non illud. Imò nec poterit beneficia non patronata conferre; poteſt tamen beneficia in commendam dare ad *6.* menſes; & ſi iterum Epiſcopus non eligatur, aut confirmetur, poterit tempus prorogare, vt teſtatur Rebuffus *in praxi beneficiorum, p.1.tit. de jure vol. num.77.* Laym.*tract.4.cap.7.§.4.n.13.*

Verius eſt, in ſede vacante poſſe

33 Dicendum itaque eſt, poſſe Capitulum eccleſiæ cathedralis leges condere perpetuas in ſede vacante, quæ vim habeant obligandi, do-

Capitulũ cathedralis leges ferre.

nec à succeſſore Epiſcopo, vel ab ipſo capitulo in alia ſede vacante revocentur: quia ſuccedit in adminiſtratione rerum temporalium, & ſpiritualium totius diœceſis: cap. *Cum olim, de maioritat. & obedientia, cap. vnic. eodem tit. 6.* cap. vlt. *de ſupplenda neglig. Prælat. in 6.* ergo ſuccedit in juriſdictione; ſiquidem adminiſtratio abſque juriſdictione haberi non poteſt: ergo etiam habet juriſdictionem ad ferendas leges: quia favor, & poteſtas reſtringi non debet ſine manifeſto textu, aut ratione. Sic Tapia *lib. 4. q. 8. art. 7. n. 3.* Layman *vbi proximè*, Palaus *tract. 3. diſp. 1. punct. 23. num. 21.* Bonacin. *diſp. 1. q. 1. punct. 3. n. 29.* Suar. *lib. 4. cap. 6. n. 14.* Gordon. *lib. 2. q. 10. num. 9.*

PUNCTUM III.

An Princeps teneatur obſervare leges, quas ipſe tulit?

In quo difficultas huius puncti cõſiſtat, declaratur.

34 LOquimur in præſenti de Legislatore ſuperiori, & abſoluto, vt eſt Pontifex reſpectu legum eccleſiaſticarum pro tota eccleſia, Epiſcopus pro ſua diœceſi; & reſpectu legum civilium Imperator, aut Rex, qui ſoli per ſe ipſos leges ferre poſſunt: an iſti debeant obſervare ſuas leges? nimirum, an Pontifex teneatur jeiunare, miſſam audire, divinum officium recitare, &c. & ſimiliter, an Epiſcopus teneatur à carnibus abſtinere, jeiunare, &c. diebus, quibus ipſe de iſtis operibus præceptum poſuit? & Rex proportionabili modo reſpectu ſuarum legum. Nam ſi loquamur de illis Legislatoribus, qui ſimul cum alijs leges ferunt, inter quos ipſi primas tenent, vt Dux venetus inter Senatores, Metropolitanus inter Epiſcopos, Prælatus in Capitulo, nulli dubium eſt, hos teneri legibus in talibus latis congregationibus, ſicut partes illius communitatis tenentur obſervare leges ab ipſa communitate ſancitas: nam partes ſemper toti ſubordinantur, & illius ſequi debent conditiones, & obligationes. Vnde Epiſcopus ad leges Concilij generalis, & provincialis tenetur, etiamſi illis vt Legislator particularis adſtiterit, & quilibet Senator ad ſtatuta, ſeu leges municipales ſuæ civitatis.

Loquimur de legibus promiſcuè pertinẽtibus ad ſuperiorem, & inferiorem.

35 Sed notandum eſt, aliquas eſſe leges, quæ concernunt materiam propriam, tàm ſuperiorum, quàm inferiorum, vt jeiunare, audire ſacrum, à carnibus abſtinere, &c. quæ ita decent ſuperiorem, ac ſubditum, & de his loquimur in præſenti: aliæ ſunt propriæ ſubditorum, quarum materiæ ad ſuperiorem non ſpectant: aliæ, quæ licèt à ſuperiore obſervari poſſent, non tamen ita decenter, & congruè; eius enim dignitas exigit quid præcipuum inter alios habere, & ſic non congruit tali dignitati his legibus, ſicut alij, ſubmitti. Vt ſi prohibeat, ne quis arma nocte ferat; ne quis veſtibus pretioſis, & ſericis vtatur; ne magnos ſumptus in comitatu, aut menſa conſumat, ne ſerviatur vaſculis aureis, aut argenteis: ab his quipè omnibus, quæ inferiores obligant, decet Principem ſupremum ob eius dignitatem eſſe liberum, vt rectè inquiunt Soto *lib. 1. de juſtit. q. 6. art. 7.* Tapia *lib. 4. q. 16. art. 9. n. 1.* Laym. *tract. 4. cap. 9. n. 2.* Monteſin. *tom. 2. diſp. 23. q. 11. diffic. 2. n. 191.* Bonacina *diſp. 1. q. 1. punct. 6. n. 10.*

Poteſt ſecũ diſpenſare Legislator.

36 Denique ſupponimus, poſſe Legislatorem ſecum diſpenſare in lege, eſtò ad illam in omni rigore teneatur, ſicut poteſt cum alijs: alias eſſet deterioris conditionis, ac ſubditi. Maximè cum non ſit alius, à quo poſsit conſequi talem diſpenſationem: & ita docet D. Thom. *1. 2. q. 94. art. 5. ad 3.* Et quidem ſi hoc faciat ex juſta cauſa, omninò liber manebit à lege, ſicut alij, cum quibus ipſe diſpenſat: ſi tamen abſque juſta cauſa id faciat, non obligabitur lege, vt infrà agentes de diſpenſatione dicemus: peccabit tamen ſecum abſque juſta cauſa diſpenſando: quia injuſtè ab onere, quod habebat, eximitur, graviter, vel levitèr, ſecundum quod dixerimus ipſum per legem obligari. Quando verò lex ipſa poſitiva eſt declarativa juris naturalis, vel divini, omninò ad illam tenetur, ſicut alij inferiores; nec poteſt ſecum, vel cum alijs diſpenſare, quia talis lex à ſuperiore Legislatore habet vim obligandi, ſecundum quod in ea declaratur, licèt declaratio ipſa ſit ab inferiore. Vnde peccabit Pontifex annuam confeſsionem omittendo, vel non ſumendo ſacram euchariſtiam in anno: quia lex confeſsionis, & communionis eſt declarativa juris divini, quamvis quoad temporis determinationem, nempè quod ſit in paſchate, ſit ſolum ex jure eccleſiaſtico.

Legislator tenetur leges à ſe latas obſervare.

37 Dicendum eſt ergo primò, ſupremum Legiſlatorem teneri leges à ſe latas obſervare vi directiva (ſeu ſecundum quod vim habent dirigendi, & oſtendendi bonum faciendum; & ſic per obligationem ad culpam, & in conſcientia) quando materia eſt communis, & acommodata ſubditis, & ſuperiori. Hæc ſententia eſt communis inter Theologos, vt vix aliquis detur, qui eam neget, ſequentes D. Thom. *1. 2. q. 96. art. 5. ad 3.* D. Ambroſ. *lib. 5. epiſtol. epiſtola 32.* ad Valentinianum Imperatorem: *Cum præſcripſiſti*, inquit, *alijs, præſcripſiſti etiam tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat.* Et in cap. *Cum omnes, de conſtitutionibus*, adducto à D. Thom. *loco citato*, dicitur: *Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure vti debet.* Et Sapientis dicit auctoritas: *Patere legem, quam ipſe tuleris.* Et in leg. *Digna, C. de legibus*, ibi: *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus aligatum ſe Principem profiteri.* Et ratio D. Thomæ eſt, quia indecens eſt Legiſlatorem non ſe conformare cum ſubditis, & aliud docere verbo, aliud exemplo: illi namque objici poſſet, quod Chriſtus Dominus Phariſæis objecit, Matth. 23. *Onera gravia imponunt, & ipſi vel digito nolunt ea movere.* Præterea, quia *turpis eſt omnis pars ſuo vniverſo non congruens*, vt inquit Div. Auguſtin. *lib. 3. Confeſsionum, cap. 8.* ergo magis erit turpe, quod caput, quod principalis eſt pars, non conformetur toti: tenetur ergo Princeps obſervare leges, quas ſubditis obſervandas proponit.

Sententia aſſerens hanc obligationẽ oriri immediatè à lege

38 Sed vnde talis obligatio oriatur, & an ſit ſub peccato mortali, an verò duntaxat ſub veniali? gravis eſt inter Doctores controverſia. Prima ſententia aſſerit, hanc obligationem immediatè ab ipſa lege provenire: ſive quia Deus dedit Principi talem poteſtatem legislativam ſub illa conditione tacita, vt ſe per leges latas obligaret: ſive quia ipſa lex hoc habet ex ſua natura, vt ſemel lata, omnes partes habeat adſtringere, tàm caput, quàm membra, quamvis vt conditione indigeat, quod ipſe Legislator eam applicet, ſeu promulget. Vnde aſſerit, Legislatorem ea obligatione, qua ſubditi, teneri ad obſervationem ſuæ legis; eſſeque illius tranſgreſſorem, ſi contra eam operetur: ac proinde peccare mortaliter, ſi materia ſit gravis, aliaſque habeat conditiones, quas ſuprà diximus ad obligationem gravem requiri. Ita Soto *lib. 1. de juſtit. quæſt. 6. art. 7.* Tapia *lib. 4. quæſt. 6.*

art.

art. 9. n. 4. Granad. *controv. 7. tract. 3. p. 1. diſput. 6. ſect. 1. n. 13.* Gordon. *lib. 2. q. 9. n. 51.* Martin. *1. 2. tom. 2. q. 96. art. 5. dub. 1. concluſ. 4.* Araujo *q. 97. diſp. 3. ſect. 5. diffic. 1. n. 4.* Layman *tr. 4. cap. 9. n. 3.* Vazq. *1. 2. diſp. 167. cap. 7.* & alij relati ab ipſis: & conſequenter aſſerunt, peccare mortaliter ſummum Pontificem, niſi ſecum ex juſta cauſa diſpenſet, non recitando officium divinum, non jeiunando, non audiendo miſſam, non abſtinendo à carnibus, vel ſimoniam, quæ eſt ex jure poſitivo, committendo, quando alijs hæc præcepit obſervare.

Prædicta ſententia ſuſcitur.

39 Probatur hæc ſententia primò, quia Princeps ad ſuam legem vi directiva tenetur; ſed lex in materia gravi obligat ſub mortali: ergo, &c. ¶ Secundo, quia ideò ſubditi omittendo ſacrum, aut non jeiunando peccant mortaliter, quia peccant contra illas virtutes, nimirum temperantiæ, aut religionis: intra quarum materiam per legem præſcribentem ea conſtituuntur, & peccare contra illas virtutes in materia gravi eſt peccatum mortale; ſed hæc eadem ratio currit reſpectu ſuperioris: ergo, &c. ¶ Tertiò, quia ſuperior nomine Dei, & eius vices gerens legem tulit: ergo qui contra legem operatur, Deum contemnit, & offendit: ergo contra Deum agit ſuperior, ſuam legem frangendo, & ſic in materia gravi peccabit mortaliter.

Fieri non poteſt Legislatorem ſuis legibus immediatè adſtringi.

40 Cæterùm nos intelligere non poſſumus, quomodo Legislator poſsit directè, & immediatè per ipſam legem obligari: quia lex eſt imperium ſuperioris, & nemo in ſeipſum politicum imperium poteſt exercere: nam *par in parem non habet imperium*, juxta communem Theologorum, & Iuriſtarum proloquium. Si dicas, ipſum obligari, vt miniſtrum Dei, & per virtutem ab ipſo receptam, quomodo eſt ſuperior ad ſeipſum, vt ſingularis perſona; ſic etiam dicere poſſes, Sacerdotem poſſe ſeipſum abſolvere ſacramentaliter: quia, vt talis, ſe habet vt Miniſter Dei, quo modo reſpectu ſui ipſius poteſt habere juriſdictionem. Nec eſſet ratio, quare ſuperior non teneretur præceptis particularibus ab ipſo impoſitis, quod nemo dixit, quia vt miniſter Dei præcipit. Si dicas, à Deo accepiſſe poteſtatem ſub illa conditione, vt ſeipſum obligaret legibus à ſe latis: ad quod frequenter recurrunt Auctores huius ſententiæ: Voluntarium eſt id aſſerere; ſiquidem ſi ſub illa conditione Princeps poteſtatem legislativam accepit: ergo non poſſet ſe eximere à lege, quando ipſam tulit: quod nec ipſi admittunt, nec admittere poſſunt, cum tota vniverſalitas legis ab ipſo dependeat, qui ſicut poteſt hos, & non illos velle obligare, ita poteſt ſe ab obligatione eximere.

Roboratur præcedens doctrina.

41 Eo, vel maximè, quia non eſſet aſsignabilis ratio, quare Legislator per vim coactivam ad leges non teneretur: id eſt, ad ſubeundam pœnam legis, quod negant prædicti Auctores, vt poſteà videbimus: quia Princeps eodem imperio leges proponit, & pœnam aſsignat: ſi ergo directè, & immediatè tenetur ad legem, cur non ad pœnam in ipſa taxatam? Si dicas, pœnam exigere ſententiam Iudicis, & Principem ſupremum non habere, à quo judicetur, quia prima ſedes à nemine judicatur: Contra eſt, quia plures ſunt pœnæ, quæ non indigent Iudicis ſententia, ſed ipſo facto incurruntur, vt excommunicatio, irregularitas, &c. Quas tamen negant, & meritò, Legislatorem, frangendo legem, incurrere, quia non obligatur ad eam per vim coactivam. Si dicas, quod omnis pœna debet eſſe involuntaria, & ſic per vim coactivam imponitur, & nemo poteſt cogere ſeipſum, quia non cogitur niſi invitus. Sed inquiro, cur ſeipſum non poſsit cogere, & poteſt ſeipſum obligare? Si quia miniſter Dei ſe obligat, ſi quia legislativam virtutem ſub conditione ſe obligandi accepit, cur vt miniſter Dei ſe non poterit cogere? Cur non recepit poteſtatem ſub conditione ſe obligandi ad pœnam? cum pœna ad culpam ſequatur, & qui obligatur ad culpam debeat obligari ad pœnam.

Legislator ſolum ex honeſtate, & decentia ſuis legibus adſtringitur.

42 Quare dicendum eſt ſecundò, obligationem, quæ eſt in Legislatore ad obſervandam ſuam legem, non provenire ex ipſa lege directè, & immediatè, proindeque non eſſe tranſgreſſorem legis, quando contra illam agit, nec peccare cõtra illam virtutem, contra quam peccant ſubditi, iſpam frangendo; ſed contra jus naturale ex congruitate, & honeſtate ipſum obligans: quia decens, honeſtum, & congruum eſt, caput ſuis membris conformari, & quod contrarium non doceat verbo, ac exhibeat exemplo: quæ eſt ratio D. Thomæ ſuprà data, & cum ex honeſtate tantum obligetur ad dictam legem, præciſo ſcandalo, aut alio damno extrinſeco, probabile eſt non peccare mortaliter, ſuam legem tranſgrediendo, quamvis ſit materia gravis, quia gravis quidem eſt reſpectu ſubditorum, quos obligat ex motivo particularis virtutis; non verò reſpectu ſuperioris, qui ſolum ex decentia, & honeſtate obligatur. Sic Vivaldus *in Candelabro, part. 2. cap. 12. ad finem*, Bonacin. *diſp. 1. quæſt. 1. punct. 6. num. 23.* Azor. *lib. 5. cap. 15. q. 1.* Salas *diſput. 14. ſect. 2. num. 14.* Rodriguez *in quæſtionib. Regul. quæſt. 68. artic. 3.* Leſius *lib. 2. cap. 35. dub. 5.* Palaus *tract. 3. diſp. 1. punct. 24. §. 1. num. 5.* Diana *1. part. tract. 10. reſol. 10.* Ex dictis manent ſoluta contraria argumenta.

43 Sed limitanda eſt prædicta doctrina. Primò in legibus taxantibus pretia rerum, ad quas ſub mortali Princeps obligatur, & tenetur reſtituere quod contra tales leges accepit: quia ad hanc legem tenetur ex jure naturæ, dictante nè pluris vendantur res, quàm valent communiter: ſed, ſuppoſita taxatione, iam res valet v.g. centum communiter: ergo agit contra legem naturalem in materia juſtitiæ, ſi pluris eam vendat: & conſequenter peccant mortaliter, ſi ſit exceſſus gravis materiæ.

Limitationes præcedentis doctrinæ.

44 Secundò in legibus à ſe latis irritantibus aliquem contractum, ſi contra illas ipſe contrahat: quia cum ſit de jure naturæ æqualitas contrahentium, eſſet contra eius æquitatem, quod alius eſſet lege ligatus, & non ipſe; claudicaretque ex vna parte, & non ex alia contractus, quod eſt contra rationem ipſius. Unde ſi contraheret cum aliquo contractu aliàs irrito per leges illius, vel eſſet nullus ex vtraque parte contractus, vel potius cenſendum eſt, ipſum in tali lege diſpenſare, & ſic contractum ex vtraque parte valere. Unde fit, quod ſi Rex condat teſtamentum abſque ſolemnitate ab ipſo præſcripta in lege, & aliquem inſtituat hæredem, vel legatarium, cenſetur ex juſta cauſa diſpenſare in tali lege, cum nulli faciat injuriam, eſſeque validum tale teſtamentum. Si verò alius teſtamentum condat abſque illa ſolemnitate, & ipſum Regem hæredem inſtituat, aut legatarium, invalidum erit tale teſtamentum; quia non præceſſit ad illud diſpenſatio, & non poterit Princeps hæreditatem, vel legatum accipere, leg. *Ex imperfecto, C. de teſtamentis*, & *§. vltim.* Inſtituta: *Quibus modis teſtamenta infirmentur*.

Legislator vi coactiva

45 Dicendum eſt tertiò, Principem per vim coactivam non teneri ad obſervationem, ſua-

non tenetur ad suas leges observandas.

rum legum; proindeque non teneri ad pœnas contra transgressores ab ipso assignatas, sive sint spirituales, sive temporales; & sic Pontificem non fieri irregularem, etiamsi hominem occidat: Episcopum non manere excommunicatum, etiamsi legem à se impositam sub excommunicatione non observet. Ita ferè omnes Auctores vtriusque præcedentis sententiæ, quamvis non omnes eadem via conclusionem probent. Nos consequenter ad dicta sic eam probamus: quia illæ pœnæ solum sunt impositæ contra transgressores illius legis; sed Legislator, etiamsi legem non observet, non est transgressor legis, nec contra eam operatur; sed contra honestatem, & decentiam, quæ petit conformitatem inter capita, & membra: ergo non cogitur per legem ad pœnam, nec ad talem legem per vim coactivam obligatur.

Vxor Legislatoris ex privilegio à legibus coactivis eximitur.

46 Vxor verò Legislatoris, licet legibus illius teneatur, sicut alij subditi (ipsa enim verè subdita est illius) & sic tàm ad culpam, quàm ad pœnam per legem, sicut alij, obligetur; nihilominus beneficio Legislatoris censetur exempta ab ipsa lege quoad vtramque rationem, vt habetur in leg. *Princeps, ff. de legib.* & tenent Salas *disp.* 14. *sect.* 3. *n.* 36. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 10. Suarez *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 28. Palaus *supra n.* 10. Granad. *n.* 60. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *n.* 51.

PUNCTUM IV.

Quomodo pueri, amentes, infideles legibus humanis obligentur?

Aliud est à lege excusari, aliud extrahi.

47 SUpponenda sunt, quæ diximus *capit. præced. n.* 158. aliud nimirum esse aliquem excusari à lege, sub qua est cóprehensus, quæ propriè non est excusatio præcepti, sed transgressionis illius; vt si lex lata esset, & promulgata, excusaretur à transgressione illius, qui invincibili ignorantia laboraret; sub illa tamen lege esset comprehensus; aliud excusari eum, qui non est comprehensus sub lege: quia lex ad illum non extenditur, nec eum vult obligare. Ut juvenis ante vigesimumprimum annum à transgressione legis jeiunij excusatur, sub qua minimè comprehenditur. Sic excusantur omnes infideles à legibus omnibus ecclesiasticis: quia in illos nullam habet ecclesia jurisdictionem, pueri ante vsum rationis, infirmi, & etiam amentes, quia amentia est quædam infirmitas: ebrij verò, ignorantes, & dormientes excusantur à transgressione legis primo modo, non hoc secundo. Ab illis verò præceptis, quæ sunt de jure naturali, & divino, nullus excusatur, vt non comprehensus sub illis; nec pueri, infirmi, amentes, infideles, &c. vt ibidem diximus: quia obligant omnes ex sua natura, & absque limitatione; excusantur tamen à culpa, qui ob defectum vsus rationis, ignorantiam, amentiam, &c. sufficientem non habent circa talia præcepta advertentiam, & libertatem.

Potest quis concurrere ad actiones cõtra legem illius qui lege non tenetur.

48 Ex quo fit, posse hominem licitè concurrere ad actiones illius, qui sub lege non tenetur, imperando, consulendo, vel in ipsis ministrando. Vnde non peccares, si die jeiunij infidelibus, amentibus, infirmis, pueris ante vsum rationis carnes ministrares, si eos ad non audiendam missam induceres, quia non concurris ad opus, quod eis sit aliquo modo prohibitum: & sic sicut ipsi non peccãt, nec materialiter, nec aliquid, quod sit objectivè malum, efficiunt; ita nec tu illud volendo, consulendo, vel in tali actione ministrando. Similiter non peccaret, qui pueros ante vsum rationis existentes, nimirum ante septennium, introduceret intra monasteria monialium, vel fœminam similiter ante septennium intra monasterium virorum intromitteret: quia ipsi tali lege non ligantur, nec alia sequuntur inconvenientia, quæ intendit Legislator vitare talem ingressum prohibendo. Peccaret verò si infideles iam puberes, aut amentes pubertatem nactos in talia monasteria monialium introduceret: quia licèt ipsi tali lege non teneantur, & sic intrando non peccarent, est tamen alijs prohibitum ad talem cooperari actionem: quia ex tali ingressu omnia incommoda poterant sequi, ac si ingrederetur compos rationis iam pubes, aut fidelis. Sanchez *summ. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 5. Layman *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 3. Palaus *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 24. *§.* 2. *à n.* 11. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 6. *à n.* 2. Salas *disp.* 14. *sect.* 13. *n.* 126. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 63.

Nemo potest ad actiones, quæ sũt contrà legẽ materialitèr concurrere.

49 Peccant similiter qui consulunt, aut ministrant in actionibus prohibitis ipsis, quibus ministratur, quamvis illi à culpa excusentur eas efficiendo: ideòque ignorantibus, ebrijs, &c. die jeiunij carnes ministrare, erit peccatum, & quoslibet, sive furiosos, amentes, ebrios, pueros non habentes vsum rationis movere, aut incitare ad aliquid, quod sit ex jure naturæ malum, quamvis ipsi ex defectu discursus non peccent illud exercendo: quia omnes sub legibus naturalibus continentur, & sic est malum objectivè, & materialiter, quod efficiunt contra ius naturale, ideòque in alijs velle illud, consulere, vel incitare, est malum formaliter, & peccatum. Unde eos movere, aut concitare ad blasphemandum, alios lædendum, pejerandum, vel vt se inebrient, vt irascantur, vel illos pellicere ad copulam, pollutionem, aliamve turpitudinem, erit mortale peccatum. Sic præcitati Auctores.

Ad quas leges pueri nõ teneantur?

50 Sed difficultas est: An pueri, postquam ad vsum rationis pervenerint (qui advenire judicatur, nisi aliud constet, completis septem annis) teneantur observare leges ecclesiasticas? nimirum audire missam, confiteri, eucharistiam recipere, abstinere à carnibus, vel à lacticinijs diebus vetitis, &c. & non loquimur quando, vel ex lege, vel ex consuetudine, aut communi Doctorum intelligentia determinatur tempus pro adimpletione præcepti, vt in præcepto jeiunij contingit, quod post vigesimumprimum annum completum obligare, & non antea, est apud omnes receptissimum; sed quando lex vniversaliter loquitur, nullum tempus designans, vt in alijs exemplis enumeratis. Et loquimur similiter, an teneantur ex vi directiva legis, seu per obligationem ad culpam gravem: nam quoad pœnam in lege taxatam, & sic ex vi coactiva non teneri, non dubitamus. Vnde si præceptum ponitur sub pœna excommunicationis, vel alterius censuræ, non manere illis ligatos pueros, qui ante pubertatem talem legem transgrediuntur, diximus *tr.* 10. *de Censur. cap.* 1. *punct.* 13. *n.* 168.

Diversorum opiniones circa obligationes puerorum.

51 Igitur pueros non teneri ad leges ecclesiasticas observandum, etiamsi discretionem nacti fuerint, statim ac ad rationis vsum pervenerint, docent D. Antoninus 2. *part. tit.* 9. *cap.* 8. *§.* 2. Soto 4. *dist.* 12. *q.* 1. *artic.* 11. *in fine corpor.* Marchantius *in Candelab. sac. q. Pastor. tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 2. Sà *verb. Confessio, num.* 3. Henriq. *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 24. *init. & lib.* 13. *cap.* 49. *num.* 2. *liter. N.* Quamvis inter se dissentiant in assignando, quando

do talis obligatio in pueris incipiat poſt vſum rationis. Nam D. Antonin. aſſerit, non teneri viros præcepto confeſsionis (& conſequenter alijs præceptis: quia illud eſt quod magis ſtatim vrget) niſi vſque ad decimum, & dimidium annum, & aliquid vltra, fœminas verò vſque ad nonum & dimidium, & aliquid vltra. Sotus vſque ad decimum. Sà vſque ad pubertatem (quæ in fœminis, expletis duodecim annis; & in viris quatuordecim, regulariter advenire cenſetur) aſſerit non teneri. Quamvis in ſummis reformatis addatur *ad pœnas tranſgredientibus impoſitas*. Henriquez verò, quoad præceptum abſtinentiæ à carnibus, & lacticinijs, non ſtatim, inquit, poſt vſum rationis teneri, ſed poſſe per aliquod tempus illis vti diebus prohibitis. Ac denique Marchantius circa auditionem ſacri non teneri, aſſerit, niſi poſt perfectam diſcretionem, qua cognoſcere poſsit altitudinem miſſæ, illique debita reverentia aſsiſtere.

Vera doctrina aperitur.

52 Noſtra tamen concluſio ſit, pueros poſt vſum rationis (qui regulariter poſt ſeptimum annum advenire judicatur; & ſic in dubio an venerit, judicandum eſt advenire illo expleto; & non advenisſe, ſi ad eum non pervenerint) teneri obſervare omnes eccleſiaſticas leges, & peccare illas tranſgrediendo, ſicut puberes: & parentes, ſi non moneant de tali obligatione, aut ſi carnibus veſci permitrant, non confiteri, aut miſſæ non intereſſe. Et quidem loquendo de præcepto confeſsionis annuæ, videtur expreſſum in cap. *Omnes vtriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſsionib.* vbi præcipitur omnibus fidelibus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, confiteri: vide quæ circa hoc diximus *tract. de pœnitent. cap.7.punct.1.num.4.* Ratio pro omnibus eſt, quia puer poſt vſum rationis capax eſt obligationis legis humanæ, ſicut eſt capax obligationis legis divinæ, & naturalis: ergo quando lex abſque exceptione, aut deſignatione temporis profertur, cenſetur velle eos ſub tali lege comprehendere (excipe præceptum communionis, ad quod non teneri vſque ad decimum, vel duodecimum annum extra mortis periculum; teneri verò in illo poſt vſum rationis, quando confeſsionis ſunt capaces, diximus *tract. 4. de Euchariſt.cap.7. punct.1. à n. 15.*) Ita ſentiunt Palaus *tract.3. diſp.1.punct.24.§.2.n.5.* Laym. *tract. 4.cap.10.n.4.* Bonac. *diſp.1.q.1. punct.6. n.8.* Salas *diſp.14.ſect.13.* Sanch. *lib.1.ſum. cap.12. n.6.* Granad. *controv.7.tract.3.p.1.dub.7.ſect.5.n.37.*

PUNCTUM V.

An peregrini, & vagi teneantur legibus ſuæ patriæ, & locorum per quæ tranſeunt?

53 IN præſenti agendum erat, quomodo perſonæ religioſæ, & eccleſiaſticæ teneantur legibus civilibus, quæ non ſunt contra immunitatem eccleſiaſticam? Sed quia de hoc iam egimus *tract.8.de Ordine, cap.7.punct.1.num.14.* illud prætermittimus, & nunc ad obligationem vagorum, & peregrinorum explicandam accedimus. Quis autem dicatur vagus? iam diximus *tract.9.de Matrim. cap.8. punct.3.* agentes de Parocho, qui debet intereſſe vagorum matrimonio. Nomine peregrini in præſenti intelligimus alienigenam, vel advenam, qui in loco, per quem tranſit, non habet proprium domicilium. Quid autem requiratur ad adquirēdum domicilium, & quomodo deperdatur? diximus *tract.8. de Ordine, cap.4.punct.3.n.48.* agentes de domicilio, ratione cuius aliquis ſit ſubditus Epiſcopi, vt ab eo ordinari poſsit: & quia plura circa præſentem materiam in alijs tractatibus diximus, modo ea tantum, quæ ſunt propria huius loci, tangemus, remittentes lectorem ad loca, vbi alia iam examinavimus.

§. I.

De advenis, ſeu alienigenis: an teneantur obſervare leges, vel conſuetudines locorum per quæ tranſeunt?

Accedens ad locum animo ibi perpetuò manendi legibus illius tenetur.

54 DUo ſunt certa apud Doctores in hac parte. Primum eſt, advenam, peregrinum, aut forenſem, accedentem ad aliquem locum animo ibi perpetuò manendi ſtatim obligari legibus municipalibus, aut epiſcopalibus, vel conſuetudinibus talis loci, quia tali animo accedens, iam non eſt hoſpes, peregrinus, aut advena, ſed incola illius loci, quia iam acquiſivit domicilium: hoc enim acquiritur eo ipſo, quod incipiat aliquis habitare in loco animo ibi perpetuò manendi, vt diximus *tract.de Ordin. loc. cit.* & conſtat ex leg. *Domicilium, ff. ad municipalem*: & ſic ratione domicilij iam eſt ſubditus ſuperiori illius loci: ideòque tenetur illius legibus, & præceptis obtemperare. Et ideò incurret excommunicationem ab Epiſcopo illius loci latam per modum ſtatuti, aut ſententiæ generalis contra facientes hoc, vel illud, ſi ipſe illud faciat. Quid verò dicendum ſit, ſi lata fuerit talis cenſura per modum ſententiæ particularis? vide quæ diximus *tract.10.de Cenſur. cap. 1. punct.9. num.116.*

Accedens ad locum animo ibi manendi maiori parte anni, legibus illius tenetur.

55 Secundò conveniunt Doctores, quod ſi aliquis ad locum perveniat animo in eo manendi maiori parte anni (vti ſcholaſtici ad vniverſitatem convenientes, vt in ea ſtudijs vacent; ſolicitatores locantes operas ſuas in curia ad longum tempus) tenetur obſervare leges, & conſuetudines illius loci, ſicut cæteri cives; poteſtque puniri ſi contra illas faciat: quia licèt talis aſsiſtentia non ſufficiat ad acquirendum domicilium, benè tamen ad acquirendum quaſi domicilium, leg.2.Cod. *vbi Senatores*, leg. *Hæres abſens, §. Proinde, ff. de judic.* Ideòque forum illius loci ſortitur, & fit parochianus illius parochiæ, ſubjectus ſuperiori eius, à quo poteſt omnia ſacramenta recipere, præter ordinem, & etiam in tali parochia debet ſepeliri, poteſtque ab Epiſcopo eius votorum, & juramentorum relaxationem obtinere: in quo conveniunt communiter Doctores. Gravis autem eſt inter illos controverſia, an ſi quis ad locum perveniat per modum tranſitus, & ibi per duos, vel tres dies, vel etiam per vnum vt hoſpes commoretur, teneatur legibus illius loci, ſi tempore proportionato obligationi ibi perſiſtat? Ut ſi toto mane, vel maiori parte diei feſtivi illius loci adſit, an teneatur audire ſacrum? Si die jejunij integro ibi permaneat, an jejunare? Si enim duntaxat ibi exiſtat, quandiù cibum ſumit, ſtatim diſceſſurus, vel pernoctaverit primo mane diſceſſurus, non eſt dubium non teneri, vel ad jejunium, vel ad auditionem ſacri: quia non

ſuit

fuit ibi tempore proportionato, quo talia vrgebant præcepta.

Sententia asserens, peregrinos teneri legibus civitatis, qua transeunt.

56 Igitur in sensu dicto prima sententia asserit, advenas, & peregrinos, etiamsi per vnum solum diem in loco sint, vbi obligat lex, consuetudo, aut præceptum, teneri ad observationem illius, tam quoad vim directivam, nimirum in conscientia, & quoad culpam, quàm quoad vim coactivam, & ad pœnam. Ideòque si ab Episcopo imposita fuerit lex sub pœna excommunicationis, vt omnes tali die jeiunent, asserit teneri advenam, seu alienigenam eo die in tali loco commorantem jeiunare, & si non jeiunet, excommunicationem incurrere. Ita Covarr. in 4. *variar. cap.* 20. *n.* 8. Gordon. *lib.* 2. *q.* 9. *capit.* 16. *n.* 55. Gregor. Martin. *q.* 95. *artic.* 5. *dub.* 7. *conclus.* 6. Arauj. 1. 2. *q.* 97. *disput.* 3. *sect.* 5. *diff.* 3. *conclus.* 3. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 16. *art.* 3. *num.* 2. Palaus *tractat.* 3. *disput.* 1. *punct.* 24. §. 3. *numer.* 11. Basilius Pontius *de Matrimon. lib.* 5. *cap.* 7. §. 1. *num.* 6. Suarez *de legib. lib.* 3. *capit.* 33. *numer.* 33. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. *num.* 8. Salas *de legib. disp.* 16. *sect.* 4. *concl.* 4. & alij.

Præcedens sententia probatur.

57 Probatur hæc sententia primò ex authoritate D. Ambros. apud August. *in epistol.* 118. & refertur in cap. *Illa, dist.* 20. *Cum Romam venio, Sabbatum jeiuno: cum Mediolani sum, non jeiuno: sic & tu ad quamcumque ecclesiam veneris, eius morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, neque quemquam tibi.* Et hinc inquit Gloss. dicto cap. ortum duxisse illum versiculum:

Cum fueris Romæ, romano vivito more:
Cùm fueris alibi, vivito sicut ibi.

¶ Secundò, quia talis advena, hoc ipso quod à sua patria sit absens, deobligatur proprijs legibus illius, vt ex communi sententia dicemus §. *seq.* ergo obligatur legibus illius loci, in quo est, quia qui sentit commodum, & incommodum sentire debet: aliàs nullis legibus municipalibus teneretur: quod est contra rectam illius gubernationem, vt agentes de vagis posteà dicemus. ¶ Tertiò, quia si in illo loco esset positum interdictum, non posset talis advena audire sacrum, & sic teneretur ad observationē interdicti: ergo etiam ad observationem aliarum legum, & præceptorum. ¶ Quartò, quia omnes obligari legibus, & consuetudinibus loci, rectæ gubernationi est convenientissimum, paci, ac tranquilitati reipublicæ valdè consentaneum: ergo dicendum est ita evenire.

Probabile æquè est, nō teneri.

58 Sed his non obstantibus, quamvis dicta sententia sit probabilis, non minùs est probabilis sententia negans: & ideò græci transeuntes per ecclesiam latinam, possunt celebrare modo proprio suæ patriæ, & non tenentur juxta ritum romanæ ecclesiæ celebrare. Idem dicimus de alijs legibus, sive municipales sint, sive episcopales, non teneri illis advenas, & peregrinos, qui parvo tempore, nimirum minori parte anni, ibi commorantur, quia non obligant nisi subditos, cap. *A nobis, de sententia excommunicationis*; sed tales subditi non sunt illius loci: & ideò Episcopus illius non potest eos ordinare, aut confirmare, in votis, aut juramentis dispensare: & licèt essent eius diœcesis, leges tamen latæ in aliquem locum, aut civitatem solùm obligant cives illius civitatis, & incolas: hic autem civis, aut incola non est: non ratione originis, vt supponimus; nec ratione domicilij, aut quasi domicilij, quia hoc non acquiritur minori parte anni in aliqua civitate commorando. Secundò, quia non dicitur moraliter esse in aliquo loco, qui maiori parte anni non est in illo, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, vt ex pluribus textibus probat Sanchez infrà citandus; sed leges illius loci obligant solùm eos qui moraliter ibi commorantur: ergo, &c. Ita docent D. Anton. 2. *part. tit.* 6. *cap.* 2. §. 2. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalog. cap.* 12. *n.* 38. & *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 6. Ioan. Sanch. *in select. disp.* 54. *n.* 31. Dian. 1. *part. tract.* 10. *resol.* 13. & 15. & *tract.* 9. *resol.* 2. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *disput.* 6. *sect.* 4. *n.* 24. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 36. & 43. Azor. *tom.* 1. *dub.* 5. *cap.* 11. *quæst.* 3. Veg. 2. *summ. casu* 315. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 5. *num. vlt.* Sylvest. *verb. Ieiunium, q.* 2. *n.* 7. Sayr. *in Clavi Regia, lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 15. & alij. Undè diximus *tract.* 10. *de Cens. cap.* 1. *num.* 116. non ligari censuris latis pro illo loco ab Episcopo advenas illac transeuntes,

Tres limitationes præcedentis doctrinæ.

59 Sed limitanda est hæc doctrina, primò in legibus assignantibus conditiones, vel solemnitates pro contractibus, quia contractus debent celebrari juxta leges, & consuetudines loci, in quo contractus celebratur, vt diximus *tract.* 9. *de Matrimon. cap.* 8. *punct.* 2. *n.* 18. Undè fit, nullum esse contractum contra leges illius loci celebratum, & teneri incolam pretium pro mercibus in tali loco assignatum servare, quia lex de pretio pertinet ad contractum, & solvere gabellam, vel aliud onus contractui annexum. Ita vtriusque sententiæ Authores. ¶ Secundò limitanda est conclusio, quando illæmet leges obligant in proprio territorio, quia tunc tenetur illas observare, quando est in transitu in alieno, in quo eadem præcepta reperiuntur, quia non est ratio ipsum excusandi, eo quod tunc non mansit liber à lege, sed quasi continuata fuit obligatio, quando de loco ad locum transit, in quorum vtroque eadem dantur leges. Ita Authores citati præter Ioannem Sanctium, qui docet, adhuc tunc non teneri: quod probabile dicit Diana 1. *parte, tractat.* 9. *resolution.* 8. ¶ Tertiò limitatur, quando illæ leges sunt ex jure communi, quod tunc tenetur eas observare, quando est in loco vbi sunt in suo robore, etiamsi in proprio territorio sint per consuetudinem abrogatæ: vt Castellanus transiens per Lusitaniam non potest manducare die sabbati extrema, & intestina animalium: & tenetur jeiunijs Quadragesimæ à die quarta cinerum, qui esset in locis vbi hoc ex jure communi observatur, etiamsi in proprio territorio ex consuetudine oppositum contingat. Ita præcitati Authores præter Thom. Sanchez, qui cum Ledesma *de Matrimon. quæst.* 45. *articul.* 5. *punct.* 3. *dub. vltim.* & Palac. *in* 4. *distinction.* 15. *disput.* 8. *post* 6. *conclus. folio* 126. oppositum tenet.

Aliæ tres limitationes datæ conclusionis.

60 Quartò limitatur, si peregrinus delinquat in illo loco contra jus naturale, vel commune, potest, & debet puniri in eo, quia ratione delicti subditur superiori illius loci, capit. *finali, de foro competenti.* Authentic. *Quæ in provincia,* Cod. *vbi de crimine agi oportet*: vt vbi quis commisit delictum, ibi puniatur, vt malum exemplum punitione reparetur. ¶ Quintò tenetur legibus loci, quo transit, latis in commodum ipsius loci, vt si prohibeatur, ne merces, triticum, aut arma ex loco extrahantur, ne peregrini vltra tot dies in eo commorentur: aliter enim non posset populus se defendere, aut gubernari. ¶ Sexto denique excipiendi sunt vagi, illi nimirum, qui nullibi

libi domicilium habent: nam quamvis Leſsius *lib.4. de juſtit.capit.2. dub.7. num.49.* Ioann.Sanct. *ſupr. num.54.*Sayr.*n.8.*Laym.*tract.4.cap.12.n.6.*quod ſatis probabile reputat Dian.*1.p.tract.10.reſol.16.*dicant idem eſſe de ipſis judicium, ac de peregrinis, & ſic nullis legibus oppidi,quo tranſeunt, teneri. Cæterùm Authores ferè omnes pro vtraque ſententia allegati inter vtroſque diſcrimen ponunt, & dicunt, quod licèt peregrini non teneantur legibus loci, vbi ſunt advenæ; benè tamen vagi, quia cum nullibi habeant domicilium,debent illud ſortiri ex præſentanea habitatione, aliàs nullis legibus particularibus tenerentur, quod eſt contra rectam eorum gubernationem.

Argumenta cõtraria diſſolvuntur.

61 Reſtat contrarijs ſatisfacere argumentis. Ad primum dicimus,vel illa loca intelligi debere, quando ex non obſervantia legum oriretur ſcandalum, vt indicant verba D. Ambroſij, & Auguſtini: tunc enim ratione ſcandali tenerentur peregrini eas obſervare: quod quidem non ſequeretur, ſi in ſecreto contra eas agerent, vel coram adſtantibus,qui de hac probabiliſsima opinione notitiam haberent: vel loquuntur caſu quo ſint in illo loco maiori parte anni: vel denique ſolùm conſulunt quod melius eſt, & ſecurius, & magis decet. ¶ Ad ſecundum,conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, quia tunc verum eſt, quod qui ſentit commodum, incommodum ſentire debeat, quando onus, & incommodum eſt beneficio, & commodo annexum; vt beneficiarius, qui ſentit commodum beneficij, ſentire debet incommodum obligationis recitandi horas canonicas: non tamen ſemper verificatur, & ita novitius fruitur commodis, & privilegijs religionis, & non tenetur ad onera, & præcepta illius. ¶ Ad tertium reſpondetur verum eſſe antecedens, loquendo de interdicto locali, non verò de perſonali, etiam vniverſali, quia interdictum locale afficit immediatè locum, vt diximus *tract. de Cenſuris*: quamvis indirectè tranſeat ad perſonas, ne in illo loco celebrent, aut miſſam audiant: & ſic ex jure communi hoc prohibente afficiuntur illo præcepto, quod in noſtro caſu non evenit. ¶ Quartum argumentum ſolùm probat decentiſsimum eſſe,& convenientiſsimum,advenas obſervare leges civitatis,qua tranſeunt; non verò ad illas teneri.

§. II.

An abſentes à ſuo territorio teneantur legibus illius?

Abſentes nõ tenentur legibus ſuæ patriæ.

62 COmmuniſsimum eſt inter Doctores, neminem teneri legibus municipalibus, aut epiſcopalibus, aut conſuetudinibus ſuæ patriæ, quando ab illa abſens exiſtit: & ideò dicitur in capit. *Ut animarum, de conſtitutionibus in 6. Statuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſerunt, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi eius extra eius diœceſim exiſtentes minimè obligari noſcuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.* Ratio eſt, quia Legislator ferendo legem, bono ſuæ ditionis attendit: ergo extra illam obligare non poteſt, cum extra ſuum territorium nullam habere poſsit jurisdictionem. Quod etiam eſt verum, tametſi leges ſint de jure communi, & in ſuo territorio obligent: ſi tamen ſit in loco, vbi per conſuetudinem ſunt abrogatæ, non tenetur illas obſervare, & ſic Luſitanus tranſiens per Caſtellam poteſt extrema animalium, & inteſtina die ſabbati comedere: & qui accederet ad Mediolanum, poſſet à die cinerum vſque ad Dominicam primam quadrageſimæ non jeiunare, tametſi in ſua patria obſervetur illis diebus jeiunium. Sic Palaus *tract.3. diſp.1.punct.24.§.5.num.1.*Gordon.*lib.2.q.9.capit. 17.n.56.*Martin.*1.2.q.96.artic.5.dub.6.*Arauj.*1.2. q.97.diſp.3.ſect.5.diff.3.num.1.* Salas *de legib. diſp. 14.ſect.5.n.16.*Leſsius *de juſtit.lib.4.capit.2. dub.8.* Granad.*controv.3.tract.3.part.1.diſp.6.ſect.5.num. 16.*Laym.*tractat.4.cap.11.n.1.&* 4. Villalob. *tom. 1.tract.2.diff.34.numer.3.*Dian.*1.part.tract.9.reſolut.17.& tract.10.reſol.14.*Baſil.Legion. *de Matrimon.lib.5.cap.8.n.1.*Thom.Sanch.*de Matrim. lib.3. diſp.18.n.18.& in Decal.lib.1.capit.12.n.26.*Bonac. *diſp.1.q.1.punct.6.n.59.*

Etiamſi intẽtione eximẽdi ſe à legibus è patria ſua exeant.

63 Et hoc verificatur,etiamſi ex intentione eximendi ſe à lege jeiunij, vel obſervationis feſtorum,&c. à propria patria exiret, quia vtitur jure ſibi conceſſo,vt diximus capit.*præcedent.numer.164.*neque enim præceptum obligat inde non exire, ſed quod ab exiſtentibus in illo loco obſervetur.Palaus, Baſil.Bonacina,Sanchez,Diana,& Tapia *lib.4.q.16. artic.4.numer.5.* Et hinc infert Baſil. *numer.6.* & ex eo Palaus *num.4.fine*,habentem caſus reſervatos,vel alia cauſa nolentem Parocho domicilij confiteri;poſſe peregrinare ea intentione,vt cum alio confiteatur, quia vtitur jure ſibi conceſſo tempore peregrinationis.Quid autem dicendum ſit de eo, qui exijt à loco, vbi Concilium Tridentinum eſt receptum,vt contrahat clandeſtinè in loco vbi non eſt receptum, diximus *tractat.9.de Matrimon.cap.8.punct.2. num.18.* quæ videnda ſunt, quia eſt ſpecialis ratio decidendi in hoc caſu.

Idem dicendum eſt de exiſtentibus in loco exẽpto.

64 Quod diximus de peregrinis, non teneri legibus ſuæ patriæ, quando ſunt extra illam, intelligendum eſt,etiamſi in ſua patria exiſtant, ſed in loco exempto à juriſdictione Legislatoris: vt ſi Epiſcopus diem feſtum indiceret, poſſet quis in loco exempto illo die laborare.Si prohiberet,ne Clerici aleis luderent,poſſent in loco exempto aleis ludere: quia locus exemptus,tametſi intra territorium contineatur,cum ſit extra juriſdictionemLegislatoris,quantum ad hoc quod eſt non poſſe illa in eo exercere,loco extra exiſtenti æquiparatur. Layman *lib.4.capit.11. numer.* 5.Bonacin.*diſput.1.quæſt.1.punct.6. numer.65.* Salas *diſput.14.ſect.6.numer.85.*Palaus *tractat.3.diſput.1.punct.24.§.5.numer.29.* Tapia *libr. 4. quæſt. 16.artic.2.numer.2.*Diana *1.part.tract.10.reſol.14.* An verò per loca exempta intelligantur conventus regularium à juriſdictione Epiſcopi exemptorum? Aliqui negant,alij affirmant. Vide quæ diximus *tractat.10.de Cenſur.cap.1.punct.9. num. 113.* & parti affirmativæ adhærebis.

Subditus tenetur legibus ſui territorij,ſi in eo delinquat.

65 At verò ſubditus, quamvis extra tetritorium exiſtat, tenetur legibus territorij, ſi ibi delinquat, vt ſi mittat, qui hominem intra territorium occidat, & ſit in eo excommunicatio impoſita contra mandantes homicidium: ſi ſagittam à foris exiſtens mittat, & hominem intra territorium occidat: ſi aliquid facere intra territorium teneatur, & non faciat. Undè diximus *dicto loco, numer.* 109. quod ſi Epiſcopos jubeat Clericis ſub excommunicatione in proprijs eccleſijs aſsiſte-

aſsiſtere, excommunicationi ſubjacebunt, qui non aſsiſtent, tametſi extra territorium degant: quia delictum, nimirum non aſsiſtentia, intra territorium conſummatur. Si tamen delictum, ob quod fuit impoſita pœna, intra territorium inciperet, & extra conſummaretur, non ſubjacebit, qui ſic deliquit, pœnis impoſitis in illo territorio contra committentem tale delictum, & ſic diximus prædicto loco *num.* 110. quod ſi Epiſcopus in illo territorio imponeret excommunicationem contra ſtuprum committentes non maneret excommunicatus, qui virginem blanditijs, vi, aut fraude à territorio extraheret, & ibi rem haberet cum ea: quia licèt delictum intra inchoatum ſit, extra tamen conſummatum eſt. ¶ Et etiam, ratione rei ſitæ intra territorium, tenetur legibus illius ſubditus extra exiſtens: vt ſi in territorio ſit lex, ne vendantur domus, agri, &c. illius, niſi ſub tali forma, aut ſolemnitate, non poterit abſque illis extra exiſtens tales res vendere, quia tunc ratione rei ſitæ ſortitur quis forum illius loci, capit. *final. de foro competenti*: & probat textus capit. *Romana, §. Contrahentes, eodem titulo.*

An teneatur audire ſacrũ qui diſcedit à loco, vbi eſt dies feſtus?

66 Sed inquires primò, an ſi ſit dies feſtus in tuo loco, tenearis audire ſacrum, antequam tali die ab eo exeas? Certum eſt apud omnes, te non teneri audire miſſam, ſi non dicatur in loco vbi es, antequam exeas, vel quando vis exire, quia non teneris ad aliud tempus expectare. E contra verò eſt etiam certum, quod ſi tunc ſacrum celebretur, & non ſit alia miſſa dicenda in tali loco teneris audire illam antequam exeas ab eo, quia nulla eſt ratio excuſationis. Quare dubium eſt, quando toto mane in illo loco miſſæ celebrantur, & tu inde vis exire hora octava, an tenearis prius miſſam audire? Prima ſententia eſt affirmativa: & probatur primò, quia quando es in illo loco, iam afficeris præcepto, ſed non eſt in tua voluntate excutere obligationem ſemel ſuſceptam: ergò teneris ſatisfacere illi. ¶ Secundò, nam ſi, ſtante præcepto, ſcires te poſteà impedimentum habiturum, teneris prævenire impedimentum: vt ſi ſcires te fore impediendum ab auditione ſacri hora vndecima, teneris hora nona, aut decima illud audire; idem de recitatione officij divini; idem de communione paſchatis, quam prævenire teneris, ſi ſcis impedimentum eventurum, ratione cuius tempore vrgenti non poſſe te ſatisfacere præcepto, timeas: ſed in noſtro caſu ſcis impedimentum ſuperventurum auditioni ſacri, nimirum profectus in alium locum: ergò, antequam exeas, teneris audire illud. Ita Laym. *tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 6. Baſil. *de Matrimon. lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 6. Sà *verb. Feſtum, n.* 8. Suarez *tom.* 1. *de legib. lib.* 2. *capit.* 5. *num.* 9. Filliuc. *tractat.* 27. *cap.* 7. *n.* 111. Martin. *quæſt.* 96. *artic.* 5. *dub.* 6. & *dub.* 7. *nota* 1. *poſt* 8. *concluſionem.*

Non tenetur quis prævenire obligationem.

67 Verius tamen eſt, te non teneri prævenire auditionem ſacri in illo caſu, quia ſi in illo loco eſt hora octava matutina, & ſint in eo aliæ miſſæ hora decima, aut vndecima dicendæ, non obligaris audire miſſam hora octava, cùm poſſes alia hora audire illam; ſed non teneris expectare totum tempus pro quo obligat præceptum: ergo ſi ante exeas, non teneris vllo modo, cùm iam ſis ab obligatione exemptus. Unde non teneris prævenire obligationem, tametſi ſcias impedimentum ſuperventurum: quia tunc eſt verum te obligari prævenire illam, quando impedimento adveniente ſolùm excuſaris à tranſgreſsione, vt ſi impedimentum eſſet obligatio, ignorantia, detentio: at ſi impedimentum extrahat te ab obligatione legis, non teneris prævenire illud, vt ſi ſcires eo die tibi privilegium concedendum non recitandi, aut audiendi ſacrum, non teneris audire, aut recitare, antequam privilegium adveniat. Sic Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 16. *artic.* 2. *n.* 4. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *diſput.* 6. *ſect.* 4. *n.* 31. Dian. 1. *p. tract.* 10. *reſol.* 14. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 24. *§.* 5. *num.* 8. Sanch. *de Matrimon. lib.* 3. *diſp.* 18. *n.* 21. & *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 32. Sal. *diſp.* 14. *ſect.* 5. *n.* 66.

Alia quæſtio circa legem jeiunij proponitur, & prima ſententia pro ea.

68 Secundò inquires, an ſi die, quo jeiunium in tuo loco obſervatur, exire velis ad locum, vbi non ſervatur, poſsis jentaculum ſumere in loco vbi obligat jeiunium, antequam exeas? Et quidem non poſſe te carnibus veſci, antequam exeas, res eſt apud omnes receptiſsima, etiamſi perventurus ſis ad locum, in quo veſpere carnibus veſci licebit: quia præceptum de non comedendo carnes diviſibile eſt pro toto die, & ſic etiam obligat pro illa hora, qua intra locum, vbi adeſt præceptum, exiſtis. At quia jeiunium eſt indiviſibile præceptum, vnam exigens duntaxat comeſtionem, cùm veſpere venturus ſis ad locum, vbi cœnam, & prandium ſumere poteris, licere te jentaculum ſumere in loco vnde proficiſceris, aſſerit prima ſententia: & è contra, ſi exeas à loco, vbi non obligat jeiunium, perventurus ad tuam patriam veſpere, vbi jeiunium obligat, affirmat te poſſe in primo loco comedere, & carnibus veſci: & in ſecundo cœnare, non tamen carnes comedere, propter ea, quæ diximus. Ita Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 18. *num.* 22. & *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 34. Ioann. Sanch. *in ſelect. diſp.* 54. *à n.* 26. Surar. *de legib. lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 3. Leſſ. *lib.* 4. *cap.* 12. *dub.* 8. *numer.* 57. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 109. Salas *diſp.* 14. *ſect.* 5. *n.* 68. Dian. 1. *part. tract.* 9. *reſol.* 3. & 18. & *tract.* 10. *reſol.* 14.

Alia ſententia circa quæſtionem propoſitam.

69 Secunda ſententia negat, te poſſe in tali caſu jentaculum ſumere, etiamſi poſsis cœnare, cùm ad locum, in quo non obligat jeiunium, perveneris. Ita Baſil. *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 3. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *diſp.* 6. *ſect.* 4. *n.* 32. Palaus ſupra *n.* 10. Quia antequam exeas, nondum adeſt cauſa excuſationis: nec ſufficit ſpes certa futuritionis illius, ſicut ſi ſcires certò te privilegium eo die acceptu-rum, non poſſes jeiunium frangere, quia ſpes privilegij non eximit ab obligatione, ſed ipſum privilegium. Sed ad hanc rationem facilitèr reſpondent Authores primæ ſententiæ, dicendo ſpem certam privilegij, aut cauſæ excuſantis, non eximere à præcepto diviſibili; & ſic per illam non poſſet veſci carnibus, aut laborare in die feſto, qui nondum privilegium, aut cauſam excuſationis præcepti accepit. At è contra dicunt accidere in præcepto indiviſibili, vti eſt jeiunium, vt conſtat in eo, qui certò ſciret eo die laboraturum, vel defatigaturum, poſſet enim primo mane frangere jeiunium, ob ſpem certam, quam habet de futura cauſa excuſationis.

Medium inter duas eligitur.

70 Nos verò inter has duas ſatis probabiles ſententias mediam tenemus, dicimuſque, rationem habendam eſſe de loco vbi maiori parte diei vnuſquiſque invenitur, vt dicamus poſſe; vel non poſſe frangere jeiunium illum, de quo loquimur: quia frequentiſsimum eſt in moralibus quod maior, & potior pars trahat ad ſe minorem. Quare dicimus, quod ſi in loco tuo, in quo obli-

gat

gat jeiunium mane, vſque ad octavam horam, vel decimam extiturus es, & reliquo die in alio loco, vbi non datur tale præceptum, poteris in tuo loco jeiunium frangere, non verò veſci carnibus : in alio verò, in quo per maiorem partem diei permanſurus es, vtrumque poteris. Et ſimiliter, ſi in loco, vbi non obligat jeiunium, vſque ad tertiam, vel quartam horam veſpertinam fueris, poteris ibi comedere, & veſci carnibus; & cum veneris ad tuum locum, poteris cœnare, non verò carnibus veſci. At ſi in loco, vbi viget jeiunium, permanſurus ſis vſque ad meridiem, non poteris in eo jeiunium frangere, etiamſi in alio ſis cœnaturus. E contra verò ſi in loco, vbi non viget jeiunium, fuiſti primo mane, & reliquum tempus in loco vbi obligat, debes jeiunare, niſi iam in primo loco, per repetitam comeſtionem, jeiunium fregeris.

CAPUT IV.

De Ceſſatione legis, & illius interpretatione.

LEX Quadruplicitèr ceſſare poteſt. Primò per ceſſationem cauſæ finalis illius. Secundò per abrogationem. Tertiò poteſt ceſſare in parte per interpretationem. Et quartò per diſpenſationem. Sed quia circa diſpenſationem dantur ſpeciales difficultates, eam remittimus ad Caput ſequens: & in hoc de prioribus agemus, quod continet tria Puncta.

Punct. I. *Quomodo, ceſſante fine legis, ceſſet ipſa lex?* num. 1.

Punct. II. *De ceſſatione legis per abrogationem: & qui poſsint leges antiquas abrogare?* num. 9.

§. I. *Quomodo lex poſsit abrogari?* numer. 10.

§. II. *Quis poſsit leges iam receptas revocare, ſeu abrogare?* num. 15.

Punct. III. *An liceat aliquando præter verba legis agere per interpretationem, aut epikeiam?* num. 19.

§. I. *Qui poſsint legem authenticè, vel doctrinaliter interpretari?* num. 20.

§. II. *Quæ regulæ ſint obſervandæ pro recta legum interpretatione?* numer. 24.

§. III. *An lex extendenda ſit ad caſum in ea non comprehenſum ob ſimilitudinem, vel identitatem rationis?* numer. 32.

§. IV. *An ſit vnicuique licitum vti epikia, ſeu epikeia; & in quibus caſibus?* num. 41.

PUNCTUM I.

Quomodo, ceſſante fine legis, ceſſet ipſa lex?

1 PRæmittendum eſt, finem legis alium eſſe intrinſecum, nimirum honeſtas, quæ eſt in ipſa re præcepta : vt in jeiunio, oratione, honeſtas temperantiæ, & religionis, qui finis ſemper intenditur à Legislatore, quando lex cadit ſupra actus, qui præciſa lege ſunt actus alicuius virtutis. Siquidem licet Legislator alium finem extrinſecum intendat, hoc ipſo, quod medio actu de ſe bono, & honeſto ad illum reſpiciat, etiam ipſam honeſtatem actus intendit; aliquando nudè ſumptam abſque alio extrinſeco fine, quia honeſtas actus poteſt per ſe conducere ad bonum commune; aliquando aſſociatam alio fine extrinſeco, vt quando præcipit jeiunium, orationem, &c. non ſolum intendit honeſtatem, quæ eſt in his actibus, ſed etiam mortificationem carnis, ſubjectionem corporis, & ſatisfactionem pro peccatis. Finis extrinſecus ille eſt, qui præter materiam præceptam intenditur à Legislatore, vt in exemplo modo adducto : & hic finis aliquando conjungitur cum fine intrinſeco, vt quando materia eſt actus de ſe honeſtus, vt in exemplo propoſito : aliquando ſolum per ſe intenditur, vt quando materia præcepta de ſe eſt indifferens : quia tunc ſolùm mandatur, vt deſervit fini Legislatoris; & hic aliquando eſt vnus tantùm, & tunc eſt adæquatus finis, aliquando plures fines intenduntur; & tunc adæquatus finis ex omnibus coaleſcit : quod exemplis adducendis manifeſtè conſtabit.

Quotuplex ſit finis Legislatoris?

2 Igitur quando lex finem intrinſecum intendit, vt quando actus de ſe bonos præcipit, ipſa durante, non ceſſat obligatio legis per hoc quod finis extrinſecus deficiat : quia ipſa bonitas, & honeſtas actus, eſt finis etiam intentus à Legiſlatore, quia ſecundùm bonitatem, & honeſtatem conducit bono communi : ergo quamvis ceſſet finis extrinſecus, non redditur lex inutilis : & conſequentèr non ceſſat obligatio eius, vt in exemplo jeiunij, in quo perſeverante fine honeſto, qui ſemper in eo conſervatur, etiamſi alij fines extrinſeci ceſſarent, obligaret præceptum illius: quod eſt inter Authores receptiſsimum, qui ſolùm dicunt, ceſſare legem, quando cauſa adæquata, ſeu finis illius adæquatus ceſſat. Ex quo fit, quod quando dantur plures fines extrinſeci à Legislatore intenti, etiamſi vnus deficiat, altero durante, non ceſſat lex, quia obligat ob finem illum, qui remanet, & ſolùm redditur inutilis bono communi, quando adæquatus finis ceſſat. Ut præceptum circumciſionis in lege veteri obligabat, & ob tollendum peccatum originale, & ad diſtinguendum populum hebræum ab alijs : & tenebatur circumcidi etiam, qui peccatum originale abolitum haberet, vt Ioannes Baptiſta, & Ieremias in vtero ſanctificati: quia licèt ceſſaret in eis primus finis, permanebat ſecundus.

Quando alicuius finis legis durat, lex ipſa non deficit.

Dicen-

Deficiente fine adæquato legis, deficit ipsa lex.

3 Dicendum est itaque primò, quod si finis adæquatus legis communiter, & frequenter cesset, vel in omnibus, aut pluribus, omninò cessat obligatio legis, vt in voto, quod non obligat, cessante adæquata causa illius: vt si vovisti non ingredi talem domum, quia ibi est periculum lapsus ob fœminam ibi commorantem, si ipsa in alienum locum se collocet, cessat finis, & causa talis voti, & sic obligatio illius: ergo idem, de lege philosophandum est vt si lex prohibeat contrahere, vel conversari cum civibus talis provinciæ ob inimicitias, vel bella, quæ tunc occurrunt; cessante bello, & inimicitia inter vnam, & aliam provinciam, cessat totalis finis illius legis, & sic poteris contrahere, & conversare cum civibus illius provinciæ. Et ratio est, tum, quia cùm lex respiciat bonum commune, ad totam communitatem ordinatur: ergo si respectu totius, vel maioris partis communitatis redditur inutilis, vim legis non habebit. Tùm etiam, quia lex solùm obligat, quatenus materia eius judicatur à Legislatore expediens bono communi: sed, cessante in totum causa, ob quam lata est lex, cessat judicium Legislatoris de convenientia legis: ergo cessat ipsa lex. Ita D. Thomas 1.2. *quæst.* 103. *artic.* 4. *ad* 3. Soto *lib.* 1. *de justit. quæst.* 6. *artic.* 8. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 19. *artic.* 3. *numer.* 6. Araujo 1.2. *quæst.* 97. *disput.* 3. *section.* 4. *diff.* 4. *numer.* 50 Martin. 1.2. *quæst.* 90. *artic.* 2. *dub.* 1. *ad* 3. *argument.* Montesin. *tom.* 2. *in* 1.2. *disput.* 20. *quæstion.* 2. *numer.* 31. Granad. *controvers.* 7. *tractat.* 3. *part.* 2. *disput.* 15. *section.* 1. *num.* 4. Layman *tractat.* 4. *cap.* 21. *numer.* 2. Bordon. *lib.* 2. *quæstion.* 12. *num.* 18. Palaus *tract.* 3. *disp.* 5. *punct.* 1. *numer.* 4. Suar. *de legib. lib.* 6. *cap.* 9. *numer.* 5. & est communis.

Ipso facto deficit lex, illius fine adæquato cessante.

4 An verò cesset lex ipso facto, vel expectanda sit declaratio Legislatoris, vel abrogatio illius, vel contraria consuetudo? Affirmant Soto, & Montesinos. Sed alij omnes meritò id negant, asserentes legem ipso facto cessare, hoc ipso, quod finis adæquatus illius ruat: quia hoc ipso redditur inutilis bono communi, & ideò à ratione legis cadit. Nec requiritur, quod toti communitati cessatio causæ innotescat, vt ajebat Suarez: nam hoc ipso, quod mihi in particulari constet adæquatum finem communiter cessare, de facto, & verè talis lex est inutilis, & sic respectu omnium cessat, quamvis ab omnibus non cognoscatur. Si autem dubium sit, an finis adæquatus legis cessaverit, necne, cùm ipsa sit in possessione, observãda est, quia melior est eius conditio. Si tamen probabiliter judicares, finem legis pro omnibus cessasse, potes contra illam agere: quia in moralibus vix vnquam datur certitudo; & sufficit probabilis opinio, vt licitè quis operetur. Et licèt lex videatur esse in possessione, probabile est re ipsa non esse, cùm sit probabile, esse inutilem. Ita Gran. *loco cit. n.* 24. Palaus *tractat.* 1. *de conscientia opinante, punct.* 6. *numer.* 5. Denique si finis legis non cessat absolutè, sed pro aliquo tempore, non cessat lex absolutè, sed pro illo tempore, quo judicatur inutilis, suspenditur. Si autem materia legis divisibilis sit, & secundum vnam partem sit inutilis, non secundùm aliam, secundum primam deobligabit, manente obligatione quoad aliam. At verò si vna ab alia nequeat separari, probabile est, cessare legem in totum: quia illa inutilitas totam legem inficit, cum bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu causetur. Bordon. *vbi suprà*, Bonacin. & Suarez, quos refert, & sequitur Palaus *tractat.* 3. *de legibus, disput.* 5. *punct.* 1. *num.* 7.

Sententia asserens cessante fine legis in particulari, cessare ipsam legem.

5 Sed hic est gravissima difficultas, an, cessante adæquato fine legis in casu particulari, cesset ipsa lex pro illo casu, & possit quis licitè in illo casu contra legem agere? Prima sententia (quam negari non potest esse satis probabilem, tùm ob patronos illius, tùm ob rationes, quas pro se affert) est affirmativa. Et probatur primò, quia finis legis est ratio, & anima ipsius: ergò, ipso cessante in quocumque eventu, lex absque anima, & sic mortua, redditur. ¶ Secundò, quia lex non solum obligat omnes in communi, sed etiam singulos in particulari, & pro quocumque tempore; sed, cessante fine legis in communi pro omnibus, cessat lex in communi, & pro omnibus; & cessante fine legis pro isto tempore, & non pro alio, cessat lex pro illo tempore, & non pro alio: ergo, cessante fine legis pro hoc casu particulari, cessat ipsa lex pro illo casu particulari. Siquidem eadem est proportio de toto ad totum, quæ est de parte ad partem. ¶ Tertiò denique, quia etiam in lege divina, cessante in particulari fine illius, cessat ipsa lex: ergò multò magis humana. Probatur antecedens, quia lex divina Christi de correctione fraterna non obligat, quando non datur spes fructus: quia tunc deficit in particulari finis illius, qui est proximi emendatio. Hanc sententiam latè, & eruditè probat Granad. *controvers.* 7. *tractat.* 3. *part.* 2. *disput.* 15. *section.* 2. *num.* 10. plures referens pro hac parte, quam tenet Caietan. *tom.* 1. *opuscul. tractat.* 12. *quæstion.* 2. Castro *libr.* 1. *de legib. pœnal. cap.* 5. *document.* 3. Henriquez *libr.* 11. *de Matrimon. cap.* 17. *numer.* 2. *in comm. lit. O.* Sylvestr. *verb. Lex, quæst.* 8. & 9. Angel. *ibi, numer.* 4. *cas.* 7. Dian. plures congerens 1. *part. tract.* 10. *res.* 28. & 5. *part. tract.* 14. *resol.* 96. & 2. *part. tractat.* 10. *resolut.* 33.

Verius est non cessare legem ex defectu finis particularis.

6 Securior verò, & probabilior est sententia negans, legem non obligare in casu particulari, quando solùm in particulari finis adæquatus illius deficit, si tantum cesset privativè, quia nimirum pro tũc redditur inutilis (si enim cessaret contrariè, omnes asserunt, non obligare in illo casu. Et dicitur contrariè cessare, quando, vel materia legis redditur in illo casu mala, vel valdè dura, & difficilis observationis; quia cùm lex debeat esse de re honesta, & non nimis dura, & difficili, iam cessat in ratione legis justæ in tali casu, & consequêter obligationem amittit.) Probatur hæc sententia à posteriori, quia si admitteretur obligationem legis cessare in casu particulari, latissima janua aperiretur, vt passim contemneretur lex, & vt vnusquisque pro suo affectu judicet, finem legis in tali, vel tali casu cessare, & posset illius onus excutere. Et quod deterius est, etiam respectu legis naturalis id sibi evenire judicaret; & sic posset absque peccato simplicem fornicationem committere, si certus esset prolem non suscipiendam esse ex tali concubitu, quia nimirum mulier iam gravida erat: vel si curaret magno studio rectam prolis, inde fortè susceptæ, educationem: quia Div. Thom. 2.2. *quæstion.* 154. *articul.* 2. & 3. *contra gent. cap.* 122. docet, non ob aliam rationem simplicem fornicationem esse lethale peccatum, nisi ob damnum, quod infertur educationi prolis, qui finis totaliter cessat in duplici casu assignato.

Probatur à priori dicta sententia.

7 Ratio à priori est, quia verè numquam cessat, nec cessare potest finis legis adæquatus in particulari, manente fine legis in communi: si quidem finis legis adæquatus est prohibere, v. gr. ne quis noctæ arma ferat, non ob rixas, vel dissensiones de facto obventuras, sed ad evitandum peri-

periculum,quod frequentèr ſolet evenire ex tali portatione, quia cum lex ad bonum commune attendat, movetur rationibus generalibus bonum commune concernentibus; ſed licèt in hoc caſu particulari non detur tale periculum, ſemper verificatur, quod communitèr tale periculum evenit ex tali portatione:ergo ſemper remanet finis proprius legis in ſuo vigore ; & ideò obligabit, etiamſi in caſu particulari tale periculum non immineat.Ita Div.Thom. duplici loco nuper citato , vbi probat fornicationem ſemper eſſe lethale peccatum : quia licèt in aliquo caſu provideri poſsit ſufficienter educationi prolis , nihilominùs ſatis eſt,quod communiter non provideatur, vt ſemper ſit peccatum mortale fornicatio , nam lex non reſpicit caſus particulares,ſed ea quæ communitèr contingunt,leg. *Iura*,& in duobus ſequentibus,*ff. de legibus*. Ita Soto *de juſtit. lib.* 1. *quæſt.*6. *artic.*8. Tapia *tom.*1.*catenæ*,*libr.*4.*quæſt.*19.*artic.*3. *num.*5. Layman *tract.*4.*cap.*21.*num.*3.Martin.*quæſt.*90.*artic.*2.*dub.*1.*ad* 3.Monteſin.*diſp.*20.*quæſt.*2.*num.*31. Arauj.1.2.*tom.*2.*quæſt.*97.*diſp.*3.*ſect.*4.*diffic.*4.*propè finem*,Salas *diſp.*11.*ſect.*3.*n.*31.Suar.*lib.*6. *cap.*7. *num.*5.*& tot.cap.*8.Palaus *tract.*3. *diſp.*5. *punct.* 1. *num.*10.

Solvuntur argumenta contraria?

8 Ad primum , & ſecundum argumentum conſtat ex dictis , quia in dicto caſu remanet finis proprius legis , qui eſt vita, & anima illius. Ad tertium reſpondetur, quod præceptum correctionis fraternæ non ſemper obligat , cùm ſit poſitivum , niſi quando oportet:& ſic in dicto caſu non ceſſat, quia pro tunc numquam fuit talis obligatio.

PUNCTUM II.

De ceſſatione legis per abrogationem ; & qui poſsint leges antiquas abrogare?

Quid,& quotuplex ſit abrogatio?

9 ABrogatio(quæ idem eſt,ac revocatio) legis, in eo conſiſtit, quod, poſtquam lex vim habuit obligandi , tollatur in totum , ita vt perinde res ſe habeat , ac ſi numquam lex lata eſſet. Diſtinguitur abrogatio à derogatione,quia illa in rigore eſt ablatio legis in totum , hæc verò ſolùm in parte. Nos verò cum communi vſu Doctorum promiſcuè de illis loquemur. Duplex eſt abrogatio,alia negativa,ſeu purè talis,illa videlicèt,qua lex antiqua aboletur,abſque eo quod nova ſanciatur.Alia poſitiva,& quaſi contraria, quando nimirum nova lex fertur,qua aliquid de novo præcipitur,& antiqua revocatut:& hæc poteſt eſſe formalis,& virtualis.Formalis tunc eſt , quando in lege de novo , ſancita datur clauſula expreſſa revocatoria præcedentis. Virtualis eſt ſi per legem novam aliquid præcipiatur omninò incompoſsibile cum eo quod per antiquam erat præceptum,quia tunc cenſetur lex antiqua revocari. Ut ſi tali die præcipiatur,quod omnes laborent,revocari cenſetur lex antiqua præcipiens obſervari feſtum illius diei.

§. I.

Quomodo lex poſsit abrogari?

Lex etiã juſta poteſt revocari.

10 LEgem etiam juſtam,& conſequentèr vtilem bono communi,poſſe,& validè,& licitè revocari,omnes Theologi dicunt cumD.Thom.1.2.*quæſt.*97.*art.*1.& omnes Iuriſtæ,*leg.*1.*&* 2. *ff. de conſtitutionibus Principum.* Undè quando dicitur lex perpetua,intelligendum eſt,niſi per legitimam poteſtatem abrogetur. Et quidem validè poſſe legem revocari, probatur, quia tota vis obligandi, omneque robur, quod habet lex, ex voluntate Legislatoris dependet : ergo , hoc ipſo quod ipſe eam velit revocare , iam lex abſque vi , & robore perſiſtet:& vt abrogatio purè talis , ſeu merè negativa teneat,non requiritur juſta cauſa; ſed,etiam ſi abſque cauſa lex revocetur,caſſatur illius robur, & vis obligandi,quæ ex ſola voluntate Legislatoris pendebat. Revocatio autem poſitiva, quæ fit per impoſitionem novæ legis, non tenet,niſi juſta cauſa ſubſiſtat,quia lex nova,abſque juſta cauſa impoſita , nulla eſt , cùm de ratione legis ſit, quod ſit juſta, ac bono communi conſentanea:ergo etiam revocatio,quæ ſequitur ad telem legem.Bonac. *diſp.*1.*q.*1.*punct. ult. §.*1.*n.*1.*&* 2.Gregor.Martin.1.2.*q.*97.*artic.*2. *dub. vnic.concl.*2.Suar.*lib.*6.*cap.*25.*à n.*3.Pal.*tract.*3.*diſput.*5.*punct.*2.*§.*1.*n.*4.

Et juſtè , & validè lex abrogari poteſt.

11 Quod verò lex juſtè revocari poſsit,conſtat: quia ob varietatem temporum plura expedire in vno tempore judicantur , quæ in alio non expedire cernuntur.Ut lex illa Apoſtolorum de abſtinentia à ſanguine,& ſuffocatis, conveniens erat illis temporibus ad evitanda ſcandala,cùm tamen modo minimè expediat,ſed potiùs convenientius ſit contrarium.Cùm ergo lex debeat conſulere bono communi,licitum,& conveniens eſt multoties legem antiquam abrogare. Sed, vt licitè id fiat , debet juſta cauſa ſubſiſtere , vt conſtat ex cap.*Non debet*,*de conſanguinitate*,*& affinitate*,cap.*Alma mater*, *de ſententia excommunicat. in* 6. & probat D.Thom.ſuprà,*art.*2.quia lex, vel eſt expediens bono communi , vel non;ſi hoc ſecundum dicas,iam non eſt lex, ſed inutilis, & irrationabilis; ſi primum:ergo abſque juſta cauſa non licèt eam revocare,& illo bono communitatem privare.Imò, vt inquit ibi Sanctus Doctor, non quælibet convenientia ſufficit ad abrogandam legem antiquam : *Habet enim ipſa legis mutatio , quantum in ſe eſt* (verba ſunt D. Thomæ) *detrimentum quoddam communis ſalutis , quia ad obſervantiam legum plurimum valet conſuetudo , in tantum quod ea , quæ contra communem conſuetudinem fiunt , etiamſi ſint leviora de ſe , graviora videntur. Undè quando mutatur lex , diminuitur vis conſtrictiva legis , in quantum tollitur conſuetudo. Et ideò numquam mutari debet lex humana , niſi ex aliqua parte tantùm compenſetur communi ſaluti , quantum ex iſta parte derogatur,quod quidem contingit , vel ex hoc quod aliqua maxima , & evidentiſsima vtilitas ex novo ſtatuto provenit: vel ex eo quod eſt maxima neceſsitas,ex eo quod lex conſueta, aut manifeſtam iniquitatem continet, aut eius obſervatio eſt plurimum nociva.*

12 Sed inquires primò, an requiratur promulgatio ad abrogandam legem ? Reſpondetur, quod

Quando requiratur promulgatio pro legis abrogatione.

quod si lex abroganda est per novi instituti constitutionem, proculdubiò requiritur eadem promulgatio, ac pro condenda lege requiritur: quia illa nova lex absque promulgatione vim non habet obligandi, vt diximus *cap. 1. punct. 6.* & consequentèr abrogatio præcedentis, quæ ex illa sequitur, nulla erit. Si verò abroganda est lex purè negativè per illius tantum revocationem, expediens, & conveniens erit promulgare illam modo, & loco à Legislatore designato; tamen, vt subsistat, & antiquæ legis obligationem tollat, non requiritur promulgatio: quia sic abrogare non est ferre legem, sed auferre: nec est novam obligationem imponere, sed antiquam abstrahere: & sic intimatio ad eius rationem non requiritur. Maximè cùm tota vis obligandi, quæ est in lege, à Legislatoris dependeat voluntate. Conveniens tamen erit, vt ita notificetur, quod devenire possit ad notitiam subditorum, vt scire possint se à tali onere liberos esse. Conrad. 1. 2. *quæst. 90. art. 4.* & ibi Medina circa finem articuli, quos refert, & sequitur Palaus *tract. 3. disp. 5. punct. 2. §. 1. num. 5.*

Quando lex censeatur per novam revocati.

13 Inquires secundò, quando lex antiqua per supervenientem censeatur abrogata? Respondetur, quod lex generalis (maximè si sit in jure inserta) censenda est revocata hoc ipso, quod lex nova aliquid incompossibile jubeat, etiamsi in tali lege abrogante, nec dentur verba expressè derogativa, nec in ea præcedentis mentio fiat: nam cùm lex dependeat ex voluntate Legislatoris, hoc ipso quod mandet aliquid quod cum præcedenti incompatibile sit, eam abrogare censetur, *cap. 1. de cognatione spirituali, cap. 1. de constitutionibus in 6.* leg. *Non est novum, ff. de legibus*, Tapia *lib. 4. quæst. 24. art. 5.* Palaus supra, *num. 8.* Suar. *lib. 6. cap. 27. n. 3.* Bonac. *disp. 1. q. 1. punct. vlt. n. 1.* Granad. *controvers. 7. tract. 3. part. 2. disp. vltim. num. 8.* ¶ Excipe primò decreta Concilij generalis, quibus non derogatur per posteriorem legem, nisi ei clausula derogativa expressè adijciatur, cap. *Ex parte, cap. vltim. de Capellis Monachorum*: & docet Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 26. num. 6.* Layman *tract. 4. cap. 21. n. 2.* ¶ Excipe secundò, quando illæ duæ leges possunt inter se conciliari, quia, quantum fieri potest, debet vitari abrogatio legum, cap. *Cum delectus, de consuetudine.* Quia nimis odiosa est correctio legum, eo quod mutatio illarum damnosa est reipublicæ, ideòque non sunt extendenda, quæ à jure exorbitant: ergo si leges verosimili ratione, aut bona conjectura possunt conciliari, non est admittenda correctio posterioris: tunc autem conciliari possunt, quando earum effectus compatiuntur: vt si superveniens lex novam pœnam imponat, non ob id est abrogata præcedens, sed fieri additionem pœnæ ad pœnam judicandum est. Ita Doctores communiter.

Per legem generalē nō abrogatur lex specialis.

14 Ex hac doctrina communi infertur, non abrogari legem specialem alicuius loci, aut provinciæ, per legem generalem, etiamsi vtriusque effectus sint incompossibiles, nisi in nova lege detur expressa derogatio præcedentis, sed potiùs specialis lex erit correctio generalis, quia generi, per speciem derogatur, *regul. 24. de regulis juris in 6.* Et hoc licèt species antecedat, vt communiter Doctores illam regulam intelligunt, ex cap. *Quamvis, de præbendis in 6. cap. 1. de rescriptis*: quia tunc possunt conciliari leges, si generalis cum aliqua exceptione intelligatur; nec est incongrua, aut inusitata talis conciliatio: ergo quando Legislator non facit mentionem legis specialis, censetur eam excipere. Undè quando in aliqua provincia, aut regno est lex, vel consuetudo comedendi laridum, vel extrema animalium aliquo die, non derogatur per legem generalem hæc eadem eo die prohibentem, nisi expressè dicatur, *Non obstante quacumque consuetudine, aut lege particulari.* Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disput. 24. numer. 6.* Tapia *lib. 4. quæst. 24. art. 5. num. 5.* Palaus *tractat. 3. disp. 5. punct. 2. §. 1. num. 10.* Salas *disp. 18. sect. 6. n. 15.* Gordon. *lib. 2. q. 12. n. 5.* Granad. *supr. n. 8.* Bonac. *num. 2.* Suar. *lib. 6. cap. 27. num. 11.*

§. II.

Quis possit leges iam receptas revocare, seu abrogare?

Qui tulit legē, eius successor, & superior potest eam abrogare.

15 INferior minimè potest legem superioris abrogare, quia abrogatio legis est actus jurisdictionis, quem inferior in superiorem nequit exercere. Potest tamen, qui tulit legem, eam abrogare, cùm tota vis, & obligatio ex eius voluntate dependeat; & res per easdem causas dissolvatur, per quas nascitur, *cap. 1. de regulis juris.* Similiter successor in eadem sede potest leges à suis prædecessoribus latas abrogare, quia eiusdem potestatis est cum illis; & ideò potest, quod illi poterant. Ac denique superior potest leges inferiorum revocare, quia est in superiore potestas, & jurisdictio inferioris. Undè potest Pontifex leges latas ab Episcopis revocare; sicut Rex potest abrogare leges, vel statuta à suis Magistratibus sancita: quæ est doctrina communis. Intelligenda tamen est de superiore formaliter tali, seu de eo, qui in illo ordine habet jurisdictionem in inferiorem, non autem sufficit, quod sit amplior, & dignior. Undè potestas Archiepiscopi dignior est potestate Episcopi, & superior: non est autem superior formaliter respectu illius, & sic non potest eius leges revocare. Potestas ecclesiastica dignior est, & superior potestate civili, & non ob id potest Pontifex leges Principum revocare, nisi sint spirituali animarum profectui minùs idoneæ.

Inferior abrogare, non potest jus cōmune.

16 Ex quo sequitur primò, non posse inferiorem in suo territorio, in quo leges condendi habet potestatem, eas sancire, quæ sint abrogativæ juris communis, aut cum eo incompossibiles, quia istæ latæ sunt à superiore: & si illius decreta haberet potestatem infringendi inferior, non esset inferior, sed superior, vel ad minimum æqualis potestatis, esset que contra Principum auctoritatem, si à Magistratibus, Pontificis; si ab Episcopis, juris ecclesiastici; si à laicis, & juris communis Doctoribus; si à civitatibus, vel collegijs per speciales sanctiones possent illorum statuta abrogari, absque speciali potestate ab ipsis superioribus recepta, quæ præsumenda non est, nisi exprimatur. Aliud namque est de potestate dispensandi, qua regulariter funguntur inferiores Prælati respectu legum superiorum, quia hæc ad rectam, & suavem suæ ditionis gubernationem expedire censetur, cùm non respiciat nisi casus particulares, & particularibus circumstantijs vestitos; & non tollat legem generaliter, sicut obrogatio. Ita Granad. *controvers. 7. tract. 3. part. 2. disp. vltim. num. 4.* Gordonus *lib. 2. quæst.*

*q.*12.*n.*3.Suar.*lib.*6.*cap.*26.*n.*9.Palaus *tract.*3. *diſp.* 5.*punct.*2.*§.*2.*num.*5.

Inferior non poteſt ſuam legem à ſuperiore confirmatam abrogare.

17 Sequitur ſecundò, non poſſe inferiorem legem à ſe latam abrogare, quando eſt confirmata à ſuperiore, ſi in confirmatione illam clauſulam ponat: *Si quidquam contra illam fiat, nullam vim habeat.* Vel quando adijcit approbationem legi ſubſtantialem. Pro quo nota, approbationem, aut confirmationem factam à ſuperiore, eſſe in duplici differentia. Prima eſt accidentalis, & tunc datur, quando lex ab inferiore habente poteſtatem condendi leges ſancitur; ſed vt talis lex maiorem authoritatem, & ſplendorem habeat, petit inferior à ſuperiore, quod eam confirmet; annuenſque ſuperior eius petitioni, eam confirmat, non exprimens, velle vt ſuam obſervari, nec clauſulam dictam, aliamvè æquivalentem adijciens. Et tunc approbatio ſuperioris non addit maiorem vim, aut robur legi, quam ex ſe habebat; quarè in eo caſu poteſt revocari ab eo, quia eam tulit. Secunda eſt quaſi ſubſtantialis legi in eſſe talis; & tunc fit, quando lex lata eſt à non habente poteſtatem ferendi eam, qui petit confirmationem ſuperioris, vt eam in ratione legis conſtituat. Tunc non poteſt inferior, qui eam tulit, ipſam revocare: quia facta eſt propria ſuperioris per confirmationem, in quem non habet ipſe jurisdictionem, aut poteſtatem. Ita docent Tapia *lib.* 4. *quæſt.*24. *art.*2. *num.*6.Gordon.*lib.*2.*quæſt.*11.*numer.*2.Suar. *lib.*6. *cap.*26.*n.*25. Palaus *tract.*3. *diſp.*5.*punct.*2.*§.*2.*numer.*8. Salas *diſp.*18. *ſect.*5. *fin.*Granad. *controv.*7. *tract.*3.*part.*2.*diſp.vlt.num.*5.

Poteſt Epiſcopus leges Synodi diœceſani abrogare.

18 Sequitur tertiò, poſſe Epiſcopum, cum ſic expedire judicaverit (rarò tamen expediens erit) abrogare leges, & ſtatuta diœceſani Synodi per ſe ſolùm, abſque Clericorum conſenſu, quia tales leges ſolummodò latæ ſunt ab Epiſcopo: cæteri autem Synodo intereſſentes, ſolùm habent votum conſultivum, non deciſivum. Quare omne robur, omnem authoritatem, & vim, quam leges ſynodales habent, à ſolo Epiſcopo recipiunt, & ideò per ſe ſolùm poſſet illas facere eodem modo, atque factæ ſunt à Synodo; quemadmodum leges à Principe latæ ex conſilio Magiſtratuum, aut Conſiliariorum Regis, ab ipſo Rege revocari poterunt, non aliter, ac ſi eſſent à ſolo ipſo ſancitæ. Sanch.*lib.*8.*de Matrim.diſp.*17.*numer.*33.Barboſ.*de poteſtat.Epiſcop.*2.*part. alleg.* 34. *n.*3.Palaus *ſupr.n.*2.

PUNCTUM III.

An liceat aliquando præter verba legis agere per interpretationem, aut epiKeiam?

Quid, & quotuplex ſit interpretatio?

19 Interpretatio nihil aliud eſt, quàm verbi, vel ſententiæ per aliud verbum clarius declaratio. Hæc autem interpretatio eſt duplex. Alia generalis, quæ provenit ex jurisdictione, & dicitur, *authentica*, ſeu *juriſdictionis*; & eſt illa, quæ fit à Legiſlatore, vt tali, ſeu vt exercet officium Legislatoris: nã talis interpretatio verè habet rationem legis. Alia eſt doctrinalis, quæ non habet vim legis, ſed provenit ex ſcientia, & induſtria Doctorum. Hæc tamen interpretatio nullam obligationem inducit; eius tamen authoritas magna eſt, & obligationem ingerit, ſi omnium interpretum conſenſio juſtis argumentorum momentis eam probaverit. Si verò diſſentiant Interpretes, ſentiendum eſt in tali re ſecundum cuiuslibet probabilitatem. Præter hæc datur virtus, quæ dicitur, *epiKeia*, ſeu *epiKia*, quæ non eſt interpretatio legis, ſed correctio illius: & ideò æquitas nominatur, quia ſecundum æquum, & juſtum de lege judicat præter verba illius, ob idque docet D. Thom.2.2.*quæſt.* 120. *art.*1. eſſe perfectiorem juſtitia legali; ſiquidem eſt regula, & correctio illius, vt poſteà explicabimus. ¶ Quatuor ergo in hoc Puncto nobis agenda ſunt. Primum, quis poſsit legem interpretari, vel authenticè, vel doctrinalitèr? Secundò, quæ regulæ ſunt aſsignandæ ad rectam legis interpretationem? Tertiò, an lex extendenda ſit ad caſum in ea non contentum ob ſimilitudinem, vel identitatem rationis? Quartò, quando, & quomodo ſit licitum vti epikeia?

§. I.

Qui poſsint legem authenticè, vel doctrinalitèr interpretari.

Authenticè ſolus Legiſlator poteſt legem interpretari.

20 Legem authenticè, ſeu generalitèr interpretari ſolus poteſt, qui legem condendi facultatem habet, & ſic vel ipſe, qui legem tulit, vel eius ſucceſſor in ſede, vel ſuperior poteſt hoc modo legem interpretari, talis enim interpretatio habet vim legis, & ſic eandem cum illa promulgationem requirit: ergo ſolus ille qui poteſt per legem obligare, poterit interpretationem eius generalem, & authenticam exhibère. Undè dicitur in cap. *Inter alia*, *de ſententia excommunicationis*: *Ut unde jus prodijt, etiam interpretatio procedat.* Et habetur in leg.*Final.*Cod.*de legibus.* Et quamquam ſuperior, aut ſucceſſor non poſsint certò, & infallibilitèr mentem conditoris primi declarare, quia hæc ipſi ſoli fuit nota; hoc non tollit, poſſe modo dicto legem interpretari: quia non tam declarant intentionem perſonalem primi conditoris, quàm ſenſum, in quo deinceps debeat lex obſervari. Et quia talis ſenſus in ea lege fundatur, ideò illius interpretatio, vel declaratio dicitur, quamvis fortè ſit præter, vel contra mentem conditoris.

Lex divina, aut naturalis à nemine poteſt interpretari authenticè.

21 Ex quo fit, legem naturalem, vel divinam à nemine poſſe modo dicto interpretari, cum conditor illius ſit ſolus Deus, quo nemo ſuperior, aut ſucceſſor in poteſtate poteſt reperiri. D. Thom. 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 1. In legibus verò humanis nequeunt inferiores Iudices, aut Prælati leges ſuperioris, modo de quo loquitur, interpretari, cum ipſi legem ſuperioris, vel infringere, mutare, vel facere quod ſic, vel ſic interpretata obliget, nequeant, niſi ipſis à ſuperiore ſit conceſſum, de qua conceſsione non conſtat, maximè in rebus gravibus. Poterunt tamen ſecundùm veriorem Doctorum ſenſum eam interpretari, & ita ferre ſententiam. In rebus autem facillimis, & minoribus credendum eſt ipſos tali poteſtate à ſuperiore conceſſa fungi, aliàs nulla legum obſervantia perfectè introduceretur, ſi paſsim eſſet recurrendum ad Principem. Et ſic in his rebus poſſe authenticè legem humanam interpretari, docent Martin.*in* 1.2.*q.*96.*art.*6.*dub.*2.Salas *diſp.*21. *ſect.* 2.Palaus *tract.*3.*diſp.*4.*punct.*3.*§.*1.*n.*7.

22 Interpretatio autem doctrinalis, quæ nec habet vim legis, nec illius eſt diſpenſatio in to-

Quis posit legem doctrinalitèr interpretari?

tum, vel in partem, sed declaratio mentis Legislatoris à quolibet viro docto fieri potest, non ex eius cerebro, vt aliqui faciunt, huc, illucve sensum legis pro libito deflectentes; sed juxta regulas, & sensus probatorum Doctorum: quia cum sæpè in verbis legis sit aliqua obscuritas, vel ambiguitas, nec de facili possit Legislator adiri, meritò fuit concessa facultas doctrinalitèr interpretandi legem Doctoribus, leg. vnic. Cod. *de Professoribus, leg.* 1. *ff. si certum petatur.* Colligiturque ex cap. 2. *de privilegijs in 6.* Et hoc modo rectè etiam possunt interpretari legem naturalem, aut divinam, vt probat Araujo 1.2. *quæst.* 94. *disp.* 2. *sect.* 2. *diffic.* 3. *n.* 9. quia aliqua sunt præcepta legis naturalis, aut divinæ, quæ dubium, vel obscurum sensum præseferunt: ergo cum interpretatio illorum necessaria sit ad rectam præceptorum observationem, dicendum est, esse in hominibus potestatem illa declarandi, alioqui non esset sufficienter provisum humano generi. Sed antequam regulas ad leges humanas declarandas proferamus, satisfaciendum est cuidam difficultati.

Quando lex prohibet interpretationem, non potest interpretari.

23 Inquires ergo: An quando in lege prohibetur illius interpretatio (vt in multis reperitur) liceat Doctoribus aliquam interpretationem non obiter, & incidenter tantùm, sed ex professo legi adhibere? Affirmativè respondet Palaus *tract.* 3. *disput.* 5. *§.* 2. *num.* 6. Salas *disp.* 21 *sect.* 2. *fine*: quia dicunt, per illam clausulam solùm excludi, vel interpretationem frivolam, vel quæ est contra mentem Legislatoris. Sed non placet ista sententia, quia talis prohibitio debet habere aliquem effectum; sed non est prohibere authenticam interpretationem, nec frivolam, & contra mentem Legislatoris, hoc enim commune est respectu omnium legum: ergo cum illa lege velit Legislator per illam clausulam aliquid speciale, dicendum est, ipsum prohibere etiam interpretationem doctrinalem ex professo susceptam per glossas, vel commentaria illius particularis. ¶ Et hoc constat ex illa prohibitione Pij IV. in bulla confirmatoria Concilij Tridentini: vbi omnibus prohibetur, ne glossas, annotationes, scholia, vllamve interpretationem super Concilij decreta quoquo modo edere audeant. Ubi nullus negabit, per hanc prohibitionem tolli omnem Concilij interpretationem non obiter, & incidenter, sed ex professo susceptam; maximè si typis mandetur: quia consuetudine introductum est, talem prohibitionem solum intelligi de commentarijs, scholijs, aut glosis prælo excusis; non de illis, quæ ore tenus, vel manuscriptis traduntur, Ut docet Rodrig. *tom.* 1. *Regul. qq. quæst.* 11. *artic.* 3. Henriq. *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 29. *n.* 4. Regin. *lib.* 20. *n.* 53. *fin.* Quamvis non desint qui asserant, non obstante dicta bulla Pij IV. posse quemlibet Doctorem interpretationem doctrinalem quamcumque super Concilium edere, si non sit ex cerebro, sed in jure, & in evidenti ratione fundata. Sic ex Barbos. N.R.P.Fr. Petrus ab Angel. *in speculo privilegior. disp.* 1. *sect.* 2. *num.* 20.

§. II.

Quæ regulæ sint observandæ pro recta legum interpretatione?

Ad interpretationē mēs Legislatoris

24 PRima regula sit, quod, vt recta legi adhibeatur interpretatio, attendenda est mens, & intentio Legislatoris (loquimur de intentione intrinseca: illa nimirum, quæ cadit sub legis obligatione, non de intentione, aut fine extrinseco, de quo dicitur *finem legis non cadere sub lege.*) Undè si de mente Legislatoris constet, illi standum est, etiamsi verba legis aliud significent, vt rectè probat D. Thom. 1.2. *quæst.* 96. *art.* 3. & in argumento *Sed contra* proponit sententiam D. Hilarij *lib.* 4. *de Trinitat. circa medium*, ibi: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus.* Est enim intentio Legislatoris veluti anima, & spiritus legis; cortex verò verborum quasi corpus, & sic mens potiùs sequenda est, quàm verba, quando de illa constat. Fecit hoc D. Paulus 1. *ad Corinth.* 9. explicans illud Deuteronomij: *Non alligabis os bovi trituranti.* Ubi sonitum verborum relinquens, mentem Legislatoris attendit, quæ erat verborum spiritus, dicens: *Numquid de bobus cura est Deo?* Ratio est, quia verba ad mentem declarandam ponuntur: ergo potiùs menti, quàm verbis est attendendum: ergo si de mente constat, illi est omninò standum, quidquid verba dicant. Undè *leg.* 17. *ff. de legibus*, dicitur: *Scire leges non est earum verba tenere, sed vim, & potestatem.* Et leg. *Non dubium, eod. tit. In legem committit, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem.* Sic Tapia *lib.* 4. *quæst.* 17. *art.* 2. *n.* 6. Suar. *lib.* 6. *cap.* 1. *à num.* 12. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 37. *n.* 3. Palaus *tract.* 3. *disp.* 5. *punct.* 3. *§.* 3. *n.* 1. Laymān *tract.* 4. *cap.* 18. *n.* 3.

est observanda.

Quādo præter verba sit lex interpretanda?

25 Sed hoc intelligendum est, quando constat de mente Legislatoris, quam præsumitur habere in ipsa conditione legis, tunc relinquenda sunt verba secundùm proprium eorum sensum, vt mens Legislatoris adimpleatur. Si verò extra legem Legislator dicat, hanc fuisse suam mentem in tali lege, non est deferenda proprietas verborum, nec standum declarationi particulari factæ à Legislatore, quæ sit contra verborum proprietatem: quia quando Legislator non respondet, tanquam Legislator, contra propriam verborum significationem, standum est propriæ verborum significationi, quam præsumi potest fuisse à Legislatore intentam, quando legem tulit, eo quod nullus præsumitur impropriè loqui, nisi aliter ex conjecturis appareat. Ita Sà *verb. Lex*, *n.* 23. Salas *disp.* 22. *sect.* 13. *n.* 31. quos refert, & sequitur Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 26.

Ex materia legis venanda est mens Legislatoris.

26 Mens ergo Legislatoris, quam habuit in ipsa legis conditione, investiganda est, vt rectè eius lex interpretetur. Ad quam investigandam, sit secunda regula, quod materia legis ponderanda est: quia, *Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimè accipietur, quæ rei gerendæ aptior est, leg.* 66. *ff. de regul. juris.* Quare, cum est dubia mens Legislatoris, attendenda est materia legis cum circumstantijs antecedentibus, & consequentibus, quia ex omnibus coalescit integritas sensus. Præcipuè accipi potest illius notitia ex proœmio, & principio legis: sæpè enim ibi ponitur finis, & causa ob quam lex fertur, & constat ex leg. *Regula, circa finem, ff. de juris, & facti ignorantia*, leg. *Finali, ff. de testatoria tutela.* Etiam ex ratione, qua vtitur Legislator, attenta materia, & alijs circumstantijs, seu indicijs: quia ratio in ipsa lege contenta multum juvat ad detegendam mentem, rectamque illius interpretationem exhibendam: etiam ex comparatione ad alias leges; quia debet præsumi mens Legislatoris consona alijs legibus, vbi non est justa, & sufficiens oppositio, quæ, quantum fieri potest, vitari debet.

Ter-

Verba legis in ſenſu proprio ſunt interpretanda.

27 Tertia regula ſit, quod in dubio mentis Legislatoris verba legis intelligantur ſecundùm eorum ſenſum proprium, ſecundum quod in loco, vel regione, in qua lex lata eſt, communiter accipiuntur; nec ſunt improprianda, & ad ſenſum metaphoricum, vel improprium deflectenda: quia, cum ſit vna ex conditionibus legis, quod ſit clara, & diſtincta, credendum eſt, Legislatorem in illa loqui in ſenſu in quo communiter verba accipiuntur: aliàs nihil firmum ſtabiliret, ſed totum cavillationibus, & confuſionibus exponeret. Et hoc verum eſt, ſive lex ſit odioſa, ſive favorabilis: quia nec vna reſtringi, nec alia ampliari debet, niſi quanti patiuntur verba in propria ſignificatione accepta. Gordon. *lib.2.q.12. cap.2.num.6.* Tapia *lib.4.q.16.art.2.n.2.* Salas *diſp. 21. ſect.3.n.4* Layman *tract.4.cap.18.n.5.* Suarez *lib.6.cap.1.n.7.* Bonac. *diſp.1.quæſt.1.punct.8.n.8.* Palaus *tract.3.diſp.5.punct.3.§.3. num.2.* Qui omnes excipiunt caſum, in quo ſequatur aliqua abſurditas, vel iniquitas ex Legislatore; vel in quo lex in proprio ſenſu accepta inutilis eſſet: tunc enim verba interpretanda ſunt in ſenſu improprio: quia non debet præſumi Legislatorem velle iniquitatem committere ferendo illam, vel ſuam legem nullum effectum habere. Et ſic in cap. *Si civitas, de ſententia excommunicationis in 6.* ne ſententia interdicti illuſoria reddatur, extenditur ad ſuburbia. Et *in leg.19. ff.de legibus*, dicitur, in ambigua voce legis eam potiùs accipiendam eſſe ſignificationem, quæ vitio caret. Et in ſacra ſcriptura communiter tradunt Doctores ex D.Auguſt. *lib.3.de Doctr. Chriſt. cap.10.* verba in proprio ſenſu debere accipi, quando inde nullum ſequitur abſurdum, vel inconveniens.

Lex generalis generaliter debet interpretari.

28 Ex qua regula infertur, legem generaliter, & indiffinitè loquentem, non debere reſtringi, nec caſum aliquem ab ea extrahi (niſi ſequatur aliquod inconveniens, juxta dicta) ſed extendi ad omnes, qui ſub proprio ſignificato continentur, juxta illud: *Verba generalia generaliter accipienda ſunt.* Et illud: *Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* Et ſic enuntiatio legis indiffinitæ æquivalet vniverſali, & multò magis ſi fuerit negativa, quæ eſt malignantis naturæ, & totum quod poſt ſe invenit, deſtruit. Bonacina *num.15.* Layman *num.7.* Suarez *lib.6.cap.2.num.3.*

Duplex ſenſus verborũ legis.

29 Sed inquires: An quod dictum eſt, debere verba accipi in ſenſu proprio, vbi inconveniens non ſequitur, intelligatur ſolùm de ſenſu proprio naturali, an verò poſsint interpretari in ſenſu proprio civili? Senſus naturalis verborũ ille dicitur, qui ex communi hominum impoſitione, & acceptione illi convenit: civilis eſt ſenſus proprius artis politicæ, qui per fictionem juris verbis convenit, qui licèt ex translatione verbis conveniat, in illa tamen facultate proprius reputatur; quælibet enim ars ſua propria nomina habet: ſic etiam lex civilis propria nomina adinvenit, ex fictione juris rebus impoſita: nomen enim filij ſolùm ſignificat naturaliter, ſeu ſecundùm communem vſum, filium naturalem, civiliter autem accipitur etiam pro adoptivo: nomen mortis ſignificat mortem naturalem, & civiliter autem profeſſionem religioſam, quæ eſt mors civilis, & ſic in ãlijs.

Quando lex in ſenſu civili, quando in ſenſu naturali debeat interpretari?

30 Igitur lex præceptiva, aut pœnalis, quæ non eſt amplianda, ſed reſtringenda, debet interpretari in ſenſu proprio, & naturali, ſecundum quem verba communiter accipiuntur: quia analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato: & ideò in leg.vltim. Cod. *de his, qui veniam ætatis*, legitima, & perfecta ætas pro naturali, non pro ea, quæ beneficio Principis habetur, accipitur. Undè Matienç. *lib.5.tit.8.leg.9.gloſſa 3.fin.n.15.* probat leges *de filijs* ad legitimos referri, non ad legitimatos per favorem Principis. At in lege favorabili, etiam civilis ſenſus ſolet attendi, juxta illam regulam juris, *Favores ſunt ampliandi.* Quæ vix vnquam haberet locum, niſi verba legis favorabilis poſſent, non ſolùm in ſenſu naturali, ſed etiam civili vſurpari. Quare ſub nomine filij etiam adoptivus, etiam neptis ſolet accipi, ſub nomine filij etiam legitimatus. Sub nomine nobilis non ſolùm, qui jure ſanguinis eſt talis, ſed qui beneficio Principis. Gordon. *lib.2.quæſt.12.num.7.* Layman *tract.4. cap.18. num.8.* Sanch. *Decalog.lib.6. cap.15.num.37.* Bonacin. *diſp.1.quæſt.1.punct.8.num.9.* Tapia *lib.4.quæſt.17. art.2.& 3.* Suarez *lib.6.cap.2.num.6.* Palaus *tractat. 3. diſp.5.punct.3.§.3.num.7.*

Vltima regula pro interpretatione legis aſsignatur.

31 Quarta, & vltima regula ſit, quod in dubio de valore actus, potiùs interpretanda eſt lex, vt valeat actus, quàm vt pereat: & quod in favorabilibus regulariter lex amplietur, in odioſis lex reſtringatur. Sed intelligendum eſt, ſervata proprietate verborum, ſecundum latitudinem ſuæ ſignificationis civilis, aut naturalis. Prima pars probatur, quia pro valore actus eſt judicandum, eo quod nemo præſumendus eſt inutiliter velle operari, *leg.3. ff. de milit. teſtament.* leg. *Quoties 2. ff. de rebus dubijs.* Sanchez *lib.1.de Matrimon.diſp.38.num.4.& lib.3. diſp.55. n.19.* Layman *tract.4.cap.18. numer.2.* Secunda, & tertia pars conſtat ex regula juris: *Odia ſunt reſtringenda, favores convenit ampliare.* Ex quo fit, quod ſi de obligatione agatur, ſtrictè interpretanda ſit, *cap.1.de jure jurand.in 6.* quia obligatio eſt odioſa. Undè in judicio reo potius favendum eſt, quam actori: poſſeſſori, quàm petitori, leg. *fin.* Cod. *de probationibus.* Et tenet Sanchez *lib.1.de Matrim. diſp. 9.n.1.* Salas *diſp.21.ſect.3.verſ.8.regula.* Palaus *tractat.3.diſp.5.punct.3.§.3.num.12.* ¶ Diximus *regulariter*: quia aliquando convenit odia ampliare, & reſtringere favores, ſi non ſunt primario intenti: lex quippe dicitur favorabilis, vel odioſa ex primario motivo. Quando primario fertur in beneficium, aut favorem alicuius, eſt favorabilis: ſi primario onus imponere intendat, licèt hoc cedat in favorem alterius, eſt odioſa; & tunc lex, quà parte eſt favorabilis, eſt amplianda; qua parte odioſa, reſtringenda, ſi ſit vnũ ab alio ſeparabile. Sin autem extendenda eſt etiã quoad odia, ſi motivum primarium ſit favorem concedere; & reſtringenda etiam quoad favorem, ſi motivum primarium ſit onus imponere. Bon. *diſp.1. q.1. punct.8.n.13.* Suar. *lib.6.cap.4.a n.5.* Covar. *variar. cap.11.n.5.* Sanch. *de Matrim.lib.1.diſp.1.n.5.*

§. III.

An lex extendenda ſit ad caſum in ea non comprehenſum, ob ſimilitudinem, vel identitatem rationis.

In quo differat ſimilitudo rationis ab illa identitate

32 PLures dantur caſus, ad quos verba legis ſecundum amplitudinem ſuæ ſignificationis non extenduntur; & tamen in eis datur ſimilis, vel eadem ratio, quarè caſus in lege contenti à Legislatore præcipiantur. De illis ergo

ergò quærimus, an ſub obligatione legis ſint comprehenſi? Pro quo notandum eſt, quod ſimilitudo rationis ab identitate rationis eſt quid diverſum: ſimilitudo namque fundatur in diverſis rationibus, quarum altera alteri ſimilis eſt, non eadem: vt ſi aliquid de religioſo Concionatore præcipiatur, ſimilis eſt ratio de clerico Concionatore, non eadem, & ſic poteſt diſparitas inter vtrumque aſsignari. Si prohibeatur furti ſacrilegium in eccleſia, eſt ſimilis ratio in ſacrilegio commiſſo ob effuſionem ſanguinis in ea, non eadem. Tunc datur identitas rationis pro caſu non comprehenſo, quando non ſimilis, ſed eadem prorſus ratio currit, ac in illo qui in lege continetur; vt ſi prohibeatur effuſio ſanguinis in eccleſia, ne polluatur, eadem ratio currit in effuſione ſeminis.

Lex non extenditur ad caſus ſimiles in ea non cõprehenſos.

33 Igitur lex non debet extendi ad caſus non comprehenſos in illa, in quibus ſimilis tantum ratio concurrit, regulariter; extenditur tamen lex præceptiva ad caſus, in quibus currit eadem ratio adæquata, qui licèt ſub verbis legis comprehenſi non ſint, credibile eſt voluiſſe Legislatorem illos comprehendere; & ideò quando prudenter præſumitur voluiſſe Legislatorem ad tales caſus legem extendi, dicendum eſt tales caſus eſſe ſub lege comprehenſos: quod non eſt legem extendere extra latitudinem ſuæ ſignificationis, ſed interpretari talem legem extenſam eſſe à Legislatore in ordine ad tales caſus. Probatur ergo, non extendendam eſſe legem ad caſus in ea non comprehenſos, in quibus ſimilis ratio decidendi concurrit: quia non datur obligatio legis, niſi quando Legislator voluntatem obligandi manifeſtat: hanc non manifeſtat reſpectu caſuum, qui in verbis legis non continentur, tametſi ſimilis ratio in eis currat: quia potuit Legislator de vno diſponere, non de alio, ſive quia non vult, ſive quia non expedit omnia prohibere, vel permittere. Et eſt exemplum in *Clement. 1. de electione*, vbi prohibetur ne eligatur in Prælatum conventus religioſus alterius ordinis, vel habitus. Et ratio redditur, ne homines diverſi habitus, diſpariſque profeſsionis ſimul in eodem monaſterio commorentur. Similis ratio currit, ne religioſus eligatur Epiſcopus eccleſiæ regularis, vel ſæcularis: quia etiam tunc ſociantur in eccleſia, choro, Capitulo homines diſparis profeſsionis, & habitus: & tamen primum eſt prohibitum in illo loco, non ſecundum. Gregorius Martin. *quæſt. 96. artic. 6. concluſ. 5.* Suarez *num. 16. cap. 3. num. 4.* Tapia *lib. 4. quæſt. 18. art. 4.* Palaus *tract. 3. diſp. 5. punct. 3. §. 4. num. 2.*

Ad caſus, in quibus eadẽ ratio currit, extendenda eſt lex.

34 Secunda pars aſsertionis, nimirum, quod ſi currat eadem adæquata ratio, ſit credibile, niſi oppoſitum aliunde conſtet, voluiſſe Legislatorem legem præceptivam ad illum caſum extendi, eſt communis ſententia, quam tenet Tapia *loco citato*, *numer. 6.* Suarez *num. 16.* Granad. *controv. 7. tract. 3. part. 2. ſect. 1. num. 6.* Layman *tract. 4. cap. 18. numer. 9.* Et probatur ex vltima regula juris *in 6.* vbi dicitur, poſſe eſſe ſub mente legis id, quod non comprehenditur ſub verbis legis, & non eſt aliud, niſi illud in quo adæquata ratio currit motiva Legislatoris ad ferendam talem legem: quia tunc virtualiter talis caſus in lege continetur, cum prudenter colligatur eſſe intentum Legislatoris, velle omnes caſus comprehendere, in quibus eadem ratio adæquata reperitur. Si tamen non ſit ratio adæquata, quamvis ſit eadem, non ſequitur, caſum eſſe ſub lege comprehenſum: quia potuit Legislator noveri ad non comprehendendum talem caſum ob illam rationem diſparitatis, quæ in tali caſu reperitur, vt *num. præced.* dicebamus. Unde currit alia regula juris, quod ſi idem fieri voluiſſet, poterat exprimere, *cap. 2. de tranſlat. Epiſcopi*: ergo ſi non expreſsit, non continetur in lege talis caſus, juxta illud Gloſſæ *in leg. 15. ff. de legib. Exceptio à regula firmat regulam in contrariam.*

Caſus, in quibus extenditur lex ob identitatem rationis.

35 Probatur autem exemplis, quod lex extenditur ad caſus, in quibus currit eadem ratio, ac in caſibus in lege comprehenſis. Primò in correlativis, in quibus, ob identitatem rationis, quod diſponitur de vno, cenſetur diſpoſitum de alio, ideòque quia vxor, & vir correlativa ſunt, ſi eximitur vir ab obligatione reddendi debitum vxori adulteræ, etiam vxor eximitur ab obligatione reddendi debitum viro adultero. Si ob abſentiam ſponſi ſine licentia ſponſæ liberatur ſponſa ab obligatione ſponſalium, ob abſentiam ſponſæ ſine licentia viri, hic ab ſponſalium obligatione liberatur, quamvis in cap. *Illis, de ſponſalibus*, ſolùm mentio fiat de ſponſo abſentiam faciente. Similiter ſi lex determinet maritum ſuccedere in bonis vxoris, etiam ex vi illius vxor debet ſuccedere in bonis mariti. Similiter hoc ipſo, quod lex excommunicationis concedat vxori, quod poſsit communicare cum viro excommunicato, etiam concedit viro, quod poſsit cum xvore excommunicata communicare. Et quia ſervus & dominus ſunt correlativi, lex concedens ſervo, quod poſsit communicare cum domino excommunicato, concedit etiam domino, quod cum ſervo excommunicato poſsit communicare, vt diximus *tract. 10. de Cenſuris, cap. 3. punct. 13. numer. 150. & 153.*

Alij caſus eiuſdẽ doctri næ.

36 Idem dicendum eſt de æquiparatis, in ea ratione, in qua ſunt æquiparata; quod diſpoſitum pro vno, cenſetur diſpoſitum pro alio, ob identitatem rationis: ideòque, quia electio, poſtulatio, poſſeſsio, præſentatio æquiparantur, lex diſponens aliquid circa vnam, cenſetur diſponere circa aliam in his, in quibus æquiparantur. Idem eſt dicendum de connexis, quod diſpoſitum pro vno, etiam pro alio ſibi connexo ſit diſpoſitum: idem eſt de illis, quæ ſub altero continentur, vel ſubordinantur illi, vt imperfectum perfecto, vel vt pars toto. Undè lex concedens alicui facere teſtamentum, etiam cenſetur concedere facultatem ad codicillum, quod eſt imperfectum teſtamentum. Cui prohibetur facere codicillum, etiam facere teſtamentum prohibetur. Cui conceditur eſus carnium, etiam lacticiniorum eſus conceditur: quia conceſſo principali, etiam acceſſoria cenſentur eſſe conceſſa. Cui verò ova comere prohibetur, etiam lacticinia ſunt prohibita: quia militat eadem ratio prohibitionis, nimirum quod à carnibus ortum ducant.

Quando lex extendatur de perſona ad perſonã?

37 Sed reſtant notanda tria circa dicta. Primum, quod quando lex agit de perſona particulari, non quia ad illam velit diſpoſitionem legis reſtringere, ſed exempli gratia adducitur; tunc etiam ad alios caſus, in quibus eadem, vel ſimilis ratio reperitur, lex illa extenſa cenſetur. Undè Pontifices, & Imperatores decidendo aliquem caſum, illam deciſionem volunt pro lege haberi quoad omnes eiuſdem rationis. Quando verò intelligendum ſit, deciſionem particularem velle Legislatorem haberi, vt legem, ad omnes ſimiles caſus? ex circumſtantijs, & ſignis occurrentibus colligendum eſt. Maximè ſi talis deciſio ſit in cor-

po-

pore juris inſerta, quia tunc vim legis obtinet ad omnes ſimiles caſus: quia lex non eſt de ſingulari, ſed de rebus communibus; & illud exemplum non limitat diſpoſitionem, ſed ipſam declarat, vt tradunt Rebellus *lib.* 1. *de obligat. juſt. quæſt.* 6. *ſect.* 4. Salas *diſp.* 21. *ſect.* 5. *princip.* Arauj. 1. 2. *quæſt.* 97. *diſp.* 3. *ſect.* 7. *fol. mihi* 718. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 5. *punct.* 3. *§.* 4. *num.* 13.

Iudex debet legem ad ſimiles caſus extendere.

38 Secundò notandum eſt, quod lex, licèt ob ſimilitudinem rationis non extendatur ad caſus non comprehenſos in illa, imò, vt dicemus ſtatim, lex pœnalis non extendatur ad caſus, in quibus eadem ratio reperitur: Iudex tamen in ferendo ſententiam debet talem legem ad dictos caſus extendere, quando non habet jus particulare circa illum caſum diſponens, vt colligitur ex leg. *Nam*, *ff. de legibus*. Et ratio eſt, quia, vbi non eſt lex aliquid diſponens circa caſum particularem, prudentia dictat judicandum eſſe de illo, ac de alijs ſimilibus, de quibus lex diſponit: quia, cùm hæc recta ratione gubernetur, erit ſecundùm rectam rationem, ſecundùm illam judicare, vbi aliter non eſt diſpoſitum: ob idque eſt axioma inter Iuriſperitos: *Quod caſus ſimilis expreſſo non eſt omiſſus à lege*: & *quod caſus non expreſſus poteſt decidi per legem caſus expreſsi*: vt pluribus exornat Tiraquel. *de retract. conſanguin. §.* 2. *gloſſa* 1. *num.* 19. Felinus in cap. *Translato, de conſuetudinibus, à num.* 10. & ex Theologis Martinez 1. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 6. *dub.* 1. *concluſ.* 5. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 17. *art.* 4. *num.* 4. Qui etiam docet, Iudicem teneri ad hoc ex præcepto, non ex illa lege, ſed ex alia generaliori docente, quod Iudices ſecundum ſimilitudinem rationis in caſu comprehenſo ſub lege gubernentur in alijs non comprehenſis, leg. *Non poſſunt*, *ff. de legib.* ibi: *Is, qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere, debet.*

In legibus pœnalibus non extenditur lex vllo modo.

39 Tertiò notandum eſt, quòd in legibus pœnalibus, etiamſi eadem ratio, nedũ ſimilis currat, non debet fieri illarum extenſio ad caſus non expreſſos in lege, nec debent trahi de vno caſu ad alium ſimilem ob paritatem rationis, etiamſi talis lex pœnalis ſit præceptiva: non itaque debet extendi, neque quoad pœnam, neque quoad præceptum ad caſum ſimilis, vel eiuſdem rationis: quia pœna, cum ſit odioſa, non debet extendi, ſed reſtringi, *leg.* 42. *ff. de pœnis*, ibi: *Interpretatione legum pœnæ molliendæ potiùs, quàm exaſperandæ. Regula* 49. *juris in* 6. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Et *regula* 15. *eod. tit. in* 6. *Odia reſtringi*, & *favores convenit ampliari*: ergo nec etiam, vt præceptiva, debet lex pœnalis ampliari: quia tam pœna, quàm legis obligatio ex voluntate Legislatoris dependet: ergò ſicut noluit legem extra caſum extendi quoad pœnam, cenſendum eſt nolle quoad obligationem, ob quam pœna imponitur: pœnam enim aſſignatur contra frangentes obligationem legis: ergo à poſteriori colligitur caſſatam eſſe legis obligationem, ſeu potiùs non extenſam ad caſum, in quo pœna evacuatur. Sic Layman *tract.* 4. *cap.* 18. *numer.* 2. & 9. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 17. *artic.* 4. Sanch. *lib.* 10. *de Matrim. diſp.* 4. *num.* 13. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 8. *num.* 23. Salas *diſp.* 21. *ſect.* 5. *numer.* 11. Suarez *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. Palaus *tractat.* 3. *diſput.* 5. *§.* 4. *numer.* 3. Diana plures referens 1. *part. tractat.* 10. *reſolution.* 26. & 2. *part. tractat.* 17. *reſolution.* 66.

40 Exemplis rem illuſtro. Quamvis in jure æquiparentur mandantes, conſulentes, & facientes; diximus nihilominus *tractat.* 10. *de Cenſuris, cap.* 1. *punct.* 12. excommunicationem latam adverſus facientes, niſi exprimantur, non extendi ad mandantes, & conſulentes. Similiter irregularitas lata contra rebaptizantes; non extenditur ad eos, qui ordinem, vel confirmationem reiterant; quamvis eadem ratio currat, vt diximus *eodem tract. cap.* 7. *punct.* 1. *num.* 3. In Clement. vnic. *de conſanguin. & affinit.* excommunicantur moniales cuicumque nubentes, & accipientes illas in vxores: & non extenditur ad monachos matrimonium ineuntes, quamvis eadem ratio currat, vt tradit Sanchez *libr.* 5. *de Matrimon. diſp.* 48. *numer.* 2. Caietan. *in Summa, verb. Excommunicatio, cap.* 47. Similiter in Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. excommunicantur omnes qui cogunt mulieres in monaſterium ingredi, & habitum ſumere: & tamen docet Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. cum Suarez, & Bañez, non extendi ad eos, qui viros cogunt, vt in monaſterium intrent, quamvis currat eadem ratio. In Clement. 1. *de privilegijs*, excommunicantur religioſi, qui abſque licentia Parochi adminiſtrant ſacramenta euchariſtiæ, matrimonij, & extremæ vnctionis: & tamen non extenditur ad adminiſtrantes reliqua ſacramenta, nimirum baptiſmi, aut pœnitentiæ, licèt eadem ratio currat. Alia exempla videri poterunt apud Dianam *loc. citat.*

Exempla præcedentis doctrinæ.

§. IV.

An ſit vnicuique licitum vti epiKia, & in quibus caſibus?

Quid ſit epikeia?

41 EPikia, ſeu epikeia, quæ, vt diximus, eſt quædam emendatio legis, & exceptio caſus particularis, ob circumſtantias, quæ ſi cognoſcerentur à Legislatore, illum caſum excipiret, poteſt vnuſquiſque vti, quando neceſſitas expoſtulat: nam tunc non datur diſpenſatio legis, quæ à ſuperiore debeat fieri, vt benè notavit Caietanus 2. 2. *quæſt.* 120. *artic.* 1. ſed judicatur prudenter noluiſſe Legislatorem illum caſum ſub lege comprehendere; & ſolùm, quando eſt dubium de cauſa excuſante à lege, diſpenſatio requiritur: in evidentibus autem non eſt opus interpretatione, ſed executione, vt inquit D. Thomas *ibid. ad tertium*, ad quod datur virtus epikeiæ. Quando verò eſt dubium, an ſit, vel non ſit cauſa excuſans ſufficiens, cum lex poſsideat, debet judicium pro illa ferri: & ideò inquit Div. Thomas 1. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 6. *ad* 2. *Si autem dubium ſit, debet, vel ſecundum verba legis agere, vel ſuperiorem conſulere.* In caſu verò, quo ſolùm ſit probabile, legem in illo caſu deficere, vel quia ratione firma fulcitur, vel quia à Doctoribus probatur, licitum eſt vti epikeia, ſeu agere præter verba legis, vt probant Palaus *tract.* 3. *diſp.* 5. *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 2. Gregor. Martin. *quæſt.* 96. *art.* 6. *dub.* 3. *notab.* 2.

In quibus caſibus habeat locum epikeia?

42 Hæc autem virtus epikiæ non ſolùm habet locum reſpectu legis humanæ; ſed etiam reſpectu divinæ, & naturalis. Pro quo nota, quod cum lex vniverſaliter loquatur, poteſt aliquando habere hanc vniverſalitatem, non ſolum in communi, ſed pro ſingulis caſibus particularibus: & tunc hoc evenit, quando eſt lex negativa prohibens, quod ab intrinſeco eſt malum, vt men-

mentiri, fornicari, falsum juramentum emittere, blasphemare, & tunc non habet locum epikia: quia, cum non possit denudari à malitia illa materia, in omni casu,& eventu illa lex obligat,& sic in ea nunquam licet præter verba legis agere. Aliquando verò, licèt lex loquatur in communi, non tamen ad omnes casus particulares extenditur,sed rectè interpretamur, Legislatorem noluisse illum casum particularem ob singulares circumstantias sub lege comprehendere; sed noluit hoc exprimere, vel quia eius notitia est limitata, & non potest ad omnes casus, qui possunt occurrere, se extendere,vt accidit in Legislatore humano; vel si notitia eius illimitata est, vt in Legislatore divino contingit, noluit exprimere in particulari casus, quos valebat eximere, vel comprehendere,vt vitaret prolixitatem, & confusionem in lege,vt inquit D.Thom.1.2.*quæst.96. art.6.* sciens dari virtutem epikiæ, per quam possint homines vniversalitatem legis corrigere, & secundum circumstantias occurrentes illius voluntatem interpretari. Et id contingit, quando illa res præcepta potest denudari à malitia, quia tunc potest habere locum epikeia.

Etiam respectu legis divinæ,aut naturalis habet locum epikeia.

43 Dicimus ergo, prædictam virtutem epikeiæ non solùm habere locum respectu legis cuiuscumque humanæ, sed etiam aliquarum legum divinarum, & naturalium. Et ratio est, quia epikeia habet locum in casu singulari, qui deficit à regula communi legis; sed à regula communi naturalis legis, & divinæ, nedum humanæ, possunt plures casus deficere, eo quod lex agit in vniversali de eo quod evenit frequentèr;quod non tollit, quod in singulari aliqui casus dentur excepti ab illa regula communi. Sicut de jure naturali est hominem non occidere: quem possum nihilominus occidere, si injustè me occidere tentaverit. Secretum servare, extremè indigenti subvenire, sunt de jure naturali: & casus possunt occurrere, in quibus lex naturalis non obliget. Etiam de lege divina judicavit David per epikeiam licere sibi panes propositionis comedere in casu necessitatis. Et Machabæi, 1.*Machab.* 2. interpretati sunt per epikeiam non obligare ipsos observationem diei sabbathi per abstinentiam ab effusione sanguinis,ob magnum periculum, quod ipsis tunc imminebat.Sic docent Caietan.2.2.*quæst.*120.*artic.*1.Montesin.1.2.*tom.*2.*disp.*23.*quæst.*12.*fin.* Arauj. *disp.*3. *sect.*7.*diffic.*3.*fol.*722.Martinez *quæst.*96.*artic.*6. *dub.*3.

Quando sit locus epikeiæ?

44 Ut autem detur locus epikeiæ, & contra legis verba possit quis licitè agere,non debet deficere lex tantum negativè in illo casu particulari, quia nimirum deficit finis illius in illo casu,vt iam probavimus in hoc cap. *num.*6. sed debet deficere contrariè, quia nimirum lex redditur damnosa, & valdè onerosa,si obligaret in illo casu.Nam,vt inquit Iurisconsultus citatus à D.Thom.1. 2.*quæst.*96. *artic.*6. *Nulla ratio juris,aut æquitatis benignitas patitur,vt quæ salubritèr pro salute hominum introducuntur, ea nos duriore intrepretatione contra ipsorum commodum producamus.* Et ratio est, quia lex debet esse communi bono expediens:at,quando redditur damnosa in illo casu particulari, non expedit bono communi eam observare: ergo tunc deficit lex,licebitque proinde præter, vel contra verba legis per epikeiam agere.Et hoc verum est,sive casus occurrens sit damnosus bono communi, vt in exemplo adducto à D. Thom. *loco citat.* de præcepto posito in civitate obsessa,quod nemo portas illius aperiat; si plures cives illius ab hostibus invasi ad civitatem accederent, liceret aperire portas, quia bonum commune civitatis ex vita civium,qui eam defendere possint,dependet: sive esset damnosa tantum particulari,vt in exemplo posito ab ipso Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 120. *art.*1.de eo,qui apud me ensem deposuit, quòd possum ipsi negare depositum, si sciam ipsum abusurum illo, ad me, vel ad aliud innocentem interficiendum.

Quomodo lex deficere debeat,vt detur locus epikeiæ?

45 An verò requiratur, quod lex ita deficiat contrariè, vt detur locus epikeiæ, vt sit iniqua eius observatio,an verò sufficiat,quod tantum sit onerosa in illo casu,& difficilis observatu?Respondetur,sufficere esse onerosam, valdeque difficilem in illo casu, vt,licèt posset quis licitè secundum verba legis agere,possit nihilominus contra verba legis per epikeiam operari: quia sicut jugum Christi suave est, & onus eius leve,sic lex suavis debet esse, quæ humano modo possit sine magna difficultate executioni mandari:ergo,quando occurrit casus magno incommodo vestitus, credendum est, nolle tunc Legislatorem illum casum sub legis rigore comprehendere.Ita Araujo *quæst.*97.*disp.*3.*sect.*7.*diffic.*3.*fol.*722.Gordonus *lib.*2.*quæst.*12.*num.*10. Martinez *quæst.*96.*artic.*6. *dub.*3.*notab.*3. Qua ratione mulier communiter excusatur ab auditione sacri,quæ jacturam honoris, vitæ,aut rei familiaris timet.Et extendunt hanc doctrinam Suarez *lib.*6.*cap.*7.*a num.*9.Palaus *tract.*3.*disp.* 5.*punct.*3. §.2. *num.*3. quando non modo sequitur incommodum ex impletione legis in acquisitis, sed etiam in licitè acquirendis, vt si ob observationem festi amittat rem magni momenti, quam lucrari poterat: quia lucrum cessans justum, & magnum gravi damno æquiparatur,leg.vnic.Cod.*de sentent.*

CAPUT V.

De Dispensatione Legis.

RAtiones diximus circa dispensationem diversarum obligationum in varijs tractatibus,specialiter *tract.*9.*de Matrimon.per totum,cap.*14.agentes de dispensatione impedimentorum matrimonij,& in *tract.*10.*de Censuris,cap.*7.& 8.agentes de dispensationibus pro diversis irregularitatibus. Alia dicenda sunt *tract.de Voto,& Iuramento,cap.*3. *punct.* 9. *& sequent.* agentes de dispensatione illorum. Undè ad prædicta loca lectorem remittimus, ne per plures vices eadem repetamus. Cæterùm sicut in prædictis locis ob connexionem doctrinæ plura de dispensatione legum in communi tradidimus; sic modò agentes de legum dispensatione in communi, non possumus non plura tangere pertinentia ad alios Tractatus. In hoc Capite octo dantur Puncta.

Punct. I. *Quid, & quotuplex ſit diſpenſatio?* num. 1.
Punct. II. *Quid requiratur, vt per tacitam diſpenſationem aliquis à lege eximatur?* num. 11.
Punct. III. *Quis poteſt diſpenſare in lege naturali, & divina?* num. 18.
Punct. IV. *De his, in quibus eſt poteſtas diſpenſandi in lege humana, & reſpectu quorum eam exercere valent?* num. 28.
§. I. *In quibus ſit ordinaria poteſtas in legibus diſpenſandi?* num. 29.
§. II. *An inferior poſsit diſpenſare in lege ſuperioris?* num. 36.
§. III. *De poteſtate diſpenſandi in legibus delegata.* num. 50.
Punct. V. *Reſpectu quorum poſsit dari diſpenſatio legum?* num. 55.
Punct. VI. *De cauſa requiſita ad validam, & licitam diſpenſationem impendendam.* num. 62.
§. I. *Quomodo Legislator validè, licèt non licitè, poſsit ſine cauſa in ſua lege diſpenſare?* num. 63.
§. II. *De inferiori in lege ſuperioris diſpenſante ſine cauſa.* num. 70.
§. III. *Quæ cauſæ ſint ſufficientes ad licitam, & validam diſpenſationem obtinendam?* num. 73.
Punct. VII. *De diſpenſatione per metum, aut per dolum extorta.* num. 82.
Punct. VIII. *Quibus modis poſsit obtenta diſpenſatio ceſſare?* num. 86.
§. I. *An, ceſſante cauſa motiva diſpenſationis, ceſſet ipſa diſpenſatio?* num. 88.
§. II. *An per mortem diſpenſatoris, vel per revocationem illius ceſſet diſpenſatio?* num. 95.
§. III. *De renuntiatione diſpenſationis.* num. 100.

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex ſit diſpenſatio?

Quid, & quotuplex ſit diſpenſatio?

1 DIſpenſatio, ſecundùm proprietatem nominis accepta, eſt juſta rerum diſtributio, vt inquit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. ſecundùm illud Lucæ: *Quis putas eſt fidelis diſpenſator?* Et ideò œconomus dicitur diſpenſator, leg. *Diſpenſatores*, *ff. de ſolationibus*: per metaphoram autem, & translationem applicatum eſt hoc nomen Apoſtolis, & Epiſcopis, qui ſunt diſpenſatores verbi Dei, vt dicitur in cap. *Diſpenſatio* 43. *diſt.* Sed iam à Iuriſperitis, & Theologis nomen diſpenſationis ſumitur pro exemptione à lege, vel præcepto: & de hac diſpenſatione eſt, de qua nunc agimus, diffiniturque communiter, quod eſt: *Iuris alicuius relaxatio ab habente legitimam poteſtatem facta.* Additur ab aliquibus, *juſta ex cauſa*; ſed ab alijs meritò prætermittitur, cum diſpenſatio validè conſiſtere poſsit, etiamſi non ex juſta cauſa procedat. Eſt ergo diſpenſatio moderatio, ſeu remiſsio obligationis legis pro aliquo, vel aliquibus caſibus, & ideò vocatur à D. Auguſt. relato in cap. *Ipſa pietas* 23. *quæſt.* 4. *Vulnus contra integritatem ſeveritatis.*

In quo diſpenſatio ab alijs differat?

2 Sed modo inquires primò, in quo differat diſpenſatio ab interpretatione, irritatione, commutatione, permiſsione, ſimplici licentia, abſolutione, derogatione, abrogatione, & privilegio? Hæc omnia videntur inter ſe coincidere, ſed latum diſcrimen habent, quamvis omnia ab obligatione legis liberent; aliter tamen, & aliter. Et quia illorum cognitio non parum expedit ad perfectam huius materiæ intelligentiam, ſingula explicabimus, & à diſpenſatione eſſe diſtincta oſtendemus.

Quomodo differat diſpenſatio ab interpretatione?

3 Igitur ab interpretatione, ſeu epikeia differt diſpenſatio: quòd illa non eſt actus juriſdictionis, & ideò à ſingularibus perſonis fieri poteſt: eſt enim interpretatio actus doctrinæ, qui à quolibet viro docto fieri poteſt: & ſi in caſu dubio ſolùm ſuperiori competat interpretari legem, non ob id eſt actus juriſdictionis, ſed doctrinæ, ſuperiori tamen reſervatæ: loquimur enim non de interpretatione authentica, quæ habet vim legis; ſed de alia, quæ poteſt ab inferioribus exerceri. At diſpenſatio actus juriſdictionis eſt, & ideò ſuperiori tantum, vt tali, reſervatus. Præterea, quia interpretatio, etiamſi ſit authentica, & à Legislatore vt tali facta, non ſupponit legis obligationem, ſed potius oſtendere nititur, obligationem legis ad talem, vel talem caſum non extendi. Diſpenſatio verò ſupponit certam legis obligationem, & ab ea vult aliquos eximere, ob idque vulneratio legis dicitur, quia per eam eius vis, & robur minuitur, & relaxatur.

Quomodo diſpenſatio ſumatur?

4 Sed quia Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 97. *artic.* 4. *in corpor.* & *ad* 3. & *quæſt.* 100. *artic.* 8. videtur vnam cum altera confundere, & diſpenſationem explicavit per interpretationem ſuperioris explicantis, hic & nunc legem ſervari non eſſe conveniens; quod eſt proprium interpretationis, & epikeiæ: quod etiam dicit de interpretatione voti, 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 10. ob quod plures non ignobiles Doctores diſpenſationem cum interpretatione coincidere arbitrantur. Notandum eſt, quod diſpenſatio ſumitur dupliciter. Primò generaliter pro eo, quod eſt à lege eximere ſecundum rigorem verborum illius, quomodocumque hoc fiat, & ſic communiter ſe habet ad declarationem, ſeu interpretationem legis, & illius diſpenſationem ſtrictè dictam. Secundò pro exemptione à lege, ſuppoſita iam illius certa declaratione, & obligatione, & hoc modo eſt ſtricta diſpenſatio. Div. Thom. loquitur de diſpenſatione primo modo, quam fatemur cum interpretatione, & epikeia coincidere; non verò de diſpen-

penſatione ſtricta, de qua nunc loquimur,& conſtat, hanc eſſe eius mentem; nam in dicto artic.4.*n.*97.*ad* 3. ait, legem naturalem diſpenſari poſſe ab hominibus ſecundum præcepta minus vniverſalia: quod verum eſt loquendo de diſpenſatione primo modo, vt diximus *cap. præced. numer.*43. falſum verò,ſi loquamur de diſpenſatione propria,cùm nec ipſe Deus poſsit diſpenſare in præcepto juris naturalis, vt *punct.*3. dicemus. Et ideò diſpenſationem propriam ab interpretatione diſtingui,docent Soto *lib.*1.*de juſtit.quæſt.*7.*art.*3.*& lib.*7.*q.*4.*art.*1.Araujo 1. 2. *q.* 97.*diſp.*3.*ſect.*7.*diffic.*2. *num.*32.Martin. *q.*97. *art.* 4.*dub.*1.Laym.*tract.*4.*cap.*22.*num.*1.Salas *diſp.* 20. *ſect.*1.*n.*4.Palaus *diſp.*6.*punct.*1.*num.*3.

In quo differt ab irritatione diſpenſatio?

5 Ab irritatione differt diſpenſatio,quia irritatio legis eſt impedimenti oppoſitio, ne lex obliget, quando id fit, antequam lex plenam vim obligandi habeat; vt in ſententia aſſerentium requiri acceptationem populi ad legis obligationem perfectam, hoc ipſo quod populus non acceptet, redditur lex irrita, antequam plenam habeat obligandi facultatem: ſimiliter irritatio voti ſupponit non eſſe in eo plenam obligationem independenter à conſenſu ſuperioris: quia ſub conditione tacita emittitur, *niſi ſuperior diſſentiat*: & ideò non requirit cauſam, vt licitè fiat. At diſpenſatio iam plenam obligationem legis ſupponit, & ab ea diſpenſatum extrahere nititur.

In quo differat diſpenſatio à permiſsione, & commutatione?

6 Deinde à permiſsione differt diſpenſatio, quòd hæc tollit legis obligationem, non illa: vt Deus permittens peccata non tollit obligationem ea vitandi, & ſic permiſſus facere contra legem committit culpam, non ſic diſpenſatus. ¶ Differt etiam à commutatione, quia hæc non tollit omninò obligationem,ſed vnam pro alia ſubrogat, & ſic poteſt fieri commutatio in votis propria auctoritate, ſi res, in quam fit commutatio,ſit melior,imò evidenter æquior. At diſpenſatio omninò tollit obligationem, vnde à ſuperiore duntaxat poteſt concedi. ¶ Differt etiam ab abſolutione ſicut inferior à ſuperiore: nam omnis diſpenſatio eſt abſolutio, non omnis abſolutio eſt diſpenſatio: quia abſolutio à peccatis,& cenſuris diſpenſatio non eſt: quia per abſolutionem non vulneratur jus, ſicut per diſpenſationem;ſed potiùs jus ipſum impletur,jus enim mandat rectè diſpoſito ſemper abſolutionem impertiri, non autem jubet ſemper,ac cauſa datur,diſpenſationem impendere.

In quo differat diſpenſatio à ſimplici licentia, abrogatione,& privilegio?

7 Deinde differt diſpenſatio à ſimplici licentia in lege petita:quia hoc potiùs eſt pro lege, quàm contra legem: nam quando lex jubet, ne quis ingrediatur clauſtra monialium abſque licentia Prælati, ne religioſus domum egrediatur abſque licentia ſuperioris, ne regularis aliquid expendat abſque licentia, non facit contra legem, qui, tali licentia obtenta, aliquid ex his facit; ſed potiùs conformatur legi. Unde non diſpenſat Prælatus in voto paupertatis, quando ſubdito præbet licentiam aliquid expendendi: ſiquidem lex paupertatis non prohibet aliquid expendi abſolutè, ſed ne expendatur abſque licentia debita. Quarè qui illam concedit, non vulnerat jus, aut illud relaxat, ſicut qui in lege diſpenſat. ¶ Differt etiam ab abrogatione, vel derogatione; nam abrogatio eſt ceſſatio totius legis, & derogatio partis illius, ſed quoad omnes; diſpenſatio ſolùm eſt relaxatio legis quoad aliquos, manente ipſa quoad alios in ſuo robore. ¶ Ac denique differt à privilegio. Tùm, quia hoc non ſemper eſt contra jus,ſed multoties præter jus, diſpenſatio ſemper eſt contra jus. Tùm etiam, quia diſpenſatio non eſt de ſe permanens,ſicut privilegium.

Quot modis dividatur diſpenſatio?

8 Inquires ſecundò,quotuplex ſit diſpenſatio? Reſpondetur, in primis dividi diſpenſationem in partialem,& totalem. Totalis omninò aufert obligationem legis, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Partialis ſolùm in parte obligationem relaxat, aliquando diſpenſando in lege quoad pœnam, non quoad culpam,aliquando auferendo quoad partem, etiam obligationem culpæ: vt cum irregularis diſpenſatur ad ordines minores recipiendos, non ad maiores, vel ad vnum beneficium obtinendum, non quoad aliud. ¶ Deinde dividitur diſpenſatio in neceſſariam,ſeu debitam,& permiſſam. Diſpenſatio debita eſt,quando timetur ſcandalum, ſi non concedatur,ex cap.*Conſtitueretur* 50. *diſt.* vel quando vtilitas,vel neceſsitas valdè gravis occurrit. Permiſſa autem eſt,quæ habet quidem cauſam,tamen abſque incommodo poteſt prætermitti. ¶ Dividitur etiam in eam,quæ fit ex motu proprio,& eam quæ fit ex alicuius petitione. Nam licèt aliqui negent,poſſe Prælatum ex motu proprio diſpenſationem impertiri; verè tamen concedi poteſt à ſuperiore ex motu proprio, ex ſola providentia Prælati, cum nec jus obſtet, nec ratio alicuius momenti.

Tacita; & expreſſa diſpenſatio quid ſit?

9 Celebrior autem eſt diviſio diſpenſationis in tacitam, & expreſſam. Tacita eſt, quæ ſignis exhibetur, de qua *puncto ſequenti* erit ſermo ſpicialis. Expreſſa eſt, quæ per verba ſufficientia ad manifeſtandam voluntatem diſpenſantis exhibetur, vel etiam ſignis evidentibus, vt ſi,præcedente petitione inferioris, ſuperior annuat: nulla autem verba dantur in jure determinata ad concedendam diſpenſationem, ſed per quæcumque poteſt dari, ſi manifeſtent ſufficienter voluntatem Prælati diſpenſationem impertiendi: nec requiritur ad eius valorem quod detur in ſcriptis,niſi quando in jure expreſsè cavetur,diſpenſationem non aliter impertiendam eſſe, niſi in ſcriptis, quia tunc talis ſcriptura eſt omninò ad valorem diſpenſationis neceſſaria.

Diſpenſatio eſt ſtrictè interpretanda.

10 Sed hic notandum eſt, quod cum diſpenſatio exorbitet à jure,& ſit illius vulneratio,eſt odioſa, & non eſt extendenda,ſed limitanda,& cum omni rigore verba illius ſunt accipienda, *cap.*1.*§.*1. *de filijs Presbyter.in* 6.& tenent Sanch. *de Matrimon. lib.*8. *diſp.*1.*num.*3.Gregor.Martin.*quæſt.*97.*art.*4.*dub.*1. *notabil.*3.Poteſt tamen eſſe materia, tam pia, vt diſpenſatio reputanda ſit favorabilis, licèt alioquin generaliter loquendo odioſum ſit diſcordare à lege, vt notavit Gordon.*lib.*2.*quæſt.*13.*num.*2. Sed aliud eſt loqui de poteſtate diſpenſandi, aliud de ipſa diſpenſatione. Poteſtas enim,etiam delegata,cum ſit favor, & beneficium nulli nocivum,nec contra aliquod jus, latè eſt interpretanda, vt tenet Granad. *controv.* 7. *tract.*3.*part.*2.*diſp.*17.*ſect.*1.Martin. *quæſt.*97. *art.* 4.*dub.*2.*fol.*279.*col.*2.Sanchez *loco citato*, vbi varias exceptiones, & ampliationes huius generalis doctrinæ ponit.



PUN-

PUNCTUM II.

Quid requiratur, vt per tacitam dispensationem aliquis à lege eximatur?

Potest dari virtualis dispensatio.

11 DAri virtualem, seu tacitam dispensationem, quæ ex signis, & conjecturis colligatur, manifestum est: quia in jure nulla forma datur pro dispensatione concedenda; sed quod voluntas habentis potestatem ipsam impertiendi sufficienter manifestetur: at talis voluntas potest signis, & indicijs sufficienter manifestari: ergo dabitur tunc virtualis, seu tacita dispensatio sufficiens ad relaxandam obligationem legis: vt si à Prælato sciente te esse impeditum per legem, aliquid incompossibile cum ipsa concedatur; v.g. si sciente ipso Prælato te esse irregularem, concedat tibi literas dimissorias ad ordines, vel beneficium conferat, censetur tacitè dispensare quoad hoc; quia non est præsumendum velle superiorem, quod subditus agat contra legem. Vnde hanc dispensationem tacitam per actum incompossibilem cum lege posse, non solum à superiore, sed etiam ab inferiore impertiri in his, in quibus potest ipse expressè dispensare, tradunt Laym. *tract.4.cap.22.n.2.* Martin. *q.97.art. 4. dub. 1.notab.3.* Suar. *lib.6.cap.13.n. 23.* Sanch. *lib. 8. de matrimon.disp.4.à n.2.* Gordon. *lib.2.q.13.n.4.* Palaus *disp.6.punct.12.n.2.*

Non sufficit præsumptio voluntatis de futuro ad dispensationem.

12 Sed restat examinanda duplex difficultas. Prima est, an sufficiat ratihabitio, vel præsumptio voluntatis superioris de futuro, vt possit subditus judicare, ipsum virtualiter dispensare; & sic liberetur ab obligatione legis? Quando nimirùm probabiliter judicatur, dispensaturum superiorem, si sciret; vel gratum habiturum, quando sciet? Respondetur negativè. Sed debet esse talis præsumptio voluntatis præsentis, vel antecedentis ad actum, non subsecutæ ad illum: quia ad deobligandum à lege requiritur, quod detur voluntas superioris, quæ verè sit talis; sicut ad obligandum per legem talis voluntas requiritur; sed voluntas futura non est, sed erit: ergo sicut non sufficit ad obligandum per legem voluntas futura superioris, nec conditionata, quod obligaret, si sciret; ita nec sufficit ad deobligandum à lege. Et patet exemplis, nam non sufficit, vt aliquis illegitimus ordinetur, vt aliquis cum consanguinea contrahat, quod præsumatur, Papam concessurum dispensationem, si causam sciret: nec sufficit, vt simplex Sacerdos confessiones audiat, quod prudenter judicet Episcopum concessurum jurisdictionem, si sciret: vel gratum habiturum factum. Ita docent Tapia *lib.4.q.19.art.4.num.9.* Salas *disp. 20. sect. 2. num.8.* Sanchez *lib.8. de matrim.disp.4.num. 11. & 15.* Suarez *lib.6. cap. 13. num. 20.* Palaus *disp. 6.punct.12. num.6.* Layman *tractat. 4. capit. 22. num.3.*

Quædã objectio contra dicta.

13 Et si objicias, quod in licentia à lege postulata sufficit, vt superior virtualiter, vel tacitè eam concedere censeatur, quod prudenter judicetur concessurum eam, si casum cum circumstantijs occurrentem cognosceret, vel posteà quam sciat, ratum, & gratum habiturum, quod ex tali præsumptione est factum; vt in acceptatione, vel distributione pecuniæ prohibita religionis sine licentia superioris, sufficit vt non peccet religiosus eam distribuendo, vel acceptando, si præsumat prudenter Prælatum, si præsens esset, licentiam præbiturum; vel posteà ratam, & gratam talem acceptationem, vel distributionem habiturum: ergo similiter est dicendum in legis dispensatione.

Solutio datæ objectionis.

14 Respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam cum simplex licentia, vt iam diximus, non sit vulneratio legis, sed impletio, quia lex non prohibet actum absolutè, sed iubet quod si fiat, cum licentia fiat, non est odiosa, sed potius favorabilis; vnde non est restringenda, sed latè interpretanda, extendendaque ad licentiam præsumptam, sive de præsenti, sive de futuro, sive absolutam, sive conditionatam. At dispensatio exorbitat à lege, & est juris vulneratio: & sic est strictè interpretanda, intelligendaque solum de voluntate, quæ est in superiore, non de illa quæ est, aut erit.

Taciturnitas superioris sat est ad dispensationem tacitã.

15 Inquires secundò, an si superior potens dispensare videat aliquem subditum contra legem agere, & taceat, nec contradicat, cum facilitèr absque incommodo posset, censuatur virtualiter in lege dispensare? Respondetur affirmativè. Tum quia qui ex officio tenetur loqui, & tacet, consentire videtur, *regul.43.juris in 6.* Tum etiam, quia non est præsumendum delictum in superiore, nec velle subditi ruinam, cum ipsi incumbat bonum illius promovere: ergo si videns subditum contra legem agere, & potens facilitèr reprehendere, non facit, præsumendum est, velle cum illo dispensare, aliàs peccaret tacendo, & non evitando ruinam subditi per dispensationem, quam poterat impertiri, ne subditus contra legem ageret. Sic Tapia *lib. 4. q. 19. art. 4. n.3.* Martin. *1.2.q.97.art. 4.dub.1. notab. 3.* Sanchez *de matrim.lib.8. disp.4.n.26. & in fum. lib. 4. cap.74.n.46.* Suar. *lib.6.cap.13.n.21.* Salas *disp. 20. sect.9.n.87.* Palaus *disp.6.punct.12.n.3.*

Objectio contra datã doctrinam.

16 Sed objicies quod ad dispensationem requiritur voluntas superioris concessiva, & non sufficit voluntas permissiva; sed per hoc quod taceat, & dissimulet, solum sequitur permissivè se habere; vel ad minus non probatur habere se concessivè; & cum dispensatio sit odiosa, eo quod est vulnus legis, non debet extendi, sed potius restringi, quantum materia permittit; vnde dicitur in cap. *Super eo, de cognatione spirituali: Id in ecclesia tua dissimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris præstare consensum*: ergo non sequitur ex simulatione, aut taciturnitate superioris, adesse consensum eius, qui ad dispensationem requiritur. Atque ita docent satis probabiliter plures Doctores, quos refert Sanchez *loc.cit.*

Solutio prædictæ objectionis.

17 Respondetur nihilominus ad objectionem, eam locum habere, quando superior nequit de facili subditum corrigere, aut retrahere a transgressione legis; vel judicat esse prudentius tacere, vt alia incommoda vitentur. Tunc enim solum censetur permissivè se habere, non concessivè. At si superior posset facilitèr, & absque incommodo subditum corrigere, & taceat, locum habet nostra sententia. Cæterùm non debet præsumi, ipsum de facili posse, nisi probetur: quia sepius tacendo se habet superior permissivè, eo quod frequenter ex subita resistentia subditi

diti exasperantur, vel audaciores fiunt : & ob hoc Prælatus, quamvis non dispenset, dissimulat.

PUNCTUM III.

Quis potest dispensare in lege naturali, & divina?

Quot modis præcepta naturalia, & divina accipi possunt?

18 PRæmittendum est, inter præcepta juris naturalis alia esse, quæ pendent à prævio consensu humano, quo supposito, vt fundamento, vrget præceptum juris naturalis, vt in pactis, promissionibus, voto, juramento. Alia præcisè, quæ à voluntate divina pendent, nobis per lumen naturale significata, vt sunt omnia præcepta Decalogi. Licèt enim observatio festorum, de quo poterat esse difficultas, pendeat aliquo modo à voluntate humana designante dies, in quibus sit vacandum divino cultui; attamen ex jure naturali habetur, plures debere dari dies, in quibus homines creatoris obsequijs, & venerationi tradantur, non determinando quibus diebus; quo modo est de jure naturali præcisè. Quare non est dubium præsens de illis præceptis, quæ voluntatem humanam, vt fundamentum, supponunt; hæc enim posse relaxari ab humana potestate, nulli est dubium. Nam si sit votum, aut juramentum factum Deo, potest à superiore illius vices gerente obligatio remitti. Quod non est propriè in voto dispensare; siquidem ad hoc erat necessarium, quod manente voto, eius obligatio remitteretur, quod, à nullo fieri potest; potest tamen auferri ipsum votum, & consequenter obligatio fundata in eo : & hoc etiam ab habente potestatem dominativam fieri potest per irritationem: quia votum censetur emissum sub illa conditione: *Nisi superior oppositum decernat.*

In quibus præceptis naturalibus potest superior dispensare?

19 Idem dicimus de illis præceptis juris naturalis, quæ versantur circa materiam, cuius habet aliquis potestatem dominativam, quod potest, qui habet talem potestatem, in illis dispensare : vt respublica, quæ potestatem dominativam habet in bona suorum subditorum, quamvis sit de jure naturæ, quod nemo suis bonis expolietur; potest nihilominus respublica in hoc suo modo dispensare, quando sibi expediens judicaverit; & dare locum vsucapioni, & præscriptioni in illis bonis. In alijs verò contractibus, & promissionibus factis hominibus, etiam juramento firmatis, potest ille, in cuius favorem facta sunt, remittere obligationem : & contractus (præter matrimonium, quod est indissolubile) possunt dissolvi ex mutuo consensu, sicut ex mutuo consensu fuerunt facti, cum res, per quas causas producitur, dissolvatur: & tunc, ablato fundamento, solvitur obligatio, quæ erat ex jure naturæ super illud fundata.

De alijs præceptis naturalibus, in quibus potest homo dispensare.

20 Rursus aliqua sunt de jure naturali non præceptivo, sed vel permissivo, vel approbativo; approbat enim lumen naturale plura, vel concedit, quamvis ad ea non obliget : concedit enim bona communia, homines esse liberos, matrimonium omnibus concedit, quamvis non omnibus præcipiat: & generaliter omnes actus virtutis semper sunt de jure naturali approbativo, quia sunt conformes rationi: non tamen sunt omnes, & semper de jure naturali præceptivo. In his ergo, quæ sunt de jure naturali solum concessivo, vel approbativo, nulli dubium est, posse homines dispensare. Vnde licèt modo dicto sit de jure naturæ, quod filius succedat patri, potest nihilominus ex justa causa respublica disponere, quod non succedat: licèt libertas sit à natura concessa, possunt justè homines privari libertate, & in servitutem redigi; & communiter in his, quæ sunt de jure gentium, potest respublica ex justa causa dispensare: quia jus gentium, quamvis sit valdè conforme naturæ, & ab ipsa approbatum, non tamen est de jure naturæ præceptivo, sed ex consensu hominum introductum, diximus *cap.* 1. *n.* 31.

Non potest Deus in præceptis naturalibus rigorosè dispensare.

21 In præceptis ergo juris naturalis, quæ nullo ex dictis modis à voluntate hominis dependent, neque homines, neque Angeli, nec ipse Deus potest rigorosè, & propriè dispensare. Et quidem quod si non potest Deus, non possunt aliæ creaturæ, probatione non indiget. Quod Deus non possit propriè dispensare in præceptis naturalibus, latè probavimus *tract. 9. de matrim. cap.* 5. *à n.* 43. Ubi diximus, quod licèt possit Deus materiam aliquorum præceptorum naturalium mutare, &, mutata materia, facere, quod iam præceptum naturale non obliget; potest enim facere, quod homicidium non sit homicidium, quod accessus ad mulierem non sit fornicatio, quod ablatio rei alienæ non sit furtum; attamen facere non potest, quod, manente fornicatione, furto, aut homicidio, mala non sint, vt ibidem probavimus : & cum dispensatio propriè dicta consistat, in eo quod, manente præcepto, & obligatione illius, aliquis ab ea eximatur; hinc est, non posse Deum directè dispensare in præceptis naturalibus, ipsis in ratione talium permanentibus : quamvis possit indirectè, & impropriè dispensare; mutando materiam, & faciendo, quod non sit ex jure naturali præcepta. Ita docent D. Thom. 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 5. & *q.* 100. *art.* 8. Sot. *lib.* 2. *de justit. q.* 3. *art.* 8. Suar. *lib.* 2. *de leg. cap.* 45. Arauj. 1. 2. *q.* 94. *disp.* 2. *sect.* 2. *difficul.* 2. Caiet. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. Granad. *controv.* 7. *tract.* 2. *disput.* 6. *sect.* 2. *n.* 11. Gordon. *lib.* 2. *q.* 7. *à n.* 12. Objectiones contra istam doctrinam *loc. cit.* dissolvimus, vbi videri poterunt.

Possitne homo dispensare in his, quæ ex sola Dei voluntate pendent.

22 Sed difficultas est, an detur in hominibus potestas dispensandi in huiusmodi præceptis, saltem indirectè, & mutando materiam, modo quo de ipso Deo diximus? Et quidem si præcepta sint eatum rerum, quæ ita sunt intrinsecè malæ, vt numquam possint denudari à malitia, vt perjurium, odium Dei, blasphemia, mendacium; nec ipse Deus potest, adhuc indirectè, in eis dispensare, vt diximus *loc. cit.* Et idem est de præceptis juris naturæ generalibus: quia non potest Deus facere, quod bonum non sit faciendum, malum fugiendum : quod sibi aliquis non vult, alteri faciat. In reliquis, quamvis possit Deus dispensare indirectè, nulla tamen creatura potest (& loquimur de his, quæ nullo modo dependent ab humana voluntate.) Vnde, non posse Pontificem dispensare in impedimentis, quæ sunt ex jure naturæ, diximus *tract.* 9. *de matrimon. cap.* 14. *punct.* 1. *num.* 1. & praxis ipsius ecclesiæ id comprobat. In reliquis etiam constat : quia inferior in lege superioris dispensare non potest, nisi ab ipso facultatem expressam obtineat : at non constat Deum talem facultatem hominibus concessisse. Nec expediens erat, vt concederet, ob plurima inconvenientia, quæ sequerentur, si posset homo in his, quæ sunt de jure naturæ dispensare, vt consideranti patebit, & docent D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. & *quodlib.* 4. *art.* 13. Palaus *tr.* 3. *disp.* 6. *punct.* 2. *n.* 7.

n. 7. Granad. *controv.* 7. *tract.* 2. *diſp.* 6. *ſect.* 4. *n.* 20. Gordon. *lib.* 2. *q.* 6. *cap.* 2. *n.* 5.

Poteſt Deus in lege divina diſpenſare.

23 Veniamus ad legem divinam poſitivam, prout diſtinguitur à naturali: & loquimur ſolum de lege divina evangelica, quæ ad nos pertinet; quidquit ſit de lege divina antiqua, quæ iam ceſſavit. Et ſciendum eſt, quod ex lege divina ſpeciali Chriſti Domini vix inveniuntur alia præcepta, præter illa, quæ pertinent ad conſtitutionem ſacramentorum, eorum vſum, & ſacrificij oblationem. Reliqua ſunt ex jure divino naturali. In hac ergo lege divina poſitiva, poſſe ipſum Legislatorem divinum diſpenſare, nulli dubium eſt, quia ſicut Legislator humanus poteſt in ſua lege diſpenſare, ita divinus in ſua. Sed eſt diſcrimen inter vtrumque, quod Legislator humanus, ſaltem licitè, non poteſt abſque cauſa, præcisè quia vult, diſpenſare; ita vt ſit ſolum pro ratione ſua voluntas. At divinus poteſt ex ſua voluntate abſque alia cauſa id facere: quia cum ſua voluntas ſit perfectiſsima ratio, regulaque totius honeſtatis, & virtutis, hoc ipſo bonum eſt, quod ipſe velit: & in tantum eſt aliquid honeſtum, in quantum cum illa divina voluntate conformatur.

In lege divina nullus hominũ poteſt diſpenſare, niſi ex Dei conceſſione.

24 Creaturæ autem nequeunt in divina lege diſpenſare, niſi à Deo ſit ipſis ſpecialitèr conceſſum: quia inferior in lege ſuperioris, niſi ab eo recipiat poteſtatem, diſpenſare nequit: ſed non eſt credendum alicui hanc poteſtatem conceſsiſſe, niſi conſtet per eccleſiæ authoritatem, vel aliam revelationem certam ab eccleſia approbatam, vt conſtat ex cap. *Niſi cum pridem*, *de renuntiatione*, cap. *Ex injuncto*, *de hæreticis*. Hæc autem poteſtas de facto non eſt conceſſa Principibus ſæcularibus: quia cum ipſis ſolum data ſit facultas civilis, & temporalis, nihil diſponere poſſunt circa ſpiritualia, & ſupernaturalia, vt ſunt præcepta divina, de quibus loquimur. Nec etiam fuit de facto conceſſa hæc facultas alijs Prælatis inferioribus Pontifice: quia vſus huius poteſtatis (caſu quo in aliquo daretur) rariſsimus eſſe debebat: & ideò non erat neceſſarium, in quolibet inveniri Prælato. Hæc communia ſunt inter Doctores, ſed inter illos eſt non modica controverſia, an hæc poteſtas diſpenſandi in præceptis divinis in Pontifice ex conceſsione divina reperiatur? Et omiſsis circa hoc varijs ſententijs, duplicem tantummodò dabimus.

Poſſe Pontificem diſpenſare in lege divina aliqui dicunt.

25 Prima ſententia dicit, poſſe diſpenſare Pontificem, non in omnibus, ſed in aliquibus præceptis divinis, in quibus maius obſequium Dei eſſet concedere diſpenſationem, quæ jus divinum integrè præcipit obſervari. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 6. *num.* 6. Canus *relectione de pœnit. part.* 5. *ad finem*, Bonacin. *diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *n.* 13. Et ratio illorum eſt, quia poteſt ſummus Pontifex diſpenſare in matrimonio rato, non conſummato, cuius indiſſolubilitas eſt de jure naturæ: in matrimonio ſpirituali, quod eſt inter Epiſcopum, & eccleſiam, quod etiam eſt de jure divino: in reſidentia Epiſcoporum, ſimiliter diſpenſat, vt miniſter ordinis, & confirmationis ſit alius Sacerdos præter Epiſcopum, & tamen Epiſcopus eſt miniſter ex jure divino illorum ſacramentorum. Diſpenſat in votis ſolemnibus profeſsionis religioſæ, quæ tamen ſunt ſecundum D. Thom. obligatoria ex jure divino; ac tandem multoties diſpenſavit in integritate ſacrificij miſſæ, quod videlicèt conſecraretur in ſolo pane, & non in vino, vt plures teſtantur Authores; & tamen integritas ſacrificij eſt de jure divino. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

Verius eſt non poſſe Pontificem in lege divina diſpenſare.

26 Probabilior autem eſt ſententia negans poſſe Pontificem in præcepto aliquo divino diſpenſare. Et ratio eſt, quia Pontifex ex ſe hoc non poteſt, vt patet. Nec ex Dei conceſsione, quia non conſtat eum talem facultatem à Deo recepiſſe. Nam ſi ex aliquo loco, maximè ex illo: *Quodcumque ligaveritis ſuper terram*, &c. ſed ex hoc non, quia illa verba generalia ſunt: & ex generalibus verbis non colligitur conceſsio ita gravis, & extraordinaria, quæ ob ſui gravitatem ſpecialem facultatem depoſcebat; aliàs, cum verba generalia ſint, dicendum eſſet, ex illis recepiſſe poteſtatem diſpenſandi in omnibus præceptis divinis; quod eſt falſum, nec eſt facile aſſignare diſparitatem, cur in vno, & non in alio? Et ſic poſſet diſpenſare, quod in caſu, in quo aqua naturalis non eſſet, & moreretur parvulus abſque baptiſmo, poſſet baptizari aqua roſacea. Poſſet diſpenſare quod, imminente gravi damno communi, frangeretur ſigillum confeſsionis. Quod in terris, vbi non eſt panis triticeus, conſecretur in alio pane. Quod in caſu gravis neceſsitatis non Sacerdos poſſet ſacramentaliter abſolvere, quæ ſunt abſurdiſsima. Ideòque non poſſe, fatendum eſt, quia firmitas horum præceptorum magis expedit eccleſiæ, quàm prodeſſe poterat, quod in aliquo caſu daretur in terris facultas in illis diſpenſandi. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *ad* 3. Suar. *lib.* 10. *cap.* 6. *n.* 6. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 3. *n.* 5. Baſil. *de matrim. lib.* 8. *cap.* 3. *n.* 2. Salas *diſp.* 24. *ſect.* 5. *n.* 33.

Solvuntur argumenta contraria.

27 Ad contrarium argumentum reſpondetur, quod plura ex illis præceptis non ſunt ex jure divino poſitivo, ſed ex jure naturali in his, quæ dependent ex voluntate hominis, vt in matrimonio ſpirituali, & carnali, & in aſsiſtentia Epiſcoporum contingit, de quibus iam diximus, poſſe diſpenſare ob ſpecialem rationem (ſi verè in omnibus enumeratis poteſt.) In ordine autem, & confirmatione non eſt ex jure divino Epiſcopus miniſter neceſſarius, ſed ordinarius: quod non tollit ex diſpenſatione Pontificis, poſſe alium, qui non eſt Epiſcopus, aliquos ordines conferre, & ſacramentum confirmationis, vt diximus *tract.* 8. *de Ordin. cap.* 4. *n.* 17. In integritate ſacrificij verius eſt, non poſſe Pontificem diſpenſare, & ideò plures Doctores negant, talem diſpenſationem vnquam præſtitiſſe. Sed ſi verè aliquando id fecit, dicendum eſt conformari voluiſſe probabili contrariæ opinioni, aſſerenti poſſe ipſum aliquando in jure divino diſpenſare: vel alteri opinioni probabili, quæ dicit, non eſſe de jure divino integritatem ſacrificij ſub vtraque ſpecie celebrati.

PUNCTUM IV.

De his, in quibus eſt poteſtas diſpenſandi in lege humana, & reſpectu quorum eam exercere valent?

Quę ſit poteſtas diſpenſandi ordinaria, & delegata?

28 POteſtas diſpenſandi in legibus alia dicitur ordinaria, & eſt illa, quæ alicui convenit ex vi ſui muneris, & oficij; alia eſt delegata, illa ſcilicèt, quæ ex conceſsione habentis illam jure ordinario convenit. Vnde quatuor in hoc puncto nobis agenda ſunt. Primum, in quibus ſit jure ordinario poteſtas diſpenſandi in legibus? Secundum, an inferior poſsit

poſsit in lege ſuperioris diſpenſare? Tertium, in quibus ſit poteſtas delegata? Quartum, reſpectu quorum diſpenſativa poteſtas poſsit exerceri?

§. I.

In quibus ſit ordinaria poteſtas diſpenſandi in legibus?

Legislator in ſua lege diſpenſare poteſt.

29 SIt regula generalis. Omnis qui legem fert, ſive ſit ſupremus Princeps, ſive inferior, poteſt in lege à ſe lata diſpenſare. Hæc eſt communis ſententia Doctorum: nam obligatio legis ab illius dependet voluntate: ergo poterit eximere ab ea, quem voluerit. Vndè ſicut per eius voluntatem obtinet reſpectu omnium vigorem, ſic per eius voluntatem poteſt amittere illum reſpectu alicuius: nam omnis res, per quas cauſas introducitur, per eaſdem diſſolvitur. Quod maximè habet locum in actibus juriſdictionis. Vndè tàm Legislator, quàm eius ſucceſſor in munere, qui æqualem cum illo habet poteſtatem, quam ſuperior, qui reſpectu Legislatoris habet juriſdictionem, poſſunt in legibus ab eo latis diſpenſare. Et ſic omnes illi, de quibus diximus *cap. 3. punct.* 1. & 2. poſſe leges ferre; & omnes, de quibus diximus *cap. 4. punct. 2. §.* 2. poſſe leges abrogare, poſſunt in illis diſpenſare: quia qui poteſt maius, poteſt, & minus.

Pontifex in omnibus legibus canonicis poteſt diſpenſare.

30 Ex quo ſequitur, ſummum Pontificem poſſe diſpenſare in omnibus legibus canonicis, & eccleſiaſticis à quocumque Legislatore ſancitis, etiam in eis, quæ latæ ſunt ab Apoſtolis, vt erant particulares Prælati, & Epiſcopi eccleſiarum; vt eſt jeiunium quadrageſimale, obſervatio feſtorum in diebus dominicis, lex de non ordinando bigamo: quia ſummus Pontifex æqualis eſt in poteſtate, & juriſdictione cum Apoſtolis. Ita Div. Thom. *quodlibet. 4. articul. 13.* quem omnes ſequuntur. Non verò poteſt diſpenſare in illis legibus traditis ab Apoſtolis, quas à Chriſto Domino, tanquam ab Auctore principali, acceperunt, vt ſunt omnes quæ pertinent ad formas, & materias ſacramentorum, & ad illorum vſum, & ſacrificij oblationem, quia iſtæ ſunt divinæ, de quibus diximus *num. 26.* non poſſe Pontificem in eis diſpenſare.

Epiſcopus in omnibus legibus diœceſanis independenter ab alijs.

31 Sequitur ſecundò, Epiſcopum (& idem eſt dicendum de Archiepiſcopo, & Patriarcha) poſſe diſpenſare in omnibus ſtatutis epiſcopalibus, & etiam in illis, quæ latæ ſunt à ſynodo diœceſana: & hoc etiam independenter à Capitulo, vel inconſultis clericis, qui ad talem ſynodum concurrerunt. Siquidem nullus eorum habet votum deciſivum in eo, ſed ſe habent dumtaxat, vt conſulentes, vt res maturius decernantur. Epiſcopus autem eſt abſolutè ibi ſolus Legislator: & ſic non adſtringitur legibus ſynodalibus vi coactiva, ſed ſolum directiva, ſicut alij Legislatores tenentur ſuis legibus: & hoc ſive dicatur, Epiſcopum à Deo immediatè juriſdictionem accepiſſe, ſive dicatur à ſummo Pontifice eam habere receptam, quia ſemper eam habet abſolutam, & à clericis independentem, cap. *At ſi clericis, de judicijs*, cap. *Cum ex eo, de elect. in 6.* niſi in caſibus expreſsis in jure, nimirum in his, quæ cedere poſſunt in præjudicium eccleſiæ, vel Capituli contra proprium illorum jus. Suarez *lib. 6. cap. 15. num. 19.* Baſil. *de matrimon. lib. 8. cap. 5. n. 4.* Tapia *lib. 4. q. 20. n. 8.* Palaus *tract. 3. diſput. 6. punct. 6. n. 13.* Bonac. *diſp. 1. q. 2. punct. 1. n. 5.* Sanch. *lib. 8. de matrim. diſp. 17. n. 33.* Et hoc verum eſt, ſive Epiſcopus ſit tantum electus, & confirmatus: quia diſpenſatio non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis, quam per electionem, & confirmationem recipit Epiſcopus.

Quid poſsit Vicarius generalis?

32 Sed hìc eſt notandum, quod Vicarius generalis Epiſcopi, qui dicitur Proviſor, non poteſt in legibus epiſcopalibus diſpenſare, niſi ab Epiſcopo expreſsè talem facultatem recipiat: quia diſpenſatio non continetur in generali mandato, cum ſit ſpecialis actus Legislatoris, cui reſervatus cenſetur, niſi expreſsè concedatur. Sanchez *lib. 2. de matrimon. diſput. 40. num. 12.* Henriquez *lib. 12. cap. 3. num. 2.* Poterit tamen Capitulum, ſede vacante, diſpenſare in omnibus legibus, in quibus poterat Epiſcopus: quia ſuccedit Epiſcopo quoad omnem juriſdictionem, & alios actus, qui conſecrationem epiſcopalem non requirunt, vt eſt hic, de quo loquimur. Idem Sanchez *lib. 8. de matrimon. diſp. 2. num. 1.* Tapia *lib. 4. quæſt. 20. art. 3. num. 2.*

Epiſcopus non poteſt diſpẽſare in legibus Cõcilij provincialis.

33 Sed inquires, an Epiſcopus, vel Archiepiſcopus Metropolitanus poſsit diſpenſare in legibus Concilij provincialis? Reſpondetur, quod nec Archiepiſcopus poteſt in his legibus diſpenſare jure ordinario, in ordine ad alias terras extra ſuam diœceſim, reſpectu quarum non habet juriſdictionem Epiſcopalem. In ſua verò diœceſi poterit, tàm Epiſcopus, quàm Archiepiſcopus in legibus Concilij provincialis diſpenſare, niſi ſint ſpecialiter reſervatæ (ſi enim ſint ſpecialiter reſervatæ à Concilio, nullus eorum poterit, ſed vel expectandum eſt, quod aliud Concilium congregetur, vel adeundus eſt ſummus Pontifex pro diſpenſatione, ſi neceſsitas poſtulaverit.) Probatur, quod in ſua vnuſquiſque diœceſi poteſt in his legibus diſpenſare: quia ita habet conſuetudo legitimè introducta, quæ fortè ortum duxit, ex eo quod ipſi Prælati in tali Concilio conjuncti, ſingulis Epiſcopis hanc facultatem tacitè conceſſerunt in ordine ad ſuas terras: quia neceſſaria erat ad bonum regimen ſuorum ſubditorum, cum non ſit ita facilis ad Pontificem recurſus, & Concilium novum congregare difficile. Sanch. *lib. 8. diſp. 17. à n. 35.* Bonacin. *diſp. 1. q. 2. punct. 1. n. 14.* Tapia *lib. 4. q. 20. art. 7.* Suar. *lib. 6. cap. 14. fin.* Palaus *tract. 3. diſp. 6. punct. 6. n. 11.* Salas *diſp. 20. ſect. 4. n. 46.*

Nec Archiepiſcopus poteſt in dictis legibus diſpenſare.

34 Quod verò Metropolitanus Archiepiſcopus non poſsit in legibus Concilij provincialis diſpenſare pro tota provincia, probatur: quia ipſe eſt ſynodo inferior, in quo habent votum deciſivum omnes Prælati congregati, & ſolum dicitur caput Concilij, quoad vniendum, & congregandum Concilium, vt ipſi concedit Tridentinum *ſeſſ. 24. capit. 2.* Nec eſt ſuperior alijs quoad juriſdictionem, ſed quoad dignitatem, & locum, vt debeat in Concilio præſidere, & primum locum occupare; ſicut Decanus, vel Canonicus ſenior in Capitulo cathedralis. Vndè tàm Archiepiſcopus, quàm reliqui Epiſcopi, tenentur ex vi coactiva leges obſervare Concilij, & ab ipſis ad Concilium provinciale datur appellatio, vt tradit gloſſa in capit. *final.* capit. *A collatione, de appellationibus in 6.* Quæ omnia probant, Archiepiſcopum eſſe inferiorem Concilio; & idcò non poſſe ex jure ordinario

in

in legibus illius diſpenſare pro tota provincia, ſeu regno. Ita Sanch.*n.*36.Palaus *n.*11. Gordon. *lib.*2. *q.*13.*n.*9. Baſil.Suar.Bonac.Tapia *loc.cit.*

Duo notanda circa dicta.

35 Sed circa poteſtatem, quam diximus Legiſlatorem habere diſpenſandum in proprijs legibus, duo notanda ſunt. Primum, poſſe in illis diſpenſare, etiamſi juramento eas confirmaverit: quia ſemper juramentum habet ſubintellectam conditionem æquitatis, hoc eſt,non eſſe diſpenſandum, niſi cauſa juſta interveniat. Sanch. *de matrimon.lib.*8. *diſp.* 17.*num.*33.Salas *diſp.*20.*ſect.* 4.*num.*42. Baſil.*lib.* 8. *cap.*5.*n.*1.& 5.Palaus *tract.*3.*diſp.*6.*punct.* 4.*n.* 4. ¶ Secundum, quod lex, ſive confirmata fuerit juramento, ſive non, ſi tranſeat in contractum, vel commodum alterius, non poteſt diſpenſari à ſuo Legislatore:vt ſi dicat,*gaudeant immunitate omnes, qui in tali civitate habitaverint, vel ad eam venerint*: non poteſt Legislator facere, quod de facto iam habitantes, vel venientes, non gaudeant immunitate; non quia non poſsit in ſua lege diſpenſare, ſed quia non poteſt diſpenſare in jure naturali,obligante ad ſervandum contractum initum. Sanchez *n.*29.Silveſt.*verb.Diſpenſatio,q.*13.*n.*19. Barboſ.2. *p.allegat.*34.*n.*6.

§. II.

An inferior poſsit diſpenſare in lege ſuperioris?

Si ſuperior ſibi legẽ reſervet, nullus inferior poteſt in ea diſpenſare.

36 QUæ ſunt in hac parte certa inter Doctores,prius proponemus, poſteà ad id, in quo eſt inter eos dubium,adventabimus.Loquemur ergo de Eſpiſcopis in ordine ad leges pontificias, claritatis gratia:& quod dictum fuerit de eis, ſentiendum eſt de alijs Prælatis inferioribus habentibus juriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos, reſpectu legum ſuperioris; nimirum de magiſtratibus in ordine ad legesPrincipum, vel de alijs Prælatis in ordine ad leges pontificias, vel aliorum ſuperiorum. Et in primis eſt certum, quod ſi ſuperior reſervaverit ſibi diſpenſationem legum, nullus inferior abſque ſuperioris licentia poterit in eis diſpenſare : quia tunc principaliter habet locum generalis regula, quod inferior non poteſt acta ſuperioris infringere; cum in eum nullam habeat juriſdictionem, aut poteſtatem. Similiter eſt certum, quod ſi ſuperior tacitè, vel expreſsè concedat inferiori facultatem diſpenſandi in ſuis legibus, poterit ille juxta formam ſibi datam illam impertiri; ſiquidem ſuperior habet poteſtatem diſpenſativam ordinariam, & ſic eam poterit delegare. Quare dubium eſt, quando hanc poteſtatem conceſſerit de facto ſummus Pontifex Epiſcopo ad diſpenſandum in legibus à ſe latis? Conveniunt Doctores, quod in caſibus ſequentibus.

Quando in jure datur poteſtas,poteſt inferior diſpẽſare in lege ſuperioris.

37 Primò, ſi lex ſuperioris abſolutè permittat diſpenſare, quamvis diſpenſatorem non deſignet, vt ſi dicat: *Præcipimus, donec in eo diſpenſetur*: vt in cap. *Poſtulaſtis, de Cleric. excommunic. miniſt.*dicitur, excommunicatum non poſſe retinere beneficia, *niſi cum eo miſericorditer fuerit diſpenſatum*: quia aliàs illa verba eſſent ſuperflua, nullumque effectum haberent, quia non dirigeretur ad ſuperiorem, qui independenter à tali jure poterat talem diſpenſationem impertiri. Dirigitur ergo ad inferiorem, nempè Epiſcopum, vt poſsit in tali lege diſpenſare. Et ſi aliquando in jure, poſt conceſſam poteſtatem diſpenſandi,determinantur Epiſcopi, ad quos dirigitur illa poteſtas, vt in Tridentin. *ſeſſ.*24.*cap.*6. conceditur Epiſcopis determinatè, quod poſsint in caſibus occultis, & irregularitatibus diſpenſare,& in alijs juribus; hoc non fit ex neceſsitate, ſed ad tollendam omnem ambiguitatem, quia,etiam ſi ipſi deſignati non eſſent,ſufficeret dicere, in illla lege poſſe diſpenſari, vt cenſeatur Epiſcopis hæc facultas in ordine ad talem legem competere. Ita Caietan. 1.2.*q.*97.*art.*4.Tapia *lib.*4.*q.*20.*art.*5.*n.*5.Bonac.*diſp.*1.*q.* 2.*punct.* 1.*n.* 17.Sanch.*lib.* 8. *de matrim.diſput.*5.*n.*1.Suar.*lib.*6. *cap.*14.*n.*8.Martin.*q.*97.*art.*4.*dub.* 2. Sylveſt. *verb. Diſpenſatio n.*14.Palaus *tract.*3.*diſp.*6.*punct.* 5.*n.* 1.Baſil.*lib.*8.*cap.*6.*n.*5.

In rebus parvi momenti & frequenter occurrentibus inferior poteſt diſpenſare.

38 Secundò, ſi materia non ſit magni momenti, quia nimirum non obligat ad peccatum,vel non obligat ad mortale, ſed veniale: quia eo ipſo, quod ſuperior Prælatos inferiores conſtituat,cenſetur illis concedere facultatem diſpenſandi in his rebus: quia nimis moleſtum eſſet in rebus minimis ad ſuperiorem ſemper recurrere. Caietan. Tapia, Suar. Bonac.& Martin.¶ Tertiò in rebus,quæ communiter eveniunt, vt in jeiunijs, eſu ciborum vetitorum, obſervatione feſtorum, recitatione officij divini, votis ſimplicibus non reſervatis: in his ergo poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſuis ſubditis(ex juſta cauſa, quod ſemper in hoc puncto ſubintelligitur, de quo puncto ſequenti ex profeſſo agemus) quia recta ratio regiminis petit, vt quæ frequenter accidunt diſpenſanda, habeant facilem, & promptum recurſum ad ſuperiorem: eſſet quippè nimis durum pro his rebus frequentibus, ad ſedem apoſtolicam recurrere. Ita Granad.*tract.*3.*p.*2. *diſp.* 1. *ſect.* 1.*n.*5.Palaus *ſupr.n.*5.Baſil.*lib.*8. *cap.*6. *n.* 5. Soto 1. *de juſt.q.*7.*art.*3.Tapia *n.*7.Suar. Bonac. & Martin.*ſupr.*

De alijs legibus,in quibus inferior poteſt diſpẽſare.

39 Quartò in legibus Pontificis, quæ non pro tota eccleſia feruntur, ſed pro aliqua provincia, civitate, aut communitate. Tum, quia hoc ipſo, quod feratur pro illa provincia, aut civitate lex, cenſetur induere conditiones legis particularis illius diœceſis, aut provinciæ; & ſic ad Rectorem illius pertinet illa diſpenſatio. Tum etiam, quia cum illa lex lata ſit propter bonum particulare illius loci, videtur Pontifex tacitè relinquere diſpenſationem illius inferiori Prælato, cui illius loci gubernatio incumbit. Granad. *num.* 7. Valentia *diſp.*7.*q.*5.*punct.* 9. Caietanus *q.* 97. *art.* 4.Sotus *lib.*1.*q.* 7.*art.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 7. Tapia *num.* 8. ¶ Quintò poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in generalibus legibus pontificijs, ſive ſint de impedimentis matrimonij, ſive de irregularitatibus, ſive de votis reſervatis, ſive de alijs gravioribus, quando non eſt facilis aditus ad Pontificem, & eſt periculum in mora: quia æquitas juris, & bonum commune, & regimen prudens id efflagitat. Salas *diſp.* 20.*ſect.* 3. *num.* 25. Baſilius *lib.*8. *cap.*6.*num.*7.Sanch.*de matrimon. lib.*8.*diſp.*6.*n.*20.& *lib.*2.*diſp.* 40.*num.* 3. Palaus *ſupr.num.*7.Granad. *num.* 8. *citat.* Martin. *dub.* 2. Tapia *n.*9. & nos diximus latè *tract.* 9. *de matrim. cap.*14.*punct.*1.*n.*7. agentes de diſpenſatione pro impedimentis matrimonij. Et hæc doctrina locum habet, etiamſi facilis recurſus ad eum, qui ex privilegio, vel conceſsione Pontificis poteſt talem

lem dispensationem impertiri: quia, supposito quod ad Pontificem non sit facilis recursus, ipsis Episcopis ex jure ordinario hæc facultas convenit, vt docent Tapia, & Martin. & nos in simili casu diximus circa absolutionem à censuris reservatis, *tract.* 10. *cap.*2. *punct.*5. *n.*65.

Quando consuetudo est de hoc, potest inferior dispensare.

40 Sextò in casibus, in quibus est consuetudo introducta, vt inferior possit dispensare in lege superioris, quia per consuetudinem acquiritur jurisdictio, cap. *Cum contingat, de foro competent.* Vndè Tapia, & Suarez asserunt, Parochum posse dispensare cum suis ovibus in jeiunijs ecclesiasticis, & in observatione festorum, vbi non est facilis recursus ad Episcopum; imò etiam si Episcopus adiri posset, ex consuetudine in his duobus præceptis posse Parochum dispensare, testatur Granad. *supr. n.*9. Sanch. *lib.*3. *de matrim. disp.*9. *n.*27. Sylvest. citatus à Tapia *n.*11. quod ipse non contradicit; sed non est extendenda hæc facultas ad alia præcepta (asserunt dicti Authores) quia solum in assignatis est introducta consuetudo, non in alijs. In omnibus dictis casibus potest inferior in lege superioris dispensare jure ordinario, quia talis potestas competit ei ex vi sui muneris, & officij, & est perpetua, quæ sunt conditiones ordinariæ potestatis. Vnde facultas, quam habent Prælati religionum ad dispensandum cum suis subditis, est illis ordinaria, licèt eam habeant ex privilegio, quia est perpetuo annexa officio, illudque comitatur. Suarez *lib.*6. *cap.*15. *n.*1. Tapia *lib.* 4. *q.*20. *art.*5. *n.*12. Basil. *lib.*8. *cap.*6. *n.*9. Palaus *supr. num.*12.

Sententia dicens, in omni eventu posse inferiorē dispensare in lege superioris.

41 His suppositis, gravis modo restat difficultas, an præter dictos casus possit inferior in lege superioris dispensare? Quod est quærere, an in omni eventu, in quo lex superioris non reservet expressè dispensationem sui ipsi superiori, possit inferior in tali lege dispensare? Prima sententia est affirmativa, quam tenet Covarr. cap. *Alma mater*, 1. *p.* §. 7. *n.* 8. D. Anton. 1. *p. tit.* 17. *n.*8. Soto *in* 4. *dist.*27. *q.* 1. *art.* 4. §. *At quo tandem*: quam probabilem dicunt Bonacin. Palaus infra citandi, & Machad. *tom.*1. *lib.*3. *p.*4. *tract.*4. *docum.*6. *n.*2. & probatur primò, nam ab excommunicatione lata in corpore juris, & non reservata potest quilibet inferior absolvere, ex cap. *Nuper, de sentent. excommunic.* Et ratio redditur in illo textu, quòd hoc ipso quod superior illam non reservaverit, censetur absolutionem eius inferiori remittere, vt diximus *tract.* 10. *de Censur. cap.* 2. *punct.*4. *n.*42. ergo similiter, hoc ipso quod superior dispensationem legis sibi non reservet, censetur eam committere inferioribus Prælatis.

Solutio fundamenti, & enervatio eius.

42 Nec satisfacit, quod communiter respondent Doctores, nimirum, quod dispensatio est odiosa, quia est in damnum legis, & sic strictè est interpretanda, intelligendaque solum, quando non reservatur. At absolutio, cum sit impletio legis præcipientis, vt rectè dispositio impendatur, omninò est favorabilis, & sic est amplianda, & judicandum, quod hoc ipso, quod non reservetur, concedi censeatur. ¶ Sed contra est, quia hic non agimus de dispensatione, sed de ipsa potestate dispensandi; at sic est, quod licèt dispensatio sit odiosa, & strictè interpretanda, non tamen potestas dispensandi: quia talis potestas, cum non sit contra legem, sed beneficium Principis, nemini nocivum, latè est interpretanda, vt hoc puncto dicemus. ¶ Et confirmatur præcedens ratio: quia sæpè superior reservat dispensationem legis à se constitutæ: ergo, quando non reservat, censetur talem dispensationem remittere inferiori, aliàs ad quid reservaret, si hoc ipso quod non reservet, nec expressè inferiori concedat, censeretur huiusmodi dispensatio legis illis reservata?

Verius est, nō posse inferiorem in omni lege non reservata dispensare.

43 Securior tamen, & probabilior est communis sententia negans, asserensque, quod non potest inferior in lege superioris dispensare, per hoc quod talis dispensatio reservata non sit, nisi ex alijs capitibus illi talis facultas proveniat, vt in casibus supra enumeratis. Et ratio est, quia inferior non habet jurisdictionem in acta, & decreta superioris, nisi tacitè, vel expressè ab eo recipiat facultatem, cap. *Cum inferior, de maiorit. & obedient.* Clement. *Ne romani, de electione*: vbi cavetur, inferiorem non posse superioris jura mutare, nisi ex ipsius consensu; sed non censetur superior concedere hanc facultatem inferiori, per hoc quod dispensationem non reservet, argumento ex cap. *Dilectus, de temporib. ordinand.* vbi condemnatur Episcopus, qui vno die plures sacros ordines contulerat: eo quod non erat ei jure permissum: & dicere poterat, nec esse ei in jure prohibitum, & sic non esse condemnandum: quia hoc ipso quod ei in jure non prohibeatur, permittitur. At oppositum infert Pontifex, quod hoc ipso, quod non permittitur, prohibetur: ergo similiter, hoc ipso quod lex non permittat inferiorem dispensare, censetur hoc illi prohibere. Et ideò Episcopi non possunt dispensare in pluribus irregularitatibus, & inhabilitatibus, quia non invenitur in jure eis concessum, quamvis nec etiam in jure eis sit prohibitum: non sufficit ergo, quod in jure non reservetur dispensatio legis, vt inferiori committi censeatur. Sic docet D. Thom. *q.*97. *art.*4. *ad* 3. Granad. *controv.* 7. *tract.*3. *p.*2. *disp.*17. *sect.*1. *n.*4. Martin. *q.* 97. *art.* 4. *dub.*2. Tapia *lib.*4. *q.*20. *art.* 5. *num.* 4. Suar. *lib.* 6. *cap.*14. *num.*4. Palaus *tract.* 3. *disput.*6. *punct.*4. *n.*8. Sanch. *de matrimon. lib.*2. *disput.*5. *n.* 9. & *lib.* 2. *disp.*40. *num.*1. Basil. *lib.* 8. *cap.*8. *n.*1. Salas *disput.* 20. *sect.* 3. *num.*20. Arauj. 1. 2. *quæst.* 97. *disput.* 3. *sect.*7. *diffic.*2. Bonacin. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.*1. *num.*17.

Solvitur cōtrariū fundamentum.

44 Ad contrarium fundamentum respondetur esse disparem rationem inter facultatem dispensandi, & absolvendi: quod cum absolutio à censuris sit omninò necessaria ad recipienda sacramenta, & ad plura bona spiritualia perfruenda, voluit Pontifex in eo capite concedere hanc facultatem proprio cuiusvis Sacerdoti, hoc ipso, quod eam sibi non reservaverit. At facultas dispensandi in legibus extra casus supra assignatos, non est omninò necessaria, nec trahit carentia illius dicta inconvenientia; ideòque jus non disposuit, quod hoc ipso quod non reservetur, censeatur inferiori concessa. ¶ Ad confirmationem dicimus, multoties leges reservare expressè superiori dispensationem, ad maiorem cautelam, quia abundans cautela non nocet, ne videatur in communi concessione ad dispensandum inclusa.

Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?

45 Sed inquires primò, an si dubium sit, an casus occurrens indigeat dispensatione, possit inferior, vel declarare non indigere, vel saltem dispensare? Respondetur, quod si dubium sit positivum, nempè cum probabili opinione coniunctum, quod non est necessaria dispensatio, potest subditus eam sequendo absque vlla dispensatione contra legem agere. At si dubium sit purè negativum, probabilius judicamus, adhuc

in

in eo caſu poſſe ſubditum contra legem agere: quia, vt diximus *cap. 2. huius tract. num. 110.* quando dubitatur, an lex extendatur, necne, ad dictum caſum, non eſt poſſeſsio pro lege, ſed pro inferioris libertate. Conſultius tamen erit in eo caſu Prælatum adire, vt declaret, legem non extendi ad eum caſum. Eſto tamen ſubditus teneretur obſervare legem in eo caſu. Dicimus Prælatum inferiorem poſſe diſpenſare in lege ſuperioris in tali eventu. Tum, quia non videtur reſervatus caſus dubius, ſed certus. Tum etiam, quia in caſibus, qui frequenter accidunt, diſpenſare poteſt inferior in lege ſuperioris, vt diximus *num. 38.* ſed frequenter contingit dubitare de neceſsitate diſpenſationis: ergo, &c. Ita Palaus *tract. 3. diſp. 6. punct. 5. num. 10.* Sà *verb. Diſpenſatio, num. 1.* Dian. *4. part. tract. 3. reſolut. 40.* Laym. *tract. 4. cap. 2. num. 4.* Et loquendo de voto reſervato, quando eſt dubium, an indigeat diſpenſatione, vel non, vel an ſit reſervatum? Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 26. n. 6.* Sanch. *in decalog. lib. 4. cap. 20. n. 26.*

Quid, ſi dubium ſit de ſufficienti cauſa?

46 Quando verò ſuboritur dubium circa cauſam, an ſit ſufficiens, necne, ad diſpenſandum, poteſt inferior Prælatus in lege ſuperioris diſpenſare, vt in jeiunijs, abſtinentia carnium, &c. vt docent Cajetanus 2. 2. *q.* 47. *art.* 4. Sylveſt. *verb. Diſpenſatio, quæſt.* 14. *n.* 2. Granad. *controv. 7. diſput. 6. ſect. 1. num.* 2. Qui etiam putant, eſſe ſufficientem cauſam ad diſpenſandum in jeiunio, aut recitatione, quòd dubitet ſubditus an indigeat, vel non, diſpenſatione. Ex quo patet, imprudenter ſe gerere aliquos Prælatos, qui, dubitantibus ſubditis, an teneantur officium recitare, jeiunare, à carnibus abſtinere, remittunt eos ſuæ conſcientiæ, quando ſunt literati, & timorati, vt ſecundum eam operentur. Rectè quidem non faciunt, quia ipſi ſubditi non poſſunt in dubio de cauſa excuſante à lege contra illam operari, quia lex poſsidet, & ob dubiam cauſam non eſt expolianda ſuo robore ad obligandum. At Prælati poſſunt diſpenſare in tali dubio, & ſic conſultius erit, vel negare licentiam, vel diſpenſationem impertiri.

An poſsit Prælatus diſpenſationi onus adjicere?

47 Inquires ſecundò, an Prælatus, ſeu inferior, ſeu ſuperior, poſsit diſpenſationem ſimul cum commutatione conjungere, & diſpenſando in legibus, in quibus poteſt diſpenſare, imponere aliquod opus pium exercendum, quod loco actus per legem præcepti ſubrogetur, vt aliquam eleemoſynam, orationem, aliudve opus virtutis? Sicut in votis, & juramentis ſimul cum diſpenſatione admiſcetur commutatio modo dicto. Et ratio dubitandi eſt, quia in Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 28. de Reformatione*, præcipitur, vt omnis diſpenſatio gratis fiat: & quia videtur ſpeciem ſimoniæ præſeferre, ſi pro diſpenſatione, vel obſervatione legis, quæ eſt res ſpiritualis, aſsignaretur aliquod onus pecuniæ, quod eſt temporale. Propter quod ſunt graves Authores, qui negant inferiorem Prælatum in lege ſuperioris, poſſe diſpenſare, addito aliquo onere pecuniario, aut quocumque alio; & etiam ipſum Legislatorem poſſe tale onus imponere, quando diſpenſatio eſt debita, & neceſsaria.

Poteſt diſpenſans cõjungere cõmutationem diſpenſationi.

48 Cæterùm dicendum eſt, quod, ſive diſpenſatio ſit debita, ſive non, ſive ab inferiori Prælato, ſive à ſuperiori impendatur, poteſt cum illa commutatio adjungi, & pro opere præcepto aliquod opus pium ſubrogari (licèt hoc non ſit neceſſarium, quia abſque eo poteſt diſpenſatio impendi) vt ſi in jeiunio, vel obſervatione feſtorum diſpenſetur, & loco illius aliqua eleemoſyna imponatur, non tamen per modum ſtipendij diſpenſatori advenientis (quod, & non amplius prohibet Concilium *loc. citat.*) Nam cum ſit ſubſtitutio vnius operis ſpiritualis pro alio opere ſpirituali, nulla datur ſpecies ſimoniæ, nec in hoc onere imponendo alicui irrogatur injuſtitia. Nam ſi non eſt debita diſpenſatio, ſicut poteſt eam negare ſuperior, ſic poteſt aliquod opus pium loco rei præceptæ ſubrogare. Si eſt debita, iam tribuendo diſpenſationem ſatisfacit ſuperior neceſsitati ſubditi liberandi ſe ab illa obligatione, & ſic nihil prohibet, quod loco illius aliam ſubſtituat, à qua liberare non habet neceſsitatem. Et ideò in cap. *Licèt, de ferijs*, Pontifex diſpenſavit, quod quodam die feſti piſcatio fieret, addito onere alicuius eleemoſynæ. Et in curia romana frequenter diſpenſatur, impoſita mulcta pecuniaria, vel onere eleemoſynæ in impedimentis matrimonij, alijſque inhabilitatibus. Et ſapientiſsimus Dominus D. Fr. Petrus à Tapia teſtatur de praxi Epiſcoporum, qui diſpenſant tempore frugum in obſervatione feſtorum, impoſita aliqua eleemoſyna, vel alio opere pio: & poterat ſcire per experientiam, cum tot Epiſcopatus, nimirum Segobienſem, Seguntinum, Cordubenſem, & poſteà Archiepiſcopatum Hiſpalenſem ſanctiſsimè, ac prudentiſsimè rexerit. Sic ipſe *lib. 4. q. 20. artic. 9.* Caietan. 1. 2. *quæſt. 99. art. 4.* Gordon. *lib. 2. q. 13. cap. 4. n. 11.* Laym. *tract. 4. cap. 22. n. 28. & 29.* Suar. *lib. 6. cap. 16. n. 2. & 4.*

Duo notanda circa præ dicta.

49 Sed hìc duo notanda veniunt. Primum quod quando aliquod onus imponitur in diſpenſatione, quod ſubſtituatur loco rei præceptæ, debet eſſe proportionatum fini talis legis: & ideò loco jeiunij, & obſervationis feſtorum, poterit oratio, aut eleemoſyna ſubſtitui. Quando verò diſpenſatur, vt matrimonium fiat abſque proclamationibus debitis, non debet ſubſtitui eleemoſyna, aut jeiunium, quia nihil ad finem illius legis conducit; ſed quod abſtineant conjuges à conſummatione matrimonij, donec fiant diligentiæ neceſſariæ ad inquirendum, an aliquod impedimentum ſubſit. Tapia *loc. cit. num. 5.* Suarez *lib. 6. cap. 16. num. 9.* ¶ Secundum, quòd quando cauſa juſta diſpenſandi non adeſt, poteſt imponi illa mulcta pecuniaria: & ex illa reſultat ſufficiens cauſa diſpenſationis, vt in diſpenſatione impedimentorum matrimonij fieri ſolet, & in diſpenſatione, aut commutatione votorum virtute bullæ cruciatæ impenſa; in qua ſufficit eleemoſyna in ſubſidium cruciatæ impendenda pro cauſa illius. Suar. *dict. cap. 16. princ.* Palaus *tract. 3. diſput. 6. punct. 9. num. 1.*

§. III.

De poteſtate diſpenſandi in legibus delegata.

Quotmodis ſit poteſtas diſpenſativa delegata?

50 HActenus egimus de poteſtate ordinaria diſpenſandi, veniamus ad poteſtatem delegatam. Et ſciendum eſt, poteſtatem delegatam aliam eſſe ex jure, officio, & dignitati annexam; & hæc ordinariæ æquiparatur: aliam eſſe ab homine, & hæc eſt in duplici differentia: aliam per modum puræ commiſsionis, & in favorem certæ cauſæ, vel perſonæ, & hæc expirat

pirat morte concedentis, si res sit integra, & non inceptum judicium: nam si hoc inceptum fuerit, non expirat vsque dum finiatur, vt diximus *tract. 10. de Censur. cap. 1. n. 34.* Alia est per modum gratiæ in favorem delegati, quæ si absolutè conferatur (vt potestas concessa Regularibus ad absolvendum, vel dispensandum; & facultas concessa ab Episcopo Sacerdotibus approbatis ad confessiones) non expirat morte concedentis: *Decet enim concessum à Principe beneficium esse mansurum, regul. 16. jur. in 6.* & habetur cap. *Si tibi absenti, de præbendis, eod. lib.*

Qui habet potestatem ordinariam, eam potest delegare.

51 Igitur qui habet potestatem ordinariam dispensandi, potest eam alijs delegare, vt ipsa vtantur juxta formam ab ipso præscriptam. Nam potestas dispensandi est potestas jurisdictionis; sed potestas jurisdictionis ordinaria potest delegari, vt constat ex leg. *More, ff. de jurisdictione omnium judicum*: ergo, &c. Quod etiam verum est in casibus, in quibus inferior jure ordinario potest in legibus superioris dispensare, propter eandem rationem; nisi quod potestas dispensandi in inferiore est aliquando à superiore determinata personæ; vt si Episcopo concedatur facultas dispensandi per se ipsum, non per alium: & tunc dicitur potestas ordinaria limitata, & alligata privativè ipsi officio inferioris; vt concessio facta Episcopis à Trident. *sess. 24. cap. 6.* vt possint absolvere ab hæresi occulta per se ipsos, & non per suos Vicarios; & tunc non possunt eam delegare, quia est dignitati, & personæ conjuncta, ob maiorem industriam, & prudentiam, quæ in ea præsumitur. An verò, non obstante dicto decreto Concilij, possit Episcopus committere suo Vicario Generali absolutionem ab hæresi occulta in aliquo casu particulari? Vide quæ diximus *tract. 10. de Censur. cap. 2. à n. 54. vsque ad num. 59.*

Delegatus non potest subdelegare suam potestatem.

52 Delegatus, si potestatem purè delegatam obtineat, non potest eam subdelegare, quia delegatus non accipit eam potestatem, vt dominus, seu vt principalis causa; sed potius vt minister, & executor eius, qui talem potestatem habet ordinariam. Excipitur delegatus Papæ, vel cuiuscumque Principis supremi, qui potest talem facultatem subdelegare in his, quæ expressè non prohibentur sibi à superiore, cap. *final. §. 1. de officio, & potestate delegati.* Quia talis iam habet eam potestatem quasi ordinariam. Idem dicimus de delegato ab alio inferiore ad vniversitatem causarum, *leg. 1. §. An ab eo, ff. quis, & à quo*: quia propter generalitatem sibi commissam habet potestatem quasi ordinariam: & quando delegatus inferioris ordinarij habet ab eo expressam facultatem ad subdelegandam eam, quia tunc habet quasi ordinariam facultatem ex commissione ordinarij, leg. *Non distinguimus, §. vltim. de recept. arbit.*

Potestas dispensativa amplè est interpretanda.

53 Sed hìc est gravis difficultas, an potestas dispensativa, sive delegata, sive ordinaria, sit amplè interpretanda, vel restringenda, & in dubio judicandum non dari, vel in favorem illius judicandum? Et distinguimus potestatem dispensandi ab ipsa dispensatione, de qua statim loquemur. Dicimus ergo, quod si potestas dispensandi sit in gratiam delegati dispensaturi concessa, quod contingit, quando delegatio est generalitèr facta quoad personas dispensandas absque expressione alicuius, vti se habet omnis potestas ordinaria, & illa quæ delegatur religiosis ad absolvendum, vel dispensandum in votis, juramentis, &c. in tali casu (nisi cedat in grave præjudicium alterius) amplianda est, quia potestas delegata, quæ respicit delegatum dispensaturum, est favorabilis juri, & bono communi, cum sit in favorem regiminis: & sic est beneficium Principis nemini nocivum, quod proinde est latè interpretandum. ¶ Vel est talis potestas concessa in favorem personæ dispensatæ: vt si ipsi concedatur, vt eligat dispensatorem (vt in bulla cruciatæ conceditur recipientibus eam) vel quando conceditur dispensaturo ad dispensandum cum aliqua determinata persona, sive fiat petitio à dispensaturo, sive ab ipso dispensatore, in ordine ad determinatam personam, tunc est strictè interpretanda, quia, licèt sit favorabilis personæ, est odiosa juri communi, cui derogat: & non sit nisi executio ipsius dispensationis, de qua statim dicemus esse odiosam, & strictè interpretandam. Sic Laym. *tract. 4. cap. 22. n. 6.* Gordon. *lib. 2. q. 13. num. 11.* Tapia *lib. 4. q. 20. art. 11. à n. 2.* Sanch. *de matrimon. lib. 8. disp. 2. n. 1. & 6.* Basil. *lib. 8. cap. 4. à num. 13.* & juxta hæc intelligenda sunt, quæ suprà *n. 10.* diximus.

Dispensatio est interpretanda strictè nisi in aliquibus casibus.

54 Ipsa verò dispensatio, vt iam diximus, odiosa est, ac strictè interpretanda, quia est vulnus ipsius legis. Sed non desinam hic adnotare has exceptiones inter alias huic generali regulæ adhibuisse Tapiam *lib. 4. quæst. 20. à num. 13.* Prima, quando dispensatio motu proprio à Principe expeditur, in publicam vtilitatem, quia tunc propriè est Principis beneficium favorabile bono communi, & sic latè interpretandum. ¶ Secunda, quando dispensatio est in corpore juris inserta, quia tunc habet vim legis favorabilis. ¶ Tertia, si concedatur communitati, aut toti Religioni, aut Conventui, quia quod conceditur communitati perfectæ capaci legis, æquivalet legi. ¶ Quarta, quando causa concedendi dispensationem est bonum publicum; vt si dispensetur in residentia beneficiarij, studij, vel alterius boni publici causa: quia tunc non tàm attenditur persona, quàm vtilitas publica. ¶ Quinta, quando dispensatio est debita, quia non tàm personæ fit favor, quàm causæ obliganti dispensare, quæ se tenet ex parte boni communis servando legem, vel justitiam. ¶ Sexta, quando, si non ampliatur vltra verba, redditur frustranea: vt si dispensetur cum aliquo, vt habeat plura beneficia, extenditur ad non residendum in altero eorum, si residentia in vtroque sit incompossibilis. ¶ Septima, quando dispensatur in aliquo genere, extenditur ad partes eius in illo inclusas. Ut si detur Episcopo dispensatio testandi, etiam datur faciendi codicillum, & donationem causa mortis, quia dispensatio testandi se habet, vt genus ad omnes dispensationes vltimæ voluntatis.

PUNCTUM V.

Respectu quorum possit dari dispensatio legum?

Quis potest respectu religiosorum dispensare.

55 CUm dispensatio sit actus jurisdictionis, solum in subditos potest exerceri. Unde omnes hi, quos diximus posse jure ordinario in legibus superioris dispensare, intelligendi sunt respectu suorum subditorum: & sic Episcopus

copus reſpectu ſæcularium poteſt in legibus pontificijs in caſibus §. 2. aſsignatis : & etiam reſpectu religioſorum, qui non ſunt exempti ab illius juriſdictione. At reſpectu religioſorum , qui ſunt exempti, poſſunt diſpenſare in omnibus caſibus , in quibus diximus Epiſcopos habere hanc poteſtatem reſpectu ſuorum ſubditorum, eorum Prælati , qui in illos habent juriſdictionem ordinariam, vt ſunt Generales reſpectu totius religionis ; Provinciales in ſua provincia, Priores,Guardiani, Abbates, Rectores in ſuo Conventu, & eorum Vicarij, ſcilicèt Suppriores , aut Vicerectores in eorum abſentia. Et ideò in omnibus legibus pontificijs , votis, juramentis , in quibus poſſunt diſpenſare Epiſcopi reſpectu clericorum , poſſunt dicti Prælati reſpectu ſuorum inferiorum , niſi aliquibus per leges eorum, aut ſuorum Superiorum mandato , talis facultas limitetur. Sanch. *lib. 4. ſummæ, cap. 39. num. 5. & 9.* Palaus *tract. 3. diſput. 6. punct. 7. §. 4. num. 2.* noſter Antonius à Spiritu Sancto *in ſuo Director. tract. 2. diſp. 1. ſect. 2. num. 118.* N. Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 55.* Et in caſu , quo impediti fuerint prædicti Prælati, poſſunt ſuos ſubditos ad Epiſcopum diœceſanum pro obtinenda aliqua diſpenſatione remittere, modo quo diximus *tract. 10. de Cenſur. cap. 2. num. 52.* poſſe Epiſcopos cum religioſis exemptis diſpenſare, vel eos abſolvere de licentia ſui Prælati ordinarij.

In quibus legibus poſſint Prælati regulares diſpenſare cũ ſuis ſubditis?

56 Vnde poſſunt dicti Prælati ex juſta cauſa diſpenſare cum ſuis religioſis circa jeiunia eccleſiæ , circa cibos vetitos,recitationem officij divini, obſervationem feſtorum , & circa alia,in quibus diximus inferiorem poſſe diſpenſare in legibus Superioris : & multo magis poterunt circa regulam , & conſtitutiones , in rebus levibus, & frequenter contingentibus ; niſi talis diſpenſatio in ipſa regula, aut conſtitutionibus ſit reſervata Superioribus : & cum nec regulæ , nec conſtitutiones noſtræ obligent ſub peccato mortali , & dixerimus inferiorem poſſe cum ſuis ſubditis diſpenſare in legibus Superiorum in rebus , quæ non obligant ad peccatum mortale , ſuprà *num. 38.* ſequitur , dictos Prælatos noſtræ religionis poſſe cum ſuis ſubditis in omnibus, quæ ſunt regulæ , & conſtitutionis , diſpenſare ex juſta cauſa ; niſi quando ſpecialiter talis diſpenſatio reſervatur Superioribus , aut Diffinitorio: non poterunt tamen in perpetuum in aliqua regula , vel conſtitutione cum aliquo diſpenſare, vel etiam parvo tempore , cum aliqua communitate : quia hi ſunt caſus extraordinarij rarò contingentes , & ſic reſervati Superioribus. Quemadmodùm non poteſt Epiſcopus cum clerico diſpenſare , vt numquam recitet officium divinum, aut quod tota civitas non obſervet jeiunium quadrageſimale : quia hi ſunt caſus extraordinarij Superioribus reſervati. Quæ verò cauſæ ſufficiant , vt Prælati cum ſuis ſubditis religioſis diſpenſent , vel in legibus pontificijs , vel in proprijs obſervantijs , illorum prudentiæ eſt remittendum. Aliquas aſsignat Fr. Anton. à Spiritu Sancto , & Lezana *loc. citat.* vbi videri poterunt.

Prælati poſſunt cũ ſuis familiaribus diſpenſare.

57 Sed hìc notanda ſunt duo. Primum,quòd ſecundùm Tapiam *lib. 4. quæſt. 20. artic. 16. num. 2.* non poſſunt Prælati religionum diſpenſare cum ſuis familiaribus ſæcularibus illis inſervientibus in jeiunijs eccleſiæ, abſtinentia à carnibus , obſervatione feſtorum ; ſed hos diſpenſandos eſſe à ſuo Epiſcopo, ſicut alij ſæculares. Quia id non poſſunt jure ordinario , cum non ſint eorum Prælati, quos obligent eorum præcepta : nec poſſunt eorum privilegijs: quia hæc ſolum concedunt , quòd poſſint eis ſacramenta conferre,eoſque in ſuis eccleſijs ſepelire. Cæterùm oppoſitum tenent N. Fr. Anton. *tom. 2. diſp. 1. ſect. 2. num. 118.* Bordon. *tom. 1. reſolut. 18. num. 17.* Paſqualigus *de jeiunio, deciſione 388. num. 3.* loquendo de illis familiaribus,qui ſunt commenſales religioſorum , quique intra ſepta monaſterij frequenter degunt, & familiares propriè dicuntur, ex diverſis privilegijs, qui videri poterunt apud ipſos.

Quid circa noſtras cõſtitutiones à ſede apoſtolica approbatas ſentiẽdum ſit?

58 Secundò notandum eſt , poſſe Capitulum generale diſpenſare in ſuis conſtitutionibus , etiam in gravibus, & extraordinarijs caſibus; etiamſi prædictæ conſtitutiones ſint approbatæ , & confirmatæ à Pontifice approbatione ſimplici : nam ſi confirmatæ ſint confirmatione robur , & apoſtolicam auctoritatem eis tribuente , non poterunt, juxta dicta de abrogatione *cap. præced. num. 17.* Nam,ſi ita confirmatæ ſunt,ſe habent vt leges pontificiæ,ac proinde in eis non poterunt Superiores , nec Capitulum diſpenſare , niſi in caſibus , in quibus inferior poteſt in lege Superioris. Lezana *in conſilijs ſuis, canſ. 6. à num. 10.* Fr. Anton. à Spiritu Sancto *tract. 2. diſp. 1. ſect. 2.* Vndè fit, quod cum conſtitutiones noſtræ ſacræ congregationis confirmatæ ſint à SS. D. N. Alexand. Papa VII. confirmatione non ſolùm ſimplici , ſed eis firmitatem, & robur apoſtolicum adijciente , vt conſtat ex illis verbis confirmationis: *Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus* , non poteſt amplius Capitulum generale ſine licentia Pontificis aliquam earum abrogare, vel mutare. Poterunt tamen Prælati, ſive congregati in Capitulo,ſive per ſe ipſos in eis diſpenſare , in caſibus , in quibus ipſæ conſtitutiones diſponunt : quia confirmatæ ſunt à Pontifice juxta earum tenorem , & ſecundùm quod in eis ſtatuitur. Imò etiam probabile eſt , quod in caſibus, in quibus ipſæ expreſsè non loquuntur , poterunt Prælati diſpenſare , etiamſi ſint extraordinarij, juxta dicta *num. 39.* quòd in legibus pontificijs particularibus alicuius congregationis poſſunt Prælati illius diſpenſare. Sed hoc intelligendum eſt cum accomoda diſtributione , quod in caſibus ordinarijs poſsint Prælati inferiores ; in extraordinarijs , & notabilibus ſolùm ſuperiores Prælati.

Superior poteſt ne indirectè ſecũ diſpenſare?

59 Nunc reſtat gravis difficultas : An Legiſlator , & quilibet alius, qui habet facultatem diſpenſandi cum alio in lege , voto , aut juramento, poſsit ipſe ſecum diſpenſare ? Et quidem indubitatum eſt , ipſum indirectè , & mediatè poſſe ſecum diſpenſare , quòd bifariam poteſt fieri : vel ſi ipſe diſpenſet cum communitate , cuius eſt pars , manet mediatè ipſe diſpenſatus , vt diximus *tract. 10. de Cenſuris, cap. 1. punct. 4. num. 43.* vt Pontifex diſtribuendo indulgentias facientibus tale opus , poteſt ipſe lucrari eas , exercendo eundem actum : vel tribuendo alteri facultatem , vt cum eo diſpenſet. Quod facere poſſe , conſtat ex capit. *finali , de pœnitentijs , & remiſsionibus*: vbi datur facultas Prælatis eligendi , qui eos à quibuſcumque peccatis, à quibus ipſi alios abſolvere poſſunt, abſolvant ; ne ſint deterioris rationis , quam ſubditi: hæc enim eadem ratio currit in diſpenſatione legum,

gum, in quibus ipſi cum alijs poſſunt diſpenſare. Quare dubium eſt, an ipſi Prælati immediatè poſsint in votis, juramentis, & legibus, in quibus alios diſpenſare poſſunt, ſecum diſpenſare?

Etiam directè poteſt Superior ſecum diſpenſare.

60 Affirmativè ſatisfecimus huic difficultati *loc. citat.* & modò id ipſum aſſerimus. Et ratio eſt, quia non repugnat aliquem in ſeipſum exercere actum juriſdictionis purè voluntariè: licèt enim juriſdictio coactiva petat diſtinctionem, quia nemo ſeipſum cogere poteſt, quandoquidem non cogitur niſi invitus: item juriſdictio contentioſa, quæ inter partes fieri debet, petat illarum diſtinctionem, cum nemo Iudex in ſua cauſa debeat exiſtere: item juriſdictio, quæ eſt in actu ſententiæ, petat inter Iudicem, & reum diſtinctionem realem, quia nemo ſe condemnare, vel abſolvere poteſt; at juriſdictionem purè voluntariam poteſt vnuſquiſque reſpectu ſui ipſius exercere: quia nihil ex dictis depoſcit; ſed diſpenſatio eſt actus juriſdictionis purè voluntariæ, quia neque eſt coactiva, nec contentioſa inter partes, nec per modum ſententiæ cum cognitione cauſæ: ergo poteſt vnuſquiſque ea vti in ſe ipſo, ſecumque diſpenſare in his, in quibus poteſt diſpenſare cum alijs. D. Thom. 2.2. *quæſt.* 185. *artic.* 8. Araujo 1.2. *quæſt.* 97. *diſput.* 3. *ſect.* 7. *diffic.* 2. *num.* 35. Granados *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 2. *diſp.* 17. *ſect.* 2. *num.* 13. Martin. *quæſt.* 97. *art.* 4. *dub.* 2. Caietan. 1.2. *quæſt.* 96. *artic.* 5. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 20. *artic.* 17. *num.* 6. Layman *tract.* 4. *cap.* 20. *num.* 31. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 5. *punct.* 7. *§.* 1. *num.* 2. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 3. *num.* 6. Baſilius *lib.* 8. *capit.* 4. *num.* 9. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 3. *diffic.* 3. Bonacin. *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 10.

Nemo poteſt ſe à peccatis, vel cenſuris abſolvere.

61 Ex quo ſequitur, neminem ſe poſſe abſolvere à cenſuris, vel peccatis: quia talis abſolutio, vel eſt actus juriſdictionis contentioſæ, vt in abſolutione à cenſuris, frequenter accidit; vel ſaltem eſt actus juriſdictionis per modum judicij, & ſententiæ, vt in abſolutione ſacramentali, in qua requiritur cognitio ſtatus pœnitentis, & Confeſſor ſe habet per modum Iudicis ferentis ſententiam. At diſpenſatio in votis, juramentis, & legibus ſolum eſt actus juriſdictionis dependentis ex voluntate conferentis; & ſic eſt purè voluntaria, quam quilibet in ſeipſum poteſt exercere. Idem aſſerunt Sanchez *lib.* 8. *diſput.* 5. *num.* 3. & *diſput.* 3. *num.* 4. Palaus *ſuprà num.* 5. de diſpenſatione in irregularitatibus: quia licèt illis ligatus fuerit per poteſtatem coactivam, poteſt ab illis abſolvi per directivam, & purè voluntariam. Et videntur tenere præcitati Auctores *num. præcedent.* qui abſolutè aſſerunt, Superiorem poſſe diſpenſare ſecum in omnibus, quæ poteſt diſpenſare cum alijs.

PUNCTUM VI.

De cauſa requiſita ad validam, & licitam diſpenſationem impendendam.

Quid ſit agendum in in hoc puncto?

62 IN præſenti poſſumus agere de Legiſlatore (& idem eſt de eius æquali in ſede, & Superiore ad ſeipſum; quia, vt diximus, in ordine ad diſpenſandum eadem funguntur poteſtate) & de alijs inferioribus in lege Superioris diſpenſantibus, ſive hoc habeant ex jure ordinario, ſive tantum per ſimplicem delegationem: an nimirum requirant cauſam proportionatam ad validam, & licitam diſpenſationem impendendam?

§. I.

Quomodo Legislator validè, licèt non licitè, poſsit ſine cauſa in ſua lege diſponſare?

Legislator validè poteſt abſque cauſa diſpẽſare, non licitè.

63 DIcendum eſt primò, quòd ille, qui legem tulit, vel eius ſuperior, vel æqualis in dignitate, poteſt abſque vlla cauſa validè diſpenſare in ſua lege: peccabit tamen talem diſpenſationem abſque cauſa impendendo. Concluſio eſt communis quoad vtramque partem. Quoad primam probatur, quia tota vis, & obligatio pendet ex voluntate Legislatoris: ergo ſicut poſſet legem non condere, & eam abſque cauſa in totum abrogare, vel ab initio decernere, quod hos, & non illos adſtringeret; ita poterit validè, nulla exiſtente cauſa, cum quo placuerit diſpenſare. Quoad ſecundam partem probatur, quia ſi Princeps ſine cauſa aliquos à lege eximeret, potiùs eſſet diſsipator, quàm diſpenſator: quia inæqualitatem poneret inter ſubditos, aliquomodoque vitium acceptationis perſonarum committeret, & præberet cæteris anſam, ad quærelas, qui ſe ſub onere legis viderent, & alios exemptos à lege ſine vlla cauſa diſcriminis: hæc omnia ſunt contra rectam rationem: ergo iniquè procedit Legislator diſpenſando in lege ſine juſta, & rationabili cauſa. Ita D. Thom. *quæſt.* 97. *art.* 5. Araujo *ibi*, *diſp.* 3. *ſect.* 7. *diffic.* 2. *num.* 33. & 34. Martin. *art.* 4. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 21. *artic.* 1. & 4. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 8. *§.* 1. *num.* 1. Sanch. *de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 17. *num.* 24. & 18. *num.* 3. Gordon. *lib.* 2. *quæſt.* 13. *num.* 20. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 2. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 5. *num.* 50. Villalob. *tract.* 2. *diffic.* 4. *num.* 5. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 2. *diſp.* 17. *ſect.* 3. *n.* 20. & 26. Dian. 1. *part. tract.* 10. *reſolut.* 32. Quæ autem ſit cauſa rationabilis, & juſta, poſteà dicemus.

Extenditur præcedens doctrina.

64 Præcedens concluſio, quòd validè Legiſlator in ſua lege diſpenſat abſque vlla cauſa intelligenda eſt, etiamſi juraverit ſe in illa non diſpenſaturum: nam juramentum faciet illicitam ipſam diſpenſationem, & in materia religionis eam conſtituet; non tamen adimit poteſtatem, quæ eſt in Legislatore ad validè legem relaxandam: ſicut votum, aut juramentum de non contrahendo matrimonio faciet matrimonium illicitum, non invalidum. Similiter extendenda eſt ſecunda pars concluſionis, in qua aſſerimus eſſe illicitam talem diſpenſationem, quod intelligatur, tàm ex parte dantis, quàm accipientis: quia ſi petens eſt nimis executor in petendo diſpenſationem ſine cauſa, inducit ad peccatum ipſum diſpenſatorem, cum ipſe abſque peccato non poſsit eam impendere: ergo peccat eodem genere peccati in petendo, quo peccat in concedendo Legislator. Ita Auctores citati. ¶ Quarè difficultas modò eſt, an Legislator peccet mortaliter, diſpenſando in ſua lege ſine cauſa? & idem dicendum eſt de

de illam ſine cauſa ſcienter petente: & ſic de illo loquemur, dictaque de concedente, etiam petenti debent applicari. Duplex ergo datur ſententia, vtraque ſatis probabilis.

Sententia aſſerens eſſe mortale abſque cauſa diſpenſare.

65 Prima ſententia dicit, ex genere ſuo eſſe peccatum mortale in ſuis legibus diſpenſare ſine juſta cauſa; excuſari verò à peccato mortali, ſi leges non eſſent magni momenti, vt ſunt omnes, quæ non obligant ſub mortali: conſequenterque peccare mortaliter ſummum Pontificem, ſi abſque illa diſpenſaret cum aliquibus in jeiunijs eccleſiaſticis, recitatione officij divini, &c. & idem de alijs Legislatoribus reſpectu legum, quæ à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus ſunt ſancitæ. Et probatur primò ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. vbi gravibus verbis prohibet diſpenſationem ſine cauſa faciendam. ¶ Secundò, quia ſic diſpenſans facit contra juſtitiam diſtributivam, & legalem: contra illam, quia abſque eo quod detur cauſa diſcriminis inter perſonas, alias ſub lege relinquit, alias ab illo onere liberat, quod eſt acceptio perſonarum; contra legalem, quia officit bono communi, ad quod leges ordinantur: ſed peccatum contra juſtitiam eſt ex genere ſuo mortale: ergo, &c. Ita Sotus *de Iuſtit. quæſt. 6. art. 5. ad 3. & in 4. diſt. 39. quæſt. 1. art. 2.* Martin. 1. 2. *quæſt. 97. art. 4. dub. 1. concl. 3.* Tapia *lib. 4. q. 21. art. 2. n. 5.* Covarr. *4. decret. p. 2. cap. 6. §. 9. n. 15.* Granad. *controv. 7. tract. 3. p. 2. diſp. 17. ſect. 3. n. 24.* Suar. *lib. 6. cap. 17. n. 9.* Gordon. *lib. 2. q. 14. num. 13.*

Non peccat mortaliter Legislator ſine cauſa diſpenſans.

66 Sed nos, conſequenter ad ea, quæ diximus *tract. de matrim. cap. 14. punct. 2. num. 17.* probabilius judicamus, non eſſe peccatum mortale ex genere ſuo Legislatorem in ſua lege pro libito diſpenſare, præciſo ſcandalo, vel alio damno extrinſeco: vt ſi ex diſpenſatione legis in aliquibus, alij magis gravarentur, vel magna turbatio timeatur in republica, aut deſpectus legum: tunc enim apud omnes peccaret mortaliter Legislator legem ſine juſta cauſa relaxando: at præciſis his damnis extrinſecis, quæ non ſequuntur ex natura rei, ex hoc quod aliquoties ſine cauſa diſpenſet, aſſerimus non eſſe lethale peccatum talem diſpenſationem impendere: quia Legislator eſt dominus, ac conditor legis: ergo poteſt illam relaxare cum quibus voluerit, ſi magnum damnum reipublicæ non timeatur; nec eſt tanta inordinatio in eo, quod omnes non conformentur in obſervatione legum, vt propterea dicatur talis diſpenſatio peccatum mortale: vt magis conſtabit ex ſolutione argumentorum. Ita ſentiunt Sanchez *lib. 8. de matrimon. diſput. 18. numer. 7.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. numer. 13.* Baſilius *lib. 8. capit. 14. numer. 4.* Salas *diſp. 20. ſect. 4. num. 54. & 55.* Villalob. *tom. 1. tract. 3. dub. 4. num. 6.* Palaus *tract. 3. diſp. 6. punct. 8. §. 1. num. 5.* Diana 1. *part. tract. 10. reſol. 32.*

Solvuntur argumenta.

67 Ad primum ex Concilio dicimus, vel ibi loqui Concilium cum diſpenſatoribus delegatis, aut ordinarijs inferioribus, de quibus poſteà dicemus, peccare mortaliter diſpenſando in lege gravi Superioris abſque cauſa: vel loquitur in caſu quo ſuprà enumerata inconvenientia ſequuntur, vt conſtat ex contextu. ¶ Ad ſecundum dicimus, peccatum contra juſtitiam legalem non eſſe ex natura ſua mortale, niſi quando damnum alteri ex illo ſequitur. Et idem dicimus in juſtitia diſtributiva, quod ſolum quando diſtributio eſt ex debitis, vel quando ex acceptatione perſonarum alteri fit injuria, eſt peccatum mortale: vt ſi in legibus tributorum Princeps ſine cauſa cum aliquibus diſpenſaret, ex quo alij multum gravarentur; at verò quando non ſequitur alterius damnum, nec diſtributio eſt ex debitis, non eſt contra illam agere peccatum mortale ex genere ſuo. Ita Auctores citati.

Peccat qui ſine cauſa, obtenta diſpenſatione ab inferiori, illa vtitur.

68 Sed inquires: An ſit peccatum aliquod vti diſpenſatione obtenta ſine cauſa à Legislatore, qui validè poteſt ſine cauſa illam impertiri? Si enim loquamur de diſpenſatore, qui validè non poteſt concedere diſpenſationem ſine cauſa, vt eſt inferior in legibus Superioris, nulli dubium eſt peccare diſpenſatum, non ſolum in petendo, vel recipiendo talem diſpenſationem ſine cauſa; ſed etiam in vtendo ea iam obtenta, gravitèr, aut levitèr, juxta gravitatem legis, contra quam agit: quia cum talis diſpenſatio fuerit nulla, perinde eſt, ac ſi data non eſſet. Quarè dubium eſt, quando talis diſpenſatio à Legislatore ipſo obtinetur: vt diſpenſatus in impedimentis matrimonijs, vel jeiunijs eccleſiaſticis à Pontifice ſine juſta cauſa, ſive poſteà pœniteat; vel non pœniteat de peccato commiſſo in ipſa petitione diſpenſationis gravitèr, vel levitèr, juxta duplicem ſententiam ſuprà datam; an poſteà vtendo tali diſpenſatione aliquo genere peccati peccet?

Qui vtitur diſpenſatione valida, etiã ſine cauſa obtenta, non peccat.

69 Reſpondetur, quod licèt graves Doctores judicent, peccare venialiter diſpenſatum in dicto caſu (nullus enim mortaliter delinquere aſſerit) veriùs tamen eſt dicendum, nec venialiter peccare. Et ratio eſt, quia non peccat contra illam legem: quia cum validè relaxata ſit, iam non habet vim obligandi reſpectu illius: nec quia non conformatur cum alijs, quia ſolum tenetur ad talem conformationem, qui diſpenſatus non eſt; ſiquidem hoc ipſo, quod ſit diſpenſatus, habet ſufficientem cauſam, vt à conformitate cum alijs diſcedat: nec ipſi incumbit diſpenſationem revocare, ſed ei, qui illam conceſſit: ergo quandiu iſte non revocat, licitè poteſt ille contra legem operari. Ita Granad. *controv. 7. tract. 3. part. 2. diſp. 17. ſect. 3. num. 18.* Araujo *quæſt. 97. diſp. 3. ſect. 7. diffic. 2. num. 36.* Tapia *lib. 4. quæſt. 21. art. 5. num. 3. & 4.* Diana 1. *part. tract. 10. reſol. 32. & 35.* Baſilius *de matrimon. lib. 8. cap. 14. num. 5.* Soto *lib. 1. de juſtit. quæſt. 5. artic. vltim.* Suarez *lib. 6. cap. 16. num. 14.* Gordon. *lib. 2. quæſt. 13. num. 16.* Palaus *tract. 3. diſput. 3. punct. 8. §. 1. num. 8.* Ex quo patet, ipſum Legislatorem peccare ſecum diſpenſando ſine cauſa, & poſteà vtendo tali diſpenſatione: quia ſemper tenetur, & poteſt eam revocare, & peccatum erit grave, vel leve, juxta duas ſententias ſuprà relatas. Attamen, licèt peccaret mortaliter diſpenſando cum alijs ſine cauſa, credimus non peccare mortaliter ſecum ſine illa diſpenſando, quia, vt diximus *cap. 3. punct. 3. n. 42.* probabilius eſt, ipſum ſub mortali non obligari ad obſervandam ſuam legem.

§. II.

De inferiore in lege Superioris dispensante sine causa.

Inferior invalidè dispensat in lege superioris sine causa.

70 HActenus egimus de Legislatore in sua lege dispensante; modo verò acturi sumus de inferiore dispensante in lege superioris, vt quando Pontifex dispensat in votis, juramentis, matrimonio rato, residentia Episcoporum, quæ sunt de jure divino. Et similiter in inferioribus, in casibus, in quibus possunt dispensare in legibus pontificijs, vel alijs legibus Superiorum: sive hoc habeant ex delegatione, sive ex jure ordinario. Dicendum est ergo secundò, dispensationem datam ab inferioribus in legibus Superioris sine justa causa, esse nullam, vt constat ex dictis *tract. 9. de matrimon. cap. 14. punct. 2. num. 19.* & probatur, quia inferior non recipit potestatem dispensandi in lege Superioris ad beneplacitum eius; sed solum censetur eam concedere Superior in ordine ad rationabilem, & prudentem dispensationem: cum ergo inferior, nisi ex concessione Superioris, non possit in eius legibus dispensare, sequitur nullam esse eius dispensationem imprudentem, & irrationabilem, ex nulla causa expeditam. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. Martin. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *concluf.* 1. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 21. *artic.* 4. *num.* 6. Araujo *quæst.* 97. *disp.* 3. *sect.* 7. *diffic.* 2. *n.* 34. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 2. *disp.* 17. *sect.* 3. *n.* 19. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 17. *n.* 3. Salas *disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 31. Palaus *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 8. §. 2. *n.* 1. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 3. *n.* 14. Layman *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 11.

Validè dispensat, si bona fide procedat.

71 Plures ex his Auctores limitant hanc doctrinam in casu, quo bona fide procedat inferior, putans justam adesse causam, quæ reipsa non daretur: quia incredibile est esse aliam mentem Superioris humani circa suas leges, & Dei circa suas; quandoquidem sic evitantur plures scrupuli, conscientiæ assecurantur, & gesta à Prælatis permanent firma, quæ ad rectam ecclesiæ, & inferiorum gubernationem maximè necessaria videntur. Ita Sanchez *numer.* 8. Layman *numer.* 12. Ioann. Sanct. *in selectis, disp.* 54. *num.* 39. Azor 1. *part. lib.* 7. *cap.* 29. *quæst.* 9. Rebel. *de obligat. justit.* 2. *part. lib.* 3. *quæst.* 5. *num.* 12. Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 2. *fine.* Ex quo infert Diana 1. *part. tract.* 10. *resolut.* 33. posse manere subditum tutum in conscientia, etiamsi posteà certò cognoscat causam non adfuisse, vel non fuisse sufficientem, quia iam subsistit valida dispensatio, & tunc currit ratio suprà tradita *num.* 69. Quod verum judicamus, si subditus malitiosè non voluerit decipere Superiorem, juxta dicenda puncto sequenti.

Gravitèr peccat dispensans sine causa in lege superioris.

72 Ex dictis sequitur, gravitèr peccare dispensatorem sine causa dispensando scienter in lege superioris, si lex ex natura sua obliget ad mortale. Tum, quia sibi vsurpat jurisdictionem, quam non habet. Tum etiam, quia præbet subdito occasionem frangendi legem, qua tenetur. Tapia *articul.* 2. *num.* 2. Martin. *concluf.* 5. Granad. *supr.* Layman *num.* 12. Salas *disp.* 20. *sect.* 6. *num.* 58. Bonacin. *num.* 15. & 16. Qui etiam dicunt, peccare mortaliter subditum, qui sciens non habere justam causam, dispensationem instanter postulat, quia cooperatur peccato dispensatoris; & ideò, juxta gravitatem illius, erit istius peccatum. Imò etiamsi dispensator bona fide dispenset sine causa, putans illam subesse, peccat mortaliter subditus, qui sciens causam non adesse, petit dispensationem: quia nemini licèt alterum inducere ad peccatum, etiam materialiter sumptum: secus verò, si dubitaret de causa, & sic dubitans se submitteret judicio Superioris: quia tunc posset esse tutus in conscientia, vt posteà dicemus. Et etiam quando, licèt non adsit causa ex parte sui, potest dari ex parte Superioris, vt sæpè contingit: nam sufficiens est multoties causa, vt Superior dispenset, propter ostentationem suæ liberalitatis, & magnificentiæ, aut propter sumptus ex dispensatione in subsidium ecclesiæ, aut pij belli, aut alterius operis pietatis provenientis. Qua ratione excusantur petentes dispensationem in impedimentis matrimonij absque sufficienti, imò nulla, causa ex parte ipsorum, vt fert communis Doctorum sententia.

§. III.

Quæ causæ sint sufficientes ad licitam, & validam dispensationem obtinendam?

Diversum genus causarum ad dispensationē?

73 TRiplex genus causarum potest dari ad obtinendam legis, vel alterius vinculi relaxationem. Primum est illarum causarum, quæ per se excusant; quæ si certæ sint, non indigent dispensatione, & idem est, si sit probabile judicium de illis. Vnde qui probabiliter judicat se habere sufficientem infirmitatem, defatigationem, aliamve causam, quæ excuset eum à jeiunio, recitatione, &c. potest sine dispensatione se ab illa lege exemptum judicare. Si tamen sit dubia talis excusatio, aut necessitas, non potest contra legem agere; sed debet petere dispensationem, seu potius declarationem, superioris, juxta dicta *n.* 45. Aliæ sunt causæ necessitantes superiorem ad concedendam talem dispensationem, de quibus posteà. Aliæ, quæ sunt sufficientes ad obtinendam dispensationem, licèt nec necessitent, nec sint sufficientes per se ad eximendum à lege. Minus enim requiritur, vt quis per dispensationem à lege eximatur, quàm quod præcisè ratione causæ censeatur exemptus; aliàs frustranea, & inutilis esset dispensativa facultas. De his ergo causis sufficientibus in præsenti agimus.

Quæ sint causæ sufficientes dispensationis?

74 Igitur causa sufficiens pro dispensatione illa est, quæ est proportionata cum lege; & ideò gravior pro gravioribus legibus requiritur, & pro levioribus levior, quæ arbitrio prudentum judicanda sunt: & ipsa dignitas personæ petentis multoties pro causa sufficit, eo quod pertineat ad commune bonum personas digniores gratas habere, vt inquit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 2. Attendenda est etiam pietas, vtilitas, & necessitas dispensationis, ex Trident. *sess.* 24. *capit.* 2. *de Reformat.* & etiam dignitas concedentis, cui multoties expedit benignum, & liberalem se ostendere, vt diximus *tract.* 9. *de matrimon. cap.* 14. *punct.* 2. *num.* 21. & etiam quoties observantia legis vergeret in damnum commune, vel particulare,

lare, quod mediatè reſpiceret commune; & etiamſi bonum aliquod impediret, vel eſſet periculum peccandi contra eam; alias particulares cauſas aſsignare pro diverſis legibus ad particulares materias ſpectat. Cauſas verò ſufficientes in particulari pro diſpenſatione in impedimentis matrimonij, dedimus *loco citat.*

Si dubitetur de ſufficientia cauſæ, poteſt dari diſpenſatio.

75 Sed inquires primò: An ſi dubium ſit de cauſa ſufficienti pro diſpenſatione alicuius legis, vel voti, poſsit eam impendere quicumque ſuperior, qui poteſt in tali lege diſpenſare? Reſpondetur cum diſtinctione: vel enim eſt dubitatio de cauſa ſecundum ſubſtantiam, vel, ſuppoſita cauſa, dubium ſuboritur de ſufficientia illius. In hoc ſecundò caſu dicimus, quemcumque ſuperiorem, qui poteſt diſpenſare in aliquo vinculo, & licitè, & validè poſſe in tali caſu diſpenſare: quia frequentèr dantur tales dubitationes de ſufficientia, & proportione cauſæ: & petere maiorem certitudinem, ſtrictiſsimum regimen eſſet pluribus ſcrupulis expoſitum. Præterquam quod, cum certa adeſt cauſa diſpenſandi, & dubitatur de eius ſufficientia, poſſeſsio ſtat pro poteſtate diſpenſativa: ergo judicandum eſt poſſe exerceri in illo caſu. Ita Dian. 1. *p. tract.* 10. *reſol.* 31. & 4. *p. tract.* 30. *reſol.* 34. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *p.* 2. *diſp.* 7. *ſect.* 3. *n.* 23. Sanch. *in decal. lib.* 4. *cap.* 45. *n.* 10. Tapia *lib.* 4. *q.* 21. *art.* 9. *n.* 2.

Si dubium ſit de cauſa ſecundũ ſubſtantiã, non poteſt diſpẽſatio impertiri.

76 Si verò dubitatio ſit de cauſa ſecundum ſubſtantiam, in tali caſu à Legislatore poterit validè diſpenſari, non licitè: quia certa obligatio legis non debet ob incertam cauſam relaxari. Cæterùm, quia ipſe Legislator etiam ſine cauſa poteſt in ſua lege validè diſpenſare, vt iam diximus, multò magis in iſto caſu. At inferior non poterit in lege Superioris, nec licitè, nec validè diſpenſare, quia illius diſpenſatio ſine cauſa eſt nulla. Benè verum eſt, quod ſi petens dubius de cauſa, aut de ſufficientia illius, rem totam, vt eſt, exponat ſuperiori, manebit tutus in conſcientia, ipſo diſpenſante, quicumque ille ſit, quamvis emergant dubia circa cauſam, vel ſufficientiam eius: quia ad petentem ſolum pertinet veritatem propalare, & ſe judicio ſuperioris ſubmittere, per quod practicè poteſt dubia emergentia deponere, vt tradunt D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 12. *ad* 2. Tapia *ſupr. n.* 3. Sanch. *Decalog. lib.* 4. *capit.* 44. *n.* 6. & *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *n.* 15. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 9. & 16. Martin. *q.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 6. *fine.*

Quædam ſupponũtur ad difficultatem.

77 Inquires ſecundò: An ſufficiat ad validam diſpenſationem à quocumque Superiore conceſſam, quod cauſa ſufficiens re ipſa detur, licèt à diſpenſatore non cognoſcatur? Circa quam difficultatem aliqua certa ſupponenda ſunt. ¶ Primò certum eſt non requiri judicialem cognitionem cauſæ, vt ex praxi communi conſtat: quia ſolum requiritur cognitio cauſæ, vt prudentèr Legislator procedat, ad quod ſufficit ipſius privata cognitio: quamvis in foro exteriori poſsit poni exceptio, & repelli diſpenſatio, niſi vel cauſa eſſet per ſe manifeſta, vel diſpenſatus, cui incumbit probatio, eam per ſufficientia inſtrumenta probaret. ¶ Secundò ſupponitur, illicitè procedere diſpenſantem, ſi judicans non ſubeſſe cauſam, diſpenſationem impenderet, etiamſi reipſa daretur, propter conſcientiam erroneam, & malam fidem, qua procederet. ¶ Tertiò poſſe in judicio revocari talem diſpenſationem, vel extra illud à ſuperiore, vel ab ipſo diſpenſatore, quia eſt contra jus poſitivum, & naturale; & ſic poterit infirmari,

¶ Dubium ergo eſt, an ſi diſpenſator mala fide procederet, judicans non ſubeſſe cauſam, quæ tamen reipſa daretur, valida eſſet talis diſpenſatio, & diſpenſatus licitè poſſet vti illa, donec legitimè revocetur? Duplex datur ſententia, vtraque ſatis probabilis.

Sententia aſſerens nõ valere diſpẽſationem ſine cognitione cauſæ.

78 Prima ſententia aſſerit, quòd licèt diſpenſatio modo dicto à Legislatore præſtita, valida ſit; non tamen quæ impenditur ab inferiori in lege ſuperioris. Prima pars eſt apud omnes inconcuſſa, quia Legislator validè poterat abſque cauſa diſpenſare: ergo etiam abſque cognitione illius. Cæterùm non debet præſumi ipſum abſque cognitione cauſæ procedere, quia nemo præſumitur temerè operari; ſed diſpenſatio abſque cognitione cauſæ; temeraria cenſetur: ergo; &c. Secunda verò pars probatur primò: quia diſpenſatio facta ſine cognitione cauſæ, cenſetur facta ſine cauſa; quia in tantum poteſt movere cauſa, in quantum cognoſcitur; ſed inferior in lege Superioris validè non poteſt diſpenſare ſine cauſa: ergo nec ſine cognitione illius. Secundò, quia non videtur commiſſa facultas ad diſpenſandum inferioribus, niſi ſervato juris ordine: ſed ordo juris petit cauſæ cognitionem: cap. *Neceſſe, cap. Diſpenſationis* 1. *quæſt.* 7. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de reformat.* ergo, &c. Sic tenet Covarr. *de matrim.* 2. *p. cap.* 6. *§.* 9. & 12. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 9. & 10. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 13. *n.* 4.

Si cauſa verè ſubſiſtat, etiam à diſpẽſatore incognita, tenet diſpenſatio.

79 Probabilius tamen dicendum eſt, quòd ſi cauſa verè ſubſiſtat, etiamſi diſpenſator, quicumque ille ſit, mala fide procedat, abſque cognitione illius, valida remanet diſpenſatio, qua vti poteſt diſpenſatus tuta conſcientia, donec revocetur. Tum quia quando jus poſitivum poſtulat præmitti cognitionem cauſæ diſpenſationi, non ad valorem illius, & tanquam formam, eam exigit, ſed vt licitè fiat. Quod exinde conſtat, quia jura modò citata indifferentèr loquuntur, tàm de Legislatore ipſo, ſeu diſpenſatore ſupremo, quàm de alijs inferioribus; & tamen in illo non exigitur, vt forma, ad valorem requiſita, cum validè perſiſtat diſpenſatio ab eo conceſſa, etiam non præmiſſa cauſæ cognitione, vt etiam adverſarij fatentur. Tum etiam, quia quando diſpenſatio dependet in ſui valore à cauſa, vt eſt diſpenſatio, quæ impenditur ab inferiore in lege ſuperioris, non dependet à cauſæ cognitione, ſed ab ipſa exiſtentia cauſæ. Quemadmodum electio capacis, & digni ad beneficium eſt valida, quamvis non cognoſcatur capacitas, & dignitas ab electore: argumento cap. *Nihil, de electione*, ibi: *Electum ſine cauſæ examine eſſe eijciendum, ſi ſit indignus*: ergo, ſi dignus fuerit, etiamſi examen cauſæ non præcedat, eijciendus non eſt. Sic Tapia *lib.* 4. *quæſt.* 21. *artic.* 7. *n.* 6. Villalob. *tract.* 2. *diffic.* 14. *n.* 4. Baſilius *lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 1. Suar. *lib.* 6. *cap.* 19. *n.* 2. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 9. *n.* 79. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 17. *n.* 11. Dian. 1. *p. tract.* 10. *reſol.* 33. Ad argumenta contraria conſtat ex dictis.

Superior aliquando tenetur diſpenſare, aliquando non

80 Inquires tertiò: An, cauſa ſufficiente pro diſpenſatione exiſtente, teneatur ſuperior eam impendere inferiori depoſcenti? Reſpondetur, aliquando non teneri, aliquando verò teneri. Prima pars probatur, quia aliquando datur cauſa ſufficiens pro diſpenſatione, non tamen neceſsitans; & ſic diſpenſatio communiter dividitur in prohibitam, permiſſam, & debitam; vnde quamvis expedire poſsit bono ſubditi eam impendere, ſi tamen cauſa non ſit nimis vrgens, non minus, imò magis, expediens erit legem in ſuo vigore con-

ſervare; & ideò poterit eam denegare ſuperior: proptereaque multoties in jure appellatur diſpenſatio, miſericordia, gratia, indulgentia: *cap.* 1. *de ſtatu monachor. in* 6. cap. *Licèt canonic. de election. eodem lib.* cap. *Didici* 1. *q.* 7. Quia poteſt eam ſuperior pro libito impendere, & poteſt, ſi voluerit, denegare. Ita Palaus *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 8. *§.* 2. *num.* 9. Martin. *q.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 4. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 22. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 10. *n.* 3. Tapia *lib.* 4. *q.* 21. *art.* 10. *num.* 1. Coninch. *de matrim. diſp.* 27. *dub.* 6. *num.* 59. Suar. *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 30. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 7. *num.* 70. ¶ Ex quo ſequitur, quod, exiſtente æquali cauſa in duobus, poteſt ſuperior diſpenſare cum vno, & non cum alio: quia eſt gratia, quam poteſt pro libito diſtribuere. Nec ob id committit acceptationem perſonarum, quia hæc locum habet in diſtributione ex debito; non in diſtributione ex indulgentia. Bonacin. Coninch. & Martin.

Quando tenetur ſuperior dare diſpenſationem?

81 Secunda verò pars, videlicèt quod aliquando eſt debita diſpenſatio, quando nimirum datur vrgens cauſa: vt quando petitur ad evitandum publicum damnum, vel privatum alicuius perſonæ, ſpirituale, vel temporale magni ponderis; vel quando eſt valdè vtilis bono communi, vel privato, quod redundat in commune; vel quando ſuperior præcipit inferiori in genere, vel in ſpecie, quod in his, vel illis caſibus diſpenſationem concedat. Ita præcitati Auctores. Et ratio eſt, quia quilibet tenetur neceſsitati proximi occurrere, cum poſsit, damnaque illius evitare: ergo multò magis Prælatus, cui incumbit bono conſulere ſubditorum: ergo, ipſis in dictis caſibus diſpenſationem petentibus, tenetur eam impendere: & ſi negaverit, peccabit gravitèr, vel levitèr, juxta gravitatem materiæ: quamvis ſubditus non poſsit agere contra legem, ſi ſemel non accipit diſpenſationem; tametſi injuſtè ei denegetur, niſi cauſa vrgens aliàs ſit ſufficiens ad extrahendum eum à lege. Qua ratione diximus *tractat.* 9. *de matrimon. cap.* 8. *punct.* 7. *num.* 92. quod ſi Epiſcopus injuſtè deneget diſpenſationem in acclamationibus faciendis ante matrimonium, poſſunt, vrgente gravi cauſa, contrahentes inire illud abſque eis. At ſi Pontifex negaret alicui diſpenſationem, vt cum conſanguinea contraheret, etiamſi hoc injuſtè faceret, non poſſet contrahere cum ea; quia matrimonium nunquam eſt validum, nec licitum cum conſanguinea intra gradus prohibitos abſque diſpenſatione.

PUNCTUM VII.

De diſpenſatione per metum, aut per dolum extorta.

Diſpenſatio abſque animo conceſſa, eſt nulla.

82 CUm diſpenſatio omninò dependeat ex voluntate ſuperioris, ſi ipſe metu coactus ſignificet verbis eam concedere, cum tamen reipſa non habeat animum illam concedendi, nulla erit talis diſpenſatio, ſive cauſa ſufficiens detur de illa, ſive non. Cæterùm non eſt præſumendum, niſi conſtet, Superiorem animum habere alienum à verbis: quia nemo præſumitur in alio ſenſu verba proferre, quàm in animo habet: cap. *Humanæ aures* 22. *quæſt.* 5. Quare ſubditus, licet peccet per metum diſpenſationem obtinendo, poſtea vti illa poteſt licitè in conſcientia, ſi ſemel eſt valida (de quo ſtatim) quandiu non conſtat Superiorem non habuiſſe animum illam non concedendi, vel quandiu eam non revocaverit: quia licitè, vel illicitè, iam eſt extra legem: ſicut qui ex culpabili cauſa in morbum incidit, poteſt diebus vetitis carnes comedere, non jejunare: quia per infirmitatem extractus eſt ab obligatione legis.

Diſpenſatio obtenta per metum eſt valida.

83 Dicimus ergo, quod ſi cauſa ſufficiens ex parte ſubditi detur pro diſpenſatione, talis diſpenſatio valet, etiamſi metu gravi extorqueatur: & aliquando erit illicita, aliquando verò licita. Probatur valere talem diſpenſationem: quia geſta per metum valida ſunt, niſi in caſibus in jure expreſsis: quia metus, quantumvis gravis, non tollit ſimpliciter libertatem, maximè in his, quæ ex mero actu voluntatis dependent: ſed in jure ſolum habetur matrimonium eſſe nullum, ſi ex gravi metu contrahatur, vt diximus in eius tractatu; & abſolutio ab excommunicatione, ex cap. vnic. *de his, quæ vi, & metu, &c. in* 6. ergo cum diſpenſatio ſit ab his diverſa, & in jure non ſit expreſſum eſſe nullum, ſi ex metu conferatur, ſequitur in eo caſu ſubſiſtere. Sic Sanch. *lib.* 3. *de matrimon. diſp.* 39. *n.* 13. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 16. *§.* 1. *num.* 1. Suar. *lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 21. Tapia *lib.* 4. *q.* 23. *art.* 1. *n.* 3. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 1.

Quando ſit licita, vel illicita diſpenſatio ex metu obtenta?

84 Diximus, talem diſpenſationem aliquando juſtè, aliquando verò injuſtè per metum obtineri. Nam multoties poteſt à ſubito juſtè metus incuti Superiori, vt ſi minaretur ſe conqueſturum apud Superiorem, ad quod jus habet: vel ſi minas incuteret, ſe accuſaturum de crimine, de quo poſſet licitè ipſum accuſare: tunc enim, licèt metus eſſet gravis, juſtè tamen incuſſus, & ſic diſpenſatio obtenta per eum, non ſolum erit valida, ſed etiam licita, ſuppoſita cauſa proportionata. Vnde non poſſet Superior in tali caſu diſpenſationem revocare, niſi nova cauſa emergat. At ſi metus injuſtè ab inferiore incutiatur, tunc eſt illicita ex parte illius talis diſpenſatio, quam proinde poteſt Superior in pœnam delicti, quando voluerit, pro libito revocare.

Diſpenſatio per dolum obtenta quo modo ſit nulla?

85 Diſpenſatio verò obtenta per dolum, ſi dolus ſit circa cauſam motivam, & finalem, ſemper eſt nulla, & ſubreptitia. Plura circa hanc materiam modò dicenda forent, niſi à nobis eſſent ex profeſſo deciſa *tract.* 9. *de matrimon. cap.* 14. *toto punct.* 3. & 4. Ibi enim diximus, qualis ſit cauſa motiva, cuius error vitiet reſcriptum; qualis duntaxat impulſiva, cuius error illud non reddat ſubreptitium: ibi etiam explicuimus, quomodo ex expreſsione falſitatis, vel veritatis ſuppreſsione, diſpenſatio reddatur ſubreptitia. Ibi etiam declaravimus, quid ſit dicendum, quando plures cauſæ declarantur pro petitione diſpenſationis, & aliæ ſunt veræ, & aliæ falſæ? Ibi etiam diximus, quam declarationem impedimentorum debeat aſsignare, qui diſpenſationem in illis cupit obtinere? & an teneatur mentionem facere iam obtentæ diſpenſationis, qui novam diſpenſationem nititur adipiſci, & his ſimilia, quæ ab Auctoribus in præſenti ſolent examinari. Quod nos modò prætermittimus, ne bis eadem repetamus. In citato loco poterunt videri, & quæ ibi dicta ſunt circa diſpenſationem impedimentorum matrimonij, poterunt ad diſpenſationes pro alijs legibus debita proportione applicari.

*** ***)(?§?)(*** ***

PUN-

PUNCTUM VIII.

Quibus modis possit dispensatio obtenta cessare?

Dispensatio commutativa non cessat cessante causa.

86 DUo circa hoc punctum communia supponenda sunt. Primum, aliud esse loqui de dispensatione purè tali, aliud de commutatione, vel de dispensatione, quæ simul est commutativa: vt quando loco adimpletionis præcepti aliquod onus subrogatur, inter quas est maximum discrimen, ob quod licèt, cessante causa, dispensatio pura cessaret; non tamen commutatio, vel dispensatio commutativa; cum enim in his, loco adimpletionis legis aliquid subrogetur implendum, in quod fuit facta commutatio, illud sufficit, & æquivalet impletioni legis. Unde si aliquod votum commutatum est ex justa causa, etiam ea cessante, commutatio tenet. Similitèr si dispensatio data sit cum aliquo onere, vel compositione pecuniæ, vel in remunerationem meritorum, quæ se habet vt causa illius, non potest validè revocari à concedente, quia est concessa per modum contractus, qui absque justa causa rescindi non potest. Si autem justa causa detur illam revocandi, validè, & licitè fiet; sed restituenda est pecunia compositionis factæ: & aliunde præmianda sunt merita, in quorum remunerationem fuit exhibita, quia est quasi rescissio contractus.

Dispensatio revocari nō potest, postquàm sortita est effectum.

87 Secundò, vt certum, & apud Doctores commune, supponimus, non cessare dispensationem, etiam simplicem (de hac duntaxat deinceps agemus) vel per cessationem causæ, vel per revocationem superioris, vel per renuntiationem dispensati, imò nec posse superiorem revocare illam, nec dispensatum illi renuntiare, postquam iam dispensatio sortita est suum vltimum effectum; vt si dispensatus sit ad ordines, vel beneficium, & iam ordinatus fuerit, vel beneficium adeptus: si dispensatus sit pro contrahendo matrimonio, & iam sit matrimonium contractum: quia iam dispensatio est sortita suum vltimum effectum: & quod legitimè factum est, nequit infectum fieri. Si tamen effectus divisibilis sit, & dispensatio non pervenerit ad vltimum effectum, non poterit quoad illum revocari, quem sortita est, poterit quoad alios: vt si dispensatus ad ordines vnum, vel alium receperit, non vltimum; vel dispensatus pro beneficijs obtinendis, vnum receperit, poterit revocari dispensatio; ita vt non possit dispensatus alia recipere, secundum regulas infrà assignandas pro revocatione dispensationis. Igitur dispensatio, antequam obtineat effectum, triplicitèr potest evacuari. Primò per cessationem causæ, ob quam concessa est, modo dicendo. Secundò, per revocationem ipsius dispensatis. Tertiò, per renuntiationem dispensati, & de his tribus hoc puncto discurremus.

§. I.

An, cessante causa motiva dispensationis, cesset ipsa dispensatio?

Cessante causa impulsiva, aut motiva inadæquata, non cessat dispensatio.

88 LOquimur in præsenti de causa motiva, seu principalitèr moyente ad concessionem dispensationis. Dubium namque non est, non cessare dispensationem ob cessationem causæ impulsivæ, seu minus principalis: & adhuc in causa motiva sensus est de causa totali, & adæquata: licèt enim cesset ex parte causa motiva; si tamen aliquid illius persistat, sufficit vt dispensatio perduret, quamvis ab initio non esset per se sufficiens ad dispensationem obtinendam: quia juxta *regulam 73. juris in 6. Factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.* Si tamen dubium sit, cessaverit, necne causa totalis motiva dispensationis, pro valore illius standum est; siquidem dispensatio adhuc possidet, & potestas vtendi illa, à qua nemo debet expoliari, quandiu non constiterit de causæ cessatione. Quarè dubium est, quando quis certo scit causam cessasse, ob quam dispensatio fuit sibi concessa, an tunc pereat dispensatio, ita vt in conscientia non possit dispensatus ea vti operando contra legem? Duplex datur probabilis sententia.

Sententia asserēs cessare dispensationē cessante causa motiva adæquata.

89 Prima sententia dicit cessare dispensationem, hoc ipso quod causa motiva illius totalitèr cesset. Ita tenet Sanchez, Hurtado, Conich. Dicastillo, Trullench, quos adduximus *tract. 9. de matrimon. cap. 14. punct. 2. num. 28.* Bonacin. *disp. 1. de legib. quæst. 2. punct. 10. §. 1. num. 5.* & alij ab ipsis citati: & præter ibi dicta pro hac sententia, nunc probatur primò: quia totus valor dispensationis dependet à voluntate dispensantis; sed dispensans non censetur velle dispensationem impertiri, nisi pro tempore quo causa durat: quia non est judicandum velle imprudentèr, & irrationabilitèr eam concedere; & esset irrationabilis, & imprudens dispensatio, nisi sub tacita conditione de duratione causæ impensa. ¶ Secundò, quia jus commune difficilius potest amittere suam vim obligandi, quàm dispensatio, quæ est odiosa, & exorbitans à lege, possit suam vim relaxandi amittere; sed jus commune amittit suam vim obligandi per cessationem causæ totalis, & motivæ, vt diximus *cap. 4. num. 4.* ergo etiam dispensatio cessat per cessationem causæ motivæ, & totalis.

Non cessat dispensatio, etiam cessante causa motiva adæquata.

90 Sed nos consequentèr ad dicta *tract. de matrimon. cap. 14. num. 29.* adhæremus secundæ sententiæ asserenti, non cessare dispensationem per cessationem causæ motivæ, & totalis; & est dispar ratio quoad hoc inter cessationem legis, & cessationem dispensationis, quòd ad cessationem legis non requiritur productio alterius actus à legitima potestate exerciti; sed solum destructio ipsius legis, quæ sequitur statim, ac lex fit inutilis bono communi, quod habet ex hoc quod cesset eius finis motivus, & totalis; at dispensatio cessat per hoc, quod de novo lex reviviscat, & vim habeat obligandi, quæ anteà non obligabat: & cùm lex nisi à Legislatore imponi non possit, si semel ablata est per dispensationem, non potest præcisè per cessationem causæ redire. Hæc ergo est ratio nostræ assertionis, quæ intelligitur

in casu, quo dispensatio absolutè concessa est absque vlla conditione, aut restrictione. Quia per dispensationem absolutam lex relaxatur, & omninò cessat; sed revivisceré non potest, nisi per legitimam potestatem, à qua potuit incipere, quæ alia non est nisi Legislatoris: ergo per hoc præcisè, quod causa motiva cesset, non cessat dispensatio. Ita Basil. Per. Salas, Suarez, Sà, Palaus, Angelus, Sylvester *loco citato ex tract. 9. de matrimon. cap.* 14. adducti, & in præsenti Tapia *lib.* 4. *quæst.* 22. *art.* 1. *à num.* 4. *vsque ad* 8. Layman *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 15. Gordon. *lib.* 2. *quæst.* 23. *num.* 20. *fine*, Diana 1. *part. tract.* 10. *resol.* 41. Granad. *tract.* 3. *part.* 2. *disp.* 17. *sect.* 4. *num.* 36.

Quando cēsetur dispēsatio sub cōditione, vel absolutè cōcessa?

91 Sed difficultas est, quando absolutè censetur concessa dispensatio? quandove sub tacita conditione de duratione causæ? Pro quo accipe hanc generalem regulam: quod quando causa, quæ adest, prudenter judicatur semper duratura, quia frequenter non accidit illius cessatio, tunc censetur dispensatio concessa absolutè, & sic in perpetuum. Unde si per accidens in eo casu causa cesset, non reviviscit lex quoad vim obligandi; sed posset dispensatus licite vti tali dispensatione; vt si detur infirmitas, quæ moraliter judicatur perpetuò duratura, & obtineas à Pontifice dispensationem comedendi carnes pro tota vita, non recitandi officium divinum, non jeiunandi, etiamsi postmodum salutem perfectam acquiras, poteris vti tali dispensatione, donec à Pontifice revocetur. Idem dicimus, si pro hoc anno, pro hac quadragesima obtineas dispensationem à superiore non jeiunandi, vel abstinendi à carnibus: quia infirmitas pro tota illa censetur duratura, etiamsi, per accidens cesset, potes vti tali dispensatione. Ita Authores citati, qui licèt non omnes ita in particulari loquantur, mens tamen illorum est quam diximus.

Irregularis, qui absolutè accipit dispensationē, illa vti potest, cessante causa.

92 Idem dicimus de irregulari, qui obtinuit absque limitatione dispensationem ad omnes ordines, vel beneficia obtinenda ob paupertatem parentum, vel ministrorum inopiam; qui potest vti tali dispensatione, etiamsi per accidens parentes ditentur, vel copia ministrorum eveniat: quia censetur moraliter illa causa perpetua, & sic etiam concedi dispensatio absolutè. Idem dicimus de irregulari, qui ob morum honestatem obtinuit dispensationem, qui, licèt posteà mutet mores, vti potest dispensatione sibi concessa. Et ratio omnium est, quia, hoc ipso quod judicata fuit causa perpetua, non censetur sub conditione, sed absolutè concessa dispensatio; sed absoluta dispensatio tollit obligationem legis, quæ non reviviscit, nisi à Legislatore de novo imponatur: ergo, &c.

Quando causa non est perpetua, illa cessante, cessat dispēsatio.

93 E contra verò accidit, quando causa, ob quam obtinetur dispensatio, judicatur prudenter solùm pro tempore duratura; tunc enim, licèt non concedatur expressè dispensatio sub conditione, tacitè sub illa concedi censetur, vt probat argumentum contrariæ sententiæ: quia non debet præsumi, superiorem velle irrationabiliter, & imprudenter operari; & operaretur imprudenter, & irrationabiliter, si pro causa temporali dispensationem concederet perpetuam: quia non est sufficiens, & proportionata causa pro brevi tempore duratura, ad dispensationem perpetuam. Quare, cessante causa, cessat dispensatio: vt si obtinuisti dispensationem non jeiunandi, aut comedendi carnes in quadragesima ob infirmitatem, quæ non judicatur pro toto illo tempore duratura; cessante infirmitate, teneris jeiunare, quia sub conditione, *quandiu duret infirmitas*, censetur illa dispensatio concessa.

Per vnum, aut alium actū nō cessat dispensatio.

94 Ex quo sequitur, non cessare dispensationem per vnum, vel alium actum; quo illa vtamur, quando est absolutè concessa: vt si obtinuisti dispensationem in voto castitatis, aut religionis, ad contrahendum matrimonium, non cessat talis dispensatio per vnum, vel alterum matrimonium contractum: quia per absolutam dispensationem tollitur obligatio legis in totum respectu illius: & censetur absolutè concedi, quoties ex circumstantijs non colligitur concedi pro casu determinato: vt si petas dispensationem in voto castitatis ad contrahendum cum fœmina, quam defloraſti; quia tunc ex circumstantijs colligitur limitatè pro illo casu concedi; & sic, illa mortua, non poteris contrahere cum alia. Idem dicimus, quando, vel ex stylo, vel vsu communi, & acceptione Doctorum dispensatio cum determinatione censetur concessa, eo quod est odiosa, & sic est strictè intelligenda; vt si irregularis dispensetur ad ordines, tantùm pro minoribus intelligitur; si ad beneficium obtinendum, pro vno tantùm accipitur. Si petas dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, tantùm cum vna intelligendum est, qua mortua, non poteris cum alia contrahere. Quia ita fert communis vsus, & acceptio Doctorum. At si obtinuisti dispensationem ad non jeiunandum, non abstinendum à carnibus, non recitandum officium divinum, non cessat dispensatio per vnum, vel alterum actum; sed durat, quandiu causa dispensationis durat: quia cum soleant superiores tales dispensationes limitare, quando non limitant censentur absolutè pro tempore durationis causæ concedere. Ita Bonacin. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 7. *§.* 3. *num.* 1. Layman *tract.* 4. *cap.* 26. *num.* 6. Basilius *lib.* 8. *capit.* 20. *§. vnico*, *numer.* 13. Martin. *quæst.* 97. *artic.* 4. *dub.* 3. *circa finem.* Sanch. *lib.* 8. *disp.* 31. *num.* 8. Salas *disp.* 10. *sect.* 19. *num.* 127.

§. II.

An per mortem dispensatoris, vel per revocationem illius cesset dispensatio?

Non cessat dispensatio morte concedentis.

95 PEr mortem dispensatoris, quicumque ille sit, dispensatio non cessat, si fuit absolutè concessa, etiamsi res sit integra, & nondum incepta. Et ratio est, quia dispensatio est gratia: gratia autem per mortem concedentis non spirat: capit. *Si super gratia*, *de officio delegati in* 6. capit. *Is cui*, *de præbendis*, *eodem lib.* Et ratio est, quia gratia facta iam, & concessa, est quædam donatio; donatio autem est talis naturæ, vt transferat dominium perpetuum: ergo per mortem concedentis dispensatio non evacuatur. Vnde si accepisti dispensationem comedendi carnes pro tota quadragesima, poteris illis vesci, etiamsi in dimidio quadragesimæ dispensator decedat. Sic Tapia *lib.* 4. *quæst.* 22. *artic.* 2. *num.* 2. Martinez *quæst.* 97. *art.* 4. *dub.* 3. *concluſ.* 1. Bonacin. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 1.

Suar.

Suar. *lib. 6. cap. 20. n. 4. & cap. 31. n. 3.* Sanch. *lib. 8. de Matrimon. disp. 28. à n. 84.* Salas *disp. 20. sect. 17. num. 125.*

Quid, si dispensatio ad beneplacitũ superioris concessa est?

96 Si verò dispensatio non fuerit absolutè concessa, sed *donec placuerit, dispensatori, donec voluerit, ad arbitrium suæ voluntatis*, spirat dispensatio per mortem concedentis, si res integra sit: si verò integra non sit, sed iam actus inceptus, vel judicium, potest vti illa dispensatus, donec judicium, vel actus finiatur. Ut si virtute dispensationis incipiat confiteri cum excommunicato, vel Confessor virtute facultatis concessæ à superiore ad arbitrium suæ voluntatis incipiat audire confessionem, potest vterque actum illum finire, vt diximus *tract. 10. de Censuris, cap. 1. n. 34.* de habente potestatem delegatam ad ferendas censuras, vel absolvendum ab eis, quod scilicèt non cessat eius potestas, si inceptum sit judicium, per mortem delegantis. At verò si dispensatio detur sub conditione, *donec revocetur*, non spirat morte concedentis, etiamsi res integra sit: quia licet per mortem cesset voluntas dispensatoris, revocatio tamen illius non apponitur. Idem dicimus, quando conceditur dispensatio ad beneplacitum Episcopi, ad arbitrium sedis apostolicæ, quod per mortem Pontificis, aut Episcopi particularis non cessat, quia non concessa fuit dependentèr à voluntate superioris, vt particularis, sed ipsius sedis, quæ semper durat.

Quando potest superior dispensationem revocare?

97 Circa revocationem verò superioris, dicimus, quod si dispensatio à Legislatore data fuerit validè, absque causa poterit ipse Legislator, nisi nova causa emergat, & licitè, & validè revocare illam, quia tota dispensatio ex voluntate Legislatoris dependet. Imò tenetur revocare, quam absque justa causa expedivit, hoc ipso quod non adesse justam causam cognoscat: quia dispensatio (antequam sortiatur effectum, quomodo loquimur de illa) in fieri, & conservari, dependet à voluntate Legislatoris; sed ipse tenetur non concedere illam sine causa: ergo etiam tenetur eam absque causa concessam non conservare, sed per revocationem destruere. Imò, etiamsi ex justa causa concessa fuerit; & validè, & licitè poterit Legislator eam revocare, ob novam causam emergentem, quia semper pendet ex sua voluntate, quandiù non fortitur effectum. Tapia *lib. 4. q. 22. art. 3. n. 3.* Bonacin. *disp. 1. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 2.* Illicitè tamen revocabit dispensationem ex justa causa concessam, si absque justa causa eam revocet. Sed talis revocatio sine causa ex genere suo tantùm erit peccatum veniale; nisi ratione scandali, aut alterius damni ad mortale deveniat: quia est quædam retrocessio, & inconstantia animi, quæ ex genere suo tantùm est veniale peccatum, vt inquiunt Authores citati.

Quis possit revocare dispensationem ab alio concessam?

98 Inferior verò non potest dispensationem à superiore concessam revocare, quia nequit illius actus infringere. At superior potest revocare dispensationem ab inferiore concessam, vel in lege ipsius inferioris propria, vel in lege superioris: nimirum Pontifex potest Episcoporum dispensationes revocare, datas vel in legibus pontificijs, vel in legibus diœcesaneis: quia inferioris potestas potestati superioris est subordinata, vt eam corrigere, vel suspendere possit. Potest ergo dispensationes ab inferiore expeditas superior revocare; licitè quidem, si id ex justa causa faciat; & validè, si absque illa procedat. Peccavit verò absque causa justa dispensationem inferioris revocando: quia est contra debitum ordinem: & non nisi cum aliquo dedecore inferioris illius acta absque causa rescindere: & cum damno inferiorum, cum quibus rationabiliter fuerat dispensatum: & sic erit leve, vel grave peccatum, juxta gravitatem damni, vel offensionis ex tali revocatione secutæ.

Quomodo possit inferior revocare dispensationem?

99 Sed inquires, an in casibus, quibus inferior potest in legibus superioris dispensare, possit validè, & licitè, justa emergente causa, talem dispensationem revocare? Respondetur affirmativè: quia facultas dispensandi annexam habet facultatem revocandi dispensationem, quia vtraque ad rectum regimen est necessaria. Ita Tapia *lib. 4. q. 22. art. 3. n. 7.* Suar. *lib. 8. cap. 37. num. 15.* Undè Pontifex, vel quicumque alius, qui ex eius concessione dispensavit in votis, potest ex justa causa dispensationem expeditam revocare. Si verò inferior, post datam dispensationem in lege superioris, absque justa causa ad talem revocationem procedat, non cessat dispensatio; sed nulla est revocatio, quia facultas inferioris revocandi dispensationem, datam in lege superioris, est annexa facultati dispensandi, quam habet inferior in lege superioris: ergo sicut non potest inferior validè dispensare in lege superioris absque justa causa, vt diximus suprà; ita nec validè poterit dispensationem ex justa causa expeditam absque causa justa revocare. Ita Bonac. *disp. 1. q. 2. §. 2. n. 2.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 33. n. 14.* Salas *disp. 20. sect. 18. n. 126.* Martin. *q. 97. art. 4. dub. 3. concl. 3.*

§. III.

De renuntiatione dispensationis.

Potest dispensatus renuntiare dispensationi; in aliquibus casibus nõ potest.

100 Cessat denique dispensatio per renuntiationem factam à dispensato. Quam posse facere licitè, & validè nemo ambigit, quando effectus dispensationis non est sequutus: quia favori sibi concesso renuntiare potest: cap. *Ad Apostolicam, de Regularibus*, nisi tamen esset in damnum alterius; vt si dispensationem obtinuisset ad contrahendum cum consanguinea, quam defloraverat: quia tunc renuntiare non poterit dispensationi cum alterius præjudicio; vel nisi exemptio, aut privilegium datum sit in favorem communitatis; cui renuntiare non possunt illius particulares personæ: vt de privilegijs clericorum, & regularium omnes asserunt. Vel denique nisi Prælatus præcipiat subdito vti dispensatione: quia quando superior ex justa causa dispensat in lege, habet facultatem præcipiendi suo subdito vsum dispensationis à quocumque concessæ: eo quod ad hoc præcipiendum potest ex rationabili causa moveri, sicut ad dispensandum. Quare inferior tenetur obedire Prælato præcipienti, vt carnes in quadragesima comedat, vt non jejunet, si ex justa causa cum ipso dispensaverit. Tapia *lib. 4. quæst. 22. art. 9. num. 3.* Caiet. 2. 2. *q. 104. art. 5. ad 3. §. Ad hoc dicitur.*

Quando sit renuntiatio consummata?

101 Renuntiatio ergo dispensationis potest esse expressa, vel tacita. Tacita est, quando ex sufficientibus signis colligitur adesse in dispensato voluntatem cedendi favori; vt si rumpat literas, in quibus est dispensatio, cum voluntate renuntiandi: hæc enim voluntas semper requiritur, sine qua nulla est renuntiatio, sive verbis, sive signis expressa. Expressa est, qua verbis sufficientibus cessio favoris declaratur. Undè post consummatam renuntiatio nem tacitam, vel expressam, non potest dispensatus am-

ampliùs vti dispensatione, contra legem operando. Ut autem consummata sit renuntiatio requiritur, quod sit nota ipsi dispensatori pro parte dispensati, & quod ab ipso dispensatore acceptetur, renuntiatio: quia, dum dispensator non acceptat dispensationem, perseverat in voluntate dispensandi, quæ est quasi prorogata, & continuata dispensatio: ergo, vt dispensatio cesset, debet renuntiatio illius à dispensatore acceptari. Ita Suar. *lib. 6. cap. 20. à n. 9.* Tap. *lib. 4. q. 22. art. 6. n. 4. & art. 8. n. 4.* Bonac. *disp. 1. quæst. 2. punct. 7. §. 2. n. 5.* Martin. *q. 97. art. 4. dub. 3.* Gord. *lib. 2. q. 13. n. 20.*

Quis tacitè renũtiare cẽ seatur?

102 Sed difficultas est, quando censeatur dispensatum tacitè renuntiare dispensationi? Ad quod respondet Martin. *loc. cit.* quod per non vsum decennalem, oblata occasione vtendi dispensatione, censetur dispensatus illi renuntiare. Et Gordon. *lib. 2. q. 13. n. 20.* Sanch. *de Matrimon. lib. 8. disp. 22. n. 9.* quod est signum renuntiationis, si quis dispensatus ad contrahendum cum vna, petat contrahere cum alia. Sed nihilominus dicendum est cum doctissimo Tapia *lib. 4. quæst. 22. art. 7.* Suar. *lib. 6. cap. 20. n. 8.* non vsum dispensationis, vel non acceptationem illius, non esse sufficiens signum tacitæ renuntiationis: imò addit Tapia, nec vsum contrarium materiæ dispensationis, tacitam esse renuntiationem. Quod non vsus non sit, probatur: quia non vsus dispensationis optimè compatitur cum voluntate illam retinendi. Similiter non acceptatio, quando offertur dispensatio, eam non annullat: sicut legem non annullat, qui eam non acceptat: vtrobique enim eadem ratio currit, quia sicut lex ex voluntate dispensatoris dependet, sic etiam dispensatio: ergo sicut lex ad sui valorem non dependet ex acceptatione, vel non acceptatione subditorum, vt diximus *cap. 1. num. 99. &* 102. sic nec dispensatio. Denique quod nec contrarius vsus sit signum renuntiationis, probatur: quia contrarius vsus solùm opponitur vsui dispensationis, non potestati vtendi illa: ergo potest conservari potestas ad vtendum dispensatione cum vsu contrario illius.

Quibus casi bus tacita re nuntiatio nõ detur?

103 Ex quo sequitur, non esse sufficiens signum tacitæ renuntiationis, quod petas de eadem re novam dispensationem: quia non ob id censeris priori renuntiare, cum id facere possis, vel ob ignorantiam prioris, vel ob scrupulum, vel ad maiorem securitatem. Similiter si dispensatus ad contrahendum cum consanguinea, aliam ducas, potes, ista mortua, cum illa contrahere, sine nova dispensatione, quia nec per non vsum, vel per vsum contrarium priori, censeris illi renuntiare. Vel si dispensatus es ad contrahendum cum consaguinea, & votum emittas castitatis, aut religionis, non amittis potestatem vtendi dispensatione obtenta, per istum actum contrarium: & sic, petita dispensatione voti, potes cum dicta consanguinea contrahere. Denique si habes dispensationem ad comedendas carnes, ad non jeiunandum, ad non recitandum officium divinum, potes vti tali dispensatione, etiamsi per aliquos dies jeiunaveris, à carnibus abstinueris, vel officium persolveris. Sic præcitati Authores.

CAPUT VI.

De Consuetudine, quæ lex non scripta dicitur.

CAPUT Hoc continet quinque Puncta, quibus totam hanc materiam pro more brevitèr elucidabimus.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit consuetudo?* num. 1.

Punct. II. *A quibus potest consuetudo introduci.* num. 5.

Punct. III. *Quas conditiones consuetudo, vt habeat vim legis, vel vt legem abroget, requirat?* num. 9.

§. I. *Quæ sit rationabilis consuetudo.* num. 10.

§. II. *Quod tempus requiratur ad introducendam consuetudinem?* num. 15.

§. III. *De qualitate actuum, & frequentia illorum requisita ad consuetudinem.* num. 20.

§. IV. *De intentione requisita in introducentibus consuetudinem.* num. 28.

§. V. *De consensu Principis requisito ad hoc, vt consuetudo habeat vim legis.* num. 31.

Punct. IV. *De effectibus consuetudinis.* num. 34.

§. I. *De obligatione, quam consuetudo generat.* num. 35.

§. II. *Quomodo possit consuetudo legem abrogare?* num. 39.

§. III. *De interpretatione legis, quam potest exhibere consuetudo.* num. 45.

Punct. V. *De modis, quibus consuetudo potest cessare.* num. 49.

§. I. *Quomodo per novam legem possit abrogari consuetudo?* num. 50.

§. II. *Quomodo consuetudo cesset per consuetudinem contrariam?* num. 56.

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex sit consuetudo.

Diffinitio consuetudinis?

1 DIvus Isidor. *in libr. 2. Etymolog. cap. 10. & lib. 5. cap. 3.* ita diffinit consuetudinem: *Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, vbi deficit lex.* Quæ definitio ab omnibus communiter recipitur. Dicitur enim *jus quoddam*: quia hic describitur consuetudo, vt est quid juris, quomodo loquimur de illa in præsenti, seu secundùm quod habet novum jus introducere, legemque verè ac propriè constituere. Nam consuetudo, vt est quid facti, non tam dicitur consuetudo, quàm vsus, & mos: est enim repetitio actuum, quæ potius est causa consuetudinis, quam consuetudo: nam consuetudo propriè dicta, prout habet vim legis, ex repetitione actuum similium generatur. Ex quo patet discrimen inter vsum, seu morem, & consuetudinem, quæ omnia nomine consuetudinis solent nuncupari, nam vsus, inquit D. Thom. 1. 2. *quæst. 16.* est actus, quo voluntas liberè exequitur, quod eligit: & juxta communem modum loquendi denotat similium actuum frequentiam; in quo cum more convenit, qui non est aliud, quàm similium actuum repetitio: & tam vsus, quàm mos conveniunt cum consuetudine, vt est quid facti, vt inquit D. Thom. 3. *dist. 23. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2.* At consuetudo, vt est quid juris, habetque legem introducere, est effectus moris, aut vsus, aut consuetudinis facti: siquidem ex frequentatione actuum à populo repetita oritur jus, & obligatio ad similes actus exercendos: & hoc significatur illis verbis, quod est *moribus institutum*: id est non verbis, aut scripto sancitum, sed ex repetitione actuum, vel omissionum (quæ in præsenti nomine actuum semper intelliguntur) generatum.

Explicatur amplius diffinitio.

2 Per illa vltima verba diffinitionis, *vbi lex deficit*, denotatur, consuetudinem debere esse præter legem, vt vim legis sortiatur. Pro quo notandum est, triplicem esse consuetudinem, vt diximus *tractat. 9. de Matrimon. cap. 11. punct. 1. numer. 19.* Aliam *contra legem*; aliam *secundum legem*, & aliam *præter legem*. Consuetudo, quæ est contra legem, non habet novam legem, aut jus introducere, sed legem præexistentem abrogare; & sic non ingerit novam obligationem, sed tollit præexistentem. Vt consuetudo, quæ est in castella comedendi intestina, & extrema animalium die sabbathi, quæ non facit jus, nec obligat ad sui observationem; & sic plures ex sua devotione à tali comestione abstinent, sed abrogat jus commune à similibus abstinendi, facitque licitum talem vsum. Consuetudo, quæ est secundum legem, non tam dicitur consuetudo, quàm observantia, & executio legis: nec introducit novum jus: aut novam obligationem, quàm lex illa, secundum quam talis est consuetudo, habebat imponere: & sic lege illa relaxata, per abrogationem, dispensationem, &c. talis etiam consuetudo vim suam amittit. Consuetudo igitur, quæ habet vim legis, & novum jus introducere potest, illa est, quæ est præter legem, nimirum quando datur frequentia actuum circa materiam, de qua lex scripta nihil disponit: quæ frequentia, si habeat cæteras conditiones requisitas, vt consuetudo legitimè sit introducta, habet vim legis obligantis ad similes actus exercendos.

In quo differat consuetudo à stylo & præscriptione.

3 Ex dictis patet, consuetudinem cum stylo, & præscriptione in aliquo convenire, & ab eis differre. Convenit enim cum stylo, quia etiam stylus est quædam consuetudo, sed limitata ad judiciales actus, qua ratione stylum curiæ romanæ facere legem, frequenter asseritur à Doctoribus: quia ex frequenti vsu, quo in romana curia causæ deciduntur, expediuntur bullæ, & rescripta, &c. nascitur consuetudo, quæ obligat modum illum observare in judicijs. At consuetudo absoluta, de qua nunc loquimur, est generalis ad omnes actiones, & materias. ¶ Etiam convenit cum præscriptione: quia in vtraque aliquid intervenit, tùm facti, tùm juris; aliter tamen, & aliter: nam consuetudo est lex obligans omnes communiter; præscriptio autem etiam respectu particularium personarum datur. Deinde consuetudo parit legem; præscriptio dominium, & sic illa inducit obligationem legalem, vel ab ea excipit: hæc autem obligationem justitiæ. Præterea ad præscriptionem bona fides requiritur, non ad consuetudinem. Nam estò actus sint mali, quia prohibiti per legem humanam, per illorum frequentiam longo tempore consuetudo datur, quæ abroget talem legem. Deinde consuetudo requirit tacitum, vel expressum consensum illius contra quem introducitur, non ita præscriptio: & ideò propriè loquendo consuetudo adversus nullum præscribit; nam si contra aliquem, maximè contra Principem, qui legem sancivit, quam abrogat consuetudo; sed contra illum non, siquidem ex tacito, vel expresso talis principis consensu vim habet consuetudo legem abrogandi; quamvis communiter dicatur, consuetudinem præscripsisse, vel esse præscriptam, vel non, quando tempus requisitum pro ea transijt, vel non transijt: & quia cum pluribus est loquendum, nos eam præscriptam, vel non præscriptam multoties hoc capite appellabimus. Sic Tapia *lib. 4. quæst. 25. artic. 1. num. 6.* Palaus *tract. 3. disput. 3. punct. 1. n. 6.* Vazq. *disp. 177. cap. 5. n. 48.* Gordon. *lib. 2. q. 14. cap. 1. num. 2.*

Quotuplex sit consuetudo?

4 Præter divisionem illam consuetudinis, in eam quæ est contra legem, secundùm legem, & præter legem, de qua diximus *num. 2.* dividitur consuetudo in rationabilem, & irrationabilem, seu corruptelam, de qua agemus *punct. 3. §. 1. num. 11.* Deinde in ecclesiasticam, & civilem: quæ divisio non sic accipienda est, vt aliqui intelligunt, vt ecclesiastica sit, quæ à solis ecclesiasticis introducitur: civilis, quæ à sæcularibus, vel mixtim à sæcularibus, & ecclesiasticis ortum habet: nam etiam sæculares possunt introducere ecclesiasticam consuetudinem, & è contra ecclesiastici consuetudinem civilem: nam ad introducendam consuetudinem habentem vim legis, vel abrogantem præteritam legem, sufficit esse communitatem capacem gubernandi se per legem: non autem requiritur in ea esse virtutem activam condendi legem, vt *puncto sequenti* dicemus: quia non ex virtute communitatis habet consuetudo vim legis, sed ex consensu Principis tacito, vel expresso. Undè quamvis sæculares nequeant legem sancire ecclesiasticam; sunt tamen capaces gubernationis passivæ per eam, ideòque illam introducere possunt. Tunc ergo erit consuetudo ecclesiastica, quando est de actibus ad finem spiritualem ordinatis, sive à sæcularibus, sive ab

ab ecclesiasticis introducatur. Ut consuetudo jeiunandi talibus diebus, observandi talem festum, &c. & tunc erit civilis, quando ad bonum politicum, & civile ordinatur: & vtraque secundum communitates, à quibus ortum ducit, subdividitur: si enim sit totius ecclesiæ, canonica dicitur; si totius regni, dicitur communis; si sit alicuius provinciæ, dicitur nationalis; & municipalis, vel diœcesana, si sit alicuius civitatis, aut diœcesis.

PUNCTUM II.

A quibus possit consuetudo introduci?

Non potest persona singularis introducere consuetudinem.

5 CErtum est, privatam personam non posse per actus repetitionem introducere consuetudinem, etiamsi sit Princeps supremus; non enim per hoc, quod ipse aliquid agat, censetur velle legem de illo introducere; sed plurium requiritur consensus in multiplicatione aliquorum actuum, vel omissionum convenientiũ, vt consuetudo obligans ad tales actus firmetur: & multò minus poterit alia persona inferior Principe consuetudinem introducere, leg. *De quibus, ff. de legibus*, quia privatus nec habet potestatem derogandi potestati superioris, nec præsumitur eam habere ex mente superioris: quia esset irrationabilis talis facultas, vt subditus per transgressionem legis ab ea eximeretur, aperireturque via ad enervandas omnes leges. Quare sicut singularis persona incapax est, vt per leges gubernetur, cum lex detur in communi, non respectu singularis: sic vt possit consuetudinem derogativam legis, vel consuetudinem vim legis habentem introducere. Et idem dicimus de communitatibus imperfectis, vt domus, familia, quæ non possunt introducere consuetudinem. Possunt tamen communitates perfectæ, vt sunt regna, provinciæ, & civitates absolutæ, quæ possunt leges sancire. Quod est apud omnes indubitatum.

Cõmunitas legis capax potest introducere consuetudinem.

6 Quare dubium est, an communitates, quæ leges ferre non possunt, vt sunt omnes provinciæ, aut civitates Hispaniæ, possint consuetudinem vim legis habentem introducere? Respondetur affirmativè: & sic civitates, regna, provinciæ, quæ supremum Principem recognoscunt, ac proindè non possunt leges ferre perpetuas, possunt consuetudinem vim legis habentem introducere. Similitèr pro tota ecclesia, vel pro aliqua diœcesi possunt populi introducere consuetudinem abrogativam legis præteritæ, vel inductivam novæ; quamvis ipsi nequeant leges canonicas, aut episcopales sancire. Et ratio est, quia ad introducendam consuetudinem, quæ vim legis habeat, sufficit esse communitatem perfectam capacem regiminis veri sub perfecta vnitate corporis politici, quæ proindè per leges possit gubernari; quamvis non habeat potestatem activam condendi leges. Nam licèt leges ferre nòn sufficiat, sat est quod passivè possit per leges gubernari; siquidem talis communitas introducendo consuetudinem, legem non fert vt suam, sed ex consensu tacito, vel expresso Principis applicato communitati capaci legis. Ita Div. Thom. 2. 2. *quæst. 97. art. 3. ad* 3. Martin. *ibi, dub. 3. concluf. 3.* Tapia *lib. 4. quæst. 25. art. 7. numer. 3.* Gordon. *lib. 2. quæst. 14. cap. 3. num. 11.* Palaus *tract. 3. disp. 3. punct. 3. num. 4.* Suar. *lib. 7. cap. 9. à n. 7.* Bonac. *disp. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 3. n. 13. & 28.* Sal. *disp. 19. sect. 6. n. 59. & sect. 11. num. 30.*

Solum qui leges observare tenentur, possunt per consuetudinem legem abrogare.

7 Sed hìc notanda sunt duo. Primum consuetudinem legis abrogativam debere ab his introduci, qui legem observare tenentur: quia talis consuetudo solùm per actus legi contrarios introducitur; sed actus non sunt contrarij legi, nisi ab eis exerceantur, qui ad legis observationem adstringuntur: ergo, &c. Undè pueri, amentes, &c. nequeunt introducere consuetudinem legis abrogativam, nec fœminæ possunt per consuetudinem leges viros obligantes auferre, nec viri leges proprias fœminarum possunt per consuetudinem abrogare, nec consuetudinem obligantem illas introducere: nec denique sæculares possunt per actus frequentationem ab ecclesiasticis obligationem legis propriæ auferre, aut è contrà ecclesiastici non possunt per contrarium vsum leges obligantes sæculares auferre; nisi quando materia est communis omnium, vt *punct. seq.* dicemus.

Maior pars communitatis potest cõsuetudinem introducere.

8 Secundò nota, consuetudinem, tam abrogativam legis antiquæ, quàm novæ inductivam, debere introduci à maiori parte communitatis per actus, vel omissiones repetitas illius, ex subjectis habilibus, & capacibus legis: quare non sufficit, quod minor pars in huiusmodi actibus conveniat: nec quod tota communitas requirat, sed sat est maioris partis consensus, quia moraliter maioris partis consensus æstimatur consensus multitudinis: leg. *Quod maior, ff. ad municipalem.* Undè, si maior pars communitatis fœminarum in frequẽtatione actuum conveniat, possunt introducere consuetudinem totam communitatem obligantem, vt legem. Bonacin. *disp. 1. quæst. 1. punct. vltim. §. 3. numer. 15.* Suarez *lib. 7. cap. 26. numer. 11.* Palaus *disput. 3. punct. 3. numer. 7.* Tapia *suprà numer. 5.* Qui etiam asserunt, mercatores posse se eximere à propria lege ipsorum per consuetudinem, vel eam introducere obligantem omnes, si maior illorum pars in ea conveniat: quia constituunt communitatem capacem, vt per legem gubernetur.

PUNCTUM III.

Quas conditiones consuetudo, vt habeat vim legis, vel vt legem abroget, requirat?

Conditiones consuetudinis enumerãtur.

9 QUinque conditiones ab Athoribus assignantur pro consuetudine legitima vim legis habente, abroganteque legem præteritam. Prima, quòd sit rationabilis, id est, secundùm debitam rationem, & honestatem. Secunda, quòd sit ex frequentatione publica actuum liberorum, vel omissionum illorum. Tertia, quòd duret per longum tempus. Quarta, quòd adsit Principis consensus. Quinta, quòd non fiat ex sola devotione, sed ex animo inducendi jus per modum legis. De quibus agemus divisim claritatis gratia in diversis paragraphis.

§. I.

Quæ sit rationabilis consuetudo.

Debet consuetudo esse vtilis, & honesta.

10 PRima consuetudinis conditio est, quod sit rationi consona; & sic quod sit vtilis, & conveniens bono communi. Si verò sit contraria bono communi, aut rationi, aut indifferens; proindeque bono communi inutilis, non potest dici consuetudo rationabilis, sufficiens ad inducendam obligationem. Et ratio est, quia consuetudo legitimè introducta habet vim legis; sed lex debet esse rationabilis, id est, bono communi conveniens: hoc est, non indifferens, non inutilis, non honestati, aut rationi contraria: ergo idem habere debet consuetudo: quod vno verbo explicatur dicendo, consuetudinem vim legis habentem debere esse de materia, quæ possit per legem imperari.

Contra jus divinum, aut naturale, nulla prævalere potest cõsuetudo, benè autem contra legẽ humanam.

11 Undè sequitur, contra legem naturalem nullam posse prævalere consuetudinem: quia actus contra illam exerciti sunt intrinsecè mali: ex actibus autem intrinsecè malis nulla prævalere potest consuetudo, quæ vere sit talis, sed quæ sit abusus, seu corruptela. Ita diffinitur à Gregorio IX. in capit. *finali, de consuetudine*: & tradit Div. Thom. *quæst. 97. artic. 3. ad 1.* Similiter contra jus divinum irrationabilis, turpis, & invalida est omnis consuetudo: quia cùm lex divina ex sola Dei voluntate dependeat, per nullam voluntatem humanam fieri potest, quin obliget in conscientia. At contra legem humanam prævalere potest consuetudo, quæ illam abroget; & obligationem eius auferat de medio. Et ratio est, quia licèt illa lex esset rationabilis, hìc, & nunc potest circumstantia occurrere, ratione cuius ipsam non observare erit magis expediens: & ideò poterat per novam legem lex illa auferri; sed, hoc ipso quod detur consuetudo contraria, adest circumstantia, ratione cuius convenientius sit illam legem non observare, & censetur Legislator eam velle auferre: ergo, &c. Probatur minor, quia iam, supposita consuetudine populi, est rationi consonum, & reipublicæ expediens, quod culpa non ampliùs progrediatur; quod multitudo non ampliùs adstringatur contrà illius morem, & vsum, quia esset valdè difficilis legis observantia contra id, ad quod populus assuefactus erat: ergo censetur Legislator velle auferre legem, ne multitudo ampliùs per illam obruatur. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst. 97. artic. 3. ad 2.* & Authores citandi *num. sequent.*

Non requiritur bona fides ad introducendã consuetudinem.

12 Ex quo sit, non requiri bonam fidem in his, qui consuetudinem introducunt, vt illa, legitimo tempore durans, abroget legem præscriptam: quia consuetudo potest introduci per actus contrarios lege humanæ, & peccaminosos contra illam; sed tunc non datur bona fides: ergo, &c. Nec ob id dicenda est consuetudo irrationabilis, aut inhonesta: quia licèt, quando mala fides aderat, essent actus mali; quia tamen non erant actus ab intrinseco mali, & præcisa lege, hoc ipso quod transeat tempus requisitum pro consuetudine, cessat lex, & actus absque tali malitia remanent: & sic datur bona fides in operantibus juxta consuetudinem, licèt mala fides fuerit in introducentibus eam. Et in hoc differt consuetudo à præscriptione, quia præscriptio jure proprio, ac dominio privat; & hoc irreparabiliter, ad evitandas lites: & sic non conveniebat eam concedere possidenti ex mala fide, quia hoc esset fovere injustitias, & furta: at consuetudo contra legem neminem privat jure suo, solùm removet obligationem legis, quam posset Legislator denuò renovare, si sibi expediens videretur. Undè bonam fidem non requiri ad consuetudinem, sed posse mala fide, & cum peccato contra legem humanam introduci, tenent Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disput. 4. numer. 14.* Suarez *libr. 7. capit. 14. à numer. 24.* Granados *controvers. 7. tractat. 3. part. 2. disput. 16. section. 1.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vltim. §. 3. numer. 46.* Diana *6. part. tract. 5. resol. 1.* Palaus *tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 1. numer. 3.* Martinez *quæst. 97. dub. 2. conclus. 2.* Tapia *lib. 4. quæst. 20. artic. 3. numer. 4.* Caietanus *1. 2. quæst. 97. artic. 3. ad 2.*

Qui peccent introducendo consuetudinem contra legem?

13 Igitur contra legem peccant, qui consuetudinem introducunt toto tempore, quo consuetudo legi non prævalet: quia toto illo tempore lex viget, & obligat: ergo agere contra eam erit peccatum: posteri verò consuetudinem à suis maioribus introductam observantes, excusantur à culpa. Nec investigare tenentur de illorum justitia; sed potiùs eam debent præsumere: siquidem rectè fieri præsumitur, quod ab omnibus exercetur: leg. 1. *de quibus, ff. de legibus.* Pro quo nota, consuetudinem habere triplicem statum, inceptionis, progressus, & præscriptionis adeptæ. In statu inceptionis peccant introducentes consuetudinem contra legem: in statu progressus non peccant, qui ea vtuntur, quia inveniunt eam iam à maioribus introductam; possunt tamen puniri à Prælatis, seu Magistratibus: in tertiò verò statu nec peccant, nec pœnæ legis subijciuntur: eo quod tunc iam habet consuetudo vim legis consuetudinariæ abrogantis legem scriptam, quæ proindè nullam vim habet in sui transgressores. Quod autem in statu progressus non peccent, qui consuetudinem contra legem sequuntur, & sunt successores eorum, qui illam introduxerunt, tenent Montesin. *disput. 23. quæst. 13. num. 229.* Araujo *1. 2. quæst. 97. disput. 3. sect. 8. post 2. conclus. notabil. 1.* Palaus *tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 1. numer. 5.* Caietan. *1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 2.* Soto *lib. 1. de justit. quæst. 7. art. 2. ad 2.* Layman *tract. 4. cap. 24. numer. 11.* Diana *6. part. tract. 5. resolut. 1.* Si tamen fuerit immemorabilis consuetudo, præsumenda est iam justa, & rationabilis, etiamsi sit contra dispositionem alicuius legis: quia ratione temporis diuturni præsumitur in ea justus titulus.

Quando justa, vel injusta censeatur consuetudo?

14 Cæterùm si huiusmodi consuetudo sit præter legem, vt judicetur rationabilis, sufficit, quod ab omnibus, vel à maiori parte observetur, nisi de opposita injustitia, aut inutilitate constet. Siquidem justum judicatur id, in quod omnes conveniunt. Si tamen legi adversetur talis consuetudo, arbitrio prudentum judicandum est, an sit justa, & reipublicæ expediens: in dubio autem judicanda est rationabilis, & justa, quia in favorem consuetudinis iam introductæ judicandum est in dubio de justitia illius; siquidem consuetudo est iam in possessione. Suarez *lib. 7. cap. 6. num. 15.* Dian. *resolut. 1. citat.* Palaus *num. 5.* Si verò non solùm sit consuetudo contra legem, sed à

lege

lege prohibita in dubio de justitia illius judicandum est pro lege, quæ est in possessione, & contra consuetudinem, quia prohibitio consuetudinis est certa: ergo non potest dejici à sua possessione ob justitiam dubiam de consuetudine contraria. An verò possit prævalere consuetudo contra legem ipsam prohibentem, dicemus *punct. seq.*

§. II.

Quod tempus requiratur introducendam consuetudinem.

Longum tẽpus pro consuetudine requiritur, & quod sit secundum aliquos?

15 UT consuetudo novum jus introducat, requiritur, quod sit per longum tempus continuata, leg. *De quibus*, leg. *Sed ea. ff. de legibus*; sed difficultas est, quod tempus requiratur, vt sit sufficiens ad introducendum consuetudinem. Prima sententia valdè probabiliter asserit, non esse determinatum, sed arbitrio prudentum relinquendum, qui pro negotiorum qualitate, & actuum repetitione illud porrigere, vel limitare debent. Et ratio est, quia nullum datur jus tempus designans ad hunc effectum; aliàs ex natura rei minus tempus requiritur in aliquibus casibus, qui frequenter accidunt, quàm in alijs, qui rarò contingunt. Quis enim negavit minus tempus exigi ad introducendam consuetudinem jejunandi, aut comedendi carnes singulis ferijs sextis, quæ singulis hebdomadibus contingit, quàm ad introducendam consuetudinem jejunandi, aut non jejunandi in vigilia alicuius Sancti, quæ semel tantum in anno occurrit? Et sic tenent Villalob. 1. *part. tractat.* 11. *diffic.* 38. Soto *lib.* 1. *de justit. quæst.* 7. *artic.* 2. Basilius *de Matrimon. lib.* 6. *cap.* 5. *numer.* 9. Vazquez 1. 2. *disput.* 177. *cap.* 5. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 25. *art.* 9. *n.* 2. vbi diversas regulas ad id judicandum apponit.

Ad consuetudinem introducendã sufficit decẽnium.

16 Sed nos consequentèr ad ea, quæ diximus *tract.* 9. *de Matrimon. cap.* 11. *punct.* 1. *num.* 24. modò asserimus, ad introducendam consuetudinem præter legem, & etiam contra legem civilem, sufficere, & necessariam esse actus repetitionem per decennium. Et probatur, quia jura ad introducendam consuetudinem solum requirunt longum tempus; sed decennium continuatum judicatur longum tempus in jure, *leg. vltim.* Cod. *de præscriptionibus*, §. 1. *instituta, de vsucapion.* ergo hoc sufficit, & requiritur pro consuetudine. Prætereà, quia cap. *Final. de consuetudine*, solùm requirit summus Pontifex, quod consuetudo sit legitimè præscripta; sed, licèt dentur aliquæ præscriptiones ob speciales rationes exigentes plusquam decennium ad præscriptionem, illud communitèr sufficit, nisi aliud in jure exprimatur: ergo, vt consuetudo sit legitimè præscripta, sufficit vt duret per decennium. Atque ita docent Araujo 1. 2. *quæst.* 97. *disp.* 3. *sect.* 8. Granad. *controvers.* 7. *tract.* 3. *part.* 2. *disp.* 16. *section.* 2. *numer.* 9. Diana 6. *part. tractat.* 5. *resolution.* 2. Suarez *lib.* 7. *cap.* 8. *numer.* 7. *juncto capit.* 15. *numer.* 5. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct. vltim.* §. 3. *numer.* 31. Layman *tractat.* 4. *capit.* 24. *numer.* 2. & 5. Palaus *tractat.* 3. *disp.* 2. *punct.* 2. §. 2. *num.* 5.

17 Sed inquires, an sufficiat hoc decennium ad introducendam consuetudinem contra legem canonicam? Affirmant Palaus, & Granad. *supr.* Sà, *verb. Consuetudo, numer.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 14. *num.* 46. Navarr. *lib.* 1. *consil. tit.* 48. *de Consuetudine, consil.* 1. Azor. 1. *part. lib.* 5. *cap.* 18. *quæst.* 6. quia in jure longum tempus requiritur ad interpretandum consensum Principis videntis, & tacentis consuetudinem contra suam legem introduci; sed non est maior ratio, quare decennium sufficiat ad hoc munus in consuetudine contra legem civilem, quàm contra legem ecclesiasticam: ergo dicendum est hoc sufficere etiam pro ista. ¶ Verius tamen dicendum est, requiri quadrigennium ad consuetudinem contra legem canonicam introducendam, quia, vt diximus ex cap. *Final. de consuetud.* requiritur consuetudinem esse legitimè præscriptam; sed non datur præscriptio adversus ecclesiam, nisi post quadraginta annos, cap. *De quarta*, cap. *Ad aures, de præscriptionibus*: ergo hoc tempus erit necessarium, vt consuetudo adversus legem canonicam prævaleat. Ita Bonacin. *n.* 32. Laym. *num.* 5. Arauj. *fol.* 731. Turrecremat. cap. *Consuetudo, quæst.* 2. cap. *Mos, quæst.* 4. Diana *supr.* Salas *disp.* 19 *sect.* 4. *num.* 42. Reginald. *lib.* 13. *n.* 247. Suar. *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 12.

Quadrigennium requiritur ad introducendã consuetudinem contra legem canonicam.

Vnius Doctoris Eximij dictum ad firmandã consuetudinem sufficit.

18 Sed hìc notanda sunt duo. Primum, sufficere dictum vnius Eximij Doctoris asserentis tempus ad consuetudinem requisitum præterijsse, vt per eam lex abrogata censeatur, etiamsi plures alij oppositum sentiant; ideòque in foro conscientiæ illi acquiescere potest vnusquisque, vt absque peccato juxta consuetudinem operetur, quia auctoritas vnius præexcellentis Doctoris rem facit probabilem, quando non constat de opposito: ergo, si testetur omnia adesse pro consuetudine requisita, illi credendum est, dum clarè non probatur oppositum. Ita Martin. *quæst.* 97. *articul.* 2. *conclus.* 6. Granad. *tract.* 3. *part.* 2. *disput.* 16. *sect.* 2. *numer.* 12. Salas *disp.* 19. *sect.* 19. *num.* 108.

Diximus: *Vnius Eximij Doctoris dictum sufficere*, quia iste fortè opinionem facit probabilem; secùs verò, si sit alicuius junioris, & moderni, *sed non Eximij*: nam huius sententiam, cum Alex. VII. probabilem non judicamus; vt patet ex eius decreto, propos. 27. damnante, sic se habentem: *Si liber sit alicuius junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à sede apostolica, tamquam improbabilem.* Igitur, similis junioris dictum non sufficiet, an nec ne præterierit tempus ad consuetudinem requisitum.

Si tempus interrũpatur, non prævalet consuetudo.

19 Secundò notandum est, tempus iam dictum requisitum ad consuetudinem debere esse continuatum moralitèr. Tùm, quia à præscriptione debet excludi interruptio: ergo etiam à consuetudine. Tùm etiam, quia, si interrumpitur consuetudo, iam non censetur per decennium, aut quadrigennium durare. Tùm denique, quia quando tempus assignatur à jure ad aliquem effectum, debet intelligi de tempore continuo, non interrupto; & tunc censetur interrumpi consuetudinem, quando, occurrente occasione, contra illam agitur à tota communitate, vel à maiore parte illius, etiamsi vnicus actus contra talem consuetudinem fiat; vel si Princeps puniat introducentes talem consuetudinem, vel illis resistat, quia cum requiratur expressus, vel tacitus Principis consensus, vt legitimè consuetudo introducatur, hoc ipso quod illius dissensus detur, inter-

interrumpitur consuetudo; & tunc inchoanda est, quoties interrumpitur, ita vt præteritum tempus pro nihilo habeatur. Martin. *quæst. 97. art. 3. dub. 2. fol. 261.* Laym. *tract. 4. cap. 24. num. 13. quæst. 6.* Granad. *supr. n. 16.* Bonac. *n. 33.* Diana *6. part. tract. 5. resol. 3.* Palaus *§. 2. n. 11.* Tapia *art. 10. n. 3.* Salas *disp. 19. section. 11. à numer. 93.* Suarez *lib. 7. capit. 8. numer. 15.*

§. III.

De qualitate actuum, & frequentia illorum requisita ad consuetudinem.

Consuetudo debet per actus frequentes, liberos, & publicos introduci.

20 TRes conditiones debent habere actus, per quos consuetudo præter, aut contra legem introducitur, quòd sint liberi, frequentes, & publici: debent quidem esse frequentes, & repetiti, nam, vt consuetudo vim juris habeat, debet per consuetudinem facti, seu per morem, & vsum repetitum generari. Difficultas vero est, quot actus sufficiant, vt vsus, & mos hominum dicantur sufficientes ad consuetudinem. In quo supponimus, quod si Princeps approbet consuetudinem tacitè, vel expresse personaliter sciens illam, &, cum facilè posset, eam non reprobans, sed magis procedens secundùm ipsam, in quo tacita approbatio reperitur, sufficit vnus actus, vt consuetudo vim legis obtineat, non quidem ex vi consuetudinis, sed ex voluntate superioris approbante, quod à multitudine fit. Sed hoc intellige, si eo animo approbet, & secundum eam operetur, vt illi vellit vim legis communicare, quomodo non est dubium, consuetudinem vim legis sortiri. Sed nunc loquimur, hac præcisa voluntate superioris, & solùm supposito consensu generali requisito ad consuetudinem, de quo statim.

Quot actus requirantur ad consuetudinem secundu aliquos?

21 Aliqui dicunt, duos, aut tres actus sufficere ad consuetudinem. Ita Reginaldus *tom. 1. lib. 13. capit. 16. numer. 162.* Lessius *libr. 2. capit. 6. dub. 14. numer. 45.* Sylvester *verb. Consuetudo, quæst. 4.* Sà, *eodem verbo, numer. 3. ex parte.* Martinez *quæst. 97. articul. 3. dub. 2. fol. mihi 261.* Rodrig. & Miranda, quos refert, & sequitur Diana *6. part. tractat. 5. resolution. 7.* Quia ad consuetudinem sufficit actus esse frequentes; sed quod bis, aut ter fit, frequenter dicitur fieri, cap. *Ita nos 25. quæst. 2.* ergo sufficit hoc ad consuetudinem. Cæterùm quando in jure geminatio actus dicitur consuetudo, & frequentia, non est sermo de consuetudine, & frequentia, quæ ad legem inducendam sufficiat, sed quæ sufficiens sit ad graviorem criminis punitionem, ad cuius effectum quælibet assuefactio, seu imperfecta consuetudo est sufficiens, vt explicant Auctores pro nostra sententia citandi.

Bis, aut ter actum repetere non sufficit ad consuetudinem.

22 Dicendum itaque est, non sufficere, quod actus bis, aut ter repetatur, vt consuetudo introducatur per modum juris, sive sit contra legem, sive præter legem. Tùm, quia id quod bis, aut ter fit, non dicitur fieri frequenter, argumento ex leg. *Item apud Labeonem, §. Aliud est, ff. de jure jurando.* Tùm etiam, quia consuetudo per modum juris debet esse longæva, & legitimè præscripta: sed non dicitur longæva, & legitimè præscripta, nisi repetatur per decennium, aut quadrigennium, secundùm diversitatem consuetudinis, quod in vno, vel altero actu non verificatur: ergo, &c. Ita Montesin. *disput. 23. quæst. 13. numer. 224.* Tapia *lib. 4. quæst. 25. art. 4. num. 4.* Palaus *tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. num. 3.* Basil. *de Matrim. lib. 6. cap. 6. num. 1.* Suar. *lib. 7. cap. 10. num. 5.* Bonac. *disput. 1. quæst. 1. punct. vltim. §. 3. numer. 32.* Salas *disp. 19. sect. 8. num. 7.* Quare hoc Iudicis, vel prudentum arbitrio relinquendum est, quia vix potest assignari, quot actus in particulari requirantur ad introducendam consuetudinem. Maximè, quia ad inducendam consuetudinem per modum juris, ea est necessaria actuum frequentia, quæ sufficiat ad ostendendum populi consensum, & Principis voluntatem: sed hæc aliquando paucioribus actibus, aliquando pluribus, secundùm eorum naturam, & occasiones, quæ circa eos occurrunt, manifestatur: relinquendum est ergo prudentum arbitrio hoc negotium, qui, omnibus inspectis, quid sit tenendum, debent judicare. Sic Auctores citati.

Discrimen inter præscriptionem, & consuetudinem.

23 Sed hic notandum est discrimen inter præscriptionem purè talem, & consuetudinem. quòd præscriptio versatur circa res, non circa actus humanos; & sic præbet jus dominij in domum, agrum, beneficium, &c. Quare hoc dominium acquiri potest per præscriptionem vno solo actu, quia vnica sola collatione beneficij, v. g. cui lis non opponitur, potest cui confertur, adversus quemlibet præscribere, & jus in beneficio possidere, cap. *Cum de beneficio, de Præbendis in 6.* At consuetudo, quæ versatur circa actiones humanas, & solum præscribit in ordine ad obligandum, ad easdem actiones exercendum, non introducitur per vnum, aut alium actum, sed per plures, quibus præsumitur adesse consensus multitudinis in talem obligationem; & voluntas Principis vim legis præbens consuetudini.

Consuetudo non introducitur, nisi per actus liberos.

24 Alia conditio, quæ ad actus requiritur, vt possit per eos consuetudo introduci, est, quod tales actus repetiti sint liberi, & humani, seu humano modo exerciti. Quia consuetudo introducitur ex consensu multitudinis: ergo debet liberè, & humano modo ipsa multitudo exercere actuum repetitionem, vt talis repetitio possit jus consuetudinarium generare. Quare, si per vim, aut metum gravem populus obligetur actionem aliquam exercere, & repetere, quantumvis longo tempore in ea persistat, non est censendus sufficientem adhibere consensum ad introducendam consuetudinem vim legis habentem, sive sit contra legem, sive præter legem, leg. *De quibus, ff. de legibus*, & tradit Div. Thom. 1. 2. *quæst. 97. artic. 3.*

Si ex ignorantia introducatur consuetudo, vim legis habere non potest.

25 Ex quo fit, quod si ex ignorantia aliqua introducatur consuetudo, non potest obligatio legis per talem consuetudinem introduci, vel obligatio legis per eam abrogari. Ut si populus nesciret legem adesse prohibentem aliquam actionem, & ex tali ignorantia procederet ad repetendos actus contra eam, non sufficeret talis repetitio ad tollendam obligationem legis, sed statim, ac constaret de tali lege, jus consuetudinis introductæ cessaret. Vel si populus judicaret adesse legem circa aliquem actum, vel omissionem; & ex tali ignorantia per multum tempus in tali actu persisteret, nulla consuetudo consurgeret ad tales actus deinceps exercendos: vt si judicaret populus esse præceptum abstinendi à lacticiniis diebus veneris, vel adesse legem pro-

prohibentem merces à civitate extrahere, quantumvis duraret in ea consuetudine observandi hos actus, numquam lex consurgeret obligans ad eos, quia nihil magis contrarium est voluntati, & consensui requisito ad consuetudinem vim legis obtinentem, quàm error, & ignorantia. Quapropter, licèt durante errore, aut ignorantia, intelligatur vim legis habere consuetudinem, illis tamen ablatis, talis vis omninò corruit, quia per huiusmodi consuetudinem nullum jus acquisitum est ad similes actus exercendos. Ita Gloss. in cap. *final. de consuetud.* Arauj. 1. 2. *quæst.* 97. *disp.* 3. *sect.* 8. *fol. mihi* 731. Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 2. *disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 14. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 25. *art.* 6. Diana 6. *part. tract.* 5. & 30. *resol.* 9. Palaus *tractat.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. *§.* 3. *numer.* 11. Mart. *quæst.* 67. *artic.* 3. *dub.* 2. *concluf.* 3. *§. Circa istam.* Idem dicimus, si ex aliqua causa falsò judicata introducta esset consuetudo, vt si populus moveretur ad observationem alicuius diei in honorem alicuius sancti, cuius reliquias apud se retinere erroneè arbitraretur, statim, ac constaret rem non ita esse, omnis obligatio consuetudinis cessaret.

Debent esse publici actus, per quos consuetudo introducitur.

26 Tertia conditio, quam debent actus habere, est, quòd sint publici, & notorij, saltem notorietate facti, quia nimirum publicè, & non in occulto sunt exerciti, quia actus clam, & in abscondito facti, non indicant fieri ex communi populi, & Principis consensu: & etiam, quia actus sic frequentati habentur pro promulgatione legis non scriptæ, qualis est consuetudo: promulgatio autem debet esse publica, & manifesta: ergo etiam actus, qui generare possunt consuetudinem vim legis obtinentem. Et ita decernitur jure hispano *lib.* 3. *novæ Recopil. titul.* 3. *part.* 2. & tenet Vazquez 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 177. *cap.* 7. Layman *tract.* 4. *cap.* 24. *n.* 2. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 25. *art.* 5. *num.* 1. Suar. *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 5. Sed difficultas est, an requiratur notorietas juris, seu juridica, quæ publica authoritate fit, vt quòd in judicio per publicas probationes consuetudo defendatur, & probetur, & de ea sententia Iudicis pronuntietur. Aliqui id requiri asserunt propter diversos textus, qui id indicare videntur, qui apud Authores statim citandos videri poterunt.

Non requiritur notorietas juris ad consuetudinem.

27 Sed verius tenendum est, sufficere consuetudinem esse publicam notorietate factorum, per quæ est introducta, etiamsi juridicè de tali consuetudine non sit judicatum. Tùm, quia consuetudo vim legis obtinet ex consensu populi, & Principis; sed hoc dari potest, etiamsi nulla judicialis sententia detur: ergo, &c. Tùm etiam, quia sententia, approbans consuetudinem introductam, supponit eam iam esse introductam ex repetitis actibus, aliàs non esset justa. Ita Arauj. *quæst.* 97. *art.* 3. *disp.* 3. *sect.* 8. *notabil.* Granad. *supr. num.* 15. Diana *resolut.* 8. Palaus *disp.* 3. *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 9. Basil. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 2. Suar. *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 2. Salas *disp.* 19. *sect.* 11. *num.* 93. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt. §.* 3. *num.* 25. Mart. *quæst.* 97. *art.* 3. *dub.* 2. *fine.* Si tamen in judicio secundum consuetudinem sententia feratur, non est amplius expectandum, vt cognoscatur consuetudinem obtinere vim legis, quia illud optimum signum est, consuetudinem esse introductam, cum Iudex non legem statuere, sed secundum legem debeat judicare.

§. IV.

De intentione requisita in introducentibus consuetudinem.

Debet consuetudo ex animo se obligâdi procedere.

28 QUarta conditio, quæ præcipuè requiritur, vt consuetudo habeat vim legis obligantis ad similes actus, ex quibus est introducta, est, quòd tales actus à communitate, vel maiore parte illius exerceantur animo se obligandi per consuetudinem, seu introducendi jus consuetudinarium. Si enim ex pietate, ex devotione, ex gratitudine, ex vrbanitate aliqui actus per multum tempus repetantur à populo, non ob id introducitur jus eum obligans ad similes actus. Et ratio est, quia consuetudo accipitur pro lege, sed ad legem requiritur animus obligandi in Legislatore: ergo, &c. Similiter ad abrogandam legem antiquam requiritur, quòd actus contra eam exerceantur, animo introducendi oppositam consuetudinem. Si enim animo depravato suæ satisfaciendi cupiditate populus, vel maior pars illius ageret contra legem, non ob id introduceret jus consuetudinarium abrogans illam. Igitur requiri, quòd actus ex animo introducendi talem obligationem repetantur, tenent Granad. *controv.* 7. *tract.* 3. *part.* 2. *disp.* 16. *sect.* 2. *n.* 13. Dian. 6. *part. tract.* 5. *resol.* 10. Palaus *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. *§.* 3. *n.* 12. Martin. *q.* 97. *art.* 3. *dub.* 2. *concl.* 3. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 25. *art.* 2. *num.* 12. Laym. *tract.* 4. *cap.* 24. *n.* 2. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct. vlt. §.* 3. *n.* 19.

Consuetudo ex devotione introducta, vim legis non obtinet.

29 Igitur consuetudo ex sola devotione introducta nullam inducit obligationem; vt consuetudo salutandi B. Virginem, cum prima nocte pulsantur campanæ, jejunandi in eius vigilijs, sumendi aquâ benedictam in ingressu ecclesiæ, cineres feria quarta cinerum, ramos in die palmarum, & alia huiusmodi, quia ex devotione introducuntur, non ingerunt jus consuetudinarium. Idem dicimus, si consuetudo animo obligandi incipiat, & ex devotione continuetur. Debet enim ex animo obligandi toto tempore durare, quod requiritur, vt legitimè præscribat; imò quod ab omnibus, vel maiore parte communitatis tali animo introducatur. Si enim maior pars ex devotione: & minor animo se obligandi eam introducat, non sufficit, vt consuetudo vim legis obtineat, quia ad hoc consensus totius, vel maioris partis communitatis requiritur. Idem dicimus, si ex vrbanitate, & liberalitate alicui populus obsequium præstaret multo tempore, quòd non maneret obligatus continuare illud, quia cum solùm introducta sit talis consuetudo ex vrbanitate, vel liberalitate, non potest, vt continuata, aliam obligationem inducere. Idem denique dicimus, si consuetudo introducta sit animo obligandi se ad pœnam, non ad culpam; & si ad culpam, non ad mortalem, sed venialem, ad hanc enim solùm obligabit, etiamsi multo tempore duret, quia actus agentium maximè liberorum, non operantur vltra eorum intentionem, nec Princeps aliter vult populum ob consuetudinem obligare, quam ipse populus velit obligari consuetudine.

Undè cognosci possit consuetudinem intro-

30 Sed inquires, vndè cognoscendum sit, consuetudinem introductam esse animo se obligandi, & non ex devotione, aut liberalitate? Respon-

ducì animo se obligandi, non ex devotione?

pondetur id judicio prudentum esse judicandum, qui, pensatis circumstantijs, personis, & materia, de tali consuetudine judicium ferre debent: quia cum actus, quibus introducitur consuetudo, indifferentes sint, vt exerceantur ex obligatione, vel devotione, non potest ex illis colligi, quo animo introducta sit consuetudo. Quamvis hæc indicia aliqui Doctores ad id judicandum assignent. Primùm, si materia sit gravis à populo, vel maiori parte continuò observata absque interruptione: quia non solent tanta vniformitate observari, quæ solùm ex devotione fiunt. Secundùm, si superiores gravitèr reprehendant, aut puniant non servantes talem consuetudinem. Tertiùm, cum prudentes, & timorati malè sentiunt de his, qui non observant talem consuetudinem, vel communitèr populus scandalizatur, existimans transgressores consuetudinis peccare, indicium est esse consuetudinem introductam animo se obligandi. Illud verum judicamus, quod in dubio, an consuetudo ex devotione, vel animo se obligandi introducta sit, judicandum est fuisse ex devotione, quia lex non præsumitur, nisi probetur: & nisi manifestè constet, nemo præsumitur sibi velle onus imponere. Bassæus *in Floribus Theolog. verb. Consuetudo, num.* 7. Diana 6. *part. tract.* 3. *resol.* 12. Suar. *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 13. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct. vltim.* §. 3. *num.* 21. Palaus *tract.* 3. *disput.* 3. *punct.* 2. §. 3. *num.* 13. Idem dicimus, si dubium sit, an sub peccato veniali, vel mortali consuetudo obliget, an ad pœnam, vel ad culpam? Quòd in benignioré partem judiciũ ferendum est, quia obligatio est semper odiosa, & sic, quantum fieri potest, restringenda, vt in simili diximus *cap.* 2. *huius tract.*

§. V.

De consensu Principis requisito ad hoc, vt consuetudo vim legis habeat.

Principis consensus ad consuetudinem requiritur.

31 QUinta, & vltima conditio, vt consuetudo vim legis habeat, est, quod introducta sit ex consensu Legislatoris, sive sit Princeps supremus, sive communitas absoluta, quæ potest leges sancire, vt habetur in leg. *De quibus*, leg. *Sed*, & *ea*, *ff. de Legib.* traditque Div. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 3. Et ratio est, quia nemo potest vel legem sancire, vel statutam abrogare, nisi qui habet potestatem condendi illam. Non autem requiritur expressus consensus, sed sufficit tacitus, seu præsumptus, vt patientia, & tolerantia Principis, cum posset de facili prohibere. Ita Sanctus Doctor, *loco citato*: sive sit consuetudo præter jus civile, aut canonicum, sive contra vtrumque: quia consensus tacitus æquiparatur expresso, leg. *De quibus*, *ff. de legib.* & ideò in omni negotio tacitus consensus sufficit, quia est verus, voluntarius, & humanus. ¶ Et cum aliquis consensus sit necessariò requisitus, hoc ipso quòd Princeps resistat consuetudini, hæc non potest præscribere, ita vt introducat jus consuetudinarium, eò quòd cum resistentia Legislatoris, nec virtualis illius consensus componi potest: quia consensus tacitus, vel virtualis cum contrario formali nequit inveniri.

32 Ex quo infero contra plures Doctores, non posse consuetudinem dari, quæ adversus immunitatem ecclesiasticam prævaleat, quantumvis sit immemorabilis talis consuetudo: quia quotannis in bulla cœnæ improbat summus Pontifex omnem consuetudinem contra immunitatem ecclesiæ. Nec potest dici, quod cum summus Pontifex videat, & sciat in aliquibus regnis, vel provincijs plura contra talem immunitatem introduci, tolerat, in quo videtur illis consentire. Nam plura per patientiam tolerantur, quæ non comprobantur, juxta cap. *Cum iam dudum de Præbendis.* Et simplex tolerantia, quando non potest Pontifex de opposito providere, satis non est, vt in lege censeatur dispensare, capit. *Denique, dist.* 4. Et ita, pluribus relatis, tradit Diana 1. *part. tract.* 2. *resol.* 4. & 5. 4. *part. tract.* 1. *resol.* 1. & 10. & 7. *part. tract.* 1. *resol.* 18. Laym. *lib.* 4. *tract.* 9. *resol.* 10. *n.* 1. Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 20. *punct.* 3. *n.* 10. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 256. Barbos. *lib.* 1. *Decret. tit.* 2. cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitut. num.* 25. Suar. *contra Regem Angliæ, lib.* 4. *cap.* 31. *num.* 23.

Contra immunitatem ecclesiasticã nequit introduci consuetudo.

33 Sed difficultas est in præsenti, an, vt consuetudo per modum legis introducatur, & censeatur ex consensu Principis tacito introduci, requiratur, quòd Princeps in specie notitiam habeat talis consuetudinis? An verò, quamvis talem consuetudinem particularem ignoret, sufficiat generalis consensus ab ipso præstitus pro omni consuetudine legitimè introducta in cap. *Finali, de consuetudine*, ab ecclesiastico superiore, & in leg. *De quibus*, *ff. de legibus*, & alijs juribus, à civili? Ad quod constat ex à nobis dictis *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 11. *punct.* 1. *numer.* 28. vbi diximus, sufficere vniversalem approbationem Principis in dictis locis declaratam, & probatur modò. Tùm, quia poterat Princeps legem sancire, vt, quoties consuetudo rationabilis legitimè introducta sit, pro lege habeatur: hoc facit Legislator civilis, & canonicus *dictis locis*: ergo, &c. Unde Div. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 3. solùm petit tolerantiam Principis, cum posset de facili prohibere, vt consuetudo vim habeat legis. Tùm etiam, quia aliàs vix vllæ particularium ecclesiarum consuetudines adversus jura pontificia introductæ censeri possent legitimæ, cum Papa particularium ecclesiarum consuetudines se ignorare fateatur, *capit.* 1. *de Constitutionibus in* 6. Ita, præter Div. Thom. & Cornejo, Palaum, Suarez, Sanchez *loco citato*, adductos, Salas *disput.* 19. *sect.* 3. *numer.* 20. & 37. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct. vltim.* §. 3. *numer.* 34. Villalob. 1. *part. tract.* 11. *diffic.* 38. *numer.* 4. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 25. *artic.* 11. *numer.* 4. Layman *tractat.* 4. *cap.* 24. *num.* 10. Araujo *quæst.* 97. *disput.* 3. *sect.* 11. *numer.* 4. *fine*, licèt in principio oppositum videatur innuere.

Non requiritur scientia Principis ad consuetudinem.

PUNCTUM IV.

De effectibus consuetudinis.

Quot sint effectus consuetudinis.

34 TRiplicem habet effectũm consuetudo. Primus est, obligare in conscientia, quia, cum habeat vim legis, habet etiam proprietates illius, quarum vna est obligatio. Secũdus est, tollere legem antiquam. Tertius, interpretari legem, cum dubium aliquod suboritur circa illam. De his ergo tribus effectibus divisim modò agemus.

§. I.

De obligatione, quam consuetudo generat.

Quomodo possit obligare consuetudo?

35 OBligatio, quam consuetudo legitimè introducta producit, cùm sequatur legis conditiones, potest, sicut illa, diversitatem habere, & aliquando esse obligatio ad culpam gravem, quando materia est gravis, & intentio introducentis illam est cum animo se gravitèr obligandi; aliquando ad levem, si materia levis fuerit; vel, si fuerit gravis, non introductà ex animo gravitèr obligandi, sicut diximus cap. 2. *huius tract. num.* 20. posse Legislatorem levitèr in materia gravi, si velit, obligare. Imò etiam potest consuetudo introduci obligans duntaxat ad pœnam: vel ad culpam, & pœnam determinatam, sicut de lege diximus, vno, vel altero modo posse obligare, dicto cap. 2. & habetur cap. *Super eo, de cognatione spirituali*, tenetque Suarez *lib.* 7. *cap.* 16. *n.* 2. & 3. Tapia *lib.* 4. *quæst.* 25. *art.* 3. *num.* 1. Palaus *disp.* 3. *punct.* 4. §. 1. *n.* 1.

Non extenditur consuetudo de loco ad locũ, nec de casu ad casum.

36 Illud certissimum judicamus, consuetudinem vnius civitatis aliam non obligare, nec extendendam esse de loco ad locum, de persona ad personam, nec de casu ad casum. Quia consuetudo obtinet vim obligandi ex tacito, vel expresso consensu Principis; sed Princeps non censetur velle obligare per consuetudinem, nisi eos, qui illam introduxerunt: ergo non est extendenda obligatio illius ad alios. Ita Martinez *quæst.* 97. *artic.* 3. *dub.* 1. *fol. mihi* 250. *colum.* 1. Salas *disp.* 19. *sect.* 13. *num.* 100. Palaus *num.* 2. Suarez *num.* 6. Diana 6. *part. tract.* 5. *resolut.* 17. & 31. Quamvis ex convenientia, & æquitate, quando in aliqua civitate non fuerit lex, statutum, aut consuetudo, quibus causæ judicentur, recurrere debeat Iudex ad consuetudinem civitatum vicinarum, si fuerit rationabilis, vt juxta eam causas judicet: argumento ex cap. *Cum eo, de censibus*, cap. *Cùm olim, de consuetudine.* Ex quo fit, consuetudinem à laicis introductam, & propriam illorum, non obligare clericos, nec è contra; nec consuetudinem à clericis sæcularibus introductam, regulares obligare, aut è contra.

Consuetudo à laicis, & clericis introducta omnes obligat.

37 Sed difficultas est, an si consuetudo promiscuè à clericis, & sæcularibus sit introducta de rebus, quæ non sunt contra immunitatem ecclesiasticam, clericos obliget? Ad quod respondetur affirmativè, sive sit de rebus spiritualibus, vt observatio festorum, jeiuniorum, &c. sive de rebus civilibus mixtis spiritualibus: quia si hoc vltimo modo introducatur consuetudo, potiùs consuetudines censendæ sunt à diversis introductæ circa eandem materiam, vt docet Felin. in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ, de consuetudinibus*, & non dicuntur clerici à laicis obligari, sed à suo superiore ipsis consentientibus. In primo verò casu, quando consuetudo est circa res spirituales, planum est obligare clericos, si ab ipsis, & à laicis promiscuè introducatur, quia tunc non discernuntur, sed constituunt vnum populum Christianum sub vno capite communi, in cuius virtute omnes obligantur, vt docent Tapia *lib.* 4. *quæst.* 25. *art.* 14. *n.* 4. Diana 6. *part. tract.* 5. *resol.* 16. Gordon. *lib.* 2. *quæst.* 14. *cap.* 6. *num.* 21.

38 Sed rogabis, an si materia sit de rebus spiritualibus, & solum à laicis multo tempore observata, sufficiat ad obligandos clericos; casu quo numerus laicorum (vt ferè semper contingit) maior sit numero clericorum. Idem dicimus casu quo clerici introducerent consuetudinem jeiunandi, vel observandi tale festum; an obligaret huiusmodi consuetudo religiosos? Negativè respondendum est, quia tunc in consuetudine facti non conjunguntur, cùm ei non consentiant: & aliàs non est extendenda consuetudo de persona ad personam, vt iam est dictum, &, licèt sint partes populi christiani, constituunt diversum statum habentem suas proprias obligationes, rigores, & observantias. Undè sicut consuetudines vnius civitatis non obligant aliam, licèt vtraque sit eidem Principi subjecta: sic nec consuetudines introductæ à solis regularibus clericos obligant, aut è contra: nec consuetudines introductæ à solis laicis obligant clericos, aut è converso. Ita Bassæus, & Sanchez, quos refert, & sequitur Diana 5. *part. tract.* 14. *resol.* 13. Paludanus 4. *distinct.* 15. *quæst.* 4. *artic.* 3. Palaus *vbi suprà*, Martinez *quæst.* 97. *art.* 3. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Tapia *artic.* 14. *num.* 6.

Clerici non obligantur consuetudine à solis laicis introducta.

§. II.

Quomodo possit consuetudo legem humanam abrogare?

Consuetudo vincit legẽ, & tollit eã.

39 SEcundus effectus consuetudinis est, quòd legem præexistentem potest tollere, ex cap. *Final. de consuetud.* leg. *De quibus*, leg. *Sed ea, de legibus*, & docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 2. & ratio est: tùm quia omnis lex humana potest per aliam legem abrogari; sed consuetudo habet vim legis: ergo potest abrogare legem humanam præcedentem. Tùm etiam, quia ad bonum commune, & rectam reipublicæ gubernationem pertinet, quòd nolit Princeps adstringere populum diu per consuetudinem legi repugnantem; sed potiùs illi morem gerat, & illi consentiat: ergo, ex vi huius consensus, potest lex præterita annullari. Nec obstat textus in leg. 2. Cod. *quæ sit longa consuetudo*, vbi dicitur: *Consuetudinem non habere tantam vim, vt rationem vincat, aut legem.* Intelligitur enim de consuetudine antecedenti ad ipsam legem, quæ non vincit eam, sed potiùs vincitur à lege; non de consuetudine ad legem subsecuta, quæ vincit ipsam legem, vt tenent omnes Doctores. Quod verum est, sive lex sit pœnalis, sive præceptiva, sive mixta ex præceptiva, & pœnali: quia rationes datæ pro omnibus tenent.

Potest lex tolli per cõsuetudinem quoad pœnam, manẽs quoad culpam, & è contra.

40 Imò potest consuetudo tollere pœnam, sive latam, sive ferendam, manente lege quoad obligationem culpæ: quia, licèt pœna pro culpa debeatur, non semper illa, quæ à lege taxata erat: ergo potest per consuetudinem talis pœna ab obligatione legis separari: sicut Legislator potest abrogare legem quoad pœnam, ipsa manente quoad culpam. Et ideò in jure plures sunt pœnæ impositæ, quæ per consuetudinem sunt abrogatæ, manente obligatione legis, cap. *Cùm multas, dist.* 15. *Extrav.* 1. *de rebus ecclesiæ non alienandis*, & Clement. *Ambitiosè, eodem tit.* Et docent Martin. *q.* 97. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 4. Suarez *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 3. Gordon. *lib.* 2. *q.* 14. *cap.* 6. *n.* 22. Dian. 6. *p. tract.* 5. *n.* 19. Palaus *disp.* 3. *punct.* 4. §. 2. *n.* 3. Salas *disp.* 19. *sect.* 9. *n.* 79. Montelin. *disp.* 23. *q.* 13. *a num.*

à num. 132. ¶ Imò etiam poterit lex tolli quoad culpam, ipsa manente quoad pœnam, quando pœna non est talis conditionis, vt culpam præsupponat (vt sunt omnes censuræ) quia sicut potest introduci consuetudo obligans ad pœnam, & non ad culpam; ita tolli potest lex quoad obligationem culpæ, ipsa manente quoad obligationem pœnæ. Salas *numer.* 77. Suarez *num.* 12. Palaus *num.* 4. Diana *resol.* 10. Gordon. *num.* 13. Et sic plures leges civiles (inquit Diana) imponentes exactionem, vel prohibentes venari, vel aliquid ex regno asportari, licèt ab initio directivæ fuerint, potuerunt vsu fieri merè pœnales, & quasi naturam mutare, quia non aliter sunt observatæ.

Lex irritans potest per consuetudinem abrogari.

41 Quod diximus de virtute consuetudinis ad abrogandam legem præcedentem humanam, intelligendum etiam est de lege irritante actus, vel contractus; quæ potest tolli per consuetudinem, reddique actus, & contractus validi per consuetudinem, qui secundùm legem erant nulli: quia sicut Legislator per novam legem potest legem irritantem abrogare: ita consuetudo, quæ habet vim legis. Ut latè diximus *tractat. 9. de Matrimon. cap. 11. punct. 2.* Ubi objectiones contrarias solvimus: & probavimus, posse per consuetudinem auferri impedimenta dirimentia matrimonium: & *punct. 1.* etiam probavimus, posse per consuetudinem nova impedimenta irritantia introduci, per quæ essent inhabiles ad contrahendum, qui ex jure habiles erant. Ex quo manet probatum, posse per consuetudinem legem irritantem actus introduci.

Quot modis improbetur in jure consuetudo?

42 Sed quia in jure multoties prohibetur contraria consuetudo, quæri potest, an consuetudo prævalere possit contra legem eam prohibentem? Pro quo nota, consuetudinem per legem posse tripliciter prohiberi. Primò, per clausulam indifferentem ad consuetudinem præteritam, vel futuram, vt cùm dicitur: *Non obstante quacumque consuetudine.* Secundò, per clausulam prohibentem expressè futuram consuetudinem, vt si dicat: *Quod nulla possit deinceps contra talem legem introduci consuetudo.* Vel per clausulam reprobantem ipsam consuetudinem, vt irrationabilem, quam dicit lex, esse potiùs abusum, & corruptelam. Si solùm adijciatur in lege illa clausula, *Non obstante quacumque consuetudine*, nisi aliud exprimatur, intelligitur de consuetudine iam introducta, quæ per talem legem abrogatur; non verò de illa, quæ imposterum potest introduci. Tùm, quia per illa verba solùm reprobatur consuetudo tali legi contraria; sed consuetudo, quæ tunc non est, nec est legi contraria, sed quæ tunc viget: ergo de ista loquitur lex, non de illa. Tùm etiam, quia illa clausula absolutè prolata est revocatoria: revocatio autem solùm est de re præterita, non de futura. Tùm denique, quia improbare consuetudinem, est quid odiosum: ergo clausula illa improbans non est latè interpretanda, sed intra cancellos suæ strictæ significationis restringenda. Cùm ergo clausula, *Non obstante quacumque consuetudine*, indifferens sit ad præteritam, & futuram, restringenda est, vt solùm intelligatur de præterita. Ita Suarez *lib. 7. cap. 7. num. 2.* Villalob. *1. part. tract. 2. diffic. 39. numer. 8.* Tapia *quæst. 25. art. 17. numer. 3. & artic. 18. numer. 3.* & videtur sequi Diana *6. part. tract. 5. resolut. 23.*

Etiam si improbetur ea consuetudo per

43 Quando verò in lege ponitur clausula expressè improbans consuetudinem futuram, adhuc probabilius judicamus, posse consuetudi-

nem contra talem legem prævalere, vt diximus *tractat. 9. de Matrimon. cap. 11. punct. 2. num. 33.* & probatur, quia talis clausula est legis humanæ; sed consuetudo potest abrogare legem humanam, sicut nova lex humana eam abrogare valet; siquidem consuetudo vim legis rigorosæ obtinet: ergo sicut, non obstante tali clausula, potest Legislator per novam legem talem legem abrogare, ita consuetudo. ¶ Et confirmatur, quia consuetudo habet vim legis ex vi consensus Principis præsentis, qui suo consensu tacito, vel expresso eam approbat; sed Princeps præsens æqualis est potestatis cum illo, qui legem cum illa clausula tulit: ergo sicut Legislator per suam voluntatem poterat legem cum tali clausula abrogare; ita Princeps præsens per suum consensum, quem præbet consuetudini, potest contra talem legem prævalere. Ita, præter Auctores ibi citatos, Tapia *lib. 4. quæst. 25. artic. 17. numer. 7.* Araujo 1. 2. *quæst. 97. disp. 3. sect. 8. numer. 6.* Martinez *quæst. 97. artic. 3. dub. 1. conclus. 5.* Basilius *lib. 6. cap. 6. num. 9.* Suarez *lib. 7. cap. 19. numer. 21.* Bonac. *disp. 1. part. 1. punct. ult. §. 3. numer. 37.* Dian. *6. part. tract. 5. resol. 21.*

Legem, prævalere potest contra eam.

44 At verò quando in lege reprobatur consuetudo, vt irrationabilis, & corruptela. Respondetur, quòd si talis consuetudo reprobetur, vt contraria juri divino, aut naturali, nullam vim potest contra legem sortiri, cùm semper sit irrationabilis, & inhonesta; si tamen reprobetur, vt minùs conveniens, & vt irrationabilis pro illo tempore, quo lex fertur, quandiù cum eadem ratione perdurat, quæ eam irrationabilem facit, non potest contra legem prævalere: quia consuetudo irrationabilis, vt diximus *punct. præced. §. 1.* non est consuetudo, sed abusus, & corruptela; proindeque non potest habere vim irritandi præteritam legem: si tamen, quæ irrationabilis erat, quando lex eam reprobavit, ex nova causa rationabilis reddatur, vires resumere potest ad legem humanam abrogandam, non obstante clausula improbante quamcumque consuetudinem: ob rationes *numer. præced.* adductas. Ita Suarez *lib. 7. cap. 7. numer. 2.* Salas *disput. 19. sect. 7. num. 70.* Basil. Tapia, Araujo, & Diana *locis proximè citatis.*

Quid si reprobetur eò suetudo, vt irrationabilis, & corruptela?

§. III.

De interpretatione legis, quam potest exhibere consuetudo.

45 TErtius effectus consuetudinis est, legem posse interpretari, & hic effectus non convenit consuetudini, quæ est præter legem, aut contra legem; sed illi, quæ est juxta legem: & adhuc ista non habet hunc effectum, quando lex est clara: quia quod est certum, & clarum, non indiget, nec capax est interpretationis. Quare propriè tunc consuetudo non est interpretatio, sed observantia ipsius legis, quæ, quantumvis diuturna, non maiorem obligationem generat, quàm ipsa lex ex se habebat inducere, & sic, abrogata lege, hæc cessat: & qui pro illa obtinet dispensationem, etiam pro ista habet, vt omnes confitentur. Tunc ergo habet consuetudo legem interpretari, quando ipsa lex est dubia, tùm circa obli-

Legem claram non interpretatur consuetudo, sed observat.

gationem, tùm circa materiam, tùm circa personas, ad quas se extendit, & per consuetudinem tollitur talis ambiguitas, & sic in cap. *Cùm dilectus, de consuetudine*, dicitur: *Consuetudo est optima legum interpres*; quia cùm plures in tali consuetudine conveniat, indicant, talem fuisse mentem Legislatoris.

Interpretatio authentica facta per consuetudinem, habet vim legis.

46 Cæterùm talis interpretatio legis per consuetudinem facta duplex potest esse: altera authentica, altera probabilis, & doctrinalis, quia sicut consuetudo potest novam legem introducere, sic potest legem authenticè interpretari per interpretationem vim legis obtinentem: & tunc ipsa interpretatio erit vt nova lex necessariò observanda, leg. *Nam Imperator, ff. de legibus*: quemadmodum si Legislator suam legem aliqua lege declararet, hæc declaratio haberet vim legis novæ. Unde talis interpretatio authentica per consuetudinem facta, debet habere omnes conditiones, quas *punct. præcedent.* diximus esse requisitas, vt consuetudo habeat vim legis.

Quomodo consuetudo possit legem probabiliter interpretari?

47 Alia legis interpretatio conjecturalis, & probabilis, quam etiam potest facere consuetudo, sicuti possunt Doctores probabiliter legem interpretari; altiori tamen modo, quia in consuetudine plures conveniunt; tunc non habet vim legis, sed probabilis conjecturæ de mente Legislatoris: ad quam interpretationem, tam consuetudo legem præcedens, quàm subsequens potest conducere: quia lex non intelligitur derogare consuetudini, nisi expressè sit illi contraria, quin potiùs secundùm consuetudinem solet lex institui; quemadmodum consuetudo subsequens non intelligitur legi derogare, sed esse secundum ipsam, nisi expressè sit illi contraria: est enim derogatio legis odiosa, & sic, quantum fieri potest, vitanda.

Quantam vim habeat interpretatio conjecturalis consuetudinis?

48 Ad consuetudinem, doctrinaliter interpretantem legem, introducendam, minus tempus requiritur, quàm vt ipsa consuetudo vim legis obtineat, vt omnes asserunt. Sed tantæ efficaciæ est talis interpretatio per consuetudinem facta, vt Doctores communiter asserant, verba legis esse interpretanda juxta consuetudinem loci, etiamsi oporteat verba legis minùs proprie exponere. Sed nota, quòd sicut consuetudo potest legem interpretari, sic lex certa potest consuetudinem dubiam exponere: quia vna lex certa potest per aliam dubiam interpretari, leg. *Una*, Cod. *de inofficios.*

PUNCTUM V.

De modis, quibus consuetudo potest cessare.

Multiplicitèr potest cessare consuetudo.

49 CUm consuetudo obtineat vim legis, illis omnibus modis potest cessare, quibus diximus *hoc tractat. toto capit.* 4. & *capit.* 5. posse cessare legem. Et sic per mutationem materiæ, seu commutationem, per cessationem causæ motivæ, per dispensationem, interpretationem, abrogationem: & superior, ex cuius tacito, vel expresso consensu introducitur consuetudo, vel quicumque alius ex eius licentia, vel successor in sede potest in ea dispensare, vel eam in totum abrogare, vt est communis Doctorum sententia. Quarè in præsenti solùm agemus de duobus modis, quibus cessare potest consuetudo. Primus, per novam legem illam abrogantem. Secundus, per contrariam consuetudinem.

§. I.

Quomodo per novam legem possit abrogari consuetudo?

Per novam legem tollitur consuetudo, si illi directè sit opposita.

50 MAiorem vim non habet consuetudo, quæ est lex tradita, quàm lex scripta, cum sit humano consensu introducta, addita Principis approbatione. Undè sicut Princeps per novam legem potest legem à se traditam, vel à suis prædecessoribus, abrogare: ita potest similiter consuetudinem, quantumvis præscriptam, firmatam, & roboratam, tollere, vt habetur expressè capit. 1. *de consuetudinibus in 6.* cap. *Cùm consuetudinis, de consuetudine.* Cæterùm, vt iam tetigimus *num.* 47. non censetur lex consuetudinem præteritam abrogare, nisi clarè, & ex diametro illi sit opposita. Undè si observantia consuetudinis aliquo modo cum nova lege compatitur, tametsi ad hunc effectum verba legis sint strictè sumenda, non est censendum, consuetudinem iam firmatam abrogari per eam, quia revocatio, & correctio juris odiosa est, &, quantum fieri potest, vitanda, leg. *Præcipimus*, Cod. *de appellationibus*: & ideò Princeps per legem potiùs censetur se accommodare vsui, & consuetudini subditorum, illis morem gerendo, quàm illis vim inferre, cap. *Erit autem lex, dist.* 4. vt ex communi sententia docet Palaus *tract. 3. disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 2.* Diana *6. part. tract. 5. resol. 25.*

Per legem generalem, generalis cō suetudo tollitur.

51 Lex vniversalis, à quocumque superiore sanciatur, habet vim abrogandi consuetudinem sibi directè contrariam, etiamsi absolutè feratur, nulla addita clausula derogatoria consuetudinis, proportione servata; nimirùm quòd si lex sit pro tota ecclesia à Pontifice sancita, abrogat consuetudinem generalem pro tota ecclesia: si fuerit ab Episcopo lata generaliter pro sua diœcesi, abrogat consuetudinem generalem illius diœcesis. Et ratio est, quia lex prior abrogatur per posteriorem illi directè contrariam, etiamsi non fiat mentio illius; sed consuetudo non habet maiorem firmitatem, quàm lex: ergo per generalem legem, quæ directè opponitur consuetudini generali, tollitur talis consuetudo. Et sumitur ex cap. *Cum consuetudine, de consuetud.* & ideò *in leg. 2.* Cod. *quæ sit longa consuetudo*, dicitur, non vinci legem consuetudine, sed potiùs consuetudinem à lege superari. In quo omnes Doctores conveniunt.

Sententia asserens, per legem generalem revocari specialē consuetudinem.

52 Sed difficultas est, an per legem generalem abrogetur specialis consuetudo aliquarum civitatum, provinciarum, communitatis, aut status? Affirmat Araujo 1. 2. *quæst. 97. disputat. 3. section. 8. numer. 7.* nixus hac ratione, quia veritas propositionis generalis destruit veritatem particularis sibi contradicentis: ergo virtus legis generalis necessariò destruit vim particularis consuetudinis, & eam extinguit. Cæterùm hæc ratio solùm procedit in physicis, quæ

quæ ex aliquo consensu non dependent: non in moralibus, quæ consensum Principis requirunt, ad quem notitia consuetudinis revocandæ requiritur; & talis notitia non præsumitur in Principe, quando est particularis loci consuetudo, vt iam dicemus.

Per legem generalem non revocatur specialis consuetudo.

¶ Respondetur ergò, quòd, nisi in lege generali fiat mentio particularis consuetudinis, vel in ea addatur clausula revocatoria cuiuscumque consuetudinis; non censetur revocata consuetudo particularis, etiamsi sit tali legi contraria. Ratio est, quia, vt consuetudo censeatur per legem abrogata, debet dari in superiore ferente legem, voluntas talem consuetudinem abrogandi, quæ absque illius notitia dari non potest; sed licèt Princeps judicetur habere notitiam juris, & consuetudinis communis, non tamen consuetudinis particularis: ergo hanc non censetur velle per suam legem abrogare. Quæ resolutio cum sua ratione habetur capit. 1. *de consuetudinibus in 6.* vbi dicitur: *Non enim censetur derogata consuetudo speciali lege, quia præsumitur Princeps ignarus talis consuetudinis.* Ita Montesin. *disput. 23. quæst. 13. numer. 151.* Gordon. *libr. 2. quæst. 14. capit. 8. numer. 26.* Martinez *quæst. 97. articul. 3. dub. 1. fol. mihi 251. column. 2.* Palaus *tractat. 3. disp. 3. punct. 5. §. 2. numer. 4.* Diana *6. part. tract. 5. resolut. 22. & 25.*

Extenditur dicta doctrina ad alios casus.

53 Et quia ratio dicta æquè currit, si Princeps legem ferat specialem pro aliqua civitate, aut communitate, non facta mentione consuetudinis illius particularis, non censetur ista per illam abrogata, etiamsi sit contraria illi. Nec ob id erit inutilis talis lex, sed suspendetur eius obligatio, quousque Princeps de consuetudine notificetur: & tunc sine nova lege, si nolit revocare, quam sancivit, censetur consuetudo illa particularis revocata; quia iam Legislator ex certa scientia consuetudinis procedit. Idem dicimus de statuto facto ab aliqua civitate, quod requirit consensum Principis, vt vim legis obtineat; quando nimirum ipsa civitas non est exempta, vt ipsa per se leges ferre possit: quia, cùm Princeps ad præbendum suum consensum censeatur procedere ex ignorantia particularis consuetudinis talis civitatis, non habet vim talis consensus ad illam abrogandam consuetudinem: fortè enim Princeps de tali consuetudine informatus, huiusmodi consensum non præberet: suspenditur ergo obligatio illius statuti à Principe confirmati, vsque dum de consuetudine patticulari notificetur. Ita Diana *resolut. 25.* Palaus *numer. 6.* Gordon. *lib. 2. quæst. 14. capit. 8. num. 26.* Tapia *quæst. 25. artic. 18. numer. 5.* Suarez *libr. 7. capit. 20. numer. 8. & 15.* Bonacin. *disput. 1. quæst. 1. punct. vltim. §. 3. numer. 42.* At si ab Episcopo diœcesano talis lex particularis feratur, per eam abrogatur consuetudo particularis illius civitatis, quia ille præsumitur habere notitiam consuetudinum suæ diœcesis, quas potest per proprias leges revocare.

Dicta sunt intelligenda de consuetudine præscripta.

54 Dictum duobus numeris præcedentibus intellige de consuetudine iam præscripta, & firmata, non de illa, quæ tendit ad præscriptionem. Tùm, quia consuetudo nondum præscripta, nec præbet jus, nec facultatem illa vtendi: ergo non excusat à lege generali. Tùm etiam, quia quando est consuetudo in via ad præscriptionem, solùm potest jus introducere ex præsumpta voluntate Principis: hanc non censetur habere, quando legem contrariam condit. Tùm denique, quia sola præscripta consuetudo legem latam evincit: ergo sola illa contra legem ferendam prævalet. Ita Maschard. *de probationibus, verb. Consuetudo, conclusion. 426. numer. 17.* vbi fatetur, se de consuetudine præscripta loqui, cum agit de consuetudine. Et Glossa in capit. *Mos 1. dist.* Licèt oppositum teneat Suarez *lib. 7. capit. 20. num. 12.* asserens, capit. *Illud 1. de consuetudinibus in 6.* extendi ad omnem consuetudinem rationabilem, sive præscripta fuerit, sive non, cuius sententiam refert Diana *6. part. tract. 5. resolut. 25.* nec contradicit.

Per generalem revocationem consuetudinis non revocatur immemorabilis.

55 Sed rogabis, an per legem generalem, vel specialem factam cum clausula revocatoria cuiuscumque consuetudinis, intelligatur revocata consuetudo immemorabilis? (& talis dicitur, quæ vel per tempus excedens hominum memoriam perdurat, vt aliqui volunt; vel per centum annos: vt alij dicunt.) Et non loquimur, quando in lege additur clausula, *Non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili*; quia tunc certum est, istam revocari per talem legem; sed solùm quando additur illa clausula, *Non obstante quacumque consuetudine.* Respondetur, non censeri talem consuetudinem abrogatam per huiusmodi clausulam. Tùm, quia quando superior vult revocare, etiam immemorabilem consuetudinem, id exprimit: ergo, quando non exprimit, signum est, eum nolle illam revocare. Tùm etiam, quia talis consuetudo immemorabilis habet vim privilegij à Principe concessi, vt ex pluribus textibus probat Maschardus *de probationibus, conclus. 429. à numer. 3.* Abbas *consil. 71. volum. 2.* sed ex clausula generali derogante consuetudinem, non censetur derogatum privilegium: ergo, &c. Ita Docent Suarez *lib. 7. capit. 20. numer. 18.* Covarr. *lib. 3. variar. capit. 13. numer. 5.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vltim. §. 3. numer. 43.* Salas *disput. 11. section. 11. numer. 95.* Tapia *quæst. 25. art. 17. numer. 3. & artic. 18. numer. 3.* Villalob. 1. *part. tractat. 2. diffic. 39. num. 8.* Palaus *disput. 3. punct. 4. §. 1. numer. 10.* Gordonus *lib. 2. quæst. 14. cap. 8. num. 27.* Diana *6. part. tract. 5. resolut. 32.* Garcia *de Beneficijs, tom. 1. part. 3. cap. 2. à num. 194.* vbi plures declarationes adducit sacræ Congregationis asserentis, Concilium Tridentinum in clausulis, *Non obstantibus consuetudinibus in contrarium*, non includere immemorabilem consuetudinem.

§. II.

Quomodo consuetudo cessat per consuetudinem contrariam?

Quas conditiones debeat habere nova consuetudo, vt revocet præcedentem.

56 Sicut lex per aliam legem contrariam abrogatur; ita consuetudo per aliam consuetudinem, leg. 2. *de inofficiosis testibus*, leg. *Pacta novissima*, Cod. *de pactis*; sed, vt nova consuetudo abroget præcedentem, debet habere omnes conditiones, quas *punct. 3.* assignavimus pro consuetudine vim legis obtinente. Cùm enim consuetudo iam firmata habeat vim legis, non potest nisi per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam abrogari, cum omnibus conditionibus, & tempore petito, vt consuetudo contra legem præscribat. Imò debet nova consuetu-

do esse directè contraria præcedenti ; nimirum vniversalis , si tollat vniversalem ; particularis, si particularem. Nam per consuetudinem contrariam particularem non abrogatur consuetudo generalis , nisi pro illis locis , pro quibus introducitur.

Per quos actus cõsuetudo firmata revocetur?

57 Ex quo sequitur , consuetudinem iam præscriptam , & firmatam non abrogari, nisi per actus contrarios positivè , vel saltem privativè oppositos præcedenti consuetudini. Pro quo nota , consuetudinem , vel posse introduci per actus repetitos ; & sic jus inducere ad eos obligans , vt per jeiunium , auditionem sacri , observationem festorum , &c. vel per omissiones contrarias legi , vt si populus temporibus , quibus debebat actum exercere , illum prætermittat. Vt ergo abrogetur contraria consuetudo introducta per omissiones , debet nova consuetudo per actus positivos illis omissionibus contrarios introduci. Si verò altera esset per positivos actus introducta , nova deberet per omissiones illorum generari , publicas , repetitas , & liberas. Si enim non occurrat occasio actus præcedentis consuetudinis exercendæ per non vsum purè negativum , non introducitur nova consuetudo abrogans præcedentem. Ita Layman *tract.4.cap.24. numer.13. quæst. 6.* Reginald.*lib.13.numer.250.*Salas *disput.19.sect. 20.numer.114.*Suarez *lib.7.cap.5. numer.14.*Palaus *disput.3.punct.5.§.2.num.6.*Bonac. *disp.1. quæst.1. punct.vltim.§.3. numer.27.* Et hæc de tota hac materia dixisse sufficiat , ad laudem omnipotentis Dei, & B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Sponsique eius Sanctissimi Ioseph , necnon Seraphicæ Teresiæ, & S.Ioannis à Cruce.



TRACTA-

TRACTATUS XII.

DE JUSTITIA, ET JURE.

PROOEMIUM.

POSTQUAM de lege egimus, quæ est regula, & norma justitiæ, & cujuscumque juris, venimus nunc ad ipsam justitiam, & jus, quod est objectum eius, declarandum. Quæ materia ob illius excellentiam, maximamque difficultatem, multùm nobis faceſſet negotium; est enim inter omnes virtutes morales excellentissima justitia, quæ ob sui nobilitatem, non solùm attendit, quid congruat, & consentaneum sit proprio subjecto; sed quid conveniat alterius bono considerat, illudque illæsum, & indemne conservare procurat, ob idque ab Aristot. 5. *Ethicor. cap.* 1. dicitur: *Præclarissima virtutum est justitia, & nec Hesperus, nec Lucifer ita admirabiles.* Est etiam vtilissima illius notitia, maximè Confessarijs, quos nitimur instruere; cum nihil sit magis obvium, nihilque sæpiùs in confessionibus, consultationibus, & resolutionibus occurrat, quàm dubia circa justitiam, vel injustitiam repetita; quæ resolvere nemo potest debitè, & legitimè ex suo cerebro, vel ex notitia aliqua confusa; sed debet difficultates plures, & gravissimas, quæ in hac materia deciduntur, præ manibus habere. Curabimus tamen, quantum possibile fuerit, claritatem cum brevitate conjungere, res morales scholastico modo (vt aliqui faciunt) minimè pertractantes, sed modo morali, & resolutorio, instituto nostro proportionato; non prætermittentes ea, quæ scholasticos Theologos dedecet ignorare. Ex omnibus autem eas difficultates agendas eligemus, quæ sunt magis ad praxim necessariæ; aliàs verò, quæ sunt merè metaphysicæ, alijs remittentes, qui ex professo eas examinant. Et in hoc Tractatu agemus de *jure ipso*, & *justitia* in communi; de dominio, quod est totius justitiæ, ex parte objecti, fundamentum; postmodùm in tract. seq. *de injurijs*, quæ fiunt contra justitiam, & de illarum restitutione, ac denique in vltimo huius voluminis, tractat. *de contractib.* quæ sunt materia, circa quam justitia commutativa exercetur.

CAPUT I.

De Iustitia, & Iure in communi.

IN hoc Capite ea duntaxat trademus, quæ communia sunt circa justitiam; regulas generales assignantes, ex quibus posteà particulares notitiæ sunt accipiendæ. Caput hoc continet quinque Puncta.

Punct. I. *De jure, quod est objectum justitiæ.* num. 1.
Punct. II. *Quid, & quotuplex sit justitia?* num. 8.
Punct. III. *De justitia generali, seu legali. Quid sit? vnde dicatur? & in quo ab alijs discriminetur?* num. 15.
Punct. IV. *De justitia distributiva, & commutativa, & comparatione illarum inter se.* num. 22.
Punct. V. *De vitijs, quæ sunt justitiæ contraria.* num. 37.

PUNCTUM I.

De jure, quod est objectum justitiæ.

Quot modis sumatur *jus*?

1 OMissis varijs acceptionibus juris, quas in præsenti enumerant Doctores, vt clariùs, & breviùs procedamus, ad tres classes omnes eas reducemus. Igitur jus triplicitèr potest accipi. Primò, pro lege determinante, quid ex justitia sit vnicuique tribuendum, vt inquit D. Thomas 2.2. *quæst.* 57. *art.* 1. Quomodo ipsa lex jus dicitur, seu regula juris: & ita distinguimus jura sicut leges in jus positivum, jus naturale, jus divinum, jus gentium, jus humanum, civile, canonicum, de quibus latè diximus *tractat.* 11. *de legibus, capit.* 1. *punct.* 3. Secundò, sumitur jus pro legitima potestate, quæ nobis competit ad aliquid agendum, recipiendum, &c. Tertiò, prout est idem, quod justum, seu æquale, in quo importatur ratio debiti. Omnibus ergo istis modis jus pertinet ad virtutem justitiæ; aliter tamen, & aliter. Nam primo modo est jus regula, eò quòd omnis justitia regulatur lege determinante, quid vnicuique debeatur, quidque illi sit reddendum. Secundo verò modo est conditio omninò necessaria, quia cui nulla est legitima potestas ad aliquid, nihil potest esse debitum, atque adeò nec reddi æqualitèr ex justitia: quia æqualitas ista attendenda est respectu prædictæ potestatis. Tertio autem modo est objectum specificativum justitiæ, circa quod ipsa directè, & immediatè versatur. Directè enim respicit hæc virtus hoc, quod est dare vnicuique quod suum est; atque adeò tantùm, quantum sibi debetur. Quæ est doctrina D. Thom. *loco cit.* Sed quia nos *tract. de legibus*, latè egimus de jure primo modo sumpto, de duobus reliquis modis duntaxat in præsenti discutiemus.

Quid sit *jus*, vt dicit potestatem?

2 Ius ergo in secunda acceptione diffinitur quod est: *Potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem, cuius violatio injuriam constituit.* Dicitur *potestas*, vel activa ad agendum, aut retinendum aliquid; vel passiva ad aliquid recipiendum, v. g. vt alatur, vt inserviatur: vel tandem resistitiva, vt in jure quod aliquis habet, ne quis in tali loco ædificet, ne altiùs attollat murum, ne fenestras aperiat, per quas hortum registret. Dicitur *legitima*, id est, à lege concessa; nam aliàs non esset jus, sed violentia, & injuria. Potest autem concedi tale jus, seu potestas à lege divina, vt potestas ad recipienda sacramenta: vel à naturali, vt jus ad victum, seu sustentationem, jus ad ineundum matrimonium, ad vim vi expellendam: vel ab humana, vt jus ad succedendum in hæreditate, jus quod acquiritur per vsucapionem, vel præscriptionem. Hoc jus non pertinet ad objectum formale justitiæ, sed est ratio ex parte objecti *cui*, ob quam justum, seu æquale in hac, vel illa materia debeatur. Non enim intendit justitia jus alterius, seu illius potestatem ad agendum, vel recipiendum, sed ponere æquale secundùm illud, quod alteri debetur: & ideò illa potestas, seu facultas, ratione cuius debetur, est id, ex quo objectum formale *quod* justitiæ (quod est justum, & æquale) coalescit.

Quid sit *jus in re*, & *ad rem*?

3 Ius modo dicto dividitur in *jus ad rem*, & *jus in re*. Ius in re est circa rem aliquam, ad quod res ipsa devincta est, quia nimirum tribuit actionem realem, non solùm in personam, sed in rem; quæ, vbicumque sit, illius est, qui in illa jus obtinet, & quocumque res transeat, cum illo onere transit, vt obstricta sit illi, qui tale jus possidet. Ius ad rem est circa rem aliquam, ad quod res ipsa nondum est devincta, & sic directè, & immediatè non tribuit actionem in rem, seu realem, sed tantum in personam, seu personalem. Unde si illa res vendatur alteri, manet illi, qui emit: nobis verò datur actio adversus personam, quia res ipsa nobis non est obligata, quamvis aliqua persona sit obligata ad rem ipsam dandam suo tempore. Ita Molina *tract.* 2. *de just. disp.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 10. Dicastillo *tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 2. *num.* 10.

Quando detur jus in re, vel ad rem.

4 Sed quia nihil magis devinctum est nobis, quàm id, cuius sumus domini; jus in re id præcipuè dicitur, quod circa res habemus, cuius domini sumus, nimirum jus vtendi, alienandi, faciendi, possessionem comparandi, quando eam amisimus. Quare, vt jus in re habere dicamus, non sufficit titulus ad transferendum dominium, vt emptio, donatio, electio, præsentatio, &c. Sed insuper requiritur, quod res tradita sit aliquo genere traditionis: & ideò in leg. *Traditionibus*, Cod. *de pactis*, dicitur: *Traditionibus, & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur.* Unde jus in re per emptionem, venditionem, &c. acquiritur, secuta rei traditione: & in beneficijs per collationem, præsentationem, &c. secuta acceptatione illorum. Et jus ad rem acquiritur, vel per venditionem, emptionem, collationem, præsentationem; in testamentis per jus hæreditatis, non secuta tradi-

tio-

tione, acceptatione, aut possessione. Ita Auctores citati.

Quid sit jus legale, & morale?

5 Ius tertio modo acceptum, seu prout est idem, quod justum, & æquale, aliud est *legale*, aliud *morale*. Legale est, quod pertinet ad justitiam. Morale, quod ad alias spectat virtutes, vt inquit Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 80. *artic.* 1. Dicitur legale jus, seu debitum justitiæ, non præcisè, quia est secundum legem; id enim in omnibus virtutibus reperitur; sed quia jura, & leges ad illud solvendum frequenter adstringunt. Vnde dixit D. Thom. *loc. citat.* jus legale est, *ad quod solvendum quis lege adstringitur, morale, quod debetur ex honestate virtutis.* Itaque jus legale est, quod fundatur in aliqua potestate, quam quis habet ad rem possidendam, vel in re possessa ratione æqualitatis servandæ inter se, & alium. Morale, quod propriè non fundatur in aliqua potestate, sed in honestate operantis; sibi enim decet & debitum est, juxta rationem, & alias regulas moris operari.

Ius legale quot modis accipiatur?

6 Hoc jus legale, aliud est *simpliciter tale*, quod ab aliquibus dicitur *politicum*: aliud jus legale, *secundùm quid*, vt constat ex D. Thom. 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. Ius legale simpliciter tale, seu politicum tres exigere conditiones, asserit Sanctus Doctor *loco citat.* Prima, vt simpliciter debeatur, habeatque simpliciter rationem debiti legalis. Secunda, vt servet æqualitatem simpliciter talem. Tertia, vt sit simpliciter ad alterum. Ius legale secundum quid est illud, cui aliqua ex his conditionibus deficit, vt contingit in omnibus virtutibus potentialibus justitiæ, vt in pietate, religione, observantia, veritate, &c. Quæ vel non habent reddere æquale, vel non sunt ad alterum simpliciter, vel debitum legale simpliciter tale non supponunt. Insuper jus legale pro diversitate personarum solet multiplicari: & ideò aliud dicitur militare, aliud Sacerdotum, aliud Magistratuum. Videatur D. Thom. *artic.* 1. citato.

Quid sit objectum justitiæ, & eius materia?

7 Ex his iam apparet, quid sit objectum formale justitiæ, & quæ sit materia illius. Dicimus ergo, objectum formale justitiæ esse jus hoc tertio modo sumptum, seu secundum quod dicit æquum, æquale, & justum, illud nimirum, quod alteri debetur ex jure. Materia illius remota sunt res illæ, quæ commutantur, vel distribuuntur, putà pecuniæ, agri, domus, beneficia. Materia proxima, seu id circa quod justitia versatur, sunt actiones exteriores, quibus res commutantur, vel distribuuntur: & id quod formaliter voluntas vult, & intendit per justitiam, est ponere æqualitatem, vel proportionem cum illa persona, cui res debentur debito legali, seu ex obligatione orta ex aliqua ratione, seu potestate, quæ in ipsis personis, quibus res tribuuntur, invenitur. Nec sufficit, quod æqualitas constituatur, nisi sit debitum legale ex parte personæ, cui fit. Nec sufficit hoc debitum, nisi æqualitas dicta constituatur. Vnde dixit D. Thom. *q.* 58. *artic.* 11. *Materia justitiæ est operatio exterior, secundùm quod ipsa, vel res, qua per eam vtimur, debitam proportionem habet ad aliam personam, vel proportionatur alteri personæ.*

PUNCTUM II.

Quid, & quotuplex sit justitia?

Multiplex acceptio justitiæ.

8 INter alias justitiæ acceptiones, duplex præcipua reperitur. Prima, qua sumitur justitia pro collectione omnium virtutum: & sic justus dicitur, qui non vna, vel alia pollet virtute, sed qui omnibus est ornatus. Vt de Sanctissimo Iosepho dicitur Matth. 1. *Ioseph vir eius cum esset justus.* Et ratio est, quia illud est justum, & æquum, quod dicit adæquationem, & commensurationem cum alio. Cum ergo per collectionem omnium virtutum homo adæquetur perfectissimè cum lege, & ratione, & alia quacumque regula moralitatis; rectè omnium virtutum collectio nomine justitiæ insignitur. De qua intelligitur illud Matth. 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Et iterum: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Et: *Nisi abundaverit justitia vestra.* Vnde dixit D. Chrisostom. *homil.* 12. *in Matth. Iustitia nihil aliud est, quàm omnium mandatorum plena custodia.* Et in hoc sensu ipsa charitas, imò & gratia habitualis justitia dicuntur: & qui illis est exornatus, justificari, justumque esse, meritò asseritur, quia charitas, & gratia important observationem omnium mandatorum, & cum eis rectam, & æqualem commensurationem. Et sic dixit D. Augustin. *in lib. de natura, & gratia, cap.* 38. *Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.* De hac justitia in præsenti non loquimur, quia non est specialis virtus ab alijs diversa; sed cum alijs confunditur, & ex collectione omnium aliarum consurgit.

Diffinitio justitiæ proponitur.

9 Secundò accipitur justitia propriè, & strictè sumpta (quomodo de illa nunc loquimur) pro virtute particulari, qua voluntas inclinatur ad reddendum alteri, quod debetur adæquatè, diffiniturque ab Ulpiano leg. *Iustitia, ff. de justit. & jure*, quod est: *Constans, & perpetua voluntas jus suum vnicuique tribuendi.* Quam D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 1. admittit, & communiter Theologi, & Iuristæ. Dicitur *voluntas*, non sumpta pro potentia, sed pro actu voluntatis. Quamvis enim sit justitia habitus, per suos actus diffiniri potest. Sic D. Agustinus *tract.* 79. *in Ioann.* fidem diffinivit per actum eius dicens: *Fides est credere quod non vides.* Ut autem significetur justitiam esse habitum, additur, *constans*, id est, non transiens sicut actus, sed permanenter in subjecto persistens. Dicitur *perpetua*; vtique ex parte objecti, quia, vt inquit D. Thomas *ad* 3. *loco citato*, duplicitèr actus esse potest perpetuus. Uno modo ex parte actus perpetuò durantis: sic solus actus divinæ voluntatis perpetuus dici potest. Alio modo ex parte objecti, quia vult aliquis perpetuò aliquid facere, seu non ad tempus duntaxat servari æqualitatem cum alio, sed in omni occasione, & tempore, quod est de ratione justitiæ: *jus*, id est, debitum secundum æqualitatem, sumpto jure in acceptione, qua diximus *punct. præcedent.* esse objectum justitiæ. *Unicuique tribuendi*, id est, secundum æqualitatem, quam petit potestas; quam alter habet, vt jus sibi debitum conservetur. Et si quis velit dictam definitionem ad debitam formam reducere, potest cum D. Thom. *loc. citat.* ita justitiam

tiam diffinire: *Iustitia est habitus, secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum vnicuique tribuit ad æqualitatem.*

Inferuntur aliqua ex dicta diffinitione.

10 Ex dicta definitione, & ex eis, quæ in eius explicatione diximus, licèt inferre doctrinam, quam D. Thom. *dict. q.* 58. per plures articulos tradit. Primò infertur, justitiam debere esse ad alterum, quia petit justitia facere æquale; & nemo sibi æqualis propriè dicitur. Ideoque, si aliquando justitiam erga se observare asseritur, est impropria, & metaphorica locutio. D. Thom. *art.* 2. ¶ Secundò infertur, justitiam esse propriè virtutem, imò inter alias virtutes morales, quæ residunt in appetitu, nobilissimam. Quod sit virtus, probat D. Thom. *art.* 3. ex eo quod virtus, bonum facit habentem, & eius opus rectum reddit, quod facit justitia ponens æqualitatem cum jure alterius: quia rectum est opus ex hoc, quod attingat regulam rationis, per quam humani actus rectificantur: nihil autem est conformius rationi, quàm jus alterius illæsum conservare. Quod autem sit nobilior inter omnes virtutes morales, probat Sanctus Doctor *artic.* 12. Tùm quia aliæ virtutes morales residunt in appetitu sensitivo, nimirùm fortitudo in irascibili, & temperantia in concupiscibili, justitia verò residet in voluntate, vt statim dicemus. Tùm etiam, quia justitia non solùm perficit proprium subjectum respiciendo eius bonum, sed etiam alios, cum eis faciens æqualitatem: ergo est alijs nobilior. Quo sensu dixit Philosophus 1. *Rhetoricorum, cap.* 9. *Necesse est maximas virtutes esse eas, quæ sunt alijs honestissimæ.*

Plura alia, quæ ex dictis inferuntur.

11 Tertiò sequitur, justitiam in voluntate residere. Quod probat D. Thom. *art.* 4. quia non est in intellectu, eo quòd virtus in ea potentia est, vt in subjecto, cuius actum rectificat; at justitia non rectificat actus intellectus, sed voluntatis: non enim justus dicitur, qui rectè intelligit, sed qui rectè agit. Nec etiam est in appetitu sensitivo, quia apprehensio sensitiva, per quam talis appetitus regitur, cognoscere non potest proportionem, quæ est vnius cum alio, quæ requiritur, vt jus suum vnicuique servet. Restat ergo ipsam in voluntate, vt in subjecto, residere, quod est proprium privativè ipsius justitiæ. Nam, vt latè probant nostri Salmant. *tract.* 12. *de Virtutibus, disp.* 2. *dub.* 2. sola virtus justitiæ reperitur in voluntate. Aliæ verò morales, quæ perficiunt proprium subjectum, vt temperantia, & fortitudo, in appetitu sensitivo reperiuntur. ¶ Ex quo sequitur, justitiam non versari circa passiones hominum tanquam circa materiam, sicut fortitudo, aut temperantia; sed illius materiam esse actus exteriores, & res, circa quas tales actus versantur; rectificat enim voluntatem, vt velit ponere æqualitatem in rebus, secundùm quòd alijs est debitum. Et probat D. Thom. *articul.* 8. & 9. tùm ratione subjecti: quia justitia est in voluntate, vbi non sunt passiones. Tùm etiam, quia rectificatio passionum est perfectio subjecti in ordine ad bonum proprium: justitia autem ad alterum ordinatur.

Quid sit medium rei, quod respicit justitia?

12 Ex quo apparet discrimen, quod ponit D. Thomas *artic.* 10. inter justitiam, & alias virtutes morales, quod aliæ respiciunt medium rationis, ipsa verò medium rei, quod non est ita accipiendum, quasi justitia non respiciat etiam medium rationis; est enim virtus moralis, de cuius ratione est sequi dictamen prudentiæ, quæ medium rationis omnibus virtutibus præscribit, sed quia vltra medium rationis, quod aliæ respiciunt, ipsa medium rei attendit: seu (vt melius loquamur) medium rationis in justitia est medium rei, non ita in alijs virtutibus. Aliæ namque virtutes morales, cum solùm rectificent in ordine ad proprium subjectum, solùm ordinant, & dirigunt passiones secundùm rectam rationem, prout congruit proprio subjecto; nimirùm, quòd tantum irascatur, quantum ratio dictat; vt plus minusve comedat, prout congruit proprio subjecto, omnibus inspectis circumstantijs. Iustitia autem non respicit medium ipsius rationis præcisè, vt proprio convenit subjecto, sed secundum quod alijs est debitum, videlicet vt tantum reddatur, quantum debetur. Et sic res illa, secundùm quam æqualitas constituitur cum alio, prout debito illius est æqualis, est medium rationis, quod attingit ipsa justitia, vt inquit D. Thom. *dict. art.* 10. *ad* 1.

Quædã specialis doctrina D. Tho.

13 Undè fit, quod, vt inquit D. Thom. *art.* 9. *ad* 2. actio exterior injusta, v.g. adulterium, potest dupliciter considerari. Primò, vt oritur à passione. Secundò, vt terminatur ad rem. Prout oritur à passione concupiscentiæ, pertinet ad temperantiam eam corrigere, actionemque illam injustam avertere, non vt injusta est, sed vt est à passione inordinata. At verò, prout terminatur ad rem, & sic jus alterius infringit, pertinet ad justitiam talem actionem injustam, quia injusta est, avertere. Et quia actiones exteriores non tàm specificantur à passionibus interioribus, à quibus procedunt, quàm ab ipsis rebus, quas attingunt: fit inde, actionem illam absolutè esse injustam, esseque munus justitiæ eam evertere.

Quo uplex sit justitia?

14 Igitur justitia modo dicto explicata dividitur divisione generis in species, in commutativam, distributivam, & legalem. Prima est justitia partis ad partem, secunda totius ad partem, tertia partis ad totum. Cum enim munus justitiæ sit æqualitatem inter aliqua constituere, vt sic vnusquisque alteri reddat, quod ipsi debetur, juxta diversas habitudines illorum, inter quæ ponitur æqualitas, distinctæ species justitiæ consurgunt. Huiusmodi autem habitudo tantùm est triplex, nempè vel partis ad partem, vt vnaquæque det alteri, quod suum est: & hæc est justitia commutativa, ad quam pertinent commutationes, emptiones, venditiones, & omnes contractus, ex quibus consurgit obligatio vnius partis ad aliam. Vel potest esse habitudo ipsius totius ad suas partes, ita quod ipsum totum vnicuique parti tribuat, quod ei competit; & hæc vocatur distributiva, ad quam spectat distributio præmiorum, & bonorum communium. Utraque verò dicitur justitia partialis, quia attendit bonum partium. Vel denique prædicta habitudo potest esse partium ad suam totum, vt scilicèt vnaquæque pars ita se habeat, sicut bono totius expedit, tribuatque communitati, quod debet; & ista appellatur justitia legalis, quia potissimè respicit, vt leges in suo robore conserventur, & observentur, quatenus, media hac observatione, ipsum bonum commune conservatur. De his tribus speciebus justitiæ agemus duobus punctis sequentibus, omittentes reliquas partes justitiæ, quæ dicuntur partes illius potentiales, vt religio, pietas, observantia, &c. quia ad nostrum intentum non sunt necessariæ.

*** ***)(?§?)(*** ***

PUN-

PUNCTUM III.

De justitia generali, seu legali, quid sit? vndè dicatur? & quomodo ab alijs discriminetur?

Quid sit legalis justitia?

15 INter partes præcipuas justitiæ prima est justitia legalis, quæ diffinitur, quòd est, *qua partes communitatis perfectæ ordinantur ad justum boni communis.* Dicitur, *qua partes*, quia istæ, vt tales sunt, respiciunt bonum communitatis, cuius partes sunt: licèt enim aliæ dentur virtutes, quæ attendant bono communi, non hoc respiciunt, vt partes, & membra sunt communitatis, & ideò pietas erga patriam bonum commune patriæ promovere contendit; sed sub diversa ratione, ac justitia legalis: illa attendit ad bonum commune patriæ ob beneficium ortus, quemadmodum enim ipsa pietas erga parentes movet ad præstandum illis aliquod obsequium ob ortus beneficium: sic, quia patria suo modo est nativitatis origo, datur pietatis virtus erga illam, per quam movemur ad illius bonum defendendum, avertendumque quodcumque malum. Iustitia autem legalis non sic respicit bonum commune, sed vt est membrum, & pars illius communitatis, & parti incumbit bonum totius promovere. Bonum namque commune suum jus exigit, imò præstantissimum: ergo debebat dari justitia, qua partes, vt membra sunt illius communitatis, tali bono attenderent; aliàs rueret ipsum bonum, si partes singulæ humerum suum non apponerent ad illud sustentandum. Et hæc est justitia legalis, quæ *hesperus*, & *lucifer* dicitur ab Aristotel.

Nomina justitiæ legalis explicantur.

16 Hæc autem justitia duplici nomine appellatur, *justitia legalis*, & *justitia generalis*. Legalis dicitur, non quia procedat secundùm legem; id enim commune est omnibus justitijs, sed quia istius præcipuum munus est attendere ad omnium legum observantiam, ne paulatim ren[illegible]atur, neve illius rigor enervetur, quia cùm justitiæ huius munus sit bonum commune promovere, eique justum, & æquale debitum tribuere, hoc nullo modo aptiori præstare potest, nisi curando, vt leges justæ ordinentur ad bonum commune, vt diximus *tract. de Legibus.* Et hinc est, quòd hæc justitia legalis dicitur in Religionibus *observantia regularis.* Cum hoc stat non solùm pertinere ad hanc justitiam bonum commune conservare media observantia legum, sed etiam alijs quibuscumque medijs, quibus tale bonum potest foveri, & conservari: etiamsi opus fuerit propriam vitam exponere, quando id bono communi expediens judicatum fuerit.

Quomodò legalis justitia generalis sit?

17 Dicitur etiam hæc justitia *generalis*, non quia sit generalis in essendo, aut prædicando, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 58. *articul.* 6. quia nimirùm non est identificata cum reliquis virtutibus; vel quia tanquam genus, & superior prædicatur de illis; est enim specialis, & particularis virtus, vt statim dicemus; sed dicitur *generalis*, tùm, quia ordinatur ad bonum commune, quod, vt objectum est huius virtutis, subinduit rationem specificam aptam specificandi virtutem singularem, seu specificam. Cæterùm, quia bonum commune materialitèr est quid generale, virtus, quæ ad illud attendit, *generalis* dicitur. Tùm etiam, quia huius justitiæ legalis est movere aliàs virtutes, ipsasque ad bonum commune ordinare; & sic est vniversalis in causando: quemadmodùm charitas vniversaliter virtutes ad suum proprium finem ordinat. Tùm denique, quia, vt inquit Div. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 5. *Sicut qui servit alicui communitati, servit omnibus, qui sub illa communitate degunt*: ita virtus, quæ bonum communitatis respicit, omnium bonum promovere nititur. Et sic *generalis* dicitur ex hac parte.

Iustitia legalis est specialis virtus.

18 Cum hoc tamen stat, justitiam legalem specialem esse virtutem ab alijs diversam, vt docet D. Thom. *loc.cit.* Tapia *tom.* 2. *cateñ.*, *lib.* 5. *q.* 2. *art.* 5. *n.*4. Lugo *de Iustit. tom.* 1. *disput.* 1. *sect.* 4. *n.*62. Sotus *de justit. lib.* 3. *q.* 2. *articul.* 3. Lesius *lib.* 2. *capit.* 1. *dub.* 3. *num.* 11. Palaus *tract.* 31. *disput. vnic. punct.* 8. *num.* 3. Et ratio est, quia vbi est speciale jus, & debitum, specialis justitia debet constitui, quæ secundum illud reddat æqualitatem; sed bono communi competit speciale jus, & debitum, ac singulis partibus in particulari; & sic istæ debent postponere suum particulare commodum, & bonum, vt bonum commune conservetur illæsum: ergo datur specialis virtus, cui incumbat tale bonum promovere, defendere, conservare, & ad debitam æqualitatem reducere, etiam cum præjudicio boni particularis: & hæc est justitia legalis, quæ est virtus justitiæ specifica, & atoma. Nam licèt aliqui eam dividant in justitiam legalem specialitèr sumptam, & epikeiam; & illam dicant esse, quæ attendit ad legum observantiam secundum verba legis; hanc, quæ legum observantiam procurat præter verba legis agendo, secundùm animum Legislatoris; cæterum epikeia non est justitia legalis vniversalis, sed potiùs particularis, quia solùm datur ad interpretandum animum Legislatoris in casu particulari ob circumstantias tunc occurrentes; nec tàm dicitur justitia legalis, quàm correctio legis, quando ipsa deficit ob vniversalitatem, quia cùm vniversalitèr lex feratur, non potest attendere ad id, quod in hoc, vel illo casu particulari debet fieri; sed ad hoc ponitur specialis virtus epikeia; vt diximus *tract. de Legib. c.* 4. *punct.* 3. §. 4. *n.*41.

Inter civitatem, & civē potest esse justitia commutativa.

19 Sed hic notanda sunt duo. Primum, quòd, licèt justitia legalis sit inter partem, & totum, vt inter civem, & civitatem, potest communitas se gerere non vt totum, sed vt pars, aut particularis: & cives non se habere, vt pars communitatis, sed vt membrum ab ea distinctum: & tunc potest, sicut particularis cum particulari, cum civitate contrahere, & communitas civibus obligari, vel è contra; & tunc non datur inter eos justitia legalis, sed commutativa, quæ versatur inter partem, & partem, seu inter particularem, & particularem, quia tunc non accipitur communitas, vt totum, sed vt singularis persona: & eius bonum non accipitur, vt commune, sed vt particulare; & cives non considerantur tunc, vt membra illius communitatis, sed vt quid ab ea distinctum. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 61. *artic.* 4. *ad* 2. Layman *lib.* 1. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.*4. Palaus *tract.* 31. *disp. vnic. punct.* 3. *num.*6. ¶ Idem dicendum est de Principe, aut Gubernatore, quatenus à republica constituitur, vt eam regat, & gubernet, quòd tunc non tam tenetur ad hæc officia ex justitia legali, quàm ex justitia commutativa, quia considerantur respublica, & Gubernator, vt duo contrahentes. Nam respublica illi stipendia designat, vt ipsam regat, ac defendat; &, non se habent,

habent, vt pars ad totum: sed vt pars ad partem, quia communitas constituitur, vt pars, quæ Principem, vt in sui defensionem invigilet, designavit. Ex quo fit, teneri Principem, vel Gubernatorem restituere damna reipublicæ, si talem custodiam, & gubernationem prætermittat, quia non ex justitia legali, sed ex commutativa ad id obligatur.

Justitia legalis non est rigorosa justitia.

20 Secundò nota, quòd justitia legalis, licèt absolutè talis sit, non tamen est propria, & rigorosa justitia, vt tenet Palaus *loco citato*, Valentia, & Turrianus, quos refert, & sequitur Lugo *de justit. tom.* 1. *disp.* 1, *sect.* 4. *num.* 68. & ratio est, quia justitia petit, quod sit ad alterum omnimoda alteritate; ita vt nullo modo vnus sit alter, nec bonum vnius alterius bonum judicetur. Ob hanc quippè rationem docet D. Thom. *quæst.* 55. *articul.* 4. inter patrem, & filium, quia tales; inter servum, & dominum; inter vxorem, & maritum, propriam, & rigorosam justitiam non posse intervenire, quia vnus est aliquid alterius, vxor est aliquid mariti, quippè sunt vna caro: filius aliquid patris, & servus domini; & sic bona vnius, vt bona alterius in his casibus reputantur; sed pars vt talis, est aliquid totius, & sic non est omnimoda alteritate ab eo distincta, vndè oritur, bonum communitatis, vt bonum singularium partium, reputari: ergo non potest esse rigorosa justitia illa, quæ inter partem, & totum, vt talia sunt, invenitur, vti est justitia legalis. ¶ Et hinc oritur, ex violatione justitiæ legalis non oriri obligationem restitutionis, sive talis justitia à particulari, vel à Principe violetur, nisi cùm admixtam habet justitiam commutativam, cuius violatio obligationem restitutionis inducit, non verò violatio justitiæ legalis tantùm. Ita præter Authores citatos docet Lesius *lib.* 1. *cap.* 2. *dubit.* 3. *num.* 11. Sayrus *lib.* 10. *tractat.* 2. *cap.* 15. *n.* 7. Bonac. *de restit. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *num.* 2.

Quomodo inter filium, & patrem possit esse justitia?

21 Cæterùm sicut inter servum, & dominum; filium, & patrem; maritum, & vxorem potest intervenire rigorosa justitia in rebus, in quibus à se invicem non dependent, quia tunc non accipitur vnus, vt est pars alterius, sed vt est singularis persona; & sic potest paciscì cum alio ex bonis proprijs ex rigorosa justitia, vt docent D. Thom. *loco citat.* & Sotus *lib.* 3. *q.* 1. *art.* 4. Cajetan. 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. Tapia *lib.* 5. *q.* 2. *art.* 3. Lugo *disp.* 1. *sect.* 2. *n.* 31. & 35. Palaus *tract.* 31. *disp. unic. punct.* 2. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 1. *dubit.* 1. *circa finem*, Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 2. *dub.* 2. sic etiam respublica, aut communitas sumpta, vt est pars, & singularis, modo explicato *num.* 19. potest cum suis civibus paciscì, & tunc non erit justitia legalis, quæ est inter partem, vt talem, & totum, quatenùs tale est, sed commutativa inter partem, & partem, quia tunc totum se habet, vt pars, & vt tale contrahit cum alia.

PUNCTUM IV.

De justitia distributiva, & commutativa, & comparatione illarum inter se.

Quid sit justitia distributiva?

22 PRæter justitiam legalem, quæ est inter partes, & totum, diximus dari duplicem aliam justitiam: alia est inter totum, & partes, quæ dicitur distributiva: alia partium inter se, & commutativa nuncupatur. Igitur justitia distributiva est, *qua bona communia distribuantur inter partes communitatis secundùm proportionem meritorum.* Quarè illius actus interior est recta voluntas distribuendi bona communia, attentis qualitatibus ex parte personarum requisitis pro huiusmodi bonis: actus verò exterior est ipsa distributio facta, proportione dicta servata: materia sunt ipsa bona communia distribuenda inter partes communitatis habentes qualitates pro illis exactas; vt si æraria publica distribuenda sunt inter pauperes, viduas, viros doctos, &c. Hæc justitia præcipuè residet in superiore, cui iucumbit talia bona distribuere; & aliquo modo in subditis, inter quos sunt distribuenda, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. *ad* 3. Quia actus præcipuus eius, vt diximus, est distributio; quæ cùm facienda sit à superiore, in eo præcipuè hæc virtus reperitur. Sed est suo modo in subditis, quatenùs se conformare debent justæ distributioni factæ à superiore, illi acquiescere, & contenti esse.

Medium rei justitiæ distributivæ, quod sit?

23 Medium rei, quod ista justitia distributiva exigit, non est secundùm æqualitatem rei ad rem, sed proportionis ad proportionem, & sic solùm est secundùm proportionem geometricam, quæ versatur inter duas proportiones, & dicitur proportionalitas. Sic Aristot. 5. *Ethicorum*, *cap.* 3. quem sequitur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 61. *art.* 2. Et consistit in hoc, quòd eadem proportio, quæ est inter merita, sit inter ipsa bona distribuenda: v. g. distribuendum est præmium vt sex, habes meritum vt duodecim, alius habet meritum vt octo; tibi danda sunt quatuor, alteri duo, quia, sicut se habent quatuor ad duo respectu sex, sic se habent duodecim ad octo; vtrobique enim est proportio sesquialtera, quia sicut octo sex excedit in tertia parte, sic duodecim octo. ¶ Vnde justitia distributiva semper exigit plures, quos inter se comparet, quatuor videlicèt ad minus, vt est meritum, & meritum inter se habens proportionem, & præmium, & præmium eadem proportione consideratum, id quod nomen ipsum distributionis sonat: non enim distribuitur, nisi quod inter plures spargitur. Quod locum habet in bonis communibus, beneficijs, officijs, & honoribus; & sic objectum illius est servare æqualitatem secundùm proportionem dictam meriti ad præmium. Si quando verò non datur inter plures bonorum distributio, quia bonum distribuendum indivisibile est, vt cùm cathedra, vel beneficium ex justitia distributiva digniori confertur, vel quia plures non conveniunt ad beneficium, sed vnus, id est per accidens. Distributio namque exigit, vt bonum esset capax, quòd inter plures distribueretur, habito respectu, & proportione

ad

ad eorum merita, vt tenet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 61. *art.* 1. & plures referens Lugo *diſput.* 1. *ſect.* 3. *num.* 41.

Explicatur juſtitia commutativa, & eius mediũ.

24 Iuſtitia commutativa diffinitur, quod eſt, *qua redditur vnicuique res propria ſecundum æqualitatem rei redditæ ad rem debitam in commutationibus.* Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 61. *art.* 3. Et ſic ſemper eſt inter partes, nimirùm inter civem, & civem, vel inter civem, & communitatem, ſecundùm quod ſe habet, vt pars, modo dicto *num.* 19. inter quos commutatio poteſt reperiri, vt tantùm pretium conferatur, quantum debetur. Hæc juſtitia locum habet in venditionibus, emptionibus, mutuis, & alijs contractibus: in furtis, injurijs, homicidijs, per reſtitutionem, quia huiuſmodi juſtitiæ munus eſt jus alterius ſervare illæſum, vel, ſi læſum fuerit, ad debitam æqualitatem reducere. Materia remota huius juſtitiæ ſunt res ipſæ, quæ venduntur, vel commutantur, vt pecunia, triticum, merces, &c. Materia proxima ſunt actiones exteriores, nimirùm ipſæ commutationes, contractus, &c. Medium rei, quod eſt ipſius objectum, attenditur ſecundùm proportionem arithmeticam rei ad rem, ſeu quantitatis ad quantitatem, numeri ad numerum; vt ſi abſtuliſti equum, reddas equum; debes viginti, viginti reddas. Præcipuus actus huius juſtitiæ eſt *reſtituere*: Div. Thom. *quæſt.* 62. *articul.* 1. quia adæquatus actus huius virtutis eſt tribuere vnicuique, quod ſuum eſt; ſed præcipua actio tribuendi alteri quod ſuum eſt, eſt reſtitutio, per quam iteratò conſtituitur in dominium, & poſſeſsionem rei ſuæ: ergo, &c.

Vindicatio in offenſo virtus non eſt.

25 Sed inquires primò, an juſtitia commutativa à vindicativa diſtinguatur? De juſtitia vindicativa loqui poſſumus, vel prout eſt in offenſo petente vindictam, vel prout eſt in ſuperiore procedente ad punitionem, vel ex officio, vel ad petitionem partis. Et quidem in offenſo certum eſt, petere vindictam nullius juſtitiæ eſt actus: quia vel injuria ſibi facta ex illis eſt, quæ remitti poſſunt, quia non vergit in aliorum nocumentum; & tunc melius faciet offenſam remittendo, ſecundùm illud Chriſti Domini dictum in oratione quotidiana repetitum: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et ſic actum laudabilem faciet condonando debitori injuriam. Si tamen injuria dimitti non poteſt, niſi cum aliorum detrimento, tunc erit actus virtutis vindictam à ſuperiore depoſcere. Cæterùm talis petitio actus juſtitiæ ſpecialis non eſt, quia ſibi debitum petit; non tamen eſt in reo debitum ei reſarciendum: & ſic non reſpicit alterius bonum, quod eſt de ratione juſtitiæ. Quemadmodùm ſi à Petro petas centum, quæ tibi debet, licèt ille ſolvendo exerceat actum juſtitiæ: tu petendo nullum actum juſtitiæ exerces. At in vtroque caſu poterit eſſe actus juſtitiæ, ſecundùm motivum quod habes in tali petitione. Si namque petitio vindictæ, vel ſolutionis oriatur ex animo tuendi bonum commune, erit actus juſtitiæ legalis: ſi ex affectu ad juſtitiam commutativam, quam debitor debet exercere, vel Iudex in pœnæ inflictione (vt iam dicemus) erit actus juſtitiæ commutativæ, & ſic de alijs motivis, quæ poſſunt tali petitioni adjungi.

Vindicatio in Iudice eſt

26 At vindicatio à Iudice, vel ſuperiore ſacta, cui incumbit ſcelerum punitio, actus proprius juſtitiæ eſt: nam vindicativa eſt verè, & propriè juſtitia, à qua Deus *juſtus* appellatur, & diffinitur eſſe, *virtutem, qua ſuperior ſubditum debita, & condigna pœna pro delictis punit.* Cæterùm talis juſtitia non eſt alia à commutativa, ſed ex vi juſtitiæ commutativæ Iudex tenetur ſcelera digna pœna caſtigare. Tùm, quia ex pacto à republica conductus eſt ad malefactores puniendos. Tùm etiam, quia per juſtitiam vindicativam rependitur delinquenti pœna æqualis debita delicto, & reſtituitur honor reipublicæ, quem amiſerat ob ſcelus ſui civis: rependere autem æquale, & reparare honorem læſum, actus eſt juſtitiæ commutativæ: ergo in Iudice juſtitia vindicativa à commutativa non diſtinguitur. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 108. *art.* 1. *ad* 1. & 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 3. *ad* 3. Tapia *tom* 2. *catenæ. lib.* 5. *quæſt.* 3. *artic.* 7. *num.* 7. Dicaſt. *lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 2. *num.* 103. Sot. *de juſtit. lib.* 3. *q.* 5. *art.* 1. *ad* 1. Palaus *tract.* 31. *diſp. vnic. punct.* 3. *n.* 5. Lugo *diſp.* 1. *ſect.* 4. *n.* 69. Ex quo ſequitur, Iudicem teneri ad reſtitutionem damnorum reipublicæ provenientium ex omiſsione punitionis malefactorum, quia violatio juſtitiæ commutativæ inducit obligationem reſtitutionis, vt ſuo loco dicemus.

actus juſtitiæ commutativæ.

Objectio cõtra dicta, & eius ſolutio.

27 Sed objicies potiùs videri juſtitiam vindicativam non diſtingui à diſtributiva, quàm à commutativa; ſiquidem eiuſdem virtutis eſt, & remunerare benemeritos, & reprobos punire. Vnde ad illam virtutem pertinebit pœnas condignas pro delictis infligere, ad quam pertinet præmia pro meritis condigna rependere; ſed ad juſtitiam diſtributivam hoc ſecundùm ſpectat: ergo etiam primum. ¶ Reſpondetur non pertinere ad juſtitiam diſtributivam præmia condigna pro meritis referre; hoc enim munus eſt juſtitiæ commutativæ. Vnde reſpublica ex juſtitia commutativa tenetur remunerare milites, vel alios quoſcumque, qui in eius commodum laborarunt, & in hoc aſsimilatur punitio delictorum, & obſequiorum, ſeu meritorum remuneratio. Vtrobique enim ſervari debet æqualitas arithmetica, vt tantùm detur, quantum meritum eſt in alio, vel ad pœnam, vel ad coronam. Servare autem æqualitatem arithmeticam, ſeu in præmijs, ſeu in punitionibus pertinet ad juſtitiam commutativam, non ad diſtributivam, quæ ſolùm attendit ſervare æqualitatem geometricam, vt iam eſt dictum. ¶ Diſtributio autem, quæ eſt propria juſtitiæ diſtributivæ, non reſpicit, quid alius boni in rempublicam egerit, ſed qui boni habeat in ſe, & quid vnuſquiſque mereatur, nimirum quantum ſit ſapiens, virtuoſus, pauper, nobilis, &c. vt juxta proportionem talium bonorum, quæ in ſe habet, bona communia illi applicentur. At punitio reſpicit, quid malum delinquens egerit contra rempublicam, vel partem eius, vt tantum pœnæ ipſi tribuatur; quod eſt proprium juſtitiæ commutativæ. Vnde, vt alicui bona reipublicæ diſtribuantur, ſufficit eſſe probum in ſe: vt autem puniatur, requiritur vt ſit improbus in alios, & ſic ex hac parte non æquiparantur.

Iuſtitia cõmutativa diverſa eſt à diſtributiva ſpecie.

28 Inquires ſecundò, an juſtitia commutativa ſit diverſæ ſpeciei à diſtributiva. Reſpondetur affirmativè cum communi ſententia. Et probatur primò, quia juſtitia commutativa diſponit privatum ad privatum, vt illi debitum tribuat: at diſtributiva diſponit rempublicam, vel eius curam gerentem in ordine ad partes communitatis. ¶ Secundò, quia commutativa reſpicit diverſum objectum formale à diſtributiva; illa ſiqui-

siquidem respicit medium rei secundùm æqualitatem, & sic solùm conditionem rei attendit, quidquid sit de æqualitate personæ, vt si debeantur centum, centum dentur, sive pauper, sive nobilis, sive sapiens, aut indoctus sit cui debentur. Distributiva autem solùm respicit proportionem geometricam rei ad æqualitatem personæ, vt pauperiori, sapientiori, &c. plus tribuatur secundùm proportionem boni distribuendi cum qualitate personæ. ¶ Tertiò, quia vtraque respicit diversum jus: siquidem commutativa respicit jus rigorosum, & proprium dominij, cum quo intendit ponere æqualitatem. Distributiva autem non ponit æqualitatem cum jure strictè dicto, sed cum dignitate, quam habet ad bonum commune, cuius dominium minimè acquisivit. Et ita tenent Aristot. 5. *Ethicor. cap.* 2. D. Thom. 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 8. *dub.* 3. *n.* 57. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 2. *art.* 7. *num.* 6. Lugo *disp.* 1. *q.* 3. *num.* 47. Less. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 21. & est communis.

Difficilis objectio contra dicta.

29 Sed est contra hanc communem doctrinam difficilis quædam objectio, cuius solutio ad plures alias difficultates huius materiæ necessaria est, & ideò eam in medium proferemus. Objicitur ergo, quòd multoties justitia commutativa petit servare æqualitatem geometricam, & medium rei secundum proportionem, & attendere non ad æqualitatem rei, sed personæ: hoc est proprijssimum justitiæ distributivæ; vt iam diximus: ergo justitia commutativa, & distributiva non distinguuntur essentialiter. Probatur maior primò, quia si aliquis pluribus debitoribus debeat solvere, & non possit omnibus æqualiter, tenetur distribuere inter illos, quæ potest, attento ordine, & jure creditorum, ex justitia commutativa, vt omnes asserunt. ¶ Secundò, qui constituitur à republica, vt distributor bonorum communium, peccat contra justitiam commutativam, si talia bona debitè non distribuat juxta qualitatem partium requisitam in talium bonorum distributione; vt si inter nobiles, inter doctos sint distribuenda, peccat contra justitiam commutativam, si non distribuat plus nobiliori, aut doctiori, quàm minùs nobili, & docto: & sic tenetur ad restitutionem illius in quo alium defraudavit. ¶ Tertiò, quia si ex testamento, vel ex voluntate alicuius, cuidam relinquantur aliqua bona distribuenda inter pauperes, aut doctos, vel virtuosos, cum proportione ad qualitates eorum, iste tenetur ex justitia commutativa talem proportionem servare, &, si secus fecerit, tenetur restituere: ergo iam dantur casus, in quibus competat justitiæ commutativæ dictam proportionem servare; quod est proprium distributivæ, & sic istæ justitiæ non erunt inter se diversæ.

Justitia distributiva simul cum cõmutativa cõjungitur.

30 Respondetur, justitiam distributivam multoties, imò ferè semper, cum commutativa esse conjunctam. Et ratio est, quia ad veram rationem justitiæ, vt diximus, requiritur debitum legale proprium, & rigorosum, quod fundatur in jure dominij, quod alter habet in re, vel ad rem, nisi enim hoc debitum detur, justitia propriè dicta non est: sed debitum tali modo est debitum ex justitia commutativa, & sic eius violatio obligat ad restitutionem: ergo vt distributiva justitia propriè, & rigorosè sit talis, semper cum commutativa debet reperiri. Ut in casibus dictis verificatur, in quibus, ex qua parte bonum distribuendum debitum est ex justitia commutativa (quod debitum oritur, vel ex pacto, vel ex lege, vel ex consuetudine, vel denique ex voluntate designantis talia dona, vt inter has, vel illas personas distribuantur) ibi justitia commutativa intervenit. Et, ex qua parte tale bonum distribuendum est inter plures, attenta illorum qualitate, & cum proportione ad ipsam, datur justitia distributiva. Aliter tamen, & aliter, vna, & altera se habet. Nam justitia commutativa ibi solùm est respectu singulorum, vt singulis tribuatur æquale, quod ipsis debetur, vel ex lege, consuetudine, aut designatione superioris. Distributiva autem secundùm quod inter plures talis donatio est facienda, & sic omnes respicit in communi, vt habent æqualitatem proportionis meritorum, vel qualitatum cum proportione bonorum, quæ sunt distribuenda.

Explicatur exẽplis præcedens doctrina.

31 Exemplo res explicatur. Relinquuntur tibi à patre mile aurei, vt eos distribuas inter pauperes, secundum proportionem paupertatis illorum, & attentis omnibus, quæ pro tali distributione debent attendi: huic pauperi, qui est pauper, vt viginti, centum aurei debentur; & tunc teneris ex justitia commutativa illi centum aureos tribuere, & in hoc servare æqualitatem huius justitiæ: & si minùs conferans, teneris restituere, quia respectu illius pauperis perinde est, ac si in testamento relicta essent illa centum. Idem dicimus cum proportione respectu aliorum. At justitia distributiva in tali casu non respicit, quid tunc in particulari debeatur; sed computationem facere paupertatis illius cum paupertate aliorum, & cum tali proportione bona relicta inter omnes distribuere. Vnde in tali casu, & proportio arithmetica, & geometrica reperitur: hæc respectu justitiæ distributivæ, illa respectu commutativæ. Iustitiæ distributivæ competit cum proportione geometrica bona relicta distribuere. Hac iam distributione facta, competit justitiæ commutativæ bonum, quod huic particulari convenit, dare secundùm æqualitatem omnimodam; vt si illi centum competant, centum dentur. Et eodem modo dicimus judicandum esse in reliquis exemplis objectionis.

Iustitia distributiva nudè sumpta nõ est rigorosa justitia.

32 Ex dictis sequitur, justitiam distributivam nudè sumptam non esse propriam, & rigorosam justitiam, sed hoc habere, quando cum commutativa conjungitur, ac proinde inter omnes justitias solùm commutativam nudè sumptam esse rigorosam justitiam. Quod autem distributiva nudè sumpta hoc non habeat, tenent Dicastill. *loc. cit.* Suarez, & Rebell. quos refert, & sequitur Lugo *disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 50. & videtur manifesta D. Thom. qui 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. *ad* 2. ita ait: *Quod sicut pars, & totum quodammodò sunt idem; ita id quod est totius, quodammodo est partis: & ita cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquomodo recipit quod suum est.* Ad hoc autem, vt rigorosa esset justitia, requirebatur esse aliquid proprium partis simpliciter, quod est distribuendum; aliàs nihil proprium amitteret per hoc, quòd talis justitia ei non servaretur. Deinde, quia hoc ipso quod dicat Div. Thomas, partem esse aliquo modo idem cum toto, denotat inter partem, & totum non esse omnimodam alteritatem, quæ requiritur ad justitiam: nam eadem est proportio de toto ad partem, quæ est de parte ad totum; sed, quia pars est aliquo modo idem cum toto, diximus *num.* 20. justitiam legalem, quæ est inter partem, & totum, non esse rigorosam justitiam:

tiam: ergo ſimiliter, quia totum eſt aliquo modo idem cum parte, juſtitia quæ eſt inter totum,& partem,non erit rigorosè talis.

Duplici ratione probatur aſſertio propoſita.

33 Deinde probatur triplici ratione. Prima, quia rigoroſa juſtitia debitum rigoroſum ſupponit ſecundùm quod ponit æqualitatem: (nam hoc ipſo quod debitum non detur ex parte alterius, non datur rigoroſa juſtitia ad illum) ſed juſtitia diſtributiva, niſi juncta ſit cum commutativa, non ſupponit debitum rigoroſum (quia hoc ipſo quod detur jus in re, vel ad rem, eſt debitum ex juſtitia commutativa,& ſine illo nec fit injuria alteri rem illi non tribuendo, nec aliqua juſtitia obſervatur dando talem rem) ergo, niſi juncta ſit juſtitia diſtributiva cum commutativa, non eſt rigoroſa juſtitia. ¶ Secundò, quia violatio juſtitiæ rigoroſæ ponit obligationem reſtituendi,vt eſt apud omnes inconcuſſum;ſed juſtitia diſtributiva non ponit obligationem reſtitutionis ob eius violationem, niſi vt conjuncta eſt cum commutativa, ex cuius violatione duntaxat debitum reſtitutionis conſurgit, vti ex communi ſententia docent Leſſ. *lib.2.cap.1. n. vltim.* Tapia *lib. 5. q. 24.art.9.& q.28.art. 1. & 2.* Bañez 2. 2. *quæſt. 62.art. 2.dub.12.concl.7.* Villalob.*tract. 11. diffic. 1.n.3.*Dicaſtill.*lib.2. tract.2.diſp. 8. dub. 3. n. 57.* Bonacin.*de reſtit.diſp.1.quæſt.1.punct.1. num.10.* Rebell.*de obligat.juſtitiæ, lib.1.quæſt. 3.n. 18.* Lugo *diſp. 1.ſect.3.n.50.* & eſt expreſſa D. Thom. 2. 2.*q.62.art.1.ad 3.* ergo juſtitia diſtributiva, quæ talem obligationem non inducit, non erit rigorosè talis.

Tertia ratio pro aſſertione.

34 Tertiò, quia vitium acceptationis perſonarum, quod eſt oppoſitum juſtitiæ diſtributivæ, non committitur, niſi quando id, quod diſtribuendum eſt, ex juſtitia commutativa debetur: ergo diſtributiva non eſt rigoroſa juſtitia, niſi juncta ſit cum commutativa. Probo antecedens, quia ſi aliquis bona ſua vellet inter pauperes diſtribuere, non eſſet acceptor perſonarum per hoc quod magis pauperi minùs daret, ſicut Deus non eſt acceptor perſonarum per hoc quod ſua dona gratioſa, nulli debita,minùs dignioribus multoties conferat, quia ſolùm dona gratiæ habitualis, & gloriæ (quæ ſuppoſito pacto divino debita ſunt hominibus rectè operantibus ex juſtitia commutativa) debet ex juſtitia juxta tantitatem meritorum diſtribuere, vt conſtat ex illa parabola, in qua operarijs dedit quod ſuum erat juxta pactum cum eis initum: & tamen illis, qui minùs operati ſunt, vltra merita diſtribuit, quia nulli faciebat injuriam, dando quod ſuum erat, quibus placebat: non eſt ergo acceptio perſonarum, niſi quando bonum diſtribuendum debitum eſt partibus ex juſtitia commutativa, vel ex pacto, promiſsione, lege, conſuetudine, aut alia ratione. Maneat ergo, juſtitiam diſtributivam nec eſſe rigoroſam juſtitiam, nec inducere obligationem reſtitutionis,nec arguere acceptationem perſonarum in operantibus contra eam, niſi ſimul ſit cum juſtitia commutativa conjuncta.

Objectio contra dicta

35 Sed objicies quòd D. Thomas (& cum eo Doctores) *in proœmio, quæſt. 61.* ponit juſtitiam commutativam, & diſtributivam partes ſubjectivas juſtitiæ, & condiſtinguit eas à partibus potentialibus; ſed, ſi juſtitia diſtributiva non eſſet rigoroſa juſtitia, potiùs computanda eſſet inter partes potentiales juſtitiæ, quàm inter partes ſubjectivas; ideò enim pietas, obſervantia, religio, veritas, gratitudo, & aliæ partes juſtitiæ potentiales tales ſunt, & non ſubjectivæ, quia non ſunt rigoroſæ juſtitiæ: ergo, ſi id habet diſtributiva, erit pars potentialis, non ſubjectiva, juſtitiæ.

Solutio propoſitæ objectionis.

36 Reſpondetur D. Thom. loqui de juſtitia diſtributiva,quando conjungitur cum commutativa, tunc enim non ſolùm commutativa eſt rigoroſa juſtitia, ſed etiam diſtributiva, & vtraque diverſæ ſpeciei, & ſic, agendo contra juſtitiam in tali caſu,duplex peccatum committitur ſpecie diverſum: alterum contra juſtitiam commutativam, alterum contra diſtributivam,quod eſt acceptio perſonarum, quia tunc debitum rigoroſum ex parte partium ſupponitur, & ſic juſtitia diſtributiva, quæ ſecundùm illud æqualitatem ſecundùm proportionem ponit,eſt rigoroſa juſtitia: & quia ſemper, ac eſt juſtitia,cum alia conjuncta reperitur, abſolutè dicenda eſt pars ſubjectiva juſtitiæ. Aliæ verò virtutes à rigoroſa juſtitia deficiunt, quæ vel non ſupponunt debitum debitum in alio, vel non reddunt æquale illi,& ſic meritò inter partes potentiales, non ſubjectivas, juſtitiæ numerantur.

PUNCTUM V.

De vitijs, quæ ſunt juſtitiæ contraria.

Non datur vitium per exceſsù contra juſtitiá.

37 CIrca vitia oppoſita habet hoc ſpeciale juſtitia, quo nullum adverſatur ei per exceſſum, ſed tantùm per defectum, quia per hunc ſolùm tollitur debitum quod juſtitia intendit. Peccat enim quis contra juſtitiam, quia non dat, quod debet, aut quia minùs dat, non autem quia plus tribuit; quantumcumque enim in dando excedat, non erit contra juſtitiam, quamvis poſsit eſſe contra liberalitatem, vel alias virtutes, niſi fortè tribuendo vni plus debito, noceat alteri, auferendo ab eo, vel non reddendo quod ſuum eſt: tunc autem injuſtitia formaliter non conſiſtit in eo quod ſupra debitum illi datur, ſed in eo quod alterius debitum minuitur; & ſic tota injuſtitia reducitur ad defectum.Porrò vitium deficiens à juſtitia dicitur injuſtitia; & poteſt ſicut ipſa juſtitia ſumi, vel ſpecialiter, vel generaliter: ſicut enim juſtitia generaliter accipitur pro collectione omnium virtutum, ita injuſtitia generaliter pro omnium vitiorum, vel plurium collectione poteſt accipi; imò pro omni deficientia ab obſervatione legis, & ſic omne peccatum generali quadam ratione dicitur injuſtitia, & injuſtus, qui peccato aliquo eſt maculatus, quia per illud charitas, & gratia diſtruitur, quæ (vt diximus *num.*8.) nomine juſtitiæ generali acceptione nuncupatur.

Quæ vitia dentur contra juſtidã?

38 Injuſtitia autem ſpecialiter accepta eſt vitium juſtitiæ ſpeciali oppoſitum,& ſicut illa,in varias ſpecies dividitur.Illud ergo, quod contrariatur juſtitiæ legari, vocati poterit legalis injuſtitia,ſeu legum relaxatio. Vitium oppoſitum juſtitiæ diſtributivæ eſt acceptatio perſonarum, quando ſcilicèt diſtribuens bona communia partibus communitatis,non attendit præcisè merita, aut indigentiam vniuſcuiuſque, ſed ipſam perſonæ rationem, ac proinde diſtribuit non ſecundum merita perſonarum,ſed affectum ad ipſas perſonas accipit pro menſura diſtributionis. Iuſtitiæ commutativæ contrariantur omnia illa vitia, quæ inferunt proximo nocumentum, ſive

sive in vita, sive in honore, sive in bonis externis. Huiusmodi sunt homicidium (sumimus actus pro habitibus, quoties hi nominibus carent) furtum, quod est acceptio rei alienæ, invito domino; rapina, quæ addit supra furtum violentiam, & injuriam personæ, dum res coram oculis, & quasi è manibus arripitur; injustitia Iudicis in judicando, actoris in accusando, rei in se defendendo, testis in testificando, & quæ fit ex parte Advocatorum.

Alia vitia contra justitiam.

39 Et similiter vitia, quæ inferunt nocumentum verbis, scilicèt contumelia, per quam læditur honor alicuius, objiciendo illi, aut coram eo propalando suos defectus (ad eamque reducitur convicium, & improperium. Differunt verò, quia contumelia objicit defectus morales, vt quòd sit latro, adulter, &c. convitium autem objicit defectus pœnales, aut naturales, vt quòd sit cæcus, claudus, gibbosus, idiota, &c. Improperium verò defectus fortunæ, aut minorationis, vt quòd servierit, quod vilia necessitate coactus exercuerit:) detractio, quæ est alienæ famæ denigratio, fitque in absentia, sicut læsio honoris in præsentia: susurratio, quæ profert aliquid sive malum, sive bonum, vt amicitiam separet: derisio, quæ est prolatio verborum causantium rubotum, vel erubescentiam: & maledictio, quæ est alicuius mali alicui imprecatio. ¶ Opponitur etiam justitiæ commutativæ fraus, quæ committitur in emptionibus, venditionibus, & alijs contractibus; necnon, & vsura, per quam lucrum ex mutuo accipitur: sive omnia hæc sint vitia specie distincta, sive aliqua solùm importent diversos actus vnius vitij. ¶ Peccatum injustitiæ ex genere suo est mortale, vt docet D. Thomas *quæst.* 59. *artic.* 4. & cum eo omnes: quia illud est ex genere suo mortale, quod est contra charitatem, quæ est vita spiritualis hominis: nihil autem est ita contra charitatem, sicut injustitia. Potest autem esse veniale, vel ex inadvertentia, vel ex parvitate materiæ: imò etiam nullum, si materia adeò sit exigua, vt nulla reputetur. Div. Thom. *art.* 4. *cit. ad* 2.

Diffinitio injustitiæ explicatur.

40 Injustitia ergo, secundùm quod ambit prædicta vitia, diffinitur à Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 59. *articul.* 1. *Habitus, quo aliquis volens infert inæquale contra jus alterius nolentis.* Dicitur *quo aliquis volens*: quia, vt sit actus injustitiæ, debet à voluntate procedere voluntariè, id est, supposita scientia rei; quod commune est omnibus vitijs. Licèt in injustitia sit hoc speciale, quòd in alijs, ablata scientia, nullo modo actus vitij (v. g. intemperantiæ) relinquitur, quia in virtutibus oppositis attenditur medium rationis, id est, id quod secundum rationem hic, & nunc convenit subjecto; & ideò, vt sit vitium, contra eas debet subjectum contra medium à ratione præscriptum operari, quod absque scientia, & advertentia non fit: in injustitia autem attenditur medium rei, quod tolli potest, & poni inæqualitas, & sic facere injustum in re, tametsi non injustè fiat; & tunc tenetur restituere, si res ablata sit apud eum, vel id in quo ditior factus est; non ex actione injusta, sed ratione rei, quæ semper est domini.

Injustitia formalis, qualis dicatur?

41 Sed quia D. Thomas 2. 2. *quæst.* 59. *articul.* 2. docet, quod ad hoc, vt actus sit injustitiæ formaliter, seu elicitus ab habitu injustitiæ, requiritur, quòd ex affectu, & animo ponendi inæqualitatem procedat, & non solum ex notitia inæqualitatis faciendæ: notandum est, inæqualitatem, seu injustum, seu damnum dupliciter posse fieri, vel ex libidine, iracundia, &c. & tunc, licèt sit peccatum injustitiæ specialiter detegendum in confessione (vt si adulterium scienter, quamvis non ex animo alteri nocendi, sed explendæ libidinis, perpetratur) non tamen est actus vitij injustitiæ, seu ab injustitia elicitus, nec per repetitionem illius tale vitium directè, & per se generatur; aliud enim est facere damnum, seu injustum; aliud injustè facere, seu directè per vitium injustitiæ. Ad illud sufficit, quod reipsa damnum, & inæqualitas scienter ponatur: ad hoc autem, vt sit actus injustitiæ formaliter, debet procedere ex motivo formali ipsius injustitiæ, quod est damnum, & nocumentum alteri irrogare. Vnde, quia non operatur ex malitia, & electione damni faciendi alteri, sed ex infirmitate, vel passione, non dicitur absolutè injustus, & sic dixit Philosophus 5. *Ethicor. capit.* 8. *Qui furatur propter mœchiam, magis* (id est, formalius) *dicendus est mœchus, quam fur.* Ita Tapia *lib.* 5. *quæst.* 3. *artic.* 2. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 1. *disput.* 3. *dub.* 1. *num.* 4.

Vitium contra justitiam legalè quomodo detur.

42 Sed circa vltimum contrarium justitiæ legali id specialiter reperitur: quod non datur, nisi quando animo contemnendi bonum commune, vel machinandi contra illud exercetur: vt si quis patriam prodere, vel communitatem, cuius est pars, denigrare, intenderet. At qui contra bonum commune delinqueret, sed non eo animo, sed altero motivo, committeret quidem peccatum contra talem justitiam, sed non cum speciali circumstantia in confessione detegenda, sed esset generalis, sicut materialis inobedientia: quia sicut in quolibet peccato reperitur inobedientia materialis præcepto, vt circumstantia generalis pro omnibus peccatis, non vt specialis circumstantia detegenda in confessione: sic quodlibet peccatum est contra bonum commune, quia est violatio legis, quæ in bonum commune est lata, & sic est contra legalem justitiam, cui incumbit bonum commune per observantiam legum promovere; sed non est specialis circumstantia detegenda in confessione, nisi quando ex animo, & affectu contra bonum commune, seu ex contemptu illius procederet. Quæ est doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 59. *art.* 1. & 1. *part. quæst.* 79. *art.* 2. vbi docet, ad propriam rationem transgressionis justitiæ legalis pertinere attendere contemptum præcepti.

Nemo volens patitur injustitiam.

43 Diximus in diffinitione injustitiæ, debere fieri contra jus alterius nolentis: circa quæ verba aliqui excitant quæstionem, an aliquis pati possit injustum volens? Ad quam brevitèr respondemus negativè, ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 56. *art.* 3. & Aristotel. 5. *Ethicor. cap.* 9. & habetur *regul.* 27. *iuris in* 6. ibi: *Scienti, & consentienti non fit injuria.* Et ratio est, quia homo per liberum arbitrium sui juris dominus est: ergo in his, quæ sua sunt, cedere potest suo juri, illudque renuntiare, & sic non patietur injuriam, si volens, & lubens in eis lædatur. ¶ Sed vt aliquibus objectionibus in oppositum vrgentibus maneat satisfactum, notandum est, quod vt aliquis volens non patiatur injuriam, debet illa voluntas esse *justa*, & *pura*.

Casus, in quibus etiã volens potest injustitiam pati.

44 Tunc est voluntas justa, quando est dominus rei absolutus, & suo dominio vti potest absque præjudicio alterius, vel quando nulla lege oppositum ei prohibetur. Quilibet ex his deficiente, voluntas non est justa; & sic, quamvis

vis volens, poteſt pati injuſtitiam. Unde pupillus, quamvis ſit dominus ſuorum bonorum, etiamſi velit in eis damnificari, patitur injuſtitiam, ſi damnificetur, quia per legem hoc illi prohibetur. Similiter qui vellet ſibi membrum amputari, vel privari vita, pateretur injuſtitiam, ſi in his bonis læderetur: quia non eſt dominus illorum, vt poſteà dicemus. Similiter adulterium eſt injuſtitia facta contra conjugem, etiamſi ille cedat juri ſuo: quia per legem matrimonij eſt injuſta talis ceſsio. Idem eſt de eo, qui vellet pati injuriam contra bonum religionis: & de patre, qui vellet fraudari in bonis, quibus alere filios tenetur. ¶ Debet etiam eſſe pura talis voluntas, id eſt, non admixta involuntario. Unde ſi quis ex metu cogeretur ad tribuendas pecunias latroni, vel ex neceſsitate ad mutuum cum vſura recipiendum, vel ex ignorantia vellet vas aureum tribuere, putans eſſe æneum, in omnibus his caſibus patitur injuriam etiam volens: quia purè non vult voluntariè, ſed cum admixtione involuntarij. Sic Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 3. *art.* 3. Bañez, Aragon, & Salon 2. 2. *quæſt.* 59. *art.* 2. Dicaſtillo *lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 3. *dub.* 1.

CAPUT II.

De Dominio, & Poſſeſsione.

QUia proprius actus juſtitiæ commutativæ eſt reſtitutio, vt ſuprà vidimus agentes de hac juſtitia, & ideò Divus Thomas, poſtquàm de juſtitia commutativa egit, ſtatim accedit ad reſtitutionem enodandam. Cæterùm, quia omne fundamentum, & ratio, quare reſtitutio facienda ſit, eſt alterius dominium, vel poſſeſsio; ideò, antequam agamus de reſtitutione, præmittimus iſtud caput, in quo agimus de dominio, & poſſeſsione, quod continet duodecim puncta.

Punct. I. *DE rerum diviſione, an ſit licita, & quo jure introducta?* num. 1.

Punct. II. *Quid, & quotuplex ſit dominium? & quomodo eius translatio fiat?* num. 9.

Punct. III. *De vſufructu, vſu nudo, emphyteuſi, & feudo.* num. 18.

Punct. IV. *Quid, & quotuplex ſit poſſeſſio? Quomodo acquiratur, & deperdatur?* num. 29.

Punct. V. *Apud quos, & quarum rerum dominium eſſe poſsit?* num. 37.

Punct. VI. *Quomodo acquiratur, & deperdatur animalium dominium?* numer. 48.

§. I. *Quæ animalia capere nemini liceat, & quorum captura omnibus concedatur?* num. 49.

§. II. *Quomodo piſcatio, venatio, & aucupium in locis communibus prohiberi poſsint?* num. 55.

§. III. *Quomodo columbaria licita ſint, & columbarum aucupium?* num. 66.

Punct. VII. *Quomodo dominium acquiratur ſylvarum, montium, & paſcuorum?* num. 69.

Punct. VIII. *Rerum inventarum dominium quomodo acquiratur?* numer. 75.

§. I. *De his, quæ habentur pro derelicto, vel nunquam fuerunt alicui domino applicata.* num. 76.

§. II. *De rebus ab vno perditis, & inventis ab alio.* num. 82.

§. III. *Cui competat dominium theſauri inventi?* num. 89.

Punct. IX. *De translatione dominij in alterum ex lege præſcriptionis.* num. 99.

§. I. *De quatuor conditionibus, quæ ad legitimam præſcriptionem requruntur.* num. 101.

§. II. *Circa bonam fidem requiſitam ad præſcriptionem aliquæ difficultates enodantur.* num. 110.

Punct. X. *Quarum rerum habeant dominium filij familiàs ſub patria poteſtate conſtituti?* num. 123.

§. I. *De patria poteſtate, ad quos pertineat, & quomodo diſſolvatur?* numer. 124.

§. II. *De bonis caſtrenſibus, quaſi caſtrenſibus, adventitijs, & profectitijs filiorum familiàs.* num. 129.

Punct. XI. *De dominio, quod apud eccleſiaſticos poteſt reperiri.* numer. 137.

§. I. *De bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus, quorum habet eccleſiaſticus plenum dominium.* num. 138.

§. II. *De bonis eccleſiaſticis, quæ debet clericus in pias cauſas expendere.* num. 141.

§. III. *Utrùm clericus teneatur restituere bona ecclesiastica, quæ expendit in vsus profanos?* num. 152.

Punct. XII. *Utrùm religiosi habere possint aliquarum rerum dominium?* num. 162.

§. I. *Quomodo possint religiones in bonis religiosorum succedere, hæredes instituì, vel pia legata possidere?* num. 166.

§. II. *Quomodo religio minorum, societatis, & nostra, est vel non, capax hæreditatis, aut legati?* numer. 170.

§. III. *De incapacitate, quam habent religiosi habendi dominium in particulari?* num. 182.

§. IV. *Quorum bonorum dominij sint religiosi in particulari capaces?* num. 193.

§. V. *Cui acquirat religiosus bona, quæcumque acquirit?* num. 205.

§. VI. *An monasterium ex delicto religiosi, & eius contractibus obligetur?* num. 211.

PUNCTUM I.

De rerum divisione, an sit licita, & conveniens? & quo jure introducta?

A natura nullus dominus rerũ temporaliũ?

1 QUamvis dominium, quod homines habent supra seipsos, id est, supra suam voluntatem, & liberum arbitrium, supra honorem, famam, &c. à natura ipsis conveniat, & simul cum natura ortum duxerit: at rerum temporalium dominium, nimirum agrorum, gregum, divitiarum, &c. ex divisione rerum dimanavit, ratione cuius ea, quæ ex natura communia erant, seu quæ natura pro omnibus produxit, singulis distributa sunt, vt vnusquisque dominus fieret illorum, quæ sibi convenire probaverit; sive talis divisio acceptione facta fuerit, vti in initio mundi contigit, vbi singulis, quæ occupaverant, & acceperant, vt propria adscisce-bantur; sive ex jure humano civile, sive ex jure gentium, de quo statim. Ex hac igitur divisione, singulorum dominium tamquam ex prima radice profluxit; nam ante illam omnia erant communia, nec erat *meum, & tuum, frigidum illud verbum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella.* Quare, acturi nos de dominio, hanc de rerum divisione excusionem duximus præmittendam.

Divisio rerum nec jure divino, nec naturali est facta.

2 Igitur hanc rerum divisionem, nec à jure divino, nec à jure naturali introductam fuisse, asserimus. Non quidem introducta est jure divino, quia nullibi apparet Deum talem distributionem fecisse, aut præcepisse, sed omnia sub pedibus hominum subjecit, vt illius dominus constitueretur: & si Israelitis terram Chananæorum assignavit, singulisque pro dignitate divisit, hoc fuit præter morem communem, & ex speciali indulgentia. Nec etiam talis divisio ex naturæ jure habetur, quin potiùs natura omnia sunt communia, & secundùm se natura accepta (semotis alijs inconvenientibus, quæ ex malitia hominum frequentèr contingerent, nisi talis divisio fieret) ad eam non inclinat. Quare non est ex jure naturæ talis divisio, etiam eo modo, quo matrimonium esse juris naturæ dicitur: siquidem naturam (etiam semotis quibuscumque inconvenientibus, quæ ex concupiscentia, aut alia malitia hominum provenire possent) in illud ob propagationem generis humani propendit; non sic ad divisionem rerum, nisi suppositа cupedia, superbia, & negligentia hominum, quæ absque illa nimium invalescerent, vt iam dicemus. Atque ita tenet Sotus *lib. 4. de justitia, quæst. 3. art. 1.* Bañez *præambulo ad quæst. 62. de dominio, quæst. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 3.* Dicastil. *lib. 2. tract. 1. disp. 1. dub. 10.*

Duplex objectio, & earum solutio.

3 Et si objicias primò, quòd in Institut. *de rerum divisione, §. Feræ*, dicitur: *Id quod ante nullius est, naturali ratione conceditur occupanti*: ergo ex ratione naturali talis divisio accipitur. ¶ Secundò, quia furtum est contra jus naturæ; sed furtum est rei propriæ alterius acceptio: ergo quòd sit propria, est ex jure naturæ, aliàs acceptio illius non esset contra jus naturæ. ¶ Respondetur ad primum, aliud esse, quòd, suppositа occupatione rei, sit res, quæ nullius erat domini (vt pisces, & feræ) jure naturæ illius, qui primò eam occupavit, aliud quòd proprietas sit jure naturæ introducta. Primum est verum, secundum falsum; sicut, suppositа emptione, illiusque possessione, pretio soluto, merces fit tua ex jure naturæ, non tamen proprietas illius absolutè est ex jure naturæ. Ius enim naturæ, nec emptionem, aut occupationem assignavit pro dominio rerum, sed jus humanum gentium: hoc tamen suppositо, iam dicta ipsa natura rem propriam esse illius, qui accepit, aut emit. ¶ Similiter dicimus ad secundam objectionem, quòd, suppositа proprietate rei (vndecumque hæc proveniat) est contra jus naturæ eam auferre invito domino. Quod non probat rem fieri propriam ex jure naturæ: sicut, suppositа in vno superioritate, ex jure naturæ est debita illi subjectio, & observantia, quamvis superioritas non sit ex jure naturæ.

Divisio rerũ licita est, & necessaria.

4 Sed, antequam dicamus quo jure hæc divisio introducta sit, statuendum est, ipsam esse licitam, & omninò necessariam, attenta hominum conditione, & fragilitate. Quòd autem sit licita, est de fide, & habetur pluribus sacræ paginæ testimonijs, vt est illud: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Et *Genes.* 4. dicitur de Abel, obtulisse primogenita gregris sui, & de Abraham, Isaac, & Iacob, plures habuisse possessiones, vel à Deo concessas, vel proprio labore, & industria comparatas. Quòd autem, suppositа hominum conditione, sit omninò necessaria, constat, quia post peccatum homines elati superbia, cupiditate

te fragrantes, & deſidia, ac negligentia torpeſcentes, omnes vellent cuncta ſibi occupare, omnes dominari, & juriſdictionem in alios habere, omnes eſſe domini, nullus ſervire, & laborare: hinc jurgia, hinc bella quotidiana invaleſcerent; & cùm ad id, quod commune eſt, ferè nullus applicetur, & ſolùm ad propria tota cupiditate inhiet, nullus curaret agros colere, omnes negligentiæ, & ignaviæ ſtuderent. Ut ergò agri colantur, vt in pace, & tranquillitate cuncti degant, convenientiſsimum fuit ſingula ſingulis diſtribuere, & quòd vnuſquiſque ſciret, quæ ſua ſunt, vt ſic laborare non deſiſteret, & panem ſuum in ſudore vultus comederet.

Triplex objectio contraria.

5 Sed objicies primò, quòd in cap. *Dilectiſſimis* 12. *quæſt.* 1. dicitur: *Communis vſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus eſſe hominibus debuit, ſed per iniquitatem alius hoc dixit eſſe ſuum, alius iſtud*: ſed nemo poteſt eſſe dominus eorum, quæ per iniquitatem acquiſivit: ergò, &c. ¶ Secundò, quia Chriſtus Dominus, *Lucæ* 14. dixit: *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: ſed eſſe diſcipulum Chriſti eſt eſſe chriſtianum: ergò non poteſt eſſe licita (& minus neceſſaria) proprietas rei, quæ non compatitur cum religione chriſtiana. ¶ Tertiò, quia ex jure naturæ omnia ſunt communia, vt eſt omnium Doctorum proloquium; ſed contra jus naturæ nullum poteſt jus humanum prævalere, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 5. *ad* 3. & 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. ergò, &c.

Solutio præcedentiũ objectionum.

6 Reſpondetur ad primum, quòd in illo textu aſſeritur factam fuiſſe proprietatem ex iniquitate, id eſt, ſuppoſito peccato originali, per quod paſsiones hominum contra rationem prævalere, vel inſurgere cœperunt. Quod non tollit, quòd, ſuppoſitis his, & his, quæ communiter eveniunt ex ipſis, ex æquitate facta fuerit talis diviſio. ¶ Ad ſecundum dicimus, Chriſtum Dominum, vel loqui de profeſſoribus evangelicæ perfectionis, vt ſunt religioſi, vel loqui de nimio, & inordinato affectu ad poſſeſſiones, propter quas plures Deum deſerunt, pluribuſque criminibus implicantur. ¶ Ad tertium reſpondetur ex eodem Divo Thoma *locis citatis*, omnia eſſe communia de jure naturæ permiſsivo, non autem præceptivo, vt eſt ſingulis permiſſum matrimonium, non verò præceptum. Licèt ergò contra jus naturæ præceptivum nullum aliud jus prævalere poſsit; benè tamen contra jus permiſsivum: & ideò matrimonium jure naturæ permiſſum, pluribus eſt prohibitum. Vel poſſemus dicere, omnibus jure naturæ eſſe cuncta communia, quatenus jus à natura habent imperfectum; vt, niſi ab alio præoccupata ſint, illorum domini fiant per occupationem præventam, quia primo occupanti res à natura convenit.

Quomodo jure gentiũ ſit facta talis diviſio?

7 Iure igitur gentium facta eſt talis diviſio rerum, quod jus tametſi conforme ſit jure naturali, verè tamen nec eſt jus naturale, aut civile, quamvis ſit humanum, vt explicuimus *tract.* 11. *de legibus, cap.* 1. *punct.* 3. *§.* 3. Quòd autem ſit jure gentium, eſt communis ſententia Doctorum cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 2. *ad* 1. & conſtat ex cap. *Ius gentium, diſt.* 1. quod non eſt ita accipiendum, quòd ſit aliquod præceptum apud omnes de tali diviſione; ſed quia commune eſt omnium judicium, diviſionem rerum eſſe convenientem ad tranquillitatem ſervandam, melioremque rerum adminiſtrationem, ſuppoſita hominum cupiditate, & ambitione miſerè ipſis dominante; attentaque conditione, & fragilitate hominum communi. Quarè hoc jus nihil aliud eſt, quàm conſenſus communis in hoc. Soto, Bañez, & Leſius *locis citatis*. Ex quo fit, quòd ſi daretur communitas, in qua apud ferè omnes iſtæ paſsiones eſſent rectè ordinatæ, poterant apud illam laudabiliter eſſe bona communia ob aliquod motivum virtutis, vti in primordijs eccleſiæ contigit, & modò in religionibus invenitur, in quibus omnia ſunt communia, & quilibet eſt contentus cum his, quæ à Prælatis ſibi ad vſum applicantur; quo maiori pace, & tranquilitate illius profeſſores fruuntur, & ſolicitudine rerum temporalium depoſita, Deo vacare facilius, proprioque profectui ſtudere poſſunt, & tenentur.

Non omniũ rerum diviſio facta eſt jure gentiũ.

8 Sed notandum eſt, non omnium rerum diviſionem factam fuiſſe jure gentium; nam ex communi omnium conſenſu plura communia pro omnibus manſerunt, vt civitates, plateæ, itinera, aer, imber, mare, flumina, litora, feræ, gemmæ, & omnia in caſu neceſsitatis extremæ. Quorum vſus eſt apud omnes, & aliquorum dominium apud nullos, ſed primo occupanti conveniunt, vt feræ, piſces, gemmæ, &c. Sunt etiam aliæ res non jure gentium, ſed aliquibus juribus particularibus diviſæ; vt quòd hoc regnum Hiſpaniæ ſit huius Regis, illud Galliæ alterius: quod talis domus, vel fundus, aut vinea ſit talis, vel talis domini: quia hoc provenit, vel ex lege, aut conceſsione Principis. Quo ſenſu dixit D. Auguſtin. *tract.* 6. *in Ioan. Quod hæc villa ſit mea, illa tua, eſt ex jure Imperatorum*, vel proximè ex pacto, conventione, donatione, hæreditate, &c. Unde ex jure gentium ſolùm eſt illa generalis, & communis diviſio: ex particularibus autem juribus, diverſæ partitiones rerum conveniunt, vt notavit Bañez *præambulo ad q.* 62. *de domin. quæſt.* 3. Leſius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 3. Sotus *de juſtit. lib.* 4. *q.* 3. *art.* 1. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 1. *dub.* 10.

PUNCTUM II.

Quid, & quotuplex ſit Dominium? & quomodo eius translatio fiat?

Diffinitio, & diviſio dominij.

9 DOminium in generali ſua acceptione accipi ſolet, & diffinitur, quod eſt: *Facultas vtendi re in omnes vſus lege permiſſos*. Sub hac ampla acceptione dicit quamcumque facultatem, ſive proprietatis, ſive juriſdictionis, ſive aliam, qua homo poteſt vſum habere alicuius rei; quo ſenſu homo omnium rerum dominus dicitur, quia omnia ſubjecta ſunt ſub pedibus eius. At ſtrictius acceptum dividitur dominium, in dominium juriſdictionis, & dominium proprietatis. Illud eſt, quod habent ſuperiores ad gubernandum, judicandum, puniendum ſubditos, & ab eis emolumenta recipiendum; quod poſtmodùm in eccleſiaſticum, & civilem ſubdividitur, ſecundùm diverſos titulos, & jura, ratione quorum tale dominium ipſis competit, ratione cuius dominij, non tàm domini dicuntur illud habentes, quàm parentes; & ſic non præſtat jus ſtrictum, & rigoroſum deſpoticè, (ideſt, cum omnimoda ſubjectione) de rebus diſponendi: de quo dominio iam egimus *tract. de Legibus*.

Diffinitio dominij pro prietatis explicatur.

10 Dominium proprietatis, quod propriè, & rigorosè dominium est, & à quo domini vocantur, qui illud possident, diffinitur, quod est: *Facultas vtendi re, vt propria, quoad omnes vsus lege permissos in suum commodum.* Dicitur *facultas*, in qua ratione convenit cum possessione, quæ etiam tribuit jus, & facultatem, non tamen semper ad vsum rei, nisi quando conjungitur cum dominio; potest enim dominium dari absque possessione, & possessio absque dominio, vt dicemus *punct. 4. huius capitis.* Dicitur, vt *propria*, id est, non solùm nomine alterius, sed proprio jure, & facultate. Dicitur *quoad omnes vsus*, in quo differt ab vsufructu, vel vsu nudo: quia vsufructuarius, aut vsuarius non potest vti re quoad omnes vsus; & ideò non potest substantiam rei distrahere, sicut qui habet dominium perfectum, & plenum (de quo modò loquimur.) Dicitur *in suum commodum*, in quo differt dominium proprietatis à dominio jurisdictionis; nam hoc ad subditorum commodum ordinatur, illud ad proprium. Dicitur *ad vsus lege permissos*, quia vsus rei non permissus per legem, non tàm dicitur vsus, quam abusus; nec potest ad illos dari facultas, cùm id solùm possimus, quod jure, & licitè possumus: & hoc dominium solet dividi secundùm diversa jura, ratione quorum convenit, *in supernaturale*, vt dominium gratiæ, & gloriæ, & cæterorum bonorum supernaturalium: *naturale*, quod à natura convenit, vt dominium hæreditatis paternæ ratione filiationis naturalis: *ecclesiasticum*, quod habetur in beneficia, aliaque jure ecclesiastico donata; civile, vt quod per præscriptionem ex jure civili possidetur.

An qui possidet maioratum, dominus sit illius?

11 Hic autem solet inter Doctores controverti, an qui maioratum possidet, dominium illius habeat perfectum, ita vt sit eius proprietarius: & idem est de pupillo respectu suorum bonorum, quandiu est sub tutoris potestate. Idem de vxore respectu dotis, vivente marito, qui illius est administrator. Et ratio dubitandi est, quia maioratus v. g. non potest vti suis bonis in omnes vsus, quia non potest substantiam illorum distrahere, vel alienare: ergò non habet dominium perfectum illorum, sed solùm erit vsufructuarius. Idem dicimus de pupillo, qui non potest rem alienare absque consensu tutoris, nec vxor dotem absque consensu viri.

Maioratum possidès verè est dominus illius.

12 His tamen non obstantibus, dicimus, hos omnes perfectum habere rei dominium, vt tenet Palaus *tom. 7. de just. in gener. disp. vnic. punct. 5. n. 3.* Tapia *tom. 2. caten. lib. 5. q. 23. art. 2. n. 1.* Dicastill. *lib. 2. tract. 1. disp. 5. dubit. 5. num. 31.* Bañez *præambul. ad quæst. 62. de dominio, quæst. 1.* Sotus *de just. lib. 4. quæst. 1.* Lesius *lib. 2. cap. 3. dubit. 3. num. 9.* & constat ex illo *ad Galat. 4. Dum sub tutoribus est, nihil differt à servo* (quia, sicut servus, non potest rebus vti ad suum beneplacitum) *cum sit dominus omnium.* Et ratio est, nam si maioratus, v. g. non esset dominus rei etiam quoad substantiam, nedum quoad fructus, dominium rei apud nullum esset: quia non est alius, qui eam possideat; sed illa est sub alicuius dominio, vt in vsufructuario cernitur, qui solùm habet in fructibus dominium, & alter est dominus proprietarius, vt dicemus: ergo, &c. ¶ Et confirmatur, quia quando Princeps præbet facultatem maioratui alienandi rem vinculatam, non dat illi dominium talis rei: ergò supponit illud habere, & solùm aufert impedimentum ad vtendum illo, quoad alienationem rei.

Solvitur ratio dubitandi.

13 Et hinc patet ad rationem dubitandi, quia benè potest esse aliquis proprietarius rei, & nihilo minus impediri per legem quoad aliquos vsus talis rei, ideò enim in diffinitione ponitur, *ad vsus in lege permissos*: & hoc verificatur, quando talis rei dominium non est apud alium, tunc enim prohibitio legis ad vtendum, ea quoad omnes vsus, solùm se habet, vt impedimentum prohibens, quia supponit in subjecto proprietatem. Ob id enim vsufructuarius non dicitur dominus rei: quia licèt vti possit illa ad omnes vsus in lege permissos; at distractio rei non est tantum prohibita per legem impedimentum ponentem, sed hoc supponentem, quin potiùs proprietatem rei negantem vsufructuario, cùm talis proprietas reperiatur apud dominum directum.

Variæ divisiones dominij.

14 Hoc dominium proprietatis dividitur in *plenum*, seu *perfectum*, & *semiplenum*, seu *imperfectum*: illud est de quo hactenus diximus, quando nimirum dominus non solùm habet rei proprietatem, quod dicitur dominium directum; sed etiam habet jus ad commoda, & fructus rei, & dicitur dominium vtile. Dominium semiplenum, & imperfectum, aliud est tale ex parte subjecti; aliud ex parte objecti. Ex parte objecti semiplenum dominium tunc datur, quando vtile, & directum dominium in eodem non reperitur, sed partim, & in vno datur ad fructus, & commoda rei; in alio proprietas rei. Ex parte subjecti potest esse semiplenum dominium, quia licèt aliquis habeat jus in re tota, id est, tàm quoad proprietatem, quàm quoad fructum, & sic ex parte objecti sic totale; habet tamen in tali dominio consortem, vt si plures aliquid accipiant, vt inter se dividant, vel hæreditas inter plures dividenda relinquatur.

Quid translatio dominij sit, & illius causæ?

15 Sed, vt ad secundam partem puncti deveniamus, sciendum est, translationem dominij esse, *transmissionem rei ab eo qui legitimè possidet, in alterum, qui incipit esse dominus*: quod fit, vel tradendo rem, vel titulum illius, siquidem titulus est radix, fundamentum, & basis, ex quo sequitur dominium: & sic qui præbet rei titulum, vult in alterum dominium transferre. Triplex ab auctoribus huius translationis causa assignatur. Prima est voluntas divina, vel jure naturali explicata, vt filiatio est titulus, & causa successionis in bonis paternis: vel ex revelatione divina, vt si Deus explicaret se velle regnum vnius in alterum transferre, vt quando transtulit regnum Chananæorum in Israelitas: regnum Saul in David, & bona, seu vasa aurea Ægyptiorum ad Israelitas transtulit. Ut autem sic velle transferre cognoscatur, requiritur expressa, & constans illius revelatio, alioqui nemo id præsumere potest.

Duplex alia causa translationis dominij

16 Secunda causa est voluntas humana eius, qui dominium rei possidet, qui potest tale dominium, nisi aliqua lege prohibeatur, in alterum transferre, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 1.* vbi notat, non sufficere internam domini voluntatem ad transferendum dominium, sed requiri quod talis voluntas verbis, aut signis exterius exprimatur, eo quòd homo in hac vita non ordinatur ad alium politicè per solùm internum consensum, nisi exterius verbis, aut signis expressus sit: quod fit per contractus humanos venditionis, emptionis, promissionis, &c. ¶ Tertia causa est voluntas Principis, seu Legislatoris transferentis res civium in dominium aliorum,

quæ

quæ declaratur per leges, vel ſententias propter bonum commune reipublicæ, quod promovere pertinet ad Legislatorem, & parere ad cives ſibi ſubditos, & inter ſe ſociabiliter conviventes, vt in lege præſcriptionis, qua transfertur dominium rei alienæ in poſſidentem bona fide, ſervatis quibuſdam conditionibus, de quibus infrà agemus, cùm de præſcriptione ſermonem faciemus.

Quid infera tur ex dictis?

17 Undè benè infert Bañez *in præludio ad quæſt. 62.de dominio,quæſt.2.* quod ille, cui ſecundùm legem, vel pontificiam, vel civilem, tribuitur dominium alicuius rei, in foro conſcientiæ, nedum exteriori, cenſendus eſt dominus legitimus talis rei. Idem aſſerit de omni ſententia, quæ in foro exteriori tribuit dominium, quòd etiam in foro conſcientiæ illud concedit, niſi in falſa nitatur præſumptione, vt diximus *tract.11.de legib.cap.2.punct.4.* vel niſi lex ſit permiſsiva, non præceptiva, vt in lege, quæ in venditione negat decepto infra dimidium actionem in judicio: nam qui decipit infra dimidium, non eſt dominus illius ſummæ, in qua decipit, etiamſi lex permittat ei dimidij dominium, & Iudex pro illo ferat ſententiam. Idem aſſerit de contractibus, quos lex annullat propter defectum ſolemnitatis, quòd tunc ille, in cuius favorem contractus eſt celebratus, eſt verus dominus ante Iudicis ſententiam, poſt illam deſinit eſſe talis, & tenetur alteri reſtituere, vt in eo, qui hæres relinquitur in teſtamento minùs ſolemni, de quo ſuo loco erit ſermo.

PUNCTUM III.

De vſufructu, vſu nudo, emphyteuſi, & feudo.

Quid ſit *vſusfructus*, explicatur?

18 DIximus iam Puncto præcedenti, dominium *ſemiplenum*, ſeu *imperfectum* eſſe, quando apud vnum eſt dominium directum, & apud alium vtile: quod contingit in caſibus tituli propoſiti, ideòque de illis agere duximus, primis tantummodò labris rem prælibantes, quæ laxiori calamo peragenda eſt, cùm de ſingulis, ſuis locis agamus. Igitur vſusfructus (quòd eſt dominium vtile) eſt *Ius vtendi, & fruendi aliena re, ſalva eius ſubſtantia.* Dicitur *jus*, quia ſermo eſt de vſu juris, non de vſu facti, qui non eſt jus, ſed eſt juris executio. *Utendi*, in quo convenit cum vſu nudo, qui etiam præbet jus vtendi: differt verò à dominio, quod habet creditor in pignore, vel hypoteca, quibus vti non poteſt abſque domini directi facultate. *Fruendi*, per hoc diſtinguitur vſusfructus ab vſu nudo: nam vſuarius, quamvis poſsit vti re; non tamen in alium tale jus transferre, vſumvè locare, vel alienare: & ſic non dicitur propriè illo frui, ſed ſolùm rei proventibus in commodum proprium vti poteſt; at vſufructuarius vtrumque poteſt, & fructibus rei vti, in ſuum commodum, & illos alienare, locare, aut vendere in alterius vtilitatem: *Salva rei ſubſtantia*, in quo differt à dominio directo; nam vſufructuarius non poteſt ſubſtantiam rei diſtrahere, vendere, vel alienare, ſed curare debet, vt incolumis ſuo domino directo ſervetur, & ſolùm illi datur facultas ad illius fructus pro libito perfruendos.

Quid nomine *fructus* veniat?

19 Fructus, quibus frui poteſt vſufructuarius in grege ſunt lana, lac, fœtus: in fundo fœnum, ſegetes, & omnes plantæ cæduæ, fructiferæ autem non cenſentur in fructu, & eas cædere, ſecare, aliovè modo diſtrahere non poteſt, quia pertinent ad dominium directum, & ſolùm fructus illorum ad vſufructuarium: nec proles ancillæ cenſetur in fructu, ob dignitatem naturæ humanæ, vt notarunt Rebellus *de obligatione juſtitiæ, lib.1.quæſt.7.ſect.2.num.10.* Leſſius *lib.2. cap.3. dub.4. num.1.* Qui etiam notant, quod licèt vſufructuarius reſpectu fructuum dominium habeat, non fieri dominum illorum, etiamſi maturi ſint, antequam eos colligat, vel ab arbore decidant, & in gregibus antequam fœtus naſcantur, vel tondeantur oves, vt dominium lanæ, aut fœtus poſsideat. Undè ſi moriatur vſufructuarius, antequam fructus colligat, dominium illorum pertinet ad dominum directum.

Ad quod teneatur vſufructuarius?

20 Hìc advertimus, vſufructuarium teneri rei ſubſtantiam procurare, illiuſque conſervationi incumbere, vt procurator, non vt diſsipator rei alienæ: & ſic, ſi ſua negligentia aliquid ex rei ſubſtantiâ diſtrahatur, tenetur id reſarcire, imò, ſi ſit vſufructuarius gregis, tenetur loco capitum demortuorum, vel inutilium alia ſubſtituere; ſi vineæ, loco pereuntis vitis aliam plantare; ſi fundi, novas arbores inſerere, & plantare loco earum, quæ pereunt; ſi domus, eam reparare mediocribus ſumptibus, non verò magnis, vt res melioretur: quia ſemper ei competit jus vtendi, & fruendi re aliena, illius ſalva ſubſtantia. Si tamen res, vel pars illius caſu pereat, vt ſi à grandine, gelu, vel latronibus diſtrahatur abſque negligentia vſufructuarij, ſuo proprio domino res perijt, nec tenetur vſufructuarius eam reſarcire, vt docent Rebel. *de obligatione juſtit. lib.1.quæſt.7.ſect.2.n.12.* Leſſius *lib.2. cap.3. dub.4. n.18.* & ex parte Lugo *diſp.2.ſect.3.num.39.*

Diffinitio *vſus nudi* explicatur.

21 Uſus nudus diffinitur, quod eſt: *Ius vtendi re aliena ad proprium tantum, non ad alienum commodum, ſalva rei ſubſtantia. Ius* dicitur, per quod excluditur vſus facti, vt habitatio domus eſt vſus domus, comeſtio eſt vſus panis, non tamen meretur nomen juris. Sumitur ergo pro facultate habituali ad vſum. *Utendi*, vt excludantur jura, quæ ad vtendum non ordinantur, vt diximus de vſufructu. *Re aliena*, quia hìc non diffinitur vſus ille, qui à Iuriſtis dicitur cauſalis, & eſt rei propriæ vſus, & proprè vſus non eſt, ſed exercitium dominij. Additur, *ad proprium commodum*, per quod diſtinguitur ab vſufructu: quia hoc ipſo quod tibi concedatur jus vtendi domo, poteſt cum tua familia illam habitare, ſed non alijs locare, nec habitandam concedere: quia hoc ad vſufructuarium pertinet, non ad vſuarium. Et ſimiliter conceſſo tibi vſu ſervi, equi, aut alterius animalis, potes eis vti, non verò alijs concedere talem vſum. Ultimum verbum diffinitionis, nimirum, *ſalva rei ſubſtantia*, eodem modo, ac diximus de vſufructu accipiendum eſt, quia in hoc conveniunt.

Uſus diſtinguitur à dominio.

22 Ex quo patet, religioſos ſolùm vſuarios dici poſſe, quia rebus illis ad vſum conceſsis, nimirum libris, veſtibus, &c. ipſi vti poſſunt, illas tamen alijs concedere vtendas nequeunt. Unde in his rebus, quæ vſu non conſumuntur, certiſsimum eſt dominium ab vſu eſſe diverſum, & ſeparabile, & apud vnum vſum domus, veſtis, equi, librorum reperiri; & apud alium illorum dominium.

nium. Idem dicimus de rebus, quæ licèt vsu pereant, non tamen vno, aut altero actu; vt vestis, liber, quorum vsus potest esse apud vnum, & dominium apud alium. Imò idem dicendum esse judicamus de rebus, quæ vnico actu consumuntur: vt cibus, potus, pecuniæ, si loquamur, non de vsu illarum primario, sed secundario: vt vsus pecuniæ, vel cibi ad ostentationem, quia sic per vsum non consumuntur.

Videtur vsũ à dominio rei nõ distin gui in rebus quæ vsu cõsumuntur.

23 Celebris tamen est controversia, non solùm inter Doctores, sed etiam inter Pontifices, an in rebus, quæ vnico actu consumuntur, vt cibus, potus, pecunia, possit dominium ab vsu primario separari? Orta est controversia præcipuè propter fratres minores, qui dominium non habere contendunt, nec in communi, nec in particulari, rerum, quæ vsu consumuntur; sed totum dominium illarum esse apud sedem apostolicam, & apud illos tantummodò vsum. Idem est de alijs religiosis, qui ratione voti paupertatis solemnis omne dominium particulare à se abdicarunt, & in communitatem transtulerunt, & solùm in particulari habent vsum earum rerum, quæ vsu pereunt, quarum dominium est apud communitatem. Et est prima ratio dubitandi, quia Ioannes XXII. in extravaganti, quæ incipit: *Ad conditorem*, & duabus sequentibus, *de verborum significatione*, enixè probare contendit, quòd in his rebus, quæ vsu consumuntur, jus ad vsum non distinguitur ab earum dominio: & sic fratres minores, qui jus ad talem vsum habent, etiam dominium illarum possidere. ¶ Secunda, quia *in leg. 2. ff. de vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur*, dicitur: *Legari non posse vsumfructum earum absque earum dominio, quia per ipsum vsum consumuntur.* ¶ Tertia, quia D. Thom. 2. 2. *quæst. 78. art. 1. in corpore*, probat, vsuram esse in his rebus aliud pro dominio, aliud pro vsu accipere: & rationem reddit, *quòd quædam res sunt, quarum vsus est ipsarum rerum consumptio: sicut vinum consumimus vtendo eo ad potum, & triticum consumimus eo vtendo ad cibum. Undè in talibus non debet seorsim computari vsus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur vsus, ex hoc ipso conceditur res.* ¶ Quarta denique, quia vsus nudus (vt diximus in eius diffinitione) tunc datur, quando re vti possumus, salva rei substantia; sed in his rebus, quæ vsu consumuntur, substantia rei non salvatur: ergo non est dabilis in eis vsus nudus à dominio separatus.

Vsus à dominio rei dis tinguitur, etiam in his quæ vsu con sumuntur.

24 His non obstantibus, communis sententia deserenda non est, quæ asserit, dominium in his rebus vsu consumptibilibus separabile esse ab vsu, & de facto separari in fratribus minoribus, qui nec in communi, nec in particulari dominium rerum possident; sed tantùm vsum (sive tale dominium sit apud sedem apostolicam, vt volunt aliqui: quia licèt Ioannes XXII. illud à se abjecerit, alij Pontifices successores illud reassumpserunt, sive apud eleemosynam largientes, vt volunt alij) & in reliquis religiosis, quorum dominium est apud communitatem, & ipsi solùm habent nudum vsum in particulari. Ita Soto *lib. 4. de just. q. 1. artic. 1.* Tapia *lib. 5. q. 23. art. 2. num. 5.* Bañez *præamb. ad quæst. 62. de dominio, quæst. 1.* Dicastill. *lib. 2. tract. 1. dub. 5. n. 42.* Rebell. *lib. 1. quæst. 7. sect. 4.* Palaus *tom. 7. de just. in gener. disp. vnic. punct. 5. n. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 3. dub. 8. num. 34.* Sanch. *lib. 7. Decal. cap. 18. numer. 5.* Lugo *disp. 2. sect. 3. num. 43.*

Conclusio præcedens probatur.

25 Et probatur primò ex Nicolao III. cap. *Exijt qui seminat, de verb. signific. in 6.* & Clem. V. *Clementin. Exivit de Paradiso, eod. tit.* Ubi vterque Pontifex asserit dominium in his rebus ab vsu distingui, minoresque nullum dominium aliam in communi possidere, sed tantùm vsum. ¶ Secundò, quia aliud est loqui de jure vtendi irrevocabili, & independenti ab alterius voluntate, aliud de illo, quod ab alterius voluntate dependet, & revocari potest. Illud enim verè à dominio non distinguitur, hoc verò maximè, quia, hoc ipso quod ad alterius nutum revocari possit, non datur dominium rei, siquidem dominium præbet jus contra omnes, qui illius vsum vellent impedire. Et vsus, qui irrevocabilis est, est vsus juris, suprà à nobis diffinitus. Revocabilis autem, & dependens potius est vsus facti, & imperfectissimus, nullum, aut ferè nullum jus in re, vel ad rem conferens, cùm ab alterius nutu dependeat. Talis est, quem habet conviva in cibos sibi appositos, qui non habet jus, & dominium in illis, sed solùm vsum facti revocabilem ad nutum domini: sic religiosi vsum rerum habent dependenter à voluntate superiorum, & ad eorum nutum revocabilem. Et de hoc asserimus distingui à dominio, non verò de illo, qui irrevocabilis est, & jus rigorosum secum affert.

Rationes dubitandi solvuntur.

26 Ex his patet ad rationes dubitandi. Ad primam dicimus, Ioannem XXII. vel locutum fuisse de vsu irrevocabili, quod à dominio non distinguitur, & est vsus juris, & perfectus; vel nihil diffinire intendit: nec tamquam à sede locutum, sed vt Doctorem Egregium particularem, & contrarium illi alios Pontifices eodem modo tenuisse: & ob id diximus, inter ipsos Pontifices fuisse hanc quæstionem controversam. ¶ Ad secundam dicimus, in illa lege solùm sermonem fieri de vsu facti, & revocabili. Et quod solùm intendit Legislator est, quòd, relicto vni dominio rei, inutilitèr alteri relinquitur vsus, si quidem talem vsum dependentem à voluntate domini, qui concedere, & revocare eum potest, semper dominus concedere potest cui voluerit, vel negare, & sic inutilitèr conceditur talis vsus vni, post traditum dominium alteri. ¶ Ad tertiam respondetur, D. Thomam loqui de vsu juris irrevocabili, qui à dominio non est distinctus, & de illo loquendo rectè asserit, vsuram esse aliud pro dominio, aliud pro vsu accipere; non autem erit vsura, vt rectè asserit Lessius, si vltra id, quod accipitur pro vsu revocabili, ampliùs pro dominio accipiatur, quia maioris est valoris vsus cum dominio, quàm vsus duntaxat, dummodò minus pretium pro dominio ab vsu præciso concedatur, quàm pro vtroque simul, & quòd, si divisim vtrumque vendatur, pretium æquivaleat valori rei, si simul cum vsu venderetur. ¶ Ad tertiam dicimus, in dicta diffinitione solùm vsum juris, & irrevocabilem diffinitum esse, non vsum facti, & revocabilem.

Quid sit emphyteusis?

27 Valdè simile est vsufructui, & vsui, de quibus locuti sumus, feudum, & emphyteusis: siquidem emphyteusis est contractus, quo res immobilis alicui fruenda traditur, vel in perpetuum, vel ad vitam alicuius, vel ad tempus non minus decennio sub obligatione pensionis domino proprietatis reddendæ, in recognitionem dominij directi. Et ideò quamvis conveniat cum vsufructu, quia ex re aliena fructum, & commodum concedit; differt verò, quia vsusfructus etiam in rebus

rebus mobilibus poteſt reperiri; emphyteuſis autem ſolùm de immobilibus datur. Uſusfructus finitur morte fructuarij; emphyteuſis autem morte emphyteutæ non extinguitur. Denique vſusfructus nequit ſimpliciter transferri in alium, benè tamen emphyteuſis; ſed tenetur emphyteuta admonere dominum directum, vt ipſe præferatur, ſi vult emere: poteſt tamen rem locare per decennium, domino directo non requiſito, §. *Finitur*, Inſtituta *de vſufructu*.

In quo differunt emphiteuſis à feudo?

28 Differt verò emphyteuſis à feudo, quia licèt per feudum res aliena etiam fruenda tradatur, ſed emphyteuſis in recognitionem dominij directi realem penſionem conſtituit, non verò perſonalem, feudum autem conſtituit penſionem perſonalem. Sæpè verò loco penſionis perſonalis ponitur in feudo penſio realis; & tunc ferè coincidit cum emphyteuſi, quamvis ſecundùm leges feudi de illo judicetur. Igitur feudum diffinitur, quod eſt: *Conceſsio rei immobilis cum translatione vtilis dominij, retento directo dominio apud proprietarium ſub onere fidelitatis, & obſequij perſonalis exhibendi.* Ratione emphyteuſis, & feudi dicuntur vaſſalli feudatarij, & emphyteutæ, vti ſunt omnes Principes, Marchiones, & Duces ſupremo Principi ſubjecti.

PUNCTUM IV.

Quid, & quotuplex ſit poſſeſsio? Quomodo acquiratur, & deperdatur?

Quid ſit poſſeſsio, & vnde dicatur?

29 QUamvis abſque poſſeſsione poſſit dominium reperiri, vt conſtabit ex dicendis, frequenter tamen dominium in re non acquiritur, niſi per eam: ideò de illa agere neceſſarium duximus hoc capite, in quo de dominio diſputamus. Igitur poſſeſsio ſecundùm aliquos à pedum ſeſsione dicitur, *leg. 1. ff. de acquirenda poſſeſsione*, quia potiſsimus actus, quo rerum immobilium (quæ res præcipuè cenſentur) poſſeſsio acquiritur, eſt poſitio pedum intra eam. Alij dicunt derivari à *pos*, antiquo nomine; & eſt idem, ac *potens*, & *ſedeo*, quaſi *cum poteſtate ſedeo*. Actus poſſidendi, qui dicitur poſſeſsio facti, diffinitur quod eſt: *Rei corporalis detentio corporis, & animi, juriſque adminiculo. Rei corporalis* à Iuriſtis ponitur, quia rerum ſpiritualium putant non dari propriè poſſeſsionem, ſed impropriè. Sed quia Theologi etiam circa res incorporeas, vt beneficia, dignitates; & etiam circa res ſupernaturales, vt gratiæ, & gloriæ, poſſeſsionem propriam agnoſcunt, illud, vt ſuperfluum abijciunt, & ſolùm ponunt *rei detentio*. Dicitur, *corporis, & animi adminiculo*: quia nec ſufficit ſolùm corporis actio, ſed etiam animi, vt poſſeſsio acquiratur; vt depoſitarius rem apprehendit corpore, non tamen poſsidet, quia non animo eam faciendi ſuam, illam accipit. Nec ſufficit animi apprehenſio ſine corporis adminiculo; & ideò quòd animum habeas piſces, feraſque capiendi, non ſufficit, vt illas poſsideas, niſi corpore capias, & teneas. Dicitur, *juris adminiculo*; ad quod non requiritur, quod jus poſitivè faveat; ſed quod jus poſitivè non reſiſtat. Multoties enim jus aliquos facit incapaces poſſeſsionis, ſicut plures dominij incapaces efficit. Quod ergo jus non reſiſtat, in caſu noſtro ſufficit ad poſſeſsionem, licèt poſitivè non faveat, vt ſic non excludantur ab hac diffinitione injuſtè poſſeſsiones, vt eſt, quam habet fur, & poſſeſſor malæ fidei.

Poſſeſsio juris explanatur.

30 Poſſeſsio juris, ſeu facultas, & virtus ad poſſeſsionem actualem, eſt: *Ius inſiſtendi alicui rei tanquam ſuæ non prohibitæ poſsideri.* Dicitur *jus*, per quod diſtinguitur à poſſeſsione facti, ſeu actuali, & ſolùm pro habituali poteſtate accipitur. *Inſiſtendi rei*, hoc eſt, quòd poſſeſſor poſsit rem pacificè retinere, & juris remedijs, & etiam armis contra impugnantes, ſeu à poſſeſsione avertere conantes, tueri. Dicitur, *vt ſuæ*; id eſt, non nomine alterius, ſed proprio jure. *Non prohibitæ*, quia licèt à poſſeſsione facti non excludatur poſſeſsio prohibita, vt eſt poſſeſsio malæ fidei; benè tamen à poſſeſsione juris: quia nemo poteſtatem habere poteſt ad id, quod eſt lege prohibitum: id enim ſolùm poſſumus, quod jure poſſumus.

De multiplici tate poſſeſsionis.

31 Inquires primò, quotuplex ſit poſſeſsio? Reſpondetur, quod poſſeſsio eſt duplex, *civilis*, & *naturalis*. Civilis eſt, qua res ſolo animo poſsidetur; licèt enim ad actualem poſſeſsionem, ſeu poſſeſsionem facti animus non ſufficiat abſque corporis adminiculo per ſe, vel per alium; ad hoc autem, vt habitualiter poſſeſsio conſervetur, ſufficit animus retinendi rem, vt ſuam, vt quando abſens eſt ab ea, & hæc dicitur civilis poſſeſsio: quia potiùs à jure, quàm à natura habetur. Siquidem natura exſe exigit præſentiam rei ad poſſeſsionem. Naturalis poſſeſsio eſt, quæ habetur modo naturali, non expectato favore legis, vt quando quis eſt præſens rei, quam poſsidet; vt ſi in domo habitet, ſi in fundo exiſtat, vel prope eum degat. Poteſt ſeparari poſſeſsio civilis à naturali, & apud vnum vna reperiri, & alia apud alium; vt ſi invaſor rem occupet violenter, inde proprium dominum removendo, invaſor poſsidet naturaliter, dominus, civiliter; ſed illa invaſoris poſſeſsio, maximè ſi ſit injuſta, infirma eſt, & ſolùm ſervire poteſt, ne poſsidens ab extraneo turbetur; imò multoties nec adhuc à proprio domino, niſi publica auctoritate, vt tenet Leſius *lib. 2. cap. 3. dubit. 10. num. 45.*

De modis, quibus poſſeſsio acquiritur.

32 Inquires ſecundò, quot modis acquiratur poſſeſsio? Reſpondetur triplici, apprehenſione vera, apprehenſione ficta, & apprehenſione civiliſsima. Apprehenſio vera eſt, vt ſi fundum, domum, aut res, corporis adminiculo apprehendas, vt intrando domum, fundum calcando: & hæc ſemper requiritur, quando incipimus poſsidere rem, quæ nulliùs erat domini, nobis ipſam tradentis; vt in poſſeſsione theſaurorum, piſcium, gemmarum, & ferarum. Quando verò ab antiquo domino nobis res traditur ſufficit apprehenſio ficta: quæ fit, vel tradendo claves domus, vel ſcripturam, ſeu inſtrumentum, in quo jus ad illam continetur: vel ponendo cuſtodiam rei nomine proprio, antiquo conſentiente domino, & alijs modis, qui videri poſſunt apud Lugo *diſp. 2. ſect. 4. n. 63.* Rebellum *lib. 1. q. 8. cap. 8. ſect. 2.* Diana *tom. 1. lib. 2. tract. 1. diſp. 1. dub. 6. n. 56. & 64.* Leſſ. *lib. 2. cap. 3. dub. 11. num. 47.* Civiliſsima apprehenſio dicitur, quæ ſola legis diſpenſatione fit, nullo corporis, vel animi adminiculo: imò neſciente eo, qui in poſſeſsionem introducitur; vt in Caſtella tranſit maioratus ad poſſeſsionem ſucceſſoris abſque ficta, vel reali apprehenſione, ex leg. 46. *Tauri*, apud

apud Covarrub. *lib. 3. variar. cap. 5. num. 6.* Qui etiam docet, apud Gallos possessionem defuncti transire ad hæredem sine vllo actu apprehensionis.

De privilegijs possessioni annexis.

33 Inquires tertiò, quæ sint privilegia possessionis? Respondetur, quatuor præcipua habere (alia minus vtilia prætermittimus.) Primum, quòd possessio (si sit bonæ fidei) parit præscriptionem, & media præscriptione dominium. Secundum, si oriatur dubium circa dominium rei, cuius sit, melior est possessoris conditio, & pro illo sententia est ferenda, quia in pari casu ei favendum est, qui habet specialem titulum, vt constat, possessorem habere. Tertium, in judicio non incumbit possessori dominium rei probare, sed alteri, qui talem rem repetit, quia possessio præsumptionem dominij secum affert. Quartum, quòd possessor potest armis tueri suam possessionem cum moderamine inculpatæ tutelæ: & hoc non solùm est verum de possessione naturali, vt si alius vellet te à domo eijcere, vel pallium à tuis humeris tollere; sed etiam de possessione civili, vt si rediens ad tuam domum eam videres ab injusto invasore occupatam, potes armis eum repellere: quia hoc non est invadere alium; sed tuam possessionem tueri, *lib. 3. ff. de vi, & vi armata, cap. Olim, de restitutione expoliatorum*, & tenet Dicast. *lib. 2. tract. 1. disp. 1. num. 80.* Lesius *lib. 2. cap. 3. dub. 14.*

Circa istud 4. possessionis privilegium, nota, solùm extendi ad ea quæ actu possidemus, non vero ad illa, quæ possidere speramus, adhuc jure supposito ad illa; nam Innoc. XI. has damnavit propos. nempè 32. sic dicentem: *Non solùm licitum est, defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Et 33. sic dicentem: *Licitum est, tàm hæredi, quàm legatario, contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se talitèr defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra earum possessionem injustè impedientem.* Et doctrinam modo datam à decreto Pontif. non recedere, ipsa exempla testantur.

De modis quibus possessio deperditur.

34 Inquires quartò, quot modis deperdatur possessio? Respondetur, quòd rerum mobilium possessio deperditur: Primò sola voluntate possessoris signo sufficienti exteriùs manifestata, vt si rem alteri donet. Sed in pupillis, & furiosis non sufficit animus, sed requiritur consensus tutoris, & curatoris, leg. *Possessione*, leg. *Si is, ff. de acquirenda possessione.* Secundò, per furtum, aut rapinam alterius. Tertiò, per amissionem rei, vt bursæ, aut auri: & animalium per fugam illorum deperditur, nisi sint ex ijs, quæ de facili solent ad domini servitutem redire. Possessio autem servi per eius fugam non amittitur, leg. *Pomponius 13. ff. de acquir. & amit. possess.* ¶ Rerum immobilium possessio deperditur: Primo, si possessor longo tempore sit absens, & nec per alium rei insistat, nec protestationem faciat se nolle amittere possessionem. Quod verò tempus longum judicetur? Alij decennium arbitrantur, alij amplius requirunt, alij prudentum arbitrio asserunt relinquendum. Secundò si ab alio rem occupari videat, & negligat; vel si postquàm rediens suam rem ab alio invenit occupatam, & ad recuperandam illam insistat, sed repellitur, nec audeat resistere. Verùm hoc modo amittitur possessio naturalis, non civilis. Tertiò, si res ita sit ab alio occupata, vt non sit probabilis eius recuperatio. Quartò per longam oblivionem, vt colligitur ex leg. *Furtum, ff. de usucapionibus*; vel si nesciat rem esse suam, vel eam inter sua bona non computet, quia tunc animi adminiculo non retinet. Videatur Lesius *lib. 2. cap. 3. dub. 12.* Rebell. *lib. 1. quæst. 8. sect. 3.* Dicastill. *lib. 2. tract. 1. disp. 1. à num. 77.* Qui notant, quòd si dominus vel sit in ipsa re, vt in domo, villa, fundo, vel prope eam, vt, cum opus fuerit, præsto adesse possit, retinet rei immobilis possessionem, non solùm civilem, sed etiam naturalem.

Regularitèr absque possessione dominium non comparatur.

35 Inquires quintò, an absque possessione, & apprehensione rei vera, vel ficta possit acquiri dominium? Posse manere dominium rei, deperdita possessione, constat ex modò dictis. Quarè solùm est dubium, an in fieri acquisitionis dominij non possit dominium, nisi cum possessione acquiri? Respondetur, quod regularitèr non acquiritur dominium, nisi per apprehensionem realem, vel fictam, leg. *Traditionibus*, Cod. *de pactis*, ibi: *Traditionibus rerum dominia, non nudis pactis, transferuntur.* Vnde si res mihi vendatur, etiamsi pretium solvam, non sum illius dominus, quandiu mihi non traditur, nec habeo ius in re: & si alteri vendatur, soluto pretio, secutaque traditione, dominium erit apud illum, & mihi præferendus est in vtroque foro, leg. *Quoties*, Cod. *de rei venditione.* Vide Covarrubiam 2. *variar. cap. 19. num. 8.* Lesius *lib. 2. cap. 3. dub. 3. num. 27.* Rebellum *lib. 1. quæst. 9. sect. 4. à num. 16.* Dicastillum *lib. 2. tract. 1. disp. 1. num. 120.* Nisi alteri gratiosè tradita esset, quia tunc poteram illam rem vendicare, & etiamsi sub contractu oneroso alteri tradita esset, qui procederet in emptione mala fide, sciens rem mihi venditam fuisse, tunc posse me illam vendicare, asserunt Covarr. *n. 5.* Less. *num. 13.*

Aliquando requiritur possessio absque apprehensione rei.

36 Dixi *regularitèr*, dominium per possessionem, vel rei donationem, vel apprehensionem acquiri. Ex juris tamen indulgentia plures dantur casus, in quibus dominium acquiratur sine illis; vt si aliquid vendatur, vel donetur ecclesijs, hospitalibus, monasterijs, vel ad captivos redimendos, vel ad alia pia opera: & ideò tunc post contractum, & ante rei traditionem, si alius emat eam, & pretium solvat, simulque retineat, sive bona, sive mala fide procedat, dominium illius non acquirit, *leg. vltim. C. de sacrosanctis ecclesijs.* Rebellus *num. 18.* Covarr. *num. 2.* Lesius *num. 16.* Dicastillo *à num. 123.* Nec etiam requiritur talis apprehensio, aut possessio in beneficijs, in quibus acquiritur jus in re, & dominium per collationem, & acceptationem, cap. *Si tibi absenti, de præbendis in 6.* Similitèr in hæreditate, sive per testamentum, sive ab intestato, sufficit, vt hæreditas adeatur ad acquisitionem dominij, leg. *Cum hæres 27. ff. de acquirenda, vel amittenda possessione.* Et idem dicimus de legato, cuius dominium acquiritur statim, ac hæres acceptat hæreditatem; & alijs casibus, qui apud Auctores citatos videri poterunt.

PUN-

PUNCTUM V.

Apud quos, & quarum rerum dominium eſſe poſsit?

Irrationabilia non poſſunt habere dominium.

37 POſtquam de dominio, & requiſitis ad illud egimus, nunc deveniamus ad declarandum illius ſubjectum, & materiam, circa quam verſari poteſt. Et loquendo de ſubjecto, quod eſt capax dominij, certum eſt nec plantas, nec animalia habere ad illud capacitatem. Quare nullius rei ſunt dominæ, nec illis aliqua ſit injuria, ſive mutilentur, feriantur, occidantur: quia injuria fit contra jus, quod aliquis poſsidet, & irrationabilia totius juris, dominij, & poſſeſsionis ſunt incapacia: carent enim libero arbitrio, quod eſt fundamentum, & baſis totius dominationis. Quare natura duntaxat rationalis, in qua eſt liberum arbitrium, intellectus, & voluntas, eſt ſubjectum proprium dominij: ſive hoc proximè in intellectu reperiatur, ſive in voluntate, ſive in vtroque ſimul; quod parum ad res morales intereſt, ſicuti examinare, an & quomodo reperiatur in Angelis.

Omnes homines dominij ſunt capaces.

38 Igitur omnes homines, etiam peccatores, etiam infideles, ſunt capaces dominij rerum temporalium, vt contra Uvicleph, & Ioannem Hus in Conſtantienſi Concilio, *ſeſſ.* 8. & 15. diffinitum eſt, & ideò Principes peccatores (etiam infideles) verè ſunt Reges, & Domini, honorandi tributis, & reverentia obſequendi, & obediendi. *Ad Rom.* 13. 1. *Petr.* 3. Et ratio eſt, quia homo per peccatum non amittit jus, quod habet ad propriam vitam, & famam: & ſic patitur injuriam, ſi in eis lædatur: ergo idem dicendum eſt de alijs rebus temporalibus. Videantur Molina *tom.* 1. *de juſtitia, tractat.* 2. *diſput.* 19. Lugo *tom.* 1. *diſput.* 3. *ſection.* 1. *à num.* 10.

Pueri, & amentes poſſunt dominium habere.

39 Sed rogabis, an pueri ante vſum rationis, & perpetuò amentes ſint capaces dominij? Reſpondetur affirmativè, & de pueris habetur *ad Galatas* 4. *Quanto tempore hæres parvulus, &c. cum ſit dominus omnium.* Et ratio eſt pro omnibus, quia ad dominium ſufficit potentia, & voluntas capax exſe vtendi re, vt ſua, quia hoc ipſo alius in tali re non poteſt dominium habere; ſed dicti habent hanc potentiam, licèt per accidens ligatam, & impeditam pro illo tempore, ſicuti ebrij, & dormientes, qui licèt vti re, vt ſua, eo tempore non poſsint, retinent tamen potentiam voluntatis, quæ eſt fundamentum dominij. ¶ Et ſi dicas, quòd dormiens, vel ebrius in vi præcedentis acceptationis (quæ ad dominium requiritur) illiud acquirere poſſunt, ſicut poſſunt baptizari, aut abſolvi in vi præcedentis voluntatis, quæ moraliter remanet, quandiù non retractatur; quod in pueris, & perpetuò amentibus non reperitur. ¶ Reſpondetur, non ſemper requiri acceptationem ex parte dominium recipientis, ſed multoties, inſcio domino, poſſe dominium acquiri, vt diximus *punct. præcedent.* Eſto tamen requireretur, ſufficit conſenſus reipublicæ nomine illorum, vel tutorum, & curatorum, qui ab ipſa deſignantur, vt in baptiſmo parvulorum ſufficit eccleſiæ, & parentum nomine illorum conſenſus: & ideò parvulus ante vſum rationis, & perpetuò amentes ſuarum rerum verum, & proprium dominium acquirere, tenent Lugo *diſp.* 3. *ſect.* 1. *n.* 14. Palaus *tom.* 7. *de juſtit. in genere, diſp. vnic. punct.* 6. *n.* 1. Dicaſtill. *lib.* 2. *tractat.* 1. *diſput.* 1. *dub.* 8. *n.* 86. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 2.

Omnes res ſublunares cadunt ſub dominio hominis.

40 Circa ſecundam partem puncti, quæ inquirit de materia huius dominij, agentes ſolùm de hominibus, dicimus, omnes res ſublunares eſſe capaces, vt ſub dominio hominis comprehendantur; imò omnia ab initio ſub illius poſita fuiſſe ditione, conſtat ex Geneſ. 1. *Faciamus hominem, &c. vt præſit volatilibus cœli, & cunctis, quæ moventur ſuper terram*: & Pſalm. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius.* Quod dominium non fuit per peccatum amiſſum; quamvis eius vſus, & perfecta acquiſitio rerum difficilior reddita ſit. Unde poteſt feras capere, eis ad ſervitium vti, aves venare, piſces, & alia ad ſuum dominium reducere. Ultra ſublunaria hominis dominium non extenditur, nimirùm ad cœlos, & aſtra (excepto Chriſto Domino, cui omnia dedit Pater in manus, *Ioann.* 13.) quia illis pro libito vti non poteſt. Quamvis ſuo modo etiam dominus illorum dicatur, quia ad noſtrum commodum, & obſequium cœli creati ſunt, vt docet Div. Thom. 1. *part. quæſt.* 96. *art.* 2. ¶ Sed notat benè Leſsius *lib.* 2. *capit.* 4. *dub.* 8. *numer.* 53. quòd cum dicitur hominem jure naturæ habere dominium in res inferiores, non eſt intelligendum, quod ſinguli à natura habeant completum dominium illarum, ſed quia poteſtatem habent à natura res inferiores occupandi, & earum comparandi dominium perfectum, niſi ab alio præoccupatæ fuerint.

Alterius hominis nullus jure naturæ dominiũ habet.

41 Unius tantùm creaturæ ſublunaris homo jure naturæ non habet dominium, nimirùm alterius hominis. Quia à natura omnes ſunt ſui juris, leg. *Libertas, ff. de ſtatu hominum*, quia omnes ſunt æqualis naturæ, ab eodem parente progeniti, & ad eundem finem ordinati: ergo nullus à natura ſupra alterum dominium poſsidet. Et licèt alij ſint acutioris ingenij, alij robuſtiores, & ſic aptiores ad regendum, & alij ſuperiores ſint, & alij inferiores: nullus tamen eſt ſervus à natura, ſed eſt ſervitus pœna peccati, vt docet D. Auguſtin. *libr.* 9. *de Civitat. cap.* 15. & D. Gregor. *libr.* 21. *Moral. capit.* 11. Cum hoc tamen ſtat, quòd jure gentium ſit introductum, quòd aliqui jure belli in ſervitutem redigi poſſint; illi nimirum, qui capti ſunt in bello: quia ſicut capiens jus habebat ad illos occidendos tunc, & reſpublica poſteà, in pœnam delicti commutata fuit talis pœna, & in favorem ipſorum captorum introductum, quod obſequium perpetuò dominorum mancipentur, §. *Servi*, Inſtit. *de jure perſonarum.* Non tamen habet in ſervo dominus dominium abſolutiſsimum ad omnes vſus, ſicut habet in equo, quem poteſt occidere, lædere, mutilare; non ita vnus homo eſt dominus alterius, & ſic peccaret dominus ſervum injuſtè lædendo, occidendo, vel mutilando.

Homo non eſt dominus ſuæ vitæ.

42 Sed inquires primò, an homo dominus ſit ſuæ vitæ, & membrorum? Reſpondetur, nullum præter Deum habere dominium ſupra vitam, aut membra hominis. Sapient. 16. *Tu es domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem.* Et ideò nec ipſe homo eſt dominus, ſed cuſtos ſuæ vitæ, nec reſpublica, aut Princeps; proindèque eis pro libito vti nequeunt, vt eſt communis ſententia Do-

Doctorum cum D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *artic.* 1. Nec aliquis potest suam vitam, aut membra prodigere, &, prout libuerit, exponere. Cum hoc tamen stat, quòd membra putrida potest secare, etiam sana, si ad totius congruat incolumitatem. Sicut respublica potest malefactores punire, vel innocentes aliquando ob bonum publicum vitæ periculo exponere; non quia homo in suis membris, vel respublica in civium vita dominium possideat; sed quia ex authoritate Dei, & juris naturæ, quando hoc bono communi expedit, procedit: ipsa enim natura, & Deus Author illius dictat partes exponendas esse detrimento ad conservationem totius.

In quibus casibus homo non est dominus suæ famæ.

43 Inquires secundò, an homo sit dominus suæ famæ, & honoris? Non loquimur, quando fama, vel honor alteri alligatus est, seu (vt loquitur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3.) quando infamiæ, aut honoris dispendium vergit in detrimentum, seu periculum aliorum, quia tunc nullus habet suæ famæ, & honoris dominium: non enim tunc agitur de sola fama propria, sed etiam aliorum: quo sensu dixit D. Augustin. *libr. de bono viduitatis, cap.* 22. conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis; ac proindè crudelem esse, qui famam negligit: intelligitur enim, quando infamia vnius in alterum redundat: vt detrimentum famæ in religioso vergit in damnum famæ religionis; vel quando quis ex justitia, vel charitate proximo prodesse tenetur, & se ineptum per infamiam reddit ad suum munus obeundum, tunc enim sui honoris, & famæ non habet dominium, nec potest se infamare, honorisque prodigum esse, quin potius contra justitiam peccat, si ex justitia tenetur proximorum saluti invigilare, & contra charitatem, si ex charitate, quando propter famæ, vel honoris dispendium, ad id, ad quod tenetur, redditur ineptus, aut minùs idoneus.

Verius est, hominē honoris sui, & famæ esse dominum.

44 Quare dubium est, an homo sit dominus suæ famæ, & honoris, si præcisè sumantur, absque eo quòd sint alteri alligata? Negat Cajetanus 2. 2. *quæst.* 73. *articul.* 2. *& in sum. verb. Detractio*: & Sylvester eodem verbo, *quæst.* 3. quia dicunt honoris dominium, & famæ civium esse apud communitatem: cui irrogatur injuria, si cives inhonorentur, sicut si occidantur: ergo ille particularis non est dominus sui honoris, & famæ, & sic de eis pro libito disponere nequit; sed tàm ex justitia, quàm ex charitate tenetur observare illud consilium Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine.* Dicendum tamen est, hominem suæ famæ, & honoris dominium habere, de illisque, vt verè dominum, disponere posse. Ita Divus Thom. 2. 2. *quæst.* 73. *articul.* 4. *ad* 1. vbi docet esse sub arbitrio hominum detrimentum famæ sustinere. Idem de honore asserit, *quæst.* 72. *articul.* 3. Sanctum Doctorem sequuntur Tapia *lib.* 5. *quæst.* 23. *art.* 3. *num.* 6. Sotus *de justit. lib.* 4. *quæst.* 6. *articul.* 3. *ad* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 11. Palaus *de justit. in genere, disput. vnica, punct.* 6. *numer.* 5. Bañez *prælud. ad quæst.* 62. *de dominio, dub.* 2. *conclus.* 5. Dicastillus *libr.* 2. *tractat.* 1. *disput.* 1. *num.* 97. Probatur hæc sententia, quia honorem, & famam potest homo sua industria, & per opera liberi arbitrij acquirere, quemadmodum acquirere potest divitias: ergo est dominus illorum. Probatur consequentia, quia secundùm D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 5. homo est dominus eorum, quæ suo arbitrio potest comparare.

Potest homo in aliquibus casibus se infamare.

45 Ex quo sequitur, posse hominem absque peccato se infamare, propalando crimen verum, quod fecit, si ad evitandum grave damnum, aut mortem conducat talis propalatio. Potest etiam ex humilitate veros defectus suos publicare, vt fecit latro ille famosus apud Sanct. Ioan. Climacum. Potest etiam impositurum altetius patienter substinere, nullam interponendo excusationem. Potest injuriam sibi illatam in honore, vel fama remittere, quod facere non posset, nisi esset suæ famæ, & honoris dominus. Imò aliquando tenetur ex justitia se infamare, si hoc ad reparationem honoris injustè ab ipso læsi sit necessarium: ergo est dominus talis famæ: aliàs, sicut non potest se mutilare, aut occidere, etiamsi hoc esset necessarium ad reparandum damnum alterius, quia non est dominus membrorum, & vitæ, ita non posset in casu dicto se infamare, nisi esset dominus sui honoris, & famæ. ¶ Cæterùm, sicut homo bonorum fortunæ, quæ sua industria comparavit, dominus est, non tamen vt licitè absque causa ea prodigere possit: ita, licèt sit suæ famæ, & honoris dominus, non debet irrationabiliter velle illorum dispendium pati: & irrationabiliter procederet, qui absque justa causa prodigus esset sui honoris. Quod & non amplius suadet consilium illud Eccles. in argumento contrario adductum. Veruntamen, licèt irrationabiliter procederet, non contra justitiam, sed contra charitatem erga seipsum. Maximè cum odor boni nominis, & famæ etiam ad virtutem conservandam plurimum conducat, si prudenter, & debitè de illo vnusquisque curam agat.

Bonorū spiritualiū suorum est homo dominus.

46 Inquires tertiò, an sit homo dominus suorum bonorum spiritualium? Respondetur, hominem verum dominium habere omnium bonorum suorum spiritualium, tam interiorum, quàm exteriorum. Per interiora bona spiritualia, intelligimus omnia dona gratiæ cum virtutibus infusis: per exteriora, illa, quæ sunt spiritualibus annexa, vt beneficia, officia, & dignitates ecclesiasticæ. Et quidem quòd priorum bonorum dominium homo possideat, probatur: quia per vsum liberi arbitrij cum auxilio Dei homo se disponit ad talia bona, & ideò sunt effectus gratiæ cooperantis, quia illa homo comparat à Deo, cooperando cùm auxilio ipsius ad ea recipienda: ergo verè illorum est dominus, propter dicta ex D. Thoma, quòd illorum homo dominus est, quæ sua industria acquirit. Alioquin, si solùm custos istorum bonorum homo existeret, contra justitiam peccaret semper, ac illa sua culpa amitteret. Ex quo duo sequerentur à nemine concedenda. Primum, quòd novam circumstantiam specificam induceret, v.g. fornicatio commissa ab eo, qui est in gratia, in confessione detegenda, quam non haberet in eo, qui post alium peccatum eam commisit: siquidem iste non haberet malitiam injustitiæ, eò quòd gratiam non amitteret sua culpa, sicut ille. Secundum, quòd peccator statim, ac peccaret, teneretur ex justitia ad reddendum Deo satisfactionem per conversionem ad ipsum, & veram pœnitentiam, vt sic restauraretur gratia per peccatum amissa. Videatur Bañez *prælud. ad quæst.* 62. *de dominio, dub.* 2. *concl.* 6. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 23. *artic.* 3. *num.* 7.

Quòd

Etiam externorum ſpiritualium bonorū homo eſt dominus

47 Quòd autem homo habeat dominium aliorum bonorum ſpiritualium exteriorum, nimirùm Pontifex ſui pontificatus, Epiſcopus ſui epiſcopatus, & ſuorum beneficiorum, probatur, quia habet facultatem in eis vtendi in communes vſus ſibi permiſſos, & poteſt eis cedere, renuntiare, & reſignare, ſervatis ſervandis. Nemo tamen eſt dominus aliarum dignitatum, vel beneficiorum præter propria, quæ ipſe poſsidet: & ideò Pontifex non eſt dominus omnium beneficiorum eccleſiæ, nec Epiſcopi ſunt domini omnium beneficiorum ſuæ diœceſis, ſed diſtributores ſecundùm ordinem juris, aliàs pro libito poſſent illa diſtribuere cui vellent, & ſic etiam indignum ad tales dignitates, aut beneficia admittere, quod eſt falſiſsimum. Bañez *concl. 6.* Tapia *num. 9.*

PUNCTUM VI.

Quomodo acquiratur, & deperdatur animalium dominium.

Animalia ſunt in multiplici differentia.

48 EGimus iam de dominio in communi, deinceps de particularibus dominijs agemus, vel ex parte objecti, vel ex parte perſonarum, nimirùm de reliquis rebus particularibus, de quibus poteſt eſſe dominium; & etiam de aliquibus perſonis, quæ ſunt, vel non, illius capaces. Nunc circa animalium dominium præmittendum eſt, aliqua eſſe animalia ex natura ſua domeſtica, & manſueta, vt equi, gallinæ, oves, boves, ſues. Aliqua, quæ ſunt ex natura ſua ſylveſtria, & ferina, vt lepores, perdices, cervi, & omnes piſces. Alia, quæ partim ſunt ferina, partim domeſtica, vt anſeres, columbæ, cuniculi. Et ex his, quæ natura ſua ſunt fera, aliqua induſtria humana manſueſcunt, & cicurantur, vt accipitres, cervi, & apes in alvearijs reſervatæ, piſces in ſtagnis dominorum occluſi. Et è contra, aliqua, quæ ſunt manſueta, ſibi relicta redduntur fera, vt ſues, & capræ: & in India occidentali equi ipſi ex Europa aſportati, qui in montibus, & ſylvis fiunt feri, & ſicut alia fera venatione capiuntur, vt teſtatur Lugo Cardinal. *tom. 1. diſp. 6. ſect. 5. num. 4.*

§. I.

Quæ animalia capere nemini liceat? Et quorum captura omnibus concedatur?

Animalia domeſtica à nemine capi poſſunt.

49 EX enumeratis animalibus, ea quæ domeſtica ſunt, & natura ſua manſueta, habent proprium dominum, illum videlicèt, qui ea poſsidet; proindeque licèt aberrent, deperdantur, vel per multos dies ad domum domini ſui non redeant, ſemper ſunt domini, vbicumque ſint, etiamſi à feris capiantur, huc, illucvè diſtrahantur: & ſic nemini licet ea capere, ſed peccat mortaliter, qui contra domini voluntatem ſibi talia arrogat, juxta gravitatem materiæ, & ad illorum reſtitutionem tenetur. Nunquam enim talia animalia nativam poſsident libertatem, vt fiant communia. Quare ſi contingat, vel à fera capi, vel à tempore occidi, domino competit quidquid ex eis relictum fuerit, ſive caro ſit, ſive pelis, & illorum fœtus, alijve proventus ſunt illius, non ſecus, ac fructus arboris ſunt domini illius fundi. Omnia habentur, leg. *Pomponius, ff. de acquirendo rerum dominio, §. Gallinarum*, Inſtit. *de rerum diviſione.*

Animalia manſueta facta quandiù ſunt ſub dominio partis cularium.

50 Animalia illa, quæ hominum induſtria manſueta, & domeſtica facta ſunt, eatenus ſunt ſub domini particularis dominio, quatenus ea retinet incluſa, ita vt cum libuerit, eis vti valeat; & tunc non poſſunt ab alio capi, vt de præcedentibus dictum eſt: ſi tamen dominium fugiant, ita vt prudentum arbitrio nulla ſit ſpes revertendi, vel illa de facili comprehendendi, cenſendum eſt recuperaſſe nativam libertatem, fierique communia; & ſic eſſe illius, qui primò ceperit, vt id dictis textibus invenitur, & communitèr à Doctoribus aſſeritur. Aliqui pro ſufficienti ſigno reputant ipſa non habere animum revertendi, ſi nullo impedimento irretita bis, aut ter tempore conſueto non revertantur ad dominum, vt de columbis aſſerunt judicandum eſſe dominum deſeruiſſe, nativamque recuperaſſe libertatem, ſi ſemel, & iterum non redeant conſueto tempore ad columbarium, & tunc eſſe illius, qui eas ceperit. Ita Layman *lib. 3. ſect. 5. tractat. 1. capit. 5. numer. 12. & 17.* Leſsius *lib. 2. cap. 5. dub. 6. numer. 30.* Palaus *tractat. 31. de juſtit. in genere, diſput. unic. punct. 12. numer. 2.* Alij rectius arbitrantur id prudentum arbitrio eſſe relinquendum, quia aliqua ſunt animalia, quæ plus tempus, aliqua minùs requirunt, vt ad nativam libertatem redijſſe judicetur. Sic Lugo *diſput. 6. ſect. 5. numer. 41.* Rebell. *de obligation. juſtit. lib. 1. quæſt. 14. numer. 4.* Qui *numer. 5.* benè notat, aves venaticas (vt ſunt falcones, milui, &c.) dominis reſtituendas eſſe ex conſuetudine, licèt conſuetudinem redeundi amiſerint, ſive ſigna aſportent, ſive non. Idemque dicendum aſſerit de paſſeribus muſicis magni pretij, ſi de cuſtodia evolent, reddito capienti debito pretio pro captione.

Ferina bruta omnibus licet cōprehendere.

51 Feræ illæ, quæ ſub nullius poteſtate exiſtunt, quia nimirùm ferinæ ſunt ex natura ſua, à nemine comprehenſæ, omnibus licet eas inſequi, & capere, fiuntque primò occupantis, ſive in fundo proprio, ſive in alieno exiſtant, aut capiantur, quia per hoc quod per tuam hæreditatem vagentur, illarum non acquiris dominium, vt ſic nullius ſunt domini, fiuntque illius, qui primò eas ceperit, *§. Feræ, Inſtitut. de rerum diviſione, leg. 3. ff. de acquirendo rerum dominio.* Harum ferarum dominium retines, quoties illas ita coerces, vt de facili eas capere poſsis: vt apes in alvearijs, cervos in vivarijs, piſces in lacubus. Undè examen apum ex tuo alveario procedens tuum erit, quandiù illud inſecutus fueris, & de facili poſsis comprehendere. Si tamen diſpareat, vel fiat difficilis comprehenſionis, ad nativam redit libertatem, & fiet primò capientis, licèt in tua hæreditate illud capiat, vel ſit in arbore tuo pendens, quia ſicuti avium non acquiris dominium per hoc, quòd in tuo arbore nidificent; nec aliarum ferarum per hoc, quòd in tuo fundo conſedeant: ſic nec talis examinis eris dominus per hoc, quòd pendeat ex tuo arbore, vel in tuo fundo reperiatur. Ius tamen habebis ad impediendum, ne alius in tuo fundo ad illud capiendum intret; ſi tamen intraverit, & acceperit, illius erit. Leſsius *num. 32.* Palaus *num. 4.* Rebellus *num. 4.*

Idem

Quid de feris, quæ intra septa cõtinentur sentiendum sit?

52 Idem dicimus de feris existentibus intra nemora circumsepta particularium, vt bestiæ egredi non valeant, vel saltem reverti soleant, vt sint leporaria, vivaria, stagna, sylvæ circumdatæ non multùm amplæ, quòd qui intra dicta septa ea ceperit, peccat iuxta gravitatem materiæ, & illas, vel earum pretium suo domino tenetur restituere præter damna, quæ ex tali venatione, aut piscatione resultant, vt est communis Doctorum sententia, quia tunc habent proprium dominum, cui contra justitiam commutativam irrogatur injuria. Si tamen dicta animalia exeant extra septa, videndum est, an animum redeundi retineant, & an amiserint? Quod ex circumstantijs, & illorum natura, prudentum arbitrio, colligendum est. Si animum non habeant redeundi, judicandum est acquisijsse suam nativam libertatem, dominiumque particularis subterfugisse, & fieri communia, & sic esse primò occupantis; si tamen dictum animum retineant, à nemine capi possunt, sed semper sunt domini proprij, cui restitui debent, si capiantur, vt expresè dicitur §. *Ijs igitur animalibus*, Instit. *de rerum divisione*, ibi: *Ijs autem animalibus, quæ ex consuetudine abire, & redire solent, talis regula comprobata est, vt eo vsque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habeant: nam si revertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cum revertendi consuetudinem deseruerint.* Idem habetur jure regni, *leg.* 22. *tit.* 28. *part.* 3. & docent Villalob. *tract.* 3. *diff.* 11. *n.* 4. Rebell. *lib.* 1. *q.* 14. *n.* 18. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 26. *art.* 5. *n.* 6. Palaus *loc. citat. punct.* 12. *num.* 2.

Quid de animalibus in vasto loco inclusis?

53 Cæterùm, si animalia illa, tametsi à proprio domino aliquando capta, in vasto loco includantur, vt cervi in saltibus, pisces in lacunis, aut rivis, vbi non est ita facilis eorum captura, quia ipsa defendi possunt, fugere, vel occultari, illius erunt, qui primò ea ceperit, quia licèt dominus à principio illorum dominium obtinuerit, illud amisisse censetur, animaliaque suam nativam libertatem recuperasse, hoc ipso quòd terminum reclusionis ita latum concesserit, *leg.* 13. §. *Item ff. de acquirenda possessione.* Sic Palaus *disp. vnic. punct.* 12. *num.* 3. Molin. *tract.* 2. *disp.* 41. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 12. Lugo *disp.* 6. *sect.* 7. *n.* 72. Rebell. *lib.* 1. *q.* 14. *sect.* 4. *n.* 19. Apud quem videri poterit, quod spatium sylvæ, aut stagna occupari debeant, vt feras recuperasse suam libertatem dicatur.

Cuius sit fera ab vno vulnerata, & ab alio capta?

54 Sed est quæstio inter Doctores, an fera vulnerata ab vno, & ab alio capta, sit illius, qui eam vulneravit, vel illius, qui eam cepit. Et idem inquiritur de insecutione, an si feram vnus insequatur, & capiatur ab alio, sit insequentis, vel capientis? Idem de fera in laqueo venatorio vnius comprehensa, & ab alio capta, sub cuius dominio existat? Ad quod respondemus, quòd si ille, qui vulneravit, feram insecutus est, aut laqueo comprehendit, non habeat moralem certitudinem se illam capturum, vel quia fera laqueo fugere posset, vel quia vulnerata se poterat abscondere, vel quia insecuta poterat per fugam liberari, sub illius erit dominio, qui eam ceperit: quomodo intelligitur textus, §. *Item quæsitum est*, Instit. *de rerum possessione.* Et ratio, quæ ibi ponitur est, quia plura impedire possunt, ne fera ad manus vulnerantis, vel insequentis deveniat. Si tamen moralem certitudinem habeat vulnerans (& idem est de insequenti, vel illaqueanti) se feram capturum, illius erit, & alter tenetur illi restituere ipsam, leg. *Naturalem, ff. de acquirendo rerum dominio.* Quia licèt non habeat dominium illius ante captionem, habet jus, ne eam capere impediatur. Si verò dubium sit, an ipsam capturus esset, erit capientis, non vulnerantis: quia tunc ipse possidet, & melior est in dubio illius conditio. Debet tamen in omni casu adjudicare partem, vel vulneranti, illaqueanti, vel primo insequenti, si per vulnus, vel illaqueationem fuit in causa, vt ab alio caperetur, alitèr non capturo. Hæc fere omnia tenent Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 11. *n.* 12. & 13. Lesius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 10. *num.* 47. Lugo *disp.* 6. *sect.* 8. *num.* 77. Palaus *supr. punct.* 12. *n.* 5. & 6. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 26. *artic.* 5. *numer.* 5. Rebell. *libr.* 1. *quæst.* 14. *sect.* 4. *à numer.* 27. Idem dicendum est de piscibus; esse videlicèt illius, in cuius stagna sunt inclusi, si certitudinem habeat moralem se illos capturum, secus verò si probabiliter credi posset, evasuros, quia tunc erunt primò capientis.

§. II.

Quomodo piscatio, venatio, & aucupium in locis communibus prohiberi possint?

Quomodo piscatio, aut venatio prohibeantur?

55 QUamvis jure naturali omnibus sit permissa piscatio, aut venatio in locis patentibus, & non circumseptis, potuit nihilominùs respublica ob bonum commune illas prohibere aliquibus temporibus, locis, aut singularibus instrumentis factas: plura enim jure naturæ permissa sunt, quæ prohiberi valent, vel absolutè, vel ad tempus, si convenientius bono commune ab eis abstinere judicetur. Ut matrimonium jure naturæ permissum est, & aliquibus temporibus, locis, & personis prohibetur justè ab ecclesia. Quare optimè *in leg.* 7. *titul.* 8. *Novæ Recopil.* ferarum venatio prohibetur tempore, quo gravidæ sunt, ne sic extinguantur, vel multùm minuantur in detrimentum boni communis; & etiam venatio leporum, cuniculorum, perdicum, columbarum tempore nivis: quia cùm tali tempore sit illorum captura perfacilis, citò extingueretur: & piscatio retibus adeò strictis, vt plures parvi pisciculi capiantur, & illis cibis in flumen emissis, quibus pisces moriuntur, & inficiuntur aquæ: quas prohibitiones licitas esse communitèr Doctores tenent.

Potest quis prohibere alios piscari, vel venari in suis locis.

56 Similitèr est apud illos receptum, posse Principem, vel alium quemcumque, piscationem, vel venationem prohibere, vel impedire in lacu, saltu, prædio, alijsvè locis, quorum ipse privativè dominium habet, quia licet non habeat dominium animalium in talibus locis degentium, jus tamen possidet prohibendi, ne alius absque suo consensu in talia prædia ingrediatur, reservandique sibi vsum illius, & alijs impediendi, §. *Feræ*, Instit. *de rerum divisione*, leg. *Item si fundi*, §. *Aucupiorum, ff. de vsufructu*, ibi: *Nec rationabile est in agro alieno quemquam, nolente domino, aucupari.* Denique est commune inter Do-

Doctores, poſſe Principem prohibere, ne in prædijs commmunibus, quæ ad communitatem aliquam pertinent, vel ad privatam perſonam, alius præter ipſum venetur, aut aucupetur, vel conſentiente talis prædij domino, quia vnuſquiſque poteſt cædere ſuo juri; vel ſi ipſe Princeps cum eo onere tale prædium ab initio conceſſerit, vt poſſet ipſe ſolus in eo venari, alioſque prohibere. Hæc communia ſunt; ſed aliquæ circa dicta ſunt difficultates decidendæ.

Poteſt Princeps in locis communibus alios venare præter ipſum prohibere.

57 Prima difficultas eſt, an poſsit Princeps prohibere, ne alius præter ipſum venari poſsit in locis communibus alicuius civitatis, vel villæ, quando abſolutè illorum locorum dominium ad huiuſmodi communitates ſpectat. Reſpondetur, poſſe pro certis locis huiuſmodi prohibitionem ponere, & piſcationem, vel venationem in illis ſibi reſervare, vel ad eius competentem ſuſtentationem, vel ad honeſtam recreationem: ſicuti ex praxi, & conſuetudine conſtat, vt qui communem omnium curam, & ſolicitudinem ſubſtinet, aliquibus ſublevetur particularibus privilegijs. Regium etiam decet ſtatum, & ſplendorem, ne loca eius recreationi deſtinata communia ſint, vel alijs inferioribus patentia, & ideò in locis propè Matritum aliqua prædia catholicus Rex noſter ſibi ad venationem reſervavit, cæteris negans in illis huiuſmodi exercitium, quod nullus condemnabit, quin potiùs communiter moderni id licitè fieri docent. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 26. *articul.* 7. Rebell. *de obligatione juſtitiæ, lib.* 1. *quæſt.* 14. *ſect.* 2. *numer.* 7. Palaus *de juſtitia in genere, diſput. vnica, punct.* 13. *num.* 4. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *à numer.* 34. Lugo *diſput.* 6. *ſect.* 6. *numer.* 58. Soto *de juſtitia, lib.* 4. *quæſt.* 6. *articul.* 4. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 15. Qui etiam aſſerunt, poſſe hoc ipſum concedere alicui magnati in remunerationem meritorum, vt nemo præter ipſum in his, vel illis locis piſcaretur, aut venaretur, poſſeque hoc ipſum ab alio quocumque legitima præſcriptione obtineri, ſicut alia jura.

Prima limitatio doctrinæ.

58 Sed prædicti Authores hanc facultatem Principi cum his tribus limitationibus concedunt. Prima, vt Princeps compenſet hoc gravamen civium illorum locorum præ alijs civibus, vel remiſſione aliquorum communium tributorum, vel ſpecialium privilegiorum conceſsione, quia licèt Princeps jus habeat exigendi à ſubditis, quæ ad ſui congruentem ſuſtentationem, vel honeſtam recreationem viſa fuerint neceſſaria, non debet in hoc alios præ alijs gravare, ſed ſicut omnes commodum, æqualiter debent, & onus ſuſtinere. Undè hæc inæqualitas compenſanda eſt modo dicto, niſi fortè illorum locorum cives ex præſentia Principis, & ſuæ curiæ propinquitate tot emolumenta recipiant, vt per illa damna aliunde perpeſſa reſarciantur, vt meritò conſentire videantur, & cedere juri ſuo in hac parte, propter vtilitates aliunde receptas.

Secunda limitatio.

59 Secunda limitatio eſt, quòd debet Princeps curare (vel illi, qui in eius nomine huiuſmodi nemoribus præſunt) ne feræ multiplicentur in damnum vicinorum, vel ne exeundo ex illis locis circumvicinis damna inferant, & quæ illata fuerint debet reſarcire, quia licèt jus habeat reſervandi ſibi venationem, hoc non debet eſſe cum præjudicio pauperum, quorum ſegetes, vineæ, vel oliveta ex multiplicatione ferarum, vel illarum negligenti cuſtodia devaſtantur, vel ſternuntur, quare damna inde provenientia debet his, qui illa patiuntur, compenſare. Niſi fortè de conſenſu civium talia ſibi loca reſervaverit, vel niſi prædia illa cum eo onere ipſis conceſſerit. Vel denique niſi ante diviſionem illorum locorum, aut prædiorum Princeps tale dominium, & jus quæſiviſſet, quia tunc cum illo onere accipiunt ea loca, qui de novo accipiunt, vel cedere cenſentur ſuo juri ob alias vtilitates. Cavendum tamen eſt, ne ſubditi ita graventur ferarum multiplicatione, vt illud gravamen, omnibus inſpectis, irrationabile ſit, quia tunc nec cenſentur ſubditi conſenſum præbuiſſe, nec Princeps, cui incumbit bono ſubditorum attendere, illud imponere valet.

Tertia limitatio.

60 Tertia eſt, vt qui venationem in huiuſmodi locis prohibet, non poſsit imponere contra venantes, piſcantes, aut aucupantes pœnam aliquam corporalem, nimirum capitis, mutilationis, aut flagellationis, etiamſi grave incommodum, vel damnum ex tali venatione recipiat; & ſi in aliquibus legibus, & prohibitionibus ſunt impoſitæ tales pœnæ, cenſendum eſt latas fuiſſe magis ad terrorem, quàm ad executionem; & ſic iniquum erit eas executioni mandare, ſed vel pœna pecuniaria, vel exilij, aut carceris poterunt inobedientes puniri. Si verò inobedientia repetatur, & ſemel ac iterum punitus à tali venatione minimè deſiſtat, ita vt mandata Principis contemnere videatur, poterit criminoſus flagellis plecti, ſi conditio perſonæ permittat. Pœna autem mortis rarò, vel numquam poteſt imponi venantibus contra Principis edictum: quia non videtur hoc delictum, etiam frequentatum, tanta pœna dignum. Sot. *lib.* 4. *q.* 6. *artic.* 4. Palaus *diſp. vnic. citat. punct.* 14. *num.* 6. Leſsius, Layman, Lugo, Tapia, Rebell. *loc. citat.*

Non eſt mortale in locis prohibitis piſcari, aut venari.

61 Secunda difficultas eſt, quo peccato delinquant, & quid reſtituere teneantur, qui contra edictum Principis, vel reipublicæ prohibitionem, vel contra domini alicuius prædij particularis voluntatem in locis prohibitis venantur, piſcantur, aut aucupantur? Reſpondetur, quod (niſi damnum notabile inferant) piſcatores, aut venatores, rarò, vel nunquam erunt peccati lethales rei, ſi contra Principis edictum id efficiant, quia ſylvæ ſunt communes, & feræ nullius domini, & præceptum Principis ſolùm eſt pœnale, ad pœnam duntaxat obligans; & ſi fortè ſit lex præceptiva, quoad vim directivam obligandi in conſcientia, ſaltem lethaliter, diſſuetudine, vel non acceptatione evanuit; vti docent Rebellus *lib.* 1. *quæſt.* 14. *ſect.* 3. *numer.* 13. & 15. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 26. *articul.* 5. *numer.* 2. & *articul.* 7. *numer.* 6. Ubi alios refert Leſsius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 9. *numer.* 44. Et idem aſſerit de venantibus in locis communibus à republica prohibitis, vel in temporibus vetitis, vel cum inſtrumentis bono communi nocivis; vt ſi venetur tempore nivis, vel cum feræ ſunt gravidæ, vel ſi minutiſsimis retibus piſcatio fiat, vel miſis in flumen nocivis cibis, quibus piſces moriantur, quando aquæ non ita inficiuntur, vt pecoribus, vel hominibus immineat aliquod damnum (ſi enim hoc immineat, quis dubitare poteſt peccare mortaliter, qui talia agunt?) Ita Palaus *diſput. vnic. citat. punct.* 14. *numer.* 5. Tapia *artic.* 7. *num.* 5. Leſsius *dub.* 9. *citat. num.* 43. Rebel. *quæſt.* 14. *numer.* 13. Nec in dictis caſibus ad aliquam

quam restitutionem teneri, asserunt dicti Authores, piscatores, aut venatores, nisi faciant magnam stragem, & devastationem animalium: quia tunc propter grave damnum peccant mortaliter, & tenentur restituere, non quidem animalia capta, quia nullus habebat in eis dominium, cùm sua potiantur libertate; sed damnum illatum secundùm justam æstimationem, & valorem.

In loco circũsepto piscari, aut venari ex genere suo peccatum mortale est.

62 Peccat autem mortaliter ex genere suo qui in prædio circumsepto alicuius domini particularis feram capit, & tenetur illam suo domino cum damno ex tali venatione secuto restituere: quia cùm in tali casu dominium in ea possideat, frangitur justitia commutativa eam auferendo, non minùs, ac si animal aliquod domesticum furaretur. At si in vasto campo, lacu, aut prædio amplo animalia concluſa tenerentur, verius est non peccare mortaliter, qui in eis piscaretur, aut venaretur, nisi damnum notabile inferret domino, quia tunc & peccaret mortaliter, & teneretur ad restitutionem, non quidem ferarum, quas capit, quia hoc ipso quòd sint in vasto campo contentæ, non sunt sub dominio alicuius particularis, sed cum sua nativa libertate, vt diximus *numer.* 53. sed damnorum, quæ occasione venationis domino prædij irrogavit, quia nimirùm, vel ob tuam injustam venationem nequit ipse ita facilitèr feras capere, vt solebat, vel nequit alteri locare, vel vendere jus venandi in tali loco pretio, quo valebat, quanti ergo hæc omnia, vel alia æstimantur, teneris restituere: quia illorum causa fuisti ob tuam injustam actionem. Palaus *suprà numer.* 4. Lesius *numer.* 43. Molin. *tractat.* 2. *de justitia*, *disput.* 15. Rebellus *de obligatione justitiæ*, *lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 17. Lugo *disp.* 6. *sect.* 6. *num.* 45. & *sect.* 7. *num.* 68.

Peccãt mortaliter venãtes sata conculcantes.

63 Ex quo sequitur, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem damnorum, quæ causant, qui venationi vacantes, equis, canibus, vel pedibus suis, sata conculcant, segetes sternunt, grana excutiunt; vineas destruunt, aliave damna, domino invito, faciunt, vt ex communi sententia tenent Sylvester, Angelus, Cajetan. *in summ. verb. Venatio*, Lesius *libr.* 1. *capit.* 5. *dub.* 68. *numer.* 40. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 26. *articul.* 7. *numer.* 4. Palaus *de justit. in genere*, *punct.* 14. *num.* 5. Sed notat benè Lessius, quòd si modicum sit damnum, & tantum commodi dominus occidendo feras vicinis afferat: quia ab illis campi devastantur, quantum damnum venando facit: vel si rebus illorum attendat sua authoritate auferendo milites, vel alio modo eos sublevando, vt rationabilitèr judicetur ea damna, quæ sentiunt, non curare, aut condonare, non peccaret, nec teneretur illa restituere (quomodo multoties excusari dicit dominos locorum, qui suis venationibus talia damna incolis faciunt) secus verò dicendum esset, si damna essent gravia: quia tunc & peccat dominus illa inferendo, & ad compensationem eorum tenetur.

Religiosis, & cleticis venatio prohibita est, & quomodo?

64 Tertia difficultas est circa personas, quibus venatio, aut piscatio prohibita est, ob decentiam status. Circa quam dicimus, quod licèt nullis personis, sive clericis, sive religiosis prohibita sit piscatio in fluminibus apertis; fortè quia Apostoli, postquam Christum Dominum sequuti sunt, munus piscatorum obierunt. At religiosis interdicta est venatio, quia illorum statum dedecet, & scandalum generat in sæculatibus, *Clement.* 1. *§. Porrò*, *de statu Monachorum*; sed non esse peccatum mortale in ipsis talem venationem præciso scandalo, tenet Palaus *loco citato*, *punct.* 14. *numer.* 1. & *tract.* 16. *de statu Religioso*, *disput.* 4. *punct.* 13. *§.* 5. Quod verum asserimus, si non sit in consuetudine, sed bis, aut tertiò contingat, & non cum magno strepitu, & clamore fiat. Clericis verò quibuscumque interdicta est venatio frequens, & clamorosa, hoc est, cum strepitu canum, & armorum, *toto titulo de Clerico venatore*, cap. *Quorumdam*, *dist.* 33. & *in cap.* 1. *de Clerico venatore.* Episcopi sic venantes iubentur suspendi tribus mensibus à communione, Presbyteri duobus, Diaconi ab omni officio. Et ratio in his textibus redditur, quia talis venatio dedecet statum clericalem: & occasio est, vt bona ecclesiastica pauperibus eroganda in alendis canibus, equis, & accipitribus consumantur; sed non esse peccatum mortale, si præciso scandalo fiat, vel non sequatur dictum inconveniens, tenent Lugo *disput.* 6. *sect.* 6. *numer.* 51. Rebell. *lib.* 1. *quæst.* 14. *sect.* 2. *num.* 10. Lesius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 9. *numer.* 43. Layman *libr.* 3. *sect.* 5. *tractat.* 1. *capit.* 5. *numer.* 15. Palaus *de justitia in genere*, *disp. unic. punct.* 14. *numer.* 1. Eo quòd præceptum illud non indicat gravem obligationem, præcisis dictis inconvenientibus, quia censuram comminatam, non latam continet; & non maiorem, sed minorem, nimirùm suspensionis ad tempus, vel quoad aliquid, de quibus diximus *tract.* 11. *de legib. cap.* 2. *n.* 45. & *tract.* 10. *de cens. cap.* 1. *n.* 126. non arguere gravem obligationem.

Quomodo diebus festivis sit prohibita venatio?

65 Præter dictas prohibitiones in cap. *Amputatis*, *distinct.* 86. venatio diebus festivis, aut jejunij prohibetur: quod communiter à Doctoribus intelligitur de venatione, quæ est causa, aut non audiendi sacrum, aut non jejunandi; his tamen, & scandalo præcisis, ab omnibus asseritur non esse peccatum mortale piscationem, aut venationem dictis diebus, si fiat causa recreationis: quia illæ actiones non computantur inter opera servilia, quæ diebus festivis prohibentur; sed media sunt inter servilia, & liberalia, sicut opus transcribendi, vel quid simile. Quare si fiant, vel ex officio, aut conductione causa lucri, servilia sunt, & contra diem festum: & ideò in cap. *Licèt*, *de feriis.* Pontifex dispensavit cum aliquibus, quòd diebus festivis piscarentur, addito onere cuiusdam eleemosynæ: in quo supponit ob lucrum id fieri non posse diebus festivis. Videantur Rebell. *de oblig. just. lib.* 1. *q.* 14. *num.* 14. Less. *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 9. *n.* 44. Illud certum est ex capitibus dictis *hoc*, & *præcedenti numero*, nunquam obligationem restituendi resultare.

§. III.

Quomodo columbaria licita sint, & columbarum aucupium?

Licita sunt columbaria.

66 QUia specialis est circa columbas difficultas, de illis singillatim agemus. In quo supponendum est, licita esse columbaria, vt contra nonnullos oppositum tenentes probant Rebellus *lib.* 1. *quæst.* 14. *numer.* 41. Lesius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 6. *num.* 21. Layman *libr.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *numer.* 17. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 26. *art.*

26.art.6.Lugo *disp.6.sect.5.à num.42.* Eo quòd licèt columbæ aliquando grana ſatorum comedant; cæterùm niſi in columbarijs detinerentur, ampliùs ipſæ multiplicarentur, cùm non poſsint ita facilitèr capi,& quotidiè occidi,& ſic damnum illud deterius eſſet. Præterquamquòd ſi grana aliquando bona capiunt, etiam multoties nociva auferunt, impediuntque, ne herbæ, & ſemina inutilia plurimum augeantur, & ſegetes ſuffocentur: & ita expedire ad bonum commune,ob civium ſuſtentationem,praxis quotidiana teſtatur.

Quibus indaſtrijs vti non poteſt, qui columbaria habet?

67 Cæterùm qui columbaria habet, licèt vti poſsit illis ſeminibus, quæ columbarum ſuſtentationi aptiora ſunt: at peccaret mortalitèr, & teneretur ad reſtitutionem,qui illis cibis vteretur, vel odoribus, alijſvè artificijs, quibus columbas aliorum columbariorum attrahat, vel quibus alienæ columbæ ineſcatæ conſuetudinem amittant redeundi ad proprium columbarium, quia per fraudem, aut dolum aufert ab alijs ſuarum columbarum dominium, vt teſtatur Palaus *de juſtitia in genere, diſput.vnic. punct.15.num.2.*Rebellus *ſect. 3. citat. loc. fin.* Lugo *num.43.* Leſsius *num.28.* Laym. *num.17.* Secùs verò accidit, ſi alienas columbas attrahat, ſine fraude:quia nimirùm meliùs eas alit,vel meliorem ſtationem aptat. Et etiam loci conſuetudo eſt attendenda, quia(vt inquiunt Leſsius,& Laym.)quibuſdam in locis dicitur eſſe moris licere omni arte columbas alienas attrahere.

Quomodo illicitum ſit aucupiũ columbarum?

68 Columbarum, quæ à dominis particularibus in columbarijs detinentur, illicitum eſt aucupium, dum non conſtat conſuetudinem amiſiſſe redeundi ad columbarium, quia, vſque dum libertatem per fugam acquirant, dominium earum habent, contra quod agit, qui eas capit: & tenetur, non ſolùm damnum, ſed etiam columbas reſtituere, quia ob peculiarem incluſionem domini, & ſuſtentationem, & cuſtodiam ſunt ſub dominio peculiari illius, & ſic eas aucupari eſt contra commutativam juſtitiam, inducitque obligationem reſtitutionis. Cæterùm jure regni Caſtellæ,*leg.7.tit.8.lib.7. nov.Recop.* Si columbæ diſcedant per vnam leucam à columbario (nullo artificio attractæ) poteſt quilibet eas capere, nec tenetur aliquid reſtituere, quia, licèt ſubjectionem domini columbarij non amiſerint, potuit reſpublica ad vitandas lites dominis columbariorum cum ea conditione eas concedere, vt ſi diſcedant per vnam leucam, cenſeantur conſuetudinem revertendi amittere,ſuamque recuperare libertatem, & ſic fieri primo occupantis.Rebell.*numer.20.*Sotus *de juſtitia,lib.4.quæſt.6.art.4.*Tapia *lib.5. quæſt.27. art.6.num.4.*Palaus *punct.15.numer.3.* Lugo *lib.6. ſect.5. n. 46.* Intra leucam autem capi non poſſunt, niſi animum redeundi amiſerint, & tunc cenſetur in ipſis talis animus deficere, quando tempore conſueto bis, aut ter non redeunt,quia tunc nativam recuperaſſe libertatem judicantur, & fiunt communes, & ſic primò occupantis.

PUNCTUM VII.

Quomodo dominium acquiratur ſylvarum,montium, & paſcuorum?

Quis ſylvarum, aut paſcuorum dominium habeat?

69 EX jure gentium dominium paſcuorum, & ſylvarum adjudicandum eſt populo, cui ſunt vicina; poterit tamen alijs populis, vel particularibus perſonis ex venditione, donatione, locatione, alijſve titulis convenire. Cæterùm judicandum non eſt, aliquem in talia dominium poſſidere, hoc ipſo quòd juriſdictionem civilem, aut criminalem in populum habeat, ſitque dominus illius, quia ſylvæ, & montes, & paſcua communia, niſi ex aliquo titulo alicui particulari adjudicentur, ſemper ſub dominio populi perſiſtunt, leg. *Omnes*,Cod.*de operibus*, leg. *In tantum, ff.de rerum diviſione*: & tradit Covarrub. *practic.quæſt. cap.37. num.1.*Lugo *diſp.6.ſect.9.n.93.*Palaus *diſput. vnic. punct.16.n.1.* & ſic tenetur reſtituere damna quæcumque fecerit, non minùs ac alij oppidani, licèt illi timore, aut reverentia domini non audeant compenſationem petere. Ipſe ergo ſolùm poterit (ſicuti alij cives) in his locis paſcere, aut lignare, quamvis cum aliquo exceſſu pro eius maiore dignitate: & ideò Covar. & Lugo ipſum poſſe lignare,& paſcere pecora, aſſerunt, in duplo, quàm ſinguli ex præcipuis oppidanis.

In quibus locis lignare, & armenta paſcere poſſunt?

70 Quare dubium eſt, an Princeps, vel reſpublica poſsit prohibere ſub certis pœnis paſcua, vel lignationem in locis communibus? & quod peccatum ſit, ad quamve obliget reſtitutionem paſtio,vel lignatio contra prohibitionem facta? In quo certum eſt, poſſe vnumquemque cædere arbores, & earum fructus colligere in proprijs ſylvis, prædijs, aut fundis plantatas, armentaque ſua in eis paſcere, quia dominium earum poſsidet, & ſic ſibi concedere, alijſque prohibere vſum eorum valet. Similiter certum eſt, omnibus vicinis alicuius loci licere arbores cedere, earumque fructus colligere, herbaſque depaſcere in fundis, aut prædijs, quæ nullus dominus poſsidet, nec in communi, nec in particulari, quia hoc ipſo fiunt eorum, qui primò aliquid ex huiuſmodi cæperint. Ac denique eſt certum, poſſe cives alicuius oppidi, quoties à communitate prohibitum non fuerit, arbores cædere, armenta depaſcere in locis proprijs illius communitatis, quia omnes partes eius jus habent ad vtendum huiuſmodi lignis, & herbis, & eis frui poſſunt, quoties præceptum non fuerit oppoſitum à communitate,vel illius Rectore.

Quomodo lignatio, & paſtio prohiberi poſsit?

71 Ad quæſitum ergo reſpondendo, dicendum eſt primò, poſſe rempublicam, vel Principem prohibere paſtionem, vel lignationem in paſcuo, vel ſylva communi, & extraneis, & ſuis proprijs civibus ſub certis pœnis, & ſecundùm certam menſuram, videlicèt ne tali tempore, vel tali loco paſtio, vel lignatio fiat: ne talis ſtirps ſcindatur, ne aſportetur maior moles lignorum, quia id expedire bono communi compertum eſt, ne in eius perniciem ſylvæ diſsipentur, aut paſcua deſtruantur, aut fiant deteriora in boni communis detrimentum. Cæterùm

rùm non potest in totum prohibere pastionem, aut lignationem, quia omnes, & singuli jus habent inde necessaria sumere: quo jure, nisi illorum consensu, spoliari non debent, nisi aliunde suppleatur civium necessitas; vel denique nisi ipsi cives aliunde possint commodè ligna cædere, armentaque depascere. Sot. *lib.* 4. *de justit. q.* 6. *art.* 4. Lessius *libr.* 2. *cap.* 5. *dub.* 13. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 26. *art.* 4. *num.* 2. Palaus *tract.* 31. *disp. unic. punct.* 16. *n.* 2. & benè advertit Sot. non posse rempublicam, aut Principem sub pœna corporali, aut pecuniaria gravi huiusmodi actiones prohibere: idem asserit de particularibus dominis prædiorum, quia non est crimen contra tales prohibitiones patratum ea lance pensandum, ac si ab arca nummi, aut vestes extraherentur. Ideòque fur non est, nec vt talis communiter habetur, nec mulctari debet vita is, qui contra prohibitionem pasceret armenta, vel lignaret; & sic satis est moderatas exigere pœnas.

Quod peccatum sit lignatio, aut pastio contra prohibitionem?

72 Dicendum est secundò, non esse peccatum mortale contra justam prohibitionem in loco publico communitatis suæ armenta pascere, ligna cædere, fructusve colligere, sed solùm veniale, nec sic contra prohibitionem agentes ad aliquam restitutionem teneri: quia lex illa ea conditione censetur oppidanis imposita, vt si capiantur, pœnam luant (intellige post Iudicis sententiam, juxta dicta *tract. de legibus*, *cap.* 2. *à numer.* 51.) qui verò evaserit, gratis sibi prædam acquirat, nisi magnum inferat communitati nocumentum, ita vt civibus debita portio minuatur: si videlicèt depopulentur sylvæ, devastentur prata, vel stipes multum notabiles incidantur, sternanturve arbores prægrandes, & ædificijs aptæ, aliave damna communitati inferantur, quibus cives nimis graventur, quia tunc, & peccabit mortaliter, qui talia egerit, & tenebitur damna illata arbitrio prudentum compensare. Utrùmque asserunt Rebellus *de obligatione justitiæ*, *libr.* 1. *quæst.* 15. *section.* 1. Lugo *disput.* 6. *sect.* 9. *numer.* 86. & 92. Soto *de justitia*, *lib.* 4. *quæst.* 6. *articul.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 14. Tapia *libr.* 5. *quæst.* 26. *articul.* 4. Layman *libr.* 3. *sect.* 5. *tractat.* 1. *capit.* 5. *numer.* 18. Villalobos 2. *part. tractat.* 10. *difficult.* 9. *numer.* 5. Palaus *punct.* 16. *numer.* 2. & 3. Qui omnes idem asserunt de vicinis duorum oppidorum habentibus pascua, vel ligna cædua, si vnus in aliorum sylvis lignetur, quia licèt jus non habeat lignandi, vel armenta pascendi in alterius oppidi locis, quia tamen frequenter ab vtraque parte fieri scitur, censentur communitates ad invicem condonare quod ablatum est, contentæ pœna illorum, qui in fragranti capiuntur. Quod intellige, nisi magnum damnum fiat, ingensque detrimentum, juxta dicta, vicinis alterius oppidi inferatur. Sed notat Lugo *num.* 89. cum Sanchez *libr.* 1. *consil. capit.* 5. *dub.* 1. nec etiam peccare mortaliter, vel ad restitutionem teneri, qui absque damno notabili in duobus casibus prædictis ligna cæderet, non solùm ad proprium vsum, sed etiam ad vendendum, quia quod dives ad vsum se calefaciendi accipit, hoc pauper sumit ad vendendum, vt vivere possit.

Extenditur doctrina præcedens.

Qui in alterius sylva lignatur, ad restitutionem tenetur.

73 Dicendum est tertiò, quòd qui pascit, vel lignatur in sylva alicuius privati domini, vel in locis non vicinis suo oppido, cuius cives non possunt idem facere in locis communibus sui oppidi; vel denique, qui hoc facit in loco communi suæ reipublicæ locato alteri, peccat mortaliter pro gravitate materiæ, & tenetur restituere, & rem acceptam, & damnum inde secutum, nisi alicubi opposita vigeat consuetudo; quòd videlicèt soli pœnæ subjaceat, non verò sit reus culpæ. Sic Soto *libr.* 4. *sect.* 6. *articul.* 4. Lugo *disput.* 6. *sect.* 9. *num.* 92. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tractat.* 1. *cap.* 5. *numer.* 18. Rebel. *lib.* 1. *quæst.* 15 *sect.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 14. *num.* 56.

Limitatur præcedens doctrina.

74 Sed quantum ad restitutionem limitant Lessius, & Lugo, quòd si dominus fundi curare non soleat de compensatione recipienda, sat est mulctam luere comprehensum post Iudicis sententiam. Imò addit Molina *tractat.* 2. *disput.* 58. *conclus.* 5. sæpè dominum de hac restitutione non curare; & solùm pœnæ impositione contentum esse. Cæterùm maior damni quantitas requiritur ad culpam mortalem, & ad obligationem restitutionis in locis communibus, quàm in particularibus; & in omnibus quantitas, quæ sufficeret ad peccatum mortale, quando sylvæ, aut prædia sunt minùs ampla, in amplioribus non sufficit, eo quòd ampliùs requiritur, vt damnum, & nocumentum censeatur gravius in istis, quàm in illis, vt benè notavit Lugo, & Rebellus. Imò Sanchez *conf. libr.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6. *numer.* 35. aliquorum refert sententiam dicentium, quòd absque magna strage non fit obligatio restitutionis pro damno ordinario, nisi sylvæ, aut nemus à domino, vel suis maioribus fuerit plantatum, vel circumdatum humana industria. Pro qua sententia plura argumenta refert, eamque probabilem dicit: quàm etiam refert Lugo, nec impugnat. Sed non sunt in hac parte sic habenæ laxandæ in præjudicium; & damnum dominorum; & sic oppositum est tenendum.

PUNCTUM VIII.

Rerum inventarum dominium quomodo acquiratur?

Doctrina D. Thom. circa quæsitum.

75 OMnia in hoc Puncto dicenda his verbis complexus est Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 66. *articul.* 5. *ad* 2. *Ad secundum dicendum, quòd circa res inventas, est distinguendum: quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inveniuntur in litore maris: & talia occupanti conceduntur, & eadem est ratio de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor; nisi quòd secundùm leges civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri, si in alieno agro invenerit: propter quod parabola Evangelij dicitur Matth.* 13. *de inventore thesauri absconditi in agro, quòd emit agrum, quasi vt haberet jus totum possidendi thesaurum. Quædam verò res inventæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis; & tunc si quis eas accipiat, non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et similiter si pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licèt sibi eas retineat, non committit furtum,*

aliàs

aliàs autem committitur peccatum furti. Unde Augustinus dicit in quadam homilia (& habetur cap. *Si quid* 14. *quæst.* 5.) *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Ubi tria dicit Sanctus Doctor. Primum, quod bona inventa, quæ nullius ſunt domini, ſive quia nunquam in bonis alicuius fuerunt; ſive quia licèt fuerint aliquando, illa dimiſit, & habentur pro derelictis, ſunt primò occupantis. Secundum, furtum committere, qui bona inventa, quorum de proximo eſt dominus, ſibi arrogat, & inter ſua collocat bona. Tertium, quòd licèt jure naturæ theſaurus inventus totus cedat domino; ex jure poſitivo reddenda eſt dimidia pars domino agri, in quo fuit inventus. Quæ tria tribus examinabimus paragraphis.

§. I.

De iis, quæ habentur pro derelictis, vel nunquam fuerunt alicui domino applicata.

Quis rerum, quæ nõ ſunt alicuius domini, dominus fiat?

76 PRimùm inquit D. Thom. illas res, quæ nunquam fuerunt alicuius domini eſſe ſub dominio illius, qui primò occupaverit: & hoc intelligitur ſtando in jure naturæ, quia hæ res ſunt in ſtatu communitatis, ſicuti erant antequam jure gentium res eſſent diviſæ: & ſic omnibus ſunt communes, & fiunt propriæ per apprehenſionem illius, qui primò occupaverit. Habetur leg. *Item lapilli, de rerum diviſione*: & §. *Item lapilli*, Inſtitut. *eodem titul.* Poſſunt tamen Principes terrarum, in quibus iſtæ res reperiuntur, juſtas condere leges harum vſurpationem prohibentes, niſi ſub quibuſdam conditionibus, vt fecit Rex noſter Catholicus, *leg.* 9. *titul.* 13. *lib.* 6. *Novæ Recopilat.* prohibens, ne quis in mari Indico occidentali piſcaretur, vel quæreret margaritas, minaſve auri, vel argenti ſuffoderet, niſi cum certis conditionibus, vel tributis: ex vi cuius prohibitionis non tollitur reſervare margaritas ſorte inventas, quia ſolùm vetat ex induſtria eas quærere. Veruntamen, quia lex pœnalis eſt, ſi quis contra eam margaritas quæreret, & inveniret, non teneretur eas reſtituere, vel manifeſtare, niſi poſt Iudicis ſententiam, vt tenet Bañez *quæſt.* 66. *art.* 5. *circa ſecundam concluſionem*, Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 30. *art.* 4. *num.* 5.

Rerum, quæ habẽtur pro derelictis quis ſit dominus?

77 Aſſerit etiam Sanctus Doctor, quòd res, quæ habentur pro derelictis, & nomine incomplexo dicuntur bona adeſpota, ſunt primò occupantis: quia ex derelictione ſui domini ad ſtatum communem redeunt, fiuntque bona communia, & nullius domini: illius ergo erunt, qui primò eas ceperit, §. *penult. & ultim.* Inſtitut. *de rerum diviſione, leg.* 1. *& ſequent. ff. pro derelicto.* Dicitur autem res derelictas eſſe, quando ex ſignis, & circumſtantijs colligitur nolle dominum ampliùs illas inter ſua bona computare; vt ſi voluntarie, & ſponte ſua projiciat eas à ſe, vel, videns eas extra ſuam poteſtatem, non curat de illis recuperandis, vel ſi ratione temporis longinqui tranſacti, vel loci diſtantiæ, ita res ſit extra poteſtatem domini, vt ab illo non poſsit vllo modo recuperari, nec vt ſuam eam cognoſcere. Sed hic venit enodanda duplex quæſtio.

Quid ſit dicendum de bonis naufragantium?

78 Inquires primò, an bona naufragantium, quæ in litore, vel intra mare reperiuntur, habeantur pro derelictis? Et reſpondetur, minimè, ſed peccare mortaliter, & teneri reſtituere, qui talia bona ſibi ſervanda tollit; quia dominus non ſponte, & voluntariè ea à ſe projicit, ſed coactus à tempeſtate, & vellet, quantùm fieri poſſet, apud ſe retinere: & hoc licèt abſque intentione ea recuperandi à naufrago projiciantur: quia quòd non habeat intentionem recuperandi, non ex voluntate, ſed ex impotentia apprehenſa provenit. Tunc enim pro derelictis habentur bona, quando dominus illa à ſe abijcit; quia nihili ducit inter ſua bona computare: quod non accidit in præſenti. Quarè iniquæ ſunt municipales leges aliquorum locorum, quæ hæc bona naufragantium, tanquam adeſpota, domino loci, ad quem appulerunt, applicant. Sic Leſsius *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 67. *& cap.* 14. *num.* 50. Rebellus *libr.* 1. *quæſt.* 15. *ſect.* 2. *numer.* 9. Laymann *libr.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 22. Lugo *diſp.* 6. *ſect.* 10. *numer.* 99. Palaus *diſp. unic. punct.* 18. *num.* 3. Vnde in bulla cœnæ excommunicantur, qui bona chriſtianorum naufragantium in litore inventa ſurripiunt, quando id faciunt animo retinendi ea. Qui enim ea obſervaret animo quærendi dominum, eique reddendi, non peccaret, nec excommunicationem incurreret; & ſi non compareat dominus, tamquam derelicta ſibi applicare poſſet: quia eſtò dominus vivus evaſerit, ſi veriſimile eſt non reverſurum, nec dantur qui eorum nomine illa quærant, veriſimile eſt haberi pro derelictis, vt docent Lugo, & tenet etiam Suarez *tom.* 5. *de cenſuris*, explicans illam excommunicationem, *diſt.* 21. *ſect.* 2. Videantur dicta à nobis, *tract.* 1. *de cenſuris, cap.* 4. *num.* 80.

Quid de bonis, quæ ab incẽdio, aliove periculo eripiuntur?

79 Eadem, quæ diximus de bonis naufragantium, intelligenda ſunt de bonis, quæ incendio, aliòve periculo projiciuntur; quod habenda non ſunt pro derelictis, ſed ſuo domino reſervanda, etiamſi in parte, vel in toto peritura eſſent; nam illa pars, quæ eripitur, domini eſt; ſicut eſt domini ovis à fera capta, vel ſpolium illius, vt pellis, & caro, ſi poſt occiſionem è faucibus eripiuntur, & etiam ſi talia bona incendio peritura eſſent, niſi tu ea extraheres, illi reſtituere teneris, deducto pretio tui periculi, induſtriæ, & laboris. Nec in hac parte laxandæ ſunt habenæ, quia eſſet afflictionem addere afflictis, & affectis maximo damno modicum eripere, quod illis adverſa fortuna indulſit. Sic præcitati Auctores.

Quid de rebus, quæ per inundationẽ aſportantur?

80 Ea verò, quæ vi fluminis, vel inundationis aſportantur, ex circumſtantijs judicandum eſt, an ſint habenda pro derelictis. Si enim ſint parvi pretij, vel dominus ſit valde diſtans, vel magno labore opus ſit ad illa extrahenda, adeſpota ſunt judicanda: ſi tamen prudentis arbitrio judicetur, juſtè velle dominum, vt ſibi reſtituantur, illi ſunt omninò reddenda, dummodò reddat quanti induſtria, labor, & periculum in eis eripiendis æſtimatur. Palaus, Lugo, Rebellus, *loco citato*, & Molin. *tractat.* 2. *diſput.* 55. *in fine.*

Cuius ſint bona vacantia?

81 Inquires ſecundò, cui applicanda ſunt bona vacantia? Illa dicuntur vacantia, quæ quis moriens ab inteſtato, & abſque hæredibus relinquit. Dicimus ergo, quod licet ex leg. *Vacantia*, Cod. *de bonis vacantibus, lib.* 10. & ex jure hiſpano, *leg.* 2. *tit.* 8. *lib.* 5. *Novæ Recop.* talia bona vacan-

tia applicentur fisco, ex regia liberalitate esse applicata redimendis captivis, inquit Rebellus *libr.* 1. *quæst.* 15. *numer.* 7. Palaus *punct.* 19. *num.* 9. Excipiuntur tamen bona peregrinorum: quia hæc per Episcopum illius loci, in quo decedunt, distribuenda sunt, juxta Authentica. *Omnes Peregrini*, Cod. *communia, de succeff.* ibi: *Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perveniet; sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur.* Sed hoc intelligendum est, nisi Xenodochium, in quo mortuus fuerit, habeat privilegium sibi talia bona applicandi, vti haberi omnia hospitalia hispaniæ, testantur Navarr. *libr.* 4. *cap.* 2. *numer.* 49. Covarr. *Regula peccatum*, 2. *part.* §. 1. *numer.* 3. Molina *tract.* 2. *disp.* 53.

§. II.

De rebus ab vno perditis, & inventis ab alio.

Qui rem alterius invenit, quid agere debeat?

82 SEcundum, quod asserit D. Thomas *loco citato*, est, furtum committere, qui bona illa, quæ à suo domino, cuius de proximo sunt, deperdita fuere, sibi reservat. Quod omnes Doctores asserunt. Et sic qui rem perditam, putà vestem, annullum aureum, crumenam cum nummis, vel alia adinvenit, tenetur adhibere omnem diligentiam ad inquirendum dominum, maiorem, vel minorem juxta rei inventæ exigentiam: quia maior pro re pretiosiori adhibenda est, & pro viliori minor. Quod totum prudentum arbitrio est pensandum, & domino invento, illi reddere tenetur: quia qui rem alienam invenit, eamque retinet, efficitur quasi depositarius pro vero domino: ergo tenetur illi suam rem restituere. Imò qui scit rem à se inventam vni ex duobus, vel tribus deberi; nescit verò determinate cui, illis tradere debet, vt inter se dividant, vel sortem mittant, vel vni applicent, alijs facta compensatione: quia omnes habent jus in re illa, licèt dubium singuli. Ita Rebellus *libr.* 2. *quæst.* 12. *sect.* 3. *num.* 22. Sotus *de justitia, lib.* 4. *quæst.* 3. *art.* 1. *ad* 3. Caietan. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. Lugo *disp.* 6. *sect.* 12. *num.* 132.

Non potest nummos petere in recompensationē, qui rem invenit.

83 Sed rogabis primò, an qui rem invenit, possit nummos, seu pretium pro inventione petere, quod dicitur, *hallazgo*? Respondetur negative: quia ex justitia tenetur rem totam domino reddere: ergo nihil illius petere potest. Maximè, quia inventio rei, cuius est verus dominus, nullum jus præbet inventori, nec est digna pretio. Poterit tamen inventor expensas factas in re custodienda petere, & accipere, eamque vt pignus retinere, donec a domino reddantur. Poterit etiam accipere, quæ gratis ei dominus contulerit in signum gratitudinis, & lætitiæ rei inventæ. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 30. *art.* 4. *num.* 7. Lugo *disput.* 6. *sect.* 12. *num.* 149.

Sententia asserens, non teneri invētorē rem inter pauperes distribuere.

84 Rogabis secundò, an si post adhibitam diligentiam, dominus rei inventæ non compareat, teneatur inventor ex justitia rem pauperibus distribuere, vel alijs pijs operibus? Duplex datur circa hoc sententia, vtraque satis probabilis. Prima asserit, non teneri, sed posse inventorem rem illam sibi retinere. Ita Sotus *lib.* 5. *de just. quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 2. Bañez *quæst.* 66. *art.* 5. *in dubio circa*, 4. *concl.* Aragon, *ibi*, *fol.* 168. *col.* 2. Navarr. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 59. Diana 2. *part. tract.* 17. qui est 3. *miscell. resol.* 5. Sà, verb. *Thesaurus*, *numer.* 4. & valdè probabilem dicit Layman *libr.* 3. *sect.* 5. *tractat.* 1. *cap.* 5. *fine.* Et probabilem reputant Tapia, Lesius, Palaus, *infrà citandi*. Et ratio illius est, quia res, cuius dominus non comparet, nec ex jure naturæ, nec ex jure positivo, debet in pios vsus converti. Non ex jure naturæ: siquidem ex hoc ipso, quòd perdita sit, & dominus eius non compareat, devolvitur ad statum communem, secundùm quem omnia sunt communia, & fiunt primò occupantis. Nec etiam ex jure positivo: quia nullum datur applicans talia bona pijs operibus, quæ enim communiter circumferuntur, loquuntur de rebus injustè ablatis, quarum dominus non invenitur: non de illis, quæ fortuito sunt inventæ.

Non inventa to domino, tenetur inventor rei eā pauperibus applicare.

85 Probabiliùs autem dicendum est, talia bona inventa, domino non comparente, debere inter pauperes distribui, aut pijs operibus applicari. Tùm, quia consuetudo, & praxis inter pios, & timoratos ita viget, quæ vim legis obtinuisse videtur: quia, vel orta est ex praxi communis sententiæ, vel interpretata est jurà illa, cap. *Cum tu, de vsuris*, cap. *Quamquam, eodem titulo*, cap. *Non sanè*, cap. *Qui habetis* 14. *quæst.* 15. quæ licèt loquantur de rebus injustè acceptis, quarum dominus ignoratur: at consuetudo, & praxis, quæ est optima legum interpres, interpretata est has leges extendi ad inventa, non comparente domino, quia eadem vtrobique viget ratio. Tùm etiam, quia res inventa reipsa dominum habet vivum, vel defunctum, licèt ignoretur: ergò debet applicari juxta eius voluntatem rationabiliter præsumptam: præsumitur autem rationabiliter, vt in bonum eius spirituale distribuatur, cùm aliter eam obtinere non possit: ergo, &c. Ita Tapia *lib.* 3. *quæst.* 30. *art.* 4. *num.* 9. Palaus *disput. vnica, punct.* 19. *numer.* 4. Caietanus *in Summ.* verb. *Furtum*, *fine.* Lesius *lib.* 2. *capit.* 14. *numer.* 49. Rebell. *lib.* 2. *quæst.* 12. *numer.* 3. Lugo *disput.* 6. *sect.* 12. *num.* 141. Ex dictis patet ad contrarium fundamentum.

Limitationes præcedē tis doctrinæ.

86 Sed limitanda est præcedens doctrina. Primò, si res possit conservari, & spes detur, quod dominus compareat. Tunc inventor potest, & debet eam retinere, & non inter pauperes distribuere. Vel si conservari non potest, vendatur, & pretium conservetur reddendum domino: quia hæc præsumitur eius voluntas. Secundò, nisi fiat compositio ab habente potestatem distribuendi omnia bona spiritualia fidelium, vt est summus Pontifex; & ideò si, domino non comparente bona inventa componat accipiendo bullam compositionis, potest ea sibi retinere. Tertiò, si ipse inventor fuerit pauper, poterit res inventas in toto, vel in parte sibi applicare, secundùm arbitrium Confessarij, vel viri docti, si periculum sit fraudis, vel, eo cessante, per se ipsum. Quartò, si post legitimam distributionem factam dominus compareat, nihil tenetur illi inventor restituere, quia iam facta est legitima applicatio. Et quia pauperes dispositione juris, domino non invento, in hæc bona successerunt. Favet regula *Bona fides* 83. *de regul. juris in* 6. Imò si inventor bona fide, sequendo opinionem probabilem rem consumpserit, domino comparenti nihil, tenetur restituere: quia ad hoc nec ex injusta actione, quæ nulla datur, tenetur; nec ex re accepta,

cepta, quæ non est. Si verò res in sua specie perduret, vel in æquivalenti: quia nimirum per eius consumptionem inventor factus est ditior, eam restituere domino comparenti tenetur, vel id, in quo ditior factus est, nisi per lapsum temporis legitimè præscripserit.

Pauperes, quibus applicata est res invēta, quid agere debēt, domino cōparente?

87 Idem dicimus de pauperibus, qui non tenentur bona inter eos legitimè distributa domino comparenti restituere: quia nec ex actione injusta tenentur, nec ex ipsa re, quæ non datur. Sed quid si pauper, cui res inventa applicata est, eam in propria specie habeat, vel æquivalentèr: quia ditior factus est? Tenebiturne domino comparenti reddere? Affirmant Palaus *num.* 8. Layman *loc. citat.* quia respublica rem, & vsum illius concedit, vsque dum dominus legitimus compareat. Verius tamen dicendum est cum Navarr. *libr.* 4. *de restitut. capit.* 26. *numer.* 45. Soto *libr.* 5. *de justitia, quæst.* 3. *artic.* 3. *ad* 2. Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 3. *artic.* 5. non teneri, saltem in foro conscientiæ: quia non mutuò eam receperunt, sed in eleemosynam, sicuti si dominus talem rem misericorditèr illis indulsisset.

Quid dicendum sit de bonis, quæ dicūtur *Mostrencos*?

88 Eadem, quæ dicta sunt de rebus inanimatis inventis, dicenda sunt, attento jure communi, de rebus perditis animatis, quæ nostro idiomate dicuntur, *bienes mostrencos*: vti sunt animalia deperdita, quorum dominus non invenitur. De quibus jure hispano, *leg.* 6. & 7. *tit.* 13. *lib.* 6. *Novæ Recompil.* cavetur talia animalia manifestari debere Gubernatori loci, vt per annum, & duos menses illa apud se in depositio retineat; & singulis mensibus diebus publicæ mercaturæ voce præconis publicare faciat, vt si dominus reperiatur, reddantur illi, sin minus fisco applicentur, aut alijs ibi assignatis. Cæterùm istam legem non obligare in conscientia inventorem illarum rerum eas Prætori manifestare; sed posse de eis disponere, sicut de alijs inventis: quia solùm concessa est facultas petendi, seu exigendi hæc bona, tenet Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 38. *artic.* 1. Aragon 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. Henriquez *libr.* 7. *de Indulgent. cap.* 36. *numer.* 5. & satis esse probabilem, asserit Tapia *libr.* 5. *quæst.* 30. *artic.* 4. *numer.* 14. qui etiam dicit *num.* 15. religionibus B. Mariæ de Mercede, & Sanctissimæ Trinitatis (quæ privilegium habent à Gregor. XIII. vt hæc bona mostrenca ipsis applicentur ad redemptionem captivorum.) non concessisse Pontificem, nisi quod Rex hispaniæ dictis legibus concesserat. Unde, cum Rex solùm concesserit jus, quòd ipse in talia bona habebat, & eo modo, quo habebat, eodem modo eis manifestanda sunt, quo manifestanda esse fisco diximus. Imò Molina, & ex ipso Palaus *punct.* 19. *num.* 6. multum propendunt, nullam esse obligationem eis talia bona concedendi.

§. III.

Cui competat dominium thesauri inventi?

Quid sit thesaurus impropriè dictus?

89 TErtium, quod D. Thomas *loc. citat.* nos docuit, est, quòd thesaurus inventus est ipsius inventoris; & si in domo, vel fundo alieno reperiatur, debet dimidiam illius partem domino loci adjudicare. Sed pro intelligentia huius doctrinæ notandum est, thesaurum esse in duplici differentia: alium proprium, de quo loquitur D. Thomas, alium improprium. Improprius thesaurus dicitur communitèr collectio plurium divitiarum, aut rerum prætiosarum: quomodo dicimus talem, vel talem plurimos thesauros habere. Hic modus est improprijssimus. Thesaurus ergo improprius, de quo plures leges loquuntur, diffinitur in leg. *Nunquam*, *§. Thesaurus*, *ff. de acquirendo rerum dominio*: Quod est *Depositio pecuniæ, quam quisque lucri gratia, vel metus, vel custodiæ sub terra condidit.* Viguit enim consuetudo apud plures nationes, & modò viget, quòd à republica, vel à particularibus divitiæ sub terra abscondantur, aut in sepulchris, aut alijs locis, vel ad securitatem, & custodiam (quod tempore belli solet evenire) vel ad succurrendum ingenti necessitati reipublicæ. Unde refert Iosephus *lib.* 7. *antiquit. capit. ultim.* Salomonem parentiDavid magnificum sepulchrum construxisse, & ibi condidisse plurimas divitias, quibus, transactis pluribus annis, Hyrcanus summus Sacerdos vsus est in defensionem Israel. Hic autem thesaurus, cum verum habeat dominum, illi est restituendum (à quocumque inveniatur) vel eius hæredibus; & ideò in dicta leg. *Nunquam*, expressè dicitur furtum committere, qui hunc thesaurum sibi accipit: quia non habetur pro derelicto, sed habet verum dominum.

Diffinitio thesauri propriè dicti.

90 Thesaurus propriè dictus, de quo loquitur *D. Thomas*, diffinitur communitèr à Doctoribus, quòd est *Vetus depositio pecuniæ* (vel alterius rei pretiosæ) *cuius depositionis non extat memoria, ita vt dominum non habeat.* Ex dicta diffinitione constat, thesaurum non esse pecuniam, vel aliam rem pretiosam in superficie terræ inventam, in angulo domus, vel inter alias res mobiles: nam ad thesaurum requiritur, quod sit vetus depositio: cuius, quia domini non extat memoria, dominium amisisse censetur; quod in casu dato non accidit, nec in alio quocumque, in quo memoria esset eius, qui thesaurum deposuit, ad quem res inventa pertinet, vel ad eius hæredes: qui si non reperiantur, idem faciendum est, ac de alijs rebus inventis, quarum dominus ignoratur, de quibus diximus *§. præcedent.* Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *capit.* 5. *numer.* 23. Palaus *disput. unic. punct.* 17. *numer.* 12. Rebell. *libr.* 1. *quæst.* 15. *numer.* 16. Quare in præsenti agimus de illo, cuius depositionis memoria nulla datur.

Cuius sit thesaurus inventus?

91 Thesaurus jure naturæ totus est inventoris, vt asserit Div. Thomas, *loco citato*, & habetur in citata leg. *Nunquam*, quia, cum immemorabilis sit eius depositio, dominum illius amisisse dominium censetur, & inter bona derelicta computatur, quæ, attento jure naturæ, sunt primò occupantis. Sed jus positivum potuit justè plura circa hoc disponere, quia ad rempublicam spectat rerum distributiones, quas natura communes fecit, aliquibus applicare, quando id bono communi expedire judicatum fuerit. Igitur si arte magica thesaurus inventus fuerit, totus fisco adjudicatur, ex leg. *Vnica*, Cod. *de thesauris*, leg. *Nemo*, Cod. *de maleficis, & mathematicis*: & jure hispano, *leg.* 44. *tit.* 28. *part.* 2. Sed quia istæ sunt leges pœnales, non obligant ante Iudicis sententiam, vt tenet Lugo *disp.* 6. *sect.* 11. *num.* 112. Bañez *quæst.* 62. *art.* 5. *dub. circa tertiam conclusionem*, *concl.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *numer.* 65. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 30.

artic. 5. *numer.* 3. Probabile tamen est, adhuc post sententiam Iudicis, dominum fundi, qui non fuit in causa, vt per artem magicam thesaurus repertus esset, non privari ea parte, quam secundum leges dicemus illi competere: quia pœnæ suos authores egredi non debent. leg. *Sancimus*, Cod. *de pœnis.*

Ex jure positivo cuius sit thesaurus?

92 Ex jure communi thesaurus (absque magica) inventus casu, vel industria in propria domo, vel fundo, totus inventori acquiritur. Si in fundo, vel possessione aliena, vel in domo casu inventus fuerit thesaurus, media pars adjudicatur domino loci, in quo inventus est, & alia media pars est inventoris. Si tamen ex industria, vel intentione in domo, vel hæreditate alterius quæsitus fuerit, totus domino hæreditatis adjudicatur. Quæ omnia habentur, leg. *Vnica*, Cod. *de thesauris*, leg. *Is qui*, *ff. de acquirendo rerum dominio*, *§. Thesaurus*, Institut. *de rerum divisione*. Et D. Thomas *loco citato*, vbi licèt dicat ex jure dimidiam partem tantùm pertinere ad dominum hæreditatis, loquitur quando casu inventus est, non si ex industria quæsitum. In quo omnes Doctores conveniunt.

Quid ante sententiã Iudicis teneatur restituere inventor thesauri?

93 Sed est prima difficultas circa modò dicta, an inventor thesauri teneatur in conscientia ante Iudicis sententiam adjudicare dimidiam partem thesauri domino loci, in quo casu inventus est; vel totum, si fuit industria quæsitus? Respondetur, quoad primam partem affirmativè, & negativè quoad secundam. Etenim dispositio juris, qua dimidia pars domino loci adjudicatur, non est pœnalis, cùm nullam culpam supponat; sed quia est æquum ex inventione in suo fundo dominum fundi commodum reportare: ergo servanda est talis dispositio in conscientia, nulla expectata sententia Iudicis. At quando totus adjudicatur domino, si ex industria quæsitus est, est dispositio pœnalis: quia ne quis audeat, domino inconsulto, in fundo alieno fodere, facta est, & sic in pœnam huius delicti, quòd in messem alienam falcem miserit, totus thesaurus domino tribuitur: Cum ergo lex pœnalis non obliget in conscientia ante Iudicis sententiam, vt diximus *tractat.* 11. *de legibus*, *capit.* 2. *à numer.* 59. Sequitur non teneri inventorem ex industria in fundo alieno totum thesaurum domino tribuere, nisi expectata Iudicis sententia. Ita Bañez *quæst.* 62. *dub. circa* 3. *conclus. conclus.* 4. Lessius *libr.* 2. *cap.* 5. *num.* 59. Palaus *disput. vnic. punct.* 17. *num.* 2. & 3. Rebellus *libr.* 5. *quæst.* 15. *sect.* 2. *num.* 13. Layman *capit.* 5. *num.* 23. Lugo *disp.* 6. *sect.* 11. *num.* 111.

Quid si ex cõsensu domini loci thesaurus sit quæsitus?

94 Secunda difficultas est, an inventor thesauri aliquid domino loci teneatur restituere, si illum ex consensu, & voluntate domini in eius agro quæsivit? Respondetur sub distinctione. Vel enim sciens ibi esse thesaurum absconditum hoc domino hæreditatis celavit, veniamque ab eo, illo inscio, obtinuit: & sic totum domino modo dicto post sententiam Iudicis reddere debet, vel dimidiam partem ante talem sententiam. Si tamen sub dubio, & putans conjecturaliter ibi esse thesaurum, talem consensum obtinuit, tunc, præter damnum in effodiendo fundo, nihil reddere domino illius teneretur, nisi forte aliud in pactum deduxerunt, quia illud erit omninò servandum. Sic Tapia *libr.* 5. *quæst.* 30. *art.* 5. *numer.* 5. Lessius *suprà num.* 60. Palaus *numer.* 2. Rebell. *num.* 12.

95 Tertia difficultas, an si quis sciens thesaurum esse reconditum in fundo alieno, illum emat, totum sibi ipsum acquirat, si, postquam emit eum, thesaurum quæsivit, & invenit? Respondetur affirmativè, & constat ex parabola, quam citat D. Thom. *loco suprà citato*, eius, qui invenit thesaurum in agro alieno, & emit eum, vt totum sibi eum compararet, vt explicat Sanct. Doctor. Et probatur primò, quia, empto agro, iam est dominus illius: ergo non dicitur in agro alieno thesaurum inveniisse. Nec tenetur manifestare hoc, vel pretium ob hoc augere: quia dominus agri nullum possidet in thesauro dominium, nec est talis thesaurus absconditus ei aliquo modo vtilis, nec pertinet ad partem, vel substantiam agri. Secundò, quia si quis ignorans thesaurum esse in agro, illum emeret pretio ordinario, non teneretur venditori aliquid reddere, etiamsi posteà casu, vel industria in suo agro thesaurum inveniisset; sed ignorantia emptoris non tollit aliquod jus, quod anteà haberet venditor, vt ex se constat: ergo emptor nunquam habuit jus, vel vt carius venderet agrum ob thesaurum reconditum, vel vt post inventionem aliquid ei reddatur: ergo totus thesaurus est inventoris, sive casu, sive ex industria illum repererit. Sic Tapia *numer.* 8. Bañez *supr. conclus.* 5. Lessius *num.* 62. Soto *lib.* 3. *quæst.* 3. *art.* 2. *circ. fin.* Palaus *num.* 4. Laym. *num.* 23. Lugo *disp.* 6. *sect.* 11. *num.* 126.

Qui emit agrũ, in quo scit esse thesaurum, nihil tenetur restituere.

96 Quarta difficultas est, quis dicatur dominus loci, in quo thesaurus invenitur, vt illi, vel totus, si ex industria quæratur, vel dimidia pars, si casu reperiatur, adjudicetur? Respondetur, non intelligi dominum jurisdictionis, sed proprietatis. Unde sive in via, sive in foro, sive in platea, sive in alijs locis publicis thesaurus casu, vel industria inveniatur, totus est inventoris, & nihil reddere domino illius loci tenetur, qui jurisdictionem, vel gubernationem habet in eo: quia leges illæ, quæ disponunt totum, vel partem esse domino adjudicandam, sunt correctivæ juris naturæ, & gentium, ratione cuius thesaurus, vtpotè nullius domini, erat totus primò occupantis: ergo non sunt ampliandæ, sed restringendæ, vt intelligatur de domino rigoroso, qui est dominus proprietatis, non jurisdictionis, aut gubernationis. Et sic intelligendus est textus in *§. Thesaurus*, Institut. *de rerum divisione*, ibi: *Si quis in fiscali loco, vel publico civitatis thesaurum invenerit dimidium esse fisci, vel civitatis.* Intelligitur enim, de locis publicis, vt sylvæ, agri, &c. Quorum dominium respublica possidet. Ita Tapia *lib.* 5. *quæst.* 30. *artic.* 5. *num.* 7. Palaus *punct.* 17. *citato numer.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 16. *num.* 63. Lugo *disput.* 6. *sect.* 11. *n.* 116.

Quis dominus loci dicatur, in quo thesaurus reperitur?

97 Sed notandum est, suprà à nobis dicta (quod dimidia pars thesauri, vel totus adjudicandus est domino agri, in quo fuerit repertus) intelligenda esse de domino integro. Si enim vnus habeat dominium agri vtile, alter directum, vt in feudo, & emphyteusi, dimidium erit inventoris, si casu advenit, & altera pars inter duos dominos est dividenda; & si ex industria quæsivit, dimidia pars erit domini directi, & dimidia domini vtilis. Si tamen à feudatario, vel directo domino casu, vel industria fuerit inventus, tres partes erunt inventoris; & quarta erit alterius domini: quia inventor (nisi in alieno omninò fundo quæsierit) jus habet ad dimidium thesaurum: & quia partem dominij possidet in loco, pars alterius dimidij sibi arrogari potest. Sed dicta *in hoc numer.* intelligenda non sunt

Explicatio præcedentis doctrinæ.

sunt de vsufructuario, cui nihil thesauri ab alio inventi debetur: quia thesaurus non habetur in fructu fundi, vel prædij, & sic totus, vel pars adjudicanda est domino directo. Unde si thesaurus inveniatur in fundo dotali, dimidia pars, vel totus non pertinet ad maritum, qui vsufructuarius est; sed ad vxorem, quæ dominium directum habet in illo fundo. Et sic dicitur in leg. *Divortio, §. Si fundus, ff. soluto matrimonio*: *Thesaurum inventum in fundo dotali, in quo vir habet vsumfructum, non deberi viro, sed vxori, cuius est fundus, quia thesaurus non est fructus fundi.* Sic Lugo, Rebell. Palaus, *locis in hoc puncto citatis.*

Quid habeatur jure castellæ circa thesauri inventionem?

98 Ultima difficultas est, quid jure castellæ circa thesauros sit dispositum? Respondetur, quod secundum jus hispanum totus thesaurus inventus est reddendus Regi, reddita quinta parte secundùm aliquos, vel quarta secundùm alios, inventori. Sic habetur *leg. 7. tit. 12. lib. 6. & leg. 1. tit. 13. eodem lib. Novæ Recomp.* An verò talis dispositio sit justa, & obliget in conscientia? aliorum tantùm placita referemus. Soto *lib. 5. de justit. quæst. 3. artic. 3.* & Sylvester, *verb. Inventum, §. 3.* injustam esse dicunt, quia est contra jus naturale, & sic non obligare in conscientia. Ledesma verò 2. *part. Summ. tract. 8. cap. 20. post secundam conclusionem, dict. 6.* dicit, esse justam, procedere verò de thesauris inventis in proprio dominio Regis. Bañez *quæst. 66. artic. 5. dub. circa 3. conclusionem, concluf. 7.* asserit, esse legem justam, sed tributalem. Et cum tributa solvere nemo teneatur, nisi petantur, dicit, neminem in conscientia teneri thesaurum reddere, nisi de hoc fuerit requisitus, Villalobos 2. *part. tract. 10. difficult. 20. num. 8.* Palaus *punct. 17. numer. 5.* Rebellus *libr. 1. quæst. 15. numer. 14.* dicunt esse justam, & non tributalem, sed adjudicativam per rerum divisionem: sicuti aliæ res diversis dominis sunt adjudicatæ, & sic debere observari, etiam si inventus thesaurus non petatur.

PUNCTUM IX.

De translatione dominij in alterum ex lege præscriptionis.

Præscriptio, & vsucapio idem sunt.

99 MOdus celebris transferendi dominium est per præscriptionem, vel vsucapionem. Præscriptio ergo de qua loquuntur sacri canones (jus enim civile alia solet frequentèr præscriptione vti, prout est idem, quòd exceptio in judicio contra actorem, de qua in præsenti non agimus) & etiam plures leges civiles, intelligitur de dominio ex possessione, tempore, & alijs conditionibus acquisito. Hæc autem præscriptio re ipsa cum vsucapione coincidit, licèt ab aliquibus distinguatur in eo quod vsucapio est rerum mobilium, præscriptio autem immobilium. Cæterùm ab alijs hæc distinctio meritò non admittitur, loquendo de præscriptione, de qua est sermo præsens; siquidem multoties in jure vsucapio ad res immobiles refertur, & præscriptio ad mobiles, Institut. *de vsucapionibus, in principio, leg. Vnica*, Cod. *de vsucapione, leg. 3. ff. de vsucapionibus.* Et sic his nominibus, vt synonymis hoc puncto agemus. Usucapio ergo, vel præscriptio, *dict. leg. 3.* diffinitur, quod est: *Acquisitio dominij, & juris alieni peremptio cum continuatione possessionis tempore à lege præscripto.*

Beneficium præscriptionis quare sit concessum?

100 Beneficium præscriptionis, per quam à pristino domino jus aufertur, alterique adjudicatur, introductum est à republica, vel eius Principibus in bonum publicum. Potest enim respublica per leges justas aliquorum dominia in alios tranferre, quando id bono publico congruere judicaverit. Hoc enim onere, vel sub hac conditione in generali divisione rerum bona vnicuique adjudicata esse censentur. Convenit autem bono communi aliena bona per præscriptionem aliquibus concedere (servatis conditionibus à jure requisitis) ne passim longo tempore dominia rerum confusa, vel incerta essent; ne lites protraherentur, ne possessores rem possessam per multum tempus amittere cogantur, ne homines segnes, & negligentes essent in rebus, & juribus suis conservandis. Quæ omnia colliguntur ex leg. *Ut perfectius*, Cod. *de annali exceptione*, leg. *Cum notissimi*, Cod. *de præscriptionibus*, cap. *Vigilanti, de præscriptionib.* & alijs juribus.

§. I.

De quatuor conditionibus, quæ ad legitimam præscriptionem requiruntur.

Quæ possessio ad præscriptionem requiratur?

101 AD præscriptionem, vel vsucapionem quatuor conditiones in jure assignantur: possessio, titulus, bona fides, continuatio possessionis cum prædicta bona fide tempore à lege præscripto. De his singillatim modò agemus. Requiritur primò possessio. Hanc autem ad præscriptionem requiri, constat ex *regul. Sine possessione, de regulis juris in 6.* ibi: *Sine possessione præscriptio non procedit*, & non vtcumque debet res possideri à præscribente, sed nomine proprio, & vt suam eam habere debet. Cæterùm, quia possessionem diximus capite præcedenti aliam esse civilem, aliam naturalem, aliam mixtam ex civili, & naturali, hæc vltima ad præscriptionem aptior est, secunda non sufficit, & prima sufficiens est. Non enim sufficit aliquam rem actu retinere, nisi etiam animo illam habendi, vt suam, eam apud se habeat. Sufficit autem civilis possessio, imò hinc civilis dicitur, quia hunc effectum civilem præscriptionis causat.

De illis, qui præscribere nõ possunt.

102 Hinc fit, loca sacra, decimas, & jurisdictionem spiritualem non posse præscribi à laicis: quia hæc possidendi civiliter sunt incapaces, cùm jus resistat ipsis. Similiter religiosus præscribere non potest: quia nihil nomine suo, & vt suum potest possidere. Nec similiter tutor, procurator, curator præscribere possunt contra bona minoris, aut pupilli, quia ea non possident nomine proprio. Nec denique fructuarius, colonus, emphyteuta, feudatarius, conductor, pignorator possunt rei proprietatem præscribere: quia illam possident solùm naturaliter, & dominus directus civiliter. Imò potiùs nec naturaliter possident eam nomine proprio, sed nomine illius, qui directum dominium eius habet. Poterunt tamen quoad dominium vtile, seu quoad fructus, & commoda præscribere, quia illorum civilem possessionem habent. Lessius *libr. 2. capitul. 6. numer. 6.* Palaus *disput. vnica, punct. 22. §. 4. numer. 4.* Lugo

*disp.7.sect.2.num.*13. Dicastill. *lib.2.tract.1.disp.1.à num.*172.

De titulo requisito ad præscriptionem.

103 Secunda conditio, quæ requiritur ad præscriptionem, est titulus probabiliter præsumptus, vt si quis rem possideat ratione venditionis, donationis, successionis, legati. Constat hanc conditionem requiri ex cap. *Si diligenti, de præscription.* leg. *Celsus, ff. de vsucapionibus.* Et ratio est, quia sine titulo non potuit res ab initio fide bona possideri. Cùm ergo bona fides sit vna ex præcipuis conditionibus præscriptionis, sequitur regulariter sine titulo vsucapi non posse. Non autem requiritur, quòd titulus sit verus; sed sufficit, quod probabiliter putetur validus, & bona fide verus judicetur; quamvis reipsa invalidus sit, vt si à non potente vendere, rem emas, putans bona fide eum potestatem habere; vt si rem ecclesiæ emas ab Episcopo, qui non habet licentiam Capituli eam alienandi, judicans talem licentiam habere. Diximus *regulariter* titulum ad præscriptionem requiri: solùm enim requiritur ad præscriptionem, quæ fit tempore ordinario, vt per decem, vel viginti annos, aut infra; sed ad vsucapiendum tempore longiori, quod judicatur per triginta annos, vel tempore longissimo, nimirum centum annorum, titulus non requiritur: quia sæpè tituli obliviscimur, & inter res nostras plura habemus, quæ ignoramus, an emptione, venditione, vel hæreditate ea possideamus. Ita Bañez *præambulo ad quæst.62.de dominio, quæst.4.fol.mihi 169.column.2.* Tapia *lib.5. quæst.23.art.5.n.9.* Covar. *ad regul.possessor.2.part.§.5.&* 8. Palaus *punct.22.§.5. numer.6.* Lessius *supr.num.*8. Lugo *num.*15.

Tempus requisitum ad præscriptionem.

104 Circa tempus requisitum ad præscriptionem (quæ est alia illius conditio) longissimè abeunt Doctores. Nos brevitèr rem colligentes, dicimus, quòd ad præscriptionem ordinariam rerum immobilium requiruntur decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes. Ad vsucapionem, seu præscriptionem rerum mobilium tres anni inter præsentes sufficiunt, & quatuor inter absentes; & hoc sive sit respectu particularis hominis, sive etiam respectu bonorum mobilium ecclesiæ (dempta romana ecclesia) quia respectu harum rerum, vel actionum, quæ minori tempore, quàm decennio adversus privatos præscribuntur, ecclesia nullum habet privilegium, vt constat ex Authent. *Quas actiones*, Cod. *de sacrosanctis ecclesijs* (recepta *in cap. vltim.& penult. 16. quæst.* 3.) vbi dicitur: *Usucapione triennij, vel quadrienij præscriptione in suo robore durantibus, sola romana ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel privilegio.* Sic tenet Lessius *libr.2.capit.6. numer.*22. Palaus *supr. §.22.numer.*2. ¶ Ex quo fit primò, contra romanam ecclesiam præscribi non posse, sive in rebus mobilibus, sive in immobilibus, nisi post longissimum tempus, quod est centum annorum, vt habetur *dicta Authentica*, & capit. *Cùm à nobis* 14. *de præscriptionibus*: quibus locis generaliter absque distinctione mobilium, vel immobilium contra romanam ecclesiam non nisi centum annorum spatio præscriptionem locum habere dicitur. ¶ Fit secundò, contra alias ecclesias, hospitalia, aut pias causas vsucapi non posse res immobiles, nisi præscriptione extraordinaria, quæ fit per triginta annos inter præsentes, & quadraginta inter absentes, vt habetur *dicta Authentica*, & communiter Doctores tenent.

Contra pupillum nulla datur præscriptio.

105 Contra pupillum, quandiù in illa ætate perdurat, nulla datur præscriptio quocumque tempore, sive sit rerum mobilium, sive immobilium, quia sic in favorem ætatis pupillaris decisum est in jure, leg. *Sicut in rem*, Cod. *de præscriptione triginta annorum.* Si autem non sit pupillus, sed minor, id est, qui non habet 25. annos expletos, requiritur, & sufficit tempus extraordinarium ad præscribendum contra eum, vt est per triginta annos inter præsentes, & quadraginta inter absentes, *leg. vltim.* Cod. *in quibus causis.* ¶ Bona, quæ civitatibus legata, donata, vel vendita fuerunt, longissimum tempus, id est, centum annorum, requirunt, vt præscribi possint, vt probat Covar. *ad regulam possessor, 2.part. §. 2. numer. 9.* Layman *libr.3.section.5.tractat.1.capit.8. num.*13. Palaus *punct. 22. citato, §.12. numer.* 5. Lessius *libr. 2. capit.6. dub. 12. numer.* 4. ¶ Quibusdam autem monasterijs, & collegijs regularium concessum est, vt res immobiles non possint contra ipsos præscribi, nisi post sexaginta annos. Quod Eugenius IV. ordinis S. Benedicti indulsit, & Iulius II. Congregationi Salvatoris. Quod reliquis religionibus convenire, quæ cum eis communicant in privilegijs, testantur Lessius *num.*25. Laym. *num.*13. Palaus *num.*4.

Contra quos non datur præscriptio.

106 Sed, quia non solùm tempus à lege præscriptum ad vsucapionem necessarium esse diximus, sed debere bona fide, & titulo continuari, oportet scire posse præscriptionem interrumpi, & dormire, vt aiunt Iuristæ. Et quidem quoad titulum iam diximus non requiri in extraordinaria præscriptione, sed tantum in ordinaria. Quoad bonam fidem notandum est, quòd si ante tempus consummatum habeatur certa scientia rem esse alienam, interrumpitur bona fides per malam contrariam, atque adeò præscriptio interrumpitur, & cessat ille motus, qui ad acquisitionem dominij tendebat: & idem est, si possessio amittatur: & idem esse dicendum, si possessori moveatur lis, asserit Covar. *ad regul. possessor, part. 2. §. 12.* qui etiam *numer. 7.* dicit, quod si actor litem deferat, vel in ea succumbat, non censetur interrupta vsucapio. ¶ Etiam per dormitionem præscriptionem cursum interrumpere censetur. Tunc autem dormire dicitur, quando aliquod subest impedimentum, quo sublato, quasi expergefacta denuò currit, & lapsu prioris temporis continuatur. Ut tempore belli, & pestis, si jus non dicatur, si ecclesia careat Episcopo, vel Rectore, vel habeat quidem, sed inutilem ad agendum: vel si is, contra quem præscribitur, agere non possit, vt filius comparatione bonorum adventitiorum, vxor comparatione bonorum dotalium. Videatur Lessius *libr. 2. capit. 6. dub. 16.* Palaus *disput. vnica, punct. 22. §.16.* Sylvester, *verb. Præscriptio 1. quæst.9.*

Quomodo successor vti possit tẽporis accessione?

107 Sed hìc notandum est, quòd si possessor bonæ fidei aliquandiu possidens postea rem transferat in alterum bonam fidem habentem, hic posterior potest vti temporis accessione antecessoris sui, in vsucapiendo, leg. *Pomponius, §. Cùm quis, ff. de vsucapionibus.* Hac ratione successor in beneficio vti potest accessione temporis antecessorum suorum, vt ab aliqua conditione, seu onere in fundatione requisito liberetur, eamque libertatem eos bona fide possedisse in dubio præsumere potest, juxta *regulam* 14. *juris in 6. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignoran-*

rantiæ cauſam cenſetur habere. Et ſic in vniverſum præſcriptio currit, & non interrumpitur, quando poſſeſsio vnius tranſit denuò ad alterum, & completur, ſi, computato vtriuſque tempore, tantum ſit elapſum, quantum requiritur ad præſcriptionem, modò vterque poſſederit bona fide. Leg.*Unica*,Cod.*de vſucapion.*leg.*Dolia*,*§.Cùm quis, de contrahenda emption.* Palaus *§.16.num.9.* Leſsius *ſupr.num.43.*

Bona fides ex jure canonico ad præſcriptionem requiritur.

108 Ultima, & præcipua conditio, quæ ad præſcriptionem requiritur, eſt bona fides, qua quis ſibi prudenter perſuadet rem eſſe ſuam, vel ſaltem non eſſe alienam. Hæc conditio ex jure canonico requiritur omninò, quocumque tempore præſcriptio currat, quamvis ex jure civili petita non eſſet; ſed in hac parte correctum eſt jus civile per jus canonicum, vt conſtat ex cap. *Regula poſſeſſor 2. de regul.jur. in 6.* & ex cap.*Finali, de præſcriptionibus*, vbi Innocent. III. ita inquit: *Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali judicio diffinimus, vt nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica, quàm civilis; cum generaliter fit omni conſtitutioni, & conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari.* Unde oportet, vt qui præſcribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conſcientiam. Et quòd poſsit eccleſia, ſeu eius caput ſummus Pontifex leges civiles abrogare, quæ ſunt contra bonum ſpirituale fidelium,conſtat.Nam Principes fideles ſubjecti ſunt ſummo Pontifici, & poteſtas ſæcularis eccleſiaſticæ in ordine ad bonum ſpirituale fidelium: & ſic poteſt tollere leges iniquas, & injuſtas,quæ ſunt contra jus naturale,& bonum ſpirituale fidelium,vt ſunt illæ,quæ poſſeſſoribus malæ fidei permittebant præſcriptionem. Quandoquidem obſervari non poterant abſque peccato injuſtæ detentionis poſſeſſorum malæ fidei, erantque in perniciem boni communis,quoniam anſam præbebant,vt vnuſquiſque præſummeret occupare, furari, retinere res alienas,vt, tranſacto tempore, frueretur dominio illarum.

Mala fides ſolùm venialiter non impedit præſcriptionem.

109 Sed quia ſummus Pontifex in dicto cap. *Final.* aſſerit, *quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari*, manet ſoluta illa quæſtio, quam excitat Lugo; & à nullo excitatam eſſe,aſſerit *diſp.7.ſect.3. numer.36.*An nimirum bona fides requiſita ad præſcriptionem, ita debeat eſſe bona, vt nec venialiter ſit mala? Ad quam negativè optimè reſpondet cum Molina *diſputat. 64. §. Ad huius argumenti*; quia in jure canonico, per quod correctum fuit jus civile, ſolùm obſtare præſcriptioni, dicitur, mala fides, quæ eſt ex peccato mortali: ergo credulitas, qua quis ſibi perſuadet, rem eſſe ſuam, ſi ſolùm ſit parva ex levi culpa, non obſtabit præſcriptioni, quocumque tempore habeatur; nimirum, vel quando inchoatur præſcriptio, vel quando continuatur. Erit autem mala fides ſolùm venialiter, vel quando indeliberatè procederet, non curando an res eſſet ſua,an aliena. Vel ſi,de hoc dubitans, non adhiberet omnem diligentiam pro qualitate materiæ requiſitam. Si cum ignorantia facti culpabili proceſſerit, non tollitur. Igitur his, & ſimilibus caſibus ſic leviter delinquens perfruitur beneficio præſcriptionis, quia abſolutè bonam fidem habere dicitur, qui abſque mortali peccato in tali materia procedit.

*** ***)(?§?)(*** ***

§. II.

Circa bonam fidem requiſitam ad præſcriptionem aliquæ difficultates enodantur.

Poteſt in cõſcientia præſcribẽs rem alienam poſſidere.

110 PLurimas quæſtiones circa bonam fidem requiſitam ad præſcriptionem reperies doctiſsimè apud Auctores infra citandos enodatas. Sed quia plures ex illis deſerviunt pro foro externo,nobis, qui ad forum conſcientiæ inſtruendum attendimus, quatuor pro iſto foro ſcitu dignas reſolvere ſufficiat. Prima difficultas eſt, an præſcriptio, vel vſucapio, cum præfatis conditionibus non ſolùm præbeat verum jus, & dominium rei pro foro externo,ſed etiam in foro conſcientiæ: ita vt præſcribens bona fide vti poſsit re vſucapta, etiamſi tranſacto tempore præſcriptionis rem eſſe alienam ſciat,& non teneatur priori domino aliquid reſtituere?Reſpondetur poſſe in conſcientia, qui præſcripſit conditionibus aſsignatis rem, vt ſuam, poſsidere, verumque dominium illius acquirere, nec teneri aliquid domino priori reſtituere: niſi prior dominus per Iudicem reſtituatur in integrum, de quo ſtatim. Probatur ratione, qua vtitur Bañez. Quia leges ſanctæ, & juſtæ, ſicut impedire poſſunt translationem dominij in alios, etiam invitis proprijs dominis, ita poſſunt dominia aliquorum in alios transferre,illis invitis,quando id bono communi judicatur conveniens; ſed expedit bono communi, vt præſcriptio legitima dominium conferat in vtroque foro, ne rerum dominia diutiſsimè maneant incerta, ne res omninò pereant, nemine procurante: quod vtique accideret, ſi poſsidens bonæ fide non ſperaret dominium: ne lites ſemper perdurent, ne conſcientiæ ſcrupulis angantur: & aliàs vero domino, ſi negligens non ſit, datur ſufficiens tempus, vt rem ſuam recuperare procuret: ergo etiam in foro conſcientiæ conferunt verum dominium, & conſequenter ab antiquo poſſeſſore dominium auferunt.Sic Div.Thomas *quodlib.12. artic.24.* Bañez *prælud.ad quæſt.62.de domin.quæſt.4.concl.2.*Tapia *lib.5.q.23.art.5.numer.8.*Leſsius *lib.2. capit.6.dub. 17.*Covar.*ad regul.poſſeſſor, part.3.§.2.num.3.*Sot. *lib.4.de juſtit.q.5. art.4.* Palaus *diſp.vnic.punct.22. §.2.num.2.*Lugo *diſp.7.ſect.1. numer.5.* & eſt communis.

Ampliatio præcedentis doctrinæ.

111 Intelligenda eſt præcedens reſolutio,tam in vſucapione rerum mobilium, quàm præſcriptione immobilium, tam circa præſcriptionem dominij vtilis, quàm directi: quia leges indiſtinctè loquuntur. ¶ Intelligenda etiam eſt, non ſolùm, quando domini prioris interceſsit negligentia in ſua re recuperanda; ſed etiam quando conſtat, nullam interceſsiſſe: quia leges præſcriptionis nunquam meminerunt eam ſtatui in pœnam negligentiæ dominorũ,ſed ob bonum publicum. *Leg.1.ff.de vſucapionibus*, ibi: *Bono publico introducta eſt vſucapio, ne diu, & ferè ſemper incerta eſſent rerum dominia, & leg.vlt.ff. pro ſuo*, conceſſa dicitur præſcriptio,vt aliquando lites finirentur.Idem habetur cap.*Vigilanti,de præſcript.*

Quibus detur reſtitutio in integrũ?

112 Sed quia diximus in aſsertione: *Niſi prior dominus per Iudicem reſtituatur in integrum*, notandum eſt, hoc remedium reſtitutionis in integrum

grum aliquibus in jure concedi, vtpotè minoribus viginti quinque annorum; quod beneficium quadriennio durat, computando à die præscriptionis completæ, & à minoribus cognitæ. Aliter enim non possent vti beneficio restitutionis in integrum, nisi esset habile tempus illud restitutionis. Et hæc restitutio locum habet etiam in præscriptione quadraginta annorum, etiamsi ipsi negligentes fuerint in impedienda præscriptione, semper jus enim ob debilem eorum ætatem præsumit negligentes futuros in suarum rerum administratione. Ob quam rationem hoc beneficium restitutionis authoritate Iudicis factæ concessit, *cap. 1. de restitutionibus in 6. leg. vlt.* Cod. *de temporibus integræ restitut. leg. vnic.* Cod. *si adversus vsucapionem.* Quod beneficium eodem modo, ac minoribus concessum est ecclesijs, hospitalibus, monasterijs, alijsque pijs causis, quia funguntur eorum privilegijs, & sunt instar minoris, vel etiam pupilli, *cap. 1. & 2. de restit. in integrum in 6.* & docet Covarr. *ad regulam possessor. part. 3. §. vlt. numer. 3. & 4.* Lessius *lib. 2. cap. 6. numer. 52.* Palaus *disput. vnic. punct. 22. §. 17. num. 1.* Maioribus autem conceditur hoc beneficium in præscriptione decem, vel viginti annorum, dummodò probent non fuisse negligentes in movendo litem adversus præscriptionem, vt eam impedirent, vel quia infirmi, vel quia absentes causa reipublicæ, studiorum, vel peregrinationis; vel quia captivi, aliove legitimo impedimento detenti. Quid autem circa præscriptionem triginta, vel quadraginta annorum sentiendum sit? Videantur Covarr. Lessius, & Palaus *loc. citatis.*

Qui dubitat prudenter, an res sit sua, inchoare non potest præscriptionem, potest cõtinuare.

113 Secunda difficultas est, an qui cum dubio rem incepit possidere, dicatur malam fidem habere, qua impediatur præscriptio? Vel si post inceptam præscriptionem bona fide, & absque dubio, posteà suboriatur dubium, sitne res sua, vel non? interrumpatur vsucapio? Et loquimur de dubio prudenti, & rationabili; non de illo, qui levibus nititur fundamentis, & scrupulis. Hoc enim non impedire bonam fidem, nec eam interrumpere, sive ab initio, sive posteà consurgat, constans est omnium judicium; sed deponendum est practicè consilio Confessoris, aut viri docti, & eodem modo curret præscriptio, ac si tale dubium non esset. Loquendo ergo de dubio prudenti, & rationabili, dicendum est, quòd quicumque dubio incepit possidere, non est possessor bonæ fidei, nec potest ea possessione præscribere, donec legitimè deponat dubium, & tunc incipiet currere tempus vsucapionis. Si tamen hoc superveniat possessioni, quam bona fide inchoaverat, dummodò debitam adhibeat diligentiam dubium repellendi, non interrumpit præscriptionem, nec motum, quo tendit ad dominium acquirendum. Habetur vtraque pars cap. *Final. de præscriptionibus*, cap. *Si virgo 34. quæst. 2.* vbi ad inchoandam possessionem prærequiritur bona fides excludens omne dubium. Ad eam verò continuandam solùm requiritur, quòd absit mala fides, scilicèt scientia rei alienæ: hanc autem scientiam non habet qui dubitatione laborat: ergo, &c.

Præcedens resolutio probatur.

114 Deinde probatur vtraque pars assertionis ratione. Quia in casu dubio nemo tenetur rem possessam à se abdicare (cùm in dubijs melior sit conditio, possidentis) ergo procedit bona fide eam, vt suam possidendo, si debitam diligentiam adhibeat ad quærendam veritatem; econtrà verò, qui cum dubio, ante, vel post diligentiam exhibitã ad illud vincendum, incepit rem alienam possidere, non agit bona fide, sed mala, & peccat exponendo se periculo tollendi rem alienam: igitur in hoc casu deficit fides bona requisita ad præscriptionem, & in illo datur; & sic non in hoc, sed in illo interrumpitur præscriptio. Quare in foro exteriori proculdubiò judicabitur in favorem eius, qui bona fide inchoavit possessionem, licèt posteà dubium consurgat. E contrà verò contra eum judicabitur, qui cum dubitatione vsucapionem incepit, vt probat optimè Bañez. Cùm ergo forum conscientiæ debeat conformari foro exteriori, nisi falsa procedat præsumptione, sequitur in foro conscientiæ ita judicandum esse, vt diximus. Quam assertionem quoad vtramque partem tenent Bañez *præamb. ad q. 62. de dominio, dub. vltim. pag. mihi* 171. Sanch. *lib. 2. de Matrimon. disput.* 41. Palaus *punct. 22. §. 7. numer. 1. & 2.* Tapia *lib. 5. quæst. 23. art. 6. numer. 2. & 3.* Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 3. numer. 13.* Lugo *disp. 7. sect. 3. num. 17.* Layman *lib. 3. sect. 5. tractat. 1. cap. 8. num. 10.*

Ignorantia facti nõ impedit præscriptionẽ.

115 Tertia difficultas est, an salvetur bona fides requisita ad præscriptionem cum ignorantia juris, vel facti? Loquimur autem de inculpabili ignorantia: nam ignorantia graviter culpabilis, sive juris, sive facti, cum bona fide non cohæret, vt manifestè constat. Loquimur etiam de jure certo: nam si jus fuerit dubium, quia vtriumque dantur opiniones de illo, errorem illius non impedire præscriptionem, est valdè commune apud Authores: quia tunc prudenter, & sic bona fide, procedit, qui cuilibet ex illis opinionibus accommodatur. Præterea, quia beneficium præscriptionis solùm ex jure positivo habetur: ergò eo modo quo jus concedit præscriptionem, accipienda est; sed jus solùm excludit ab ea ignorantiam juris clari, non verò dubij, cap. *Cùm dilectus, de consuetudine*, leg. *Quemadmodum*, Cod. *de agricolis*: ergo, &c. Et ex hac ratione etiam est indubitatum apud omnes, errorem, vel ignorantiam facti, non impedire præscriptionem: quia jura solùm ab ea excludunt ignorantiam juris, vt constabit ex infrà adducendis. Et ideò in leg. *Iuris 4. ff. de juris, & facti ignorantia*, dicitur: *Iuris ignorantia in vsucapionibus negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* Et meritò, quia ferè nunquam datur præscriptio absque tali ignorantia: quia saltem absque ignorantia facti bona fides haberi non potest, v.g. tibi vendidit Petrus equum, quem iniquè possidet, si putares ipsum posse vendere rem, vt suam, haberes ignorantiam juris: si autem judicares illum esse suum, vt sic emeres, haberes facti ignorantiam. Tibi rem largitur pupillus, si judicares ipsum posse rem alienare, juris laborares ignorantia: si tamen nescires illum esse pupillum, haberes ignorantiam facti. Vendidit tibi Prælatus rem immobilem ecclesiæ, si putares ipsum de consensu Capituli procedere, haberes ignorantiam facti: si sciens absque tali consensu procedere, & rem posse alienare absque illo judicares, juris ignorantiam haberes: & sic de alijs. Præsens ergo difficultas solùm procedit, an ignorantia inculpabilis juris clari impediat præscriptionem?

116 Prima sententia asserit, ignorantiam juris clari impedire omninò præscriptionem, tam in foro externo, quàm in foro conscientiæ. Et mo-

Iuris clari ignorantiã impedire præscriptionem, aliqui tenẽt.

movetur hoc fundamento: quia beneficium præscriptionis solùm habetur ex jure positivo; sed in jure expresse habetur, ignorantiam juris præscriptioni minimè prodesse, vt constat ex citata leg. *Iuris* 4. *ff. de juris, & facti ignorantia*, & ex leg. *Nunquam* 31. *ff. de vsucapionibus*, ibi: *Nunquam in vsucapionibus juris error possessoribus prodest.* Idem habetur leg. *Error* 8. *ff. de juris, & facti ignorantia*: ergo dicendum est cum tali errore non procedere præscriptionem. Sic tenent Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 5. *n.* 14. Covarr. *ad regul. possessor, p.* 2. §. 7. *n.* 6. Palaus *disp. vnic. punct.* 22. §. 8. *n.* 2. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tractat.* 1. *cap.* 8. *n.* 12. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 1. *disput.* 1. *num.* 200.

Præcedens sententia limitatur.

117 Triplicem tamen adhibent huic sententiæ prædicti Authores limitationem. Prima, vt non procedat in militibus, minoribus, rusticis, & mulieribus, in quibus talis error toleratur, si aliquam in investiganda veritate adhibuerint diligentiam, quia in eis non præsumitur mala fides, etiamsi cum errore juris clari procedant. Secunda, vt non procedat in præscriptionibus, quæ absque titulo possunt perfici, vt est præscriptio triginta annorum, quia jura solùm loquuntur de ordinaria præscriptione. Tertia, quòd talis ignorantia juris clari non officiat ad præscribendos fructus ex re possessos; vt si vineam cum ignorantia juris accipias, dicunt talem ignorantiam obesse ad præscribendam vineam, non ad præscribendos fructus eius, quia hic error circa fructus videtur error facti, putat enim possessor eos ex re sua percipere. Sic Lessius, Palaus, Covarr. & Sanch. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 23. *num.* 163. ¶ Sed (quidquid sit de prima, & secunda limitatione) hæc tertia nobis displicèt (supposita hac sententia) quia impossibilis est ignorantia juris circa vineam, & non circa fructus eius. Eatenùs enim circa vineam ignorantia juris datur, quatenus putat potuisse, v. g. pupillum eam vendere absque licentia tutoris, in quo errat circa jus; sed etiam errat circa jus, putando quòd fructus vineæ, quam sibi vendiderat pupillus, possunt esse sui: ergo, &c. Et certè impossibile videtur esse malam conscientiam circa vineam, & bonam circa fructus eius: & sic non potuit jus præsumere malam fidem circa rem, & non præsumere malam circa fructus rei. Unde si ob malam conscientiam præsumptam per errorem juris circa rem, dicit, talem errorem non prodesse præscriptioni, idem dicendum est circa fructus.

Probabile est ignorantiã juris præscriptionem non impedire.

118 Secunda sententia asserit, ignorantiam inculpatam juris clari non obesse præscriptioni in foro conscientiæ: & hæc sententia est satis probabilis, quam non improbabilem dicit Lessius suprà, & probabilem asserit Covarr. *numer.* 8. & esse satis probabilem docet Palaus *numer.* 7. quam latè, vt probabilem, probat Lugo *disput.* 7. *section.* 3. *numer.* 32. & eam primus omnium docuerat Medina, Cod. *de restitut. quæst.* 17. §. *Ante penultim.* Et probatur, quia ideò leges dicunt, non præscribi cum ignorantia juris clari, quia non præsumunt bonam fidem habere, qui cum tali ignorantia procedit; &, ne detur locus fallacijs in foro exteriori, talem ignorantiam non admittendam asserunt in illo; sed quando forum externum nititur falsæ præsumptioni, non tenetur forum conscientiæ illi conformari: ergo, si in foro conscientiæ constet nullam subesse fallaciam, & cum ignorantia juris invincibili verè processisse, talis ignorantia non obest vsucapioni. ¶ Et confirmatur, quia ideò asserit contraria sententia in militibus, rusticis, minoribus, & mulieribus talem ignorantiam non obesse præscriptioni, quia in eis non præsumitur mala fides: ergo ideò in alijs obest, quia præsumitur: ergo, si verè non datur mala fides, poterunt cum tali errore præscribere. Et ex his constat ad fundamentum contrarium.

Quomodo mala fides auctoris obstet successori?

119 Quarta difficultas est, quomodo mala fides Authoris noceat bonæ fidei successori, quominùs rem alienam vsucapere possit? v. g. recipis bona fide per emptionem, venditionem, legatum, hæreditatem, aliove titulo honesto rem à fure, vel ab alio, qui eam mala fide possidebat: quomodo illa mala fides Authoris tibi obstare poterit quominus res præscribere possis? Dicendum est primò, hæredem latronis, vel alterius, qui mala fide rem possedit, qui bona fide succedit in defuncti hæreditatem, non posse illam præscribere tempore ordinario, nimirùm per tres, aut quatuor annos, si fuerit mobilis, vel per decem, aut viginti, si fuerit immobilis; posse tamen tempore extraordinario, nimirùm triginta, vel quadraginta annorum spatio. Prima pars probatur primò, quia hæres personam defuncti refert, eiusque possessio fictione juris eadem est cum defuncti possessione; sed hæc infecta erat per malam fidem: ergo etiam illa mala fide fictione juris infecta censetur: ergo non potest deservire ordinariæ præscriptioni. Secundò, quia licèt talis hæres bonam fidem habeat, non habet verum titulum, vt constat, nec etiam præsumptum: quia leges de præscriptione expresse asserunt non habere titulum: ergo non habet illum lege præsumptum. Minor constat ex leg. *Cum hæres*, *ff. de diversis temporis præscriptionibus*, *leg. vlt.* Cod. *de vsucapionib.* Sed ad ordinariam præscriptionem titulus requiritur verus, vel præsumptus, vt diximus *n.* 103. ergo talis per præscriptionem ordinariam rem vsucapere non potest.

Explicatur præcedens assertio.

120 Hinc patet probatio secundæ partis. Quia ad præscrionem extraordinariam non requiritur titulus, nec verus, nec præsumptus, sed sufficit, vt diximus *loco citato*, bona fides; sed fictione juris in tali hærede datur mala fides, quia non datur titulus in eo: ergo non fingitur talis mala fides in ordine ad præscriptionem, quam absque titulo habere potest. Et colligitur hæc secunda pars assertionis ex leg. *Omnes*, Cod. *de præscript. trigint. vel quadrag. annor.* leg. *Si aliena*, *ff. de vsucapionibus.* Et per has leges explicatur textus in §. *Quod autem*, §. *Furtiva*, Institut. *de vsucapionibus*, vbi dicitur: *Furtiva res, & quæ vi possessæ sunt, etiamsi longo tempore possessæ fuerint, vsucapi non possunt.* Intelligitur enim, vel de vsucapione facta ab ipso Auctore, vel fure: aut si de facta ab hærede intelligatur, explicandus est de longo tempore, quod modo ordinario ad vsucapionem requiratur. Utramque partem assertionis tenet Bañez *citato prælud. ad quæst.* 62. *de dominio*, *quæst.* 4. *fol. mihi* 169. Lessius alijs relatis, *libr.* 2. *cap.* 6. *numer.* 42. Vazquez *lib.* 2. *controv. illustr. cap.* 75. quem citat Palaus *punct.* 22. §. 9. *numer.* 1. licèt ipse *num.* 2. *fine*, quoad primam partem à communi sententia recedere videatur.

Duplex limitatio doctrinæ datæ.

121 Limitatur prima pars assertionis. Primò, quod tam hæres latronis, vel alterius malæ fidei possessoris, quàm ab illo rem emens, vel recipiens

piens, si bonâ fide possideant, præscribant, & vsucapiant fructus rei possessæ, etiam vsitato tempore, leg. *Bonæ fidei, ff. de acquirendo rerum dominio*, ibi: *Illi, qui non possunt vsucapere propter rei vitium, fructus suos faciunt*, leg. *Si aliena, ff. de vsucapionibus*. Bañez suprà, Sylvester, & Covarr. ab ipso citati. ¶ Secunda limitatio est, quòd quando dicitur hæredem malæ fidei possessoris non posse præscribere consueto tempore, intelligitur de hærede immediato, non verò de mediato hærede, id est, de hærede huius hæredis, quia si hic bona fide procedat, potest vsucapere tempore ordinario, quia illa fictio juris de mala fide non extenditur ad secundum hæredem, quia jura nunquam ex eadem causa duas fictiones ponunt. Undè quamvis mala fides defuncti in hærede pariat malam fidem fictione juris introductam, non in alijs successoribus. Et multò magis id verum est de legatario, & emptore, qui non referunt personam sui Auctoris. Undè si hæres defuncti rem, quam hæreditate accepit, alteri vendat, vel donet, hic, si bona fide procedat, illam tempore ordinario vsucapere potest. *§. Sed tamen*, Institut. *de vsucapionib.* Less. *n.* 43. Palaus *n.* 5.

Quomodo qui rem accepit à possessore malæ fidei, præscribere possit?

122 Dicendum est secundò, quòd qui titulo legati, donationis, emptionis, vel alio titulo (excepto hereditario, de quo iam diximus) rem accipit bona fide ab Auctore malæ fidei, tempore ordinario potest eam præscribere (cum duabus limitationibus infrà apponendis) non vtendo temporis accessione, quo à primo fuerat possessa, sed à tempore, quo eam bona fide recepit, incipiendo computare tempus. Ut si emas rem inventam ab alio, qui eam mala fide possidebat, si eam bona fide emas, potes ipsam vsucapere per decem, aut viginti annos trãsactos à tempore, quo eam emisti. Leg. *An vitium, ff. de diversis temporalibus præscript.* vbi dicitur: *Vitium Auctoris non obesse emptori, vel legatario.* Covarr. *ad reg. possessor. 2. part. §. 9. num. 7.* Less. *lib. 2. cap. 6. numer. 44.* Palaus *punct. 22. §. 9. num. 7.* ¶ Prima limitatio est, quando res est immobilis, & si contra quem præscriptio fit, ignorat eam ab alio possideri, quia tunc requiritur triginta annorum spatium, Authentic. *Malæ fidei*, Cod. *de long. tempor. præscript.* Secùs verò, si sciat, & non se opponat, tunc enim præscribitur tempore ordinario. ¶ Secunda, quando res furtiva, aut violenter occupata fuit; tunc enim non potest præscribi tempore ordinario, nimirùm decem, aut viginti annis, quia res vitiosa erat, & ex dispositione juris transit ad emptorem cum vitio obsistenti ordinariæ præscriptioni. *§. Furtivæ*, Institut. *de vsucap.* Potest tamen ab emptore, vel legatario præscribi, si bona fide procedant spatio triginta annorum, ex leg. *Sicut in rem* 3. Cod. *de præscript. triginta, vel quadraginta annorum.* Si tamen tu, qui bona fide rem à latrone, vel qui vi eam ceperat, emisti, vel per legatum, aut donationem recepisti, alteri dones, vel leges, ille tempore ordinario potest præscribere, vt iam diximus.

PUNCTUM X.

Quarum habeant dominium filij-familiàs sub patria potestate constituti?

Quot sint bona filiorũ familiàs?

123 EGimus iam in communi de dominio, in hoc, & sequentibus duobus punctis, de aliquibus particularibus dominijs singularium personarum agemus; quorum scientia est magis ad praxim necessaria. Et primo loco de bonis filiorum-familiàs agimus, quorum notitia maximè conducit, vt sciamus, de quibus potest disponere absque consensu patris. Pro quo nota, bona filiorum-familiàs posse esse in quadruplici differentia, *Castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profectitia*, de quibus agemus hoc puncto. Sed primùs sciendum est, quid sit patria potestas, respectu quorum habeatur, quandiù duret, & ab illa filius liberetur.

§. I.

De patria potestate, ad quos pertineat, & quomodo dissolvatur?

Quid sit patria potestas

124 PAtria potestas est illud jus, quod habet pater in filios, & eorum bona, quæ non est inducta per jus naturale, aut divinum, sed solùm per civile; & sic per consuetudinem huic juri derogari potest, & de facto derogatum esse in Gallia, & Aragonia, vbi filij non sunt sub patria potestate, testatur Sanchez, alijs relatis, *tom. 1. consil. libr. 1. dub. 11. numer. 3.* Tres effectus habet hæc patria potestas. Primus, quòd ratione illius habet pater dominium, & proprietatem, ac vsumfructum in peculio filij profectitio, & vsumfructum in adventitio, vt postea dicemus. Secundus, quòd pater in castro obsessus potest impunè (non autem licitè) filium edere, ne fame pereat, *leg. 8. titul. 17. part. 4.* Tertius, potest pater filium vendere, vel oppignorare propter famis necessitatem, quam patitur, cui aliter consulere nequit (excipe, si filius sit Sacerdos, vel in sacris constitutus) *Leg. 2.* Cod. *de patribus qui, &c.* Et colligitur *ex lib. 2. Esdræ, cap. 5.* vbi dicitur: *Filij nostri, & filiæ multæ sunt nimis accipiamus pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus.* Cæterùm hoc privilegium non competit patri ob aliam quamcumque causam, quàm ob famis necessitatem, quia, cum res odiosa sit, ad alias causas extendenda non est præter illas, ob quas jus illam concessit. Covar. *3. variar. capit. 14. n. 4.* Sanch. *cons. lib. 1. capit. 1. dub. 13. n. 4.* Lugo *disput. 5. sect. 1. num. 4.*

Apud quos sit patria potestas?

125 Mater non habet filios sub sua potestate, etiam mortuo marito, quod est omnium sententia, nam expressè habetur *§. Fœminæ*, Institut. *de adoptionibus.* Et sic quæ ratione patriæ potestatis parenti convenire dixerimus, non habent locum respectu matris. Et hinc fit, quòd avi ex linea materna nepotes non habeant sub sua potestate, quia jus quod habent in nepotes, cum conveniat illis ratione matris, non potest esse maius illo, quo mater fungitur. At avi ex linea paterna, quam

quando pater eſt ſub ſui patris poteſtate, vel, dum obijt, erat,habent in nepotes patriam poteſtatem:& ſic natus ex patre conjugato, qui nondum eccleſiæ benedictiones (vulgò *velationes*) recepit, eſt ſub avi poteſtate: non ſi natus eſt poſt illas, quia iam pater per matrimonium, ſequutis velationibus, à patria poteſtate liberatur. ¶ Omnes filij legitimi ſub patria ſunt poteſtate;& etiam filij adoptati adoptione perfecta, nimirum arrogatione, quæ fit Principis auctoritate,*leg.2.§.final.ff. de adoptionib.* Filij autem illegitimi ſub patria poteſtate non ſunt: quia hæc patria poteſtas ſolùm ex eſt jure humano introducta, quòd duntaxat de filijs legitimo toro natis loquitur, vt probat Sanchez *conſ.lib. 1. cap. 1.dub. 12. num.6.* Lug.*ſupr.num. 2.* niſi legitimati ſint per matrimonium ſubſequens, vel per reſcriptum Principis: quod reſcriptum ad hunc effectum ſufficiens non eſt, niſi ipſe legitimatus conſentiat.

Quibus modis nó ſolvatur patria poteſtas?

126 Filia, aut filius non liberatur à patria poteſtate per ſolam ætatem, etiamſi ſenilem, & decrepitam attingat, quia jus inſtituit patriam poteſtatem in omnes filios legitimos, & non excepit ſenes: nec ratione militiæ, aut doctoratus filius à tali poteſtate eximitur ob eandem rationem: & probat Sanch.*ſupr.dub. 14.n. 8. & 9.* Qui etiam aſſerit, patrem etiam furioſum filios ſub ſua poteſtate continere, ex leg. *Patre furioſo, ff.de his, qui ſunt ſui juris.* Nec denique liberatur à patria poteſtate filius ob ſacros ordines, etiam ob ſacerdotium: quia hoc in jure non cavetur,quin potius oppoſitum colligitur ex ipſo: nam in cap.*Per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, vt quid ſpeciale ſancitur, quòd filius epiſcopatum nactus à patria poteſtate liberetur: in quo innuere videtur filium etiam Sacerdotem ante epiſcopatus adeptionem,liberum non eſſe ab ea.Et tenet Anton.Gomez *leg.48.Tauri, n. 7.* & Sanch.alijs relatis, *dub. 16.n. 2.*Licèt ſit probabile oppoſitum, quandoquidem dignitas ſacri ordinis dignior eſt dignitate ſæculari, quam ſtatim dicemus liberare à patria poteſtate.

Quibus modis patria poteſtas diſſolvatur?

127 Liberatur igitur filius à patria poteſtate primò per emancipationem, quæ fieri debet coram Iudice, comparentibus, & conſentientibus patre, & filio. Poteſt tamen pater cogi ad filium emancipandum,ſi in eius punitione nimis excedat; ſi filias proſtituat, vel ad peccatum carnale inducat; ſi acceptavit legatum relictum ea conditione, vt filium emancipet; & ipſe filius cogi poteſt ad conſentiendum emancipationi, ſi legatum, vel hæreditatem ſub conditione talis conſenſus acceptavit. Revocatur autem filius poſt emancipationem in patriam poteſtatem, quando non à lege,ſed ex gratuita patris voluntate emancipatus eſt, ſi ingratus exiſtat, injuriam patri verbis,aut factis irrogando,vti communiter Doctores aſſerunt.

Alij modi, quibus diſſolvitur patria poteſtas

128 Secundò liberatur filius à patria poteſtate per mortem naturalem, vel civilem patris. Dicitur autem mors civilis, cum quis in perpetuum exilium mittitur in locum determinatum, vel damnatur ad perpetuum carcerem, vel vt perpetuò in regijs operibus laboret; vel ſi eius bona ob crimen aliquod publicata ſunt. Si autem indulgentia Principis reſtituatur, redit patria poteſtas, ſicut antea, & à fortiori, ſi pater mortuus naturaliter, miraculosè reſurgeret. Mors etiam civilis eſt profeſsio in religione approbata; & ſic per profeſsionem patris ſolvitur patria poteſtas, & ſimiliter per profeſsionem filij, ob eandem rationem,& quia iam filius eſt ſub Prælati poteſtate. ¶ Tertiò ſolvitur patria poteſtas ratione dignitatis magnæ, quam filius ſortitur:vt ſi fiat Epiſcopus, vel Cardinalis; ſi fiat Præfectus vrbis, quæ eſt caput regni, ſi Regis Conſiliarius, ſi fiat Magiſter militum, vt *Alferez Mayor, Maeſtre de Campo*, & alijs, quas numerat Sanch. *conſ. lib.1.dub.14.* ¶ Et quamvis ſecundùm jus cõmune matrimonium non liberet filium, aut filiam à patria poteſtate, benè tamen ſecundùm jus novum hiſpanum poſt contractum matrimonium, & velationibus ſequutis,ex leg.47.*Tauri,& tit.1.lib.5.ordinamenti*, & tenent Sanch.& Lug.*loc.cit.*

§. II.

De bonis Caſtrenſibus, quaſi Caſtrenſibus, Adventitijs, & Profectitijs filiorum-familiàs.

Quæ ſint bona caſtrenſia?

129 EXplicato iam quid ſit patria poteſtas, veniamus ad peculia, quæ poteſt filius habere; cum eſt ſub patria poteſtate. Hæc bona ſunt in quadruplici differentia in titulo propoſita, quæ ſuo ordine explicabimus. Bona igitur caſtrenſia à caſtris dicuntur, quia ſunt illa, quæ ratione belli conveniunt filio; ſive bellum per mare geratur, ſive per terram: & ſunt illud peculium, quod à filio acquiritur: vt ſtipendium, præmium, vel ratione prædæ, vel ob cuſtodiam loci bello deſtinati, ſive ingruat bellum, ſive non; hæreditas occaſione militiæ relicta, bona mobilia, quæ à parentibus, vel alijs extraneis eunti ad bellum donantur. Etiam inter bona caſtrenſia computantur, quæ acquiruntur ratione officij ad bellum neceſſarij, ſive per mare, ſive per terram: & etiam donata à parentibus, vel alijs extraneis filijs, vt perſonæ regiæ obſequantur, vel acquiſita in palatio Regis, Reginæ, Principis,aut alterius ſimilis perſonæ obſequium. Ac denique inter bona caſtrenſia computanda ſunt, quæ comparantur (ſive per negotiationem, ludum, vel alia ratione) peculio caſtrenſi, quia nimirum quæcumque bona acquiſita computantur inter illa,ratione quorum adepta ſunt. Leſius *lib. 2. cap. 4. dub. 3. n. 7.*Palaus *diſp. vnic.de juſt. in gener. punct.7.§.1.n. 1.fin.* Molin.*de juſt. tract.2.diſp.230.fin.*Lug *diſp. 5.ſect.2.n.15.*

Quæ ſint bona quaſi caſtrenſia?

130 Bona quaſi caſtrenſia ſunt illa, quæ filius ratione alicuius officij publici acquirit, propter quod ſtipendium publicum habet. Hæc enim funguntur privilegio bonorum caſtrenſium, eò quòd in militia quadam ſpirituali, vel politica comparata ſunt, & ob id bona quaſi caſtrenſia nuncupantur: & ſunt illa quæ occaſione officij publici à filio-familiàs quomodolibet acquiruntur, nimirum ratione officij Advocati, tabellionis, medici, procuratoris, Lectoris cuiuſcumque facultatis, executoris artium liberalium, non mechanicarum; licèt talia bona non habeat ex publico ſtipendio, ſed accepta à privatis perſonis pro exercitio talium munerum, quia privatum illud ſtipendium loco publici ſtipendij ſuccedit:& etiam quæcumque dantur ad exercenda prædicta munera,vt libri conceſsi filio Advocato & equus medico ad inviſendos infirmos.

131 Etiam computantur inter bona quaſi caſtrenſia quæcumque ab Imperatore, Imperatrice, Rege,

Alia, quæ inter bona quasi castrēsia computantur.

Rege, Regina, aut Principe, filiofamiliàs donantur, etiamsi sit intuitu patris (ob quod videbatur inter profectitia fore computanda) *leg. Cum multa, Cod. de bonis, quæ liberis*, & docent Montal. *lib. 3. for. tit. 4. leg. 7. vers. O que le dè.* Sanch. *lib. 1. cap. 2. dub. 3. n. 13.* Lug. *disp. 5. sect. 2. n. 19.* ¶ Similitèr quod filiofamiliàs datur, vel legatur, vt sit tanquam castrense, seu vt ipse tantum, non pater, habeat illius vsumfructum. ¶ Ac denique omnia bona ex officio, vel beneficio ecclesiastico acquisita, & quæ filiusfamilias clericali privilegio gaudens quomolibet acquirit, etiamsi aliàs essent adventitia. *Authentica Presbyteros, C. de Episcopis, & clericis*; & patrimonium ab alijs, quàm à parentibus constitutum in titulum, ad suscipiendos ordines sacros.

Quæ sint bona adventitia?

132 Adventitia dicuntur quæcumque bona, quæ cum non sint castrensia, aut quasi castrensia, adveniunt filio, non à patre, vel intuitu illius (vt sic enim sunt profectitia) sed vel jure hæreditatis, vel pro labore, legatione, industria, legato, negotiatione, sive casu ea reperiat, vt si thesaurum inveniret, sive pecunia mutuo, vel furto accepta aliquid lucraretur. Etiam sunt bona adventitia illa, quæ ex matris, aut avorum maternorum successione acquirit, & etiam quæ ab avis paternis de tertio, & quarto bonorum filio relinquitur. Ac denique donata à filio per patrem, quando in meritorum remunerationem largiuntur, quæ si extraneus fecisset simili modo remunerarentur, quia talis non est donatio simplex, sed remuneratoria. Quando nulla filij præcesserunt merita sunt profectitia. Cæterùm jure regni, *leg. 26. Tauri*, talis donatio valet, & erit peculium adventitium, dummodò tertium, & quintum bonorum patris non excedat, & tunc non computabitur in legitima, sed in ea censebitur filius melioratus. Anton. Gom. *lib. 29. Tauri, n. 29.* Sanch. *lib. 1. cap. 2. dub. 4. n. 4.*

Quæ sint bona profectitia?

133 Bona profectitia sunt illa, quæ à patrè filio proficiscuntur, vel immediatè, & primario, intuitu, & occasione patris conceduntur (excipe quæ donantur à patre filio eunti ad bellum, vel ad obsequendum in palatio Regi, vel Reginæ, vel pro addiscendis literis, & illarum exercitio conceduntur, quia hæc inter castrensia, vel quasi castrensia computantur, vt dictum est.) Illa verò, quæ non primario, & immediatè intuitu patris ab alijs conceduntur ob filij obsequia, vel alia ratione, etiamsi cooperatus fuerit patris intuitus, non computantur inter bona profectitia, sed adventitia, vt tradit Sanch. *supr. cap. 2. dub. 7. n. 3.* Palaus *punct. 7. §. 1. n. 4.* Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 3. n. 7.* Dicta autem bona profectitia sunt, si filius est sub patria potestate. Si tamen emancipatus fuerit, etiamsi intuitu patris conferantur, non censentur concessa filio, vt pater ea acquirat: & sic non sunt profectitia, leg. *Adhuc, ff. de usufructu.*

Filius bonorum castrēsium, aut quasi castrēsium dominium habet

134 His sic statutis, primò dicimus, quòd respectu bonorum castrensium, aut quasi castrensium filius (etiamsi sit sub patria potestate) habet plenum dominium, vtile, & directum; & sic non solùm proprietatem, sed vsufructum, & administrationem, eaque distrahere potest quomodo voluerit, de eisque disponere, seu per donationem, contractum, vel testamentum, vel alio modo, ac si esset paterfamiliàs, *toto titulo de castrensi peculio, in ff. & C. & leg. 6. tit. 17. p. 4.* Sed hoc intelligendum est, si filius nactus fuerit pubertatem: nam ante decimumquartum annum, etsi proprietatem, & vsumfructum dictorum bonorum obtineat, non tamen administrationem, quæ est apud patrem, vel tutorem, & sic absque eorum consensu ea alienare non potest, *§. Pupil. Inst. de inutil. stipulat.*

In bonis adventitijs quis dominium habeat?

135 Dicimus secundò, quod in bonis adventitijs filius habet dominium directum, vel proprietatem, non vsumfructum, vel administrationem; quæ sunt apud patrem, *§. Igitur, Instit. per quas personas, leg. Quacumque, leg. Cum oportet, C. de bonis, quæ liberis*, & jure regni *leg. 5. tit. 17. p. 4.* Dantur tamen aliqui casus, in quibus adventitiorum vsusfructus est apud filium, non apud patrem. Primus, si pater cedat vsumfructum filio; & tunc non tenetur eum computare in partitione legitimæ cum alijs fratribus, nec eum ad partitionem adducere, quia est acceptus ex bonis filij, non donatus à patre de suis bonis. Sanch. *lib. 1. consil. cap. 2. dub. 11. n. 3.* Lug. *disp. 5. sect. 2. n. 3.* Lesius *lib. 2. cap. 4. dub. 3. n. 9.* Secundus si filio aliqui donetur, aut ex testamento relinquatur cum hac conditione, vt ipse, non pater, habeat vsumfructum. Authentic. *Vt liceat matri, collat. 8. C. de bonis, quæ liberis*: quia voluntas disponentis servanda est. Sed hoc intelligitur, nisi illius rei sit hæres necessarius, quia tunc non à testatore, sed à lege conceditur successio, & sic non potest testator patrem privare jure sibi aliàs competenti. Sanch. *dub. 16. n. 2.* Palaus *disp. vnic. de justit. in gener. punct. 7. §. 1. n. 7.* Tertius si filio aliquid donetur, patre renuente; tunc si illud filius admittat, fruitur illius vsufructu, quia non est justum, patrem recipere fructum ex bonis, quibus contradixit. Lesius *n. 9.* Sanch. *n. 7.* Lugo *n. 23.* Alij casus apud prædictos Auctores videri poterunt. In his igitur, & similibus filius omninò recipit vsumfructum bonorum adventitiorum, eorumque commoditatem, & non solùm jus ad illa, vt aliqui perperam dicunt.

Quis in bonis profectitijs habeat dominium?

136 Circa bona profectitia pater habet plenum dominium, ideſt tàm proprietatem, quàm vsumfructum, & administrationem, *leg. Cum oportet, C. de bonis, quæ liberis, §. Igitur*, Instit. *per quas personas*, &c. Vnde si ex his bonis aliquid filius detrahat, peccat juxta gravitatem materiæ, teneturque restituere, vel illud ad partitionem cum cæteris fratribus adducere. Vnde hoc peculium profectitium ad hunc effectum duntaxat filio proficit, ne publicentur talia bona apud patrem existentia, casu quo bona patris ob aliquod delictum publicentur, *leg. 3. §. Sed vtrum, ff. de minoribus*, Covarr. 2. *variar. cap. 6. n. 7.* Sanch. *tom. 1. consil. lib. 1. cap. 2. dub. 1. n. 4.* ¶ Excipe ab hac generali doctrina patrimonium constitutum filio à patre pro sacris ordinibus recipiendis, vel constitutum filio, aut filiæ pro matrimonio contrahendo, quia licèt sit profectitium in hoc sensu, quod cum alijs fratribus adducendum sit ad partitionem hæreditatis, sed illius vsusfructus, dominium, & administratio est apud filium, etiam vivente patre; ita quod vsusfructus, & vtilitas illius peculij, ex quo receptum est, adducenda non sint ad partitionem. Palaus *punct. 7. cit. §. 1. n. 7.* Molina *de justit. tract. 2. disp. 233. initio.*

PUNCTUM XI.

De dominio, quod apud eccleſiaſticos poteſt reperiri.

Bona, quæ in eccleſiaſticis poſſunt reperiri.

137 TRia ſunt genera bonorum, quæ in eccleſiaſticis conſiderantur; alia ſunt *patrimonialia*, ea ſcilicèt, quæ ſucceſsione illis adveniunt, vel ab ipſis labore, induſtria, aliove modo ſunt comparata. Alia ſunt bona *quaſi patrimonialia* quæ à clerico acquiſita ſunt ob miniſterium aliquod eccleſiaſticum, ſecluſo beneficio: v.g. ſtipendia pro celebratione miſſarum, pro predicatione, adminiſtratione ſacramentorum, etiamſi hæc ex obligatione exerceat; vt quod accipit beneficiarius ex anniverſarijs, quæ dantur pro vicaria temporaria, quæ cantoribus pro ſuo munere aſsignantur. Alia ſunt bona *merè eccleſiaſtica*, illa ſcilicèt, quæ ex beneficio percipiuntur, vt annui redditus ex decimis, capellanijs, alijſque pijs legatis beneficio annexis. Ex his videamus, quorum habeat plenum, & abſolutum dominium, ita vt illud pro libito poſsint diſtrahere? Quorum dominium, vel non habet, vel habet cum onere diſtribuendi aliquid inter pauperes.

§. I.

De bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus, quorum habet eccleſiaſticus plenum dominium.

De bonis patrimonialibus, aut quaſi patrimonialibus poteſt clericus diſponere.

138 DIcendum eſt primò, quod de bonis patrimonialibus, aut quaſi patrimonialibus, de quibus *numer. præcedent.* diximus, habet eccleſiaſticus abſolutum dominium, liberamque diſpoſitionem, eaque diſtrahere poteſt, expendere, de eis teſtari, conſanguineos ditare, vel ad altiorem ſtatum promovere, maioratus fundare, ac denique ea diſtribuere, ſicut quilibet ſæcularis poteſt de ſuis bonis diſponere. Et quoad bona patrimonialia eſt manifeſtum; ſiquidem per hoc, quod ad clericatum deveniat, non amittit libertatem, quam ex natura ſua habet. De alijs bonis quaſi patrimonialibus, probatur, quia dantur à fidelibus in ſtipendium operis impenſi, ſine vllo onere, aut obligatione. Nec refert, quod hæc ſtipendia excedant opera; quia liberè à fidelibus dantur. Vnde ſi pro vna miſſa alicui viginti aurei donantur, non minus fit dominus illius ſtipendij, ac ſi vnum regale reciperet; ſicut pauper fit dominus abſolutus eleemoſynæ; quantumvis magnæ, ei penſæ. Vnde ſicut huic abſque aliqua conditione, aut onere bona dantur, etiam illi. Et ideò Tridentinum *ſeſſ. 25. capit. 1. de Reformatione*, redditus duntaxat beneficij, quæ ſunt bona eccleſiaſtica, præcipit in pios vſus expendi ſecundum illam partem, quæ poſt decentem ſuſtentationem ſuperſit. Ita Sanchez *conſil. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 37. & 45.* Coninchus *diſput. 27. de fide, ſpe, & charitate, dub. 11. num. 173.* Leſsius *de juſtit. lib. 2. cap. 4. dub. 6.* Lugo *tom. 1. de juſtit. diſp. 4. ſect. 3. n. 23.* Gord. *lib. 2. q. 2. cap. 4. n. 10.* Palaus *tom. 1. tract. 6. de charitat. diſp. 2. punct. 5. n. 3. & tom. 7. de juſtit. in gener. diſp. vnic. punct. 7. §. 3. n. 3.*

Quid inferatur ex dictis?

139 Ex quo infertur, quod ſi beneficiarius ex dictis bonis in ſuam ſuſtentationem, vel in pia opera aliquid conſumat, poteſt ex alijs bonis eccleſiaſticis ſibi compenſare, & totidem ex illis, in quod voluerit, expendere, quia jus habet detrahendi ex fructibus beneficij quidquid congruum eſt ad ſuam decentem ſuſtentationem, & pia opera expendendi: ergo poterit, quòd ex ſuis bonis in hæc conſumpſit, ex dictis fructibus aſſumere. Sanchez *dub. 38. num. 15.* Palaus *loco de charitate citato, num. 4.* Leſsius *num. 38.* Bonacina *diſput. 4. de obligatione inſumendi fructus beneficij, punct. 2. num. 5.* Et ſimiliter ſi parcè vivendo minus inſumat, quàm poteſt, in ſuam decentem ſuſtentationem, poterit de ſic reſervatis, non minus quàm de patrimonialibus bonis diſponere, quia bona ſic reſervata ſe habent vt fructus propriæ induſtriæ. Leſsius *num. 38. & 39.* Coninchus *num. 197.* Lugo *num. 35.* Sanchez *dub. 43.* & Soto *lib. 10. de juſtit. quæſt. 4. articul. 3. concluſ. 6.*

Diſtributiones quotidianæ inter bona quaſi patrimonialia computantur.

140 Sed rogabis, vtrùm diſtributiones quotidianæ, quæ ob aſsiſtentiam in choro Canonicis, alijſve eccleſiaſticis largiuntur, computandæ ſint inter bona quaſi patrimonialia; ita vt de illis diſponere poſsit clericus, non minus, quàm de alijs, quæ ſunt quaſi patrimonialia. Negat Sanchez *conſ. lib. 2. cap. 2. dub. 46. n. 4.* cum Navarr. *lib. 2. de redditibus, q. 1. n. 47.* Quia iſtæ diſtributiones verè ſunt partes reddituum beneficij: & ſic ex natura ſua, & ex jure canonico, & intentione tacita fidelium habent idem onus, quod alij fructus beneficij. ¶ Verior autem eſt ſententia affirmans, quia dantur propter diurnum laborem. Et probatur hac ratione (quæ ſolvitur fundamentum contrarium) quia licèt diſtributiones ex fructibus præbendæ, vel beneficij deducantur, deductæ ſunt ab eccleſia, vt pie expendantur in finem fovendi ſtudium, & aſsiſtentiam chori, tanquam merces, & ſtipendium illius aſsiſtentiæ, & laboris. Quare ſicut portio reddituum, quæ extrahitur ex aliqua præbenda, vt ſit merces cantoris, magiſtri grammaticæ, &c. tranſit in eius liberam diſpoſitionem, quia datur, vt ſtipendium illius laboris, ſic in præſenti. Ita Azor *lib. 7. cap. 9. quæſt. 1.* Sylveſt. *verb. Clericus 4. quæſt. 4.* Angelus *eodem verb. 13. n. 3.* Covarr. *cap. Cum officijs, de teſtam. num. 4.* Lugo *tom. 1. diſput. 4. ſect. 3. numer. 25.* Bonacin. *ſupr. tract. 4. punct. 2. num. 18.* Qui duo vltimi dicunt, hoc dictum locum habere, etiamſi omnes fructus beneficij conſiſtant in quotidianis diſtributionibus, quia omnes quaſi patrimoniales redduntur, ſubſuntque proinde diſpoſitioni beneficiarij.

§. II.

De bonis eccleſiaſticis, quæ debet clericus in pias cauſas expendere.

Quæ bona teneatur eccleſiaſticus inter pauperes diſtribuere.

141 DIcendum eſt ſecundò, beneficiarium teneri ſub peccato mortali diſtribuere inter pauperes omnia bona, quæ ex fructibus beneficij ſuperfluunt ſuæ congruæ ſuſten-

sustentationi, sive Canonicus sit, sive alius beneficiarius, Episcopus, Cardinalis, & etiam Papa: & ideò si habeat viginti millia aureorum pro redditibus annuis, & decem millia sufficiant pro decenti sui status sustentatione, tenetur sub peccato mortali alia decem milia, quæ superfluunt, inter pauperes distribuere. Probatur assertio primò ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform.* vbi strictissimè præcipitur Episcopis, & alijs clericis, ne bona ecclesiastica in vsus profanos expendant, ne ad ditandos consanguineos, eosque ad altiorem statum promovendos, ad aliosve vsus profanos convertant: ergo qui in magna quantitate ex his bonis distrahere, cum histrionibus, venatoribus, meretricibus, vel in ludis consumeret, vel cum amicis, & consanguineis, mortaliter delinqueret contra hoc præceptum. Quod non solùm est ex jure positivo, in quo posset Pontifex dispensare, sed declarativum juris naturalis: quod sic probatur (& sit secundum argumentum.) Nam Concilium dicit, *ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.* Ubi Concilium, quia sunt res sacræ Deo donatæ, prohibet in vsus profanos expendi; & sic denotat hanc obligationem ex natura rerum provenire: turpe namque esset res Deo sacratas in convivijs, luxurijs, alijsve vsibus vanis expendere: sicuti quæ alicui capellæ, imagini, &c. in honorem alicuius sancti à fidelibus dicantur, esset contra rationem, si dominus illius capellæ in vsus profanos insumeret. Etiam ratione status clericorum hæc obligatio oritur, sunt enim ratione gradus veluti pauperum patres, & tutores: ergo peculiari nexu charitatis, & misericordiæ tenentur illis opem ferre, maximè ex bonis ad hoc deputatis, vt sunt bona ecclesiastica, quæ à fidelibus donata censentur in sustentationem ministrorum sub ea conditione, vt reliquum in vsus pios insumant. Peccat ergo mortaliter contra jus positivum, & naturale, qui in magna quantitate hæc bona dilapidaret: ea in vsus non pios expendendo. Sic D. Thomas *quodlib.* 6. *art.* 12. *ad* 4. Sanch. *cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dubit.* 38. Coninchus *de charitate*, *disput.* 27. *dub.* 11. *num.* 192. Palaus *de charitate*, *tract.* 6. *disput.* 2. *punct.* 5. *num.* 6. Molina *de justit. tract.* 2. *disp.* 144. vers. *Prior verò*, Lugo *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 9.

142 Quare falsum est, quod asserunt Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *numer.* 47. Soto *de justit. lib.* 10. *quæst.* 4. *articul.* 3. & alij, quòd non ex natura rei, sed ex mero jure ecclesiastico hæc obligatio oritur, aliàs in eo posset Pontifex dispensare, possetque contra tale præceptum contraria consuetudo vigere, quod omnes negant. Falsum etiam est, quod asserunt Palaus, & Coninchus, quòd illa censenda est solùm magna quantitas sufficiens ad mortale, quæ tertiam, vel quartam partem annuorum reddituum excederet. Hæc enim doctrina nimis laxa est, aliàs dicendum foret non peccare mortaliter Episcopum, cui superfluunt viginti millia aureorum, si quinque millia in vsus profanos distraheret. Verum est, non sufficere ad constituendum peccatum mortale illam quantitatem, quæ in furto sufficiens esset, vt omnes asserunt. Maior autem, vel minor sufficit arbitrio prudentum, considerata fructuum superabundantia, & alijs circumstantijs, quia in maiori superabundantia fructuum, maior requiritur quantitas, & minor in minori ad peccatum mortale.

Aliquorum dicta impugnantur?

143 Sed rogabis primò, an sicut clericus bona ecclesiastica dilapidans peccat mortaliter; sic qui talia bona ab eo recipiunt? Quod duobus modis potest intelligi. Primò si clericus fructus beneficij, quæ supersunt post decentem sui status sustentationem, in vsus profanos consumeret; sed tali modo, quòd ex alijs bonis posset, quæ sic distribuit, resarcire. Et hoc modo, si animum habeat compensandi per alia bona, vel subtrahendo aliquid ex his, quæ secum poterat insumere, nec ipse peccaret, nec talia bona recipiens, vt ex se constat. Secundò, si taliter dilapidet fructus beneficij, vt impotens reddatur ad compensationem per alia bona. Quæritur ergo, an recipiens ab eo hos fructus, vt amicus, consanguineus, &c. peccet in tali receptione; sicut peccat clericus in tali donatione? Affirmat absolutè Sanchez *cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *n.* 14. Quia sic recipiens dantis peccato cooperatur. ¶ Melius id negat Lugo *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 49. quando nec petit, nec inducit ad donandum, sed tantum recipit, quia non cooperatur peccato malè donantis: nam hoc per ipsam oblationem consummatur; quæ iam posita est, & posteà acceptatio sequitur. Favet Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 19. *num.* 268. asserens, quòd qui accipit à fure, vel debitore, non res furtivas in specie, & quarum dominium non habet; sed alia quorum dominium possidet, ita vt reddatur impotens ad solvendum quod debet, si non incitet, vel petat, sed acceptet, non peccaret contra justitiam, aut charitatem, quia non est causa, quòd ille peccet; sed, supposito quod velit peccare, acceptat vtens jure suo.

Qui ab ecclesiastico bona malè expensa recipit, non peccat.

144 Rogabis secundò, qui veniant nomine pauperum, in quorum subsidium debet ecclesiasticus bona, quæ superfluunt, ad decentem sustentationem consumere? Respondetur, non solùm intelligi ostiatim mendicantes, sed etiam alios qui necessarijs carent ad sustentandum statum suum juxta suam qualitatem, & conditionem. Vnde Comites, Marchiones, & Duces possunt aliquando capaces esse, quibus ex redditibus ecclesiasticis superfluis, clericus amicus, vel consanguineus succurrat, Sanch. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 21. Lugo *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 37. Et etiam veniunt nomine pauperum quæcumque alia pia opera, etiam consanguinei, si pauperes sint, id est, indigeant secundùm conditionem sui status; & plus posse istis dare, quàm alienis, asserunt prædicti Auctores, eo quòd plus tenemur nostris, quàm extraneis. ¶ Et quamvis congruentius, & rationabilius sit inter pauperes illius loci, in quo beneficio fungitur, talia bona distribuere, imò si ibi sunt extremæ, & graves necessitates, omninò necessarium: illis præcisis, non erit gravis obligatio talia bona expendere inter pauperes illius loci, sed alios poterit sublevare, quia sacri canones solùm prohibent hæc bona dilapidari, id est, in vsus profanos insumi. Azor *lib.* 7. *cap.* 11. *quæst.* 2. Bonacin. *disp.* 4. *de obligatione insumendi. fruct. beneficij*, *punct.* 2. *num.* 3. *cap. In officio*, *de testam. num.* 7. Quos affert, & sequitur Lugo *num.* 38. Si autem cedat in maius bonum commune in alijs locis ea expendere, id convenientius erit, vt ad alendos scholasticos in Vniversitate, ad fundanda Monasteria, Collegia, &c.

Qui nomine pauperũ in præsenti intelligatur?

145 Rogabis tertiò, an nomine benefij, cuius fructus superfluentes debent in pia opera expendi, veniant etiam pensiones? Duplex datur

sep-

sententia. Prima asserit, pensionarium non teneri computare inter bona ecclesiastica quoad hanc obligationem quod habet in pensionibus, quæcumque sint: & sic, quod si ex fructibus beneficij sibi superfluunt 100. hæc solùm tenetur expendere, non alia quæ ex pensionibus accipit. Et probatur primò, quia Concilium Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* imponens præceptum Episcopis, & reliquis beneficiarijs, ne in ditandis consanguineis, alijsve vsibus profanis bona ecclesiastica insumant, solùm de beneficiarijs loquitur, nihil de pensionarijs asserens: ergo hoc videtur in tali præcepto consultò non includere. ¶ Secundò, quia hoc ipso quòd pensio imponatur alicui beneficio, iam Pontifex extrahit partem illam reddituum beneficij, & eam piè expendit, & ob causam justam eam applicat ad sustentationem, vel sublevationem clerici, ad remuneranda merita, vel propter obsequia sperata, ad sedandas lites, vt fit, quando ob compositionem alicui aliqua pensio applicatur: ergo non transit talis pensio cum onere, vt in pios vsus convertatur, cùm iam sit huic obligationi satisfactum, & illa portio fructuum sit iam piè applicata. Sic docet Vazquez *opusc. de eleemosyn. cap.* 4. *dub. vltim. numer.* 22. Azor *lib.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 4. & 5. (licèt alibi oppositum teneat) Lugo *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 32.

Sententia negans idē dicendū esse de pensionibus, ac de beneficijs.

Media via tenenda est.

146 Vt huic dubio satisfaciamus, supponendum est, quod diximus *tract.* 10. *de Censuris, cap.* 3. *num.* 108. triplicem esse pensionem. Aliam purè laicalem, quæ ob titulum merè sæcularem confertur, vt quæ Equitibus, Militibus, aut Principibus ab ecclesia conferuntur ob obsequia illi ab ipsis, vel à suis parentibus exhibita, vel in posterùm sperata. Et de hac nemo dubitat non transire cum tali onere. Idemque dicimus de alijs, quæ clericis non vt talibus, sed ob aliquod munus temporale conferuntur, vt cantoribus, procuratoribus, Advocatis ecclesiarum: quia omnia hæc dantur in stipendium, & mercedem laboris; & sic inter patrimonialia, aut quasi patrimonialia bona computantur. Alia est ecclesiastica, quæ datur ob aliquod munus ecclesiasticum obeundum, vt illa, quæ datur coadiutori Episcopi senis, Presbytero benè meritò ob exhaustos labores, vel pro alio munere spirituali. Alia est, quæ absque aliquo titulo datur ecclesiasticis, vt in permutationibus beneficiorum, renuntiationibus, compositionibus contingit.

Pensiones, quæ inter bona ecclesiastica computantur.

147 De his vltimis duabus pensionibus asserimus idem esse dicendum, ac de alijs fructibus beneficiarij; & sic teneri pensionarios superfluum pauperibus erogare. Et probatur, quia hæc obligatio annexa est redditibus beneficiorum; sed pensio est portio extracta à fructibus beneficij: ergo transit cum eodem onere, & cum obligatione superfluum piè expendendi. Nec tali est satisfactum obligationi per hoc quod in sustentationem, & sublevationem clerici applicetur: quia cum omnia beneficia in generali ecclesiæ applicatione cuilibet piè sint applicata, nullum cum tali onere esset. Vnde hoc ipso, quod Concilium hanc obligationem fructibus beneficij adjungat, etiam loquitur de illis, qui portionem illius recipiunt, vt sunt pensionarij, de quibus loquimur. Per quæ manent contraria fundamenta soluta. Et nostram sententiam tenet Sanchez *lib.* 2. *cons. cap.* 2. *dub.* 47. alios referens Molin. *tract.* 2. *disp.* 145. *post. init.* Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *de charitat. disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 2.

Quantum possit clericus secum expendere?

148 Rogabis quartò, ad quid se extendat decens, & congrua sustentatio clerici, vt hinc sciamus, quid superfluum erit, quod debeat in pias causas insumere? In hac parte aliqui nimis laxè loquuntur, alij nimis strictè. Nos neque conscientias onerare, nec eas relaxare conantes, sed suavitèr, & prudenter instruere, quæ probabiliora, & selectiora sunt, in medium proferemus. Dicimus ergo generalitèr, quod pro varietate temporum, vsuum, regionum, & personarum, plus, minusve potest quilibet proprijs vsibus applicare; potestque attendere quid timorati, & prudentes similis status operentur, & juxta morem illorum se gerere. Et ideò Episcopus potest plus in suam familiam, ostentationem, & splendorem insumere, quàm Decanus, & hic plus quam Canonicus particularis: & idem de beneficiarijs, quòd qui ditiori fungitur beneficio, potest amplius in sui status sustentationem insumere: & in his omnibus potest dari infimum, medium, & summum, sicuti in mercibus: & quamvis melius aget, si medium teneat; poterit tamen licitè ad summum illius status, & conditionis attingere; & quidquid inde detraxerit, consanguineis, vel amicis conferre, aliove modo, quo maluerit, distrahere. Lugo *sect.* 4. *num.* 53. Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 40. Coninch. *disp.* 27. *de charitate, dub.* 11. *num.* 177. Palaus *suprà punct.* 5. *num.* 8.

Ad quid amplius extendatur congrua sustentatio?

149 In hac congrua sustentatione clauduntur, quæ ad sui, suæque familiæ honestam, & decentem sustentationem requiruntur; aliqua etiam moderata convivia, quæ amicis, & consanguineis fiunt pro beneficij qualitate; etiam aliquæ donationes liberales moderatæ, quæ expediunt statui beneficiarij, tùm ad conciliandos animos, tùm ad benevolentiam ostendendam. Etiam parentibus, & consanguineis aliqua donare, vt possint vivere ita honestè, vt dedecus non sit beneficiario, vel Episcopo eos propinquos habere. Palaus *num.* 9. Coninchus *num.* 185. Lugo *num.* 90. Sanch. *cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 8. Vndè dicit Lugo posse Episcopum, vel Cardinalem dare fratribus, vel consanguineis ex redditibus ecclesiasticis ad sublevandum eorum statum, quia qui Cardinalem, aut Episcopum fratrem, aut consanguineum propinquum habent, tametsi inferioris notæ essent, ratione conjunctionis cum illo elevantur ad alium statum altiorem, & iam in tali statu constituti, illis dare possunt, quæ necessaria sunt ad sustentationem eius, quod non est dare consanguineis, vt eos ditent, quod prohibet Tridentinum, sed vt illorum occurrant indigentiæ secundùm illum statum.

Extenditur præcedens doctrina.

150 Poterit etiam filios illegitimos, etiam spurios, si quos habuerit (quod absit) ex redditibus beneficiarius alere, quia supposito delicto, ex jure naturæ illis debetur sustentatio. Imò juxta qualitatem beneficij, poterit illis magis, minusvè dare, maioremque dotem poterit Sacerdos dives, & nobilis filiæ spuriæ assignare, quàm pauper, & infimæ conditionis, intra limites tamen filiæ spuriæ, hoc est, quòd minor dos pro spuria assignetur, quàm pro legitima. Nulli autem ex illis poterit tantum ex fructibus beneficij donare, ac si ex bonis patrimonialibus dotanda esset. Filliuc. *tract.* 43. *cap.* 4. *num.* 36. & 37. Palaus *numer.* 9.

Lugo

Lugo *n.9.*Bonacin.*tract.4.citat.punct. 2. num. 16. & 17.*

Adhuc doctrina data ampliatur.

151 Denique quò clericus fuerit nobilior, & doctior, eo plura assignanda sunt illi pro sustentatione decenti, vt ex ipsa praxi constat, & colligitur ex cap. *De multa, de præbend.* & ex Trident. *sess. 24. cap.17.* quia hæ personæ ratione suæ nobilitatis, & doctrinæ regulariter plus alijs ecclesiæ prosunt, ceditque in splendorem, & auctoritatem ecclesiæ ministros nobiles, & doctos habere. Palaus *punct.5. num.10.*Coninch. *num. 194.* Lugo *num. 61.*Sed hoc intelligendum est, vt nunquam ob nobilitatem excedant limites modestiæ christianæ, & si notabiliter in scientia, & nobilitate alios excedant, non tamen possunt tantum insumere ex his bonis ecclesiasticis ad conservandum splendorem suæ nobilitatis, ac si ex bonis patrimonialibus essent sustentandi, quia hoc erit limites modestiæ, & decentiæ illius status excedere, & sic filius Regis non potest tantum ex ecclesiasticis bonis insumere, ac si expenderet secundùm suam nobilitatem, si ex bonis paternis suis vellet splendorem conservare.

§. III.

An clericus teneatur restituere bona ecclesiastica, quæ expendit in vsus profanos?

Teneri ad restitutionẽ clericum superflua inter pauperes non distribuentem, alij quì dicunt.

152 CElebris est hæc quæstio inter Doctores, & procedit de illis bonis, de quibus diximus *§. præced.* teneri sub mortali ecclesiasticum pauperibus erogare: an tanta sit hæc obligatio, vt non solùm peccent mortaliter secùs facientes, sed teneantur bona illa malè expensa restituere: totidemque ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus compensare. Duplex datur sententia, vtraque satis probabilis. Prima est affirmativa, quam tenent Navar. *cap.vlt. n.16.q. 1. in q. 2. monito 7.* Alensis *3.part. quæst. 36. num.302.* Henriquus *quodlib. 8. quæst.27.* noster Uvaldensis *tom. 1. doctrinæ fidei, lib.4.cap. 43. à num. 44.*Greg. Lopez *lib.11.tit. 5.p.1.* vers.*Que lo diessen.* Layman *lib. 4.tract.2. cap.3. n.3.*& alij. Et probatur primò pluribus textibus ab his Authoribus relatis, in quibus ecclesiastica bona dicuntur patrimonium Christi, bona pauperum, & ipsi clerici dispensatores dicuntur bonorum illorum, non domini: & fures, ac raptores appellantur, cùm ea in vsus profanos expendunt: non ergo eorum habent dominium, & sic peccant contra justitiam, tenenturque restituere quidquid pauperibus de his bonis defraudant. ¶ Secundò, quia non esset ratio, quare hæc bona distribuere tenerentur, potius quam illa, quæ sunt quasi patrimonialia, præciso jure positivo, si vtrorumque essent verè domini. Ideò enim illa non tenentur expendere, quia dantur vt stipendia, & merces, & sic, quamvis excedant, non tenentur ea in pia opera distribuere, quia hæc bona dantur, vt merces, & stipendium: ergo si horum domini essent, sicut illorum, cur potius hæc, quàm illa tenerentur inter pauperes distribuere? ¶ Tertiò, quia ex jure communi de his bonis ecclesiastici prohibentur testari, quod jus, licet quoad omnes non vbique servetur, benè tamen quoad Episcopos: ergo verè non sunt domini illorum, aliàs cur de illis non possent testari? ¶ Quartò, quia censentur à fidelibus donata, vel ab ecclesia applicata cum illo onere, vt superfluum in pia opera expendant: ergo, etiamsi domini sint illorum, cum hac conditione, & non aliter recipiunt dominium; & sic tenentur restituere, quod secùs expenderint.

Ecclesiastici verè domini sunt fructus beneficij.

153 Sed pro resolutione dicendum est primò, ecclesiasticos modo verè esse dominos prædictorum bonorum. Pro quo nota ex D. Thoma *2.2. quæst. 285.art. 7.* quòd licèt antiquitùs omnes clerici in communi viverent, & ab Episcopis omnia bona ecclesiæ relicta à fidelibus, singulis pro qualitate eorum distribuerentur, & reliquum applicaretur ecclesiæ fabricæ, aut pauperibus sublevandis: at, frigescente charitate, vel quia fortè Episcopi non tàm fideles erant in tali distributione, & ob id plures lites oriebantur. Simplicius Papa in cap. *De redditibus 12. quæst.2.* fructus bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes divisit. Primam Pontifici applicavit, secundam clericis pro meritis eorum, tertiam fabricæ, quartam pauperibus: quod postea confirmavit Gelasius Papa in cap. *Nobis enim*, cum quatuor sequentibus *12. quæst. 2.* & Gregor. Magn. in cap. *Cognovimus, eadem causa, & q.* postea ex diversis juribus, & consuetudinibus aliæ divisiones factæ sunt, quibus omninò standum est.

Præcedens doctrina probatur.

154 Vnde quamvis ante hanc divisionem nullus ecclesiasticus in hæc bona jus haberet, & sic superflua ex justitia erant pauperibus applicanda, & post factam divisionem non sint domini illorum bonorum, quæ applicata sunt fabricæ ecclesiæ, vel pauperibus, vt pro hospitalibus erigendis, pro redimendis captivis, &c. at verò illorum bonorum, quæ ipsis applicata sunt in diversis beneficijs, dominium habent, vt tradit Div. Thom. *loco citato*, & Soto *lib. 10. de justitia, quæst. 4. articul. 3.* Molina *tractat. 2. disput. 243.* Coninchus *de charitate, disp.27.dub. 11. num.285.* Palaus *de charitate, tract.6. disput. 2. punct.6.num. 3.*Gordonius *lib.3.quæst. 2. cap.4. num. 11.* & probatur, tùm varijs textibus juris canonici, in quibus passim ob diversa crimina imponitur beneficiarijs pœna, ne faciant fructus suos, ne illorum dominium acquirant (Vide Tridentin. *sess. 24.cap. 12.de Reformat. & sess. 23. cap.1. de Reformat.*)ergo suppponit, quòd, præciso illo crimine, faciunt illos fructus suos, eorumque dominium acquirunt. Tùm etiam, quia rerum communium divisio facta à legitima potestate (quam nemo dubitat habere in nostro casu ecclesiam) & illorum applicatio cuilibet dominium transfert, vt diximus de divisione rerum agentes: càm ergo ista bona applicata iam sint ab ecclesia singulis ecclesiasticis in stipendium, & mercedem laboris (tametsi superexcedant multoties opera) sequitur, illos verè dominium eorum acquirere, sed cum illo onere, vt sub gravi culpa superfluum expendant in pauperes, quia sub ea conditione ab ecclesia sunt illis applicata. An verò hoc onus sit tantum, vt ex justitia eos obliget, nedum ex obedientia, aut charitate, ita vt restituere teneamur, si secùs fecerint, dicet conclusio sequens.

155 Dicendum est secundò, ecclesiasticos non teneri ex justitia ad expendendum superfluum inter pauperes, & sic non obligari ad restitu-

ſtitutionem, ſi quid ex fructibus eorum inter conſanguineos, aut in alios vſus profanos diſtribuant. Ita Divus Thomas *loco citato*, *quæſt.* 185. *artic.* 7. *corpor. prope finem*, ibi: *De his autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo vſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ de proprijs bonis* (quantum ad hoc, quod eſt illorum dominium poſsidere) *vt ſcilicèt propter immoderatum affectum, & vſum peccet quidem, ſi immoderata ſibi retineat, & alijs non ſubveniat, ſicut requirit debitum charitatis*: ergo ex debito charitatis, non ex debito juſtitiæ, ad hoc tenetur. Noſtram concluſionem tenent Soto *de juſtit. lib.* 10. *q.* 4. *art.* 3. & 4. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 43. Palaus *ſupr. punct.* 6. Coninch. *diſp.* 27. *citat. dub.* 11. *n.* 185. Gordon. *lib.* 3. *q.* 2. *n.* 11. Lug. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *n.* 2. Sanch. *tom.* 1. *conſ. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 37. *n.* 2. & alij apud ipſos.

Non tenentur eccleſiaſtici reſtituere, quæ in vſus profanos inſumunt.

Ratio præcedentis aſſertionis.

156 Probatur hac vnica ratione, quia imponenda non eſt alicui obligatio juſtitiæ, niſi ex manifeſto jure, aut ratione manifeſta probetur: in dubio namque poſsidentis eſt melior conditio, illique favere omnia jura conſpirarunt; ſed nec datur jus, nec ratio manifeſta talem obligationem perſuadens: ergo, &c. Et probatur minor quoad primam partem, quia ſi aliqua dantur, maximè in quibus eccleſiaſtici raptores, fureſve dicuntur; ſed hæc per quandam exaggerationem dicta ſunt, ſicuti de divitibus ſæcularibus egentibus non ſuccurrentibus ex his, quæ ſibi ſuperfluunt, etiam apud Patres, & canones talis loquutio reperitur, vt patet ex D. Hieronymo relato in cap. *Hoſpitale, diſt.* 42. ibi: *Aliena rapere convincitur, qui vltra neceſſaria continere probatur.* Et D. Ambroſ. *tom.* 3. *ſerm.* 81. *prope finem*: *Nec minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſsis, & abundans ſis, indigentibus denegare.* Quod dicit D. Thom. *ad* 1. procedere de omnibus, qui ex debito charitatis providere tenentur neceſsitatem patientibus. Alia verò loca, in quibus dicuntur diſpenſatores, non domini: vel loquuntur de his bonis eccleſiaſticis ante diviſionem, & applicationem factam ab eccleſia, vel de illa portione bonorum, quæ ipſi eccleſiæ, vel pauperibus eſt applicata, vt tradit Divus Thomas *artic.* 7. *ex quæſt.* 185. *citata*, vel denique ſi loquuntur de bonis ipſi clerico applicatis, ideò dominus non dicitur, ſed diſpenſator, non quia dominus verè non ſit, ſed quia dominium cum illa ſtrictiſsima obligatione ex obedientia, & charitate recepit, & ob id bona pauperum dicuntur, & etiam patrimonium Chriſti, quia à fidelibus ob Chriſti honorem, & obſequium oblata ſunt; quod non tollit, in ipſis miniſtris, quibus applicata ſunt, verum dominium exiſtere, nullum tamen datur jus obligans reſtituere tales fructus inutiliter expenſos, aut aſſerens non facere eos ſuos, & in re tanti momenti non eſt credibile ſacros canones hoc omiſiſſe, ſi verè talem obligationem dari judicaſſent.

Eandem rationem proſequimur.

157 Quòd autem non detur ratio id convincens, probatur oppoſitas diſſolvendo. Prima ſoluta manet ex dictis. Ad ſecundam conſtat ex dictis *numer.* 41. hanc obligationem oriri, tùm ex natura ipſorum bonorum, quæ Dei ſunt, ob idque non debent in vſus profanos expendi. Tùm ex ratione ſtatus, cui competit talia bona propria illius ſic piè diſtribuere. Tertia potius probat noſtram aſſertionem, quia ſi iam viget conſuetudo contra jus commune, vt eccleſiaſtici (demptis Epiſcopis) teſtentur: ergo talium bonorum plenum dominium poſsident. Si enim tali dominio carerent, aut illud cum onere reſtituendi, quæ ſupererant, reciperent; cùm iam poſt mortem omnia illis ſuperflua ſint, ex natura rei eſſent incapaces teſtandi de illis, & ſic non poſſet introduci oppoſita conſuetudo: ergo talia taſtamenta eſſent nulla, & invalida, & donationes, ac pacta ab ipſis inita eſſent ſimiliter nulla, quia de rebus alienis, vel quas tenetur reſtituere alteri, nemo teſtari poteſt, donare, aut paciſci. Cùm ergo pacta, donationes, & teſtamenta valida ſint (& ideò nunquam pauperes in judicio admittuntur ad reſcindenda talia acta, vt actores) ſignum eſt, ipſos eſſe dominos illorum bonorum, & non teneri ad reſtitutionem eorum, quæ ſuperfluunt. Ex jure autem communi talia teſtamenta prohibentur, ne eccleſiaſtici ſint nimis avari in divitijs cumulandis, ſed eas in vita piè expendant.

Vltimũ argumentum ſolvitur, & noſtra ratio terminatur.

158 Denique vltima ratio (qua potiſsimè vtuntur contrarij) non vrget, quia abſque fundamento dictum eſt, talia bona donata fuiſſe à fidelibus, vel ab eccleſia applicata ſub illo onere reſtitutionis. Non quidem à fidelibus, quia fideles abſolutè talia bona conſerunt eccleſiæ in ſuſtentationem miniſtrorum, in ſplendorem eorum ſtatus, vt Deo vacent expeditius, vt ab alijs magis in honore habeantur. Præterquamquòd hæc bona deſumpta ſunt ex decimis, primitijs, oblationibus, quæ non gratiosè, ſed vt debita ex juſtitia à fidelibus Deo offeruntur in ſuſtentationem miniſtrorum eius: ergo no poterant tale onus imponere. Nec etiam impoſitum fuit ab eccleſia in generali diviſione, & applicatione, quia licet ipſa id facere poſſet, feciſſe tamen non conſtat, quin potius colligitur oppoſitum diſpoſuiſſe manifeſtè. Tùm, quia nullibi in ſacris canonibus de hac obligatione mentionem facit, quod non prætermitteret ſi illam impoſitam haberet. Tùm etiam, quia, cùm muſtoties videat hæc bona dilapidari, in profanos vſus converti cum præjudicio pauperum, nunquam pacta, donationes, aut alia acta reſcindit: quod non faceret, ſi ex juſtitia pauperibus deberentur, ipſorumque actionem in foro exteriori contra clericos ſic defraudantes admitteret. Imò ipſi pauperes poſſent vti occulta compenſatione, vel ſolventes decimas poſſent illas beneficarijs denegare, & inter pauperes ob compenſationem diſtribuere, quod eſt falſum: non ergo datur ex juſtitia talis obligatio.

Religioſos factos Epiſcopos eſſe æquè dominos, ac alios aliqui dicũt.

159 Sed reſtat modò alia difficultas, an religioſi ad Epiſcopatum aſſumpti, ſint domini bonorum patrimonialium, aut quaſi patrimonialium, vel eccleſiaſticorum eo modo, quo alij Epiſcopi, ita vt de omnibus liberè diſponere poſsint, ſicut alij epiſcopi id faciunt? Duplex eſt ſententia. Prima affirmativa, quam tenet Sotus *lib.* 7. *de juſtitia, quæſt.* 4. *art.* 2. *ad vltim.* & *lib.* 10. *quæſt.* 5. *art.* 7. *fol. mihi* 940. *colum.* 2. Vazquez 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *diſp.* 165. *cap.* 8. *num.* 91. *propè finem*, & *num.* 104. & *in opuſcul. de redditibus*, *capit.* 3. *dub.* 7. Michael de Medina *de ſacra homin. continent. lib.* 5. *cap.* 26. Angles *in floribus*, 2. *part. quæſt. vnic. articul.* 2. *poſt* 3. *difficult. dub.* 5. & probatur primo ex cap. *Statutum* 17. *quæſt.* 1. vbi dicitur: *Statutum eſt*, & *ſecundùm ſanctos Patres à ſynodo confirmatum eſt, vt monachus, quem*

quem electio canonica à jugo regulæ monasticæ absolvit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habeat. Idem autem est de bonis paternis, ac de alijs: quia si semel votum paupertatis pro aliquibus acquirere dominium non obstat, neque etiam pro omnibus: ergo, &c. Secundò, quia non apparet apud quem existat dominium talium bonorum, nisi apud ipsum. Non apud pauperes, aliàs si in alia pia opera distribueret, ad restitutionem teneretur: neque apud ecclesiam, cuius est Episcopus, aliàs quando transfertur ad aliam, teneretur bona ibi acquisita in ea relinquere: sicut quæ acquirit in monasterio, factus Episcopus tenetur in eo relinquere. Tertiò, quia compati non potest cum voto paupertatis dispensatio bonorum perpetua, & independens à superiore, qualem habet Episcopus: ergo per episcopatum ab eo absolvitur, & sic erit capax dominij.

Religiosus factus Episcopus votũ paupertatis retinet, & sic nullum dominium possidet.

160 Secunda, & verior sententia negat illis omne dominium, sive bonorum patrimonialium, aut quasi talium, sive ecclesiasticorum, & sic solùm sunt dispensatores, & administratores illorum, habentes jus ad distribuenda illa, dum vivunt, juxta præscriptum sacrorum canonum, proindeque non solùm peccare mortaliter expendendo aliquod ex his bonis inter consanguineos, vel amicos, vel in alios vsus profanos; sed etiam ad restitutionem teneri, tàm ipsi, quàm recipientes: quia administratores, & non domini, solùm juxta voluntatem domini possunt res expendere, & aliter facientes contra justitiam delinquunt. Quod autem domini non sint, probatur: quia per hoc quòd Episcopi fiant, non desinunt esse verè religiosi, & sic ad portandum habitum suæ religionis obligantur: sed de essentia status religiosi est votum paupertatis, cap. *Cum ad monasterium, de statu monachorum*: ergo voto paupertatis etiam post episcopatum adstringuntur: cum illo autem non compatitur alicuius rei dominium: ergo, &c. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. *ad* 3. & ibi Caietanus, Coninchus *disput.* 27. *dub.* 11. *num.* 200. Lugo *disputat.* 3. *sect.* 11. *numer.* 232. Sanchez *lib.* 6. *decalog. cap.* 6. *numer.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 29. Palaus *tom.* 1. *tractat.* 6. *disp.* 2. *punct.* 8. *num.* 3. Quid autem sentiendum sit de religiosis, beneficiarijs, & alijs *punct seq.* dicemus.

Solvuntur contraria argumenta.

161 Ad primum contrarium argumentum respondet Divus Thomas *loco citato*, explicans illum canonem: *Non enim paternam hæreditatem vendicant quasi propriam, sed quasi ecclesiæ debitam*: (sicut existens in monasterio jus successionis retinet, & hæreditatem sibi vendicat, non pro se, sed pro suo monasterio: leg. *Deo nobis* 56. §. *Hoc etiam*, Cod. *de Episcopis, & clericis*) Vnde ibidem subditur, *quod postquam Episcopus ordinatur, ad altare ad quod sanctificatur, & intitulatur, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat.* ¶ Ex quo patet ad secundum, quòd tale dominium est apud ecclesiam, apud quam degit; sed cum libera potestate ea bona transferendi ad aliam si ad illam assumatur, vel in quodlibet opus pium expendendi. In morte autem secundum jus commune in ecclesia, in qua decedit, eam relinquere debet, nisi vbi eorum spolia ad cameram apostolicam pertinent. ¶ Ad tertium negamus non compati cum voto paupertatis talem administrationem, aliàs monachus ad beneficium parochiale assumptus, verus religiosus non esset, nec voto paupertatis ligatus, cum habeat jus perpetuum disponendi in vita de bonis ibi acquisitis, vt infrà dicemus.

PUNCTUM XII.

Utrùm religiosi habere possint aliquarum rerum dominium in communi, vel in particulari?

Non agimus de voto paupertatis in particulari.

162 PLura, quæ circa istud punctum essent peragenda, pertinent ad tractatum de paupertate religiosa, de quibus agentes suo loco de statu religiosorum discutiemus: vbi agemus de natura paupertatis, de illius strictissima obligatione; de licentia Prælati requisita, vt aliquid expendatur, recipiatur, & donetur, de modis quibus votum paupertatis frangitur, & quomodo ex pluribus rebus minimis illegitimè receptis, aut donatis, gravitèr contra tale votum delinquatur. Nunc solùm de his agemus, quæ pertinent ad explicandum dominium, cuius sunt capaces religiosi, vel in communi, vel in particulari? quamvis ob connexionem doctrinæ plura ad votum paupertatis pertinentia tangemus, brevitate, & claritate, quas materia ipsa permittit, quæ apud graviores Doctores fusiùs exarata sunt, compilantes.

Diversitas paupertatis, quæ est in Religionibus.

163 Sed supponendum est primò ex Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 184. *artic.* 3. quòd sicut non est vna, & eadem apud omnes religiones paupertas, sic non sunt omnes eodem modo capaces, vel incapaces dominij; sed vniversi ordines eam profitentur paupertatem, quæ est suo proprio fini proportionata. Vnde alia est paupertas monachorum, alia clericorum Regularium, alia Mendicantium, alia non Mendicantium. Aliæ Religiones sunt incapaces dominij cuiuscumque, sive in communi, sive in particulari, vt Minores de Observantia, & Capuccini: aliæ licèt in particulari incapaces sint illud habendi, possunt tamen eo fungi in communi, vt sunt reliqui ordines præter enumeratos. Et harum Religionum aliæ sunt capaces possidendi in communi, non solùm bona mobilia, vel annuos redditus, sed etiam bona stabilia, quæ dicuntur radices, vt domus, vinæ, oliveta, &c. vt sunt omnes, præter Minores, & Capuccinos, & nostram sacram Religionem Discalceatam, quoad omnes domus, & Collegia, vt posteà dicemus: & Societas Iesu quoad domus professas, non quoad Collegia. Aliæ sunt capaces possidendi annuos redditus perpetuos, non in bonis stabilibus, sed in censibus juris, &c. vt Collegia Religionis nostræ. Ex hac diversitate provenit, non posse certam regulam pro omnibus assignari, sed tribuendo singula singulis, quid juris sit in qualibet earum, sigillatim discutiemus.

Religiones omnes capaces dominij sunt, exceptis aliquibus

164 Secundò supponendum est, quòd ex concessione Nicolai III. Extravagant. *Exijt, de verborum significatione*, & ex Tridentin. *sess.* 25. *capit.* 3. *de regul.* omnes Religiones (exceptis Mino-

minoribus de Obſervantia, & Capuccinis) ſunt capaces quorumque bonorum in communi. Quod non pugnat cum voto paupertatis earum, ſed potius illi conſonum eſt: quia tale votum à ſingulis tollens quòd bona diſtrahere poſsint, vel recipere niſi ex licentia Superiorum, qui nomine communitatis ea valent impendere, ſupponit talium bonorum dominium in ipſa communitate requiri. Et ideò in cap. *Olim* 2. *de privilegijs*, dicitur: *Quidquid monachus acquirit, monaſterio acquirit.* Maximè, quia talium bonorum dominium non eſt apud dantes, qui illud iam à ſe abdicarunt: nec apud ſummum Pontificem (ſicut in Minoribus fratribus contingit) aliàs poſſet ſummus Pontifex pro libito ſuo talia bona diſtribuere, vel de vna in aliam religionem transferre; quod eſt falſum (quod non tollit, ſummum Pontificem poſſe, ex juſta, & vrgenti cauſa conducente ad bonum commune, eccleſiæ bona vnius religionis in alteram, vel vnius monaſterij in alterum transferre, vt docent Palaus *tom.* 7.*de juſtit.diſput.vnica, punct.*7.*§.*3. *num.*1. Leſſius *lib.*2.*cap.*4.*dub.*5. Lugo *diſp.* 3.*ſect.*4. *à num.* 74.) non poteſt enim abſque vrgenti cauſa ea modo dicto diſtribuere, quod probat non eſſe dominium illorum apud ipſum. Vt ergo talia bona non maneant adeſpota, & ſuſpenſa, illorum dominium apud religionem, vel monaſterium eſt collocandum; quamvis tale dominium non ſit omninò liberum, & abſolutum, cùm non poſsit bona immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, pro ſuo arbitratu alienare, ſed ea cum obligatione poſsideat ad ſucceſſores transferendi, vt in maioratibus contingit, vti præter citatos docent N. Antonius à Spiritu Sancto *in ſuo Director. Regul. tract.* 3. *diſp.*4.*ſect.*1. *n.*5. Gordon.*lib.*3.*q.*2.*cap.*5. *num.*13.

Noſtra religio incapax eſt habendi bona ſtabilia in communi.

165 Cæterùm, quia dicta conceſsio juris canonici, ratione cuius ſunt capaces dominij quorumcumque bonorum omnes religiones, ſe habet vt indultum, & privilegium, illi renuntiare poſſunt, quæ ſtrictiorem, & perfectiorem paupertatem volunt profiteri, vti noſtra Religio Diſcalceatorum renuntiavit, vt conſtat ex 1. *part.noſtrar. conſtitut.cap.*7. *num.*11. vbi ſancitur: *Ne Conventus noſtri poſſeſſiones, annuos redditus, ſive alia immobilia bona ex quavis cauſa, & titulo poſsint habere.* Excipiuntur autem, quæ neceſſaria ſunt ad religioſorum habitationem, vt domus, eccleſia, chorum, horti, & viridaria. Similiter poſſunt Collegia noſtra jura, cenſus perpetuos, & alios annuos redditus poſsidere, dummodò non ſint in bonis ſtabilibus, ſeu radicibus, vt in agris, olivetis, vineis, vt conſtat ex eiſdem conſtitutionibus, *num.* 12. & 14. In quo differt noſtra à ſacra Societate Ieſu Religione, quæ licèt in domibus profeſsis non ſit capax annuorum reddituum, & poſſeſsionum, ſicuti nec noſtri Conventus; poſſunt tamen illius Collegia, non ſolùm annuos redditus, ſed bona ſtabilia poſsidere, vt apud Pellizarium *tract.*4. *cap.* 5.*num.*116. & alios Doctores Societatis reperies.



§. I.

Quomodo poſsint Religiones in bonis Religioſorum ſuccedere, hæredes inſtitui, vel pia legata poſsidere?

Quæ religiones capaces ſunt ſucceſsionis hæreditariæ?

166 OMnes religiones ſunt capaces ſucceſsionis hæreditariæ, vel ab inteſtato, vel ex teſtamento, vt conceſsit Trident. *ſeſſ.* 25.*cap.*3. *de Regul.* & Clement. *Exivit, de verborum ſignificatione* (exceptis Minoribus de Obſervantia, & Capuccinis, & illis, quæ dicto privilegio renuntiarunt, de quibus §. *ſequenti* dicemus.) Vnde fit, quòd ſi earum religioſi de ſuis bonis ante profeſsionem non diſponant, jure hæreditario ſuccedit monaſterium, vel religio: quia Gregorius Magn. cap. *Quia ingredientibus* 19. *quæſt.* 3. Authentic. *Si qua mulier*: Authentic. *Ingreſsi*, Cod. *de ſacroſanct. eccleſijs*, hoc jus ſucceſsionis concedunt monaſterijs abſque vlla actione profitentis: vnde, eo ipſo quòd de ſuis bonis non diſponat ante profeſsionem, ea ſequuta, ſtatim ſuccedit monaſterium in omnibus bonis, juribus, & actionibus illius, vt in vſufructu, cuius dominium acquirit monaſterium pro tota vita religioſi, in bonis caſtrenſibus, quaſi caſtrenſibus, adventitijs, quoad proprietatem (quidquid ſit an etiam quoad vſufructum) in jure patronatus, in jure nominandi ad emphyteuſim. Lugo *diſp.* 3.*ſect.*9. *à num.*190. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſput.* 3. *punct.*3. *num.*3. Sanchez *lib.* 7. *ſumma, cap.* 13. *à num.*48. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 10. *à num.* 81. N. Antonius à Spiritu Sanct. *in Director. Regular. tractat.* 3. *diſput.* 4. *à numer.* 35. & eodem modo ſunt capaces dictæ religiones cuiuſcumque legati, vel donationis, ſive rei mobilis, ſive immobilis, vt conſtat ex Trident. *loco citato.*

Maioratus pertinet ad monaſterium religioſi, ad quem pertinet.

197 Sed eſt prima difficultas, an religiones capaces bonorum immobilium, & ſucceſsionis hæreditariæ ſuccedant in maioratibus, quos religioſi, vel ante profeſsionem poſsidebant, vel ad illos poſt profeſsionem deveniunt? Reſpondetur affirmativè; ideòque eorum redditus, & proprietatem poſsident, quamdiu religioſus vixerit, niſi tacitè, vel expreſsè in eorum fundatione religioſi excludantur. Excluduntur autem expreſsè, ſi ab eorum fundatoribus poſita ſit clauſula, qua religioſos nolit in maioratum intrare. Tacitè verò, vt cum talis maioratus fundati ſunt cum juriſdictione temporali alicuius oppidi, vel cum titulo honorifico Marchionis, Ducis, aut Comitis; vel quando exprimit fundator ſe illud inſtituere ad conſervandam familiam, vel cum onere arma portandi, vel alijs conditionibus cum ſtatu religioſo pugnantibus: quia tunc, nec religioſus, aut religio in tali maioratu ſuccedit, ſed tranſit ad ſequentem vocatum. Idem dicimus de maioratu, quem ante profeſsionem religioſus poſsidebat, quia inſtitutor excludens monaſteria à ſucceſsione maioratus, ſuæ familiæ ſplendorem intendit conſervare, qui non parùm minuitur, ſi admonaſterij dominium tranſeat, & in eo tota vita religioſi quaſi ſepeliatur, & delitеſcat. Pa-

laus *tract. 16. disp. 3. punct. 4. §. 3. num. 3.* Sanch. *lib. 7. cap. 15. num. 31.* & alij apud ipsos. ¶ Si tamen Religio incapax sit hæreditariæ successionis, non transit ad ipsam maioratus ; & minus ad religiosum, & sic transit ad successorem immediatum.

Monastetium, non religiosus, constituitur dominus legati, aut hæreditatis monacho relictæ.

168 Secunda difficultas est, ad quem pertineat hæreditas, vel legatum religioso relictum? ad ipsum, vel ad monasterium? (suppositio quod sit capax illorum, quia si eorum incapax sit, transit ad hæredes ab intestato.) Respondetur, huiusmodi hæreditatem, vel legatum immediatè ad monasterium, non ad religiosum pertinere; & sic ipsum monasterium debere illa adire, dominiumque illorum possidere. Quia omnia jura, & omnes actiones, quæ quomodolibet ad religiosum pertinebant, per solemnem professionem (de qua nunc loquimur) transtulit ad monasterium: ergo etiam jus adeundi hæreditatem, quod per hoc quod hæres constituatur, ad ipsum pertinebat, translatum est in religionem: ergo ipsa est, quæ habet jus directè, & immediatè adeundi hæreditatem, quod jus licet directè non sit transferibile, quia est personale; indirectè autem transfertur, facta translatione personæ, quæ per professionem fit. Et hinc fit, quòd si religiosus post delatam sibi hæreditatem, vel legatum moriatur ante aditionem illius, potest monasterium talem hæreditatem adire: quia ratione delationis acquisitum est jus monasterio ad talem aditionem: ergo tale jus poterit ad effectum reduci, etiamsi religiosus non existat. Quod secùs accideret in opinione probabili, dicente tale jus vtpotè personale immediatè competere religioso, & ratione illius Religioni; quod si ipse moreretur ante aditionem hæreditatis, illam adire non posset monasterium. Sic Palaus *tract. 16. disput. 3. punct. 5. num. 3. & 6.* Molina *tom. 1. de justit. disput. 140. colum. 3.* Rodriguez *quæst. regul. tom. 2. quæst. 77. artic. 1.* Sanch. *lib. 7. sum. cap. 11. à n. 36.*

Legatum sub conditione relictum, cui acquiritur?

169 Tertia difficultas est, in casu, quo hæreditas, vel legatum relinquatur religioso sub ea conditione, vt ipse illud possideat independenter à Superioris voluntate, an tale legatum sit validum, & firmum? Respondetur, tripliciter hoc posse fieri. Primò, si testator relinquat, tàm commoditatem legati, quàm eius proprietatem, & dominium monacho cum illa conditione, vt non possit Superior illud impedire. Sic probabile est legatum valere, & monasterio acquiri, quia illa conditio, vt impossibilis, & turpis reijcienda est, & sic non vitiat legatum, leg. *Quæ sub condit.* leg. *Conditionibus, ff. de conditionibus instit.* Probabilius est, esse caducum, & nullum: quia religiosus est incapax ratione voti paupertatis totius proprietatis, & dominij; & sic ipsi non potest tale legatum competere: nec etiam monasterio, quia talis clausula, non solùm continet conditionem impossibilem, aut turpem reijciendam, sed substantiam ipsius legati, & sic vitiat illud, vti asserunt Layman *lib. 4. tractat. 5. capit. 7. numer. 21.* Palaus *tract. 16. disput. 3. punct. 6. numer. 1.* Molina *tom. 1. disput. 140.* vers. *Si aliquid testamento.* ¶ Secundò modo potest illa clausula intelligi, vt testator relinquat monacho commoditatem, & dominium monasterio (quod semper præsumendum est, nisi constet de oppositio) sub conditione, *ne Superior possit illam auferre.* Tunc reijcitur illa conditio, vt turpis, & impossibilis, & subsistit legatum, vt ex dictis textibus, & ex alijs pluribus Sanchez *lib. 6. capit. 17. numer. 2.* Palaus *numer. 3.* ¶ Tertiò modo, ita vt legatum Superioris voluntati relinquatur subjectum, addita hac pœna, vt *si Superior vsum, & commoditatem illius neget subdito, cesset legatum, & transeat ad extraneum*, in tali casu valet legatum; & si Superior velit illius commoditatem à subdito auferre, cessat, & transit ad substitutum: quia illa non tàm est pœna, quæ Iudicis sententiam requirat, quàm conditio, sub qua solùm censetur testator relinquere monasterio legatum; & sic, ea cessante, cessat legatum, & tempus, pro quo fuit relictum. Ita cum pluribus alijs Sanchez *numer. 16.* Palaus *n. 4.* Vazquez *opuscul. de redditibus, capit. 3. dub. 2. numer. 12.*

§. II.

Quomodo Religio Minorum, Societatis, & nostra, est, vel non, capax hæreditatis, aut legati?

Minores possunt institui hæredes, aut legatarij rei immobilis.

170 SAcra Minorum, & Capuccinorum familia, quæ inter alias strictiorem in communi paupertatem profitetur, non potest institui hæres cuiuscumque rei mobilis, vel immobilis, sive ab intestato, sive ex testamento, nec est capax legati rei immobilis alicuius, vt constat ex Clementin. *Exivit, de verborum significatione.* Possunt tamen monasteria illius institui hæredes, vel legatarij rei immobilis, quæ non est necessaria religiosorum sustentationi, & quæ incertam mendicitatem non excludat; sed quæ necessaria est ad habitationem, cultum divinum, vel honestam recreationem, vt domus, ecclesia, hortus, vinea, vt inde olera, & uvas accipiant, non vt vinum necessarium, nec vt fructus vendant, hortumve conducant. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 8. capit. 17. numer. 3.* Corduba *in Regul. Div. Francisci, capit. 6. quæst. 10. punct. 2.* Sanchez *lib. 7. summ. capit. 26. num. 19.* His autem præcisis, si hæredes instituantur, non possunt succedere, nec legata recipere, si sint rerum immobilium, sive ab intestato, sive ex testamento; & sic hæreditas transiet ad hæredem ab intestato, vel ad substitutum, si fortè designatus fuerit, & idem est delegato rei immobilis.

Non possùt recipere pretium venditæ hæreditatis.

171 Sed cum hoc discrimine inter hæreditatem, & dictum legatum, quòd hæreditatis sunt incapaces, etiam si instituantur cum clausula, vt hæreditas vendatur, & pretium cedat in ipsorum vtilitatem, & sic non poterunt tale pretium capere sine præjudicio voti paupertatis, quia pretium hæreditatis cum tali clausula competit ipsis ex institutione, sed non possunt vllo modo hæredes institui: ergo, &c. Atque ita docent Corduba *Regula Div. Francisci, cap. 6. quæst. 11. punct. 3.* Sanchez *lib. 7. summæ, cap. 28. num. 11.* Lugo *tom. 1. de justit. disput. 3. sect. 5. num. 98.* Nec est simile, cùm alius instituitur cum obligatione vendendi hæreditatem, & donandi pretium Fratribus Minoribus, quod omnes approbant. Tunc siquidem non recipiunt pre-

pretium ex institutione, sed ex legatione, & mandato testatoris, & donatione obligatoria hæredis instituti. ¶ Et non solùm Minores, vel eorum Conventus non possunt instituì hæredes: verùm neque eorum ecclesiæ, aut sacristiæ; aliàs constitutio negans ipsis successionem hæreditariam eluderetur: cum facilè posset testator optans Minoribus hæreditatem relinquere vti nomine *ecclesiæ*, omisso nomine *Conventus*. Corduba *loco citato*, *punct.* 1. Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 23. *quæst.* 11. Sanchez *numer.* 14. Lugo *numer.* 98.

Pretium legati rei immobilis recipere possunt.

172 At verò respectu legati rei immobilis solùm sunt incapaces, vt immobilis est, seu quando immobilis perseverat. Cæterùm si mobilis fiat, seu vendatur, & pretium illius cedat in commodum illorum, tenet legatum (& sic semper præsumendum relinqui, nisi constet de oppositò) & tunc possunt tale pretium recipere, vt constat ex dicta Clement. §. *Si verò Fratribus*, vt tenent Lugo *disput.* 3. *sect.* 5. *numer.* 11. Palaus *tract.* 16. *disput.* 3. *punct.* 9. *num.* 3. Sanch. *lib.* 7. *summ. cap.* 26. *num.* 29. At verò tale legatum vendi à Fratribus non potest, qui illius dominium non habent; sed vendi debet ab hærede, & ipso negligente, ab executoribus testamenti; qui si omittant, & semel, ac iterum moniti, in omissione perseverent, ab Episcopo, vel à Iudice sæculari vendi debet, & eius pretium in vtilitatem Fratrum converti, cum conditionibus, de quibus statim loquemur circa legata rerum mobilium. Sed hìc notandum est cum Sanchez *supr. num.* 30. Palao *num.* 7. nostro Antonio à Spiritu Sancto *in suo Director. tract.* 3. *disp.* 2. *numer.* 59. non esse necessarias in tali venditione juris solemnitates requisitas in alienatione rerum ecclesiasticarum: quia res illa, dum immobilis est, non censetur ecclesiastica, & sic solùm venditur ex voluntate testatoris. At verò, quandiu non venditur, illius fructus pertinent ad hæredem, qui super illam dominium possidet.

Legata mobilium bonorum possunt minoribus relinqui.

173 Si de rebus mobilibus loquamur, sunt capaces Minores cuiuscumque legati rei mobilis, vt tritici, vini, olei, pecuniæ, quibus necessitatibus eorum subveniatur, vt constat ex dicta Clement. *Exivit*, *de verborum significatione*. Cæterùm in ea, §. *Cupientes*, cavetur, quòd non sint in magna quantitate, quibus mendicitas eorum excludatur, vel non fiant in fraudem ad relinquendam hæreditatem sub titulo legati: nam in tali casu, licèt non reddatur irritum legatum, vel hæres ab eo non liberetur, vt tenet Sanchez *lib.* 7. *cap.* 26. *num* 13. & cum ipso noster Anton. à Spiritu Sancto *suprà num.* 57. prohibentur tamen Fratres illud recipere, & contra paupertatis votum illud recipiendo deNinquunt, siquidem talium bonorum vsum vsurpant contra voluntatem Papæ, qui est eorum legitimus dominus, vt præter dictos Auctores tenet Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 17. Sed possunt ex talibus legatis recipere, & debet illis hæres tantum dare, quantum postulat imminens necessitas; & non magis, nisi alia nova superveniat, quo casu residuum legati solvendum est illis. Sic Pellizar. *num.* 18. Lugo *disp. t.* 3. *num.* 101. N. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 57.

174 Sed rogabis, an sicut prædicti Fratres non possunt legata bonorum immobilium recipere, sint etiam incapaces legatorum, quæ census, aut annuos redditus contineant? Respondetur, non posse talia legata recipere, si census, vel annui redditus legentur, vt ipsi Fratres eos recipiant, & conservent; & tunc erit legatum caducum, transibitque vel ad substitutum, vel ad hæredem ab intestato. Si verò eis legetur census, vt vendatur, & in æstimatione ab ipsis recipiatur (quomodo præsumendum est, nisi constet de oppositò) tenet legatum, & illud Fratres Minores possunt recipere. Sanch. *lib.* 7. *summ. cap.* 26. *num.* 33. Palaus *tract.* 16. *disput.* 3. *punct.* 9. *num.* 11. ¶ Addit Sanch. *numer.* 36. & 37. idem esse dicendum, si pro vita alicuius religiosi relinquatur legatum annuos redditus invendibiles continens: quia cum sit incertum quo tempore duratura sit, non potest dici legatum perpetuum, seu ad longum tempus. Sed verius dicendum est cum nostro Antonio à Spiritu Sancto *supra numer.* 51. Lugo *disput.* 3. *section.* 5. *num.* 102. Palao *num* 14. Rodriguez *in quæst. regular. tom.* 2. *quæstion.* 126. *articul.* 6. non esse capaces talis legati, siquidem legatum pro vita alicuius, maximè si sit iuvenis, vel robustus, moraliter reputatur ad longum tempus, aliàs possent prædicti Fratres succedere in vsufructu, & maioratu religiosi, cùm non durent, nisi pro vita illius.

Non possunt dicti Fratres annuos redditus possidere, nec legata illorum valent.

Pro quibus possint annui redditus minoribus relinquì?

175 Cæterùm dicta *num. præcedent.* intelligenda sunt de annuis redditibus pro sustentatione religiosorum relictis, per quos eorum mendicitas, & strictissima paupertas labefactatur. At si testator gravet hæredem, vel legatarium, vt singulis annis prædictis Fratribus largiatur talem summam moderatam pro expensis necessarijs ad divinum cultum, vini, ceræ, olei, ornamentorum, vel ad fabricam ecclesiæ, vel ad libros comparandos, legatum erit firmum, illudque Fratres poterunt recipere: quia ex illo non tollitur incerta eorum mendicitas, eo quòd tales redditus non cedunt immediatè in eorum vtilitatem, sed in reparationem ecclesiæ, splendorem cultus Divini, vel studiorum exercitationem. Sic Lugo *disput.* 3. *num.* 103. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 42. & *cap.* 26. *n.* 45. Palaus *n.* 15. & 18.

Quid, si vt missarũ stipendia, vel pro infirmis relinquuntur?

176 Sed quid, si dicti redditus relinquantur velut stipendia pro missis, vel pro infirmis curandis? Negant prædicti Auctores, & Suarez *tom.* 3. *de Religione*, *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 32. in vtroque casu legatum valere: quia stipendia missarum assignantur pro sustentatione ministri: cùm ergo summus Pontifex prohibeat eos annuos redditus ad sui sustentationem possidere, sequitur non posse illos vt stipendia annua missarum, neque pro anniversarijs, aut capellis recipere. Et quia satis cedit in eorum sustentationem, quod ad illorum vitæ conservationem ordinatur; hinc dicunt, nec pro infirmis curandis eos posse tales redditus habere. Quamvis probabiliter in vtroque casu dicat noster Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *disput.* 4. *sect.* 1. *numer.* 55. Pellizar. *tractat.* 4. *capit.* 2. *numer.* 106. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 126. *articul.* 4. eos posse annuos redditus habere: quia anniversaria, & redditus pro missis relicti, non tàm legata, quàm stipendia sunt, quæ cum eorum paupertate compatiuntur, & quæ pro infirmis curandis relinquuntur, non tàm pro religiosorum sustentatione legantur, quàm pro medicorum, & inservientium vtilitate.

177 Sacra Societatis Iesu religio in suis domi-

Nostra, & Societatis religio non possit succedere in bonis paternis

domibus professis, & nostra Discalceatorum familia in omnibus Conventibus, & Collegijs (quæ tria duntaxat sunt in omnibus Provincijs) non possunt, succedere ab intestato in hæreditate paterna, vel materna, vel aliorum. Sic respectu nostræ Congregationis habetur *in constitutionibus*, 1. *part. cap.* 7. *num.* 12. Et sic si in nostra Religione novitij ante professionem de suis bonis non disposuerint, succedunt hæredes ab intestato. Quod non tollit posse hæredes instituì, vel legatarios cuiuscumque rei mobilis, vt ibidem habetur, vel etiam rei immobilis, quæ mobilis reddi possit, si vendatur; & pretium in monasterij vtilitatem convertatur: sed debet statim vendi apud nos intra annum, vt habetur *dicto loco constitut. num.* 14. Quod intelligendum est, si opportunitas occurrat venditionis: sin minus retineri, locari, aut conduci potest per breve tempus; nimirum intra decennium, vt tenet noster Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Director. tractat.* 3. *disputat.* 4. *section.* 1. *numer.* 33. Et loquendo de Societate, in qua eadem ratio currit, Sanchez *lib.* 7. *summ. capit.* 27. *num.* 15. Palaus *tract.* 16. *disp.* 3. *punct.* 10. *num.* 2. & 3. Pelliz. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 47.

Nec possũt instituì hæredes, aut legatarij rei immobilis.

178 Neutra autem dictarum religionum succedere possunt, vel in hæreditate, aut legato rei immobilis, quæ mobilis reddi non possit; sed tale legatum erit caducum, transibitque ad hæredem, vel substitutum, si fortè relinquatur; & sic succedere non possunt in jure nominandi ad emphyteusim, in jure patronatus, in vsufructu, in maioratu, &c. Nec in legato rei immobilis, aut census, quæ habeat conditiones, vt vendi non possit. Lugo *disp.* 3. *sect.* 5. *num.* 102. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 27. *num.* 17. nost. Antonius à Spiritu Sancto *numer.* 38. Poterunt tamen succedere in legato, vel hæreditate rei immobilis, quæ necessaria est ad consuetam habitationem, vt domus, hortus, vinea, dummodò non locentur, nec fructus earum vendantur, quamvis ipsis vti ad sustentationem possint, vt notavit Palaus *tract.* 16. *disput.* 3. *punct.* 10. *numer.* 2. Si tamen res necessaria sit ad habitationem, & non occurrat opportunitas aptandæ habitationis, poterit monasterium eam alteri locare: nam retinere redditus pro vno anno non repugnat nostræ paupertati, vt habetur 1. *part. cap.* 7. *num.* 15. *nostrarum constitut.* Addit Lugo *disput.* 3. *sect.* 5. *num.* 99. & cum Pellizar. & Palao, N. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 65. posse tales redditus possidere per spatium infra decennium. Sed notandum est id, quod diximus *num.* 171. *fine*, non requiri ad alienationem rerum solemnitatem, quæ de jure ad alienationem rerum ecclesiæ requiritur: quia hæc est alienatio non libera, sed necessaria, propter incapacitatem retinendi. Lugo *num.* 99. Sanchez *cap.* 27. *num.* 22.

Quos redditus habere possunt nostri Conventus?

179 Poterunt tamen Conventus nostræ religionis (vt habetur 1. *part. nostrar. constitut. cap.* 7. *numer.* 14.) habere perpetuam eleemosynam, & annualem, vel alios annuos redditus ratione fundationis, aut patronatus alicuius Conventus, aut capellæ; aut ratione anniversarij, orationis, vel alterius exercitij religiosi, quæ etiamsi ex hæreditate, vel legato ipsis relinquatur, ea recipere possunt, cum his conditionibus, quæ in dicta constitutione habentur: *Primum, vt fiat præcedente consensu in scriptis exhibito à nostro Diffinitorio, quem maturè præbeat; & non nisi quinque suffragijs concurrentibus, & consulto Provinciali, ac tantum pro illis domibus, quæ aliter secundum nostras constitutiones, & statum paupertatis, quem profitemur, non possint commodè sustentari. Præterea, vt prædicta eleemosyna non sit in bonis immobilibus (quæ vulgò radices vocant) vt sunt domus, agris, vineæ, oliveta, aut his similia, quorum nec dominium, nec administrationem Conventus, aut Collegia nostra habere permittimus, nec super hoc poterit aliquis dispensare.*

Quorum legatorum incapax sit nostra religio.

180 Religiones dictæ, quæ annuos redditus habere non possunt, possunt legata, & vsusfructus ad decem annos recipere, non verò per multum tempus. Ratio primi est, quia talia legata quasi vnius eleemosinæ legatum judicantur, nec per ea tollitur mendicitas, sed sublevatur. Ratio secundi est, quia receptio per multum tempus horum legatorum æquivalet possessioni rei immobilis, cuius sunt incapaces. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 39. N. Antonius à Spiritu Sancto *suprà num.* 50. Idem dicimus de legatis relictis pro vita vnius religiosi, quæ moraliter ad multum tempus judicatur, vt diximus *numer.* 174. Habent tamen dominium talium legatorum, etiamsi sint rerum immobilium, quæ vendi possunt. Et similiter aliarum immobilium rerum, sive per testamentum, donationem, vel quovis alio modo ad ipsas pertinentium, vt eas vendant, & pretium in vtilitatem religionis convertant: sunt enim dominij capaces (in quo differunt à Minoribus incapacibus dominij, ob quam rationem diximus contrarium circa illos inveniri *numer.* 172.) & non repugnat capacitas dominij circa res immobiles modo dicto cum incapacitate habendi annuos redditus, quæ apud dictas religiones reperitur. Lugo *disput.* 3. *section.* 5. *numer.* 100. Pellizar. *tractat.* 4. *capit.* 2. *numer.* 52. noster Antonius à Spiritu Sancto *tractat.* 3. *disput.* 4. *sect.* 1. *numer.* 62. Sanch. *lib.* 7. *capit.* 27. *numer.* 22. & sic omnia legata, & bona illis relicta debent eis tradi cum omnibus fructibus antea ab hæredibus susceptis, & ab ipsos pertinet ea vendere ratione juris, ac dominij. Ita Auctores *citati.*

Si hæres teneatur ad dãdam talem eleemosynã annuã Conventibus, illam recipiẽdi sunt capaces.

181 Sed rogabis, an si testator relinquat hæreditatem, vel legatum alteri cum onere, & obligatione dandi per singulos annos talem eleemosynam nostris Conventibus, vel alijs incapacibus habendi annuos redditus in communi, possint tales Conventus huiusmodi annuos redditus recipere, & legatarius, vel hæres ad illos reddendos ipsis teneatur? Respondetur affirmativè, quamvis in dictis religionibus non detur jus civile ad talia bona, seu jus in re, vel ad rem ad illa, & hæres solùm testatori maneat obligatus ad talia bona sic distribuenda: quia sub ea conditione hæreditatem adivit; & stat aliquam personam non habere jus in re, vel ad rem respectu alterius, nec posse agere civiliter contra illum; & tamen ipsum esse obligatum alteri ad tribuendum aliquid tali personæ: sicut si aliquis voveret Deo talem summam se distributurum inter pauperes, pauperes non haberent jus ad rem, vel in re respectu illius summæ, & tamen vovens, ex obligatione contracta respectu Dei, tenetur pauperibus eam eleemosynam dare. Sic Sanchez *lib.* 7. *capit.* 27. *numer.* 7. Palaus *tractat.* 16. *disput.* 3. *punct.* 10. *numer.* 5. Pellizar. *tractat.* 4. *cap.*

cap. 2. num. 53. noſter Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. diſput. 4. numer.* 54. ¶ Sunt etiam capaces dictæ Religiones, quæ aliàs annuos redditus habere non poſſunt, ſed dominium in communi habent, recipiendi legata, & annuos redditus in perpetuum pro fabrica eccleſiæ, pro cultu divino, pro emendis libris, pro infirmis curandis: quia per hæc à mendicitate non liberantur, quia non ob id recipiunt, quæ ad victum, & veſtitum ſunt neceſſaria. Pellizar. *num.* 106. N. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 55. Rodrig. *in quæſt. regular. 2. tom. quæſt. 126. art. 4. & 5.*

§. III.

De incapacitate, quam habent Religioſi habendi dominium in particulari.

Quilibet religioſus eſt incapax dominij.

182 PEr votum ſolemne paupertatis privatur religioſus omni jure dominij vſusfructus, vſus rei, poſſeſsione, vel adminiſtratione, prout important aliquid juris; & ſolùm vſus facti, ſeu vſus rerum neceſſariarum eis conceditur dependenter à Superioris voluntate: quia, vt inquit Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 5. paupertas religioſa eſt voluntaria rerum abdicatio, per quam religioſus earum proprietate privatur. Cap. *Non dicatis* 12. *quæſt.* 1. ibi: *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia*, cap. *Ad monaſterium 6. de ſtatu monachorum*, cap. *Monachi* 2. *eodem titulo.* Et Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* & ſic non poteſt religioſus facultatem habere vtendi aliqua re ex propria voluntate independenter à voluntate Superioris. Leſsius *lib.* 2. *capit.* 4. *dub.* 5. Lezana *tom.* 1. *capit. 6. numer.* 2. N. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſputat.* 4. *numer.* 4. Quæ autem licentia Superioris requiratur ad vtendum talibus rebus? quando ſufficiat tacita, vel præſumpta, vel detur? & alia huiuſmodi in particulari, agentes de voto paupertatis ſuo loco dicemus.

Quibus caſibus contra paupertatis delin ligio

183 Ex dictis *numer. præcedent.* ſequitur mortaliter peccare contra votum paupertatis religioſum: Primò, ſi aliquid notabilis momenti recipiat, aut retineat abſque præſumpta, tradita, vel expreſſa licentia Superioris. Secundò, ſi quomodolibet aliquid alienet, donatione, venditione, aut permutatione abſque Superioris conſenſu; & teneri ad reſtitutionem eum, qui à religioſo talem rem accipit. Tertiò, ſi aliquid celet Superiori, & clam abſcondat, ne ſuperior ſciat. Similiter ſi poſsideat aliquid tanquam proprium, nolens illud permittere Superioris diſpoſitioni: quia dum omnia hæc abſque beneplacito Superioris fiunt, ſunt actus juris proprietarij, & dominij independentis, quo per votum paupertatis abdicatur religioſus; & ſic per illos violatur tale votum; & conſequenter ſunt illiciti contra illud. Hæc ſunt apud Doctores communiſsima; ſed quomodo hæc in particulari ſint intelligenda, non pertinet ad iſtum locum, in quo ſolùm de pertinentibus ad dominium, cuius ſunt incapaces religioſi, agimus.

184 Cæterùm ſicut ex D. Thoma *num.* 163. dicebamus, non omnes Religiones eadem paupertate gaudere in communi; ſic in particulari, non eſt eadem apud omnes paupertas, ſed aliæ ſtrictiorem profitentur, aliæ minus ſtrictam, quæ menſuranda eſt ex vſu communi, ſcientibus, & non cuntradicentibus illius Religionis Prælatis, eo quod cenſetur in eis conceſſa facultas generalis ad illos actus, qui ex tali conſuetudine exercentur, licèt aliàs eſſent contra votum; & ſic non peccant dando, accipiendo, vel vtendo juxta morem illius Religionis. Sanch. *lib.* 7. *Summ. cap.* 19. *numer.* 7. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 41. *numer.* 19. N. Antonius, à Spiritu Sancto, *tract. 3. diſputat.* 4. *ſection.* 2. *num.* 69. ¶ Ex quo infert, paupertatem noſtrorum religioſorum in particulari ſtrictiſsimam eſſe; ſiquidem non ſolùm vniverſali conſuetudine, ſed etiam ex lege non poſſunt ſibi applicare vſum rei, quantumvis minimæ; ſed omnia, ſive parva, ſive magna, debent illis applicari juxta cuiuslibet neceſsitatem: nec aliquis religioſus, ſive ſubditus, ſive Prælatus, poteſt ſibi retinere vſum alicuius rei, etiam parvæ, ſive in Conventu, ſive extra, præter illud, quod religio ſolet vnicuique dare ad vſus neceſſarios. Vnde omnia bona, quæ religioſi acquirunt, ſive ratione prædicationis, ſacrificij, lectionis, aut cuiuſcumque tituli, ſtatim debent integrè tradi Prælatis, & Communitati incorporari, taliter vt non ſolùm pecunias, ſed etiam neque res comeſtibiles, aut etiam poculenta liceat religioſis, etiam Prælatis, vllo titulo habere.

Non eſt omnium religioſorum eadem paupertas, ſed noſtrorũ ſtrictiſsima eſt.

Etiam donati ſunt dominij incapaces.

185 Quod dictum eſt de incapacitate religioſorum ad habendum aliquod rei dominium, intelligendum eſt etiam de Donatis, qui profeſsionem ſimplicem poſt biennium in noſtra religione emittunt: quia tales verè ſunt religioſi, profitenturque votum paupertatis ſecundùm regulam primitivæ obſervantiæ, ſecundùm quam omni proprietate, & dominio abdicantur, quandiu ſub Ordinis poteſtate degunt, & ſic ſunt incapaces cuiuſcumque dominij, ſimiles quoad hoc Coadintoribus formatis, temporalibus, vel ſpiritualibus Societatis Ieſu, qui quamvis vota ſimplicia emittant quia tamen ſunt veri religioſi, ſunt incapaces cuiuſcumque dominij. Sanchez *lib.* 7. *ſumm. cap.* 18. *num.* 24. N. Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. diſput.* 4. *ſect.* 1. *num.* 37. Lugo *diſput.* 3. *ſect.* 4. *num.* 76.

Religioſi teſtari non poſſunt, & quo jure?

186 Ex hac incapacitate dominij, quam religioſi habent in particulari, provenit ex natura rei non poſſe diſponere de ſuis rebus abſque debita licentia, nec per teſtamentum, aut codicillum, aut donationem cauſa mortis, & ſic contra hoc nequit aliqua conſuetudo prævalere, quia huiuſmodi actiones independenter ab alterius voluntate ſolùm exercere poſſunt, qui ſunt domini illarum rerum, de quibus diſponunt. Cæterùm ex jure poſitivò prohibetur eis teſtari, aut codicillum facere, etiam de licentia ſuorum Prælatorum: & talis diſpoſitio, non ſolùm eſt illicita, ſed nulla, nec Prælati talem licentiam concedere poſſunt. Authentic. *Ingreſſi*, Cod. *de ſacroſanctis eccleſijs*, *capit.* 2. *de teſtament.* capit. *Quia ingredientibus* 19. *quæſtion.* 3. Diximus hoc ex jure tantum poſitivo haberi, non ex jure naturæ, & ſic poſſet contra illud prævalere conſuetudo. Nam ex jure naturæ non repugnat, quòd ſicut in vita poteſt religioſus, habita licentia

centia sui Prælati de suis rebus, quæ ad vsum habet, disponere, ita & in morte. Congruentèr autem hoc jure positivo prohibitum est, non illud; quia donationes in vita factæ magis necessariæ sunt ad hominum convictum; vt sicut religiosus, dum vivit, ab alijs potest de licentia Prælati accipere, simili modo possit alijs donare, quod post mortem non est necessarium. Vnde super hoc nullus præter summum Pontificem potest dispensare, & posse ipsum, & non alium, ad testandum Religiosis licentiam præbere, probant Sanchez *lib. 7. summ. capit. 8. numer. 44.* Palaus *tractat. 16. disput. 3. punct. 2. à numer. 12.* Lugo *disput. 3. sect. 6. à n. 109.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. num. 204.* Lesius *lib. 2. cap. 41. num. 71.*

Potest Religiosus de suis bonis disponere donatione causa mortis, cum debita licētia.

187 An verò religiosus de licentia sui Prælati possit de suis bonis, quæ habet ad vsum, disponere per donationem causa mortis? Affirmativè respondendum est cum Sanchez *num. 11.* Pellizar. *num. 202.* Lugo *num. 122.* noster Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Director. Regul. tract. 3. disp. 4. num. 236.* dummodò talis donatio sit moderata, & proportionata suo statui: quia non ex natura rei id prohibetur, vt dictum est. Maximè, quia non apparet, quare religiosus possit in vita donare librum de licentia sui Prælati, & non causa mortis, vt post illam habeat effectum. Nec etiam ex jure positivo, quia in citatis juribus *num. præcedenti*, solùm testamentum condere eis prohibetur: & licèt sit regula generalis, non potentem testari, non posse donare causa mortis, intelligitur de eo, qui non potest testari, ex defectu ætatis: non de eo, qui ex prohibitione legis ad testandum non habet potestatem.

Teneatur ne Prælatus implere promissionē religioso mortis tempore factam?

188 Sed inquires, an si religiosus mortis tempore, vel ore tenus, vel in scriptis declaret suo Prælato suam voluntatem, non per modum testamenti, sed solùm rogando illum, vt his, vel illis suas res, quibus vtebatur, post suam mortem impertiatur, & Prælatus id facturum promittat illas eo modo distribuere, teneatur talem promissionem implere? Et non loquimur casu quo tales res inter religiosos sibi subditos essent distribuendæ: quia sicut semper manet Prælatus cum facultate ad illas auferendas ab eis, etiam post distributionem; ita posset à tali distributione recedere; sed quando essent extraneis elargiendæ.

Nec civiliter, nec naturaliter tenetur Prælatus dictam promissionē implere.

189 Ad quod respondent aliqui, Prælatum in tali casu, quamvis non maneat civiliter obligatus ad adimplendam promissionem; & sic illi, in quorum favorem est facta, non habeant actionem in judicio contra eum: manere tamen obligatum naturaliter, id est, in conscientia, & coram Deo, sicut Dominus potest servo naturaliter obligari. Sic Sanchez *lib. 7. summ. capit. 8. numer. 18.* Pellizar. *tractat. 4. capit. 2. num. 207.* noster Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. disput. 4. numer. 239.* Ex quo sequitur, quòd si in vita Prælatus concederet licentiam aliquam subdito, cum promissione se numquam eam revocaturum, esse obligatum naturaliter ad numquam eam revocandum. ¶ Sed vnum, & alterum falsum judicamus, & dicimus, posse Prælatum, & in secundo casu licitè licentiam revocare, & in primo promissionem non implere. Quia nequit Prælatus obligari ad præbendam licentiam irrevocabiliter: quia hoc esset contra votum paupertatis, quod exigit, vt omnia, quibus vtitur religiosus, dependentèr à voluntate Prælati habeat: & sic quamvis promittat non revocare licentiam, non potest ad hoc naturaliter obligari. Alias non ita benè provisum esset religioso statui, si talis capacitas relicta esset. Quid enim interest Prælatum non manere civiliter obligatum ad non revocandam licentiam, si naturaliter in conscientia, & coram Deo ad hoc manet obligatus? Ita Suarez *tom. 3. de religione, lib. 8. cap. 12. num. 14.* Magister Texeda *lib. controv. moral. tract. 2. controv. 12. n. 14.* quem refert, & sequitur Lugo *disp. 6. sect. 6. num. 114.*

Nequit religiosus factū à se testamentum revocare.

190 Sicut religiosus nequit testari, sic nec testamentum à se factum ante professionem revocare; quia perinde est, ac si esset mortuus: potest tamen illud declarare in casibus dubijs declaratione verbis congruenti. Et similiter, si aliqua legasset operibus pijs posteà à se declarandis post professionem, poterit in illa opera res distribuere, quæ in mente habebat, quando testamentum condidit. Sanchez *lib. cap. 11. num. 5.* Qui licèt ibi *num. 19.* dicat difficile hoc esse respectu aliorum operum, quæ in mente non habebat, tamen *lib. 6. cap. 11. num. 32.* dixit, posse: & *num. 61* posse religiosum, cui commissa fuerat electio pauperum, quibus eleemosyna tribuenda erat, eligere quos voluerit, & se ipsum, & sibi partem applicare? Ex quo sequitur, posse sibi reservare electionem pauperum, vel declarationem illorum, quibus hæres debeat eleemosynam dare: & posteà eligere seipsum. Et tunc eam recipere potest, de licentia tamen Prælati: sicut alias res, quas ad vsum habet applicatas, cum dependentia à tali consensu habet.

Religiosi militares in sæculo degentes testari possunt.

191 Inquires secundò, an religiosi professi Ordinum militarium possint condere testamentum? Pro solutione nota, quòd ex his alij sunt laici in sæculo vitam communem cum alijs sæcularibus degentes: alij sunt clerici, & horum alij intra claustra degunt, alij extra, vel beneficio inservientes, vel aliquam habentes administrationem. Dicimus ergo, religiosos Militares Equites in sæculo degentes testari posse, tùm ex consuetudine, tùm ex concessione summorum Pontificem. Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 16. num. 22.* Sanch. *lib. 7. summ. cap. 8. à numer. 29.* Palaus *tractat. 16. disput. 3. punct. 12. n. 6.* ¶ Et hoc verum est, eos scilicèt posse testari, non solùm ex bonis patrimonialibus, sed etiam ex fructibus commendarum: quia ex consuetudine disponere possunt de omnibus suis bonis, non minùs ac alij sæculares. Ita citati Auctores. Qui benè advertunt, quòd, vt licitè modo dicto de suis bonis disponant, servare debent circumstantias in suis legibus, & consuetudinibus præscriptas. ¶ Extenditur dicta doctrina ad Equites Div. Ioannis, qui dicuntur Hospitalarij, qui licèt matrimonium contrahere non possint, quia tamen vitam in sæculo degunt alijs sæcularibus communem, consonum fuit votum paupertatis non ita strictè eos obligare, sed quod permitteret eos habere dominium suorum bonorum, & quòd de illis liberè disponerent ex Superiorum licentia, habita eo modo, quo apud illos est in consuetudine; sed quia solum ex regula talis licentia exigitur, etiam sine illa, testamentum, aliave ab illis dispositio facta valebit.

192 At verò religiosi clerici Militares, qui sunt

Quid de religiosis militaribus clericis sit sentiendum?

sunt intra claustra, nequeunt testamentum condere, sicuti nec alij religiosi professi, quia solemne votum paupertatis, sicut alij religiosi, emittunt, quo dominio, & proprietate qualibet privantur, nec sunt quoad facultatem testandi alicubi excepti. Si verò extra monasterium degant, ex legitima licentia testandi habere facultatem de quibuscumque bonis, dummodò singulis annis illorum inventarium faciant, & suo Superiori illud præsentent, & insuper tertio quoque anno à suo Superiore licentiam testandi petant, ex concessione Clement. VIII. asserunt Sanch. *lib.7. à cap.8. num.38.* Palaus *supr. num.9.*

§. IV.

Quorum bonorum dominij sint Religiosi in particulari capaces?

Rerum spiritualium habere potest religiosus dominium.

193 QUamvis religiosi in particulari bonorum temporalium pretio æstimabilium non sint capaces dominium habendi, possunt tamen bonorum spiritualium dominium in particulari possidere. Undè religiosi beneficiarij dominium, aut quasi dominium suorum beneficiorum habent, possuntque agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & possessionem recuperandam: & etiam possunt agere super jure eligendi sibi competente, super jure manendi in tali, vel tali monasterio, vel tali officio: quia religiosi per votum paupertatis non renuntiant spiritualibus bonis, nec vtilitatibus, aut honoribus, quæ pro eis ipsis debentur, vti ex D. Thom. probat Lessius *lib.2.cap.4.dub.5.n.26.*

Aliquæ res enumerantur, quarum dominiū habet religiosus.

194 Similitèr possunt accipere, & retinere reliquias Sanctorum, Agnus Dei, &c. absque licentia, & violatione voti paupertatis, & de eis disponere, quia licèt sint magni valoris, non sunt pretio æstimabilia. Lezana *tom. 1. cap. 6. num. 4.* Pellizar. *tractat.4.capit.2.numer.316.* quos refert, & sequitur N. Anton. à Spirit. Sanct. *in suo Director. tractat.3.disput.3.num.153.* Qui benè addit, requiri licentiam Prælati ad retinendum, emendum, accipiendum medalias, imagines, grana benedicta, camandulas, cruces, & alia huiusmodi, quia hæc pretio comparantur. Sufficere tamen præsumptam, quæ tunc rationabilitèr datur, quando ad ea distribuenda inter benefactores Ordinis habentur, quia tunc solùm quoad modum, non quoad substantiam invitus judicatur Prælatus, nisi sint in magna quantitate ad arbitrium viri prudentis, & religiosi.

Religiosus in manuscripta domi nium possidet.

195 Inquires autem primò, an professus religiosus habeat verum dominium in sua manuscripta, ita vt secum deferre, quocumque vadat, donare, comburere possit, aliave circa illa exercere, quæ sunt propria munia proprietarij? Respondetur affirmativè, sive manuscripta sint propria, sive ab alio donata, sive proprio, sive alieno studio elaborata, & ea donare causa mortis absque Prælati licentia. Tùm, quia manuscripta, vtpotè idæa mentis, sunt quid spirituale. Tùm etiam, quia accessorium sequitur naturam principalis; sed manuscripta sunt scientiæ accessoria, vtpotè illi deservientia, & illius partus, ac subsidium: ergo sicut scientia non cadit sub voto paupertatis, ita nec manuscripta; & sic poterit religiosus illorum dominus constitui. Tùm denique ex praxi, & communi vsu, & consuetudine Religionum, etiam reformatarum. Lugo *disput.3.numer.230.* Pellizar. *tractat.4. capit.2.numer.318.* N. Anton. à Spirit. Sanct. *tractat. 3. disput. 4. numer.234.* Diana 1. *part. tractat.6. resolution.25.* Ex quo sequitur, peccare Prælatum, qui absque justa causa scripta alicuius religiosi, vel igni mandat, vel edit alieno nomine, sine licentia Authoris, justa tamen interveniente causa, sine scrupulo alterutrum facere potest. Quemadmodum nemo potest sine causa gladium alterius auferre: poterit tatem, si illo se, vel alios occidere tentaverit. Sic scripta religiosi comburere, vel nomine alterius religiosi, vel eius Prælati edere possunt, si damnosa religioso, vel Religioni judicaverint.

Potest religiosus missas pro amico celebrare, etiamsi amicus pro illis recipiat stipendium.

196 Inquires secundò, an possit religiosus missas celebrare pro amico, quem scit stipendium pro illis accipere, casu quo non detur in eius Religione obligatio celebrandi pro intentione Prælati: sicut datur apud nos ex constitutionibus nostris 1. *part.capit.10. numer.7.* Respondetur affirmativè, quia quidquid dat amico, spirituale est, cuius dominium est apud religiosum: quod autem amicus stipendium pro missa recipiat, vel non, per accidens est respectu religiosi. Aliud esset, si talis religiosus stipendia reciperet; hæc enim sine legitima licentia amico impertiri non posset: quia, cum sit monasterij, quidquid temporale monachus acquirit, cui se, & omnia sua dedicavit; iam illius stipendij monasterium redditur dominus, illudque proindè distribuere sine licentia Superioris erit contra votum paupertatis. Idem dicimus de alijs pijs operibus, & exercitijs, vt orandi, prædicandi, legendi, quorum etiam dominus est religiosus, sicut omnium actionum suarum naturalium, & supernaturalium; quæ tametsi sub voto obedientiæ comprehendantur, ac proindè contra præceptum Prælati nequeant exerceri à religioso in obsequium alterius; non autem cadunt sub voto paupertatis, & sic contra illud non agit, qui contra præceptum Prælati talia exercitia in obsequium alterius exhibet; etiamsi alterum eleemosynas pro illis recipere non ignoret. Dictum circa applicationem missæ tenent noster Fr. Antonius à Spiritu Sancto *numer. 252.* & in simili Palaus *tractat.16. disput.3. punct.12. numer.6.* Caramuel alios referens *in Theologia Regulari, disput.59. numer.881.*

Religiosus artefacta pro se elaborata acquirit monasterio.

197 Inquires tertiò, an artefacta, & pictura, sculptura, aliudvè opus elegantèr elaboratum sit sub dominio monasterij, vel religiosi artificis, qui illa perficit: ita quod iste, absque licentia sui Prælati possit ea impendere alijs, sine præjudicio voti paupertatis? Respectu huius quæsiti duo, vt certa, supponimus, & circa vnum est dubitatio. Supponimus enim primò, quòd si religiosus artifex picturam, v. gr. à se elaboratam apud se retineat, seu eam elaboravit animo sibi eam applicandi ad vsum, talis pictura non est illius, sed monasterij, proindèque absque legitima licentia illam donare erit contra votum paupertatis. Ratio est manifesta, quia quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit: ergo quamvis sit in eius potestate elaborare, vel non, talem picturam; postquàm verò illam sibi

sibi elaboravit, monasterio acquisivit : quem dmodùm licèt sit in potestate Prædicatoris concionari, vel non ; postquàm tamen ob concionem eleemosynam recepit, illam monasterio acquisivit.

Religiosi choro non deputati nõ possunt pro alijs artefacta elaborare.

198 Similitèr, vt certum supponimus, quòd si religiosus solemniter professus sit Donatus, conversus, aut alio modo ex vi suæ professionis ad actiones vitæ activæ addictus secundum suam capacitatem, & Prælati dispositionem, non poterit opera sua in obsequium alterius applicare, sed omnia ab ipso facta sunt monasterij : & ratio est, quia artefactum est artificis, sicut effectus est suæ causæ ; sed artifex, qua talis, est monasterij, quia vota emisit in ordine ad exercitia artium extrinseca, &, vt sic, est in monastrio receptus : ergo etiam ipsum artefactum monasterij erit. Undè his horis, quibus tenetur pro monasterio elaborare, non poterit absque licentia legitima aliquid pro extraneo exercere. Cæterùm, si debitis horis elavoraverit, & monasterio inservierit, poterit pro amicis per vnam, vel alteram horam aliquid efficere : sicut servus, qui post, debita obsequia domino exhibita, poterit pro alijs obsequia exhibere. De artefactis verò ab ipso elaboratis in die festo (licitè, vel illicitè fiant) idem judicium ferendum erit, ac de artefactis exhibitis ab alijs religiosis choro deputatis, quia sicut isti non voverunt vitam activam, sic nec illi se operaturos in diebus festivis.

Chorista religiosus potest pro alijs pingere, cælare & alia [illegible] e-

199 At circa religiosos (& idem est de monialibus) choristas est maior difficultas, an ita sint domini suarum actionum naturalium, vt eas exhibere (absque licentia Prælati) in obsequium amici possint ; proindèque artefacta, aliasve res curiosas efficere animo eas donandi extraneis ? Respondetur affirmativè, si amicus dederit materiam, putà aurum, argentum, sericum, colores, &c. Nam si hæc à communitate recipiat, sine tacita, vel expressa licentia Prælati, peccabit contra votum paupertatis juxta gravitatem materiæ. Dicimus ergo religiosum, exhibitis expensis ab amico, posse inservire illi, pingendo, transcribendo, cælando, aliudve eximium opus exercendo. Tùm propter oppositam rationem numeri præcedentis, quia religiosi choristæ non voverunt vitam activam, nec sunt, qua artifices, addicti Religioni, sed qua monachi. Tùm etiam, quia sicut potest religiosus obsequium ab amico recipere, sic potest illi inservire, suamque operam ei gratis exhibere. Sic Pellizar. *tract.* 4. *capit.* 2. *numer.* 295. Bonacin. *in tract. variar. disput.* 3. *punct.* 1. *num.* 5. N. Fr. Antonius à Spiritu Sanct. *tract.* 3. *disput.* 4. *numer.* 241. Lug. *tom.* 1. *disput.* 3. *numer.* 149. Diana 7. *part. tract.* 11. *resolut.* 18. Quod verum est, etiamsi Superioris præceptum habeat de non exercendis talibus operibus pro extraneis ; tunc enim peccabit contra votum obedientiæ, non contra votum paupertatis ; & sic eodem modo peccaret, si contra tale præceptum pretiosissimam imaginem pingeret, ac si vilissimum elaboraret.

Quid sit peculium ? & de quo in præsenti?

200 Inquires vltimò, an liceat religiosis peculium habere ? Non loquimur de peculio, quod suo nomine absque Superioris consensu à monachis posideretur, quia certum est ipsos sicut sunt incapaces dominij per votum paupertatis, ita cuiuscumque peculij ad nutum Superioris irrevocabilis ; imò nec ex licentia Superioris illud habere posse, est certissimum, ad omnes vsus quoscumque voluerint. Sed solùm est dubium de peculio concesso à Superiore ex legitima causa ad solos vsus honestos, & pios. Nomine autem *peculij*, intelligimus annuos redditus, census vitalitios, aliamve retentionem bonorum immobilium, non ad præsentaneum vsum, sed ad vsum successu temporis contingentem : & non loquimur de Religionibus reformatis, in quibus ex suis consuetudinibus, vel constitutionibus vsus talis peculij prohibetur, vti in nostra contingit, *ex* 1. *part. constitut. capit.* 7. *numer.* 7. Ac denique non loquimur de jure antiquo, an juxta illud licitus esset peculij vsus, quia valdè recepta est inter Authores pars affirmativa, ex cap. *Monachi, de statu Monach.* & ex cap. *Finali, qui Clerici, vel voventis* : sed quid tenendum sit nunc de facto juxta jus novum Concil. Trident. *sess.* 25. *capit.* 2. *de Regularibus* ? Si enim ex jure aliquo non prohiberetur vsus peculij, ex vi voti paupertatis non esset prohibitus, quia loquimur de peculio ad nutum Superiorum revocabili, quod paupertati religiosæ ex natura sua minimè contradicit.

Non esse contra Concil. Trident. habere peculium, aliqui dicunt.

201 Igitur prima sententia tenet, Concilium Trident. in dicto loco non condere jus novum, sed confirmare antiquum, secundùm quod solùm erat prohibitum peculium ex levi causa concessum, vel indifferenter, aut generalitèr ad omnes vsus, vel denique quod ad nutum Superioris non esset revocabile, propriumque proindè diceretur. Undè cum ex jure antiquo non esset prohibitum peculium ex justa causa concessum ad vsus pios, & honestos, revocabile ad nutum Superioris, asserit, nec ex vi Tridentini esse prohibitum. Quod ex praxi, & communi vsu Religionum, adhuc post Tridentinum observato, probat, in quibus passim religiosis, precipuè monialibus, tale peculium permittitur, vt sibi consulant pro necessitatibus sibi occurrentibus, illudque in pia opera juxta morem suæ Religionis expendant. Sic Sanch. *lib.* 7. *sum. capit.* 22. *numer.* 11. Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 30. Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1. *quæst.* 18. *artic.* 2. Gordon. *libr.* 3. *quæst.* 2. *num.* 16. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *numer.* 196. & alij.

Peculiũ habere, est cõtra decretũ Concilij.

202 Secunda sententia (quam nos probabiliorem judicamus) dicit, Concilium Tridentinum novum jus statuisse, quo omne peculium prohibuit, vt paupertatis professionem, & observantiam reformaret, vt constat ex eius verbis, *sess.* 25. *capit.* 2. vbi inter alia dicit : *Nemini liceat bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere ; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, aut vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.* Ubi non solùm prohibet peculium (seu bona mobilia, aut immobilia, ad proprius vsus reservata) independenter à Superioris voluntate comparatum, seu habitum, & sicut proprium ; sed etiam nomine Conventus, id est, ex consensu superioris, qui nomine Conventus agit ; sed dicit, quòd omnia *Conventui incorporentur*, id est, bona communia fiant ad vsus totius conventus. Et cùm absolutè

lutè loquatur, etiam intelligitur de peculio ex justa causa concesso; eam namque peculiarem administrationem horum bonorum denegat Concilium religiosis particularibus, quam concedit officialibus conventus: quibus non nisi ex justa causa talis administratio est licita. Ac tandem dicendo, *nec deinceps liceat, &c.* denotat non firmare jus antiquum, sed novum inducere, quod ab illo puncto exoriri, prohibitionemque incipere, estò anteà non fuisset, statuit. Atque ita docent Basil. Pont. *quæst.* 91. *scholast. cap.* 4. Vazq. *opuscul. de redditib. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 14. quos refert, & sequitur Palaus *tract.* 15. *disp.* 3. *punct.* 7. *numer.* 5. tenet etiam Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 8. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *q.* 4. *punct.* 3. *col.* 4.

Ex consuetudine contra legem permissum est habere peculium.

203 Sed notant prædicti Authores, quod licèt tale peculium ex jure Tridentini sit prohibitum; tamen consuetudinem ferè omnium religionum non reformatarum prævaluisse adversus prædictam legem; præcipuè in monialium Conventibus, in quibus ex licentia Superiorum, particularibus conceditur annuos redditus habere, & mobilium bonorum administrationem ad usus pios, licitos, & necessarios; & ex hac consuetudine licet singulis religiosis ex consensu Superiorum illa habere bona, vt sibi prospiciant, & in usus honestos expendant. Deserviet autem nostra sententia, vt ex illa inferatur, non licere in religionibus, in quibus talis consuetudo non prævaluit, peculium proprium habere; peccareque mortaliter Prælatos licentiam ad illud concedentes juxta regulas generales, de quibus diximus *tract.* 11. *de legibus, capit.* 6. *num.* 17. peccare mortaliter, qui contra legem introducunt consuetudinem toto tempore ante præscriptionem illius; quod secundùm aliquos est per decennium, in quibuscumque legibus, & secundùm nos per quadrigennium, si præscribat consuetudo contra legem ecclesiasticam; & per decennium, si contra civilem, vt ibidem *n.* 16. diximus.

Quæ conditiones servandæ sint, vt peculiũ non fiat cõtra paupertatis votum.

204 Verùm secundùm relatæ sententiæ Authores esset contra paupertatis votum, si religiosus Superiori volenti concessum sibi peculium revocare resisteret, aut paratus non esset illud à se ad eius nutum abdicare; modò aliunde satis illi provideatur secundum consuetudinem Ordinis, & personæ qualitatem. Neque enim teneretur subditus dimittere peculium, Superiore jubente, nisi sufficienti ratione constaret illi ex communi penu sibi prospectum fore. Et addunt, si à Superiore legitimo alia ratio certa institueretur, per quam juxta formam vitæ communis satis necessitatibus religiosorum consuleretur, non posse illos huic reformationi resistere, etsi priorem vivendi formam in ingressu religionis invenirent, vti docent Sanch. *lib.* 7. *sum. cap.* 22. *n.* 15. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 5. *num.* 31. & 32. Gordon. *lib.* 3. *quæst.* 2. *numer.* 16. Apud quos videri poterunt causæ legitimæ, & sufficientes, vt religiosis tale peculium in particulari concedatur.

§. V.

Cui acquirat Religiosus bona, quæcumque acquirit?

Cui conveniat, aut religioni bona acquisita à religioso applicentur?

205 CUm iam dixerimus religionem, aut monasterium habere dominium super omnia bona, quæ quomodolibet, sive ex industria, donatione, hæreditate, legato, religiosus acquirit; cùm ea omnia, quæ religiosus acquirit, monasterio acquirat: restat scire, cui monasterio talium bonorum dominium competat. Circa quod observandæ sunt constitutiones, & consuetudines singulorum Ordinum. In aliquibus namque semper acquirit Conventui, in quo professionem emittit, & eius filiationem habet; in alijs verò, vt in nostro, semper acquirit illi domui, in qua non vt hospes, sed vt conventualis residet. At religiosus in quocumque Ordine, si cum debita licentia de vno in alterum ordinem transferatur; quæcumque bona, sive patrimonialia, sive quæ ex industria; aliove modo ante transitum acquisierat, ad primum Ordinem pertinent, tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum (imò etiam in nostra religione, si de vno in alium Conventum transferatur, omnia bona ab ipso quæsita ante transitum pertinent ad priorem conventum.) Et ratio est, quia lex concedens bona professi, quæ acquisivit, monasterio, quæcumque sint, non applicat ea illi sub conditione futuri eventus, sed absolutè: bona autem alicui absolutè applicata non possunt ab eo tolli ob futurum eventum. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 4. Lugo *disp.* 3. *n.* 227.

Idem dicendum est de monialibus de vno monasterio trãslatis in aliud.

206 Qui dicunt, hoc habere etiam locum in monialibus, quæ, si transferantur ad aliud monasterium, non debent suam afferre dotem, quam ad primum monasterium attulerunt, ob eandem rationem. Si tamen translatio fiat ad vtilitatem, & instantiam prioris monasterij, istud obligabitur ad designanda eis alimenta sufficientia. ¶ Addimus nos, quod si talis monialis in priori monasterio peculium proprium habebat, non poterit illud secum ferre, cùm ad aliud transferatur (idem dicimus de religiosis ex legitima licentia de vno in alterum Ordinem transeuntibus) quia dominium, & proprietas illius peculij absolutè applicatum erat priori monasterio, & monialis solum habebat vsum, & vtilitatem. Quam secum afferre poterit ad aliud monasterium, si Abbatissa prioris annuerit, quæ totum peculium auferre poterit, cum dependenter ab eius voluntate retineatur ab inferiore.

Cui acquirat religiosus beneficiarius?

207 Sed nunc rogabis primò, cui acquirat religiosus beneficiarius, qui ex legitima licentia alicui inservit beneficio? Circa istum casum idem dicendum est, ac suprà diximus de religioso ad episcopatum assumpto *hoc cap. numer.* 160. in casu quo talis religiosus omninò eximatur ab obedientia Prælatorum; & ideò dicimus, tunc omnia quæcumque acquirit, non monasterio, sed suæ ecclesiæ, cui inservit, acquirere, habens in se plenam administrationem omnium bonorum, vt ea in pios vsus expendat: & si ad aliam ecclesiam assumatur, transferre illa poterit secum, quia cum illa conditione ab ecclesia conceditur ei administratio talium bonorum, vt diximus *numer.* 161. At si monasterio maneat subditus, acquisita ex rebus eccle-

ecclesiæ, & suis operibus, acquirit ipsi ecclesiæ, cui inservit. Cætera verò, quæ ex legato, hæreditate, aliove titulo sibi adveniunt, acquirit monasterio, si capax sit successionis, aut legati, sin minùs ipsi ecclesiæ veniunt: post mortem verò omnia bona talis religiosi cameræ apostolicæ applicantur, vt inquit Lugo *disp.3.n.234.*

Cui acquirat religiosus apostata, & fugitivus?

208 Rogabis secundò, cui acquirat religiosus apostata, & fugitivus, quæcumque acquirit? Respondetur, omnia acquirere proprio monasterio, sicut alij religiosi: quia fuga non tollit ab eo obligationem, quam habet religioni, nec jurisdictionem Prælatorum in ipsum. Et hoc verum est de acquisitis, vel per industriam, hæreditatem, legatum, aliovè titulo. Intellige, si monasterium capax sit hæreditatis, aut legati: si secùs, nec ipse religiosus, qui incapax est dominij, nec monasterium incapax hæreditatis succedit, sed succedunt hæredes ab intestato testatoris, non ipsius religiosi, vt rectè contra Sanchez asserit Lug. *disp.3.numer.235.* Si verò illegitimè in alia religione, vel monasterio se collocet, adhuc acquirit omnia priori, si conscius sit Prælatus posterioris talis illegitimitatis, nisi fortè aliquid contemplatione illius religionis, vel monasterij recipiat, quod illi acquirere videtur, quia hoc non videtur ipsi, sed illi monasterio donatum. Sanchez *libr. 7. sum. capit. 33. à numer.* 10. Palaus *tractat.16.disput.3.punct.19. numer.* 3. ¶ Si tamen posterior Ordo, in quem fugitivus se contulit, bona fide illum recipiat, illi acquirit: In primis ea, quæ eius Ordinis contemplatione acquirit. Similitèr quæ acquirit ex solis rebus posterioris ordinis, vel ex illis simul cum suis operis, quia hæc etiam servus acquirit domino putativo bona fide possidenti: leg. *Homo liber*, leg. *Si servus*, *ff. de acquirend.rer.domin.* Quæ verò ex solis suis operibus, & quæ per donationem, &c. acquirit, priori monasterio acquirit, quia hæc etiam servus non putativo, sed verò domino acquirit: argumento ex leg. *Per servum*, *ff. de vsu, & habitat.* Lugo *disp.3.sect.11. num.* 136. Palaus *tract.16.disp.3.n.3.* Sanch. *lib.7. sum.cap.33. n.12. & 15.*

Cui acquirat religiosus legitimè expulsus?

209 Rogabis tertiò, cui acquirat religiosus justè, & legitimè expulsus? Respondetur, quòd quantum attinet ad administrationem bonorum, quæ acquirit (quidquid sit de proprietate, de qua statim) ipse habet talium bonorum administrationem ex concessione eius, qui illorum habet proprietatem, sive religio sit, sive ecclesia: quia illam concedere necessarium erat expulsionis statui, quamvis de illis testari non possit, quia ex se incapax est testandi, cùm per expulsionem non liberetur à voto paupertatis, nec hoc est illi concessum, imò nec necessarium erat, vt concederetur. Lessius *lib.2.cap.41.dub.15.n.113.* Palaus *tract. 16. disp.3. punct.19.n.8.* Imò nec liberam habet administrationem ad omnes vsus, etiam profanos, aut superfluos, sed ad vsus honestos statui convenientes. Undè si aliquid in vsus profanos distribuat, talis donatio erit nulla, & recipiens ad restitutionem obligabitur: quia non est credendum religionem, aut ecclesiam, quæ illa bona quoad proprietatem habent, illorum concedere administrationem, vt ea expendant, etiam in vsus vanos, & superfluos, eo quòd talis concessio, nec necessaria esset, nec decens. Palaus *numer.* 4. Suarez *tom.* 4. *de Religione, tract.8.lib.3. capit.6. numer.21.* Quamvis probabilis sit sententia Molin. *tom.2.de justit. tract.2. disp. 276.* vers. *Quoad cæteros*, Lessij *lib. 3. capit. 41. dub.15.numer.113.* asserentium posse validè, licèt non licitè, talia bona in vsus vanos expendere, quia vsu receptum est, sic accipientes ad restitutionem non obligari.

Ad quẽ pertineat dominium bonorum religiosi expulsi?

210 Quoad proprietatem verò, & dominium certum est, expulsum non acquirere sibi talia bona, vndecumque illi adveniant: quia per expulsionem non liberatur à voto paupertatis, ratione cuius est incapax cuiuscumque dominij. Similitèr est certum, quòd si post expulsionem assumatur ad aliquem episcopatum, vel beneficium, omnia, quæ acquirit, ecclesiæ cedunt: argument. ex cap. *Vnic. 16.q.1.* & sic tenent Sanch. *lib.7. cap.33. n.30.* Less. *n.112.* Palaus *n.* 10. Excusa verò hac translatione, sunt, qui dicant, expulsum monasterio non acquirere: quia monasterium illum expellendo omnia eius videtur à se abijcere; exemplo servi, cui comparatur religiosus in acquirendo, qui si à domino relinquatur, non domino, sed sibi acquirit: & exemplo infantis à parente exposito, qui non parenti lucratur, sed sibi. Capit. *Vnic. de infantibus, & languidis.* ¶ Cæterùm manifesta disparitas est inter servum, & infantem expositum, & religiosum expulsum: nam servus à domino dimissus sibi acquirit, quia à servitute liberatur, non sic expulsus, quia per expulsionem ab obligatione votorum non eximitur. Similitèr infans expositus, à patria potestate liberatur: at expulsus jugum monasticæ disciplinæ non excutit. Dicendum itaque est, omnia bona expulsi, quomodolibet illi obvenientia, monasterio cedere, à quo expulsus est. Tùm, quia ex eo quòd monasterium eum à se abjecerit, vt inutilem, & nocivum, non infertur bona acquisita abijcere, quia hæc non sibi nocumentum, sed vtilitatem afferre possunt. Tùm etiam, quia ex jure communi omnia bona religiosi applicantur religioni: sed non excipitur ab hac regula expulsus: ergo, &c. Sic Suarez *tom.4. de Religione, tract.8.lib.3.cap.6. num.* 22. Lessius *libr. 2.cap.41.dub.15.* Palaus *tract.16. disp. 3. punct.19. num.11.*

§. VI.

An Monasterium ex delicto Religiosi, & eius contractibus obligetur?

Monasterium minimè ex delicto religiosi, etiam Prælati, obligatur.

211 EX delicto cuiuslibet religiosi particularis, etiam Prælati, qui per se vt particularis agit, nullam contrahit monasterium obligationem restituendi, vel satisfaciendi, cap. *Si Episcop. 16. quæst.6.* quia delictum particularis communitati non nocet. *Regula, Delictum 76. juris in 6.* Nisi ex eius delicto commodum receperit monasterium, vt si ex furto, aut injustitia particularis ditius reddatur. Lugo *disput.3.numer.217.* Lessius *lib.2.cap.42.dub.11.num. 90.* Palaus *tract.16.disp.3.punct.16.num.1.* Sanchez *lib.7.capit.31.numer.11.* Ipse verò religiosus alteri damnificato tenetur, vel ex eius peculio satisfacere, si habuerit, & ipso nolente, obligatur monasterium ex tali peculio satisfactionem exhibere, vel per opera ex supererogatione facta, & labores, ac industrias. At non tenetur Prælatus liberas relin-

linqu ere illi actiones, & operas, quæ alioqui injungendæ essent in monasterij commodum, & vtilitatem, quia sicut non tenetur Prælatus creditori satisfacere ex bonis ipsius religiosi, quæ per professionem transierunt in conventum, quia iam illa bona absolutè facta sunt conventus, nec obligantur per subsequens delictum subditi: sic quia ad talia obsequia, & actiones religiosi acquisivit jus monasterium, non tenetur ex illis remittere ob subsequens delictum religiosi, vt rectè asserit Lugo *disput.3.numer.*217.

Quomodo teneatur monasterium debita religiosi solvere?

212 Sed inquires, an monasterium teneatur ad contractus à singularibus religiosis celebratos? Hic possumus loqui, vel de contractibus initis à religioso, alijsve obligationibus illius ante professionem, vel de illis, quos post professionem celebravit, & adhuc bifariam de istis. Vel enim ex licentia tacita, vel expressa monasterij illos celebravit, vel absque eius consensu. Loquendo ergo de illis obligationibus, & conttactibus celebratis, vel habitis à religioso ante profes sionem, dicimus, monasterium habere obligationem satisfaciendi illis, quatenus bona religiosi accepit, eo quod cum tali onere ea bona accipit: sicut hæres, qui admisit hæreditatem, tenetur ad obligationem defuncti, quia cum onere illis satisfaciendi hæreditatem adivit: sed in nostro casu intelligitur, quando obligatio non excedit bona, quæ ratione religiosi monasterium recepit, vt docet Sanch. *lib.7.cap.31.num.3.* Palaus *tract. 16.disp.3.punct.16.num.2.*

Quid si bona recepta ratione religiosi nõ adæquent debita illius?

113 Sed difficultas est in casu, quò bona supradicta non sint sufficientia ad satisfaciendum omnibus creditoribus integrè, an teneatur tunc monasterium ex hæreditate, donatione, vel legato occasione Monachi postmodùm advenientibus, vel ex his, quæ sua industria ac labore Monachus acquirit, illis satisfacere? Affirmant Sanchez *libr.7. cap.31. numer.4.* alios referens, & Lugo *disput.3. num.215.* deductis quidem expensis, & alimentis ipsius religiosi, nisi ea aliunde suis exercitijs promereatur. Undè asserunt, debere dare monasterium ex prædictis bonis à religioso acquisitis alimenta parentibus, vel filijs professi, vel alijs, quibus ipse ante professionem tenebatur. Et ratio est, quia per professionem derogatum non est juri creditorum, quod antea habebant, sed ob tale jus tenebatur religiosus ex bonis quomodolibet ab ipso acquisitis creditoribus satisfacere ante professionem: ergo etiam post illam ex bonis vndecumque sibi advenientibus tenebitur monasterium satisfactionem exhibere.

Non est improbabile nõ teneri monasterium ad talia debita solvenda.

214 Hæc licet securior, & probabilior sit opinio, improbabilis tamen non est pars negativa. Tùm, quia illa bona non acquiruntur religioso, vt exinde onus satisfaciendi creditoribus accipiat, & sub eo onere in monasterium transferatur, sed monasterio acquiruntur immediatè, quod non ex persona religiosi, sed ex eius bonis, & sub illo onere receptis talem obligationem subijt. Tùm etiam ex doctrina ipsius Sanchez *lib.4.summ.cap.19.num.14.* Sylvest. *relig. 2. quæst. 4.* Lessius *libr.2.capit.41.dub.3.num.31.* Palaus *tractat.16.disp.1.punct.7.§.4.num.8.* Videlicèt, quod si debitor, non satisfactis creditoribus, religionem ingrediatur, non tenetur Prælatus illius dare licentiam subdito (vel ipse illa vti, si fortè recipiat eam) vt manibus laboret, vel alia via decenti bona acquirat ad satisfaciendum illis, quia religiosus non debitorum, sed religionis est, & facta professione, cum cessione bonorum extinxit debita.

Monasterium obligatur cõ tractibus religiosi ex eius consensu initis.

215 At verò si loquamur de obligationibus, quas contrahit religiosus subditus, vel Prælatus de licentia expressa, vel tacita communitatis, dicimus monasterium illis teneri satisfacere; & sic stare contractibus emptionis, venditionis, mutui procuratorum, quando illi limites suæ administrationis non excedant. Tenetur similiter solvere mutuum à Prælato receptum ex intentione expendendi illud in vtilitatem monasterij, etiamsi posteà mutato animo, pecunias mutuò receptas malè expendat. Sanchez *lib.7.sum. capit. 31. num.13.* Lugo *disput.3.num.217.* Denique si religiosus ex legitima licentia extra monasterium commoretur, & ibi mutuum recipat pro necessarijs ad suam sustentationem, viaticum, aut curationem (non excedendo id, quod communiter cum alijs religiosis suæ conditionis solet religio impendere) tenetur monasterium illud solvere, fuit enim ex eius tacito consensu acceptum, quia qui concedit religioso licentiam vivendi extra, etiam concedit facultatem ad omnia, quæ necessaria sunt illi secundum conditionem sui status, Lugo *n.* 218. Azor *tom.1.lib.12.cap.11.q.12.* Sanch. *num.15. & 16.*

Religiosus obligatur contractibus ab ipso legitimè initis.

216 Denique religiosus cum debita licentia contrahens cum alio in his, quæ potest, obligatur tam naturaliter (hoc est, in conscientia, & coram Deo) stare contractibus, quàm civiliter, vt detur actio in judicio contra eum, si resilire voluerit: quia in tali contractu facto ex authoritate legitima concurrunt omnes conditiones ad naturalem, & civilem obligationem requisitæ. Palaus *tract.16.disput. 3.punct.15.numer.1.* Sanchez *libr.7.capit.31.numer.41.* Qui addunt nec superiorem, qui concessit talem facultatem, nec eius successorem posse obligationem cassare, contractumque irritum reddere.

Quod si religiosus sine licentia contrahat, tenebitur servare contractum?

217 Sed veniamus ad casum, quo subditus absque expressa, vel tacita licentia superioris, aut monasterij contrahat, an ipse subditus maneat obligatus, estò monasterium (vt diximus) minimè obligatum existat? Aliqui satis probabiliter censent, nec civiliter, nec naturaliter obligatum manere. Alij non minùs probabiliter asserunt obligatum manere, non civiliter, sed naturaliter. Nos media via incedimus, & dicimus, naturaliter tantùm obligatum esse ad contractus concernentes actionem personalem, quandiù superior non resistit. Ideòque quandiù superior promissionem, vel contractum non irritat, tenetur exercere actiones personales, quas promisit, vt in voto de talibus actionibus, quæ non sunt contra statuta religionis, quas tenetur exhibere religiosus, quandiù à superioribus tale votum non irritatur. At verò loquendo de contractibus concernentibus materiam paupertatis, dicendum est cum priori sententia non teneri illas exhibere religiosum, nec civiliter, nec naturaliter, qui sine licentia se obligavit, quia obligatio est iniqua, & contra paupertatis votum, quod obligavit, vt nec dare, recipere, vel mutuare absque licentia possit religiosus: & sic nec obligari ad sic dandum, vel recipiendum, capit. *Non dicatis 12. quæst.1.*

218 Maior difficultas est, an alius contrahens cum religioso, qui absque legitima licentia

An teneatur alius, qui cũ religioso cõ traxit,

tia se obligavit, obligatus maneat, quandiù superior contractum non rescindit? Affirmat Sanchez pluribus relatis *lib. 7. sum. cap. 31. n. 28.* Lug. *disp. 3. n. 221.* eo quòd religioso concedendum est, vt gaudeat privilegio minoris, & pupilli, qui si contrahant absque authoritate tutoris, & curatoris, contractus ex parte illorum claudicat, quia illi stare non tenentur, sed contrahens cum illis tenetur stare contractui. Leg. *Iulian. §. Si quis à pupillo, ff. de actionibus empt.* ¶ Verius tamen dicendum est, non teneri, quia regula est generalis æqualitatem servandam esse in contractibus: à qua regula non excipitur contractus illegitimè à religioso initus: nec conveniens fuit, vt exciperetur, ne alterius deceptioni, votique paupertatis violationi non parùm faveretur. Nec argumentum ex concessione facta pupillo, aut minori, aliquid probat, quia in privilegijs (vtpotè exorbitantibus à jure) non est facienda extensio de vno casu ad alium, maximè si in eo non currat eadem ratio, vti in præsenti invenitur. Ideò namque pupillis, & minoribus tale privilegium conceditur, ne decipiantur ab alijs, qui ob ætatis defectum faciliter possunt decipi. Quod in nostro casu non currit; quin potiùs religiosum absque legitima licentia contrahentem alium decipere præsumitur: ergo ex vtraque parte talis contractus erit nullus, & in neutra parte obligationem civilem, aut naturalem generavit. Ita Lessius *libr. 2. cap. 41. dub. 12. n. 99.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 15. num. 7.*

TRACTA-

TRACTATUS XIII.

DE RESTITUTIONE.

PROEOMIUM.

VNUS Ex principalioribus actibus justitiæ est restitutio, qua jus alterius læsum resarcitur, & ad debitam reducitur æqualitatem: & ideò postquàm duobus Tractatibus præcedentibus egimus, & de jure, seu lege, quæ est regula, & mensura justitiæ; & de jure, quod ipsius justitiæ objectum est; necnon de ipsa justitia, vt est virtus specialis; & de dominio, quod est ex parte alterius requisitum, vt illi jus suum illæsum conservetur; vel, si violatum fuerit, secundum æqualitatem restituatur: venimus modò ad naturam, conditiones, & proprietates ipsius restitutionis enucleandas. Negotium quidem vastissimum, ac latissimũ, & non minùs vtilissimum; ob idque dignum, vt speciali Tractatu differatur, in quo hunc ordinem servabimus, vt priùs de Restitutione in communi, conditionibus, & proprietatibus eius agamus, de loco, ordine, modo, tempore, & personis, quibus debet fieri: postmodùm de restitutione, quæ debet exhiberi, ob diversas injustitias, & injurias, quæ contra proximum perpetrãtur. Sed quia obligatio restitutionis pro hac, vel illa injuria debita, putà pro furto, homicidio, adulterio, testimonio, explicari rectè non potest, nisi notitia talium injuriarum habeatur, quando committuntur, quomodo excusantur, quando obligationem restituendi inducunt, quando sine illa dantur; ideò nos simul agentes de restitutione debita pro singulis, etiam de illis agemus, vtrumque in hoc Tractatu complectentes. Faxit Deus, quòd brevitate, & perspicuitate aliqua nonnullam Lectori lucem, & vtilitatem impendamus.

CAPUT I.

De Restitutione in communi.

ANTEQUAM Ad restitutionem debitam pro singulis injurijs irrogatis deveniamus, placuit ea explanare, quæ pro omnibus communia sunt, regulas tradendo generales circa hanc materiam: vt inde ad singulos particulares casus facilis aditus relinquatur.

Punct. I. *De nomine, diffinitione, & natura restitutionis, & de radicibus illius.* num. 1.

Punct. II. *Quæ sit injusta actio, vel omissio, ex quibus obligatio restitutionis oriatur?* num. 7.

§. I. *Aliqua pro decisione puncti prælibantur.* num. 8.

§. II. *Qualis culpa sufficiat, vt aliquis teneatur ad restitutionem ex delicto?* num. 16.

§. III. *Ex quali culpa in officio commissa oriatur obligatio restituendi?* num. 26.

§. IV. *Qualis culpa requiratur, vt sit obligatio restituendi ex contractu?* num. 30.

§. V. *Difficilis objectio dissolvitur, & amplius doctrina tradita declaratur.* n. 36.

PUN-

Punct. III. *De obligatione restituendi, ob rem alienam, à possessore bonæ, vel malæ fidei.* num. 40.
§. I. *Quam restitutionem facere domino rei teneatur possessor bonæ fidei?* num. 41.
§. II. *De restitutione, quam debet possessor malæ fidei exhibere.* num. 49.
§. III. *Qualitèr possessor dubiæ fidei teneatur ad restitutionem rei alienæ?* num. 62.
§. IV. *Quos fructus ex re aliena perceptos teneatur restituere bonæ, vel malæ fidei possessor?* num. 68.
§. V. *Quæ expensæ deduci possunt, tam à possessore bonæ, quàm malæ fidei in restitutione rei alienæ?* num. 76.
§. VI. *Possessor bonæ, vel malæ fidei rem alienam emens, aut vendens, quid facere, vel restituere teneatur?* num. 81.
Punct. IV. *De obligatione restituendi ob injustum impedimentum boni alieni.* num. 95.
Punct. V. *Quæ, & quotuplex causa sit obnoxia restitutioni? & quem ordinem debeant inter se servare?* num. 107.
§. I. *Quomodo cooperatores ad damnum alterius teneantur ad restitutionem?* num. 108.
§. II. *De ijs, qui positivè ad damna cooperantur, quomodo teneantur restituere?* num. 115.
§. III. *De non loquente, non impediente, non manifestante, quomodo ad restitutionem teneantur?* num. 130.
§. IV. *De ordine servando inter cooperantes ad injustitiam, in ordine ad restitutionem.* num. 139.
§. V. *Quomodo omnes prædictæ causæ teneantur in solidum satisfacere?* num. 146.
Punct. IV. *Utrùm ex acceptione ob turpem causam obligatio restituendi proficiscatur?* num. 153.
Punct. VII. *An ex donatione illicita, & reprobata per leges oriatur in recipiente obligatio restituendi?* num. 168.
Punct. VIII. *An recipiens pro actu bono, quem debebat facere, vel pro desistendo à malo, quem debebat omittere, teneatur restituere quod accepit?* num. 174.
Punct. IX. *Utrùm sit facienda nova restitutio à debitore, quando res, quæ restituitur, non pervenit ad creditarem?* num. 186.
Punct. X. *In quo loco, & quibus expensis sit facienda restitutio?* numer. 192.
Punct. XI. *De ijs, quibus facienda est restitutio.* num. 198.
§. I. *An semper res restituenda sit ei, à quo fuit accepta?* num. 199.
§. II. *An restitutio facienda sit vero domino rei, quando ipsi, vel alteri futura est nociva?* num. 204.
§. III. *Cui facienda est restitutio rei ablatæ, vel acceptæ, quando dominus est ignotus, vel incertus?* num. 208.
§. IV. *An, solutione facta creditori mei creditoris, liber sim ab alia facienda?* num. 219.
Punct. XII. *De ordine in restitutione servando.* num. 223.
§. I. *De creditoribus, quibus ex jure naturæ debet solutio fieri ante alios, etiam hypothecarios, & privilegiatos.* num. 228.
§. II. *Quomodo creditores hypothecarij præferendi sint, etiam antiquioribus hypethecam non habentibus?* num. 237.
§. III. *De creditoribus personalibus privilegiatis, & ordine servando inter illos.* num. 243.
§. IV. *De ordine servando in solutione creditorum personalium non privilegiatorum.* num. 245.
Punct. XIII. *De tempore, & modo restitutionis faciendæ.* num. 252.
Punct. XIV. *Utrùm is, qui alienum morosè retinet, multa peccata committat, & quomodo in confessione eorum numerus sit detegendus?* num. 261.
Punct. XV. *De causis excusantibus à re-*

à restitutione, vel à dilatione illius. num.266.

Punct.XVI. *An per condonationem creditoris maneat debitor liber ab onere restitutionis?* num.275.

Punct. XVII. *Utrùm cum detrimento proprio in bonis superioris ordinis teneatur debitor solvere bona inferioris ordinis, quæ debet?* num. 281.

Punct. XVIII. *Utrùm per ingressum in Religionem debita ante illum contracta extinguantur, & an ære alieno gravatus possit Religionem ingredi? & quid facere debeat, si licitè, vel illicitè in Religione profiteatur?* num.286.

§. I. *An jure naturæ teneatur debitor per multum tempus in sæculo manere, si toto illo speret posse creditoribus integrò satisfacere?* num.289.

§.II. *Quid jure pontificio Sixti V.& Clementis VIII. circa materiam huius puncti habeatur.* num.299.

Punct. XIX. *Qualitèr in foro conscientiæ debitum compensatione extinguatur, & de conditionibus ad licitam, & validam compensationem requisitis.* num.302.

§. I. *Quomodo dispensatio licita sit, & occulta debiti recuperatio.* num.304.

§. II. *De conditionibus ad licitam compensationem requisitis.* num.310.

§. III. *Utrùm cum opinione probabili, quòd res sibi debetur, possit quis vti compensatione occulta?* num.318.

PUNCTUM I.

De Nomine, Diffinitione, & natura restitutionis, & de radicibus illius.

Quot modis accipiatur restitutio?

1 REstitutio in vniversaliori vocabulo, vt inquit Bañez, 1. 2. *quæst.* 62. *articul.* 2. sumitur, prout idem est *restituere*, ac reddere aliquid alteri; sive ex liberalitate, justitia, aliove titulo illi reddatur: & sic dicitur, aliquis in pristinam sanitatem restitutus beneficio Medici, in dignitatem amissam diligentia amici. Theologi verò strictiùs accipiunt nomen *restitutionis*, secundùm quod significat actum justitiæ, quo damnum alteri irrogatum reparatur. Differt verò, tùm *à satisfactione*, tùm *à solutione*: *à satisfactione* quidem, quia hæc frequentiùs pro damnis in honore, & fama exhibetur; illa verò circa damna in bonis fortunę exercetur; & sic *satisfactio* ponitur pro parte integrali pœnitentiæ, non *restitutio*: quia Deo propriè nihil restituitur, quia ab eo nihil est ablatum per peccatum in effectu; sed per pœnitentiam nitimur ei satisfactionem exhibere pro offensis contra ipsum irrogatis: ideòque satisfactio solùm reddit pro damno secundum æquivalens, restitutio secundum æqualitatem rei ad rem, vt inquit Rebellus *de obligatione justitiæ, libr.* 2. *quæst.* 1. *numer.* 1. A *solutione* autem distinguitur, quia hæc non supponit damnum irrogatum, sed absque illo exhibetur: vt cum Deo solvimus, quod per votum ei promisimus, cùm venditori pretium rei venditæ solvimus, vel cum id quod ex mutuo accepimus, alteri per solutionem reddimus. Restitutio autem semper damnum in creditore supponit, quod reparare, & resarcire, nititur. Sed hæc nomina multoties in communi acceptione coincidunt, & sic promiscuè vno, vel altero vtemur.

Diffinitio restitutionis explicatur.

2 Diffinitur à Div.Thom.2. 2. *quæst.*62.*art.*1. quem communitèr omnes sequuntur, sic: Restituere est *Iteratò aliquem constituere in possessionem, vel dominium rei suæ.* Cæterùm, quia hæc diffinitio cum hac generalitate aptari potest cuicumque solutioni, qua mutuum, commodatum, aut depositum redditur, quia tunc etiam iteratò aliquis constituitur in dominio, & possessione rei suæ, quæ tamen solutio non est restitutio strictè sumpta, vt iam diximus, limitanda sunt illius verba, vt intelligantur de re injustè ablata, vel injustè detenta, cum debitor est in mora culpabili reddendi rem domino suo; quomodo ipse D.Thomas, & omnes intelligunt dictam particulam. Undè clariùs sic diffiniri potest: Restitutio est *Actus justitiæ commutativæ, quo damnum proximo irrogatum reparatur.* Dicimus in hac diffinitione esse restitutionem *actum justitiæ commutativæ*, quia, vt probat D. Thomas *artic.* 1. *dict. quæst.* non est actus justitiæ distributivæ, sed commutativæ, quia restitutio intendit ponere æqualitatem rei ablatæ cum æqualitate redditæ: quod est proprium justitiæ commutativæ, vt diximus *tract. præced. cap.* 1. *numer.* 24. vbi etiam diximus *numer.* 33. ex solo damno contra justitiam commutativam facto obligationem restitutionis oriri. Si quando autem talis obligatio, etiam ex actionibus contra justitiam distributivam consurgit, est quia ibi admixta est justitia commutativa, ex qua talis obligatio ortum ducit, vt tradit D. Thomas *ad* 3. *dicti artic.* & Tapia *tom.*2. *suæ Catenæ, lib.*5. *quæst.* 24. *art.*8. *n.*4. *& art.*9. Villalob. *tom.*2. *tract.*11. *diffic.*1. *n.*3. Bonac. *de restit. disp.*1. *quæst.*1. *punct.*1. *n.* 10. Lessius *lib.*2. *cap.*7. *n.*16.

Est necessaria restitutio necessitate præcepti, nō medij, aut finis.

3 In *art.*2. *dict. quæst.*62. probat Div.Thomas restitutionem esse necessariam ad salutem, quod intellige de necessitate præcepti, non de necessitate medij, seu finis, vti est baptismus omnibus, & pœnitentia peccantibus: hac enim necessitate minimè est requisita restitutio, quia stat consequutio gratiæ, & gloriæ sine illa, nec in re, nec in voto habita: vt si quis nesciret aliquid alteri debere, vel invincibilitèr ignoraret talem restitutio-

tionem esse necessariam; vel tandem etsi sciat se obligatum esse, impotens tamen ad eam exhibendã esset: quo casu deberet habere propositum illam exhibendi, quoties sibi possibilis fuerit: sicut est necessarium propòsitum vitandi quodcumque peccatum, & adimplendi omnem legem justam, ad justificationem. De necessitate ergo præcepti loquitur Div. Thomas contra nonnullos hæreticos id negantes. Cæterùm esse præceptam talem restitutionem præcepto naturali, divino, positivo, & humano, constat: nam sicut jus naturale præcipit, ne ab altero rem suam auferas, ita præcipit, quòd alteri rem ablatam reddas, seu ne apud te retineas, quod tuum non est, sed alterius. Etiam est per legem divinam præcepta restitutio, Ezechiel. 33. *Non permittitur venia, nisi rapina reddatur*, Exod. 22. *Si læserit quispiam agrum, vel vineam, &c. damni æstimationem restituet.* Tobiæ 11. *Videte, ne furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis edere ex furto.* Lucæ 20. *Redditæ ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Ad Roman. 8. *Reddite omnibus debitum.* Etiam est ex jure humano positivo, cap. *Peccatum, de regul. juris*, cap. *Sicut dignum, de homicid.* cap. *Si res aliena* 14. *quæst.* 16. Ubi ex Augustino dicitur: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Ex quo apparet, non restituere esse peccatum mortale ex genere suo, sicut furtum facere, quia, dum non restituitur, venia peccatorum adipisci non potest, & sic destruit charitatem, vel eam impedit, & sic vitam animæ: est ergo ex genere suo mortale.

Sententia asserens præceptum restitutionis esse positivũ.

4 Quæstio autem est inter Doctores: An præceptum restitutionis sit positivum, vel privativum? Aliqui asserunt esse positivum. Primò, quia præceptum positivum in eo à privativo differt, quòd illud actum exercere jubet: istud ab actu abstinere, vt *non furaberis, non mentieris*: at præceptum restitutionis obligat ad reddendum alteri secundum æqualitatem, quod debetur: ergo est positivum. ¶ Secundò, quia præceptum positivum frangitur per omissionem, privativum per actum; sed præceptum restitutionis frangitur per hoc, quòd aliquis non solvat quod debet, & sic per omissionem: ergo, &c. ¶ Tertiò, quia præceptum negativum obligat semper, & pro semper: vt *non furaberis, non mentieris*; sed præceptum restitutionis non obligat pro semper, sed pro tempore determinato, nimirum quando opportunitas occurrat: ergo non est privativum, sed positivum, quamvis cum privativo virtualitèr conjunctum non retinendi rem alienam: sicut alia præcepta positiva ex consequenti, & indirectè prohibent quidquid est cum eis incompossibile. Ita Bañez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Sot. *lib.* 4. *de just. quæst.* 6. *art.* 4. *fine.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 49. Bonac. *de restit. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 2. *n.* 4.

Verius est præceptum restitutionis esse secundũ rem negativum.

5 Secunda, & verior sententia docet, quòd licèt præceptum restitutionis secundum sonum verborum videatur positivum, re tamen vera est negativum. Sicut præceptum jejunandi, quod licèt primo aspectu videatur positivum, est revera negativum: quia directè præcipit, ne bis in die refectio sumatur: sic præceptum restitutionis directè prohibet, ne res aliena invito domino retineatur. Ideòque hoc præceptum pertinet ad septimum decalogi non furandi, qui enim rem alienam, invito domino, retinet, furtum facere dicitur: nam licèt D. Thom. furtum diffiniat, quod est *acceptio rei alienæ invito domino*: acceptio sumitur etiam prout idem est ac retentio, ideòque per actum positivum tale præceptum directè violatur, nimirum quando res aliena invito domino retinetur: & si actum positivum præcipit, hoc est per accidens, quia nisi alteri jus suum reddatur, retentio rei alienæ vitari non potest: sicut præceptum non occidendi etiam jubet, vt equum ab itinere avertas, in quo jacet puer, qui potest ab eo conculcari: & præceptum non mœchandi, vt evites occasiones, sine quo observari non potest: & hoc præceptum semper, & pro semper obligat, tametsi non obliget, nisi cùm opportunitas occurrat fovendi: quia non datur, nisi de non retinendo ære alieno invito domino rationabilitèr: & non censetur rationabilitèr invitus, nisi cùm opportunitas occurrit reddendi: hac tamen data, semper, & pro semper obligat: & sic est in continuo peccato, qui cum possit, opportunè rem alienam non retinere, invito domino rationabilitèr retinet: ideòque non sat est, vt à Confessario absolvatur, quòd animum non habeat retinendi, sed illum obligare debet, quòd de facto restituat, si potest; nisi ex circumstantijs prudentèr colligatur ipsum statim impleturum, quod promisit. Esse ergo hoc præceptum negativum, & sic obligare pro semper, docent Villalob. *tom.* 2. *tract.* 11. *difficult.* 2. *n.* 2. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 23. *art.* 7. *n.* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 3. Caietan. *in Sum.* verb. *Restitutio, cap.* 6. Rebellus 2. *part. lib.* 2. *quæst.* 2. *n.* 5. Lugo *disp.* 8. *sect.* 2.

Duplex radix vnde oritur obligatio restitutionis.

6 Ex duplici radice oritur obligatio restitutionis, vt docent communitèr Doctores cum D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. & 7. nimirum ex *injusta acceptione*, & *ex re accepta*. Per injustam acceptionem etiam quæcumque læsio intelligitur, & quodcumque peccatum contra justitiam commutativam, damno sequuto, vel injuria, vt per furtum, rapinam, vsuram, adulterium, stuprum, homicidium, diffamationem, &c. Et ratio est, quia qui alterius jus injustè violavit, posuit inæqualitatem, quam oportet per actum justitiæ, qui est restitutio, resarcire: *Ex re aliena* oritur etiam talis obligatio, quando nimirùm res tua apud alium justè, vel injustè invenitur: quia semper res domino suo clamat, & remanet inæqualitas, donec redeat; & retinens plus habet, quàm suum est, & alius minus, quæ inæqualitas per restitutionem est reparanda: & ad hanc radicem reducuntur quæcumque ex justitia alteri debentur, vt ex legato, promissione, mutuo, aliove contractu. Sed est duplex discrimen inter obligationem restitutionis ortam ex injusta acceptione, vel læsione, & quæ oritur ex re aliena absque injusta actione occupata. Primum est, quòd licèt hæc duo aliquando concurrant, vt in fure, cui onus incumbit restitutionis, tam ex injusta actione, quàm ex re aliena obtenta; tamen quando separantur, vti est in eo, qui bona fide rem alienam apud se habet, qui solùm ex re aliena restituere tenetur, solùm tenetur, quando eam in specie retinet. Si tamen illam bona fide consumpsit, vel ipsa absque sua culpa perijt, non tenetur restituere, nisi id, in quo factus est ditior. Ut si bona fide fructus agri alieni consumpsisti, vel fœtus alieni gregis; solùm teneris ad id quod inde lucratus es, vel si tantundem ex tuis bonis esses consumpturus: si sylvam alienam combusisti, putans esse tuam, ad nihil teneris in foro conscientiæ. At verò si ex furto, aliave injusta actione jus alienum læsisti, teneris ad restitutionem, etiamsi talis res apud te sine culpa pereat, vel in nihilo ditior factus sis. ¶ Secundum discrimen est, quod ex justa detentione

rei

rei alienæ, vt in mutuo, depositio, non oritur obligatio restitutionis, donec sis in mora culpabili reddendi: quia si suo tempore reddas, propriè non restituis, sed solvis: quia restituere est, quod lapsum est erigere, depravatum corrigere, & in pristinum statum revocare, sed ex injusta actione oritur obligatio restitutionis, statim ac opportunitas illius occurrit.

PUNCTUM II.

Quæ sit injusta actio, vel omissio ex quibus obligatio restitutionis oriatur?

Quid agendum sit in hoc Puncto?

7 VNa ex præcipuis radicibus, vnde obligatio restitutionis provenit, est ex injusta actione, qua bonum alterius damnificatur, & idem est de omissione: quæritur ergo qualis culpa requiratur in lædente, vt eius actio injusta judicetur sufficienter ad talem inducendam obligationem? Et non loquimur de furtis, homicidijs, vsuris, alijsve injurijs, de quibus sygillatim est nobis agendum suis proprijs Captibus, quæ sunt actiones injustæ directè tendentes ad damnum alterius, sed de actionibus injustis, quæ præter intentionem fiunt, vel quia non apponitur debita diligentia in rebus alienis custodiendis, vel in præcavendis alienis malis, quomodo in his sit obligatio restitutionis? vel qualis culpa requiratur ad eandem inducendam? Sed quia hæc materia pro praxi est multùm necessaria; aliqua præmittere ante resolutionem illius libuit.

§. I.

Aliqua pro decisione Puncti prælibantur.

Solùm est culpa contra justitiã, est obligatio restitutionis.

8 PRimò præmittere oportet ex nulla culpa obligationem restitutionis oriri, nisi ex actione contra justitiam (imò contra justitiam commutativam, vt multoties diximus) ideòque si ex charitate, pietate, alijsve virtutibus aliquis teneretur ad aliquid faciendum, & omittat, non ob id tenebitur ad restituenda damna ex sua actione injusta sequuta. Sicut qui extremè indigenti non succurreret, in quo delinqueret contra misericordiam, ad nihil teneretur, etiamsi mors alterius sequatur. Medicus, qui non applicaret infirmo medicinas congruentes, à quo nullum recepit stipendium, vel cuius curationem non suscepit, non tenetur ad restitutionem, si moriatur infirmus: quia ad illius curationem solùm ex charitate, non ex justitia tenebatur. Et ratio est: tùm, quia ex sola violatione justitiæ aufertur alienum, quod vnicuique debetur ad æqualitatem. Tùm etiam, quia ex sola violatione illius virtutis oritur obligatio restitutionis, cuius actus est ipsa restitutio: cùm ergo solùm sit actus justitiæ, sequitur ex sola culpa contra justitiam oriri obligationem restituendi. Sic Bonacin. *disp.1.quæst.1.punct.2.§.vnic.n.2.* Aragon 2.2.*quæst.62.art.7.* Valent. 2.2.*disp.5.q.6. punct.3.* Dicastill.*tract.2.disp.3.dub.3.num.76.* & est communis.

Quid sit culpa juridica & quotuplex, & quid theologica.

9 Præmitto secundò, celebrem esse apud Doctores circa hanc materiam divisionem culpæ in culpam *theologicam*, & *juridicam*. Culpa *theologica* est, quam considerat Theologus; & coincidit cum peccato mortali, vel veniali. Culpa verò *juridica*, non respicit, quòd sit peccatum, vel non, quòd exercetur, sed quòd omittatur aliqua diligentia debita, ex qua omissione alterius damnum sequitur. Et hæc culpa *juridica*, alia est *latissima*, vt dolus manifestus; alia *latior*, vt dolus præsumptus; alia *lata*, & est omissio illius diligentiæ, quam homines illius status communiter adhibere solent; alia est culpa *levis*, & est omissio illius solicitudinis, quam diligentiores, & prudentiores adhibent; alia *levissima*, nimirum omissio diligentiæ, quam prudentissimi, & vigilantissimi solent adhibere. Hæc igitur culpa *juridica*, etsi frequenter coincidat cum *theologica*, potest ab illa secerni: vt si quis non adhiberet omnem diligentiam, quam solent homines communiter in tali negotio adhibere, erit culpa lata juridica: cùm tamen si ex oblivione, aut inconsideratione inculpabili id efficiat, nulla erit culpa theologica. In culpa *levi*, ac *levissima* juridica amplius cernitur: quia cùm quis adhibet omnem diligentiam, quam solent communiter homines ponere in aliquo negotio, nullam committit culpam theologicam, etiam levem, aut levissimam, quia non tenetur coram Deo ad ampliùs faciendum: at committit culpam levem, aut levissimam juridicam, si non adhibet curam, quam diligentiores, vel diligentissimi solent in tali negotio adhibere.

Absque culpa juridica, vel theologica, non datur obligatio restituendi regulariter.

10 Præmitto tertiò, regulariter non dari obligationem restitutionis, quando nulla ex his culpis committitur in inferendo alterius nocumento, vt tradit D. Thom. 2.2.*quæst.64. art.8.* & habetur cap. *Finali, de Injurijs.* Et ratio est, quia non oritur ex re accepta, vt supponimus: nec ex injusta actione, cùm nulla detur, vbi nulla culpa committitur. Ideòque si puteum apertum relinquas, in quo non solent homines periclitari, si aliquis in eo casu præcipitetur, ad nullam teneris restitutionem, quia nullius es culpæ reus. Laqueum parasti ad feram capiendam in loco remotissimo, in quo nec homines, nec animalia mansueta solent periclitari: si homo, vel equus alterius in eo suspendatur, ad nullam restitutionem teneris. Projecisti sagittam in loco, per quem non solent homines pertransire, aut animalia domestica; si casu hominem, vel alterius ovem læsisti, non teneris aliquid restituere. E contra verò certum est te teneri ad restitutionem totius damni sequuti, si cum culpa lata simul juridica, & theologica damnum alteri irrogasti: vt si ignem accendis propè segetes alterius, non adhibendo sufficientem diligentiam, ne damnum alterius sequatur: si segetes comburantur ex culpa lata, & plena advertentia, teneris ad totum damnum resarciendum. Capit. *Finali, de Injurijs*, ibi: *Nec ignorantia te excusat, si scire debes, ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere.*

Duplex casus, in quibus absque culpa datur obligatio restitutionis.

11 Diximus, non dari regulariter obligationem alicuius restitutionis, vbi non intervenit aliqua culpa lata, levis, aut levissima: quia dantur tres casus in jure, in quibus absque tua culpa ad aliquam restitutionem obligaris. Primus est, cùm animal tuum, vel alterius animal occidit, vel segetes conculcavit, aut devoravit, vel hominem læsit, aut damnum quodcumque illi irrogavit: tunc enim teneris, vel animal tradere,

vel damnum factum restituere, *toto tit. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, in Institut. & in ff.* (& hoc si absque tua culpa factum est: si enim ex tua culpa contingit, ad totum damnum resarciendum absolutè teneris,) nisi animal tuum invasum sit ab alio, quia si illud occidat, ad nihil teneris: vt si latro domum, vel hortum tuum ad furandum intret, & à canibus tuis lædatur, vel si aliquis incautus ad feram tuam, quam ligatam tenes, accedat, & ab illa damnificetur. Secundus casus est, si absque tua culpa mancipium tuum alterum lædat culpabilitèr, vel in bonis, vel in persona: teneris, vel mancipium tradere, vel damna restituere. *§. Domino*, Institut. *de Noxalibus actionibus*, leg. *Quoties*, leg. *De illo, ff. eod. tit.* Dixi *culpabilitèr*, quia si servus tuus inculpabilitèr damnum faciat, sicut ille ad nihil tenetur, sic nec tu. Si autem ex tuo mandato, vel consilio illud efficiat, ad totum damnum restituendum absolutè teneris.

Tertius casus, in quo datur obligatio restitutionis absque culpa.

12 Tertius est, quando ex domo tua aliquid effunditur, vel proijcitur in viam publicam, vel privatam, & nocuit transeuntibus, vel ibi commorantibus. Quod si ex tua culpa factum est, ad totum damnum teneris: si absque illa, nec fuit proclamatum, vt transeuntes vitare possent illud damnum, teneris tu, si es caput illius domus, vel familiæ, ad solvendum duplum, si damnum non fuit in corpore hominis liberi, *leg. 1. leg. pen. ff. de his, qui deijciunt, vel effundunt.* Si capiti vivo nocuit, teneris ad expensas curationis, & omne aliud damnum ea causa contractum: & eodem modo teneris ad restitutionem, si aliquid ex tua domo appensum est in via, quod nocere potest, & de facto nocuit: si de facto verò non decidit, aut nocuit, is qui appositi illud, debet solvere decem aureos propter periculum, & caput familiæ alios decem, si vidit, aut scivit, quod appensum est. Leg. *Si verò, ff. eodem titul.* Hæc autem omnia non obligant in conscientia, nisi post Iudicis sententiam: quia ita sunt vsu receptæ tales leges, tametsi non sint pœnales, vt, contra nonnullos oppositum asserentes, docent optimè Dicastill. *libr. 2. tract. 2. disp. 3. dub. 1. num. 7.* Villalob. *tom. 2. tractat. 11. diffic. 4. num. 13.* Lugo *disp. 8. sect. 3.* Dian. *5. part. tract. 4. resol. 52.*

Ex casu fortuito nemo tenetur ad restitutionē.

13 Ex dictis sequitur primò, non teneri ad aliquam restitutionem, præcisis tribus casibus enumeratis, illum, apud quem res aliena perijt ex casu fortuito: quia casus fortuiti sunt extra humanam prudentiam, vt si domum locatam habeas, & igne, aut tempestate destruatur: si equum conductum ad iter agendum, vel mutuatum recipias, & casu fortuito, vel suffocetur, aut moriatur. Leg. *Si in rebus, ff. commodati*, Institut. *toto titulo, quibus modis re contrahitur obligatio.* Nisi in casu, quo in pactum deducas te velle obligari ad casus fortuitos, quando iustè id efficere potes. Possunt enim contrahentes ad assecurationem rei acceptæ obligari, quando id onus non est contra æquitatem contractus: quia nimirum pretium æquivalens pro eo recipiunt: vel nisi commodatarius ad alium vsum vsus fuit re commodata, & ob hanc causam perijt: vel fuit in mora restituendi tempore debito: quia tunc ad restitutionem illius tenetur; nisi fortè res eodem modo peritura esset apud dominum; vel nisi debitor bona fide existimaret domino non displicere illum aliū vsum, vel moram. Lesius *lib. 2. cap. 7. dub. 8. num. 36.* Lugo *disp. 8. sect. 9. n. 123.*

14 Sequitur secundò, quod si dans operam rei illicitæ, fuit causa damni, nec intenti, nec prævisi, nec ex sua injusta actione sequuti, non tenetur in conscientia ad satisfaciendum pro eo: quia damnum per accidens sequutum, non imputatur ad culpam: ergo nec ad pœnam, vel quasi pœnam restitutionis. Maximè, quia respectu illius damni non est voluntaria actio: & sic nec culpabilis, aut injusta. Ut si latro domum intraret ad furandum, & casu ac omnino fortuito domum incenderet: & in similibus. Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 3. §. vnic. numer. 9.* Rebellus *2. part. lib. 2. numer. 19.* Lesius *libr. 2. capit. 7. numer. 26.* Diana *5. part. tract. 4. resol. 46.* Dicastill. *tract. 2. disp. 3. numer. 70.* Poterit tamen damnificatus in iudicio agere contra eum, qui damnum intulit, & quod sibi fuerit per sententiam adjudicatum, tuta conscientia retinere, ex leg. *In lege, ff.* ad legem *Aquiliam.*

Qui dat operam rei illicitæ, ex qua per accidēs, & aliàs sequitur damnum, ad nihil tenetur.

15 Sequitur tertiò, non solùm ignorantiam antecedentem, quæ dat causam actui, sed etiam concomitantem, quæ non est causa læsionis (quia sine illa opus exerceretur;) sed illam duntaxat comitatur, excusare à restitutione: v.g. proijcis sagittam adhibens omnem debitam diligentiam, vt alteri damnum non inferas, es tamen ita affectus, vt si scires hominem cum ea lædi, eodem modo proijceres; si casu tunc homo transijt, quem læsisti, ad nihil restituendum teneris. Ratio est, quia non inducit obligationem restitutionis actio, quæ non est causa injusta mali alieni, vt si gauderem de malo alieno non influens in illud; sed in casu dicto, actio illa non est causa homicidij, vt talis: quia hoc petit causam voluntariam: & licèt in illo casu homicidium non sit contra voluntatem, non tamen est à voluntate cum cognitione; & sic non est voluntarium: ergo, &c. Bonac. *de Restit. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. §. Vnico, num. 7.* Dicastill. *tract. 2. disp. 3. n. 68.* Lugo *disp. 8. sect. 6. num. 72.* Lesius *lib. 2. cap. 7. dub. 9.* Reginald. *lib. 10. tract. 1. num. 70.*

Ex ignorantia purè concomitāte nō oritur obligatio restitutionis.

§. II.

Qualis culpa sufficiat, vt aliquis teneatur ad restitutionem ex delicto?

16 Dicendum est primò solùm culpam latam (extra contractum, & officium) conjunctam cum culpa theologica gravi, seu cum peccato mortali, inducere obligationem restitutionis in materia gravi: & ideò, quòd si quis adhibuit eam diligentiam, quam communitèr illius status homines circa illam materiam adhibere solent, in quo à culpa lata juridica liberatur, etiamsi non adhibeat curam, quam diligentiores, aut diligentissimi in tali negotio solent ponere, in quo est culpa levis, aut levissima juridica: & insuper nisi habeat plenam notitiam, vel advertentiam, sicut requiritur ad peccatum mortale, non habet obligationem in conscientia (quidquid sit de foro exteriori) ad restituenda damna ex sua actione sequuta. V. g. incendis ignem ad coquendos cibos, adhibes diligentiam, quam solent homines communitèr adhibere, ne domus, aut segetes accendantur; incenduntur, quia sufficientem ex naturali oblivione non posuisti, vel advertentèr non adhibuisti, quam solent homines diligentiores, & diligentissimi adhibe-

Solū ex culpa lata, & mortali oritur obligatio restituēdi.

hibere,non teneris ad damna ſequuta. Aperuiſti foveam,vel ad ædificationem domus, vel ad feram capiendam, & vel oblitus es, quòd poterant ibi homines periclitari; vel adhibuiſti ſufficientem diligentiam, ne periclitentur: periclitatur aliquis, & labitur in eam,non peccaſti mortaliter, nec es obligatus ad reſtituendum:& ſic in alijs exemplis. Ita, contra nonnullos oppſitum docentes, tenent Azor 3. *part. lib.9.capit.*8.verſ.*Finem.* Sanchez *in Summ. libr.* 2. *cap.*23.*numer.*160.Leſsius *lib.*2.*capit.*7.*dub.*6.*num.* 27. Lugo *diſput.*8. *ſect.*5. *numer.* 56. Sotus *libr.* 4. *quæſt.*7.*artic.*2.*fine.*Navarr.*lib.*2. *de Reſtitut. cap.*1. *numer.*48.Villalob.*tom.*2.*tract.*11. *diffic.*4. *numer.* 11. & loquimur,quando nec ex officio, aut contractu tenetur ad damnum præcavendum: nam quid dicendum ſit in his caſibus, *ſequentibus paragraphis* dicemus.

Aſſertio propoſita probatur.

17 Probatur primò aſſertio: quia talis obligatio non oritur ex re accepta, vt ſupponimus; nec ex injuſta læſione: ergò non datur. Probatur minor: tùm,quia illa eſt actio injuſta, in qua homo non facit totum,ad quod tenetur: ſi enim totum, ad quod tenetur, faciat, injuſta dici non poteſt; ſed nemo tenetur ad ponendam eam curam, quam diligentiores, aut diligentiſsimi adhibent, ſed quam homines ſuæ conditionis in tali materia communiter adhibere ſolent. Tùm etiam,quia levis culpa non eſt ſimpliciter injuria: ergo non eſt actio ſimpliciter injuſta, quæ ex levi culpa procedit. ¶ Secundò, quia licèt obligatio ad ſatisfactionem non ſit propriè pœna, tamen communiter vt pœna accipitur:ergò ſicut non datur obligatio ad pœnam, vbi non eſt culpa; nec ad pœnam gravem, vbi non eſt gravis culpa, ſic nec obligatio ad ſatisfactionem in materia gravi (de qua loquimur)vbi non eſt culpa gravis.

Triplex cõtra concluſionem objectio.

18 Sed objicies primò, quòd ex dictis probationibus ad ſummum ſequitur, non eſſe obligationem ad reſtituendum in dictis caſibus ſub peccato mortali; non autem, quòd non ſit ſaltem ſub peccato veniali: eo quòd ſicut ex gravi culpa ſequitur obligatio gravis, ſic ex levi, levis. ¶ Secundò, quia ſtat obligationem gravem ex ſolo peccato veniali oriri, vt quando plures paulatim furantur rem alterius, nimirum fructus vineæ, alij aliorum inſcij, venialiter ſinguli delinquunt: & ſi poſteà ſciant notabile damnum ab omnibus eſſe factum, vnuſquiſque gravitèr tenetur ſuam partem reſtituere. ¶ Tertiò, qui occidit equum alterius, putans valere centum aureos,ſi valeat mille,ad reſtituendos mille tenetur: ergo qui occidit alterius animal, putans valere duos regales, ſi valeat quinquaginta, tenetur ad reſtituenda quinquaginta: ergo ex culpa levi,illa gravis obligatio poteſt conſurgere.

Solvũtur objectiones.

19 Reſpondetur ad primam objectionem, quòd licèt ex culpa levi in materia levi oriatur levis obligatio reſtitutionis, quia ibi datur actio injuſta cum plena advertentia, & ſic ſimpliciter voluntaria: at cùm obligatio, de qua loquimur, ſit circa materiam gravem, non poteſt ex actione ſolùm levitèr culpabili oriri. Quia, ſi qua eſſe, deberet eſſe gravis: ſiquidem rei gravis obligatio non poteſt eſſe (ex natura rei, ſeu ex præcepto naturali) levis: cùm ergò ad gravem obligationem non detur voluntaria injuria ſimpliciter, nulla prorſus obligatio dabitur.¶ Ad ſecundã,quòd (quidquid ſit de illo caſu,de quo ſuo loco agemus)ſi tunc inſurgit obligatio gravis, non eſt ex actione injuſta, ſed ex retentione rei notabilis alterius, quam omnes ſcienter retinent per modum vnius. Ideòque omnes obligantur ad curandum, ne dominus careat re ſua notabili:quòd aliter fieri non poteſt, niſi ſinguli ſuam partem reſtituant. ¶ Ad tertiam reſpondetur, negando primam,& conſequenter ſecundam conſequentiam: quia in antecedenti agitur de injuria gravi, qua ſuppoſita, ad totum, quidquid ſit, tenetur, qui ex illa injuſta actione alterum læſit. At in caſu conſequentis eſt ſermo de injuria levi, ex qua non conſurgit obligatio gravis, vt dictum eſt.

Quid de eo dicendũ eſt, qui animo nocendi nõ adhibet diligentiorẽ cu tam?

20 Sed inquires,an ſi aliquis abſque culpa lata, procederet: ſed cum levi, aut leviſsima, quia nimirum diligentiam adhibet ad præcavendum malum, quam communiter homines ſuæ conditionis ſolent adhibere; non tamen exactiorem, aut exactiſsimam, ſed eo animo, & intentione ab illa ponenda abſtinet, vt abſque ſua culpa malum alterius reſultaret, teneretur ad illud reſarciendum? Sit exemplum in Medico, aut Chirurgo, qui adhibuit omnem diligentiam, ad quam tenebatur,& noluit maiorem adhibere ex odio, vel inimicitia, vt mors ſequeretur infirmi, an, ſequuta morte, ad aliquid reſtituendum teneatur? Quod alij alijs verbis interrogant, an ex culpa levi, aut leviſsima animo nocendi perpetrata, conſurgat obligatio reſtitutionis? Alij denique ſic quærunt. An ex ignorantia invincibili conſequenti orta ex pravo animo, teneatur quis ad reſtitutionem damni ſequuti? vt ſi proijciendo contra feram ſagittam adhibes diligentiam, quam homines communiter adhibere ſolent, & nonvis exactiorem,vt ſi fortè tranſeat inimicus,occidas eum,tenearis ad reſtitutionem damni ſequuti?

Prima ſentẽtia negans teneri reſtituere.

21 Duplex datur circa hanc difficultatem graviſsima ſententia. Prima eſt negativa, quam tenent Navarr.*lib.*2.*de Reſtitut.cap.*1.*diffic.*9.Leſsius *lib.*2. *cap.*7.*dub.*6.*num.*25.*& cap.*9.*dub.*6.*n.*113.Turrian. *diſp.*11.*dub.*3.Sanch.*lib.*1. *conſil. cap.*4. *dub.*5.*n.*9. & alij ap ud ipſos. Probatur primò, quia non poteſt dari injuſtitia completa, niſi opus externum ſit ſecundum ſe injuſtum: non autem eſt injuſta illa negligentia levis circa periculum alterius: ergò quamvis intentio interior ſit injuſta, non tamen datur exterior injuſtitia completa, obligans ad reſtitutionem. ¶ Secundò, quia licèt Iudex ex odio interficiat malefactorem, vel quicum que injuſtum invaſorem interficiat ex eodem affectu; ſi neuter eorum in opere externo excedat, ad nullam reſtitutionem tenetur: ergò ſimiliter, qui adhibet diligentiam,quam debet, ad evitandum damnum alterius, etiamſi ex affectu talis damni non adhibeat maiorem, ad quam non tenetur, non erit ad vllam reſtitutionem obligatus. ¶ Tertiò arguit Leſsius,quia ſi quis in aliquo opere omnem debitam diligentiam præſtet; optet tamen caſu obvenire damnum, vel mortem (vt poſſet contingere in Medico, & Chirurgo:) & ideò non adhibeat circumſpectionem diligentioris, aut diligentiſſimi, non tenebitur ad reſtitutionem, quia omne fecit ad quod obligatus erat.

Affirmans ſentẽtia eligitur, & authoritatibus probatur.

22 Probabilior autem eſt ſententia affirmans, quam aperte tradit Div.Thom.2.2.*quæſt.*62. *art.*2. *ad* 4. vbi docet, quod ſi quis impediat, quòd alius, qui eſt dignus, præbendam acquirat, ex voluntate maioris gloriæ Dei, vt detur digniori, non eſt obnoxius reſtitutioni; ſi tamen ex malo animo, & affectu procedat; tenetur ad reſtitutionem ſecundum æſtimationem ſpei, quam habebat. Vbi, vt vides, idem opus exterius ex diverſo affe-

affectu proveniens, potest in vno obligare ad restitutionem,& non in alio: ergo similiter si duo in aliquo ponant venenum, adhibendo sufficientem diligentiam, ne ab aliquo casù accipiatur; & vnus non adhibet maiorem absque animo pravo nocendi, alius verò nolit esse diligentior, aut diligentissimus; vt inimicus illud fortè bibens moriatur;iste,& non ille,eventu sequuto,ad restitutionẽ tenebitur. Colligiturque ex *leg.2.§.Idem Labeo ait,ff.de aqua pluv.arcẽ da*, vbi sic dicitur: *Qui avertit torrentem,ne sibi noceat; vnde factum sit,vt vicinus noceatur, cum eo aquæ pluviæ arcendæ agi non posse à vicino, si modò non hoc animo fecit, vt vicino noceat, sed ne sibi noceat.* Et ita hac sententiam tenent Molina, *tom.3.disp.697.num.*18.&,pluribus relatis, Lugo *disp.*8. *sect.6.num.*75.

Probatur ratione resolutio.

23 Probatur hac ratione, quia quamvis dari possit effectus non ita connexus cum causa, vt qui causam velit, ipsum effectum velle censeatur: at dari potest, quòd effectus non ita connexus cum causa voluntarius sit, & imputetur causam ponenti, si ex affectu ad talem effectum talis causa ponatur: quia ille affectus supplet connexionem effectus cum causa, & facit quòd effectus sit voluntarius in illa: ergo quamvis damnum alterius non sit effectus ita connexus cum negligentia maioris cautionis, & circumspectionis, vt velle non possit aliquis non apponere maiorem diligentiam, quin ob id tale damnum sit ab ipso volitum, aut voluntarium in causa, & sic non imputetur ad restitutionem; si tamen ex affectu, & intentione talis damni talis diligentia omittatur, erit voluntarium omittenti, & imputabitur ad restitutionem. Consequentia tenet, & probatur antecedens duplici exemplo. Primum, quando Deus tentat homines, vt probet; nec dicitur Deus tentator, nec lapsus sequutus imputatur illi: at quia diabolus tentat ex animo,& affectu ad lapsum, dicitur tentator, & talis culpæ reus: Ecce idem effectus non ita connexus cum causa sufficit, vt non imputetur illi, qui non ex affectu ad effectum ponit eam; & imputetur ei, qui ex tali affectu causam ponit, vel non avertit. Secundum, si quis inordinate cœnaret, & inde sequeretur in illo pollutio, si non ex affectu ad illam cibum sumeret, non imputaretur ei talis pollutio: si tamen eo animo inordinate comederet, vt sequeretur pollutio, hæc proculdubiò esset illi,& volita, & voluntaria: & ideò si pollutio voluntaria esset reservata, vel sub aliqua censura prohibita, qui sic intenderet eam, incurreret reservationem, & censuram: ergo idem effectus ex eadem causa proveniens sufficit, vt vni imputetur, non alteri, si ex diverso animo talem causam apponant. ¶ Confirmatur hoc, quia qui recipit latronem in sua domo animo fovendi furta, illis sequutis, tenetur ad restitutionem, vt dicemus *numer.* 125. quia est formalis receptator latronis; si autem eum recipiat animo fovendi amicitiam, vel quia consanguineus, familiaris, &c. non tenetur, quia solùm est fautor latronis materialiter. Ecce idem opus ex diverso animo proveniens sufficit, vt inducat, vel non,obligationem restitutionis. Vide quæ infrà dicemus *hoc cap.num.*103.

Solvuntur cõtraria fundamenta.

24. Ad contraria argumenta respondetur. Ad primum dicimus, negligentiam levem sufficere, vt opus externum sit injustum, si ex affectu ad damnum adhibeatur: quia per talem affectum cum illa causa connectitur voluntariè, & sic sufficit,vt sit tale damnum voluntarium in causa, & imputetur. ¶ Ad secundum respondetur, esse disparem rationem:nam in duobus illis casibus, qui sic occiditur, non habet jus ad vitam cum talibus circumstantijs: & ideò intendi,& procurari potest eius mors. At in nostro casu quilibet habet jus,vt non ex affectu ad suum damnum aliquid ponatur, vnde tale damnum sequatur, quia hoc ipso quod damnum intendatur, est in illa causa voluntarium, & non obvenit fortuitò, & præter intentionem, sed ex intentione, & sic voluntariè. Ad tertium patet ex dictis.

Non tenetur restituere innocenti, qui prævidẽs illi imputandum delictũ perpetratur.

25 Ex dictis sequitur, quòd si quis committeret delictum, prævidens alteri fore sequendum damnum ex illo, & quod illi imputaretur: si id intenderet, teneretur ad restitutionem omnium damnorum inde alteri obvenientium. Sed quid, si hoc non intenderet, sed vindicare se ab inimico; prævideret tamen, quòd tale delictum alteri imputaretur? Respondetur, non teneri ad omne damnum regulariter. Tùm, quia in tali casu non fuit causa, vt alteri imputaretur delictum, vt supponimus; sed solùm occasionem meram apposuit: ex mera autem occasione non consurgit obligatio justitiæ. Tùm etiam, quia quando ex mea actione non sequitur ex natura rei damnum tertio,sed vel ex ignorantia, aut malitia aliorum, qui se immiscent, non censetur illa actio mea injuriosa tertio, & sic ex illa nequit obligatio restitutionis oriri. Tùm denique, quia aliàs qui hominem occideret, & videret, quòd alij imputatur homicidium, ob quod rapitur ad mortem, teneretur se prodere etiam cum suæ vitæ dispendio (quod nemo dixit) quia injustus damnificator tenetur cum æquali damno suo ad reparandum damnum alteri illatum. Ita Soto *lib.4.de Iustitia, quæst.6.art.3.ad* 4. Lessius *lib.2.cap.9.dub.16.numer.*111. Sanch.*lib.*1.*consil.cap.*4.*dub.*5. Lugo *disput.* 8.*sect.6.numer.* 82. ¶ Teneretur tamen restituere innocenti totum, quod coactus est dare parti læsæ, quod ipse homicida teneretur illi dare: & similiter ad damnum ex ipsa morte innocentis sequutum, si vel illius gladio vtens, vel ipsius pallio coopertus alterum occidit; vnde suspicio orta est,quòd is, cui imputatur, fuit verus occisor, quia quilibet jus habet, ne quis suis rebus vtatur in suam perniciem. Ita Auctores *citati.*

---

§. III.

Ex culpa in officio commissa oriatur obligatio restituendi?

Casus circa quæsitũ occurrentes enumerantur.

26 CAsus frequentissimus est, & resolutio erit favorabilis. Quæritur ergo: an artifex, qui ex officio tenetur ad artefactum faciendum, teneatur ex culpa levi, aut levissima, quia nimirum non adhibet diligentiam, quam solent peritissimi, vel peritiores in tali arte adhibere, sed sufficientem, quam solent communiter officiales illius officij apponere? Idem de Medico,qui ex stipendio curat infirmum: an imputetur illi mors infirmi sequuta,ex hoc quòd non fuerit diligentior, aut diligentissimus, si communem, & sufficientem adhibeat diligentiam ad illum curandum? Idem de Confessario, qui adhibens diligentiam, quam solent alij communiter adhibere, vt non imponat onus restitutionis pœnitenti, ad quam non tenetur; vel liberet ab illa, ad quam te-

tenetur, teneatur ad restitutionem, si cum advertentia non adhibeat diligentiorem, aut diligentissimam curam ad rectè consulendum? Idem de Iudice, Advocato, custode, & alijs, qui ex officio tenentur ad consulendum alterius bono, vel evitandum damnum, teneantur ex culpa levi, aut levissima? Quod dicemus hoc §. *& sequenti*, intelligenda sunt cum limitatione adhibenda §. 5. ad quam lector debet attendere, ne videatur ipsi, nos omninò in his resolutionibus à communiori sententia recedere, nam per ibi dicenda ferè omnia conciliantur.

Nec etiam, qui ex officio debet rē alienam cōservare tenetur de culpa levi.

27 Dicendum ergo est secundò, nec eum, qui ex officio tenetur ad consulendum bono alterius, vel præcavendum damnum, teneri in conscientia ad restitutionem ex culpa levi, aut levissima; sive officium assumptum sit in commodum sui, vel incommodum alterius, vel vtriusque, sed solùm ex culpa lata iuridica: & neque ex hac solùm teneri, nisi simul committat culpam gravem theologicam: quod vno verbo complectentes dicimus, non teneri, nisi peccet mortaliter in tali negligentia. Probatur hac ratione, quia tunc non tenetur ratione rei acceptæ, vt supponimus: nec ex injusta actione: quia injusta actio, seu læsio non datur simpliciter, nisi vbi intervenit culpa lethalis: nec etiam ex contractu, quia solùm se obligavit ad exercendum suum officium diligenter, & accuratè, sicuti alij eiusdem conditionis, & officij illud exercent: ergo, adhibita cura sufficienti, ac diligentia communi, ad nihil amplius tenetur. Nec enim respublica plus videtur exigere ab ipsis, quàm dominus à famulo, ab æconomo, & alijs ministris, qui ex officio solùm tenentur eam diligentiam adhibere, quam cæteri prudentes in tali officio adhibent. Sic Sotus *lib.4.de justit.quæst.7.art.2.fine.* Lesius *lib.2. cap.7.dub.7.num.27.* Vazq. *tract. de rest. cap.2. §.2. num.33.& 34.* Lugo *disp.8.sect.7.à num.87.* Fr. Petrus à Tapia *lib.5.q.29.art.6.n.9.*

Aliquæ limitationes assertionis.

28 Sed hoc limitant prædicti Auctores (& meritò) primò in casu, quo quis promitteret se diligentiorem, aut peritiorem alijs exhibere, vel etiam diligentissimum, & peritissimum, quia tunc teneretur etiam ex culpa levi, aut levissima ad restitutionem, vt omnes asserunt; eo quòd tunc promisit ampliorem diligentiam præstare, quàm alij passim præstant; non autem ad totum damnum restituendum teneretur, sed quantum judicabitur spes illa valere, qua judicabat alter maiore illa diligentia, quam quærebat, se, quod optaverat, adepturum. Secundò in eo qui assumit officium, vel locat operas suas in tractandis rebus, quæ summam diligentiam exigunt, & cautionem, ne pereant, quia tunc tenebitur ad restitutionem ex culpa levi, aut levissima, juxta qualitatem materiæ, & negligentiæ.

Ex culpa lata tenetur, qui ex officio, alterius negotiū suscipit.

29 Cæterùm ex culpa lata (adjuncta gravi peccato) nemo ambigit teneri ad restitutionem eum, cui ex officio competebat damnum alterius præcavere; quia tunc eius negligentia, vel ignorantia lata, est actio injusta, ex qua sequitur damnum alterius. Ex quo sequitur, teneri ad restitutionem damni sequuti, ratione ignorantiæ crassæ, vel culpæ latæ, Confessarium, Parochum, Theologum, Concionatorem, Iurisconsultum, vel qui est talis professionis, ad quam pertinet consultatio, si consilium det contra id quod consulens facere non deberet: vt si diceret non teneri ad restitutionem, quando tenebatur: vel ei onus restitutionis imponeret, ad quam non tenetur, & in similibus. Et ratio est, quia ex officio, & professione tenebantur dicti hoc scire, & in respondendo hunc errorem vitare: ergo, hoc ipso quod non fecerunt, censentur causæ damni sequuti ex sua culpa lata: & in eis culpa lata judicabitur, cùm Confessarius, vel Iudex, vel alius qui tenetur ex officio, advertit in re dubium prudens esse, quod interrogare, aut amplius considerare oportet, & eam diligentiam omittit. Medina, Cod. *de rest.q.7.* quem refert, & sequitur Lessius *lib.2.cap.7.n.33.* Dicast. *tract.3.disput.3.dub.3. numer.100.*¶ Excusarentur autem dicti à restitutione, vel si solùm dicerent se ita sentire, non suadendo vt alter suum judicium sequatur: vel si dicerent se dubitare, quia si alter sequatur, suæ temeritati est tribuendum: vel si esset consultus earum rerum parum peritus, quia non pertinebant ad eius professionem, & alter talem insufficientiam non ignorabat; sibi nāque imputare debet, quòd damnum ex tali consilio accipiat: nam scienti, & volenti non fit injuria.

§. IV.

Qualis culpa requiratur, vt sit obligatio restituendi ex contractu?

Quid agendum sit in præsenti?

30 NOn minùs ad praxim pertinent in hoc §. dicenda, quàm quæ diximus §. *præc.* nec minùs erit favorabilis resolutio, quam advertimus esse intelligendam juxta dicenda §. *seq.* & non loquimur de illa re, quam tradendam promisisti, vel de pretio quod ex contractu debes, sed de restitutione damni, quod ex culpa contrahentis patitur res aliena: v.g. habes apud te rem locatam, commodatam, vel oppignoratam, & negligenter te geris in custodia illius, ratione cuius res illa perijt: quæ culpa, vel negligentia in custodia illius sufficiat, vt ad restitutionem tenearis?

Comm unis & celebris sententia.

31 Valdè celebris est inter Doctores sententia asserens, quòd si rem ex contractu, qui cedat in commodum tuum, habeas, teneris etiam de culpa levissima ad eius restitutionem; vt si equum commodatum recipias ab amico ad iter agendum, & non sis diligentissimus in illius custodia, & ob id pereat, teneris ad totius damni restitutionem. Si verò contractus cedat in commodum vtriusque partis, vt si talem equum conductum haberes, teneris ex culpa levi ad dimidium damni, vt sic sicut commodum est vtriusque, sit etiam detrimentum. Si tamen contractus solùm esset in commodum alterius, vt si talem equum in depositò haberes, nullo recepto stipendio, (si enim stipendium recipias, iam est tale depositum in commodum vtriusque) asserit te non teneri nisi de culpa lata; ideòque si adhibeas prudentem diligentiam in illius conservatione, tametsi diligentissimam, aut diligentiorem curam non adhibeas, & ob id pereat, ad nullam restitutionem teneris. Huius sententiæ sunt plurimi, & gravissimi Doctores, qui illam, vt communem, tradunt.

Etiam non tenetur, nisi ex culpa lata, qui ex cōtractu obligatur.

32 Nihilominus dicendum est tertiò, quòd, saltem in foro conscientiæ (quidquid sit de foro exteriori) sive contractus sit in commodum tui, vt in commodato; sive solùm in commodum alterius, cuius res perijt, vt in depositò; sive in commodum vtriusque, vt in pignore, conductione, &c. te non teneri ad restitutionem, nisi ex culpa lata, quæ simul cum culpa gravi theologica sit conjuncta. Ita Sotus *lib.4.de just. q.7.art.2. & 10.* Tapia *lib.5. quæst.29. artic.6. num.9.* Martin. de Ledesm. 2. *part.* 4. *quæst.* 8. *artic.* 6. §. *Sed dubitabis*

Lugo *disp.* 8. *sect.* 8. *n.* 108. & 110. Sà verb. *Commodatum*, Henriq. *de Irregular. cap.* 15. & probabile dicit Tolet. *lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 1. Lesius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 8. *num.* 43. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 34. *cap.* 2. *num.* 13. Diana 1. *part. tract.* 8. *resol.* 74. & 3. *part. tract.* 6. *resol.* 49. & 4. *part. tract.* 3. *resol.* 30. & colligitur ex leg. *Quæsitum est*, §. *Eum quoque*, *ff. de Præcario*, leg. *Contr. ff. de Reg. juris.* Ubi qui rem præcario accepit, solùm tenetur de culpa lata, aut dolo, licèt solùm in ipsius commodum sit contractus: ergo idem dicendum est de commodato: quia solùm differt præcarium à commodato, quòd res præcario accepta, potest repeti à domino, quando voluerit, non sic in commodato.

Probatur ratione præcedens conclusio.

33 Deinde probatur hac ratione: quia ex culpa levi, aut levissima nemo tenetur etiam ex contractu ad restitutionem in conscientia ex natura rei, seu ex jure naturæ, nec etiam ex jure positivo: ergo nullo modo tenetur. Probatur non teneri ex jure naturæ (quod etiam plures contrariæ sententiæ Auctores asserunt.) Tùm, quia ex vi contractus nemo tenetur ad maiorem adhibendam diligentiam ad conservationem rei alienæ, quam propriæ; sed ad conservationem propriæ solùm tenetur de culpa lata, seu ad ponendam prudentem diligentiam, quam homines sui status communiter adhibere solent: ergo, &c. Tùm etiam, quia ex vi contractus nemo se obligavit (præterquam in casu *num.* 28. posito) nisi ad ponendam omnem diligentiam, quam solent homines communiter in tali materia adhibere: (Nec enim magis ex natura rei obligantur commodatarius, conductor, vel depositarius, qui ob stipendium rem alterius acceperunt (& sic in suum commodum) in custodienda illa, quam Iudex, Medicus, Advocatus, qui suam operam locarunt in gratiam sui ob stipendium receptum, & in gratiam domini, & clientis) sed isti non obligantur ex culpa levi, aut levissima, vt diximus §. *præced.* ergo, &c.

Non datur ex jure talis obligatio.

34 Nec etiam datur talis obligatio in foro conscientiæ ex jure positivo: nam caput vnicum de commodato, §. *Creditor*, Institut. *Quibus modis contrahatur obligatio*, leg. *In rebus commodatis*, *ff. Commodati*, & alia jura, quæ solent adduci in contrarium, vel non sunt recepta quoad obligationem conscientiæ, vel solùm ponuntur pro foro externo ad tuendam pacem publicam, & vt contrahentes diligentiores essent in custodia rerum alienarum, quas apud se habent, & in suo munere exequendo: ideòque dicunt de culpa levissima teneri, qui rem in suum commodum recepit; de culpa levi, quando in vtriusque gratiam est contractus: & solùm de culpa lata, quando cedit in gratiam domini, cuius damnum emergit. Hæc, inquam, jura solùm pro foro externo vim habent; & sic non obligant ad talem restitutionem, nisi post sententiam Iudicis, vt diximus *num.* 12. *in fin.* de legibus, quæ imponunt restitutionis onus dominis, ob damnum à suis animalibus, vel mancipijs, absque sua culpa illatum.

Objectio quædam, & solutio illius.

35 Sed dices forum internum debere conformari cum foro externo, quando istud non nititur falsæ præsumptioni; sed leges statuentes in foro externo dari obligationem restituendi ex levi, aut levissima culpa non nituntur falsæ præsumptioni de lata culpa; quin potiùs supponunt non adesse, cùm pro culpa levi, aut levissima tale onus imponant: ergo hoc etiam pro foro conscientiæ est observandum. ¶ Respondetur, id verum esse, quando ipsæ leges, secundùm formam, aut materiam illarum, aut ex circumstantijs non intendunt solùm obligationem pro foro exteriori; sed quando indifferentes sunt ad vtrumque forum, tunc observandum est in foro interno, quod pro foro externo decernitur, si falsæ præsumptio minimè nitatur. Negari autem non potest plures leges statui solùm pro foro externo, & tunc non est in foro interno observandum id, quod secundùm illas observatur in externo, tametsi non nitantur falsæ præsumptioni. Plures instantiæ adduci possent, sufficiat instantia illarum legum, de quibus diximus *numer.* 11. quæ impositæ sunt pro noxa, vel damno illato à mancipio, vel animali, etiam sine vlla culpa domini, quæ non præsumunt eam in domino; & tamè onus imponunt illi pro foro externo restitutionis, vt vnusquisque sit cautior in custodia animalium, vel mancipiorum cohibitione: cùm tamen, vt ibidem diximus, non obligent pro foro interno. Similiter dicendum est de his legibus imponentibus restitutionem pro levi, aut levissima culpa, pro foro externo, vt vnusquisque cautior sit in custodiendis rebus alienis. Cæterùm, quia vel sunt per modum pœnæ pro culpa juridica impositæ, licèt non sint propriè pœnæ, vel per modum pœnæ conventionalis, de qua diximus *tract.* 11. *de legibus*, *cap.* 2. *num.* 67. non obligare ante sententiam Iudicis, quod etiam tenet Sanch. *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 37. *num.* 4. Lugo *disp.* 8. *sect.* 8. *n.* 105. non obligant, nisi pro foro externo, & interno post Iudicis sententiam.

§. V.

Difficilis objectio dissolvitur, & amplius doctrina tradita declaratur.

Objectio difficilis proponitur.

36 SEd contra dicta in duobus §§. *præc.* est difficilis objectio in hunc modum proposita: quia negari non potest secundùm lumen naturæ, & communem hominum sensum, plus obligari ad custodiendam rem alienam, vel damnum alterius evitandum, qui ad hoc tenentur ex officio, quàm qui solùm ex communi hominum convictu tenetur: & rursus, plus teneri ad adhibendam exactiorem diligentiam in custodienda re aliena, qui ad hoc ex contractu est obligatus, quàm qui absque illo: & ex his, qui ex contractu obligantur, magis teneri, quando in gratiam sui factus est, quàm in gratiam alterius. Quis enim negavit te diligentiorem debere esse in depositi custodia, ob quam recepisti stipendium, quàm illum, qui solùm in gratiam alterius illud servandum accepit? Quis negabit te diligentiorem debere esse, ex ipso lumine naturæ, præciso quocumque jure positivo, in custodiendo pignore, vel re pretiosa, quam ad tuum commodum, & vtilitatem recepisti, quàm illam, quam solùm, vt alteri gratiam exhiberes, & in eius commodum, servandam accipisti? at secundùm nostram doctrinam tribus §§. *præced.* stabilitam, in omnibus his casibus æqualis obligatio imponitur pro omnibus, cùm de omnibus dixerimus requiri latam culpam juridicam simul cum gravi theologica; & consequentèr in omnibus teneri eandem diligentiam in re aliena observanda adhibere: ergo est contra debitam rationem, & lumen naturale, quod hucusque diximus.

Quid prænotandù pro solutione objectionis?

37 Pro solutione huius difficultatis nota ex Bonacin. *disp.* 1. *de Restit. quæst.* 2. *punct.* 7. *numer.* 20. Lesio *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 7. *num.* 32. Villalob. *tract.* 11. *difficult.* 4. *num.* 12. Lugo *disp.* 8. *sect.* 9. *numer.* 112. cul-

Culpam poſſe bifariam dici levem, aut leviſsimam: primò abſolutè, quia inſpecta ſecundum ſe æſtimatur, vt levis: ſecundò reſpectivè, quia negari non poteſt, quòd culpa, quæ in vno caſu reputatur levis, in alio gravis judicetur, ſicut aliquæ ſunt culpæ graves in filio reſpectu patris, quæ reſpectu aliorum eſſent leves, propter maiorem obligationem, quam filius habet vigilandi circa bonum, & obſequium parentum. Similitèr defectus, qui in ſæculari leves reputantur, in religioſo, vel Epiſcopo ſunt graves, quia eſt maior in iſtis obligatio ad illos evitandos; & hoc non quia eadem culpa formaliter ſit in vno levis, & in alio gravis; ſed quia ob diverſam obligationem, quæ eſt in vtroque, illa quæ aliàs levis erat ſecundum materiam in vno, gravis eſt formaliter in alio.

Solvitur objectio propoſita.

38 Quo ſuppoſito, dicimus ad obiectionem, vtrumque poſſe componi: & quòd ille, qui ex officio, & contractu tenetur ad cuſtodiendam rem alienam, non teneatur ad reſtitutionem, niſi de culpa lata, & mortali; & quòd teneatur aliquando etiam de culpa leviſsima, vtique quæ talis eſſet ſecundum ſe, & abſolutè; ſed reſpectu talis ſubjecti eſſet gravis, & lata, ob ſtrictiorem obligationem illius: & ſic compatitur cum eo, quod dictat lumen naturale de diverſa obligatione invigilandi in cuſtodia rei alterius, quod non niſi ex lata, & gravi culpa quiſque ad reſtitutionem teneatur. Quo videntur conciliari omnes Authores pro vtraque parte militantes. Etenim lata culpa tunc datur, quando quis non adhibet illam diligentiam, ad quam tenetur: tenetur autem ad vigilantiorem multoties vnus, quàm alius; ideò negligentia illa, quæ abſolutè levis erat, & reſpectu vnius, reſpectu alterius eſt lata, & culpa gravis.

Quid inferatur ex dictis?

39 Ex dictis conſtat, ſemper ac detur obligatio reſtitutionis ob actionem injuſtam, intervenire culpam latam, & gravem reſpectu illius ſubjecti. Cæterùm minùs requiritur, vt ſit gravis, & lata culpa reſpectu eius, qui tenetur ex officio, quam illius, qui ſolo ex delicto tenetur. Rurſus magis requiritur, vt ſit gravis negligentia, & lata culpa reſpectu eius, qui ex contractu tenetur in commodum alterius, vt depoſitarius, qui ex nullo ſtipendio accepit hoc munus; quàm reſpectu illius, in cuius gratiam eſt factus contractus; ideòque minor negligentia ſufficit, vt ſit lata culpa in commodatario, quàm in depoſitario: & minor negligentia eſt ſufficiens ad culpam latam in depoſitario, qui ex ſtipendio hoc munus accepit, quàm in eo, qui abſque tali ſtipendio illud ſuſcepit, quia in primo caſu contractus eſt in commodum vtriuſque, & in ſecundo ſolùm in commodum depoſitantis; & ſic de reliquis. Et ratio eſt, quia qui ex officio, aut contractu tenentur, adhibere debent maiorem diligentiam, quia hæc vigilantia communitèr à prudentibus in tali caſu exhibetur; & idò lata eſt culpa, qua non adhibent vigilantiorem curam, quam illi, qui non tenentur ex contractu, aut officio. Quare verificatur, quod levis culpa, aut leviſsima ſecundùm ſe ſufficiat in his caſibus, quæ reſpectu illorum erit lata, & gravis moraliter, vt obligentur ad reſtitutionem: non in alijs. In omnibus tamen debet dari lata culpa, & gravis, quæ ſit talis, inſpectis omnibus, vt obligatio reſtitutionis oriatur.

*** ***)(?§?)(*** ***

PUNCTUM III.

De obligatione reſtituendi ob rem alienam acceptam à poſſeſſore bonæ, vel malæ fidei.

Quæ agenda ſunt hoc puncto declarantur.

40 ALiam radicem reſtitutionis diximus eſſe rem alienam apud poſſeſſorem inventam: quod aliquando contingit abſque injuſta actione, vt in poſſeſſore bonæ fidei, qui rem alienam accipit, & retinet, putans eſſe propriam, aut neſciens eſſe alienam: aliquando verò vtraque radix ſimul invenitur, vt in fure, raptore, & debitore, aut depoſitario moroſo, qui ſimul, & rem alienam retinent, & per injuſtam actionem eam occupant: & hi dicuntur poſſeſſores malæ fidei, inter quos eſt medius poſſeſſor bonæ fidei, qui vtrimque pendulus dubitat, an res ſua, vel aliena ſit: & de omnibus his hoc puncto agemus. Illud præ oculis habentes, per poſſeſſorem bonæ fidei nos illum intelligere, quoad præſens attinet, qui abſque conſcientia peccati mortalis rem alienam poſsidet, quia invincibilitèr ignorat rem eſſe alienam, tametſi venialitèr peccet circa negligentiam in tali notitia acquirenda, quia venialis culpa, ſicut non tollit bonam fidem ſimpliciter requiſitam ad præſcriptionem, vt diximus *tract. præced. cap. 2. num. 109.* ita non generat malam fidem, ob quam ex injuſta actione obligatio reſtitutionis proveniat in materia gravi, de qua nunc agimus, vt diximus *punct. præced.* Per poſſeſſorem malæ fidei illum intelligimus, qui, vel ſcienter rem alienam accipit, aut retinet, vel cum ignorantia affectata, aut craſſa, vel ſupina, ſufficienter vt in talis rei alienæ detentione mortaliter peccet, quia hic abſolutè eſt poſſeſſor malæ fidei.

§. I.

Quam reſtitutionem facere domino rei teneatur poſſeſſor bonæ fidei?

Quid bonæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere?

41 POſſeſſor bonæ fidei, quandiù in ea bona fide eſt, poteſt rem alienam retinere, eam vendere, & conſumere, quia ſe verum dominium eius habere invincibiliter judicat. Mox tamen ac alienam eſſe certò cogniſcit, eam reddere proprio domino tenetur (deductis expenſis, quas in eius conſervatione conſumpſit) niſi tempus præſcriptionis tranſierit, quia, hoc tranſacto, iam ſibi retinere poteſt, juxta dicta *tract. præc. cap. 2. n. 108.* Quod ſi in mora fuerit culpabilis, poſt talem notitiam, iam non eſt poſſeſſor bonæ fidei; proindeque conditiones poſſeſſoris malæ fidei ex tunc obſervabit, de quibus *§. ſeq.* Sed vt poſſeſſor malæ fidei judicetur, debet, & rem alienam eſſe cognoſcere, & ſe obligatum eſſe ad reddendam talem rem proprio domino, quia ſi hoc ſecundum invincibiliter ignoraret, eſſet poſſeſſor bonæ fidei: proindeque non teneretur eam reſtituere, ſi caſu apud ipſum periret. Poſita ergo notitia vtriuſque, rem integram domino reddere teneretur, ſive illam contractu lucrativo, v.g. per donationem acceperit: ſive contractu oneroſo dato pretio comparaverit, quia dominus non fuit cauſa, quòd ipſe pretium pro ea dederit, & ob id dominium ſuæ rei non amittit: proindeque furtum

tum committeret, si talem rem à se emptam vero domino non restitueret, quia rei alienæ detentio, invito domino, furto æquiparatur. Nec ipse potest à domino pretium exigere, quia dominus non tenetur rem suam emere, nec dato pretio quomodolibet eam comparare; sed tale pretium à venditore debet requirere, contra quem duntaxat habet actionem, leg. *Mater tua* 3. leg. *Mancipium* 23. Cod. *de rei vendition.* & docet D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. & ibi Caietan. Sanch. *lib.* 2. *sum. cap.* 23. *n.* 2. Rebell. *de obligation. just. p.* 1. *lib.* 2. *q.* 3. *n.* 1. Bonac. *de rest. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 3. Lug. *tom.* 2. *disp.* 17. *sect.* 1. *n.* 1. Sot. *lib.* 4. *de just. q.* 7. *art.* 2. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 11. *difficult.* 11. *n.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 1. Palaus *tom.* 7. *de just. disp. unic. punct.* 24. *§.* 7. *n.* 2.

Non tenetur possessor bonæ fidei restituere re nō extante, nisi in quo factus est ditior.

42 Si, durante bona fide, rem consumpsisti, aut distraxisti, vel ipsa casu perijt, etiamsi tua culpa pereat; vel si rem eodem pretio, aut minore quo emeras, vendidisti, ad nullam restitutionem teneris, quia nec ex injusta actione talem obligationem contraxisti, quia bona fide putans rem esse tuam processisti: nec ex re aliena, quæ apud te non extat. Si tamen res aliena apud te existat, licèt non in se, in suo tamen æquivalente, quia nimirum factus es ditior, id, in quo locupletior redditus es, teneris reddere, quia in tali incremento res aliena in virtute manet, leg. *Item veniunt*, *§. Præter hæc*, *ff. de petition. hæred.* leg. *Si rem*, *& pretium*, leg. *Sed etsi lege*, *§. Item si rē distraxisti*. *ff. eod. tit.* Ut si rem donatam accepisti, & eam vendidisti, totum pretium teneris restituere, deductis expensis (nisi tempus præscriptionis transierit) vel si eam donasti, vel distraxisti, parcens tuis bonis: vt si frumentum, aut vinum alienum consumpsisti, quæ ex tuis bonis eras consumpturus: si iter egisti in equo alieno, & si omisisti expensas, quas in conducendo alio eras facturus (secus verò si pedester acturus eras iter, si talem equum non haberes) si vestem alienam consumpsisti, parcens tuæ: si ex alieno cibo comedisti, & sic ex tuo non comedisti. In his, & similibus debes actuarium domino reddere, eo quòd tale incrementum non est tuum, quia non est ex bonis tuis; & plus habes in tuis bonis, quàm habere debueras. Illud ergo, vndecumque veniat, est domino reddendum, expensis deductis modo infra explicando. Ita Villalob. *suprà num.* 3. Bonacina *num.* 6. Rebellus *num.* 3. Lessius, Palaus, Lugo, Sanch. *loc. cit.* In casu verò dubio, an sis locupletior redditus ex re aliena, non est judicandum tuum patrimonium auctum; & sic nihil restituere teneris: quia, vt detur obligatio restitutionis, probanda est in vtroque foro, eo quòd melior sit in pari casu conditio possidentis.

Qu'd inferatur ex dictis?

43 Si verò rem alienam consumpsisti, vel in ludo, vel in alijs rebus, in quibus alioqui nihil esses de tuo patrimonio consumpturus, non teneris illius pretium domino reddere, quia non es ob eam ditior factus. Imò si occasione rei alienæ, quam apud te habes, splendidiùs viveres, quàm viveres, si tibi donata non esset, ad nihil restituendum obligaris, quia estò per occasionem rei alienæ statum, & modum vivendi mutaveris, nil tamen amplius in tuis bonis post consumptionem reperis, quàm habiturus esses, si talem rem non recepisses. Soto *libr.* 4. *quæst.* 7. *articul.* 2. *post* 4. *concluf.* Bonacin. *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 6. qui *num.* 17. rectè asserit eum, qui bona fide hæreditatem possidens facit maiores expensas de suis bonis, quàm alioquin facturus esset, posse in restitutione detrahere expensas factas, quas non esset alioquin facturus.

Quid de rebus vsu cōsumptibilibus sentiendum sit?

44 Sed inquires primò, an qui emit, aut recipit bona fide à latrone res, qui sunt materia mutui, vel sunt vsu consumptibiles, vt pecunias, oleum, vinum, triticum, vestem, teneatur ad restitutionem rei, si extet; aut eius in quo ditior factus est, si ex tali distractione fur non redditur impotens ad restituendum ex alijs suis bonis; vt si hanc vestem, hoc triticum accipias à latrone, qui alias vestes, vel aliud triticum, vel quid æquivalens habet ad restituendum vero domino: & in exemplo communi eius, qui invitatur ad cœnam furtivam, qui in sua domo tantum consumpturus erat, an teneatur pretium domino reddere, si fur ex alijs bonis illud reddere valet? Si enim aliunde fur sit impotens ad reddendum, nulli dubium est te teneri ad reddendum rem, si extet, vel id, in quo ditior factus es. Et loquimur in foro conscientiæ (quidquid sit de foro exteriori.) Circa quam quæstionem, quæ celebris est apud Doctores, adverto idem judicium esse faciendum de eo, qui tales res à fure recipit bona fide, ac de eo, qui mala fide procederet, sciens rem esse furtivam, quia in hoc æquales sunt: si enim res existat, æquo passu tenetur possessor bonæ fidei, ac malæ, totam domino reddere: si non existat, etiam vterque pretium æquivalens tenetur restituere, vnus totum, alius id in quo ditior factus est: & ideò quod dictum fuerit de vno, hoc, proportione servata, judicandum est de alio, vt docet Bañ. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 3. *concl.* 4. *in solutione objectionis contra eam.*

Duplex sententia extrema.

45 Circa dictam quæstionem est duplex sententia. Prima asserit, teneri ad restitutionem, qui aliquid ex dictis bona, vel mala fide recipit à latrone, proportione explicata: & probatur primò, quia res semper est domini, vbicumque fuerit, vel in se, vel in æquivalenti: ergo semper, ad quemcumque possessorem transeat, cum eo onere restituendi illam vero domino pervenit. ¶ Secundò, quia dominus semper retinet jus exigendi à possessore bonæ fidei rem suam, vel id, in quo factus est locupletior ex suis bonis, aliàs si equum bona fide acciperet, & venderet, non teneretur pretium reddere domino: quod est contra communem sententiam, vt diximus *num.* 41. Ita Vazq. *de restitut. cap.* 9. *§.* 2. *dub.* 5. *num.* 26. Sayr. *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *numer.* 9. Lug. *tom.* 1. *disput.* 17. *sect.* 1. *num.* 12. Ioan. Martinez à Prado *tom.* 2. *cap.* 17. *de restit. quæst.* 2. *n.* 7. ¶ Ex oppositio alij dicunt ad nullam restitutionem teneri possessorem bonæ fidei in casu quæsiti. Sic Bañ. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 3. *concluf.* 4. Salon. *ibi controv.* 7. *q.* 4. Ioan. de Medin. *q.* 4. *de vsuris*, *§. Si autem loquamur*, Ledesm. *in summ. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 14. *post decimamquartam conclusionem*, *dub.* 3. *diff.* 4. & probabilem dicunt Rodrig. *in summ. cap.* 42. *num.* 2. Sà verb. *Restitutio*, *num.* 7. quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 5. *resolut.* 43. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 8. Et probatur primò, quia non est magis obnoxia restitutioni pecunia, v. g. furtiva latronis, quàm alia, quæ est apud ipsum: ergo sicut ipse poterat aliam dare, sic furtivam, & ex alia restituere: ergo qui accipit à latrone pecuniam furtivam, non tenetur restituere, si latro ex alia pecunia id facere potest. ¶ Secundò, & præcipuè, quia ipsi verus dominus non habet jus petendi à fure eandem numero rem; sed similem, vel eiusdem pretij; sed res similis, & eius-

eiuſdem pretij manet apud latronem, vnde poſsit reſtituere: ergo accipiens ab illo non tenebitur, ſed poterit dominum ad latronem remittere.

Media via incedendum eſt.

46 Sed inter has duas ſententias nos media via incedimus. Et ſupponimus, has res, de quibus eſt quæſtio, poſſe bifariam conſiderari, vel antequam ſint permixtæ cum alijs bonis latronis, vel poſtquàm iam ſunt cum illis permixtæ, ita vt diſcerni non poſſint, quænam ex illis ſint domini, quænam latronis; vt ſi pecuniam, aut triticum Petro furatus es, poſſunt conſiderari, vel tempore quo illas numero pecunias ab alijs tuis ſeparatas poſsides, vel tempore, quo cum alijs eiuſdem ſpeciei commiſcentur. Idem de tritico furato, ſi in tuo horreo cum alijs granis tritici eſt revolutum: & dicimus cum prima ſententia, in priori caſu teneri ad reſtitutionem, propter rationes illius, quæ vrgentes ſunt: in ſecundo autem caſu cum ſecunda ſententia convenimus, non ob rationes illius, ſed quia per commixtionem pecuniarum furatarum cum alijs proprijs furis, fur ipſe fit illarum dominus (quamvis aliàs habeat onus reſtituendi) vnde accipiens eas ab illo, nihil quod domini prioris erat, accipit: amittit enim prior dominus dominium per talem admixtionem. Leg. *Si alieni nummi, ff. de ſolutionibus*, leg. *Idem Pomponius, ff. de rei venditione.* Sic Sanch. *lib. 2. ſumm. cap.23.n.34.* Dicaſtill. *lib.2.tract. 2. diſp. 5. dub. 9. n.783.* Rebell. *1.p.lib.2.q.6.n.13.* ¶ Ex quo benè inferunt hi Authores, quòd ſi quis bona fide equum alienum vendat, &, antequam pecunias cum alijs permiſceat, cognoſcat eſſe alienum, tenetur tales pecunias alieno domino reddere (niſi reſcindat contractum initum cum fure, de quo infrà *n.81.*) quia ſicut equus eſt domini, ſic pretium illius, quandiù extat; ſi autem iam tales pecunias alijs permiſcuit, ad nihil vltra tenetur.

Solvuntur fundamenta contraria.

47 Ad primum argumentum ſecundæ ſententiæ (argumenta primæ ex dictis *num.præced.* manent ſoluta) dicimus, pecunias, vel aliam rem alterius, quandiù extat eadem numero, & impermixta eſt, eſſe magis obnoxiam reſtitutioni quibuſvis alijs rebus latronis, quia illa, cùm ſit domini, qui adhuc dominium non perdidit eius, per ſe primò eſt reſtituenda, & alia in defectum eius. Unde ſemper cum tali onere eſt, vbicumque reperiatur, quandiù per commixtionem dominium prioris domini non deperditur. ¶ Ad ſecundum fatemur, quòd in rebus vſu conſumptibilibus, quæ functionem accipiunt, non eſt obligatio reſtituendi eandem rem, etiamſi extet; ſed ſufficere rem æqualis valoris, vel æſtimationis dare, vti (præter Bañ.) docet Lug. *n.102.* & Villalob. *tract. 11. diff.12. n.3.* Sed quia res ipſa, dum extat, per ſe eſt obnoxia reſtitutioni, vt modo dicebamus, & aliæ res in ſubſtitutionem illius; ideò dominus per ſe habet jus ad ſuam rem, vbicumque fuerit, niſi priùs raptor de ſuis bonis æquivalenter illi reſtituat. Sed occaſione eius, quod modò dicebamus.

Non ſufficit pretium rei reddere, ſed ipſa res eſt reſtituenda.

48 Inquires ſecundò, an qui rem alienam vſu non conſumptibilem, vt equum, imaginem, bona, vel mala fide poſsidet, teneatur eâdem rem, ſi extet, domino reddere: an verò ſufficiat pretium æquivalens reſtituere, vel rem aliam eiuſdem pretij, vel æſtimationis? Reſpondetur, quòd, niſi detur rationabilis cauſa obſtans, non ſufficit domino pretium ſuæ rei reſtituere; ſed debet res ipſa reſtitui, nec poteſt poſſeſſor vnum pro alio cómutare, invito domino. Leg. *Manifeſti*, C. *de ſolutionib.* Quia res extans ſub dominio prioris domini remanet; & ipſe non eſt cogẽdus ſuam rem vendere, aut cum alia commutare. Maximè, quia multoties plus valet res propter ſpecialem affectum, & æſtimationem ſui domini. Soto *lib.4.q.6.art.5.* Rebell. *1.p.lib.2.q.6.n.14.* Villalob. *ſup.n.3.* Lug. *diſp.17.ſect.5.n.100.* Si verò dominus ſpecialem affectum ad illam in individuo non habeat, & eodem pretio poſſet aliam æquè bonam invenire, non eſſet grave peccatum, ſi pretium loco rei reſtituis, vel aliam rem, quæ facilitèr vendi poſſet, cuius pretio dominus ſuam, vel æqualem rem facilitèr poſſet invenire, vti docent Rebell. & Lug. *loc. cit.* Si verò rationabilis cauſa detur non reddendi eandem rem ſuo domino; ne videlicèt delictum furis manifeſtetur, vel aliquid aliud timeatur, potes eſſe contentus reddendo pretium equivalens, penſata etiam, & compenſata æſtimatione, & affectu domini, ſecundum quam pluris ſuam rem vendere ſperaret.

§. III.

De reſtitutione, quam debet poſſeſſor malæ fidei exhibere.

Ad quid iniquus poſſeſſor teneatur

49 INiquus poſſeſſor (vti eſt ille, qui alterius rem rapit, aut furatur, vel invito domino retinet) tenetur rem ipſam, ſi extet, integrè domino reſtituere. Si verò non extet, vel quia illam vendidit, dedit, aut commutavit, debet pretium æquivalens reddere, & hoc, etiamſi res abſque vllo ſui commodo pereat, vel ab eo furtim alius rapiat, vel caſu abſque ſua culpa quovis modo non extet, totum, quod valebat, vero domino reddere tenetur, & non ſolum id in quo factus eſt ditior, vt tradunt communitèr Doctores cum D.Thom. *2.2.q.62.art. 6.* Quia hæc obligatio, non ſolùm ex re aliena, ſed ex injuſta actione, & læſione provenit, quia propter damnum alteri illatum ipſe ſimile damnum debet ſubire, etiamſi ex illo nullum ſibi evenerit emolumentum. Inſuper tenetur omnia damna domino inde emergentia reſarcire: vt ſi auferas ab eo equum, & ipſe alium conducere cogatur, non ſatisfacis equum reddendo, ſed etiam ſolvendo pretium conductionis, quod ipſe dederat: & etiam lucra ceſſantia, vt ſi equum auferas, quem ipſe conducere ſolebat, totum illud pretium teneris ſolvere. Et ſi à mercatore auferas nummos, quibus ipſe lucrari conſueverat; omnes pecunias debes reddere, & inſuper lucrum, quod ex eis ſperabat acquirere, juxta æſtimationem ſpei: quia in his omnibus fuit per tuam injuſtam actionem damnificatus.

Quid, ſi res peritura eſſet apud dominum?

50 Sed inquires primò, an ſi res peritura eſſet apud dominum, & de hoc conſtaret, teneretur fur eam reſtituere, ſi apud ſe eam conſervet, vel ſi de facto apud ipſum pereat, pretium illius reddere? Et quidem ſi dubites, an eodem modo peritura eſſet apud dominum, teneris rem, vel pretium eius, ſaltem ſecundum æſtimationem illius dubij, domino reſtituere, etiamſi abſque tua culpa apud te pereat: idem dicimus de depoſitario moroſo, & de debitore, qui eſt in mora reddendi rem alienam. Similitèr eſt certum, quòd ſi res illa certò conſtaret peritura apud dominum injuſtè, quia alius fur illam eſſet rapturus, non excuſaris ab onere reſtitutionis: quia per hoc, quod per furtum tuum alterius furtum prævenias, non deſinis eſſe fur, ſed onus, quod alter ſuſcepturus erat, ipſe ſuſcipis. Quare difficultas eſt, quando certò moraliter ſcires rem illam perituram apud dominum caſu, vel incendio, vel tempeſta-

pestate, & prævenis damnum, eam surripiendo.

Si res extet, etiamsi peritura esset, domino restitui debet.

51 Respondetur sub distinctione: nam vel rem illam apud te retines, vel pretium eius, quia vendidisti, & tunc teneris eam domino restituere; & si casu apud te pereat, debes pretium illius reddere, dummodò non pereat apud te eodem modo, aut tempore, quo peritura erat apud dominum, vt si rem per incendium perituram liberasti, & in tempestate, vel per aliud incendium amisisti, teneris eam restituere. Sed si rem alterius certò perituram surripuisti, & apud te perijt eodem tempore, ac modo, quo peritura erat apud dominum, ad nullam restitutionem teneris. Utramque partem assertionis probabimus, & statim exempla adijciemus. Prima ergo pars probatur, quia res, vbicumque extet, domini est, & ad bonam illius fortunam pertinet, quòd erepta fuerit; nec debet latro inde commodum reportare, sed eam incolumem servare domino. Unde si talem rem consumas, contra domini voluntatem facis, cui suam rem incolumem conservare debueras: nec excusaris, quia apud te casu pereat, quia tibi imputare debes, qui tibi rapuisti rem alienam, non vt domino traderes, & sic cum onere dicto eam accepisti. Ita Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 15. n. 93.* Dicastill. *tract. 2. disp. 1. n. 60.* Villalob. *tract. 11. diff. 12. n. 6.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 4. n. 3.* Palaus *disp. vnic. punct. 24. §. 9. n. 2.* Qui benè advertit, sæpè contingere rem non tanti æstimari irruente periculo, quanti alioqui si cessaret. Ut si tempore belli constaret de invasione inimicorum, viliori pretio res venduntur, quàm si tale non immineret periculum, & tunc non est restituenda res, si non existat, secundum omnem valorem, quem ex se habet, sed secundum valorem, quem habebat tempore, quo fuit ablata.

Si res eodē modo pereat apud latronē, non tenetur aliquid restituere.

52 Secunda verò pars, videlicèt, quod si res eodem tempore, & periculo pereat apud te (qui eripuisti illam, putans salvam eam conservare) ac peritura esset apud dominum, non teneris ad restitutionem in conscientia, probatur. Tùm quia ordo justitiæ solùm petit, ne damnum per tuam actionem alteri facias, non verò, quòd res illius in meliorem statum reducas, aut quod ille commodum reportet: at si res eodem modo esset apud dominum peritura, in nullo eum damnificas: & si ad restitutionem tenereris, commodum ille reportaret, & rem perituram ad meliorem statum reduceret: ergo, &c. Tùm etiam, quia per tuam injustam actionem absolutè non es causa peremptionis rei, sed quòd apud te pereat, quæ esset apud dominum peritura, sicuti in sententia communi occisor non tenetur ad reddendas hæredi expensas factas in funere, alioqui ab ipso faciendas, quia ea in parte nullum damnum hæredi intulit, & solùm coegit ad earum solutionem anticipatam. Nobiscum sentiunt Palaus *n. 4.* Dicastillo *n. 66.* Less. *n. 90.* Villalob. *n. 5.* Laym. *n. 1. & 2.* & alij.

Varia exempla vtriusque partis assertionis.

53 Exemplis vtraque pars assertionis explicatur, nam si rem alterius in igne, aut tempestate perituram, vel retines, vel vendidisti, vel casu apud te destructa est, vel in alia tempestate, aut igne amisisti, teneris eam reddere domino, si extet, vel pretium illius, secundum æstimationem, quam tunc habebat, si non extet. Imminente vrbis devastatione surripis, & abscondis rem alterius, quæ ab hostibus esset rapienda, teneris postmodum domino reddere modo dicto, si è manibus eorum eripias. Aufers à faucibus feræ bovem, aut ovem Petri, quam ferebat, illi reddere debes, vel illius spolia. Si tamen ab ipsa fera statim auferatur, vel in casu belli res, quam abscondere volebas, ab hostibus capiatur, ad nihil restituendum teneris. Navigabas cum Petro, & ab eo rem pretiosam abstulisti, quæ in eadem navigatione naufragio perijt, non teneris eam restituere Petro, quia eodem modo esset peritura apud illum. Furatus es equum morbo occulto, & incurabili laborantem, & posteà sine tua culpa moritur, non teneris illius pretium reddere. Idem dicimus de dolio vini in acetum conversò, quod surripuisti, eodem modo apud dominum corrumpendo, qui illud erat servaturus. Furatus es tempore incendij vestem, quæ per ipsum incendium posteà consumpta est, quia pervenit vsque ad locum, vbi eam abscondisti, non teneris pretium restituere, si eodem modo peritura esset apud dominum.

Si res in meliori statu esset à domino cōsumēda, secundum illum debes restituī.

54 Inquires secundò, an si rem alienam acceperis mala fide, quæ tempore crescens, melior futura erat, & antequam melior fieret, peremisti, vendidisti, aut distraxisti, tenearis restituere illam secundum pretium, quod habebat tempore injustæ acceptionis: vel potius secundum æstimationem, quam postmodum habitura esset? V. g. abstulisti vitulum alterius, vel pullum equinum, & vendidisti, aut peremisti, tunc sufficiet ne te restituere, quod tunc valebant; vel potiùs reddere debes pretium quod habituri essent, si adolescerent, & vnus equus, alter bos esset effectus? Succendisti segetes, vineam devastasti, cum valerent 100. quæ post collectionem fructuum 1000. valituræ erant, quod pretium pro illis teneris restituere? Respondetur, quòd si dominus in priori statu rem erat consumpturus; & non expectaturus ad alium, quo melior facienda esset, solùm teneris ad restitutionem illius secundum valorem, quem habebat in illo statu: quia vnusquisque solùm tenetur ad servandum dominum indemnem, nec ordo justitiæ ampliùs petit, nisi quod damnum alteri illatum resarciatur; sed ex suppositione, quod dominus vitulum venditurus esset in illo statu: nec expectaturus ad meliorem, solùm passus est detrimentum in valore illius status: hunc ergo duntaxat tenetur fur restituere. ¶ At si dominus servaturus erat rem suam vsque ad statum perfectiorem, non teneris restituere quantum segetes, vineæ, aut vituli servanda, valitura sunt; sed quanti æstimatur eorum spes: quia solùm dominus injuriatus est in privatione talis spei, & in eo quòd privatur potentia fructus habendi maturos: ergo solùm æstimationem huius spei restituere teneris. Et idem dicimus de eo, qui triticum, aut monetam ab alio surriperet, quam servare decreverat vsque ad tempus, quod plus valerent, quòd secundum æstimationem huius spei tenetur restituere. Quod hoc num. diximus, tenent Vazq. *opusc. de restit. cap. 5. §. 1. n. 79.* Sylvest. verb. *Furtum, q. 16.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 4. n. 7.* Bonac. *de Restit. disp. 1. q. 3. punct. 11. n. 9.* Palaus *disp. Illa vnic. punct. 24. §. 9. n. 11.*

Quid, si à domino in viliori statu esset consumēda?

55 At verò si res tempore crescens auferatur à domino cum vilior erat, & apud ipsum latronem crescat, & cum tali incremento extet, tenetur rem illam cum omni illo incremento domino teddere, etiamsi dominus vsque ad tempus illud servaturus eam non fuisset: v. g. surripuisti pullum equinum, apud te adolevit, & robustior iam apud te extat: triticum furasti, cùm valebat decem, & apud te est, cùm valet quinquaginta: monetam alterius accepisti cùm valebat minus, apud te invenitur nunc cùm valet plus; omnia hæc, vt nunc extant, teneris domino

mino

mino restituere, & non satisfacis, si rei pretium reddas secundum æstimationem, quam tempore acceptionis habebant, quia res, dum extat, semper manet sub dominio prioris domini, & sic ad eum pertinet eius incrementum, & status melior. Vnde si sis in mora restitutionis, & casu apud te pereat, secundùm illud incrementum pretium illius reddere teneris. Lessius *lib.* 2.*cap.*12.*n.*10. Dicast.*tract.*2. *disp.*3. *n.*29. Bonacin.*supr.n.*6.& alij apud ipsos.

Primum, quod est supponendum circa quæstium.

56 Sed difficultas gravis est, an rem, quam in statu viliori accepisti, & apud te melior facta est, & posteà ad deteriorem pervenit statum, tenearis restituere secundùm maiorem illius valorem, quem apud te habuit? V.g. sustulisti pullum equinum, crevit, robustior est factus, modò debilis effectus. Furatus es triticum, quod tunc decem valebat; tempore quo apud te detinuisti, crevit eius pretium vsque ad viginti, modo decrevit ad decem; teneriſne illum valorem, & incrementum, quod habuit, domino reddere? Quam difficultatem duabus conclusionibus resolvã. ¶ Prima est, quòd si dominus servaturus esset suam rem vsque ad tempus incrementi, & tunc eam venditurus, aut consumpturus: vel si res illa apud te decrevit, tale decrementum apud dominum non susceptura, teneris ad omnem valorem illius incrementi restituendum: quia (vt diximus) fur tenetur restituere domino damna emergentia, & lucra cessantia; vnde si dominus servaturus esset rem vsque ad tempus, quo lucraturus esset per eam, & per tuam injustam actionem ab hoc impeditur, teneris lucrum illud cessans, ac proinde incrementum, restituere. Similiter si res apud te deterioretur, tale detrimentum non passura apud dominum, iam datur damnum emergens, quod teneris resarcire, etiamsi inde commodum nullum percipias, quia res cum suo incremento est domini, illique totum restituendum: & ideò si casu apud te pereat, vel decrescat, quia es in mora, teneris de casu fortuito ad restitutionem, sicut quilibet alius possessor malæ fidei. Sed dictum *hoc num. præc.* intelligendum est, deductis expensis vtilibus, ac necessarijs, juxta ea, quæ infra *n.*77. dicemus.

Secundum præsuppositũ ponitur, & probatur.

57 Secundò circa præiactam difficultatem dico, quòd si rem tempore detrimenti vendidisti, aut consumpsisti, quæ apud dominum esset decrementum passura, vel si dominus eam venditurus erat, vel consumpturus tempore, quo vili pretio æstimabatur, juxta hoc, & non amplius, tenetur fur restituere. Et ratio est, quia ad amplius non tenetur ratione rei alienæ, quia supponimus eam non extare (in casu enim, quo extet, iam diximus *n.* 51.) sed solum ex injusta acceptione, aut retentione: injusta autem læsio, aut detentio solùm obligat ad restitutionem, in quantum damnificativa est; & ex suppositione dicta solùm est damnificativa in valore infimo: hunc ergo solùm tenetur fur restituere. Ita Lug. *disp.*18.*sect.*6.*n.*132. Rebell.1.*p.lib.*2.*q.*6. *n.*2. Dicastill.*tract.* 2.*disp.*2.*n.*34. Palaus *punct.*24. *§.*9.*n.*5. Dian.4.*p.tract.*4.*resol.*65. Bonac.*disp.* 1. *quæst.*3. *punct.* 11.*n.*2. Less.*lib.*2.*cap.*12.*dub.*16.*n.*108. Layman *lib.* 3. *sect.*5.*tract.*2.*cap.*4.*n.*7. Restat dubium casu quo tempore incrementi rem vendidisti, & absumpsisti, quam dominus non erat reservaturus vsque ad illud tempus, sed in æstimatione viliori consumpturus. Igitur (supposito quòd res potest, & ab intrinseco habere maiorem valorem, & incrementum, vt bos, equus, & alia: & ab extrinseco, vt pecuniæ, triticum, aut vinum, quia nimirum plures emptores concurrunt in vno, quàm in alio tempore, vel caritas supervenit, & posteà cessat) datur duplex sententia circa quæsitum numeri præcedentis.

Sententia asserens nõ teneri ad restitutionem in casu quæsiti.

58 Prima sententia asserit, quod si rem tempore maioris incrementi vendidisti, aut consumpsisti, quam dominus tempore vilioris pretij erat consumpturus, non teneris ad restitutionem valoris illius secundum maius incrementum, sed secundum valorem illius, tempore quo eam surripuisti, sive talis valor ab intrinseco, sive ab extrinseco, proveniat. Ita Laym.*lib.* 3.*sect.*5.*tract.*1.*cap.*4.*n.*5.& 6. Covar.*ad regul.peccatum*, 2.*p.§.*6.*n.*2. Vazq.*de Rest. cap.* 5. *§.*12.*dub.* 12.*circa medium*, & *circa finem*, Molina *disp.*725.*n.*7.& 8. Bonac.*disp.*1.*q.*3.*punct.* 11.*n.*9. Dian.2.*p.tract.*17.*resol.* 51.& 4.*p. tract.* 4.*resol.*63. & loquendo de rebus, quæ ab intrinseco recipiunt incrementum, Less. *lib.* 2.*cap.* 12.*n.* 103. Petr.Navar.*lib.*4.*cap.*1.*n.*37. Dicast. *tract.*2. *disp.*2. *dub.*3.*n.*37.& 38. ¶ Et probatur primò, quia per hoc quod restituatur domino sua res secundum valorem, quem in statu viliori habuit, nullum damnum evenit, si ipse in tali statu erat rem ipsam cõsumpturus; sed restitutio solum obligat secundum damnum, quod dominus recepit: ergo, &c. ¶ Secundò, quia rem vendere, vel absumere hoc, vel illo tempore, est fructus industriæ; sed fructus industriæ, vt dicemus *punct. seq.* non sunt domini, sed ipsius furis: ergo valor, quem habet res per hoc, quòd tempore maioris æstimationis vendatur, erit ipsius furis; ipseque proinde restituere non tenebitur. ¶ Tertiò, quia si triticum, vel pecuniam mutuatam recepisti, cum magis valebat, satisfacis reddendo eandem qualitatem, & quantitatem, etiam cùm valet minus: ergo similiter in casu nostro. Hæc sententia est satis probabilis.

Tenetur restituere rem secundũ maiorem valorem.

59 Probabilior autem est sententia asserens, te teneri ad restituenstam rem secundum maiorem valorem, quem apud te habuit, sive illud incrementum ab intrinseco, sive ab extrinseco recipiat, si ipsam rem illõ tempore maioris incrementi consumpsisti, aut vendidisti, etiamsi dominus esset eam absumpturus tempore vilioris pretij. Probatur primò, quia status optimus rei adhæret ipsi: ideòque sicut res est domini, ita cum illo statu optimo illius est: ergo per tuam iniquam assumptionem non est privandus jure suo; proindeque, si tunc eam absumpsisti pretium eius secundum æstimationem optimi status domino reddere teneris. ¶ Secundò, quia pretium rei est ipsa res æquivalenter; sed teneris pro illo statu rem domino reddere: ergo pretiũ eius, si absumpsisti. Sic Rebel. *q.*2.*lib.*6.*n.*5. Villalob.*tract.*11.*diffic.* 12.*n.* 4. Sylvest. verb. *Furtum*, *q.* 16. Palaus *de Iustit. in gener. quæst. vnic.punct.* 24. *§.* 9. Lugo *disp.*18. *sect.* 6. *num.*126.

Solvuntur fundamenta contraria.

60 Ad primum argumentum contrarium respondetur, dominum novum damnum recipere, si res vsque ad statum optimum conservata, ipso invito, destruatur: quia, supposito tali statu, jus habebat ad eam, & incrementum eius, quod illi adhæret: ideoque ipsa res cum hoc novo damno resarcito est ipsi restituenda. Nam minimè sufficit, quòd eadem res physicè reddatur, nisi reddatur eadem moraliter cum æstimatione, ad quam pervenit, quandiù sub dominio domini persistebat.

61 Ad secundum respondetur non esse tale incrementum fructum industriæ, sed esse fructum rei: industria verò cõditio est ad pretium ex re recipiendum.

dum. Nec enim cùm pluris venditur triticum, datur pretium ob industriam servantis, sed ob rem per industriam servatam: ideòque est talis fructus ipsius domini; vti dicemus posteà de omnibus fructibus rei, qui sunt domini, deductis expensis, etiamsi dominus ex sua re non esset percepturus tales fructus, semel tamen ac res fructificat, domino fructificat: vt si agrum alienum colas, quem dominus non colere decreverat: omnes asserunt, te debere fructus perceptos restituere, deductis expensis tui laboris. ¶ Ad tertium respondetur, hanc esse naturam mutui, quod idem in specie reddatur, quod crescere, & decrescere potest: & sic incrementum, & decrementum commune est mutuanti, & mutuatario. Non ita furto, si res absumatur, aut vendatur, quia pretium est ipsa res æquivalentèr: & proinde domino competit, cui vtilitas ex sua re convenire debet, non furi.

§. III.

Qualitèr possessor dubiæ fidei teneatur ad restitutionem rei alienæ.

Qui cum dubio rem alienam sibi emit, restituere tenetur?

62 DUplicitèr possumus considerare eum, qui rem alterius dubitans an aliena sit, retinet: primò si cum tali dubio rem à principio accipiat, quando scilicèt emit eam ab eo, de quo dubitat, an furatam habeat, vel propriam: vt mercatores, qui plures res emunt ab his, de quibus dubitant suas esse, vel alienas: & tunc dicimus peccare mortaliter, qui cum tali dubio rem ab alio emit, vt eam sibi retineat, quia se periculo exponit alienam rem, invito domino, possidendi, & tenetur sufficientem diligentiam adhibere in inquirendo veritatem, an res aliena sit: qua cognita, domino totam reddere tenetur, etiamsi dato pretio eam comparaverit, nec à domino pretium aliquod requirere potest, vt dicebamus *n.* 41. Si tamen, facta diligentia, non evincatur dubium (quamvis aliqui asserant debere totam rem alteri reddere, de quo dubitat an sua sit; & si non sit determinata persona, inter pauperes distribuere) benignius asserendum est, debere rem cum altero dividere, plus, minusve illi dando pro qualitate dubij, & inclinationis animi, qui si sit persona nota, ei sua pars est tribuenda; si non, talis pars inter pauperes distribuenda est: quia huic non favet sua possessio, cum ab initio dubitans rem acceperit, & sic cum mala fide, ideòque non potest totam rem sibi reservare; sed quia dato pretio eam recepit, potest cum altero, de quo dubitat, modo dicto eam dividere. Si verò cesset dubium post diligentiam factam, posset totam rem sibi retinere, quia iam est bonæ fidei possessor. Hæc ferè omnia docent Lugo *disp.* 17. *sect.* 4. *n.* 80. & 81. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 15. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *n.* 5. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 2. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 5. *n.* 113.

Qui rem alienam domino reservandam accepit, nec peccat, nec tenetur restituere?

63 At verò, qui dubitans rem alienam recipit, non animo eam sibi retinendi, sed vt diligentiam adhibeat inquirendi dominum, &, eo comperto, illi reddendi, nec peccat, sed rectè domini negotium gerit; nec tenetur de casu fortuito, sed se habet, vt depositarius in commodum domini; vnde, nisi per culpam latam pereat apud ipsum, non tenetur ad vllam restitutionem, vt *punct. præc. §.* 5. dicebamus: & in tali casu tenetur debitam adhibere diligentiam dominum inquirendi; cui, si compareat, suam rem tradere debet. Potest tamen deducere pretium, quod pro illa dedit (modo à nobis infrà *n.* 86. dicendo) quia cùm vtilitèr rem domini gesserit, æquum non est, vt damnum subeat amissionis pretij: & si dominus non compareat, sibi eam retinere potest, cùm iam bona fide possideat post adhibitam diligentiam. Sanch. *lib.* 2. *decalog. cap.* 23. *n.* 176. Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 4. Covar. *ad regul. peccat. p.* 3. *inst. num.* 4. Dicast. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 5. *dub.* 6. *n.* 118.

Si post acceptam rem dubiũ oriatur, quid facere debeat possessor?

64 Secundo modo potest se habere, qui rem alienam dubia fide possidet, nimirùm, quia licèt bona fide rem ab initio accepit, posteà suboritur dubium, an sit aliena; & tunc tenetur diligentiam inquirendi veritatem adhibere: qua exhibita, si adhuc dubium duret, potest tuta conscientia rem totam sibi retinere: quia hic locum habet cum proprietate illa generalis regula, *quod in dubio melior sit conditio possidentis*. Sed quid, si negligat debitam diligentiam? Adhuc posse totam rem sibi retinere, docent Rebell. 1. *p. lib.* 2. *q.* 5. *n.* 12. & ex parte Lug. *disp.* 16. *sect.* 4. *n.* 85. & probabile reputat Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 8. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 9. Quia qui dubitat, an sua actione damnum intulerit, non tenetur quidquam, stante illo dubio, restituere; sed in nostro casu dubitat possessor, an, stante tali dubio, omittendo inquisitionem, vel eam reddendo impossibilem, damnum intulerit alicui: ergo, &c. ¶ Verius tamen dicendum est, ipsum teneri restituere, tàm rem, quàm fructus ex ea receptos, pro quantitate dubij: quia tunc non manet dubius de damno alteri illato, siquidem certò intulit, auferendo ab alio injustè illam spem, quam in sua conscientia poterat habere, vt inveniretur verus dominus: quæ spes debet æstimari, & resarciri. Sanch. *sup. cap.* 23. *n.* 183. Bañ. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 3. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 4. *n.* 13.

Dubitans non potest rem alienã consumere durante investigatione

65 Is, qui bona fide rem possidere incepit, & posteà dubitat, durante investigatione, non potest vti re, quæ vsu consumitur: frustra enim dominus inquireretur, si rem illam possessor consumeret: poterit tamen illis rebus vti, quæ vsu non consumuntur, vt equis, mancipijs, paratus solvere verò domino pretium illius vsus, deductis expensis alimentorum. Sed post inquisitionem, manente dubio, potest rem vendere, & distrahere: quia alioqui rem inutilitèr sibi retineret, si non posset eam alienare. Si tamen vendat eam, tenetur emptori hanc conditionem aperire, ne posteà, domino comparente, damnum sequatur emptori: & quia ratione huius vitij, res illa minus valet. Quòd si non admoneat, tenetur damnum sequutum resarcire, vt est commune inter Doctores. Sed hoc intelligendum est, stante morali spe, quod dominus compareat: illa verò cessante, non tenetur possessor monere emptorem, eo quòd tunc emptor morali periculo damni non exponitur. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 13. Sanch. *in Select. disp.* 43. *n.* 12. Bañ. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 5.

Qui dubitans bona fide consumit rem, nõ tenetur posteà domino comparente reddere.

66 Sed rogabis primò, an qui bona fide rem accepit, & postea dubitat, & post adhibitam diligentiam dubius perseverat (quo modo rem sibi retinere, vendere, & consumere posse, diximus) teneatur animum habere restituendi domino totum pretium, si compareat; ipsoque comparente, illud ipsi reddere. Respondetur negative; sed, si dominus compareat, solùm tenetur illi reddere id, in quo factus est ditior: quia istè bona fide possidet; & bona fide rem vendit, & consumit: ergo solùm tenetur ad id, quod possessor bonæ fidei tenetur: sed possessor bonæ fidei (vt diximus *num.* 42.) solùm tenetur ad reddendam rem, si extet, vel, si non

si non extet, id in quo factus est locupletior : ergo, &c. Ita Turrian. *in præsenti, disp.* 13. *dub.* 3. *n.* 16. Vazq. 12. *disp.* 66. *cap.* 7. *n.* 38. Sanch. *lib.* 2. *decalog. cap.* 23. *n.* 187. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 4. *n.* 23. Rebellus 1. *p. lib.* 2. *q.* 5. *n.* 11. Dian. 2. *p. tract.* 15. (qui est 1. *Miscellan.*) *resol.* 11. & 4. *p. tract.* 3. *resol.* 25.

Quid, si dubius sis, & magis in vnam partem inclineris?

67 Inquires secundò, an si, facta diligentia, perseveret dubium, sed magis inclinetur ad judicandum rem esse alienam, quia pro hac parte habet fortiores rationes, & conjecturas, teneatur aliquid restituere? Negat tunc ad aliquid teneri prima sententia: quia in dubio melior est conditio possidentis: & illa maior inclinatio, & propensio in partem oppositam non præponderat titulo possessionis, qui fortior est. Sic Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 25. *cap.* 4. *n.* 158. Lug. *sup. n.* 94. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *n.* 21. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 11. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 6. Dian. 1. *p. tract.* 15. *resolut.* 10. & 4. *p. tract.* 3. *resol.* 26. Sanch. murata sententia *lib.* 1. *decalog. cap.* 12. *n.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 179. ¶ Secunda sententia affirmat debere aliquid pro illa maiori propensione reddere : quia licèt in pari casu melior sit conditio possidentis, hic non est æqualis causa, quia magis propendit in eam partem, quòd res est aliena : & possessio fortior est, cæteris paribus. Ita idem Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *n.* 19. Coninch. *disp.* 34. *de matrim. dub.* 10. *num.* 93. Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 16. *punct.* 2. §. *Si autem*, Ledesm. *de matrim. q.* 54. *art.* 1. *ad* 3. *primæ sententiæ.* Utraque hæc sententia est satis probabilis.

§. IV.

Quos fructus ex re aliena perceptos teneatur restituere bonæ, vel malæ fidei possessor?

Triplex differentia fructuũ declaratur.

68 EGimus iam de obligatione restituendi rem alienam, quam habent possessores illius ; nunc de fructibus agamus, in quo ferè æquiparantur bonæ, & malæ fidei possessor, & ideò vtrumque hoc §. conjungimus. In quo semper supponendum est, vtrumque posse expensas in collectione, vel conservatione fructuum consumptas deducere, modo §. *sequenti* ex professo examinando. Igitur fructus sunt in triplici differentia : alij sunt *purè naturales*, alij *purè industriales*, alij *mixti* ex naturalibus, & industrialibus. Fructus *naturales* sunt, qui respondent rei, seu ex ipsa re naturalitèr, & spontaneè proficiscuntur absque vlla industria humana, vt herba pratorum, glandes quercuum, fructus, & plures fœtus, qui absque industria, aut cura hominum nascuntur. *Industriales* sunt, qui per industriam hominum comparantur, etiamsi ipsa re vtantur, vt instrumento ad illos comparandos, vt artefactum alieno instrumento elaboratum, lucrum ex asportatione frumenti, aut pecuniæ consequutum. *Mixti*, vt fructus vinearum, segetes, fructus agrorum, qui coluntur, lac, fœtus, lana, quæ ex gregibus habentur iuncto hominum labore in illis sustentandis, & pascendis, & etiam vecturæ navium, & iumentorum, merces rerum locatarum. Ex his autem fructus, qui partim cura hominum, partim ab industria humana proficiscuntur, à. prævalenti denominantur, quia si minùs industria quàm natura operetur, naturales dicuntur, aut è contra, argumento ex leg. *Quæritur* 10. *ff. de statu bominum*: & ideò de ijs, in quibus natura prævalet, idem judicium ferendum est, ac de naturalibus, & in quibus industria, quod de industrialibus.. Si dubium sit, in foro externo decidendum est arbitrio Iudicis, & in foro conscientiæ arbitrio prudentis.

Quos fructus teneatur bonæ fidei possessor restituere?

69 Dicimus ergo, bonæ fidei possessorem teneri restituere (jure communi) omnes fructus naturales (deductis expensis, & æstimatione suæ industriæ) si extent; & si non extent, id in quo ditior factus est, modo *num.* 42. explicato : fructus verò industriales sui sunt, quos proinde non tenetur restituere. Ratio primi est, quia res fructifera domino fructificat : ergo sicut rem tenetur restituere, sic fructum. Quod verum est, etiamsi res apud dominum non habitura esset fructum, vel quia fundus erat sterilis, vel quia apud illum non esset colendus, quia semper est fructus rei, ac proinde est domini, sicut ipsa res. Ratio secundi est, quia fructus industriales non sunt fructus rei, sed industriæ ; fructus autem industriæ, sicut ipsa industria, sunt illius, qui ipsam habet. Quod est verum, sive possessor sit bonæ fidei, sive malæ, quia in hoc, quod est fructus industriales esse suos, vterque convenit. ¶ Vnde si penicillo alieno picturam effecisti, tua est, non domini penicilli. Si pecunijs alienis negotiasti, si asportatione alieni tritici lucrum acquisisti, ad nihil ex his fructibus restituendum teneris: si grana alterius in tuo agro seminasti, fructus tui sunt, quia censentur fructus agri, & tuæ industriæ, non seminis, quod destruitur, & perit. Si verò domum alterius locasti, etiamsi eam dominus locaturus non esset ; si equum, aut bovem illius conduxisti, etiamsi ipse non esset eos conducturus, teneris pretium locationis, aut conductionis, si extet, domino reddere : & si non extet, & fuisti possessor bonæ fidei, id in quo factus es locupletior, nisi tempus ad præscriptionem præterierit, quia tunc per præscriptionem omnium fructuum acquiris dominium : & stare potest, te teneri ad restituendam rem immobilem, non fructum, qui est res mobilis, cùm ad præscribendas res mobiles sufficiat triennium, & ad immobiles saltem decennium requiratur, vt diximus *tract. præc. cap.* 2. *num.* 104. Hæc omnia sunt communia inter Doctores.

Qui rem alienam bona, vel mala fide locavit, tenetur pretium locationis restituere.

70 Sed inquires, an si rem alienam bona fide locasti, quæ ex se locari non solet, vt torquem aureum, equum divitis, qui ab eo locari non solet, tenearis pretium illius domino reddere, deductis expensis? Negat Navar. *in summ. cap.* 17. *num.* 25. Sylvest. verb. *Restitutio* 3. *quæst.* 9. Ludovicus Lopez 1. *part. instruct. conscient. cap.* 101. *ad fin.* Diana 2. *part. tract.* 17. *resol.* 50. & dicit probabile, & tutum Villalob. *tract.* 11. *difficult.* 12. *n.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 119. *fin.* Megala 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 85. & ratio illorum est, quia tale pretium est fructus suæ industriæ, cùm apud dominum non esset habendus. Et licèt hi Authores solùm de possessore bonæ fidei loquantur, idem dicere tenentur, si vera est eorum ratio, de possessore iniquo; siquidem fructus industriæ æquè sunt vtriusque, vt dictum est. ¶ Verius tamen tenendum est, vtrumque teneri tale pretium, si extet, restituere ; & si non extet, bonæ fidei possessorem id, in quo ditior factus est, & malæ fidei, totum. Quia tale pretium est pretium locationis, quod pro fructu rei habetur : siquidem non datur pro industria, sed pro ipso vsu rei alienæ, quemadmodum diximus debere restituere fructus terræ, etiam

etiam sterilis, à domino non colendæ, deductis expensis, & æstimatione industriæ, quia est fructus ipsius rei, tametsi aliqua industria humana accedat. Ita Bonacin. *de restit. disp.* 1. *q.* 3. *punct. vlt.* §. 1. *n.* 4. Prado *cap.* 17. *de restit. q.* 2. *n.* 42. Lug. *disp.* 18. *sect.* 5. *n.* 51. Sanch. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 23. *n.* 132. Rebel. 1. *p. lib.* 2. *q.* 5. *n.* 4. Palaus *de justit. q. vnic. punct.* 24. §. 9. *n.* 4. Less. & Villalob. *loc. cit.*

Qui sentiendum sit jure Castellæ?

71 Egimus hucusque de jure communi. At jure Castellæ fructus industriales (quicumque sint, sive sint purè tales, sive mixti) qui non extant, non tenetur possessor bonæ fidei restituere, etiamsi ex illis ditior factus sit, vt habetur *lib.* 39. *tit.* 28. *p.* 3. vbi assignatur discrimen inter fructus naturales, & industriales; & de illis dicitur restituendos esse, etiamsi consumpti sint (& vt communiter explicant Doctores, secundum quos possessor ditior factus est) de istis, non restituendos (& loquitur etiam de industrialibus mixtis: nam purè industriales, sive extent, sive non, nullus restituere tenetur:) ergo etiamsi ditior redditus sit per illos, aliàs nullum esset inter vtrosque discrimen. Sic Gregor. Lop. *ad eandem legem, lib.* 30. *gloss.* 5. *& lib.* 4. *gloss.* 2. *tit.* 14. *p.* 6. Pichardus §. *Si quis à domino, n.* 13. Instit. *de rer. divis.* Sanch. *lib.* 2. *decalog. cap.* 23. *n.* 85. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 5. *n.* 76. *&* 78. Palaus *disp. Illa vnic. punct.* 24. §. 7. *n.* 14. Quod etiam haberi secundum jus commune plures Doctores graves arbitrati sunt, fundati in illa leg. *Bonæ fidei*, *ff. de acquirend. rer. domin.* quos refert Sanch. *num.* 76. & ipse hoc valdè probabile dicit, & Lessius *lib.* 2. *capit.* 14. *dub.* 2. & absolutè tenet Palaus *numer.* 12.

Doctrina probabilis nō anda.

72 Sed notandum est, probabile esse, quod dicunt plures Authores Iuristæ (vti probabile reputat Rebellus *de obligation. justit. lib.* 2. *quæst.* 4. *num.* 9. & Palaus ibi proximè *num.* 9.) scilicet possessorem bonæ fidei lucrari omnes fructus, sive naturales, sive mixtos, qui rem ex titulo oneroso possidet, quia nimirum illam dato pretio comparavit. Et ratio est, quia non sunt ei denegandi fructus ex re empta percepti, quandoquidem posset eodem pretio, vel alteram rem emere fructuosam, vel lucrari cum eo: & non est ratio, quare ipsi fructus ex suo pretio denegetur, & non domino: & sic videntur plures leges ad concordiam reduci, quas concordare plurimum Doctoribus facessit negotium. Nam lex illa *Bonæ fidei*, *ff. de acquirendo rerum dominio*, quæ omnes fructus possessori adscribit, intelligenda est de possessore titulo oneroso rem habente: & lex *Fructus* 4. *ff. de vsuris*, §. *Si quis à non domino.* Instit. *de rer. divis.* quæ fructus naturales, & mixtos denegat possessori bonæ fidei, intelligenda est de possessore titulo lucrativo, quia ibi dicitur *per donationem acceptam rem*: & res, quæ solùm per donationem habetur, titulo lucrativo possideri dicitur.

Quos fructus debeat possessor malæ fidei restituere?

73 Possessor malæ fidei, vt iam diximus, non tenetur restituere fructus purè industriales, sed omnes fructus naturales, & mixtos tenetur restituere, deductis expensis, modo §. *sequenti* explicando, sive extent, sive non, sive ditior factus fuerit, sive non fuerit, sive res manens apud ipsum fructificata fuerit, sive postquàm transierit ad alios: quia omnes illi ad dominum pertinebant, quibus per injustam actionem privatus est. Idem dicimus de possessore bonæ fidei, qui, postquàm rem alienam esse cognovit, est in mora restitutionis: & de debitore morosо, aut depositario, loquendo de fructibus, quos, postquàm in mora culpabili fuit, percepit; vel de fructibus, & interessibus, quibus dominum ob suam moram privavit, quia tenetur ad omne lucrum cessans restituendum. Vnde si furatus es pecuniam (idem est, si, cum debeas eam, es in mora restituendi, quia iam es possessor malæ fidei) negotiationi expositam, vel acum à sartore, sine qua laborare nequit, vel nummos præparatos ad resarciendam domum, & ob id domus corruit, hæc omnia damna teneris resarcire. Etiam teneris restituere expensas à domino factas in inquirenda re sibi ablata, si tales sint, quales vir prudens in simili casu facere debuisset: nisi verosimiliter dominum putes sola restitutione rei fore contentum.

Fructus, quos dominus percepturus non erat, tenetur fur restituere.

74 Sed inquires, quid dicendum sit de fructibus rei, qui ex ipsa percipi poterant, sed dominus rei eos percepturus non erat? Respondetur, quod loquendo in foro conscientiæ (quidquid sit de exteriori) si fur tales fructus ex re aliena reipsa non percipiat, non tenetur aliquid restituere, etiamsi tales fructus communi, vel singulari industria domini, vel iniqui possessoris percipi possent: quia obligatio justitiæ solum obligat, vt omne illud alteri restituatur, in quo damnificatus est, ita vt nullum detrimentum post restitutionem patiatur; sed si dominus rei non esset tales fructus ex re percepturus, nullum detrimentum subijt per hoc, quod à fure non percipiantur: ergo illos, quos poterat percipere, non tenetur fur restituere, si nec ipse eos percipiat; quemadmodum debitor morosus solùm tenetur ad lucrum cessans, vel ad damnum emergens, non ad illud, quod poterat ex re evenire. Ita Sanch. alijs relatis, *lib.* 2. *decalog. cap.* 23. *n.* 118. Lug. *disp.* 17. *sect.* 3. *n.* 54. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 2. *dub.* 5. *n.* 96. Prad. *cap.* 17. *de rest. q.* 2. *n.* 38. ¶ Si verò fur tales fructus non percipiat, quos dominus justè, & absque peccato percepturus erat, omnes illos tenetur restituere, cap. *Gravis, de restitut. spoliatorum*, quia justitia exigit, vt domino reddatur, quod patitur ex alterius injustitia, licèt ipse tale damnum inferat absque suo commodo, vt in mutilatore, aut occisore cernitur, qui tenetur restituere damna sequuta, tametsi nullum ex ipsis commodum reportet. Lug. *num.* 55. Sanch. *n.* 119. Dicast. *n.* 86. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *punct. vlt.* §. 2. *n.* 1. Villalob. *tract.* 12. *diff.* 12. *n.* 1.

Fur percipiens fructus rei, eos debet restituere, etiam si dominus eos percepturus non esset.

75 At verò si ipse fur percipit fructus ex re, quos dominus rei percepturus non erat, non teneri eos restituere, etiamsi extent, docet Sot. *lib.* 1. *de justit. q.* 1. *art.* 2. *fin.* & de non extantibus, non teneri, nisi ad id, in quo ditior factus est, tenent Vazq. *cap.* 5. *de restit.* §. 1. *dub.* 14. *n.* 84. Sayr. & Navar. apud Sanch. *n.* 130. & probabile judicat Less. *cap.* 12. *n.* 17. *& n.* 119. quia justitia solùm obligat ad reddendum dominum indemnem, ne ex alterius injuria damnum patiatur; sed si dominus non esset percepturus fructus rei, nullum damnum patitur per hoc, quod fur non restituat illi tales fructus, si rem integram reddat: ergo, &c. vt si domum locaturus non erat, si fundum non colere decrevisset. ¶ Sed tamen dicendum est, quòd si fur tales fructus rei percipiat, sive extent, sive non, sive ex eis ditior factus fuerit, sive non fuerit, tenetur omnes restituere, deductis expensis, leg. *Cum hæreditas* 59. *ff. de petitione hæreditatis*, ibi: *Cum hæreditas petita sit, eos fructus, quos possessor percepit, omninò restituendos, etiamsi petitor eos percepturus non fuerat.* Et ratio est, quia res domino fru-

fructificat: & sic fiunt domini fructus, à quocumque percipiantur. §. *Ttius*, Instit. *de Rerum divis.* Villalob. *supr. n.* 1. Lug. *n.* 58. & 59. Sanch. *n.* 126. & 130. Prad. *cap.* 17. *q.* 2. *n.* 43. Dicast. *n.* 89. & 92. Less. *n.* 118. & 120. Rebel. 1. *p. lib.* 2. *q.* 5. *n.* 4. Pal. *punct.* 24. §. 9. *n.* 2. & 5. Nisi fortè tales fructus perierint, antequam sit in mora restitutionis: quia solùm tenebitur in tali casu ad id, in quo factus est ditior, eo quòd non tenetur ad talem restitutionem ex injusta actione respectu fructuum, sed ex injusta acceptione rei, & ad fructus, quatenus ex ipsa re oriuntur, nisi sit in mora restitutionis. Unde sicut ille, qui non ex injusta actione, sed ex re alterius tenetur, non debet restituere illam, nisi in quo factus est ditior, sic in præsenti. Videantur Auctores *citati*.

§. V.

Quæ expensæ deduci possunt, tàm à possessore bonæ, quàm malæ fidei in restitutione rei alienæ?

Triplex genus expensarum, quæ circa rem alienã possunt consumi.

76 MUltoties hoc Puncto diximus restituentem rem alienam posse deducere expensas, quas circa illam consumpsit, quod nunc examinare oportet, supponendo esse triplex genus expensarum. Nam aliæ sunt necessatiæ, vt sunt illæ, sine quibus res non conservaretur, vel deterioraretur, vt sunt alimenta animalium, eorum custodia, refectio domus, agrorum cultura ad fructus colligendos: aliæ sunt vtiles, illæ nimirùm, quibus res pretiosior, & vtilior redditur, vt vitum, & olivarum plantatio, domus melioratio, gregis augmentatio: aliæ sunt voluntariæ, illæ nimirum, quæ nec ad conservationem rei, nec ad fructus augendos requiruntur, sed solùm recreationi, & voluptati deserviunt, vt picturæ, viridaria: quæ, si considerentur secundum quod ipsam rem æstimatiorem, & pretiosiorem reddunt, ad vtiles expensas reducuntur: at si rem ipsam nullo modo in pretio augeant, sed solùm delectationi, & voluptati inserviant, inter voluntarias enumerantur. ¶ Nomine autem expensarum veniunt etiam industria, & labor proprius in fructibus colligendis, in re conservanda, & melioranda, quia æstimantur pretio: quæ omnia inter expensas vtiles, vel necessarias censentur, etiamsi contra domini voluntatem adhibeantur: quia satis est, quòd incommodum ipsius, & rei augmentum cedant; aliàs nunquam à possessore iniquo essent deducendæ, cum ferè semper, domino invito, sint factæ. Lesius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 16. *num.* 101. & *dub.* 17. *num.* 111. & 121. Rebellus *quæst.* 4. *num.* 4. Sanch. *lib.* 2. *Decal. cap.* 23. *num.* 146.

Omnes expensæ vtiles, & necessariæ deduci possũt in restitutione.

77 Igitur omnes expensæ vtiles, & necessariæ, factæ ab vtroque possessore, vel in conservatione rei, vel in eius augmento, possunt deduci in restitutione rei, vel fructus; & dominus eas reddere tenetur in foro conscientiæ (Quidquid sit de foro externo, in quo fortasse in odium possessoris iniqui, & detestationem sui vitij oppositum decernitur) etiamsi dominus non esset melioraturus rem, aut eas facturus; cæterùm absque eis non esset conservaturus, aut melioraturus (Si enim absque talibus expensis dominus rem propria industria conservaturus, aut melioraturus esset, cùm in hoc damnificetur, deducendæ non sunt à possessore iniquo, sed à bonæ fidei possessore) Et ratio est, quia æquitati non est consonum, dominum ob restitutionem lucrum reportare, & non esse contentum cum æquali suæ rei satisfactione; sed si expensæ dictæ non deducantur, lucrum in satisfactione reportaret, vt constat: ergo, &c. Lugo *disp.* 17 *sect.* 3. *num.* 61. Villalob. *tract.* 11. *difficult.* 12. *num.* 7. Palaus *punct.* 24. §. 9. *num.* 3. & 5. Rebellus 1. *part. lib.* 2 *q.* 8. *à num.* 3. Lesius *lib.* 2. *dub.* 16. *num.* 101. & *dub.* 17. *num.* 111. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 138. 140. & 141.

Tria notãda proponũtur.

78 Sed notandum est primò, quod si dominus has expensas noluerit solvere, poterit possessor rem in pignus detinere, aut eam domino vendere, vt se indemnem conservet. ¶ Secundò, notandum est, quòd si expensæ excedant fructus, non est obligatus dominus omnes illas solvere, tàm possessori bonæ fidei, quàm malæ: quia hoc in eius vtilitatem non cedit, neque ex eius consensu adhibitæ sunt, aliàs cogeretur rem suam emere: imò maiori pretio, quam valebat, multoties comparare. ¶ Tertiò notandum est, ab vtroque possessore non amplius deducendum esse, quàm expensæ factæ, aut labor, & industria illius æstimetur, tametsi melioratio rei plus valeat, leg. *In fundo*, *ff. de rei vendicatione*. Quia omnis melioratio rei pertinet ad dominum, & solùm potest possessor id deducere, quod in ea servanda, aut melioranda consumpsit. Unde attendendum non est ad maiorem valorem rei, sed ad id, quod circa illam est impensum.

Duplex circa expensas voluntarias sententia.

79 Circa expensas voluntarias aliqui sentiunt posse vtrumque possessorem eas deducere, & dominum obligatum esse eas solvere, si cum illo ornamento velit suam rem redimere: quia sicut non debet dominus ditior reddi aliena iactura, sic nec commoditatem novam absque suo onere cum alterius expensis reportare. Ita Sayrus *in Clavi Reg. lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. Molina *disp.* 725. *fine*, Lesius *suprà num.* 113. ¶ Alij verò oppositum sentiunt, si separari nequeunt absque rei detrimento: quia tales expensæ non augent rei valorem, & æstimationem, sed solùm deserviunt ornatui, & voluptati, & dominus non est obligandus hæc pretio comparare; sibique imputet fur, si tales expensas absque consensu domini adhibuit. Sanch. *num.* 139. Rebellus *num.* 3 Palaus *num.* 6. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. Qui idem de possessore bonæ fidei asserunt, quia absque consensu domini tales expensas consumpsit, & dominus non est cogendus eam voluptatem pretio comparare: quamvis poterit vterque possessor per substractionem materiæ sibi satisfacere, tollendo nimirum industriæ materiam absque rei nocumento, vt si horologium à libus affixit.

Quid circa illas tenendum sit?

80 Cæterùm, quia tales expensæ, tametsi voluptati, & ornatui tantum deserviant: quia tamen rem ipsam æstimabiliorem reddunt (Quis enim neget plus valere domum, in qua viridarium plantatum est, quàm absque illo, vel in qua plures imagines depictæ sunt, quàm absque illis?) dicimus posse vtrumque possessorem aliquid pro talibus expensis voluntarijs deducere arbitrio prudentum; non tamen debet dominus omnes solvere, cùm non sit cogendus, vel suam rem emere, vel talem voluptatem pretio comparare, quam aliàs non esset comparaturus: ipse namque sua re indiget, non verò ornamento illius absque suo consensu facto circa illam.

*** *** *)(§)(* *** ***

§. VI.

Possessor bonæ, vel malæ fidei rem alienam ementi, aut vendens, quid facere, vel restituere teneatur?

Status primæ difficultatis aperitur.

81 PRo complemento eorum, quæ toto hoc Puncto dicta sunt, ea, quæ §. *hoc dicemus*, valde necessaria sunt, & pro vtroque possessore deserviunt. Circa quæ gravissimæ sunt difficultates, & quas vtiliores arbitrabimur, decidemus. Inquires ergo primo, an si rem furtivam bona fide emas, tenearis eam domino reddere: vel possis rescindere contractum, pretium à latrone recipiendo, & rem illi reddendo; etiamsi moraliter certus non sis rem restituendam esse à fure vero domino? Si enim de hoc moraliter certus sis, non est quæstio, te posse à latrone repetere, & rem illi tradere. Sed est difficultas, quando prudenter judicas rem à latrone non esse domino reddendam, an tu tenearis illi reddere, possisve contractum cum latrone modo dicto rescindere? Nec similiter est quæstio in casu, quo tu possis faciliter pretium à fure recuperare: quia proculdubiò teneris rem domino reddere, & per repetitionem pretij te indemnem conservare; sed casu quo latro nolit tibi pretium reddere, nisi rem alienam illi tradas. Et quidem si rem donatam à fure accepisti, teneris apud omnes rem domino reddere, & non poteris latroni: quia ratione rei alienæ acceptæ teneris eam reddere: non furi, qui non est dominus: ergo antiquo possessori.

Sententia tenens emptorem bonæ fidei nō posse dissolvere contractum.

82 Duplex ergo datur sententia, vtraque satis probabilis. (Loquimur in foro conscientiæ, de quo toto hoc Puncto egimus, quidquid sit de foro exteriori, in quo proculdubiò res proprio domino redditur, & contra latronem actio emptori datur.) Prima dicit, non posse emptorem bonæ fidei rem alienam pretio comparatam furi reddere, & rescindere contractum; sed eam domino reddere teneri, etiamsi pretium se amissurum sciat, quia non poterit illud à latrone recuperare. (A domino enim pretium petere nefas est, qui non debet rem suam pretio comparare, vt iam diximus, & omnes asserunt) Probatur primò, quia possessor iniquæ retentioni latronis cooperaretur, si rem alienam illi traderet, quem prudenter judicat domino non redditurum. ¶ Secundò, quia si emptor rei alienæ posset contractum rescindere, & eam furi tradere, vt suum pretium recuperet; si talis latro non compareret, posset etiã rem ipsam alteri vendere, ne pretiũ amittat. Quod omnes negant. ¶ Tertiò, quia titulus sufficiens restituendi, & obligatio ad hoc, est res aliena (Obligatio enim restitutionis, vel ex injusta actione, vel ex re aliena privativè oritur, vt multoties diximus) sed res aliena est apud te: ergo eam domino reddere teneris, & non poteris latronem adire, vt conrractum rescindas. ¶ Quartò, quia si latro, qui rem vendidit, abesset longè, vel moreretur, teneretur emptor eam rem domino reddere, etiam cum iactura pretij: ergo etiam ipso vivente, & præsente: quia vita, vel præsentia latronis non tollit jus à vero domino, quod habebat. Ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Soto *lib.* 4. *Iustitiæ*, *q.* 7. *art.* 2. *concl.* 4. Tabien. verb. *Restitut.* §. 24. Covarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *n.* 6. Sylvius 2. 2. *q.* 62. *art.* 6 *q.* 1. *concl.* 6. Azor *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 1. & alij.

Qui rem alienã bona fide emit, potest furem convenire, & dissolvere contractum.

83 Probabilior autem est secunda sententia, affirmans te posse rescindere contractum, & rem alienam furi tradere, vt tuum pretium recuperes. Et probatur primò, quia nullam injuriam domino irrogasti rem bona fide à fure emendo: ergo nec ei facis aliquam injuriam, si rem in eo statu reponas, in quo erat antea, vt tuum detrimentum omittas. Quemadmodùm si rem inveniſti in platea, & tibi assumpsisti, posteàque scias damnosum tibi esse, si illam, vel retineas, vel manifestes, nullam injuriam facis domino, si in eodem loco reponas, nec teneris cum tuo damno servare illam, vt domino reddas. ¶ Secundò, quia in pari casu innocentiæ potiùs tenetur emptor sibi, quàm domino rei consulere; sed sicut dominus habet jus ad rem, ita emptor ad suum pretium, & ambo fuerunt innocentes: ergo potest emptor sibi consulere, suum recuperando pretium, etiamsi dominus rem suam recuperare à latrone non valeat. ¶ Tertiò, quia hic contractus est omninò involuntarius, cùm ignorantia, quòd res esset aliena, dederit causam illi; sed contractus involuntarius, vel ex natura rei est nullus, vel saltem revocabilis pro arbitrio eius, qui deceptus est: ergo, &c. Ita tenent Ledesm. 2. *p. Summ. tr.* 8. *cap.* 14. *concluſ.* 4. *dub.* 1. *disp.* 3. Prado *cap.* 17. *de Restit. q.* 2. §. 4. *n.* 24. Lugo *disp.* 17. *sect.* 2. *n.* 29. referens Malderum, & Turrianum, Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 3. *n.* 14. citans Navar. Angelum, & Sylvestrum. Rebellus 1. *p. lib.* 2. *q.* 9. *n.* 3. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 11. *diffic.* 11. *n.* 8. Bonac. *disp.* 1. *q.* 4. *punct.* 2. *n.* 1. Bañez 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 1. *concl.* 2. & 4. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 12. §. 16. *ante medium*, Diana 1. *p. tract.* 8. *de Contract. resol.* 69. & 2. *p. tract.* 3. *Miscel. resol.* 4.

Objectio, & illius solutio.

84 Sed objicies, quòd res est domini cum omnibus melioramentis, & fructibus, etiamsi casu eveniant, & non possit possessor ea detrahere: ergo etiam ille status melior, ad quem pervenit per bonæ fidei emptorem: ergo non poterit iste ab eo statu rem dejicere, reddendo illam in deteriorem, quem antea habebat: vt si rem alienam incendendam ab igne eriperes, non posses illam iterum in ignem dejicere, vt tuam rem incolumem reddas. ¶ Respondetur, rem illam non esse in meliori statu respectu domini: quia difficilius est, rem alienam bona fide emtam restituere, quàm furatam. Esto tamen esset in meliori statu, hoc ex natura rei non proveniret, sed ex bonitate emptoris: vnde non erit debitum eam vero domino restituere: vt fructus industriales, qui proveniunt, non ex re, sed ex industria, non domino, sed possessori conveniunt.

Solvuntur primæ sententiæ fundamenta.

85 Ad contraria fundamenta respondetur. Ad primum, negando possessorem iniquæ alterius detentioni cooperari: quia vtitur jure suo, vt se indemnem conservet; nec suadet alteri, vt non restituat, sed potiùs per rescissionem contractus occasionem dat, vt id faciat. ¶ Ad secundum negatur antecedens: quia rem furi reddendo, rescindit contractum, & rem in statu, quem antea habebat, reponit; sed non sic eam vendens. Imò vendere non potest, cùm non possit dominium rei, cuius ipse non est dominus, in alterum transferre; & menti damnum irrogaret, si rem restitutioni obnoxiam, pretio accepto alteri concederet. ¶ Ad tertium respondetur, ex re aliena oriri obligationem restitutionis, nisi possessor rescindat contractum; non verò, si illum rescindendo, reddat ei, qui domino debet: sicut si rem auferas à depositario, non debes eam domino reddere, sed sufficit si depositario restituas, qui eam habet cum

onere

onere domino reddendi. ¶ Ad quartum dicimus, quod si latro non compareat, aut mortuus sit, deficiunt conditiones honestantes rem domino non reddere, vt dictum est.

Quid sentiendum sit de eo, qui rem alienam emit, vt domino tradat?

86 Qui rem alienam, sciens alienam esse, emit, sed non sibi reservandam, sed vt domino tradat, non peccat, sed vtilitèr negotium domini gerit; & si postea dominus non compareat, potest pretium sibi datum accipere, & cætera pauperibus debet erogare: si tamen dominus compareat, illi suam rem reddere tenetur, & dominus debet pretium, quod ipse dedit, restituere in vtroque foro: quia rem illius prudentèr egit, eam eripiens à periculo, & nemo debet vtilitati alterius incumbere cum suo detrimento. Si verò rem æquali pretio, aut maiori à fure emisti, vt domino traderes: quamvis Diana 3. *part. tract.* 3. *resol.* 34. dicat, posse totum pretium à domino exigere; tamen dicendum est, non posse, sed partem arbitrio prudentum: quia non egisti vtilitèr eius negotium, nec rem illius prudentèr reservasti; non enim agit vtiliter negotium amici, qui rem justo pretio emit, qua ipse forte non indiget, aliàs dominus rem suam emere justo pretio teneretur. Covar. *ad Regul. peccatum*, 3. *p. inst.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 20. Dicast. *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 5. *n.* 105. Lugo *disput.* 17. *sect.* 1. *n.* 3. Nisi fortè sciret rem illam gratissimam esse domino, aut valdè necessariam; & ob id justo pretio, vel etiam maiori è manibus latronis eripuit: quia tunc totum pretium à domino exigere potest, quia eius negotium prudentèr, & vtilitèr egit.

Qui rē mala fide emit à latrone, eam tradere debet domino, & non potest rescindere cōtractum.

87 Inquires secundò, an qui mala fide rem emit à latrone (quia sciebat alienam esse) vt sibi retineat, possit eam latroni reddere, vt suum pretium recuperet, vel potius debeat domino tradere? Affirmat posse rescindere contractum prima sententia: quia nullam irrogavit domino injuriam, cùm non constituat rem in deteriori statu, quàm habebat, & sibi præ alio vnusquisque consulere potest. Sic Diana 2. *part. tract.* 3. *M scel. resol.* 4. & 5. *p. tract.* 14. *resolut.* 87. Toletus *lib.* 5. *cap.* 17. *fine*, Lugo *disp.* 17. *sect.* 2. *n.* 37. D. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 12. *§.* 16. *in medio*. Prado *cap.* 17. *de Rest. q.* 2. *§.* 5. *n.* 30. Sylvester verb. *Restitutio* 3. *q.* 7. Angelus *eodem verb.* 1. *n.* 1. & non improbabilem dicit Lessius *n.* 21. imò valdè esse consentaneam rationi asserit, si mox contractus rescindatur: quia per hoc non censetur domino notabilem injuriam facere. ¶ Probabilior autem est secunda sententia negans, asserensque debere emptorem rem suo domino reddere, & sibi imputare, quòd pretium dederit pro re, quam obnoxiam esse restitutioni sciebat. Et ratio est, quia non solùm tenetur ad restitutionem ex re accepta, sed etiam ex injusta actione: perinde enim est, rem alienam sibi appropriandam emere, ac si eam ab ipso domino de novo furaretur; & in se transtulit obligationem restitutionis, quam fur habebat, ad quam obligatus manet, sive casu apud ipsum pereat, sive eam consumat, sive alteri tradat. Ita, præter Auctores pro prima sententia, *num.* 82. relatos, Lessius *num.* 19. Rebell. *n.* 6. Dicast. *dub.* 15. *n.* 113. Bañ. *art.* 6. *citat. dub.* 1. Ioan. à Cruc. *q.* 7. *de Restit. art.* 6. *concl.* 2. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 3. *n.* 4.

Quid in casu, quo res vendita sit bona fide, quæ à latrone bona fide erat comparata.

88 Inquires tertiò, an si rem bona fide à latrone emisti, & eam bona fide alteri vendidisti, tenearis, pretium domino vero, vel saltem emptori restituere, si res ipsa non restituatur? Aliqui dicunt, te non teneri, nec domino, nec emptori, nisi ad id, in quo factus es ditior: quod domino reddere debes; quia non teneris illud reddere ratione injustæ acceptionis, aut consumptionis, cùm bona fide processeris: nec ratione rei alienæ, quæ non extat apud te, nec in se, nec in suo æquivalenti, cum ex ea ditior non evaseris. Ita Navarr. *in Summ. cap.* 17. *n.* 8. Cajetanus *in Summ.* verb. *Restitut. cap.* 1. *circa finem*, Sylvest. verb. *Restitutio* 3. *q.* 7. *n.* 3. Ioan. de Medina Cod. *de Restitut. q.* 10. *§. Si autem*, Diana 1. *p. tract.* 8. *resol.* 68. & probabile dicunt Bonacina, Valent. Sayrus ab ipso citati. ¶ Alij verò dicunt esse domino restituendum omne illud pretium, etiamsi possessor ditior non evaserit, quia pretium succedit loco rei, leg. *Si rem, ff. de petenda hæreditate*, seu succedit tanquam ipsa res æquivalentèr, D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. ergo tale pretium, dum extat, est ipsius domini, sicut esset ipsa res, si extaret: illi ergo est restituendum. Ita Vazquez 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 172. *cap.* 2. *n.* 4. Ledesm. *in Summ. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 14. *post* 4. *concl. dub.* 2. Bañez, & Aragon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 1. ¶ Nos verò dicimus debere possessorem tale pretium non domino restituere, sed emptori (de quo supponimus bona fide emere) quando ex ea passurus est damnum: vt si res evicta sit, vel exigatur à domino, vel exigenda probabilitèr timeatur; secùs verò si emptor in longinquas terras transeat cum illa, vbi à domino exigi non timeatur; vel aliunde judicetur à domino non esse exigendam: quia tunc nulli tenetur aliquid possessor vendens eam restituere. Et quidem, quòd domino non debeat restituere, argumento primæ sententiæ probatur. Nec obstat argumentum secundæ: quia pretium succedit loco rei, nisi bona fide sit consumpta, nec possessor ratione illius sit ditior factus.

Debet restitui emptori pretium rei alienæ sibi venditæ.

89 Probatur verò, illud emptori debere restituere. Tùm, quia contractus fuit nullus: quia si alius sciret rem esse alienam, eam non emeret: ergo teneris illum rescindere, pretium, in quo damnificatus fuit emptor, illi reddendo. Maximè, quia rem illi vendidisti, quæ reipsa tua non erat. Tùm etiam, quia si rem vitiatam venderes, & argentum pro auro, tenereris emptori restituere id, in quo damnificatus est, etiamsi bona fide procederes: ergo si rem alienam, vt propriam, ei vendidisti, quam cogitur restituere domino, vel quòd cogendus sit timetur, teneris hoc damnum resarcire. Et hinc constat, quòd si talis timor non detur, cum in nullo damnificetur emptor, nihil illi reddere teneris. Ita Rebellus *lib.* 2. *q.* 3. *num.* 3. & *lib.* 9. *quæst.* 18. *sect.* 1. *num.* 61. Soto *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 2. *§. Quid autem*, Villalob. *tom.* 1. *tract.* 11. *num.* 5. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 5. Dicastil. *tract.* 2. *disp.* 5. *dub.* 8. *num.* 150. & 158. Licèt aliqui ex his Auctoribus secundæ sententiæ videantur adhærere, illorum tamen probationes, nostram, & non illam, tenere indigitant.

Non potest falsam monetam recipiens eam in pretium alteri dare.

90 Hinc infertur, quid sentiendum sit de eo, qui ab vno falsam monetam accepit, & eam alteri tanquam veram tradendo, expendit? Ad quod respondet Diana 3. *part. tract.* 6. *resol.* 3. cum Sylvestro, & Angelo, quòd si eam bona fide expendit, bonam esse judicans, etiamsi posteà falsam esse sciat, ad nihil restituendum tenetur: si verò sciat falsam esse, tenetur damnificato restituere. Sed nos consequentèr ad dicta dicimus, quòd sive sciat, sive non, falsam esse monetam, quando eam alteri per contractum onerosum tradit, tenetur posteà damnum illi illatum (si verè illud subijt, & non ab eo ad alios eodem modo trans-

transivit) resarcire, quia non est maior ratio, quare si vas æneum alteri vendas, putans esse aureum, tenearis ad damni restitutionem, quàm si monetam æneam illi conferas, putans esse auri. ¶ Verumtamen in omnium sententia nemo potest monetam falsam, quam cum errore accepit, alijs in pretium rei scienter tradere: quia error vnius alteri nocere non potest. Sed vnusquisque suos tenet Auctores.

Quid teneatur restituere, qui rem alienã maiori vendidit pretio?

91 Inquires quartò, an si quis bona fide vendidit rem alienam maiori pretio, teneatur illud maius pretium domino reddere, an sufficiat æstimationem justam rei illi tradere? Respondet prima sententia, teneri incrementum pretij domino restituere, deducto aliquo valore pro industria: quia talis possessor tenetur restituere id, in quo factus est ditior ex re aliena; sed ditior factus est in illo incremento: ergo, &c. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 11. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 28. Caietan. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Lessius *cap.* 14. *dub.* 1. *num.* 4. ¶ Negat teneri secunda sententia, si illud incrementum esset intra latitudinem justi pretij, v. g. emis triticum in pretio infimo, quod valet, vendis in medio, vel supremo; non teneris secundum hanc sententiam, nisi domino pretium infimum restituere, tibi reservando illud incrementum: quia illud incrementum est fructus industriæ, non rei. Unde sicut si emisti à fure rem alienam pretio supremo, & vendidisti infimo, non tenetur fur, nec vllus alius, restituere tibi incrementum; ita tu emens rem infimo pretio, & vendens supremo, non teneris reddere actuarium: quia durum esset, quòd eadem re bona fide possessa posset quis amittere, & non lucrari. Ita Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. *§.* 3. *num.* 25. Molina *tom.* 4. *disp.* 721. *num.* 10. &, vt probabilem, tenet Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 41. & valde probabilem, & in praxi tutam, Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 5. *dub.* 7. *n.* 114.

Quid tenẽdum sit in præcedenti quæsito?

92 Nos verò sub hac distinctione respondemus. Vel enim illud incrementum provenit ab ipsa re, immutata manente, tàm secundum substantiam, quàm secundum locum, & tempus: quia videlicèt nec meliorata est ipsa res, nec transportata ad alium locum, vel in aliud tempus reservata; & sic cum prima sententia convenimus: quia tale incrementum non est tunc fructus industriæ, sed ipsius rei. Unde sicut rem ipsam teneretur restituere possessor, si extaret; vel pretium eius, si vendidisset, & tale pretium extaret, ita id, in quo factus est ditior ex ipsa re: quia in tali incremento remanet res æquivalenter. Si autem res mutata esset secundum substantiam, quia meliorata est, vel secundum locum, quia in alium locum transportata, vbi pluris venderetur; vel in tempus opportunum reservata, in quo maiori pretio esset vendenda; tunc cum secunda sententia convenimus, quia fructus est industriæ illud incrementum, & sic possessori accommodandus. Sic Azor 3. *p. lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 2. Rebell. *lib.* 2. *de Rest. q.* 3. *§. Atque hinc, & lib.* 9. *de Contract. q.* 18. *sect.* 1. *n.* 9.

Duo notãda circa dicta.

93 Sed duo notanda sunt. Primum, quòd (vt bene inquit Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 9. *num.* 5.) incrementum valoris, quod res aliena habet in manu, vel officina mercatoris supra seipsam in manu domini, vel alterius positam, non est domini, sed ipsius mercatoris, vel officialis: quia eius industriæ correspondet. ¶ Secundum, quod (vt notavit Sanchez *num.* 46.) quando sunt res, quæ sunt materia mutui, vt pecunia, vinum, triticum, oleum, fructus, & incrementum ex illis, non est fructus rei, sed merè industriæ humanæ, illis tanquam instrumentis per negotiationem acquirentis.

Quid si pecunias à latrone bona fide receperit?

94 Inquires quintò, an si quis bona fide pecunias furtivas recepit à fure emente suam rem, teneatur tales pecunias, si extent, domino restituere? Respondetur, quòd si tales pecunias adhuc impermixtas cum alijs suis conservet, tenetur illas vero domino comparenti tradere, & posteà contra furem agere ad recuperandum ab eo suam rem: quia tales pecuniæ adhuc sub prioris domini dominio sunt, & sic illi restituendæ. At si iam eas permixtas cum reliquis suis bonis habeat (quomodo, vt diximus *num.* 46. amittit dominus dominium rei, & transit in possessorem) non tenetur illas reddere. Non quidem ex injusta actione, quia processit bona fide; nec ex re aliena, quæ hoc ipso, quòd permixta sit, iam non est domini; nec quia ditior factus est, quia totidem in re dedit. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 34. Vazq. *opusc. de Restit. cap.* 6. *§.* 2. *dub. vlt.* Azor *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 4. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 3. *& n.* 6. *&* 7. Diana, cum alijs ab ipso citatis, 3. *p. tract.* 5. *resol.* 40. *&* 4. *p. tract.* 4. *resol.* 67. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 7. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. *§.* 3. *n.* 3. Qui benè addit, quòd si aliquis ludendo fraudulenter pecunias lucratus est, quarum partem amico dedit, quamvis fraudis conscius sit, sed ad illam cooperatus non est, non tenetur amicus tales pecunias fraudatori reddere, si ludens pecunias illas iniquo ludo acceptas iam miscuerat cum proprijs.

PUNCTUM IV.

De obligatione restituendi ob injustum impedimentum boni alieni?

Qui justè impedit alterius commodum, nõ tenetur restituere.

95 INter injustas actiones, ex quibus obligatio restitutionis resultat, est impeditio alterius boni, quod assequi sperabat, de qua in hoc Puncto agemus. Pro quo supponendum est, dupliciter posse aliquem sperare officium, beneficium, aut aliud commodum. Primò, ita vt nullum jus habeat ad illud, sed ex sola alterius liberalitate, & voluntate esset ei conferendum. Secundò, ita vt habeat jus in re, vel ad rem, quia ipsi debitum erat ex justitia. Deinde bifariam potest quis ab assequutione boni sperati alium impedire; vel injustè, quia nimirum absque justa causa ab eo retrahitur; vel justè, quia scilicèt, vel indignus est, vel inhabilis ad illud. Et quidem non teneri ad restitutionem, qui justè hoc modo impedit; sive hoc faciat precibus, & suasione, sive fraude, vi, aut dolo; constat, quia indignus nullum jus habet ad tale officium, aut beneficium, nec Collator justè, aut validè illud potest conferre illi. Imò etiamsi eodem modo impediret, ne beneficium digno conferretur, relicto digniori, ad nullam tenetur restitutionem. Tùm, quia contra intentionem ecclesiæ, aut reipublicæ est conferre officia, aut beneficia digno, omisso digniori. Tùm etiam, quia non violatur aliquod jus digni, quod non habebat, vt præferretur digniori. Ledesm. *Summæ*, 2. *tom. tr.* 8. *cap.* 8. *concl.* 5. Lugo *disp.* 18. *sect.* 5. *n.* 96. Villalob. *tr.* 11. *diffic.* 44. *n.* 6. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 12. *n.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 126. Dian. 3. *p. tr.* 6. *resol.* 33. Bañez 2. 2. *q.* 62. *artic.* 2. *dub.* 12. *concl.* 4. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 8. *num.* 27.

Dicen-

Qui impedit bonum alteri ex juſtitia debitum, ad reſtitutionem tenetur.

96 Dicendum ergo eſt primò, quod ſi alicui debebatur aliquid ex juſtitia, quia habebat jus in re, vel ad rem ad illud, & tu impedimentum ponas ad illud conſequendum, ſive hoc facias vi, fraude, aut dolo, ſive ſolùm precibus, conſilio, ſuaſione, aut donis, teneris illud reſtituere: & quidem totum, ſi Collator erat iam firmitèr determinatus ad illud conferendum, & ſi non erat ita ſimplicitèr determinatus, teneris reſtituere ſecundùm æſtimationem ſpei, quam habebat ad illud recipiendum, prudentum arbitrio, ſi tua operatione injuſta cauſa fuiſti, quòd alius tale bonum non conſequeretur. Si enim cauſa non fuiſti efficax talis impeditionis, quia alius iam determinatus erat ad illud non conferendum, nulli dubium eſt, te non teneri ad vllam reſtitutionem, quia non fuiſti efficax cauſa talis damni; ſicut eſt certum, te non teneri ad aliquam reſtitutionem, ſi alius nullam ſpem habebat conſequutionis talis boni, etiamſi vi, aut fraude, nedum precibus, aut ſuaſione, impedieris: quia (vt diximus) ſolùm ſecundum æſtimationem ſpei datur obligatio reſtitutionis; proindeque vbi nulla ſpes erat bonum conſequendi, nulla in impediente conſurgit obligatio, vti docent Bañ. *concl.6.* Bonac. *n.6.* Leſſ. *n.*125. Dicaſtil. *n.*21. & alij.

Aſſertum propoſitum probatur, & vlterius extenditur.

97 Probatur verò, te teneri ad reſtitutionem boni, quod ſolùm precibus, aut ſuaſione impediſti, ne alius conſequeretur; quòd tamen conſequi ſperabat, & ad quod jus habebat. Quia Collator ipſe tenebatur ex juſtitia ei bonum tribuere: ergo ſi tu perſuaſione, aut conſilio avertis eum à tali collatione, concurris etiam ad talem injuſtam negationem, ob quam alius privatur jure ſuo: ergo teneris ad reſtitutionem, attento jure, quod alius habebat, quo injuſtè privatur; & attenta certitudine, vel probabilitate, quòd bonum illud conſequuturus eſſet. Ita Bañez 2.2. *q. 62. art.2. dub.* 12. *concl.*1. Leſsius *lib.2. cap.*12. *dub.*18. *n.*122. & 123. Lugo *diſp.* 18. *ſect.* 5. *n.*90. Villalob. *tract.*11. *diffic.*44. *n.*5. & 7. Bonac. *diſp.*1. *q.*2. *punct.*12. *num.*3. Dicaſtill. *tract.* 2. *diſp.* 8. *dub.*1. *n.*3. & eſt communis. At verò ſi ipſum particularem non vi, aut fraude, ſed ſolùm precibus, aut ſuaſione avertas à proſequutione illius boni, ſuadendo illi, vt non ſe opponat, non illud procuret; nihil reſtituere teneris: quia ipſe poteſt hoc facere, & ex voluntate ſua abſtinet à tali proſequutione, & volenti, & conſentienti nulla fit injuria. At verò ſi vi, minis, dolo, aut fraude à tali proſequutione averteres, rem, cuius habebat jus, teneris reſtituere: quia injuſtè impedis, ne jure ſuo vtatur. Ita præcitati Auctores. ¶ Et hinc fit, quòd ſi aliquis precibus, aut conſilio procuret, quòd artifex per hebdomadam non laboret, nihil illi reſtituere tenetur: quia ſemper ſuam relinquit liberam voluntatem, ſecundùm quam poterat laborare, vel non laborare. Si autem vi, fraude, aut dolo à tali labore averteret, teneretur lucrum, quod habiturus fuerat laborando, reſtituere: quia injuſtè privavit illum illo jure, quod habebat, vt ſuo labore lucraretur.

Qui vi, aut dolo impedit bonum alterius in debitū, tenetur reſtituere, non ſi ſolis precibus, aut muneribus,

98 Dicendum eſt ſecundò, quod ſi aliquis impediatur vi, dolo, aut fraude à conſequutione alicuius boni, quod nullo modo debitum illi erat, ſed erat in proximo, vt ipſi relinqueretur, tenetur ſic impediens, ſecundùm æſtimationē probabilitatis, & ſpei, quam habebat alius, vel ſecundùm inclinationem, quam Collator habebat ad illud ipſi relinquendum, illi reſtituere. Si tamen non vi, aut fraude, ſed tantum muneribus, precibus, ſuaſione, aut blanditijs retraxit Collatorem, ne conferret illi tale bonum, ad nullam reſtitutionem tenetur. Ratio primi eſt: quia licèt alius jus non habeat ad tale bonum, habet tamen jus, vt nemo fraude, aut dolo impediat benefactorem, quominùs ipſi bonum, quod volebat impendere, impendat, & ne dolo auferat alterius voluntatem, ex qua ſolùm poterat bonum ſperare. Et hinc patet ratio ſecundi: quia ſicut Collator poterat libere pro ſua voluntate tale bonum alteri conferre, vel non conferre, hoc ipſo quòd tu relinquas liberam ad hoc Collatoris voluntatem, nullam injuriam illi irrogas, ſi talis boni conſequutionem impedias. Cùm ergo per preces, aut ſuaſionem non auferatur libera Collatoris voluntas, fit inde, te non teneri ad reſtitutionem per hoc, quòd precibus, aut conſilio collationem talis boni alteri impedias. Ita Bañez *loco citato*, Villalob. *num.* 2. & 5. Leſsius *num.* 122. & 123. Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 2. cap.7. n.* 3. Lugo *n.*91. Bonacin. *num.*2. Dicaſtill. *n.*4. Dian. *3. p. tract.6. reſol.*32. Sanch. *in Summ. lib.2. cap.22. n.*21. & *lib.2.* & *Conſil. cap.*1. *dub.*49.

Qui ſola ſuaſione impedit bonū alterius, nō tenetur reſtituere, etiāſi id faciat detegendo defectum ſecretum.

99 Quod verum eſſe, aſſerunt Leſsius, Lugo, Dicaſtillo, etiamſi Collatorem avertas, ne bonum, quod alteri conferre volebat, illi impendat abſque vi, aut fraude, ſed ſuaſione, aut conſilio, manifeſtando tamē illi alterius delictum, vel defectum occultum, & verum; dummodò ipſi ſoli Collatori, & his, quibus intereſt, manifeſtatio fiat: quia jus eſt, quando de officijs, aut beneficijs agitur, manifeſtare ea, quæ hominem redunt minus idoneum, aut minus decentem collationem faciunt: & ob id ſolent in ſimilibus caſibus fieri informationes occultæ. Si tamen incautè procederes, palam talem defectum detegendo, ob quod alterius ſequeretur infamia, peccares quidem mortaliter, & damnum infamiæ tenereris reſtituere, & etiam bonum reſarcire, quo alter privatur ob tuam injuſtam publicationem, ſi Collator ob infamiam moveretur ad negandum illi tale bonum; ſecùs verò ſi ſolùm moveretur ob defectum, ſive eſſet, ſive non, publicatum.

Plura, quæ ex præcedē tibus cōclu ſionibus inferuntur, explicantur.

100 Ex hac duplici concluſione plura licet inferre ad praxim neceſſaria, ex quibus clariores reddantur. Ex dictis ergo infertur, quòd ſi impedias, quòd Petrus adimpleat promiſsionem factam Paulo, & ab eo acceptatam (etiamſi hoc abſque fraude, aut dolo facias) teneris probabilitèr ad reſtitutionē: quia iam Paulus jus habebat ad rem, & injuſtè negata fuit à Petro, & à te impedita. Si autem non eſſet acceptata, & precibus, abſque fraude, & dolo, retraxiſti Petrum ab eius impletione, ad nihil teneris: quia ſemper ex libera voluntate Petri pendebat eam implere: quam voluntatem per preces minimè violentaſti. Similiter, ſi fraude, aut dolo avertiſti Petrum, ne pauperi eleemoſynam daret, quam volebat, dicendo non eſſe pauperem, qui pauper erat; vel imponendo illi crimina, quæ non habebat, teneris ad reſtitutionem talis eleemoſynæ; ſecùs verò, ſi ſolùm precibus, aut ſuaſione ab ea conferenda avertiſti: quia pauper nullam jus ad eam habebat. Similiter, ſi moribundo volenti legatum Perro relinquere, vel eum hæredem conſtituere, perſuaſti abſque dolo, aut fraude, vt potius tibi, vel amico tale legatum relinqueret, nec peccaſti, nec ad aliquam reſtitutionem teneris: quia Petrus nullum jus habebat ad tale legatum, aut hæreditatem, niſi ſolùm ſecundùm voluntatem teſtatoris. Idem eſt, ſi illi perſuaſiſti, vt teſtamentum in alterius favorem factum rumperet, vt tu

ab intestato succederes, vel vt aliud conderet in favorem tui amici. Excipe casum illum, de quo agitur Clement. 1. *de Privilegijs*: vbi sub commination mortis æternæ prohibetur Religiosis, ne retrahant, etiam sine vi, & dolo, testatores à legatis faciendis ecclesijs matricibus. In quo, licèt peccent contra hoc præceptum, si secùs agant; ad restitutionem tamen non tenentur: quia non operantur contra justitiam. Ut testatur Lugo *disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 94. Sanchez *lib.* 2. *Consil. cap.* 1. *dub.* 45. *num.* 28. Qui addunt nec esse peccatum, si zelo salutis testatoris id consulant.

Alia, quæ ex dictis deducuntur, enodantur.

101 Sequitur deinde ex dictis, quòd si per vim, aut fraudem impediste, ne beneficium daretur Petro digno, vt daretur alteri digno, teneris restituere Petro quanti sua spes prudenter æstimatur: quia jus habebat, ne per fraudem, aut vim impediretur à consequutione beneficij, vel officij, quorum dignus erat; secùs verò si esset indignus. Ut diximus *num.* 95. Imò, etiamsi esset dignus, si non vi, aut fraude, sed precibus, aut muneribus persuasisti, vt daretur, alteri digno, non teneris ad vllam restitutionem: quia Collator non erat obligatus magis vni, quàm alteri conferre; sed tunc datur locus gratiæ, quam tu precibus assequi poteras. At verò, si alter esset dignior, est maior difficultas: de qua postea. ¶ Denique sequitur ex dictis, quod si precibus, aut suasione, etiam absque fraude, & dolo, in causa fuisti, quòd officium, aut beneficium negaretur Petro digno, vt daretur alteri indigno, teneris restituere reipublicæ, vel ecclesiæ pro damno, quòd patiuntur ex ministro indigno; & ipsi Petro pro æstimatione spei, quam habebat illud consequendi: & eodem modo teneris pluribus restituere pro rata, si causa fuisti, vt in concursu plurium, qui digni erant, daretur indigno. Sed hæc restitutio primò facienda est ab ipso indigno, qui beneficium suscipit; &, in defectum eius, à Collatore, qui est causa principalis: & postmodum à te, qui causa fuisti, quòd alius injustè in tali collatione procederet, vt dicemus puncto sequenti.

Etiamsi ex animo pravo impedias bonum indebitum te non obligari ad restitutionē, tenet communis sententia.

102 Restant modò circa dicta aliquæ difficultates enodandæ. Prima difficultas est, an si absque vi, aut dolo persuasisti alicui, ne bonum indebitum alteri conferret; sed ex pravo animo, vt illi damnum facias, tenearis ad restitutionem? Ut si, vt alteri damnum faceres, persuasisti testatori, ne legatum Petro relinqueret: & in alijs casibus, in quibus diximus te non teneri ad restitutionem, quando absque dolo, vi, aut fraude alterius commodum impediviſti? Et quidem te peccare mortaliter contra charitatem, imò etiam contra justitiam ob animum pravum, nulli dubium est. Sed adhuc te non teneri ad restitutionem, docet communis sententia: quia injustus animus non facit opus externum esse contra justitiam, quod alias non erat; & solùm ex opere externo injusto talis obligatio restitutionis consurgit. Ita Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 12. *n.* 2. Diana *3. p. tract.* 5. *resol.* 53. & *tract.* 6. *resol.* 34. Lessius *lib.* 2. *dub.* 18. *num.* 128. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 44. *num.* 10. Molin. *tom.* 3. *disput.* 272. *num.* 4. Vazquez *tract. de Benefic. cap.* 2. *§.* 3. *num.* 128. Sanchez *dicto dub.* 49. *num.* 27. Dicastillo *tract.* 2. *disput.* 8. *num.* 6.

Verius est te teneri ad restitutionē, si ex animo injusto impedias.

103 Sed nos, consequenter ad ea, quæ suprà *num.* 23. diximus, modò asserimus, posse animum internum pravum ita conjungi cum opere externo, vt opus externum, quod absque tali animo injustum non erat, injustum cum illo reddatur; & ita obligare ad restitutionem, si ex tali animo procedat. Ut in præsenti casu docet D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 4. & ibi Caietanus, & Bañez *dub. illo* 12. *citato*, Soto *de Iustitia*, *lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. *ad* 6. Lugo *disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 98. &, præter exempla loco citato posita, probatur hoc novo exemplo: nam in sententia etiam adversariorum, si dignus opponeretur cathedræ; beneficio, aut officio cum digniori, & bona fide tale beneficium sibi procuraret, Electoribus sua merita absque fraude, & dolo proponendo, si tale beneficium, aut officium adipiscatur, potest tuta conscientia retinere illud: nec teneretur aliquid digniori restituere: quia ipsi non incumbit consilium præbere Electoribus, sed eorum judicio submitti: quod etiam omnes asserunt. At si animo nocendi digniori, vel illum impediendi, opponeretur, ferè omnes asserunt, teneri ad restitutionem talis beneficij digniori: ergo iam animus pravus operi aliàs non injusto coniunctus, illud injustum reddere potest, & obligationem restitutionis inducere.

Quid de illis sentiendum est, qui bona fisco applicanda impediunt?

104 Secunda difficultas est, an qui fraudibus, aut mendacijs impedit, ne fisco bona applicentur, quæ ob crimen aliquod, vel quid simile essent applicanda, teneatur ad restitutionem? Et loquimur ante legitimam Iudicis sententiam declarativam talis criminis, vel talium bonorum fisco applicarivam: quia post illam certum est, teneri ad restitutionem, qui quomodolibet talem applicationem impedit, cùm iam fiscus jus acquisierit ad illa. Negativè respondendum est ad quæsitum: quia fiscus non habet jus ad talia bona, nisi post legitimam sententiam; eo quòd talis occupatio per fiscum fit in pœnam criminis; & pœna non debetur, nisi post Iudicis sententiam. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 134. Sanch. *lib.* 2. *Summ. cap.* 22. *n.* 22. Bañez *quæst.* 62. *art.* 2. Lugo *supra num.* 108. Dian. *3. p. tract.* 5. *resol.* 52. & *tract.* 6. *resol.* 35. Azor *tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 8. *quæsito* 5. Tannerus 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 2. *num.* 76. Unde si etiam falsis testibus sententia impediatur, vel ita agatur, vt crimen certò constare non possit, non tenetur, nec falsus testis, nec alius quispiam, qui ad id concurrit, aliquid restituere; vt in hæreticis, qui falsis testibus se defendunt, vel impediunt sententiam confiscativam bonorum; in adultera, quæ post legitimam sententiam amittit dotem, quæ marito applicatur, si falsis testibus se defendat, vel probet etiam maritum mœchatum esse, quo modo se indemnem conservat. Idem dicimus de eo, cuius bona ob non solutum vectigal, vel res prohibitas asportatas, sunt ipso facto addicta fisco, vel redemptori: quia cùm omne hoc in pœnam criminis imponatur, Iudicis sententiam requirit.

Quid de bonis distribuēdis in favorē particularium, faciendum sit?

105 Tertia difficultas est, an qui precibus, & muneribus absque vi, & fraude impedit, quominus bona communia ordinata ad singularum personarum vtilitatem, illis applicentur, teneatur ad restitutionem? V. g. est distribuendum ærarium publicum inter cives, vel centum aurei ex illo pro qualitate meritorum singulorum. Datur fundatio pia distribuenda inter virgines talis vrbis, vel talis familiæ; se offert Catharina idonea, quæ conditiones habet requisitas ad talem dotationem, vnde eam Patronus dotare volebat; sed tu precibus suades, vt eam relinquat, & talem dotationem tribuat alteri; teneriſne ad restitutionem? Respondetur sub distinctione: vel enim solùm pendebat ex voluntate Patroni, vel distributoris electio illius, cui tale bonum tribuendum erat,

erat; & hoc casu, si absque vi, & fraude impedias, vel civem particularem à consequutione bonorum ex ærario distribuendorum, vel hanc virginem à consequutione illius dotis, ad nullam restitutionem teneris: quia nullum habebat jus ad dotem illam, quæ solùm debebatur virgini pauperi, quam patronus sponte elegerit. Si tamen fundatio illa pia (idem cum proportione de ærario) esset distribuenda inter tales virgines huius familiæ, huius vobis, vel habentes tales qualitates, & tu aliquam illarum impedias, etiam absque fraude, & dolo, à consequutione talis dotis, teneris eam illi restituere: quia ipse Collator tenetur talia bona inter illas virgines distribuere ex justitia, nedum distributiva, sed etiam commutativa, cùm singulæ jus habeant pro qualitate meritorum ad talia bona, supposita tali fundatione: quemadmodum teneretur restituere, qui solo consilio, & rogatu impediret Æconomum, ne elargiretur eleemosynam illi pauperi, cui dominus fieri præceperat. Sic Navar. *cap.* 17. *n.* 72. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 44. *n.* 7. Lug. *disp.* 18. *sect.* 5. *n.* 105. Bañez *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 12. *concl.* 2. Sylvius 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *quæst.* 25. *concl.* 5.

Quid dicendum sit de persuadere, ut beneficiū digno detur relicto digniori?

106 Quarta, & vltima difficultas est, an qui precibus, muneribus, vel suasione, absque vi, & fraude, abducit Collatorem ecclesiastici beneficij iam determinatum ad conferendum vni digniori, vt alteri minùs digno conferat illud, teneatur ad aliquid restituendum? Et quidem peccare mortaliter, qui sic suadet, sicut ipse Collator, si digno conferat, relicto digniori, ferè omnes asserunt, & ita esse communem, testatur Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 23. & *dub.* 48. *num.* 4. Lugo *disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 106. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 128. *§. Notandum.* Quia est infidelis dispensator, & acceptionem personarum committit, & contra debitam intentionem, & justam ordinationem ecclesiæ agit. ¶ Ut confirmat Innoc. XI. damnando sequentem propos. (& erat 47.) *Cum dixit Concilium Tridentin. alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & ecclesiæ magis vtiles ipsi judicaverint: Consilium, vel primò, videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minus propria, ponit digniores, vt excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.* Igitur ex damnatione huius propos. (nitentis verba Concil. *sess.* 24. *cap.* 1. explicare) veritas huius illicitæ collationis clarescit. ¶ Quarè de obligatione restitutionis est præsens difficultas. Negat prima sententia, teneri ad aliquam restitutionem: quia dignior non habet jus, nisi in libera voluntate Collatoris; sed preces, munera, blanditiæ non tollunt liberam Collatoris voluntatem: ergo, &c. Sic Turrianus 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 16. *dub.* 1. *num.* 5. & 7. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. Sotus *lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. Navar. *cap.* 17. *num.* 72. Sà verb. *Restitutio*, *num.* 22. Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 53. & *tract.* 6. *resol.* 33. & 34. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 128. specialiter *§. Notandum.* Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 2. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 8. *num.* 185. Dicastill. *tract.* 2. *disp.* 8. *dub.* 2. *n.* 35. Quorum aliqui absolutè asserunt, ad nullam restitutionem teneri: alij expressè negant nec ecclesiæ, nec ipsi digniori aliquid teneri restituere.

107 Secunda sententia dicit, suasorem in tali casu teneri ad restitutionem, vel digniori, vel ecclesiæ, quæ privatur dignioris obsequijs, vel vtrique. Et quòd digniori teneatur, probatur: quia, præter violationem justitiæ distributivæ, digniori fecit injuriam contra justitiam commutativam, quia proximus erat ad habendum beneficium; & sic si firmitèr erat Collator determinatus ad conferendum digniori beneficium, dicit hæc sententia, ad totum teneri suasorem; si non, iuxta æstimationem spei, & propinquitatis, quam habebat. Ita Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 44. *num.* 9. Garcia *de Beneficijs*, *tom.* 2. *part.* 7. *cap.* 16. *num.* 3. Caietanus 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Bañez *ibi*, *dub.* 12. *concluf.* 7. Sylvest. v. *Restitutio* 3. *quæst.* 12. Covarr. *ad regul. peccatum*, 2. *part.* §. 7. *post* 3. *concluf. num.* 8. Vazquez *in opusc. de Beneficijs*, *cap.* 2. §. 3. *dub.* 19. *num.* 144. Sanch. *lib.* 2. *Consil. cap.* 1. *dub.* 46. ¶ Cæterùm huius difficultatis decisio omninò pendet ex illa quæstione, an qui confert officium, aut beneficium minùs digno, relicto digniori, teneatur ad restitutionem, vel ecclesiæ, aut reipublicæ, vel ipsi digniori faciendam? De quo alibi. Modò has duas probabiles sententias proposuisse sufficiat. Sed illud certissimum judicamus, quòd si Collator beneficij, aut officij ad nullam restitutionem in dicto casu tenetur: nec etiam tenebitur, qui absque vi, & fraude, sed precibus, aut donis illum persuadet: si Collator tenetur restituere ecclesiæ, vel digniori, etiam tenebitur suasor; nisi quòd Collator primo loco, & vt causa principalis hanc obligationem subibit, &, ipso restituente, ad nihil tenebitur suasor; sed iste tenebitur in defectum illius, quia nimirum, vel non potest, vel non vult restitutionem exhibere. De quo Puncto sequenti agemus.

Sententia asserens in tali casu teneri suasorē restituere.

Rem ad aliū locū remittimus.

PUNCTUM V.

Quæ, & quotuplex causa sit obnoxia restitutioni? & quem ordinem debeant inter se servare?

108 PRæter executorem furti, aut alterius injuriæ proximo irrogatæ, qui est causa principalis, & præcipua illius; vt incendiarius, homicida, fur (de quo non est dubium ad restitutionem teneri, ob injustam actionem, etiamsi nullum commodum ex illa habeat, quia est causa injusta, à qua damnum immediatè proficiscitur) dantur alij, qui ad tale damnum concurrunt, & sunt novem genera personarum, quas D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *artic.* 7. his versibus comprehendit:

Novem genera causarum proponuntur obnoxia restitutioni.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quorum sex priores directè; & positivè concurrunt, & tres vltimi indirectè, & privativè: tamen omnes ad restitutionem tenentur, quando per suum concursum damni causæ efficaces existunt. Ut ibi docet D. Thomas, & cum eo omnes. Quibus præcipuè adde decretum Sanctissimi Pontif. Innocent. XI. damnantis propositionem 39. in ipso contentam, quæ erat huiusmodi: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Et ratio est, quia

cum obligatio restitutionis ex injusta actione, vel læsione proficiscatur, omnes, qui quoquomodò illius injustæ actionis causæ sunt, restitutionis onus cum ipso subeunt executore. Quo supposito, quinque à nobis agenda sunt in hoc Puncto. Primum, quomodò in communi omnes istæ causæ concurrere debeant, vt sint restitutioni obnoxiæ? Secundò explicandæ sunt in particulari sex causæ positivæ, & difficultates circa illas enodandæ. Tertiò de tribus causis negativis agendum est in particulari. Quartò ordo inter omnes servandus statuendus. Quintò, an omnes in solidum teneantur restituere, vel non, decidendum. Quod diversis paragraphis claritatis gratia perficiemus.

§. I.

Quomodo cooperatores ad damnum alterius teneantur ad restitutionem?

Quæ certa sunt, supponuntur?

109 CErtum est in hac parte, non teneri ad restitutionem eum, qui consulit, mandat, aliove ex modis supradictis movet executorem ad damnum, si ipse paratissimus iam erat ad illud damnum exequendum; siquidem tunc consilium, mandatum, &c. est inefficax ad effectum, & de facto non influit; nam harum causarum influxus est in ordine ad movendum, & applicandum ipsum executorem ad opus: ideòque, si ille iam est applicatus, & determinatus, nullum influxum ad tale damnum exhibent. Ita communiter Doctores cum D. Thom. 2.2. *quæst.* 62. *artic.* 7. *in corpore*, & habetur cap. *Nuper*, *de sententia excommunicationis*. Vide quæ diximus *tract.* 10. *de Censuris*, *cap.* 1. *punct.* 12. ¶ Similiter est certum eum, qui suadet minus malum parato maius malum exequi, ad nullam restitutionem teneri, vt si parato furari centum, suadeas, vt tantùm furetur quinquaginta; parato occidere homine, vt illum vulneret: quia hoc non tàm est malum consulere, quàm electionem minoris mali, in quo nulli fit injuria. At si ipse adiuvet ad minus malum, nimirum ad mutilationem, eum, qui est paratus occidere, tenetur restituere, quia verè influxit, & causa fuit efficax talis damni. Similiter si ipse eligeret minus malum, cum paratus esset ad maius: quia in eius voluntate erat vtrumque relinquere. ¶ Denique est certum, quòd si solùm partem consuluisti, vel mandasti, non totum; ad illam solùm partem teneris, cuius causa fuisti: vt si consuluisti, quod aliquis 50. furaretur, & ipse furatus est centum, tantùm 50. teneris restituere. Similiter si parato furari 50. suadeas, vt furetur centum, ad sola 50. teneris, quia horum duntaxat causa fuisti, cùm alius iam ad alia 50. esset paratissimus. Bonacin. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 13. Less. *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 7. & 10. Rebel. *lib.* 2. *q.* 14. *n.* 20. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 7. *n.* 6. Lug. *disp.* 18. *n.* 9.

Qui per cõsilium, aut mandatum influit in dãnum, tenetur ne restituere, etiãsi alius simili modo esset Influxurus?

110 Sed inquires primò, an si consulas, mandes, vel alio modo moveas executorem non paratum damnum inferre, vt damnum inferat, & de facto inferat, teneris ad restitutionem, si alius daretur qui tali consilio, aut mandato eum moveret, si tu simile consilium, aut mandatum non dares? Respondetur, omissis aliorum placitis, te ad restitutionem teneri, quemadmodum teneretur ad restitutionem, qui exequeretur damnum (v. g. hominem occideret) etiamsi alius daretur, qui eum occideret, illo priori non concurrente. Et ratio est eadem in vtroque casu, quia talis verè est causa efficax damni: non enim est causa damni duntaxat ille, sine quo damnũ non fieret; sed qui verè influit, etiãsi alius daretur, qui eodẽ modo influeret. Potest quippè idem moraliter effectus à pluribus causis divisivè procedere: ergo quamvis malefactor per consilium, aut mandatum alterius tale damnum faceret, si tamẽ fecit ex tuo consilio, aut mandato motus, quod ipse absque simili causa non faceret, restituere teneris. Aliàs si tu non teneris, nec alius teneretur, qui tale consilium, aut mandatum esset daturus: sicut si non teneretur malefactor, quia alius malefactor eiusdem damni daretur, neque etiam teneretur ipse, cum eadem ratio currat in vtroque. Ille ergo, qui primus ad damnum influit, in se suscipit onus restitutionis, quod alius suscepturus erat, qui influxum præberet, si primus non influeret, sed quia verè hic vltimus non influxit, liber à tali onere manet. Sic Reverendissimus, & doctissimus Magister Fr. Ioann. Martinez de Prado *in sua Theologia Morali*, *tom.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 6. *num.* 17. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 7. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 8. *num.* 2. & 4. Caietan. 2.2. *quæst.* 62. *art.* 7. Soto *lib.* 4. *de Iustit. quæst.* 7. *art.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 2. *n.* 2. Lugo *disp.* 19. *sect.* 1. *n.* 6. & 16. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 3. *dub.* 3. *n.* 9. Covar. *ad Regul. peccatum*, 2. *p.* §. 12. *num.* 2.

Qui parato ad malum, celeritatem executionis, vel gravitatem consulit, tenetur ad totũ, secundum aliquos.

111 Inquires secundò, an si consulas, mandes, aliove modo ex dictis moveas iam paratissimum ad damnum, vt illud celeriùs, libentiùs, atrociùs, vel graviùs exequatur, tenearis ad satisfactionem totius damni: an verò sufficiat, vt illud amplius, ad quod movisti, satisfacias? Duplex est sententia, vtraque satis probabilis. Prima dicit, te teneri ad totum damnum, si malefactor non esset æquè benè, & eodem modo damum illaturus. Tùm, quia hìc, & nunc non solùm fuisti causa actionis quoad modum, & accidentia, sed etiam illius quoad substantiam: & sic totius actionis damnificativæ causa fuisti, cùm actio illa fieri non posset quoad modum, & accidentia, nisi simul fieret quoad substantiam. Tùm etiam, quia hoc ipso, quòd suadeas, vt modò faciat damnum, quod alius post mensem decreverat se facturum, totius es causa damni, cùm ille per illud tempus posset animum mutare, & ad meliorem sensu reduci. Sic tenet Ledesm. *in Summ. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 15. *concl.* 1. & 5. Illustrissimus Dominus Fr. Petrus à Tapia *tom.* 2. *suæ Catenæ*, *lib.* 5. *quæst.* 29. *artic.* 2. *num.* 2. Soto, & Caietan, *locis citatis*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 9. Bañ. 2.2. *q.* 62. *art.* 7. *in Commento artic.* Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 10. & *punct.* 7. *n.* 4. Rebell. *lib.* 2. *q.* 14. *n.* 6.

Verius est in casu posito, non teneri nisi ad excessũ dãni inde sequutum.

112 Secunda sententia (cui subscribimus) negat ad totum damnum teneri, sed solùm ad illud amplius, ad quod movit malefactorem. Probatur primò ex D. Thom. 4. *dist.* 15. *quæst.* 5. *artic.* 5. *ad* 3. *quæstiunc.* vbi duo dicit requiri, vt consulens teneatur ad restitutionem: *Ut probabiliter credat consilium suum fuisse efficax: & quòd sine eo injusta ablatio non esset commissa.* At cùm malefactor paratissimus est ad malum, injusta ablatio, vel læsio quoad substantiam committeretur, etiamsi tu per consilium, aut mandatum illum non moveres: ergo non teneris de injusta actione quoad substantiam, sed de illo, quod sine tuo consilio, aut mandato, alius non fecisset. ¶ Probatur secundò, quia in tali casu mandans, consulens, &c. non

est

est causa efficax mali quoad substantiam, putà homicidij, aut furti, cùm alius paratissimus esset ad tale malum; sed circumstantiæ, nimirum quòd fiat hoc tempore, hoc loco, cum hac atrocitate, vel gravitate: ergo solùm teneris ad excessum damni ex his circumstantijs causati, non ad damnum ipsum quoad substantiam restarciendum. Ita præter D. Thom. *loc. cit.* tenet D. Anton. 1. *p. cap.* 1. *tit.* 12. §. 12. Doctissim. Fr. Ioan. Martin. de Prad. *loc. cit. cap.* 17. *q.* 6. *num.* 22. Sylvest. v. *Restit.* 3. *q.* 6. §. 3. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. Navar. *cap.* 17. *n.* 20. Dian. 3. *p. tract.* 5. *resol.* 47. & 48. & ex parte Lugo *disp.* 19. *sect.* 1. *num.* 9. & probabilissimum esse probat Less. *supr. num.* 8.

Solvuntur fundamenta contraria.

Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 3. *num.* 15. ¶ Ad fundamenta contraria respondetur, quòd licèt talis totius actionis causa fuerit, quia tamen illa actio, vt damnosa, iam parata erat in causa, quæ poneret illam, vel aliam eiusdem speciei, licèt diversam numero, non iuducit obligationem restitutionis. Quemadmodum apud omnes non teneris restituere, si parato furtum facere, vel homicidium, consuleres, vt illud faceret in alio loco, vbi minùs scandalum sequeretur, vel quòd differret in craft inum, tametsi causa fueris, quòd diversa actio in individuo fieret, quia iam alius erat paratus eam secundum speciem exequi. Similitèr si parato furari 10. suadeas, vt viginti furetur, non teneris nisi 10. restituere, vt diximus *num.* 18. quamvis tunc illius totius actionis, qua furtum 10. simul fit, causa fueris: & solùm teneris ad excessum, quia furtum secundum substantiam in causa paratum erat: ita dicimus in præsenti. ¶ Ad secundum, quòd si non sit spes mutandi consilium, iam non habet locum argumentum, quo casu loquitur nostra sententia. Si enim talis spes subesset, iam non solùm circumstantiæ, sed ipsius substantiæ per accelerationem causa fuisti: nisi sub conditione consuleres, quòd si alius animum mutare noluerit, citiùs faciat, vel hoc, vel illo modo faciat.

Qui dubitat, an influxerit ad damnū, non tenetur restituere.

113 Inquires tertiò, an si dubium fuerit, an ad damnum influxeris, sive per executionem, mandatum, consilium, palpationem, recursum, consensum, participationem, vel non loquendo, non obstando, manifestando, cùm ex justitia ad id teneris, modo dicendo §. 3. tenearis ad aliquam restitutionem? Respondetur negativè, quia reus in pari causa absolvitur, *leg.* 2. *ff. de condiction. ob turpem causam.* Et ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis: tu possides indemnitatem ab onere restitutionis, & dubitas de damno illato, ad quod tenearis: ergo practicè potes deponere illud dubium speculativum, & te non teneri, tuta conscientia, judicare. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *corp.* Dicastill. *supr. n.* 39. Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 4. *n.* 38. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 3. *n.* 41. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 1. Sayr. *in Clavi Regia, lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 4. & *cap.* 12. *n.* 6. Rebel. *lib.* 2. *q.* 14. *n.* 7. Idem dicimus, si certus sis, quòd damnum feceris, v. g. percussionem: dubitas verò, an fueris causa mortis, quia *in obscuris minimum est sequendum, de Reg. jur. in* 6. & docent Rebell. & Less. *loco citat.*

Qui suo exē plo damni est occasio, non est obnoxius restitutioni.

114 Inquires quartò, an qui suo pravo exemplo est occasio, & causa mali, movendo per illud, vt alij furentur, occidant, infament, teneatur ad restitutionem? Ut si quis vineam ingrederetur, vel ad colligendos fructus, vel ad devastandam eam, vndè alij videntes ad simile facinus excitarentur. Respondetur, quòd licèt peccet contra charitatem (imò multoties contra justitiam adversus eos, qui suo malo exemplo inducuntur, quia nimirùm ex officio attendere debebat bonis spiritualibus illorum, vt Episcopi, & Prælati) non tamen tenetur ad restitutionem illius damni, ad quod suo exemplo induxit: quia solùm tenetur, qui ad injustitiam concurrit, vt causa influens, non vt occasio, quia tunc alius ex sua malitia, & à se motus malum exequitur, licèt fuerit ab alio excitatus, & invitatus. Molin. *disp.* 734. *n.* 2. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 11. *n.* 14. Sanch. *lib.* 1. *sum. cap.* 6. *n.* 5. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 4. *num.* 28. ¶ Extendenda est resolutio ad alios, qui solùm per occasionem fuerunt causa damni, vt si percutias alapà Petrum, & ipse hac occasione mœrore consumptus moriatur, & in similibus, quòd non teneris ad restitutionem ratione mortis. Bonac. *punct.* 3. *n.* 11. & 12. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *numer.* 133. ¶ Addit Bonacina, te non teneri ad restitutionem in dictis casibus, etiamsi animo inducendi ad malum, pravum exemplum, aut aliam occasionem præbeas: quia internus animus non influit injustitiam in opus externum, quam ex se non habebat: & obligatio restitutionis solùm ex opere externo injusto proficiscitur. ¶ Extendunt Sanch. & Salas *de Legibus, disp.* 14. *sect.* 2. *n.* 17. ad Episcopos, aut Prælatos, quorum exemplo alij inducuntur ad furta, homicidia, murmurationes, vel alia damna: quia non incumbit ipsis ex officio bonis temporalibus subditorum attendere, sed spiritualibus doctrinis pascendo, & sacramenta ministrando.

§. II.

De ijs, qui positivè ad damna cooperantur, quomodo teneantur restituere?

Qui mandat explicitè, vel implicitè maleficium, totum tenetur restituere.

115 DIximus *supr. numer.* 107. novem esse genera personarum præter executorem ad injustitias concurrentium. Ex quibus sex priora positivè influunt, & illis terminis, in carminibus ibi positis continentur, *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans.* Cæterà, quæ sequuntur, concurrunt privativè, de quibus in *§. sequenti*: de prioribus suo ordine in præsenti agemus. Igitur illo nomine *jussio*, intelliguntur omnes, qui mandant maleficium fieri, ad quod alius non erat paratus, quos teneri ad restitutionem, docet Div. Thom. *articul.* 7. *citato*, & cum eo omnes, sive habeat potestatem imperandi, sive non, sive explicitè id jubeat, sive implicitè, vt si diceret, *Quis me vindicabit? Quantam jucunditatem mihi afferres, si talem hominem vulnerares!* Quia talis mandans verè est causa damni illati. Imò principalis causa, qui primo loco ad restitutionem tenetur, nisi mandatum revocaverit ante executionem damni, & talis revocatio mandatario innotuerit: quia tunc iam non influit, nam cùm mandatum solùm influat dependentèr à voluntate mandantis, si mandans declarat mandatario oppositam voluntatem habere, ille ex sua malitia operabitur, non motus à mandante, si damnum exequitur. Et hoc verum est, etiamsi tacitè tantùm revocaverit mandatum, vt si inimicum jubeat occidere, & mandatarius videat iam illos fuisse reconciliatos. Præcisa ergo dicta revocatione, tenetur mandans ad totum damnum, quod malefactor exequitur, nisi terminos excedat mandati,

ri, vt si iubeat inimicum leviter percutere, & alius occidat: si furari decem, & alius mille furetur; tunc solùm tenetur ad partem damni, quam fieri iussit. Imò, etiamsi revocet mandatum, ad restitutionem modo dicto tenetur, sequuto damno, si revocatio non innotuerit mandatario: quia iam suum mandatum fuit efficax causa damni sequuti. Quod ferè omnes asserunt.

Qui consilium dat, tenetur restituere damna, quæ causat tuo consilio?

116 *Consilium*, per hoc intelligitur, qui consilium scienter ad malum præbet, aut ex ignorantia culpabili, & qui petit, rogat, instruit, rationibus persuadet, munera promittit, blanditijs inducit ad damnum, eum, qui paratus non erat illud exequi: quia iam, si exequitur, motus ab illo exequitur; estque consilians efficax causa damni. Et sic ad restitutionem tenetur consilium præbens, vt omnes cum D. Thoma concedunt. Sed non omnes conveniunt in casu, quo revocaverit consilium, & talis revocatio innotuerit illud accipienti: nam si ei non sit nota revocatio, omnes ferè asserunt ad restitutionem teneri, sicut dicebamus de mandante. Similiter omnes conveniunt, quòd si consilium sit falsum, vel innixum falsæ historiæ, sufficere revocationem notam ei, qui consilium accipit, vt non ampliùs teneatur consilium præbens, etiamsi damnum ex alterius malitia sequatur. Ut his exemplis: Petit à te consilium Petrus, an teneatur restituere, respondes falsò, non teneri, & posteà illi dicis, te falsum consilium tribuisse, & quòd verè tenetur; si Petrus posteà non restituat, immunis eris ab onere restitutionis, quia ex sua malitia motus, non ex tuo consilio id fecit. Similiter si consilium des Petro, vt Paulum occidat, quem dicis occidisse fratrem suum, si posteà revoces consilium, dicendo illi falsam fuisse historiam, quia Paulus verè non occidit fratrem suum; sufficit hæc revocatio, vt non censearis causa damni sequuti. Denique in casu, quo consultor esset idiota in facultate illa, & se doctum finxit; si revocet consilium ostendendo se inscium esse illius materiæ, quia reverà non fuit consultor, sed fraudulentus loquutor. Quarè dubium est, quando consilium datum est, non ad judicandam veritatem, sed convenientiam, & vtilitatem, vt occidat, furetur, ob hæc, & hæc motiva, & ingerendo doctrinam, & dictamen in mente; an sufficiat revocatio per contrariam doctrinam, & rationes, quibus consultor modis omnibus conetur avertere alium à damno, quod priùs consuluerat.

Consulens revocans cõsilium, non tenetur restituere.

117 Affirmat prima sententia adhuc teneri consultorem restituere, si malefactor tali consilio vtatur ad damnum exequendum: ob discrimen quod est inter mandantem, & consulentem, quòd mandatarius solùm in gratiam mandantis damnum exequitur, à quo in fieri, & in conservari dependet; at consilium recipiens in gratiam sui exequitur, motus à consilio, cuius doctrina, & dictamen semper remanet in mente, vt moveat ad effectum. Atque ita docent Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 7. *n.* 6. Tap. *lib.* 5. *q.* 29. *art.* 2. *n.* 7. Less. *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 6. *numer.* 16. Bañ. *q.* 62. *art.* 7. *fol.* 770. *column.* 1. ¶ Nos verò consequenter ad ea, quæ diximus *tract.* 10. *de Censur. cap.* 1. *punct.* 12. modò asserimus, quòd si consultor modis omnibus conetur avertere alium, & rationibus, quibus potest, dissuadere, ne malum exequatur, non tenetur restituere ob damnum sequutum: quia actio injusta non videtur ampliùs moraliter à consulente, sed à malitia alterius provenire. Uti in præsenti docet Reginaldus *libr.* 10. *n.* 108. & probabile dicit Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 5. Villalob. *supr. n.* 6. Vide, quæ diximus *loc. cit. n.* 160. & ad discrimen illud inter mandantem, & consulentem, videnda sunt ibidem dicta *n.* 168. ne multoties eadem repetamus.

Consulens non tenetur ad damna eius, qui cõsilium accipit, sed mandans ad mandatarij damna tenetur.

118 Sed rogabis, an consulens, aut mandans, non solùm teneatur ad damna tertio sequuta: sed etiam ad illa resartienda, quæ sequuntur mandatario, aut consilium exequenti, quæ prudenter timeri poterant. Ut si consilium des Petro, quòd inimicum occidat; & ipse inimicus Petrum occidit: debebisne restituere damna ex morte Petri sequuta? & in similibus casibus. Et quidem circa consultorem communis sententia tenet, ipsum non teneri: quia sequens consilium sibi imputare debet damna inde sequuta, cum posit id non facere, nec ad hoc sit coactus. Cap. *Nuper, de Reg. jur. in* 6. ibi: *Nullus ex consilio, dummodò fraudulentus non fuerit, obligatur.* Et tenet Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 16. Less. *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 7. *n.* 55. Sayr. *in Clavi Reg. lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. *& cap.* 12. *num.* 26. Dicastill. *tract.* 2. *disp.* 4. *num.* 85. Idem dicimus de mandatario, qui non à Superiore mandatur, sed ex stipendio mandatum accipit: quia tunc voluntariè illi periculo se exposuit: & scienti, & volenti non fit injuria. Sed adhuc in mandatario, qui à Superiore mandatum suscipit, non teneri, docet Bonacin. *num.* 18. Dicastill. *num.* 86. quia sibi imputet mandatarius, quòd sequutus fuerit tale mandatum. Sed verius dicendum est, teneri: quia quod subditi faciunt ex voluntate Superioris, non tam voluntariè, quàm coactè videntur facere, eo quòd imperium est quædam vis moralis. Rebellus *libr.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 3. *numer.* 14. Villalobos *tractat.* 11. *difficult.* 7. *numer.* 5. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 29. *art.* 2. *numer.* 5.

Per ratihabitionem nemo obligatur restituere.

119 Rogabis secundò, an qui ratum habet homicidium, vel furtum nomine suo factum, teneatur restituere, si ad illud nec mandatum, nec consilium dedit? Respondetur negativè: quia nec tenetur ex re aliena, quam supponimus, non dari apud ipsum, nec ex injusta actione: si quidem per ratihabitionem non influit ad damnum, cùm iam damnum tempore factum præcedat ad eam: & ideò licèt talis ratihabitio sit grave peccatum, & contra justitiam; non verò est actio injusta damnificativa, seu efficax causa damni, sed inefficax quasi complacentia illius. Nec obstat text. in cap. *Ratihabitionem, de Regul. juris in* 6. ibi: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Quia vel loquitur textus de pœna in foro externo. Vel comparatione cum mandato in malitia peccati, quia eiusdem speciei peccatum est moraliter. Vel quantum ad confirmationem contractus, non quantum ad obligationem restitutionis, quæ solùm ex influxu in damnum proficiscitur. Tapia *lib.* 5. *q.* 29. *art.* 2. *numer.* 4. Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 48. Villalob. *tractat.* 11. *diffic.* 7. *num.* 4. Dicastill. *tract.* 2. *disp.* 4. *n.* 101. Less. *lib.* 2. *dub.* 10. *n.* 13. Rebell. *lib.* 2. *q.* 14. *sect.* 3. *num.* 12. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 10. *n.* 9. Diana 4. *p. tract.* 4. *resolut.* 64. ¶ Si verò ex tua ratihabitione alius moveretur ad non restituendum, iam esses causa injustæ detentionis, & tenereris ad restitutionem illius. At verò non tenereris restituere, si scias alios nomine tuo malum machinari, & non impedias, si ad id ex officio non tenearis, iuxta dicenda *§. seq.* quia solùm agis contra charitatem, non contra

ra justitiam, nisi concursum causæ consentientis præbeas, vt si præsens sis, ac taceas, cùm tui tractant de damno inferendo, quod tibi gratum futurum esse putant, ex quo moventur ad illud exequendum: quia tunc sicut es causa movens implicitè ad damnum, illud resarcire teneris.

Quis cõsensus in malum obliget ad restitutionem?

120 *Consensus*: per consensum non intelligitur complacentia mali alterius, quia si hæc nullo modo influat ad illud, non inducit obligationem restitutionis. Ille ergo ratione consensus tenetur restituere, qui suo consensu influit efficaciter in damnum, ita vt sine eo non fieret; vt quando subscribit injustæ litì, aut condemnationi; quando fert suffragium in electione indigni; consentit in bellum injustum, vel aliud maleficium, quod ex eius consensu dependebat. Si tamen ex eius consensu iam non dependebat malum, quia absque illo esset inducendum, non tenetur ad restitutionem, etiamsi ex eius manifestatione consensus libentiùs fiat. Ex quo fit, teneri ad restitutionem Consiliarios Principis, quos ipse congregat, vt consensum præbeant, si Princeps absque tali consensu non indiceret bellum. Secus verò si ipse iam determinatus ad illud eos congreget, non ad consilium, vel suffragium ferendum, sed vt assensum præbeant, vt Princeps libentiùs bellum exequatur: quia licèt graviter peccent illi malo assentiendo, non tamen tenentur ad restitutionem damni, cum non sint causæ efficaces illius.

Quomodo subscribentes, & suffragãtes teneantur restituere?

121 An verò qui subscribunt injustæ sententiæ, vel suffragium ferunt in electione indigni, teneantur ad restitutionem? Respondetur, quòd vel suffragium suum est necessarium ad illud malum, quia alij sine eo eligere non possunt, vel sententiam ferre; & tunc tenetur ad restitutionem: quia est causa efficax illius damni. Et idem dicimus de eis, qui cùm ex officio suffragia ferre possent, sua vota in Capitulo, vel Consistorio denegant, prævidentes fore, vt inde damnum aliquod sequatur: quia tunc sunt causæ non obstantes. De quo *§. sequenti*. Secùs verò esset, si ad id ex officio non tenerentur, sed ex charitate. Ut inquiunt Rebell. *libr. 2. q. 14. n. 29.* Villalob. *tract. 11. diffic. 7. num. 8.* Dicastill. *tract. 2. disp. 4. num. 100.* Ac denique, si omnes conspirent, vel conveniant ad malè suffragium ferendum, sive vnus prior, sive posterior suffragium ferat, quando iam erant omnia vota necessaria, omnes tenentur restituere: quia iam omnes sunt causæ illius damni. Ut rectè Rebellus, & Villalob. tenent.

Qui per suffragium nõ influit in malum, non tenetur restituere.

122 At verò si suffragium tuum non est necessarium, quia iam maioris partis suffragia, & sufficientia præcesserant, quos tu nullatenùs movisti ad malè suffragandum, tunc non teneris ad restitutionem, si posteà subscribas, aut suffragium feras: quia non influis efficaciter in illud damnum, cùm iam præcedat causa sufficiens, & determinata ad illud. Non tamen excusaris à restitutione, quamvis scias subsequentes in eam partem daturos suffragium, si tu priùs suffragium fers; sed potiùs illi liberantur, & tu, sicut prævenis damnum influendo prior in illud, onus suscipis restitutionis. Ad quam etiam obligaris, quando publicè suffragium fertur, si prudenter judices alios priores, qui suam sententiam protulerunt, mutaturos esse animum, si tu suffragium feras in oppositum: quia tunc iam est tuum suffragium necessarium ad malum, quo denegato, fortè non fieret: nec in dubio est judicandum alios non convincendos, tuum judicium audiendo, siquidem in dubijs non est præsumendum delictum. Villalob. *tract. 11. diff. 7. n. 8.* Less. *lib. 2. cap. 13. dub. 3. n. 23.* Bonac. *disp. 1. q. 2. punct. 8. n. 4.* Valent. *tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 3.* Rebell. *lib. 2. q. 14. sect. 5. n. 30.* Dicastill. *tract. 2. disp. 4. n. 93.*

Qui dubitat, an per suffragium malum fecerit, tenetur restituere?

123 Quid verò dicendum sit in casu, quo quis dubitet, an suffragium suum fuerit ex prioribus, & necessarijs ad malum; an verò ex posterioribus, postquàm sufficientia præcesserant? Negat adhuc teneri Rebell. *num. 31.* & dicit esse communem sententiam: quam probabilem dicit Dicastill. *n. 97.* ob rationes hoc puncto *n. 113.* adductas. ¶ Sed immeritò: nam hic vrget specialis ratio, ob quam in tali dubio non possit se defendere possessione (estò pro illo detur) quia si ipse tunc non teneretur, nec etiam tenerentur alij Electores; nam hoc ipso quòd sit dubium, an suffragium tuum fuerit ex prioribus, vel ex posterioribus; & consequenter, an fuerit, vel non, necessarium, etiam alij dubitabunt, an suffragium eorum fuerit ex prioribus, vel posterioribus; omnes ergo in tali casu tenentur ad restitutionem. Præterquàm quòd constat de damno ab ipsis communiter facto, & sic possessio stat pro illo, & propterea ipsis incumbit ostendere non influxisse in illud, vt sic ab onere restitutionis liberentur. Bonacin. Less. Dicastill. & Sayr. *in Clav. Reg. libr. 10. tractat. 2. capit. 9. num. 3.*

Qui per laudationẽ, vel etiam increpationẽ, vituperationẽ concurrit ad damnũ, tenetur restituere.

124 *Palpo*: hoc vocabulo intelliguntur, qui laudant malefactorem, illi adulantur; vt si alicui injuriato nobilitatem suam exaggerent, ex quo ille ad vindictam excitetur, & moveatur. Idem dicendum est de ijs, qui offensum vituperant, aut irrident, convitijs afficiunt, eo quòd non vlciscatur, vel non furetur, vel aliud maleficium non exequatur; ex quo ille incitetur ad delictum: quia omnes hi, si de facto influunt in injustam actionem, quia alius eam non exequeretur, nisi modo dicto moveretur ab istis, tenentur restituere damnum illatum: quia fuerunt causæ efficaces illius. Less. *lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 25.* Petr. Navar. *lib. 3. cap. 3. num. 3.* Rebell. *libr. 2. qũæst. 14. sect. 6. numer. 33.* Dicastill. *tract. 2. disp. 4. numer. 112.* Bonacin. *disp. 1. quæst. 2. punct. 9. num. 1.* & idem dicendum est de eo (vt tenent hi Authores) qui exprobrat marito adulterium vxoris, ex quo movetur ad eam occidendam, vel adulterum. Nec excusatur aliquis à restitutione, eo quòd non vituperaverit, vel laudaverit alium animo incitandi illum ad tale damnum, si, attentis circumstantijs, verosimilitèr judicavit fore sequendum: quamvis inadvertentia, & bona fides aliquando adulatores, vel vituperatores excusent. Uti docent Rebell. *n. 33.* Dicastill. *n. 113.*

Qui malefactorem, vt talem, fovet, aut recipit, est restitutioni obnoxius.

125 *Recursus*: per hoc explicatur, quòd receptator furis, vel alterius malefactoris, formaliter vt talis (hoc est, quatenùs est malefactor, & vt securiùs, & commodiùs malè agat, & in suis delictis permaneat, vel eum hospitio recipiendo, defendendo, instrumenta servando) tenetur ad restitutionem damni à malefactore exequuti. Secùs verò, si solùm sit receptator, aut defensor malefactoris materialiter sumpti. Explico, & probo assertum. Etenim, qui, antequam delictum fiat, recipit, fovet, observat malefactorem, aut instrumenta illius, ex quo commodiùs, & liberius potest ipse maleficium exequi, est receptator illius formaliter, vt malefactor est, & influit efficaciter ad maleficium; & sic ad restitutionem tenetur, vt omnes asserunt. Ex

quo

quo fit, Magnates, & alios viros potentes, qui cùm videant suos famulos fidentes suæ protectioni, & potentiæ, plures injurias facere, nec impediunt, teneri ad illarum restitutionem. Uti docent Prado *cap.* 17. *q.* 6. *§.* 4 *n.* 35. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 12. *dub.* 2. *§.* 4. *n.* 2. Rebell. *lib.* 2. *q.* 14. *n.* 42. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 9. *n.* 7. Dicastill. *tract.* 2. *disp.* 4. *num.* 114. ¶ At verò ille, qui, post patratum delictum, occultat malefactorem, vel instrumenta illius, eum defendit, aut juvat ad fugiendum, non tenetur restituere: quia non influit in damnum: & quia sicuti ipsi malefactori licet fugere, & abscondere se; ita alijs ad hoc concurrere. Similiter, qui, antequam fiat delictum, furem, aut alium malefactorem recipit, non præbendo illi securitatem ad malè agendum, sed vel ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, vel alterius tituli, vel ratione officij, quo alios hospitio solet recipere, vt sunt stabularij, non tenetur aliquid restituere: quia solùm est materialis receptator furis, minimè influens ad eius maleficium: quæ est communis sententia. Undè diximus *tract.* 10. *de Censur. capit.* 4. *n.* 67. non incurrere excommunicationem bullæ cœnæ, qui modo dicto sunt receptatores hæreticorum, quia non eos, vt formaliter hæreticos recipiunt, aut defendunt.

Qui prædam latronis observant, tenentur restituere.

126 Illi verò, qui prædam à latrone factam recipiunt, aut observant, tenentur ad restitutionem sequentis damni, si fur per talem securitatem, & receptionem ad vlteriùs furandum excitatur: quia per injustam actionem sunt causa damni sequuti; si inde fur non moveatur, non sunt obnoxij restitutioni damni sequentis. Tenentur verò ratione rei acceptæ ipsam prædam vero domino restituere, si hoc absque magno incommodo possunt, nec poterunt eam latroni reddere. Si tamen, pensatis omnibus, non possunt absque gravi incommodo rem domino restituere, possunt eam in antiquo statu relinquere, latroni eam reddendo. Si, dato pretio, bona fide acceperunt eam à latrone, possunt rescindere contractum, & reddere ipsam latroni, vt suum pretium recipiant, vt diximus hoc *cap. n.* 83. Ubi etiam *n.* 83. diximus, probabile esse id facere posse, etiamsi mala fide à latrone rem venditam accipiant.

Qui participantes teneãtur restituere?

127 *Participans*: talis dicitur, qui quolibet alio modo præter enumeratos concurrit positivè ad maleficium, sive immediatè, cum executore cooperando (& sic est executor damni) sive mediatè, adjuvando executorem ad damnum inferendum. Et potest esse particeps, vel in re accepta, quamvis non participet in actione (vt qui rem furatam participat aliquid prædæ recipendo, aut consumendo; & tunc ratione rei acceptæ tenetur ad restitutionem illius partis, quam accipit, si eam apud se retineat: & si consumpta fuerit ab eo mala fide, pretium totius illius partis tenetur reddere: si bona fide, id duntaxat, in quo factus est ditior, vt diximus *punct.* 3. *huius capitis*) vel potest participare in ipsa actione causativa damni, & hoc bifariam; vel per actionem injustam, vel actionem justam, aut ex se indifferentè. Igitur participans, seu concurrens culpabiliter ad damnum physicè, vel moraliter, tenetur restituere, vel in totum, si ad totum concurrat, vel in partem, si solùm ad partem damni concursum præbeat: quia verè est causa efficax talis damni; quod omnes asserunt. Ut qui comitatur latronem, vt eum defendat: qui arma porrigit ad feriendum; ferrarij artifices, qui falsas claves efficiunt: qui vt explorator assistit, vt eum moneat; qui portas referat; qui terga defendit (*le guarda las espaldas*) servi vsurariorum, qui in vsuris deserviunt; qui rem furatam custodit, vel observat; qui rem emit à latrone, vndè alius ansam furandi sumit (si enim non essent, qui res furatas emerent, non essent tot fures in republica) qui vendit rem pro ipso latrone. Omnes hi sunt participes furti.

Qui actioni indifferenti ex justa causa concurrit ad damnũ, non tenetur restituere.

128 At qui per actionem indifferentem concurrit ad maleficium, si absque metu gravis damni, sed liberè participat cum malefactore, est obnoxius restitutioni, magis, vel minùs, arbitrio prudentum, secundùm quòd magis, aut minùs cum malefactore concurrit: quia sicut non liberatur à culpa, qui sciens, & volens cum latrone cooperatur, sic nec ab onere restituendi. At si metu gravis damni per actionem indifferentem concurrit ad maleficium, excusatur à culpa, & ab onere restitutionis: vel qui ex rationabili causa id facit; vti à culpa liberatur communiter à Doctoribus ancilla, quæ cibos parat, quibus domina sua frangit jejunium; lectum sternit, in quo adulterium commissuram novit. Ex quo fit, non teneri ad restitutionem christianos captos à turcis, qui in navibus turcarum ex metu compulsi contra christianos remigant (secùs verò, si voluntariè id faciant) quia opus ex se indifferens faciunt. At verò si ex mandato turcarum ignem bombardis applicent, sagittas mittant, pilas explodant, aut alio modo contra christianos militent; & peccant, & ad restitutionem tenentur: quia ad rem injustam, & per actionem pravam, ac injustam concurrunt. Lugo *disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 74. Prado *capit.* 17. *q.* 6. *n.* 36. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 7. *num.* 11. Bonacin. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 10. *à n.* 4. Rebell. *lib.* 2. *q.* 14. *n.* 50. Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 18. Sanch. *lib.* 1. *Sum. cap.* 7. *num.* 18. Dicastill. *tract.* 2. *disp.* 4. *n.* 122.

Aliqui non obnoxij restitutioni enumerantur.

129 Hinc fit, non teneri ad restitutionem, qui metu mortis, aut alterius damni similis observat instrumenta latronis, illius prædam asportat, vel abducit (vt moltoties agricolæ minis compulsi faciunt) scalam tenet, dum fur murum, vel fenestram ascendit; claves, vel instrumenta præbet, quibus fur confringit arcas: quia res ex se indifferentes faciunt, & ex gravi metu à culpa excusantur, & ab onere restitutionis. Idem dicendum est de eo, qui ex metu furem comitatur absque animo concurrendi ad furtum, vel homicidium, quamvis illum fur comitem adjungat animo vtendi illius opera ad maleficium, & ob id ad patrandum ille reddatur securior. At peccat, & tenetur restituere, qui, etiam metu gravi compulsus, arcas referat, res furatas per fenestram projcit: quia ad rem injustam per cooperationem injustam concurrit. Excusantur similiter, & à peccato, & à restitutionis onere ministri vsurariorum minùs principales, qui non exigunt vsuras, sed sunt famuli amanuenses, qui tantùm scribunt, deferunt pecunias, numerant, &c. quia ex rationabili causa, ne ejiciantur à domino, aut suum commodum perdant, id faciunt. Tapia *lib.* 5. *q.* 29. *artic.* 4. *num.* 5. Dicastillo *supr. n.* 397. Villalob. *n.* 11. Rebell. *num.* 54. Less. *n.* 29. & 30. Bonac. *n.* 8.

§. III.

De non loquente, non impediente, non manifestante, quomodo ad restitutionem teneantur?

Qui non clamat, impedit, aut manifestat, cùm ad id teneatur ex justitia, est restitutioni obnoxius.

130 ALij tres, qui negativè concurrunt ad damnum alterius, sunt *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*, de quibus modo agemus, postquàm egimus de cooperantibus positivè. Igitur qui sine justa causa, cum possit clamare, vt damnum avertatur, impedire illud, illudvè manifestare, quando ad hoc faciendum tenetur ex justitia; & non clamat, hoc est, reprehendit, rogat, consulit, mandat; non obstat, suum præbendo auxilium, & operam ad illud impediendum; & non manifestat maleficium, antequam damnum fiat, vel post factum, vt restituatur; tenetur restituere illud damnum, quod ex sua omissione sequitur: quia licèt negativè se habeat, indirectè, & interpretativè, voluntariè est causa talis damni, per omissionem eius, ad quod tenebatur ex justitia. Sic D. Thom. 2.2. *q.* 62. *art.* 7. & cum eo omnes. Quæ autem negligentia eorum in his malis impediendis sit necessaria, vt onus subeant restitutionis, diximus *hoc cap. punct.* 2. & diximus, *si absque justa causa*, quia multoties mala aliqua permittuntur in republica, ne deteriora inde proveniant.

Ponuntur in particulari, qui ex dicto titulo tenentur restituere.

131 Ex quo fit, teneri ad restitutionem omnes qui ex contractu, vel ex officio mala impedire tenentur, vt sunt Gubernatores, ministri publici, Medici, Chirurgi, Tutores, & Curatores, licet inviti coacti sint ad hoc munus: quia semel quocumque officio impositò, talis obligatio justitiæ proficiscitur. Nautæ, qui navium submersionem non impediunt, & omnes, qui ex officio positi sunt custodes boni communis, aut particularis. Patres-familiàs, quibus ex officio incumbit invigilare, ne damnum per vxorem, liberos sub sua potestate existentes, servos, animalia propria fiant. Principes, qui latrocinia, homicidia, & injusta monopolia non auferunt. Pastores, belli Duces, & quicumque alij, qui publicam potestatem habent, & damna suorum subditorum non avertunt, ad illorum restitutionem obligantur: quia ex contractu, & ex officio ad id ex justitia tenentur: nisi cum suo maiori, vel æquali damno in vita, honore, fama, aut rebus familiaribus id facere non possint: quia non censentur ea munera suscepisse tanto gravamine, & onere: gravia verò damna communitatis, præcipuè spiritualia, vt sunt hæreses, in Principem, vel rempublicam machinationes, scandala publica, etiam cum vitæ dispendio tenentur impedire: quia ad illa præcipuè avertenda, & impedienda assumuntur ad dignitates. Less. *lib.* 2. *dub.* 10. *num.* 70. Rebell. *quæst.* 14. *sect.* 8. *num.* 59. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 11. *num.* 5. & 6. Dicastil. *tract.* 2. *disp.* 4. *dub.* 8. *numer.* 132. & 141. Azor. 3. *part. libr.* 4. *capit.* 16. *quæst.* 2.

Qui ex justitia non tenetur clamare, impedire, manifestare, non tenetur restituere.

132 Illi verò, qui ex justitia non tenentur damna aliorum impedire (licèt contra charitatem gravitèr peccent, si cùm facilè possent clamare, opem ferre, manifestare, vt damnum avertatur, id omittunt) ad restitutionem non tenentur: quia nec tenentur ex re accepta, quam supponimus non esse apud illos: nec ex injusta actione, quia injusta actio, ex qua obligatio restitutionis oritur, debet esse contra justitiam. Undè qui extremè indigenti non succurreret, peccaret contra charitatem, non contra justitiam, & sic non teneretur ad damna mortis restituenda, si sequerentur. Nec ille, qui cùm videat hominem ab inimicis invadi, non succurrit, cùm posset de facili mortem illius impedire. Nec qui furtum facientem posset suis clamoribus deterrere, & ab injuria cœpta avertere. Sic D. Thom. *art.* 7. *ad* 3. Salon. & Aragon. *ibi*, Rebell. *n.* 57. Less. *n.* 64. Tapia *lib.* 5. *q.* 29. *art.* 5. *n.* 2. Lugo *disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 99. Dicastill. *n.* 129. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 7. *n.* 12. Nec obstat cap. *Sicut dignum, de homicidio*; vbi dicitur: *Qui potuit hominem liberare, & non liberavit, occidit*: nam ibi agitur de præsumpta voluntate, & favore præstito ad tale damnum; non de negatione sola subsidij; ibi enim dicitur: *Constat ab homicidij reatu immunem non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto crimini desinit obviare.*

Duplex extensio præcedentis doctrinæ.

133 Extenditur doctrina præcedentis numeri, primò ad casum, quo quis desinat obviare damno, etiamsi id ex pravo animo, & odio alterius procedat, vt tenet Lug. *n.* 100. Dicastill. *n.* 132. Rebell. *n.* 57. Bonac. *n.* 2. Villalob. *n.* 12. & ferè omnes. Non ob rationem, quæ communitèr circumfertur, quia videlicèt interior animus non inducit obligationem restitutionis, si opus externum ex se non obligat ad illam; nam oppositum *hoc cap. n.* 23. probavimus: sed quia non obstans, non clamans, non est causa, quæ positivè influat, sed imputativè, quatenus ob debitum justitiæ ad impediendum, imputatur ei damnum sequutum, ac si influeret positivè, quàmvis verè non influat: & sic, deficiente fundamento, quod est debitum ex justitia, deficit obligatio, ex quocumque motivo omittatur clamor, vel auxilium. ¶ Extenditur secundò ad casum, quo quis reciperet pecunias, aut munera à fure, vel alio malefactore, ne impediat, clamet, aut manifestet (supposito quòd res accepta non sit pars furti: nam si fuerit, ob rem acceptam tenetur eam partem domino reddere) etiamsi ob id latroni ingerat ad maleficium securitatem: nam si potest tacere absque injustitia sine pretio, cur non ob pretium acceptum? Nam quòd pecunia data animum addat furi; hoc etiam dici posset, quando illius precibus annuis, & promittis non eum manifestare absque pretio: in vtroque ergo casu non tenetur: quia illa maior animatio furis non oritur ex positivo influxu, sed ex ablatione terroris, quem excutere non tenetur; sicut absque injustitia potest metum non incutere, ex quo alius animosior reddatur, vt si dicat: *Non te prodam.* Si ergo sine pretio animus modo dicto additus non ponit obligationem restituendi, nec etiamsi cum illo addatur. Ita Soto *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 3. Navar. *in Manual. cap.* 17. *n.* 21. quos refert, & sequitur Diana 4. *p. tract.* 4. *resol.* 64. Villalob. *supr. n.* 12. Lugo *n.* 102. Dicastill. *n.* 137. An verò teneatur ipsam pecuniam acceptam furi reddere, si id, quod promisit, adimplet? Dicemus cum de pretio ob turpem causam recepto agemus.

Quid de servis videntibus è domo suorum dominorũ aliquid eripi, & non clamantibus, tenendum est?

134 Sed inquires primò, an servus alicuius domini videns alios servos, vel extraneos aliquid ex domo rapere, & tacens, teneatur restituere? Respondetur, quòd si extraneos domum ingredi videat ad furandum, & non contradicat, vel taceat, tenetur ad restitutionem damni ab illis causati: quia ex justitia ratione famulatus censetur obligari ad res domini ab injurijs exterorum tuendas, vt ferè omnes asserunt. Si verò ipsi fures

credita non sit cura illius rei, quæ rapitur, & videt à domesticis rapi, quamvis peccet tacendo, non tenetur ad restitutionem: quia tunc non tenetur ex justitia rem domini contra domesticos tueri. Si verò illi sit specilitèr credita cura illius rei, iam obligatus est ex justitia ad tuendam eam: & ideò tenetur restituere, si dissimulet, vel non contradicat furanti. Less. *lib. 3. cap. 13. dub. 10. num. 75.* Lugo *disp. 19. sect. 3. n. 105.* Dicastill. *tract. 2. disp. 4. dub. 8. n. 143.* Navar. *lib. 3. cap. 1. num. 124.* Sot. *lib. 4. q. 7. art. 3.* Bonac. *disp. 1. q. 2. punct. 11. n. 7.* Laym. *lib. 4. sect. 5. tract. 2. cap. 4. n. 7.* Dian. *3. p. tract. 6. resol. 58.*

Custodes agrorum, vinearum, &c. tenentur restituere damna ex sua negligentia sequuta.

135 Inquires secundò, an custodes agrorum, montium, vinearum, ad impediendum, ne sine gabellis res introducantur, aut vendantur, aut prohibitæ merces (vulgò *contravandos*) deferantur, teneantur ad restitutionem damnorum, quæ ex sua negligentia, aut dissimulatione proficiscuntur? Respondetur affirmativè, vt si non manifestent venatores, piscatores, defraudatores gabellarum, asportantes merces prohibitas, tenentur ad restitutionem damni, quod domini patiuntur: quia vi pacti, & officij ad talia damna impedienda obligantur. Quod est omnium sententia. Debet autem damnum esse magni momenti, & dominus justa ratione invitus. Undè si custos aliquid pauperi detrahere permittat, non tenebitur quidquam restituere: vel si ingrediens, aut defraudans talis esset conditionis, quòd probabilitèr judicaret, dominum daturum esse illi facultatem, si sciret, vel posteà ratum habiturum. Vel denique nisi ex consuetudine, aut patientia Principis scientis, & dissimulantis receptum esset, vt non tam severè, ac cum tanto onere munus suum obeant. Ut docet Rebell. & Dicast. *locis statim citandis.*

Custodes prædicti nó tenentur solvere pœnã, quã rei debebant luere, si manifestarentur ab eis.

136 An verò non solùm teneantur dicti custodes damna domino sequuta restituere, sed etiam pœnam, quam Rei, si à custodibus accusati fuissent, luerent? Affirmat prima sententia: quia censentur causa damni domino directo, vel arrendatario, qui jus habebat ad talem pœnam, inde provenientis. Rebell. *lib. 2. q. 16. n. 2.* Sot. *lib. 1. q. 6. artic. 6. in fin. 4. concl.* Villalob. *tom. 2. tract. 11. diff. 9. n. 3.* Petr. Navar. *lib. 3. cap. 4. n. 142.* ¶ Verior tamen est sententia negans: quia tales non tenentur ex justitia accusare reos, vt dominus, vel respublica ditetur mulctis; sed solùm impedire, ne damna sequantur, & vt vectigalia solvantur: quia eorum officium non est mulctas procurare, sed res suæ custodiæ creditas indemnes servare, vel vectigalia recipere. Maximè, quia tales pœnas non tenetur reus solvere, nisi post sententiam Iudicis: ergo ad illas non habet jus, nec dominus, nec arrendatarius ante talem sententiam: & ideò non facit illi injuriam custos non accusando, vt tales mulctæ sequantur. Ita Less. *lib. 2. cap. 13. dub. 10. n. 73.* Sylvest. *restit. 3. q. 5. §. 7.* Dicastill. *tractat. 2. disp. 4. dub. 8. n. 165.* Bonac. *disp. 1. q. 2. punct. 11. numer. 12.* Dian. *3. p. tract. 6. resol. 35.* Tanner. *2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 83.* Qui addit, publicos æstimatores rerum venalium non teneri solvere illam mulctam pecuniariam, quam solvissent Rei denuntiati, etiamsi eos denuntiare negligant. Infertur hinc, vectigalium custodes non teneri ad solutionem mercium, quas exactor vectigalium acquisijsset, si custos delinquentem accusaret; sed ad solutionem pretij, quod pro vehendis mercibus à mercatore esset solvendum.

Sententia asserens Confessarii non

137 Inquires tertiò, an Confessarius, quando sua ignorantia, crassa negligentia, aut malitia non admonet pœnitentem teneri ad restitutionem, qui restitueret, si moneretur; teneatur ipse talem restitutionem facere? Et quidem si per consilium positivè influat, dicendo illi non teneri restituere; quo motus consilio alius non restituat, qui restitueret, si non falsum consilium acciperet, nulli dubium est teneri, nisi revocet consilium modo dicto *n. 118.* Sed difficultas modo est, quando negativè se habet, non monendo, vel præcipiendo, vel cogendo ad restitutionem. Affirmat teneri prima sententia: quia illi ex officio incumbit onus docendi necessaria pœnitentem: & ideò, si taceat, ipsi imputatur damnum, quod alius subijt ex non apposita restitutione: sicut alij, quibus ex officio competit loqui, si omittant, censentur causa damni ex tali omissione sequuti. Sic Tapia *libr. 5. q. 29. art. 5. num. 6.* Villalob. *tract. 11. diffic. 7. num. 13.* Molin. *tom. 3. disp. 735. n. 4.* Sayr. *in Clav. Reg. lib. 10. tract. 2. capit. 14. num. 16.* Petr. Navar. *libr. 3. capit. 4. num. 125.* alius Navarr. *capit. 17. numer. 107.* & hoc verum est, secundùm hanc sententiam, sive sit Parochus, vel Episcopus, sive non: quia licèt illi, qui non est Parochus, ex officio non conveniat audire confessiones; semel tamen eo exercente officium Confessoris, ad onera Confessariorum tenetur.

monentem pœnitentem de obligatione restitutionis, debere restituere.

Verior est sententia negans teneri in dicto casu Confessarium restituere.

138 Verior autem est sententia negans talem obligationem Confessario: quia solùm ex officio ei incumbit bono spirituali pœnitentis attendere, non in bonis alterius temporalibus invigilare: ergo licèt peccet contra pœnitentem, quia suum officium circa illum indebitè exercet, non tamen peccat contra alium, cuius bonis temporalibus non tenetur attendere ex officio: ergo non tenetur illi restituere damna ex prætermissa restitutione provenientia. Reginald. *lib. 10. tractat. 2. numer. 42.* Lessius *dub. 10. numer. 78.* Suar. *de Pœnit. disput. 32. sect. 6. num. 9.* Bonacin. *disp. 1. quæst. 2. punct. 11. n. 13.* Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. punct. 3.* Sanch. *Sum. lib. 1. cap. 6. num. 5. & lib. 2. cap. 12. numer. 23.* & hoc verum est, etiamsi sit Parochus, aut Episcopus, qui ex officio tenentur confessiones audire: quia tale officium solùm obligat eos lege justitiæ, subditos in ordine ad spiritualia promovere.

§. IV.

De ordine servando inter cooperantes ad injustitiam; in ordine ad restitutionem.

Si vnus domino plenè satisfacit, alij non tenetur domino amplius reddere.

139 EXplicatis iam causis concurrentibus ad damnum, quæ restitutioni sunt obnoxiæ, restat illas inter se comparare, vt videamus, quæ primo loco teneatur, quæ secundo loco, & in defectum illius. In quo est certum, quòd si vnus ex concurrentibus totum damnum injuriam passo satisfacit, cæteri non tenentur ampliùs reddere injuriato, cum iam ei sit plenè satisfactum, vt docet D. Thom. *2. 2. q. 62. art. 7. ad 2.* & cum eo omnes. Alij verò refusionem ei facere tenentur, modo statim explicando. Et quia hæc materia est non parum confusa, & varietate opinionum redditur obscurior, omissis aliorum placitis, brevitèr, quod probabilius est in hac parte, aperiemus.

104 Et in primis asserendum est, quòd si plures ad eandem rem furandam concurrant, ille primo loco totam rem domino debet restituere, apud quem res ipsa invenitur, vel formalitèr, vel æqui-

Qui rem apud ſe habet, vel conſumpſit, primo loco tenetur reſtituere.

æquivalenter: quia videlicet, vel rem in propria ſpecie habet, vel conſumpſit: & ſic tenetur pretium rei reddere: & alij nihil tenentur reſtituere, niſi in defectum eius, quia videlicet, vel non vult, vel non poteſt reſtituere. Et ratio eſt, quia iſte tenetur ex re accepta, quando extat, quæ ſemper domino clamat: & ſi non extet, ex injuſta actione, ex qua ipſe ſolus percepit totum commodum, & vtilitatem, proindeque totum onus ſubijt reſtitutionis: vndè alij nihil ipſi reddere tenentur, quia detrimentum non eſt paſſus, cum vel rem integram habeat, vel ſecum eam ferendo, aliorum onus in ſe ſuſcepit: nec etiam vero domino, ſi per iſtum integrè ſatisfactum eſt illi. Dicaſtill. *lib.2.tract.2.diſp.4.dub.10.numer.219.* Lugo *diſp.19.n.119.* Tapia *lib.5.q.29.art.8.num.3.* Leſſ. *lib.2.cap.13.dub.4.num.41.* Villalob. *tract.11. diffic.10.n.4.* Si aliquis ex ſocijs aliquid reſtituat, is, ad quem res pervenit, debet illi refundere: quia non debet ex furto emolumentum accipere: & quia ipſe prior totum onus reſtitutionis in ſe acceperat. At verò ſi res furata ad poſſeſſorem bonæ fidei pervenit, ipſam, ſi extet, integrè tenetur vero domino reſtituere; & ſi non extet, id in quo factus eſt ditior: & ſi dato pretio eam accepit, actionem contra fures habet, qui rem totam eodem ordine, quo vero domino, illi reddere tenentur.

Principalis cauſa damni primo loco tenetur, & quæ ſit principalis cauſa?

141 Si autem, aut res ablata non extet, aut nihil ablatum ſit, ſed tantummodò damnum irrogatum; primo loco tenetur reſtituere, qui principalis eſt cauſa, & alij ſolùm in ſubſtitutionem eius: quo integrè reſtituente, nihil aliud tenentur cæteri reſtituere, vel ipſi, vel vero domino. Non domino: quia iam illi ſatisfactum eſt. Nec ipſi: quia, hoc ipſo quòd principaliter induxerit alios, videtur cedere juri ſuo: & alios velle ſervare indemnes. Div. Thom. *quæſt. 62. articul. 7. ad 2.* & ibi Caietan. & Bañez *dub.2.concl.3.* Rebell. *lib.2. q. 15. num.1.* Tapia *num.4.* Leſsius *numer.42.* Villalob. *num.5.* Qui benè addit, quòd ſi principalis cauſa reſtituat, & res apud alium inveniatur, vel in ſe, vel in pretio æquivalenti; huic, qui in jure domini ſucceſsit, reſtituenda eſt omninò: cum alius non poſsit eam retinere. ¶ Cauſa autem principalis, & primo loco obligata is eſt, qui, cum eſſet ſuperior, imperavit, & iuſsit fieri: vt ſi Dux imperet militi, vt incendat, occidat, furetur: vel qui alium minis, vi, fraudibus, aut convitijs ad maleficium coegit: quia hic injuſtè onus ſatisfactionis injecit alteri, & ſic primo loco totum illud in ſe ſuſcepit. Bonacin. *diſp.1.quæſt.8. punct.1. numer. 4.* Leſsius *lib.2.cap.13.dub.4.num.41.* Lugo *diſp.19.num.124.* Dicaſtill. *tract.2.diſp.4.dub.10. num.220.* ¶ Deinde tenetur, vt cauſa principalis, qui vel per mandatum, conſilium, aut alio modo induxit alium, vt ſuo nomine damnum faceret, vel in ſui gratiam, & commodum: quia, hoc ipſo quòd in ſui gratiam maleficium fieri voluit, totum onus reſtitutionis in ſe ſuſcepit. Et ideò ſi alij minùs principales reſtituant, illis refundere debet.

Exequutor inter cauſas principales numeratur.

142 Ultimo loco inter cauſas principales tenetur exequutor. Undè ipſe priùs tenetur, quàm qui comitatur, arma tribuit, roboravit, &c. Poſt ipſum tenentur, qui conſilium dederunt, laudaverunt, &c. Et ratio eſt, quia exequutor (præter illum, qui imperavit, coegit, aut ſuo nomine fieri induxit) eſt principalis cauſa; reliqui quaſi cauſæ acceſſoriæ illi, qnia quod faciunt, cauſa illius operantur, vt inſtruant, roborent, auxilientur. Undè, ſi exequutor reſtituat, reliquæ cauſæ nihil domino reſtituere, tenentur, quia ſolùm ad id obligantur in defectum cauſæ primariæ. Imò nec ipſi quidquam refundere tenentur: quia licèt induxerint ad malum, hoc abſque vi, & fraude fecerunt: nec cauſa, vel gratia eorum factum eſt maleficium; ſed in gratiam ipſius malefactoris, qui, ſicut liberè exequutus eſt injuſtitiam ſuo nomine, & in ſui gratiam, in ſe ſuſcipere voluit onus ſatisfaciendi. Leſſ. *lib.2.cap.13.dub.5.num.45.* Lugo *diſp.19.ſect.4.numer.125.*

Quomodò cauſæ ſecundariæ in defectu principalis teneantur?

143 Exequutore ipſo, vel alia cauſa principali non valente, ſeu non volente reſtituere, tenentur reliquæ cauſæ ſecundariæ poſitivæ reſtituere, vt conſultor, adulator, conſenſum, vel recurſum præbens, & participans. Et ſi iſti ſolvant, cauſa principalis totum tenetur illis refundere. Quando verò plures cauſæ, vel æquè principales, vel æquè ſecundariæ ad totum damnum concurrunt, ſingulæ magis, vel minùs tenentur, ſecundùm quod influxerunt, & commodum reportarunt: & ſi ſocij non reſtituant, quilibet ex modo dicto concurrentibus tenetur inſolidum. D. Thom. *art.6.ad 3.* & *art.7.ad 2.* Sed alij, qui in eodem gradu erant cauſæ, eis reſtituentibus tenentur refundere eam partem, quam ipſi domino debebant reddere: quia ſuccedunt, vt fidejuſſores ſatisfacientes pro alijs, in totum jus creditoris: aliàs eſſent deterioris conditionis, qui citiùs converterentur; & ob id pro toto damno ſatisfecerunt, quàm illi, qui indurati in ſua malitia amplius perſeverarunt; & iſti ex malitia commodum reportarent, ſi ob ſolutionem opportunam aliorum, ipſi, qui in mora erant, ab onere reſtitutionis liberarentur.

Inter cauſas ſecundarias poſitivas nō datur ordo.

144 Sed inquires primò, an inter ipſas cauſas poſitivas, quæ poſt exequutorem tenentur, aliquis ordo in reſtituendo ſit obſervandus? Ut inter conſultorem, conſentientem, adulantem, communicantem, receptatorem, ſubminiſtrantem? Reſpondetur non inveniri illum ordinem, quem inter principalem, & ſecundarias cauſas intercedere diximus, ſed omnes æquè primò teneri, plus, minuſvè ſecundùm influxum, quem præſtiterunt, & in defectum principalis, niſi vna media alia, & vt inſtrumentum eius influat, vt ſi aliquis moveret adulatorem, & receptatorem, quia tunc ille priori loco teneretur. Cæterùm ſi omnes iſtæ cauſæ ſecundariæ ſolùm influant, vt tales, in exequutorem, eum in ſuo genere movendo ad maleficium, in defectum illius æqualiter tenentur, quia omnes ſunt quaſi cauſæ acceſſoriæ illius: illo verò nolente, vel non potente reſtituere, ſinguli tenentur ſecundùm influxum, quem præſtiterunt maiorem, vel minorem, ſuam partem domino reddere: & ſi alij non poſsint, aut nolint, ſinguli inſolidum tenentur reſtituere, ſi ad totum damnum influxère, modo *§. ſequenti* explicando. Et ſi aliquis ex illis rem in integrum reſtituat, reliqui illi ſuam partem refundere tenentur, vt dictum eſt. Ita Leſsius *libr. 2. capit. 13. dub. 7. num. 49.* Lugo *diſput.19.numer.130.* Molina *diſput.737. numer. 40.* Vazquez *de Reſtitution. §. 1. dub. 3. num.58.*

De ordine, & loco, quo tenetur cauſæ privativæ.

145 Inquires ſecundò, quo loco, & ordine teneantur cauſæ privativæ? Reſpondetur, quòd ſi, te clamante, impediente, vel manifeſtante, maleficium non ſequeretur, teneris inſolidum totum damnum reſtituere in defectum aliarum cauſarum poſitivarum; & ideò poſt omnes cauſas

sas positivas: quia sicut positiva causa potior est in influxu, quàm negativa, ita priorem locum debet in restitutione habere. Ita Lugo *disp.19.sect.4.num.* 133.Less.*lib.2.cap.23.n.* 81. Vazq. *de Restitutione, cap.9.§.3.dub.vlt.n.9.* Positivis verò non valentibus restituere,talis ordo inter negativas servandus est: vt primo loco teneatur superior, qui non impedit: quia eius negligentia censetur primaria causa damni, sicut est in illo principalis potestas impediendi: secundò,custos rei: tertiò, testis, qui requisitus juridicè celat veritatem: quartò, qui negligit monere, & consilium bonum, ad quod tenetur ex justitia, dare. Lugo *n.*135.Less.*n.*80.Limitantes hoc ad casum, quo omnes illæ æquè propinquè ad damnum influerent; vt si tam Magistratui, & Æconomo, quàm custodi immediatè attendere incumberet, ne fierent furta,vel delicta: secùs verò si Magistratui, vel Æconomo mediatè, & solùm curare deberent, vt custodes benè se gererent, & suo debito satisfacerent: quia tunc primo loco custodes negligentes tenerentur, postmodùm Æconomus, & Magistratus.

§. V.

Quomodo omnes prædictæ causæ teneantur in solidum restituere?

Quid certũ sit in hac materia?

146 HÆc gravissima est difficultas, & multùm ad praxim necessaria, quæ præcipuè procedit, quando plures causæ concurrunt ad idem damnum faciendum: an singulæ insolidum totum teneantur restituere? Et non loquimur de his, qui simul ad eandem prædam participandam concurrunt, postquàm facta est, vt si quis invitetur ad eandem cœnam furtivam post furtum perpetratum: tunc enim certum est solùm teneri ad restitutionem partis prædæ, quæ illi contingit, etiamsi alij non restituant suam partem. Quamvis locum possit habere difficultas in pluribus causis cuiusvis generis ad idem damnum concurrentibus, vt in pluribus mandantibus idem furtum, vel homicidium: in pluribus consulentibus, palpantibus, vel tacentibus, aut non obstantibus: quia tamen frequentior est casus, quo plures causæ exequentes concurrunt ad idem damnum, de istis loquimur; & quod dictum fuerit de illis, proportione servata, cæteris est applicandum. ¶ Cæterùm si plures causæ cuiuscumque ordinis partialiter duntaxat ad idem maleficium concurrant, partialitate causæ, & effectus, certum est singulas non teneri insolidum ad totum damnum, sed ad partem, cuius fuerunt causæ: vt si plures intrent eandem vineam devastandam, alij aliorum inscij, singuli solùm ad partem tenentur damni, cuius causæ fuerunt: & si mandes servo, vt furetur decem, & ipse centum furetur, & his similia, vt diximus *num.* 108. ¶ Imò etiamsi omnes simul ad totum damnum concurrant, solùm tenetur vnusquisque per se ad partem damni maiorem, vel minorem, secundùm quod magis, vel minùs influit; vt si tres ad furtum valoris triginta aureorum æqualiter concurrant, singuli solùm tenentur per se ad restituendos decem aureos: & si vnus totum restituat, alij tenetur illi refundere eam partem, quam per se domino tenebantur reddere. Quæstio igitur est, an teneantur singuli insolidum in defectum alterius; nimirum in exemplo posito, an tenearis ad restitutionem triginta aureorum, casu quo alij duo tecum concurrentes,vel non possint,vel nolint suam partem restituere?

Quãdo plures ad divisibile damnum cõcursum præbuerunt,non tenentur insolidum.

147 Circa quam difficultatem dicendum est primò, quòd si plures ex mutuo consensu, consilio, & conspiratione, sine eo quòd vnus alterius sit motor principalis, sed omnes communi consilio ad damnum aliquod non individuum, sed diversum concurrerunt, non tenentur nisi ad partem damni, quam vnusquisque fecit, etiam alio non restituente: v.g. plures simul eandem vineam ingressi, singuli suam partem vineæ devastaverunt: plures simul ex eodem thesauro, singuli decem aureos abstulerunt; non tenentur singuli ad totum ablatum ab omnibus, sed ad id, quod vnusquisque accepit. Si autem vnus fuerit eorum motor, qui omnes incitavit ad actum, iste primo loco in solidum tenetur, & alij ad suam partem in defectum illius, vt in exemplo illo de militibus in bello injusto pugnantibus, & civitatem invadentibus: tunc enim Princeps, & Consiliarij tenentur ad tota damna belli, speciales Duces,ac Tribuni ad ea damna, quæ sui milites, ipsis jubentibus, inferunt: milites verò gregarij in defectum illorum, tenentur ad eam partem damni resarciendam, cuius immediatæ causæ fuerunt: vt si hanc domum incenderunt, hunc hominem occiderunt. Circa hanc materiam ita divisos Authores reperies, vt difficilè sit eos ad concordiam reducere. Sed in hoc nostro asserto, prout jacet, videntur convenire Paludanus *in* 4.*dist.*15.*quæst.*2.*art.*5. *num.*30.Bonac. *disp.*1.*q.*2.*punct.*10.*n.*13.Azor. 3.*p.lib.*4.*cap.*19.*q.* 2.Dicastill.*lib.*2.*tract.*2.*disp.*4.*n.*36. Lugo *disp.* 19. *sect.*2.*à n.*99.Villalob.*tract.*11.*diffic.*10. *n.*3. & 8. Molin.*disp.*734.*n.*2.Less.*lib.*2.*cap.*13. *n.*36.Sylvest. *Restitut.*3.*q.*6.§.4.Navar.*cap.*17.*num.*21. Fr. Ioan. Martin.de Prado *cap.*17.*q.*6.*n.*31.Dian. 3.*p. tract.* 5.*ref.*86.& 6.*p.tract.*4.*ref.*31. & licèt aliqui ex his, & alijs,quos omittimus,videantur in aliquo non convenire nobiscum,reipsa, quod diximus,videntur amplecti.

Principalis motor tenetur ad totũ damnum insolidum.

148 Quod autem Dux, & principalis motor, qui alios congregat, & ad maleficium incitat, primo loco in solidum teneatur restituere, est certissimum: quia ipse est causa totalis damni, moralis quidem, & mediata, quia per modum vnius omnes alias applicat ad effectum: & ideò, quod singuli partialiter faciunt, ipse cum illis facit, cæterique sunt quasi instrumenta illius. At verò quòd alij, qui concurrunt ad maleficium simul, solùm teneantur ad damnum, quod vnusquisque intulit, si damnum sit divisibile, & diversum, vt in exemplis adductis, probatur: quia tunc vnusquisque solùm est causa partialis damni, non solùm partialitate ex parte effectus, sed partialitate ex parte causæ: quia licèt omnes ad eandem actionem influant; non est à singulis tota, sed secundum diversam partem illius ab eis causatur: solùm enim concurrunt ad totum damnum, faciendo suam partem, non autem procurando, incitando, aut movendo, quod alij suam faciant. Undè sicut totus exercitus est causa totius damni, singulæ causæ solùm sunt illius causæ partiales: solùm ergo ad partem tenentur, non insolidum, id est, ad totum, in aliorum defectum.

149 Maior difficultas est, quando plures ad idem damnum individuum concurrunt, nimirùm ad eandem domum incendendam, ad eundem homi-

Sententia aſſerens numquam inſolidum partialiter concurrentes teneri reſtituere.

hominem occidendum, ad eandem navem trahendam, ad eundem gregem abigendum, ad eundem viatorem ſpoliandum, in ordine ad eandem electionem indigni ſuffragium ferendum; an omnes in defectum aliorum teneantur inſolidum reſtituere? Prima ſententia aſſerit, quòd ſi omnes, vt ſocij æqualiter concurrunt, nec eorum aliquis eſt cauſa principalis, neminem in ſolidum ad totum teneri, ſed ad partem, quæ ſibi contingit, vel cuius cauſa fuit, etiamſi ſint talis conditionis, vt ſine qualibet damnum non fieret, vt in ferentibus ſuffragia ad eandem electionem, & quando plures conſilium ferunt ad idem opus injuſtum, etiamſi conſilium aliorum efficax non eſſet ad effectum, ſine conſilio iſtius. Et probatur primò, quia licèt omnes ad totum effectum concurrant, ſemper tamen concurrunt, vt cauſæ partiales ad totum effectum producendum: non enim quælibet earum nunc de facto totum effectum producit abſque conſortio alterius; ſed vtraque præbens ſuum concurſum partialem ad totum effectum concurrit: vt bini portantes lapidem, vterque ad totam portationem concurrit, vt cauſa quidem partialis: ergo non debet illis totum damnum productum imputari ad reſtitutionem: quia obligatio reſtitutionis ſemper eſt juxta tantitatem cauſalitatis. ¶ Secundò, quia quando plures vnam navem trahunt, quam vnus trahere non poteſt, non ſunt ſinguli totalis cauſa attractionis navis, nec ſingulis debetur integra merces, quæ danda eſt pro tractione navis, ſed debent illam inter ſe dividere: ergo pari modo, ſi, cum proſunt, non debetur ſingulis integrum præmium; neque, cum obſunt, debebunt ſinguli integrum damnum. Ita Henriq. Stroverſdorf, *tract. de Iuſt. & jur. q. 26. art. 8. diſp. 4. concl. 2.* quem refert, & non impugnat Dian. *4. p. tract. 4. reſ. 79.* tenet ferè idipſum Quintanadueñ. *tom. 2. tract. 3. ad Eccleſiæ præceptum, ſingul. 20.* referens Ioan. Henriq. & Eſcobar.

Sententia Navarri, Lugo, & aliorum.

150 Secunda ſententia huic affinis aſſerit, quòd licèt vnus ſimul cum alijs ad totum damnum concurrat; at ſi damnum eodem modo eſſet illatum ab alijs, etiamſi ille cum ipſis non concurreret, non tenetur ad reſtitutionem inſolidum, niſi ad partem maiorem, vel minorem, ſecundùm quòd maiorem, vel minorem influxum præbuit: vt ſi duo lethaliter hominem vulnerarent ſimul, ſi duo ſimul ad eundem ſpoliandum concurrerent, quorum ſinguli id efficerent, etiamſi alius ſuum concurſum non præſtaret, tunc, dicit, iſtum non teneri ad totum damnum inſolidum: quia verè cauſa partialis eſt, non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter, illa, quæ taliter concurrit, vt abſque ea totus effectus ab alia concauſa produceretur: ergo ſicut ſi ad partem damni ſolùm concurreret, v. g. ad furtum 10. ſolùm hanc partem teneretur reſtituere, vt omnes aſſerunt; ſic ſi ſolùm partialiter phyſicè, & moraliter influit in totum damnum, partialiter ille effectus illi tribuitur. Ita Navarr. *cap. 17. n. 17. & 21.* Sylveſt. *reſtit. 3. q. 6.* Angelus verb. *Furtum, §. 16.* apud Lugo *diſp. 19. numer. 79.*

Communis, & vera ſententia ampletenda.

151 Communis tamen, & vera ſententia dicit, quòd ſi plures ſimul ad idem damnum individuum concurrant, omnes inſolidum tenentur, etiamſi abſque illis fieret effectus eodem modo, vt in pluribus concurrentibus ex communi conſilio ad homicidium, furtum, ſuffragium injuſtum ferendum: quia licèt phyſicè à ſingulis partialiter fortè cauſetur effectus: moraliter tamen totus à quolibet procedit: vt quando adeſt mutuum auxilium, aut conſilium ad furtum, vel aliud maleficium; tunc enim ſingulæ cauſæ partiales moraliter æquivalent pluribus totalibus, & quaſi vna manu ad idem opus indiviſibiliter concurrunt. Unde illis totum damnum imputatur, tenenturque ſingulæ partialiter ad reſtitutionem concurrere; ſed, ſi aliæ deficiant, totaliter. Sic Soto *lib. 4. quæſt. 7. artic. 3.* Tapia *lib. 5. quæſt. 29. artic. 8. num. 1.* Bonac. *diſp. 1. q. 2. punct. 1. num. 10. & 16.* Villalob. *tract. 11. diffic. 10. n. 1.* Sanch. *lib. 7. Summæ, cap. 21. n. 19.* Trullench. *lib. 7. Decalog. capit. 5. dub. 4. numer. 7.* Fagundez *lib. 7. cap. 14. num. 1.* Leſius *libr. 2. cap. 19. dub. 9.* Prado *cap. 17. quæſt. 9. num. 28.* Bañ. & Caietan. *2. 2. q. 62. art. 7.* & habetur in jure civili, leg. *Ita vulneratus, §. Finali, ff.* ad legem *Aquil.* leg. *Vulgaris, ff. de Furtis.*

Quid in dubio an participes reſtituerint, faciendum ſit?

152 Sed inquires, an ſi neſcias, vel dubites, vtrùm principalis reſtitutionem exhibuerit, tu tenearis ſtatim reſtituere, qui ſolùm in defectum illius es obligatus? Et idem dicimus, quando plures concurrunt ad idem damnum, & vnus ad confeſsionem accedit ignorans, an alij ſocij ſuam partem redierint, vel certè de hoc dubitans; tenebiturne Confeſſarius illi præcipere, vt inſolidum reſtituat? an ſufficiat jubere, vt ſuam partem reddat, quoties de non ſolutione alterius non conſtiterit? Caſus eſt in confeſsione paſsim occurrens, & neminem vidimus illum proponentem; ideò conformiter ad dicta aſſerimus, quòd ſi neſciat, an alius, qui priùs tenebatur, vel ad totum, vel ad partem, reſtituerit, non tenetur ipſe totam ſatisfactionem exhibere, aut partem, quæ incumbit alteri: quia præſumere debet alium ſuæ conſcientiæ ſatisfeciſſe: quia malum non eſt præſumendum: &, niſi conſtet de malitia alterius, ipſe judicare poteſt alium ſecundùm ſibi debitum ſatisfeciſſe; & ſolùm debet attendere, id, quod ſibi incumbit, apponere. At ſi dubitet, an alius ſatisfecerit, tenetur diligentiam adhibere ad inquirendam veritatem; ſed adhuc perſeverante dubio, poteſt ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, reſtituendo illam partem, quam debebat, ſi conſors fuit maleficij. Quia ipſe non tenetur ad aliam partem, niſi in defectum alterius: quare ſi dubium ſit de tali defectu, dubium conſequenter eſt de tali obligatione; & ſic, cum non poſsideat obligatio, poſsidet ſua libertas de immunitate illius, & tenet axioma, quòd in pari dubio melior eſt conditio poſsidentis. Maximè, quia in dubio non eſt alterius peccatum præſumendum; vnde, niſi conſtet alium, vel non reſtituiſſe, vel non habere voluntatem, aut poteſtatem reſtituendi, qui eſt quaſi ſubſtitutus illius, vt minùs principalis in defectum principalis; vel qui eſt ſocius damni in defectum alterius ſocij, non tenetur partem illius exhibere.

PUNCTUM VI.

Utrùm ex acceptione ob turpem cauſam obligatio reſtituendi proficiſcatur?

Nemo obligatur turpe pactum implere, nec ſolvere promiſſum, ſi

153 CErtum eſt, non obligare quamcumque promiſsionem, vel pactum ob turpem cauſam initum, antequam factum ipſum pravum ſequatur, ſed tam jure naturæ, quàm poſitivo eſſe irrita, & nulla quæcumque pacta, etiam juramen-

alius nō impleat conditionem.

mento firmata, quæ ob turpem causam fiunt, sive in materia injustitiæ, vel cuiuscumque alterius vitij: quia talis promissio ad malum provocat, & ideò nec promissio obligat: imò impleri non potest, tametsi juramento firmetur: *Nam temerè juratur, & impiè, quod juratur, impletur*, vt dixit D. August. *serm.* 10. *in novis sermonibus*, loquendo de impio juramento Herodis facto puellæ saltatrici. ¶ Similitèr est certum, quòd si alicui ob turpem actum aliquid detur, tenetur illud danti restituere, si actus ipse pravus non impleatur: vt si ob hominis cædem recipias centum aureos, eos danti teneris reddere, ipso homicidio non sequuto: & idem in alijs vitijs, cùm ex parte tua non impleatur pactum, ratione cuius accepisti pretium. Igitur difficultas præsens est, quando ipsum maleficium impletur, ob quod pretiū recipitur, an istud possit malefactor tuta conscientia retinere? Ut si ob falsum testimonium, ob fornicationem, homicidium, injustam sententiam, pretium recipiatur.

Tenetur solvere pretiū pro opere illicito, qui promisit.

154 Sit generalis regula, quòd attento jure naturæ (quidquid sit de jure positivo in aliquibus casibus particularibus, de quo *punct. sequent.* erit sermo) perpetrato opere illicito (vt homicidio, sacrilegio, maleficio, seu incantatione, &c.) de quo patrando initus erat contractus, vel promissio, tenetur promittens solvere pretium, & recipiens non tenetur ad restitutionem talis pretij (de hoc enim loquimur hoc Puncto, & sequentibus; nam damnum illatum per talem actum nulli dubium est, tam promittentem, quàm exequentem teniri restituere ordine, & modo *punct. præced.* explicato.) Probatur: tùm, quia sicut alter in contractu oneroso implevit, quod promiserat (vt si laboret in die festo, ob quem laborem ei stipendium promissum) par est, vt alius quod promiserat, solvat. Tùm etiam, quia omnis promissio implenda est, cum licitè potest impleri; sed, supposito opere alterius illicito, potest licitè impleri promissio, licèt non ante illud: ergo, &c. Tùm denique, quia res illicita est pretio æstimabilis ratione laboris, & periculi, cui se exponit exequens promissionē, & ratione voluptatis, & delectationis eius, qui rem illicitam fieri curavit. Est communis sententia Doctorum, vt ex dicendis constabit.

Duplex objectio proponitur.

155 Et si objicias primò, quod si quis daret pecuniam Iudici, vt justam sententiam proferat, & testi, vt verum testimonium exhibeat, teneretur vterque ad restitutionem talis pecuniæ, vt dicemus *punct.* 8. ergo multò magis, quando datur, vt injustam sententiam proferat, vel falsum testimonium dicat, & similitèr, quæ propter cætera peccata dantur, erunt obnoxia restitutioni. Probatur consequentia: quia gravius est peccatum pecuniam recipere ob injustitiam, quàm ob justitiam faciendam. ¶ Secundò, quia ideò pecunia data ob mutuum est obnoxia restitutioni, vt patet in vsuris: quia vsus ipsius pecuniæ non est maiori pretio æstimabilis, quàm ipsa pecunia: & ideò quidquid datur vltra sortem, quasi in pretium datur propter id quod nullum meretur, & sic debet restitui; sed quodlibet peccatum ob suam vilitatem nullo est pretio æstimabile: ergo quidquid datur propter illud, erit restituendū. ¶ Tertiò, ideò id quod simoniacè datur est obnoxium restitutioni: quia tam datio, quàm acceptio est contra legem, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 2. sed etiam quando aliquid datur ob homicidium, injustitiam, turpitudinem, tam datio, quàm acceptio est contra legem: ergo erit restitutioni obnoxium.

Solvuntur præcedentes objectiones.

156 Respondetur ad primam objectionem, concesso antecedenti, negando consequentiam: quia in primo casu datur in pretium eius, quod est debitum ex justitia, quod est injustum: quia est rem propriam alicui debitam vendere. In nostro autem casu, cum non sit debita danti pretium turpis actio, non est injusta talis acceptio ex hac parte, & sic non est paritas. ¶ Ad secundam dicimus, quod quando datur pretium ob aliquod peccatum, non datur ob ipsum peccatum formalitèr acceptum, quo modo nullo pretio est dignum: sed ob materiale peccati, quod potèst afferre commoditatem, convenientiam, delectationem danti, & periculum, aut incommodum recipiendi, quæ sunt pretio æstimabilia, sicut si nulla essent lege prohibita talia peccata. ¶ Ad tertiam dicimus, data simoniacè restituenda esse: quia talis datio, & receptio est contra legem inhabilem reddentem recipientem ad recipiendum tale donum, & consequentèr dantem ad transferendum dominium; sed non debet talis pecunia simoniacè data, ipsi danti restitui, sed in pios vsus converti, vt docet S. Doct. *loc. cit.* In nostro autem casu datio, & acceptio non sunt contra legem irritantem illas.

Qui meretrici promisit pretium turpitudinis, tenetur solvere.

157 Ex tradita regula generali infertur, meretrices pro vsu sui corporis posse licitè, & validè pretium recipere, illudque retinere; & eum qui tale pretium promisit, teneri in conscientia ipsis reddere, actu turpi sequuto, imò in foro exteriori ad solvendum cogeretur, Leg. *Idem si ob stuprum. ff. de Condiction. ob turpem causam*, ibi: *Meretrix enim turpitèr facit, quòd sit meretrix; non tamen turpitèr accipit, cùm sit meretrix.* Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 2. *& in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. ibi: *Si autem lex prohibuit actum, ex quo lucratur, sed non lucrum, supposito actu, tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit: tamen retinendo non facit contra legem, sicut cum quis de lenocinio, vel meretricio lucratur, & ideò hæc retineri possunt.* Probatur primò, quia vbi non est lex, non est prævaricatio; sed non datur lex prohibens lucrum ex actu meretricio: quia lex divina prohibet quidem fornicationem, non verò pro illo actu lucrum: ergo licèt ante redditum corpus non debeat reddi pretium pomissum, nec perfici contractus, qui sine peccato fieri non potest, ipso tamen reddito corpore, quomodo est contractus perfectus, debet reddi pretium à promittente oblatum. ¶ Secundò, quia licèt peccata ratione culpæ non sint pretio æstimabilia, ratione tamen consensus illius, qui suas locat operas, rationeque voluptatis illius, qui conducit, possunt mercede, & pretio redimi, & sic mulier, quæ sui corporis copiam facit, recipere potest pretium pro voluptate, quam vir capit ex ea. ¶ Tertiò, quia si fœmina consentiat cum viro in turpem actum, ea conditione, vt vir postea ducat eam in vxorem, poterit fœmina postea à viro petere, vt adimpleat promissum: ergo multò magis quando aliud pretium pollicetur. Ita, præter Div. Thomam, tenet Soto *libr.* 4. *Iustitiæ, quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 2. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 30. *art.* 6. *num.* 7. Bañez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *dub.* 5. *conclus.* 1. Prado *tom.* 2. *capit.* 27. *quæst.* 5. *§.* 1. *num.* 3. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 16. *numer.* 8. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *numer.* 2. Lugo *disp.* 8. *sect.* 3. *num.* 45. Dicastill. *tract.* 2. *disp.* 7. *dub.* 1. Rebellus 2. *p. lib.* 8. *quæst.* 19. *num.* 4. & est communis. ¶ Quamvis contra hanc communem sententiam. sentiant aliqui, quos refert Diana 2. *p. tract.* 2. *miscel. resol.* 38. quod ipse probabile reputat, & sic dicit:

Cum

Cùm hæc sententia sit probabilis, non erit neganda absolutio, si aliquis rem haberet cum meretrice, & postea nollet solvere mercedem consuetam, etiamsi eam dare promiserit.

Idem respectu aliarum fœminarum est tenendum.

158 Quæ diximus præcedenti numero, potiori jure locum habent in alijs fœminis, quæ meretrices non sunt publicæ, sed vel vxoratæ, viduæ honestæ famæ, virgines, vel etiam moniales, quòd pro vsu nefario sui corporis possunt pretium recipere: quia nullæ earum huius pretij incapaces sunt jure divino, aut humano. Imò justius alijs: quia pluris sunt æstimandæ, ob maiorem honestatem; sed cum hoc discrimine, quòd meretrici datur in judicio actio petendi præmium: quia ipsis ex lege decreta sunt pretia; alijs denegatur talis actio, & arcentur à judicio; & non solùm arcentur, sed in pœnam sui criminis privantur acquisito pretio, quod jure naturæ debetur illis ante condemnationem. Ita Sot. *supr. §. Matius autem*, Villalob. Lugo, Tap. Prado, & Trullench. *lib. 7. cap. 14. n. 8.*

Si fraudibus meretrix ab amasio extorqueat, tenetur illud restituere.

159 Sed doctrinæ duorum numerorum præcedentium datur duplex limitatio. Prima, quam ponit D. Thomas *q. 62. art. 5. ad 7. Quòd si superfluè aliquid per dolum, aut fraudem extorsisset, tenetur eidem restituere.* Itaque si gratiosè, & liberalitèr aliquid supra pretium debitum fœmina impudica ab amasio acceperit, potente illud dare, potest ipsum retinere. Si autem simulatis verbis, aut factis aliquid extorquet vltra justum pretium, totum tenetur restituere: quia involuntariè censetur datum: vt si fingeret se virginem, aut nobilem illa, quæ vilis, aut corrupta erat: si dolosis actionibus, aut fraudibus virum decipit, quod vsitatissimum est apud illas. Et addit Caietanus 2. 2. *quæst. 32. art. 7. §. Ad hoc dicitur*, quòd donationes extortæ à meretricibus blanditijs, & illecebris, non sunt validæ, quia non proficiscuntur ex libera omninò voluntate. Quod meritò reprobat Prado *suprà numer. 25.* ex Soto *lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad 2. §. Adjecit*, Lugo *disp. 18. numer. 45.* Dicastill. *disp. 2. tract. 6. num. 22.* Petrus Navarr. *lib. 4. cap. 2. numer. 125.* Quia voluptas, delectatio, aut concupiscentia non tollunt, nec minuunt libertatem, vt docet D. Thomas 1. 2. *q. 6. art. 7.* ergo quod illecebris allectus amasius dedit, non involuntariè donavit. Addunt prædicti Auctores, quòd si meretrix falsò dicat deperditè illum amare, aut facetijs, & illectamentis quidpiam per fraudem extorqueat, non est obligata ad illud restituendum, quoniam probè omnes agnoscunt illas esse frequentes technas meretricum: & sibi vnusquisque imputare debet, quòd facilè se sinat mendacijs solitis decipi.

Meretrix recipiens pretium à non potente dare, tenetur restituere.

160 Secunda limitatio est, quando pretium turpitudinis recipit mulier à non potente illud dari, vt à filio-familiàs, à minori, à servo. Sed difficultas est, an fœminæ teneantur restituere pretium ob turpem vsum corporis à Religiosis receptum? Negat prima sententia, quando Religiosus habet licentiam à suo Superiore disponendi de aliquibus bonis ab ipso quæsitis, vel à Superiore concessis ad suam licitam recreationem: quia in tali casu (inquit hæc sententia) expendendo ea in vsus turpes, licèt in modo alienandi agat contra voluntatem Superioris, non tamen ipsa alienatio secundum se ita est contra voluntatem illius, vt irritam esse velit. Ita Bañez *q. 62. art. 5. dub. 5. §. Advertendum*, Petrus de Ledesma *de Statu Religioso, cap. 4. diffic. 4. fol. 51.* Ioan. à Cruce *lib. 1. de Statu Religioso, capit. 3. dub. 1. concl. 2.* Thom. Hurtad. *tract. 8. cap. 8. resol. 87.* Lug. *disp. 3. sect. 7. n. 142.* Rebell. *part. 2. lib. 12. q. 4. sect. 2. n. 6.* Pellizar. *in Manual. Regul. tract. 4. cap. 2. sect. 4. subsect. 3. quæst. 3. & quæst. 21.* Machad. *tom. 2. lib. 5. part. 2. tract. 1. docum. 11. num. 3.* Dian. *3. part. tract. 2. res. 65. & resol. 98. & 7. part. tract. 11. res. 22. & 10. part. tract. 14. res. 2.*

Fœminæ à Religiosis ob turpitudinem aliquid recipientes, tenentur restituere.

161 Verius tamen dicendum est, esse nullam tamen donationem, & teneri mulierem restituere pretium receptum Monasterio: quia Religiosus absque licentia tacita, vel expressa Superioris, aut Monasterij, nihil alienare potest: sed nec Superior, aut Monasterium potest illi licentiam concedere ad expendendas pecunias, & alia bona in turpes vsus; sed solùm in licitos, & honestos: ergo &c. Quod verum est, etiamsi Religiosus sit legitimè ejectus: quia (vt diximus *tract. 12. cap. 2. num. 210.*) illis solùm conceditur administratio bonorum ad vsus necessarios, & honestos. Assertionem istam tenet Palaus *tom. 7. disp. 2. punct. 21. §. 3. num. 1.* Villalob. *tract. 11. diffic. 16. num. 10.* Tapia *lib. 5. quæst. 30. art. 6. num. 8.* Dicastill. *tract. 1. disp. 7. numer. 25. & 26.* Trullench. *lib. 7. cap. 14. dub. 8. num. 3.* Prado *supr. cap. 17. q. 5. §. 2. num. 10.* citans Paludan. Azor, Vazq. Navarr. & Sanchez. ¶ At Religiosus, cui concessa fuit facultas disponendi de aliquibus bonis in pia opera, poterit puellæ, cui virginitatem abstulit, vel alteri mulieri, cui honorem, satisfacere, quantum prudentis arbitrio talis læsio æstimatur; & filijs quomodolibet susceptis alimenta præbere: quia hæc omnia pia opera sunt, & quasi necessaria, supposito peccato, vt citato Vazq. docet Palaus *n. 3.* Villalob. *n. 10.*

Sententia asserens debere vxoratam pretiũ adulterij restituere marito.

162 Sed inquires primò, an vxorata teneatur marito restituere, vel in communi thesauro reponere inter bona, quæ dicuntur, *bienes gananciales*; & adducere in partitionem pretium ob adulterium, vel munera quomodolibet ab amasio donata? & idem est de filia respectu patris, & de ancilla respectu domini, proportione servata. Affirmat prima sententia. Tùm, quia maritus dominus est corporis vxoris: ergo quod per impium vsum illius acquirit, inter bona illius debet computari. Patet consequentia, quia quælibet res proprio domino fructificat. Tùm etiam, quia quæ Monachus acquirit, etiam turpitèr, Monasterio acquirit: ergo quæ vxorata quomodolibet acquirit, acquirit etiam marito: quia sicut ille est sub potestate Monasterij, ita & ista est sub potestate viri. Ita Rebellus 2. *part. lib. 18. quæst. 19. num. 5.* Trullench. *in Decalog. lib. 7. cap. 14. dub. 8. n. 6.* Tapia *tom. 2. Caten. lib. 5. quæst. 30. art. 6. numer. 7.* Bañez *quæst. 62. art. 5. dub. 5. concluſ. 1. §. Sed advertendum*, Machado *tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 4. docum. 6.* Mendus *in Bulla Cruciat. disp. 34. cap. 19. num. 202.*

Verius est nec filiam patri, nec vxoratæ viro, nec ancillam domino teneri tale pretium reddere.

163 Probabilior autem est sententia negans, asserensque, quòd sicut alia, quæ proprijs manibus adquirit, potest clam in vsus proprios convertere, inscio marito (& idem dicendum est de filia respectu patris, & de ancilla respectu domini) poterit etiam, quæ adulterando quæsivit. Tùm, quia maritus in rebus illicitis, & inhonestis, quas acquirit vxor, jus non habet, cum sint illi valde odiosæ, & molestæ. Tùm, & maximè, quia donata à consanguineis, vel amicis, constante matrimonio, non communicantur inter conjuges: quia præsumuntur præstari ex affectu, & voluntate, vt sibi mulier retineat: sicut de donatis filio-familiàs sub patria potestate existenti, diximus *tract. præced. capit. 2. num. 135.* & in

præsenti casu tenet Gutierrez *libr.2. Practic. quæst. 120.* Azebedo *leg.3.num.7.tit.9.lib.5.* Palaus *tom.7. tract.32.disp.9.punct.14.§.4.num.4.* sed adulter intendit manifestè, vt quod donat adulteræ, sibi retineat: ergo, &c. Sic Prad. *tom.3.in 2.2.cap.17.q.5.§.3. n.17.* Bonac. *disp.1.q.3.punct.3.n.14.* Megal. & Graffius, quos refert, & sequitur Dian. *part.2.tract.17.resol.7.*

Contraria solvuntur argumenta.

164 Ad primum contrariæ sententiæ dicimus, maritum non habere dominium in corpus vxoris despoticum, id est, ad omnes vsus, quos voluerit, sicut habet in equos, & animalia sibi propria; sed solùm ad vsum conjugalem, & sic non sequitur lucra per pravos vsus illius acquisita computanda esse inter bona illius. ¶ Ad secundum dicimus, Religiosum incapacem esse sibi quomodolibet bona acquirendi: at non sic vxor, quæ sicut potest sibi acquirere, quæ gratiosè illi donantur, ita illa, de quibus modò est sermo.

Donata ad extorquendum cõsensum, etiam eo non secuto, possunt retineri.

165 Inquires secundò, an si vir donet fœminæ, vt extorqueat consensum turpem, vel animum ad illum alliciat, possit ipsa donatum retinere vsu corporis non concesso? Respondetur, quòd si sub pacto implicito, vel explicito talis consensus donare cœpit, danti restituere tenetur fœmina, non impleta conditione illa turpi. Si tamen data sunt ab amasio ad movendam voluntatem absque tali pacto, illa retinere potest etiam non concesso dicto vsu; & sibi imputare debuit nimis credulus amator, qui plus speravit, quàm debuit. Et ratio est, quia si talia munera sub conditione tacita, vel expressa, consensus non recepit, non peccat mulier contra justitiam ea retinendo: quia solùm fuit datio liberalis inducens obligationem moralem gratitudinis in licitis, & honestis. Quemadmodum si aliquis ad finem obtinendi beneficium, cathedram, aut dignitatem Collatori pretiosa munera mittat absque vllo pacto implicito, vel explicito: quamvis huiusmodi dona pravè recipiantur, absque injustitia tamen retinentur, etiamsi is, qui dedit, spe concepta defraudetur: quia solùm ad alliciendum animum donavit. Sic in nostro casu contingit. Ita Tapia *lib.5.q.30. art.6.n.2.* Villalob. *tract.11.diffic.16. num.4.* Dicastill. *tract. 2.disp.6.n.24.* Molina *tom. 3. disp.737.n.3.* Rebellus 1. *part.lib.3.q.7.n.6.* Prado *cap.17.q.5.n.20.* Lugo *disp.18.sect.3.n.49.* Dian. 2. *p.tract.16. resol.38.* ¶ Difficultèr tamen excusabitur mulier à peccato scandali in hoc: quia dans explorare vult eius voluntatem per munera, quibus receptis, audacior redditur, & in prætensione ardentior, & ipsa facilis redditur ad ruinam: *Quia* (vt inquit D. Thomas *lib.4. de Erudition. Princip.* ex D. Hieron.) *matrona non est casta, quæ cum rogatur, munera accipit.*

Quid de promissis cum prodigalitate sit tenendum?

166 Inquires tertiò, an si cum prodigalitate vir fœminæ aliquid promitteret ob vsuram corporis, teneatur implere promissionem, saltem si juramento eam firmaverit? Et quidem ipsam posse retinere bona prodigalitèr concessa ab eo, qui dare illa poterat, si donans titulo donationis liberalis donet excessum, nemo negat. Asserit prima sententia virum ad totum, quod prodigè promisit, implendum teneri, etiam absque iuramento: & multò magis si cum illo promissionem firmavit: quia promissio acceptata obligat, & observari debet, quoties res promissa potest sine peccato poni; sed, suppositâ promissione prodiga, datio est licita, & non prodiga: quia tunc est prodiga, & sic prava, quando sine sufficienti causa fit: at, suppositâ promissione, donatio non fit sine sufficienti causa: ergo, &c. Sic Lugo *disp.18. sect.3. num.61.* Filliucius *tom.2.disp.271.col.3.* Thom. Sanchez *lib.1.de Matrim.disp.14.n.5. & in Decal.lib.3. cap.9.n.27.*

Prodigalitèr promissa quoad partem tantùm impleri debent.

167 Verius tenendum est, quòd si res promissa sit partibilis, tenetur promittens ad justum pretium reddendum: vt si promittat mille aureos, & justum pretium sit centum, centum tenetur reddere. At si res impartibilis sit, non tenetur aliquid reddere: nec si partibilis sit, reddere excessum: vt qui promittit rem partim licitam, & partim illicitam; aut partim possibilem, & partim impossibilem, tenetur partem licitam, & possibilem reddere: quia vtile per inutile non vitiatur, *regul.37. juris in 6.* non tamen tenetur ad partem illicitam, aut impossibilem; nec ad aliquid, si res impartibilis sit. Et ratio est, quia idem est peccatum promittere prodigè, ac prodigè dare: ergo sicut prodiga promissio quoad excessum, ita datio est illicita, saltem venialitèr: quia promissio prodigalitatis non aufert in exequutione malitiam prodigalitatis; sicut promissio mentiendi non aufert rationem mendatij: ergo promissio talis dationis nulla est, nullamque generat obligationem: quia promissio rei illicitæ semper est invalida: & cum juramentum non sit vinculum iniquitatis, consequenter dicendum est, quòd talis promissio non obligat ad excessum, tametsi juramento firmata. Ita Soto *de Iustit.lib.4.q.7.art.1.ad 2.§.An verò, & lib.8. q. 1. art.7.in fine corpor.* Prad. *cap.17.q.5.§.5. n.29.* Bañ. *q.62.art.5.dub.5.concluf.3.* Serra *ibi, dub.3. concluf. 2. §. An verò,* Trullench. *lib.7. cap. 14. dub. 8. numer.2.*

PUNCTUM VII.

An ex donatione illicita, & reprobata per leges oriatur in recipiente obligatio restituendi?

Quæ sint res lege prohibitæ, de quibus est dubium?

168 PLures sunt donationes jure positivo reprobatæ, de quibus modò agemus; vt quæ dantur Iudicibus ob injustas sententias, Advocatis ob injustam clientum defensionem, testibus ob falsum testimonium; & etiam quæ dantur ipsis ad alliciendum animum, vt justitiam in suo munere tueantur, non vt stipendium, & pretium petitum ab ipsis, de quo erit sermo puncto sequenti, sed gratiosè, & liberalitèr oblata à litigantibus; quorum acceptio etiam reprobatur per legem, vt dicemus ibi: & etiam quæ dantur sicarijs ob occisionem hominum, & alijs quibusvis peccatoribus; vt peccata perpetrentur: v. g. vt votum, aut jeiunij præceptum quis frangat, ne missam audiat, aliasve turpes res agat, vel debitas omittat. In quo certum est apud omnes, quòd si lex efficiat hominem expressè incapacem talia munera recipiendi, ea retinere non potest, sed tenetur restituere, vel danti, vel reipublicæ, aut ecclesiæ, vel pijs operibus; vt sunt leges data per simoniam realem, & completam prohibentes, & irritantes donationem, vt ex D. Thom. *num.156.* dicebamus. Quæritur ergo in præsenti, an jura, quæ prædicta reprobant, sint ex his, quæ hominem reddunt incapacem ea retinendi, & consequenter obligent ad restitutionem? Et loquimur in foro tantùm conscientiæ, quidquid sit de foro externo.

In

Iure naturæ non ſunt irritæ donationes, lege reprobatæ.

169 In quo vnum, vt certum, ſupponimus, à nemine ex his, quos vidimus, negatum: nimirum ex natura rei, & attento jure naturali, tales donationes eſſe validas, & promittentem teneri illas exhibere, poſito ex parte alterius maleficio, & recipientem non teneri accepta reſtituere. Et probatur primò, quia hæc crimina, etiam contra juſtitiam, ſecundùm materiale quod afferunt, ſunt pretio æſtimabilia: quia non ſunt quid ſupernaturale, aut ſpirituale, ſed actiones liberæ, in vtilitatem eius qui dat, & periculum eius, qui accipit, exercitæ: ergo pactum initum inter ipſos eſt validum. ¶ Secundò, quia eadem eſt ratio, atténto jure naturæ, de accipiente pretium pro fornicatione, adulterio, ſtupro, &c. ac pro homicidio, aut alia injuſtitia, vel peccato; ſed accepta pro illis non ſunt reſtitutioni obnoxia, vt diximus *punct. præced.* ergo, &c. ¶ Tertiò, quia ex oppoſito ſequeretur, fabrum facientem gladium, vel acuentem ex pacto alterius, qui illo vult occidere, teneri ad reſtitutionem pretij accepti pro ſuo labore; & quod miles, qui in bello injuſto recipit conſueta ſtipendia, ea reſtituere teneretur: & vendens venenum juſto pretio ei, quem ſcit illo male vſurum, teneri ſimiliter ad reſtitutionem. Quod nullus dixit. Non ergo accepta ob peccata ſupradicta, & ſimilia, ſunt obnoxia reſtitutioni ex jure naturæ. Quarè ſolùm eſt dubium ſecundùm jus poſitivum: & poſſumus loqui, vel de jure communi cæſareo, vel de jure proprio Caſtellæ.

Sententia aſſerens donationes per leges reprobatas, irritas non eſſe.

170 Duplex circa quæſitum datur ſententia: vna, & altera ſatis probabilis, vt latè, & eruditè probat doctiſſimus Magiſter Fr. Ioann. Martinez à Prado *tom. 2. cap. 17. quæſt. 3. §. 6.* Utramque in medium proponemus, vt quam maluerit lector, eligat. Prima aſſerit, recipientem talia dona ob peccata perpetrata, ſive contra juſtitiam, ſive contra aliam virtutem, non teneri reſtituere illa; nec ex jure naturæ, vt diximus, nec ex jure aliquo poſitivo: quia omnia jura, quæ pro contraria ſententia adducuntur, vel ſolùm intendunt obligare ad reſtitutionem in pœnam peccati, aut negare actionem repetendi data, ſimiliter in pœnam delicti ipſius dantis, ideòque cùm pœna non obliget, niſi poſt ſententiam Iudicis, dicit non teneri ante illam recipientem ea reſtituere. Et quamvis aliquæ leges etiam dicant reſtituenda eſſe talia bona, non expectata Iudicis ſententia, intelligendæ ſunt, non expectata ſententia, inflictiva pœnæ, non verò negare, expectandam eſſe ſententiam declarativam criminis, vt de ſimilibus legibus diximus *tract. 11. de Leg. cap. 2. à n. 59.* Et ſi dicunt nullã eſſe talem donationem, irritam, inanem, nullius effectus, debent intelligi pro foro externo, non pro foro conſcientiæ: vel ſolùm eſſe leges prohibentes huiuſmodi conventiones, vt illicitas, non verò facere inhabilem recipientem pretium, ad illud retinendum, nec impedire dominij translationem, quando res ipſa pecunia æſtimabilis eſt: vel denique ſolùm irritare tales conventiones ante patratum peccatum; vel poſteà, ſi intuitu ipſius peccati ſolius, vel illud approbando fiant: quæ ratione jure naturæ, & ſunt prohibitæ, & nullæ; non verò tollere ante Iudicis ſententiam id, quod eſt de jure naturali: & ſi hoc adhuc tollere nituntur, non eſſe quoad hanc partem receptas. Ita Ledeſm. 2. *tom. tractat. 8. capit. 11. concluſ. 8. difficult. 1.* Bañez 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. dub. 3. concl. 4.* Serra *ibi, dub. 3. concluſ. 3. §. 3.* D. Antonin. 2. *part. titul. 2. cap. 1.* Petrus Navarr. *lib. 4. capit. 2. num. 132.* Azor 3. *part. libr. 4. cap. 21. quæſt. 3. &* 4. Dicaſt. *tract. 2. diſp. 6. dub. 1. num. 15. &* 27. Villalob. *tract. 11. diffic. 16. num. 16.* Lugo *diſp. 18. num. 54.* Leſsius *lib. 2. cap. 14. n. 56.* Palaus *diſp. 2. punct. 21. §. 2. n. 2.* Bonac. *diſp. 1. q. 3. punct. 3. num. 3.* Trull. *lib. 7. cap. 14. dub. 6. n. 2. & 3.* Dian. *6. part. tract. 6. reſ. 59.* Rebell. 2. *part. lib. 18. q. vlt. num. 5.*

Idem de jure hiſpanorum aliqui dicũt.

171 Ex quibus aliqui aſſerunt, idem dicendum eſſe, attentis legibus particularibus aliquorum regnorum (nimirum Caſtellæ, quæ vrgentiores ſunt ad tollendam omnem à radicibus avariciam; & ſic munera à quocumque recepta, ſive pro juſtitia exercenda, vel pro injuſtitia perpetranda, dicunt reſtituenda eſſe, & eſſe irritas, & nullas tales donationes) quia dicunt, tales leges non ſolùm agere de pretio accepto ob peccatum, ſed de acceptis vltra ſtipendium ſuum, vt faciant id, quod ex juſtitia facere tenentur, de quibus dicemus *punct. ſequent.* & adhuc non facere inhabiles vniverſaliter omnes recipientes: vel ſi hoc etiam intendunt, non eſſe receptas quoad hanc partem ante ſententiam Iudicis, ſaltem declarativam culpæ: quia non aliter dicunt teneri Iudices ad reſtitutionem munerum, quàm ad ſolutionem pœnæ, & ad relinquendum officium: quia leges de his omnibus loquuntur: ſed duriſsimum eſſet eos ad hæc obligare ante ſententiam Iudicis: ergo, &c. Ita Leſsius, Rebell. Villalob. Dian. Palaus, Lugo, Dicaſtill.

Sententia æquè probabilis, quæ tenet oppoſitum.

172 Secunda non minùs probabilis ſententia tenet, omnia dona ex ſuprà enumeratis per leges reprobata, eſſe obnoxia reſtitutioni. Probatur primò ex leg. *Iuris gentium, ff. de Pactis*, leg. *Si plagij, ff. de verborum obligatione*, leg. *Generaliter, & ſequentibus*, Cod. *eodem titul.* Ubi tales conventiones irritantur, & nullæ dicuntur, nullamque inducere obligationem implendi promiſſum, nec valere tales contractus: & cùm non nitantur falſæ præſumptioni delicti, obligabunt in conſcientia, ſaltem vbi jus cæſareum obligat. ¶ Secundò, ex D. Auguſt. *epiſt. 54. ad Macedon.* & refertur cap. *Non ſanè* 14. *quæſt. 5. Cum autem judicia, & teſtimonia* (inquit) *quæ nec juſta, nec vera vendenda ſunt, iniqua, & falſa venduntur, multò ſceleratius vtique pecunia ſumitur, quia ſceleratè etiam, quamvis à volentibus, datur.* Ubi quando turpitudo eſt ex vtraque parte, docet ſceleratiùs pecuniam accipi, quàm ſi quis defenderet cauſam juſtam, & pecuniam acciperet; ſed in iſto caſu omnes eum obligant ad reſtitutionem, vt dicemus *punct. ſeq.* ergo, &c. Et hanc eſſe mentem Div. Auguſtin. conſtat ex verbis ſequentibus, *column. vltim. Verumtamen*, ait, *ſi juſtitia ſincerius conſulatur, juſtius dicitur Advocato: Redde quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, Iudicem fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti*: & ideò hanc eſſe mentem Div. Auguſt. fatentur Lugo, & Vazquez, qui contrarium nihilominùs amplectuntur. ¶ Tertiò, probatur ex Div. Thom. qui 2. 2. *quæſt. 32. art. 7. ad 2.* ait: *Apud illos, qui ſunt huiuſmodi legibus obſtricti, tenentur vniverſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur.* Et *quæſt. 62. art. 5. ad 2. Et quia etiam ille, qui accipit, contra legem accipit, non debet ſibi retinere.* Quod clarius *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc. 2.* repetit. Quæ dicta Div. Auguſtin. & Div. Thom. poſſe explicari, ſequendo contrariam ſententiam, docet Soto *libr. 4. de Iuſtit. quæſt. 5. artic. 2. concluſ. 4. circa*

finem. Prado *suprà cap.* 17. *quæst.* 5. *num.* 48. & alij Thomistæ. Hanc secundam sententiam sequuntur Tapia *lib.* 5. *quæst.* 30. *art.* 6. *num.* 5. Aragon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *concl.* 7. Soto *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 2. *§. Secundus ergo*, & *quæst.* 5. *art.* 2. *post* 4. *concl. §. Aliud verò*. Rodrig. *tom.* 2. *Summ. cap.* 4. *concl.* 1. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 32. *fol.* 275. & hanc esse communem vtriusque juris Doctorum, asseruntLessius *supr. n.* 51. & Azor *quæst.* 4.

Præcipuè verificatur præcedens sententia in Hispania.

173 Et hoc principaliter verificatur attento jure regio Castellæ, secundùm quod Iudices, & alios Ministros justitiæ teneri munera recepta, sive pro justa, vel injusta sententia à quocumque data restituere, tenent Bañez *suprà art.* 5. *dub.* 4. *fine*, & *quæst.* 71. *art.* 4. *dub. vltim. concl.* 1. Soto *vbi proximè*, *§. Interrogas*, Petrus de Ledesm. *suprà concl.* 8. *diffic.* 2. *fol.* 272. Prado *numer.* 51. Sanch. *libr.* 3. *consil. capit. vnic. dub.* 1. Ioann. à Cruce *in* 8. *præceptum*, *art.* 5. *dub.* 13. *concluf.* 1. & videtur haberi manifestè, *leg.* 3. & *alijs*, *tit.* 16. & *leg.* 1. *titul.* 18. *lib.* 2. *Novæ Recop.* ¶ Sed prædicti Auctores sunt divisi in assignando eo, cui facienda est restitutio. Aliqui enim restituendum esse dicunt ei, qui injuriam passus est ob iniquam illam conventionem. Alij dicunt faciendam esse ei, qui dedit pretium, vel pauperibus ad arbitrium recipientis. Alij fisco ante sententiam aliquam: quas omnes opiniones probabiles esse dicit Villalob. & Tapia, cui magis placet restituendum esse pauperibus, vel pijs operibus applicandum: quia dans privatus fuit dominio, tùm ipsis legibus, tùm sua voluntate: quia à se abjecit, quod dedit; recipiens verò non acquirit sibi: quia contractus, & fuit nullus, & quia efficitur incapax recipiendi per legem, & sic talia dona se habent sicut illa, quæ non habent certum dominum, quæ sunt pauperibus applicanda. Et videtur hæc mens Div. Thom. *quæst.* 62. *artic.* 5. *ad* 2.

PUNCTUM VIII.

An recipiens pro actu bono, quem debebat facere, vel pro desistendo à malo, quem debebat omittere, teneatur restituere, quod accepit?

Ministris justitiæ verè est jure positivo dona recipere.

174 CIrca hanc gravissimam difficultatem duo nobis, vt certa, supponenda sunt. Primum, esse omnibus Iudicibus, & Ministris justitiæ prohibitam quâcumque munerum receptionem, etiam gratis oblatam à litigantibus, ante sententiæ prolationem. Ideòque passim in scriptura reprehenditur huiusmodi munerum receptio. Isaiæ 1. *Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Deut. 16. *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientium.* Eccles. 20. *Xenia*, & *dona excæcant oculos Iudicum.* Et idcircò, 1. Regum 12. Samuel commendat se populo, dicens: *Ubi de manu cuiusquam munus accepi?* Unde peccant mortaliter quicumque Ministri justitiæ, etiam oblata liberaliter, & gratiosè recipientes: quia hoc tam jure naturæ, quàm positivo eis prohibetur. Iure quidem positivo hoc Iudicibus sæcularibus est prohibitum, leg. *Plebiscito*, *ff. de officio Præsidis*, leg. *Solet*, *ff. de officio Proconsulis*, Authentic. *Novo jure*, Cod. *de pœna Iudicis*: Authentica *de Iudicibus*, *§. Nullo quoque*, & *sequenti*, & jure regio, *leg.* 5. *tit.* 9. *lib.* 3. *Novæ Recopil.* Et ecclesiasticis Iudicibus prohibetur, cap. *Cum ab omni*, *de Vita*, & *honest. Cleric.* cap. *Statutum*, *de Rescript. in* 6.

Recipere Iudicibus dona est illicitum jure naturæ.

175 Et etiam jure naturæ: quia moraliter impossibile est, Iudicem, qui, pendente lite, accipit ab vno ex litigantibus, postea in discursu causæ, & in prolatione sententiæ non procedere multum in favorem illius, & præjudicium alterius. An verò talia dona legibus reprobata teneatur talis Iudex restituere? Utrumque esse probabile diximus *punct. præced.* & in præsenti non agimus de his donis, quæ liberaliter, & gratiosè à partibus offeruntur; sed de illis, quæ dantur in pretium pro eo, quod aliquis facere tenetur: nimirum, quæ accipiuntur à Iudice, vt justam sententiam proferat, vel ne proferat injustam: à teste, ne falsum dicat testimonium, vel vt verum proferat, & alijs exemplis infrà adducendis. Tunc autem munus, vel donum censetur in pretium, vel stipendium dari, quando ab ipso ministro explicitè, vel implicitè petitur in processu causæ. Explicitè quidem, si hoc in pactum deducat, vel dicat se non facturum, nisi hoc, vel illud recipiat: implicitè, quando vel detinet litigantem, vel retardat negotium, vel tot vexationes, & molestias illi facit, vt ipse ad redimendam suam vexationem eligat munera conferre, sine quibus, heù! heù! quàm tepidi, & pigri procedunt ministri hac misera tempestate!

Qui non tenentur gratis officium exercere, possunt pro actu justitiæ pretium recipere?

176 Secundò supponimus, nos loqui de illis qui tenentur gratis munus suum exercere: quia vel à republica, vel à Principe habent iam stipendium justum assignatum. Solet autem contingere, aliquem teneri munus suum exercere, vel ex justitia, vel ex alia virtute, dato tamen stipendio, ac justo pretio. Ut Notarius tenetur, ex justitia reddere scripturam, persoluto sibi justo pretio pro labore, & miles præliari, dato sibi stipendio: & tunc sicut justè recepit illud, nemo ambigit non teneri ad vllam restitutionem. Sed quæstio est, quando, justo assignato pretio, aliquid vltra vult accipere. Et similiter non loquimur quando constaret, pretium per legem taxatum justum non esse: quia licèt ab initio fuerit, his tamen temporibus, quibus merces, & omnia tantùm in pretio creverunt, non judicatur sufficiens: quia tunc poterit plus intra terminos justi pretij recipere, maximè vbi iam est per consuetudinem introductum. Loquimur ergo de recipiente pretium vltra justum stipendium, quod, attentis omnibus, justum judicatur. Unde excluditur casus, quando ob extraordinarium laborem, quem adhibere non tenetur minister, vel ob exquisitam diligentiam aliquid recipit, quia tunc aliquid vltra pro sua industria, & labore recipere potest; sed quæstio est, quando aliquid recipit in pretium, modo explicato, pro eo quod facere tenebatur. Et possumus loqui de eo, qui ex justitia tenetur ad aliquid faciendum, vel omittendum, vel de eo, qui ex charitate, vel alijs virtutibus ad id obligatur. Quod duplici conclusione explicabimus.

Qui pro exercendo actu justitiæ pretium accipit, tenetur restituere?

177 Dicendum est ergo primò, teneri restituere pretium receptum, quicumque aliquid accipit, vt faciat, vel omittat id, quod ex justitia facere, vel omittere debebat. Probatur, quia in eo casu donans non transfert dominium rei, quam donat, in donatarium, sed illam dat involuntariè, vt suam redimat vexationem iniquam. Tùm etiam,

etiam : quia , vt rectè ait Div.Thom. *de Eruditione Princip.lib.4. cap. 4. Sicut enim iniquus esset , qui cappam meam mihi vendere vellet : ita injustus est, qui justitiam , quam debet gratis ex officio facere, non vult facere , nisi accepto munere.* Sic cum Div. Thom. tenent communiter Doctores , Prado *capit. 17. quæst. 4. num. 1.* Palaus *disp.2. punct.21. §. 1. num.2.* Dicastill. *tract.2. disp.6. num.49.* Tapia *lib.5. quæst.30. art.7. num.1.* Soto *lib.4. quæst.7. art. 1. ad 2.* Bañez *2.2. quæst.62. art.5. dub.4. conclus.2.* Serra *ibi, dub.3. ad 3.* Villalob. *tract.11. diffic.16. num.6. & diffic.17. num.12.* Rebell. *2. part. lib.18. quæst.20. num.1.* Lugo *disp.18. sect.3. n.63.* Bonac. *disp.1. q.3. punct.2. n.1. §. Dixi.*

Explicantur in particulari, qui ex dicto titulo teneantur restituere.

178 Hinc infertur, teneri ad restitutionem sequentes. Iudex pretium recipiens , vt justam proferat sententiam , vel ne proferat injustam : testis aliquid recipiens , vt verum testimonium det , vel ne falsum dicat: elector, vel suffragium ferens , qui pretium accipit , vt pro digniori proferat sententiam: ficarius pro non occidendo homine , vel fur pro non auferendo alieno præmium accipiens : qui, vt solvat debitum, vt restituat honorem, & famam, aliquid accipit : ille, qui vt legata relicta in testamento solvat : qui vt depositum reddat , vt rem inventam suo domino restituat, pretium accipit, illud restituere tenetur. Tabelliones, Iudices, Notarij vltra taxatum , & justum stipendium aliquid recipientes ; & omnes ministri Regis , quibus bona Principis competit debitoribus , seu alijs secundùm eorum jura distribuere , si aliquid pro solutione accipiant : & omnes illi, quibus ex testamento, vel mandato alterius incumbit bona inter cives, vel pauperes , virgines, aut viduas distribuere , si aliquid pro tali distributione recipiant. Hi omnes, cùm teneantur ex justitia illud facere , iniquissimè ab exactoribus , vel dominis , vel illis, qui ad ea jus habent, aliquid exigunt; vel talitèr se habent , retardando solutionem, molestias, & vexationes causando, vt alius potiùs ad redimendam vexationem , & sic involuntariè , & coactè , quàm ex voluntate , & liberalitèr pretium suprà justum conferat , aut donum indebitum exhibeat. Si enim, pensatis omnibus, constaret, illum omninò liberalitèr, & gratiosè illud dare, teneretur accipiens restituere, vel non teneretur , juxta duplicem sententiam probabilem *punct.præced.* propositam.

In casu dubiæ justitiæ illicita est acceptio.

176 Sed nunc restat duplex difficultas enodanda. Prima est , an cùm justitia est dubia , vel, probabilis pro vtraque parte sententia , ita vt Iudex possit absque injustitia , quam maluerit , eligere , & in partem , quam voluerit , inclinare , teneatur restituere quod accipit , vt hanc potiùs eligat partem, quàm illam ? Et idem est in alijs casibus , vt in electoribus , vel suffragatoribus ad cathedras ; in eis , qui in opera pia debent inter tales personas distrubuere , quarum electio sit in eorum arbitrio. Sed loquemur de Iudice , in quo clarius difficultas decidetur , & quod de eo dictum fuerit , sentiendum est de omnibus casibus, in quibus aliquis ex justitia tenetur in hanc , vel illam partem inclinare ; sed ex sua liberalitate , & gratia in quam voluerit. ¶ In quo supponimus 1. Iudicem teneri sententiam ferre , in favorem partis opinionem probabiliorem habentis : nam Innoc.XI. hanc, in ordine 2. damnavit propos. *Probabiliter existimo Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Item, vt tenuis probabilitas (quam anteà Alex.VII. damnavit, vt diximus *tract.11. cap.6. n.18. in fine*) abolita inde maneret , istamque damnavit idem Innoc. quæ erat 3. *Generatim dum probabilitate , sive intrinseca, sive extrinseca , quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur , confisi , aliquid agimus , semper prudenter agimus.* ¶ Secundò, supponimus omninò illicitam esse talem receptionem. Nam præter dicta *punct. præced.* Idem SS. D. N. Alexand. VII. inter propositiones prohibitas brevi à sua Sanctitate expedito die 24. Septemb. anno 1665. vna est 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles , potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem vnius præ alio.* Sed quia his verbis non significatur invalidam esse talem donationem , sed solùm illicitam: quia non datur verbum eam irritans , vel annullans, vel inhabilem reddens recipientem acquirendi eius dominium, quod in omnium sententia est necessarium, vt talis donatio sit invalida , locus relinquitur nostræ disputationi , an in hoc casu teneatur restituere, qui simili modo pecuniam, aliave dona accipit?

In dubio justitiæ posse Iudicem absque obligatione restitutionis aliquid accipere , aliqui dicunt.

180 Prima sententia asserit , quòd, attento jure tantùm naturali, præscindendo à jure positivo , non tenetur talia dona restituere, qui ea in casu quæstionis accipit. Et probatur primò: quia neutri ex partibus est debitum ex justitia , quòd in favorem eius sententia feratur, cùm est justitia dubia, vel pro vtraque parte probabilis : & sic vni ex partibus non fit injustitia per hoc, quod Iudex alteri inclinetur , & sic est in eius voluntate, quam maluerit eligere: ergo recipiens aliquid , vt inclinetur huic parti , vt pro ea sententiam proferat, non recipit illud, vt efficiat id, ad quod ex justitia tenetur ; sed non est obnoxium restitutioni quod recipitur pro eo quod facere non tenetur recipiens ex justitia, si aliàs sit pretio æstimabile , vt est actus de quo loquimur: quia est favor, & gratia facta in commodum dantis , & in incommodum recipientis, cùm per hoc amittat favorem, gratiam, & amicitiam alterius partis litigantis. Ita Less. *libr.2. cap.14. dub.9. num.64.* & probabile, dicit Trullench. *tom.2. lib.8. cap.1. dub.6. num.10.* Fagund. *in præcep. Decal. tom.2. lib.8. cap.26. num.34.* Fragos. *in Regim. Christ. Reipub. tom.1. lib.4. disp.9. n.42.*

Probabilior est contraria sententia.

181 Secunda sententia (cui nos subscribimus) affirmat , teneri, quia Iudex nihil potest accipere pro exercendo munere Iudicis, nec pro efficiendo actum justitiæ ; sed semper ac sententiam fert , exercet munus Iudicis, & actum justitiæ efficit: ergo nihil potest accipere pro eo, quod sententiam in favorem huius partis ferat , in quo munus Iudicis, & actum justitiæ elicit. ¶ Confirmatur, quia Iudex, vt talis, non potest manere suspensus , sed pro vna ex partibus debet sententiam ferre : ergo se habet, vt Iudex, & vt talis exercet actum justitiæ , quando hanc eligit præ illa: quia, quamcumque eligendo, fert sententiam justam, munus ministri publici exercendo. Ita Palaus *tom. 7. disp.2. punct.21. num.3.* citans Molin. & Covarr. Tanner. quem refert, & sequitur Diana *3. part. tract. 5. res.55.* quod etiam tenet *6. part. tract.6. res.59.*

Quid de muneribus receptis ab extraneis?

182 Secunda difficultas est, an si quis pretium reciperet, non ab eo, cui ex justitia debetur actus, vel omissio eius, sed ab alio extraneo, pro exequutione talis actus debiti ex justitia , vel omissione illius, teneatur restituere , quod recipit ? Et dicimus ab extraneo ; vt à familiari , amico : si enim munus receptum esset à persona conjunctissima cum eo , cui ex justitia talis actus debetur , vt est

filius respectu Patris, & è contra: vxor respectu mariti: & è converso: frater respectu fratris, cum censeantur moraliter eadem persona, idem dicendum est de recepto ab istis, ac de recepto ab ipsa parte. Dubium ergo est, quando Iudex, v.g. vt sententiam pro Petro proferat, recepit munus à Paulo: vel fur, ne furetur à Petro, à Paulo munus accipit: sicarius, ne occidat Petrum, pecunias accipit à Paulo. In quibus, & alijs casibus, in omnium sententia, semper est illicita talium donorum receptio. Quærimus ergo, an sit invalida, & obnoxia restitutioni in foro conscientiæ.

Negat prima sententia debere restitui, sed verior est affirmans.

183 Negat prima sententia, quam tenet Fr. Ioan. Martin. à Prado *cap. 17. quæst. 4. num. 9.* Mendus *in Bull. disp. 34. cap. 6. n. 74.* Villalob. *tract. 11. diffic. 7. n. 3.* Dicastill. *tract. 2. disp. 6. n. 54.* Ledesm. *2. tom. tract. 8. cap. 11. concl. 8. diffic. 2. assert. 4.* Bañez *2. 2. quæst. 62. artic. 5. dub. 4. concl. 4.* Soto *lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad 2. §. Retrocedendum ergo.* Et probatur, quia licet ille gratis teneretur facere, vel abstinere, quia tamen in gratiam amici facit, alioqui non facturus, potest pro illa sua voluntate pretium recipere. ¶ Verior autem est sententia affirmans teneri restituere tale pretium: quia tenebatur ex justitia commutativa non offendere proximum, aut illi injustitiam irrogare: ergo, accipiendo pretium, peccat contra eandem justitiam, cum absque verò titulo recipiat rem alienam invito domino, qui ad redimendam vexationem proximi involuntariè illa concedit. Sic Tapia *lib. 5. q. 30. art. 3. n. 3.* Lugo *disp. 37. sect. 11. n. 126.* Rebell. *2. p. lib. 8. quæst. 20. n. 1.*

Quæ recipiuntur ob actus debitos ex alia virtute à justitia, non debent restitui?

184 Dicendum est secundò, quòd si quis recipiat pretium pro eo quod ipse facere debebat, vel omittere, non ex justitia, sed ex alijs virtutibus, vel motivis (excepta charitate, de qua statim) non tenetur restituere, etiamsi tale pretium non sit oblatum ab alio, sed ab ipso (tametsi pretium illicitè petatur:) vt si recipiat munera, ne juret, ne blasphemet; vt missam audiat, à luxurijs abstineat, vt christianus fiat, recipiat baptismum: quomodo catholici Principes allicere solent infideles muneribus, & promissionibus, vt ad fidem reducantur; & parentes filios, vt opera virtutum exerceant, dona pollicentur; & amici beneficia, vt alij à peccatis, & scandalis retrahantur: quia tunc talia dona liberalitèr dantur animo lucrandi proximum, non redimendi vexationem, & sic gratiosè donantur sub conditione licita ex parte accipientis implendâ: illa ergo impleta, accipiens pretium illud non tenetur restituere. Quod omnes ferè Authores concedunt. Sed dubium est inter illos, an cum quis recipit pretium pro eo, ad quod faciendum, vel omittendum, tenetur ex charitate, debeat tale pretium restituere; vt Medicus quando tenetur ex misericordia, vel charitate pauperem, vel infirmum curare, & id facere renuit, nisi vel ab ipso, vel à divite pro eo pretium recipiat: qui ex charitate tenetur liberare domum proximi ab incendio, vel illum à periculo: qui pecunias recipit à Magnate, vt sibi furantem prodat, cum ad hoc non teneatur ex justitia, sed ex charitate, vt diximus *n. 132.* Quæritur ergo an in his, & similibus casibus debeat pretium acceptum restitui? Duplex datur sententia.

Non debent restitui recepta ob actus ex charitate debitos.

185 Debere restitui talia dona, asserit prima sententia, quam tenent Salon *2. 2. quæst. 62. art. 5. controv. 4.* Villal. *tract. 11. diffic. 17. concl. 2.* Dicast. *tract. 2. disp. 6. num. 48. & 58.* Lessius *lib. 2. capit. 14. dub. 9. concl. 2.* Trulench. *lib. 7. capit. 14. dub. 6. n. 5.* Tolet. *lib. 4. de Restit. cap. 2. num. 192.* Et probari potest primò: quia acceptio eius, quod ex charitate præstare debuerat, est illicita: ergo, & retentio: ergo restitutioni obnoxia. Sed quis non videat primæ consequentiæ debilitatem? Plura enim illicitè recipiuntur, quorum, si datio sit valida, retentio est licita. Secundò, quia cùm valdè interest alterius, vt hæc fiant, censetur involuntariè datum, quod accipitur. Sed nec hoc probat aliquid, siquidem etiam qui pretium dat pro mercibus, quas gratis vellet accipere, invitus quodammodò dat; sed quia sua interest ea emere, dat lubens: sic in nostro casu. ¶ Quarè dicendum est, dona ob opera ex charitate debita recepta, non esse obnoxia restitutioni: quia solùm ex violatione justitiæ oritur obligatio restitutionis; sed quando aliquid recipitur ob opera ex charitate debita, non violatur justitia: quia datur aliquid pretio æstimabile, aliàs indebitum ex justitia, & solùm ex eo quòd vendatur, quod ex justitia debetur, vel quod non est pretio æstimabile, justitia violatur: ergo, &c. Sic Prado *cap. 17. quæst. 4. §. 2. num. 12.* Tapia *lib. 6. q. 30. art. 7. n. 6.* Lugo *disp. 18. sect. 3. numer. 67.* Rebell. *part. 2. lib. 18. q. 21. n. 2.* Soto *lib. 4. q. 7. artic. 1. ad 2.* Bañez *2. 2. q. 62. art. 5. dub. 4. post 4. concluſ. §. Sequitur etiam*, Serra *ibi*, *dub. 3. ad 3.* Ledesma *tom. 2. Summ. tract. 8. cap. 11. concl. 8. diffic. 2. assert. 5.* Bonac. *disp. 1. quæst. 3. punct. 2. num. 1.* Dian. *3. p. tract. 5. resol. 55.*

PUNCTUM IX.

Utrùm sit facienda nova restitutio à debitore, quando res, quæ restituitur, non pervenit ad creditorem?

Quæ circa quæstũ sup ponẽda sunt

186 COntingere solet frequentèr, quòd debitum tradi non possit à debitore immediatè creditori, vel quia est absens, vel quia est periculum notæ, aut infamiæ. Et tunc dicit D. Thom. *2. 2. q. 62. art. 6. ad 2.* eligendum esse Confessarium, vel alium pium, & fidelem virum, vt eo medio debitum creditori restituatur. Sed contingere potest, quòd antequã res ad creditorem perveniat, vel casu pereat, vel à latronibus in via rapiatur, vel quod ipse nuntius, præter opinionem, illam sibi vsurpet. Et in tali casu procedit quæstio, an talis res pereat domino, an pereat ipsi debitori, qui proinde de novo eam creditori teneatur restituere? ¶ In quo certum est primò, quòd si per nuntium periculosum, aut minùs fidelem debitor rem ad creditorem mittat, quam ille sibi vsurpat, tenetur debitor iterum eandem rem solvere, quia ex sua culpa perivit; & non debet creditor in suis bonis detrimentum pati ob alterius incuriam, vel inadvertentiam. Sed hoc intellige, nisi talis portator esset ab ipso creditore assignatus, vel ex eius consensu electus: quia tunc gerit personam illius, & perinde est, ac si res illi tradita fuisset; proindeque ipsi perit, non debitori, qui deobligatus manebit ad aliam restitutionem. ¶ Secundò est certum, quòd si creditor arbitrio debitoris relinquat, quòd eligat quem voluerit ad rem sibi mittendam, & ille eligat nuntium reputatum fidelem, non tenetur ad ampliùs debitor, sed talis res perit creditori, qui iam consensum adhibuit ad talem nuntium eligendum. Idem dicimus, quando debitor imperio Iudicis rem tradit portatori, vt remittat ad dominum: tunc enim domino perit, cum debitor à legitimo Iudice compul-

pulſus ſit illo medio vti, vt docet Bañ.2.2.*q.*62.*art.* 5.*dub.* 9.*concl.*2.Tapia *lib.*5.*q.*21.*art.* 2.*n.*5. Quare dubium eſt, quando debitor eligit portatorem fidelem. Et loquamur priùs de illo, qui ex actione injuſta, nimirum propter rapinam, aut furtum, eſt obnoxius reſtitutioni: & poſteà de illis, qui tantum ratione rei alienæ, vel ratione contractus ad id obligantur.

Sententia aſſerens, debitorem remittentem per nútium fidelem, ad nihil amplius teneri.

187 Prima igitur ſententia dicit, quòd ſi quis rem furatam viro fideli tradat, vt domino reſtituat, non tenetur ad iterum rem illam reddendam, ſive talis res caſu pereat apud portatorem, ſive ab ipſo detineatur, ſive à furibus rapiatur, antequam ad domini manus perveniat. Et probatur primò, quia talis fur nõ tenetur immediatè per ſeipſum reſtitutionem facere, ſed ſufficit ſi faciat per viros prudentes, & fideles, quia tunc prudenter ſe gerit, faciendo quidquid poteſt, & debet: ergo cum iam debito ſuo ſatisfecerit, ad nullam tenebitur reſtitutionem. ¶ Secundò, quia ſi fur ex conſenſu expreſſo, vel tacito domini rem alicui traderet, deobligatus à reſtitutione manebit, etiamſi talis res pereat antequam perveniat ad domini poteſtatem, vt diximus *num. præced.* Sed in caſu noſtro rationabiliter creditur dominum conſentire (imò ad talem conſenſum præbendum obligatus eſt) quòd res ſibi mittatur per nuntium reputatum fidelem; ergo procedit debitor ex tacito, & rationabili conſenſu domini, id agendo, & conſequenter deobligatus manebit à reſtitutione. ¶ Tertiò, quia hic modus reſtituendi, ſaltem per Confeſſarium, eſt frequentiſsimus, & vſitatiſsimus, videntibus, & conſentientibus cunctis creditoribus. Et ita tenet Sotus *in* 4. *diſp.* 15. *q.*2. *art.* 4. Gabr. *ibid.q.*2.*art.*4. Cenedo *de Paupert.Relig. dub.*34.*n.*8.Ledeſm.*tom.*2.*Sum. tract.* 8. *capit.* 13. *concl.*8.Rodrig.verb.*Reſtitutio*, *cap.*34. *concluſ.* 8. apud Dicaſtil. *infrà num.*114.& multum ſe in hanc partem inclinare confitetur Palaus *in præſent. diſp.* 1. *punct.*18.*§.9.n.*4. & probabilem dicunt Filliuc. Trullench.Leſſ.Hurtad. infra citandi, & Dian. 1.*p. tract.*16.*reſol.*97.*&* 2.*p.tract.*17.*reſol.*2. *&* 7.*part. tract.*10.*reſol.*16.*fine.*

Teneturiterũ reſtituere qui per nũtiũ rem creditori mittit, ſi in via pereat.

188 Secunda tamen ſententia (quam probabiliorem judicamus) aſſerit, teneri prædictum debitorem iterum reſtituere, ſi res pereat, antequam perveniat ad manus creditoris, ſi eodem modo non eſſet peritura apud dominum. Et colligitur manifeſtè ex cap. *Significaſti, de pignoribus*, leg. *Incendiũ*, Cod. *Si certum petatur.* Et probatur primò, quia quandiù res ad manus domini non pervenit, non eſt reducta ad æqualitatem inæqualitas cauſata per injuſtitiam, ſiquidem adhuc dominus minus habet de ſuis, quàm habere debuerat; ſed reſtitutio obligat, vt talis inæqualitas reducatur ad æqualitatem, & tandiu obligat, quandiu non reducitur: ergo, &c. ¶ Secundo, quia poſſeſſor malæ fidei obligatur etiam de caſu fortuito; & ob id, ſi pecuniam iam paratam in menſa haberet, vt reſtitueret, & alius furriperet eam, adhuc teneretur reſtituere: ergo idem in præſenti. ¶ Tertiò, quia quandiu res eſt in manu portatoris, eſt quaſi in manu mittentis, quia ille ſe habet, vt inſtrumentum iſtius, & nomine illius operatur, eius perſonam gerens: ergo perijt pro debitore mittente, atque adeò ſolvere tenetur, donec ad domini poteſtatem res cum effectu perveniat. Sic Tapia *lib.* 5.*q.*31.*art.* 2. *num.*2. Prado *cap.* 17.*q.*8.*num.*27.Bañ.2.2.*q.*62. *art.* 5. *dub.* 5. *concl.*2.Villalob.*tract.*11.*diffic.*18.*n.*4. *& difficult.* 19.*n.*2.Lugo *diſp.* 8.*ſect.*9.*n.*229. *& diſp.* 21.*ſect.* 5.*n.*59.Layman *lib.*3.*ſect.*5.*tract.*2.*cap.*12. *fin.* Bonacin.*diſp.*1.*q.*3.*punct.*9.*n.*3.*&* 8.Dicaſtil.*tract.*2. *diſp.*3.*dub.*4.*n.*113.Trullench.*tom.*2.*lib.* 7. *cap.*14. *dub.*11.*n.*11.Filliuc.*tom.* 1.*tract.*32.*cap.*5. *n.* 135. Leſſ.*lib.*2.*cap.*16.*dub.*6.*n.*67. Gaſp.Hurtad.*de Iuſt. & jur.diſp.*7.*diff.*8.Idem dicendum eſt de debitore moroſo, qui etiam eſt malæ fidei poſſeſſor, & de caſu fortuito tenetur.

Solvuntur fundamenta contraria.

189 Ad contraria fundamenta reſpondetur. Ad primum dicimus, quòd licet fur ad amplius non teneatur, vt à peccato injuſtæ detentionis liberetur, cæterùm, quia æquum non eſt, vt alius ob ſuam culpam damnum patiatur, ſemper manet cum onere reſtituendi, vt probatum eſt. ¶ Ad ſecundum dicimus, creditorem velle quidem, vt ſuum debitum per portatorem fidelem mittatur; ſed non amittendo jus, quod habet, vt, quomodocumque non perveniat ad manus eius, ei reſtituatur, quia rem apud ſe habebat, & ex alterius injuſta actione, illa eſt privatus: & non eſt credendum hoc jure ſibi debito ob alterius commodum velle privari: & ſic non habet conſenſum adhuc tacitum, niſi ſub hac conditione virtuali, vt, ſi res pereat, debitori pereat. ¶ Ad tertium dicimus, talem modum reſtituendi eſſe vſitatiſsimum, quia eſt moraliter certus, & ſecurus, & creditoribus vtilis, & ad exonerandas conſcientias, ne in peccato injuſtæ detentionis perſeverent, aptiſsimus; non verò ſufficiens ad liberandum omninò ab onere reſtitutionis, vt dictum eſt.

Si debitum ſit ſolùm ex re aliena, perit creditori, ſi ex cõtractu, & ſi in ſpecie, perit etiam creditori.

190 Si verò debitum non ſit ex delicto, ſed vel ratione rei alienæ, quam apud ſe habet bona fide, vel quam inveniſti, vel ratione juſti contractus: in primo caſu certum eſt apud omnes, quod ſi per nuntium fidelem rem alienam domino miſiſti, quomodolibet non perveniat ad eum, non teneris amplius reſtituere: quandoquidem non habes hanc obligationem ratione actionis injuſtæ, quæ nulla fuit, nec ratione rei alienæ, quæ nullo modo apud te iam eſt, nec in ſe, nec in æquivalenti, quia ex ea factus non es ditior, vt ſupponimus. ¶ Quando verò res ex contractu licito debetur, nimirum ob mutuum, commodatum, depoſitum, pignus, &c. diſtinguunt communiter Doctores inter res, quæ in individuo tradendæ ſunt, vt hic liber, hic equus, hæc veſtis, iſti boves, vel hæ pecuniæ numero, quæ erant ſub depoſito ſervatæ; & inter illas, quæ in genere debentur, vel in ſpecie, vt tantundem tritici, vini, vel olei mutuo, vel venditione debiti; tot pecuniæ, &c. Et in primo caſu aſſerunt rem perire creditori, ſi abſque culpa debitoris pereat: quia talis res in individuo manens, adhuc eſt ſub dominio creditoris: & quælibet res domino peri, vnde debitor non tenetur iterum reſtituere; vt colligitur ex cap. *Significaſti, de pignorib.* cùm nec ex injuſta læſione, nec ex re aliena talem obligationem habeat. Undè ſi debitor per famulum creditoris, quo ipſe vti ad ſimiles res ſolet, vel per virum reputatum fidelem rem mittat ipſi, deobligatus à reſtitutione manebit, niſi cum domino conveniſſet, vt rem non mitteret, niſi per nuntium ab ipſo aſsignatum: quia tunc, alteri dando, eſſet in culpa; & ſic teneretur reſtituere, quia quando res alterius mea culpa perit apud me, obnoxius ſum reſtitutioni. Hæc omnia docent Doctores ſtatim citandi. Quæ autem culpa requiratur in mittente, vt teneatur reſtituere, quando res alterius ob meam inadvertentiam, vel negligentiam perijt? Vide quæ diximus *hoc cap. punct.*12.

Quan-

Res debitæ in genere pereunt debitori, quas iterum tenetur solvere.

191 Quando verò res est debita in genere (vt loquuntur Iuristæ) vel in specie (vt Theologi asserunt) etiamsi per nuntium fidelem mittatur ad creditorem, quocumque modo non perveniat ad eum, perit debitori, & iterum tenetur eam restituere: quia, quandiu non pervenit ad manus creditoris, semper est sub dominio debitoris: & quælibet res sub dominio alicuius manens, illi perit. Quarè si mittas equum ad amicum, quem commodatum recepisti ab eo, & nummos, quos ex mutuo, vel venditione illi debes, per nuntium fidelem, & his omnibus spoliatus est in via à latronibus, vel ille cum omnibus aufugit; equum non teneris iterum reddere, teneris autem pecunias iterum solvere: quia equus commodatus erat sub dominio amici, & illi perijt; pecuniæ mutuo acceptæ erant sub tuo dominio, & sic non pereunt amico, sed tibi. Ita Palaus *tom. 7. tract. 30. punct. 17. §. 9. n. 2. & punct. 18. §. 11. n. 1.* Lugo *disp. 3. punct. 9. n. 4. 6. & 8.* Sà verb. *Depositum* 1. Vazq. *de Restit. cap. 2. §. 2. dub. 9. n. 62.* Petr. Navar. *lib. 3. cap. 5. n. 11.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 12. fine.* ¶ Et addit Palaus citans Medinam, Sylvest. & Navar. quodcumque debitum, etiam in genere (vti est pecunia, triticum, oleum, vel inderminatè oves, & boves) si tradatur famulo, vel alteri domestico creditoris, liber manebit debitor à restitutione, etiamsi ad creditoris manus tales res non perveniant: quia tunc censetur domino restituisse, cùm domesticus illius personam gerat. Tametsi oppositum aliqui teneant. ¶ Sed dicta hoc numero intelligenda sunt, nisi nuntius designatus fuerit à creditore, vel debitori concessum ab ipso, vt eligat portatorem, quem voluerit, vel quod illi rem debitam tradat, qui talia signa dederit: quia tunc immunis erit debitor à restitutione, nisi aliqua culpa sua intervenerit.

PUNCTUM X.

In quo loco, & quibus expensis sit facienda restitutio?

Cum restitutio fit ratione rei alienæ, expensis domini ad ipsum mittenda est.

192 CUm restitutionis obligatio ex re aliena, ex injusta læsione, & etiam ex contractu oriatur, de his omnibus loquimur in hoc puncto, divisim, quia est inter debita ex his capitibus orta, quoad hoc, latum discrimen. Quando ergo à possessore bonæ fidei, qui solùm ratione rei alienæ tenetur, restituendũ est aliquid, in illo loco restituendum est, vbi res habetur, & alienam esse cognoscitur; & si dominus fuerit absens, ad illumque res sua mittenda sit, debet expensis ipsius domini fieri: quia æquum non est, quòd possessor bonæ fidei damnum patiatur ex redditione rei alienæ bona fide acceptæ. Leg. *Possessor, ff. de petition. hæredit.* Quarè vel monendus est dominus, quid fieri velit rei suæ, vel eius expensis mittenda est ad ipsum: vt tradunt communiter Doctores. At verò, si postquam rem alienam esse novit, aliò transtulit; proprijs expensis eam restituere tenetur, deductis illis, quas dominus fecisset, si res à priori loco non esset asportata: quia nemo potest rem alterius cum illius damno alio transferre: nisi hoc bona fide fecerit, quia ita judicavit expedire, ne res surriperetur, aut periret, quia tunc vtiliter domini negotium fecit.

193 Advertit autem Bonacin. *disp. 1. q. 5. punct. 1. n. 2.* Villalob. *tract. 11. diff. 18. n. 3.* Dicast. *tract. 2. disp. 11. dub. 8. n. 106.* Less. *lib. 2. cap. 15. dub. 18.* Sayr. *lib. 10. tract. 5. cap. 1. n. 9.* Reginald. *lib. 10. n. 131.* Rebell. 1. *p. lib. 2. q. 13. sect. 2. n. 4.* quod si dominus nequeat admoneri, quia multum est distans, vel res est adeò parvi momenti, vt non possit minoribus expensis mitti ad dominum, quam res ipsa æstimatur; poterit interim retineri, quandiù speratur à domino, vel ipsam, vel ipsius pretium posse haberi: aut quòd potest tradi alicui pio loco eo pacto, vt rem domino comparenti, vel advenienti tradat, cùm talis præsumatur voluntas rationabilis domini. At si dominus admoneri nequit, nec speratur vnquam adventurum, vel rem suam, aut pretium eius recuperaturum, tradi potest consanguineis domini, vel pauperibus in eorum defectu: quia talis domini voluntas rationabilis præsumitur.

Quædã admotatio præcedentis doctrinæ.

194 Si tamen ex injusta acceptione facienda est restitutio, debitoris expensis facienda est, & illo loco, vbi dominus rem suam habiturus erat, si res illi ablata non esset: quia dominus pati non debet detrimentum expensarum ob alterius delictum. Idemque dicendum est, si ob furtum, vel aliam læsionem dominus incommodatus aliò se transtulit, quia tunc ibi sua res est illi reddenda, quia culpa alterius hoc damnum est passus. Et idem judicium est de debitore morosо, si quando in mora erat, alio se transtulit, vel dominus ob illius culpam ad alium locum tendit. Tapia *lib. 5. q. 31. art. 1. n. 1.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 10. n. 3.* Bonacin. *disp. 1. q. 5. punct. 1. n. 4.* Less. *lib. 2. cap. 15. dub. 8. n. 48.* Azor 3. *p. lib. 4. cap. 32.* Villalob. *tract. 11. diff. 18. n. 1.* Dicastill. *tract. 2. disp. 11. dub. 8.* Palaus *disp. 1. punct. 18. §. 6. n. 1.* Soto *lib. 4. q. 7. art. 1.* Qui addunt, posse debitorem detrahere expensas, quas dominus, qui transtulit domicilium (absque culpa debitoris) fecisset, quando mutavit in transportandis rebus suis: quia sicut par est, vt non patiatur incommodum, ita non est æquum, vt lucrum ex restitutione accipiat, sed quod incolumis conservetur.

Quo loco, & cuius expensis debitum ex delicto satisfaciendum sit?

195 Sed hìc est difficultas, an debitor iniquus teneatur suis expensis restitutionẽ facere, quando maiores sumptus faciendi sunt in tali restitutione, quam res ipsa valet? Affirmat teneri Tapia, & Villalob. *locis citatis*, Caietanus 2. 2. *q. 62. artic. 5.* Covarr. *ad reg. peccatum, 1. part. num. 7.* Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. punct. 8.* Navar. *cap. 17. num. 43.* Dicastill. *supra num. 100.* Quia dominus privandus non est re sibi debita; & sibi imputet iniquus raptor, si tot sumptibus eam teneatur restituere. ¶ Verius tamen dicendum est, in eo casu non teneri cum tanto incommodo restituere, sed posse rem apud se retinere, vsque dum occurrat occasio restituendi absque tanto detrimento: quia tunc dominus non censetur rationabiliter invitus, nec rationabiliter velle potest sibi fieri restitutionem cum tanto debitoris gravamine. Maximè, quia restitutio fit, vt servetur æqualitas; & magna esset inæqualitas, si cum tanto onere esset restitutio facienda. Ita Soto *lib. 4. de Iust. q. 7. articul. 1.* Palaus *disp. 1. punct. 18. §. 6. num. 1.* Bonac. *supr. num. 5.* Less. *cap. 15. dub. 8. num. 50. & cap. 10. dub. 1. num. 13.* Sayr. *in clav. lib. 10. tract. 1. cap. 1. numer. 11.* & probabile, ac tutum dicit Villalobos suprà. ¶ Et addunt Sayrus, Bonacin. & Villalob. quòd si debitor non speret absque tantò detrimento posse rem domino reddere, quòd poterit rem pauperibus applicare, vel inter alia pia opera distribuere, pro

Non debet restitutio maioribus expensis fieri, quam res restituenda valet.

pro anima illius, quia hæc domini voluntas rationabilis judicatur.

Quo loco debitum ex cõtractu est restituendũ?

196 At verò si restitutio facienda est ob debitum ex contractu, facienda est in eodem loco, vbi contractus celebratur: quia cum hic sit vtriusque locus communis, censetur locus ab vtroque designatus, quando aliud in contractu non exprimitur; si tamen exprimatur in tali, vel tali loco rem esse solvendam, ibi solvenda est, dummodo servetur justum pretium, computato transmissionis sumptu. Palaus *n.* 3. Dicast. *n.* 103. Villalob. *n.* 2. Bonac. *n.* 9. Qui notat aliquando tacitè designatum esse locum, in quo creditor habitat; vt si quis in itinere petat ab amico mutuatam pecuniam, non est solvenda in illo loco itineris, in quo accipitur, sed in loco creditoris, qui censetur assignatus tacitè, & virtualitèr. Et regulariter in domo debitoris solutio præstanda est, vt colligitur ex leg. 1. *ff. de eo, quod certo loco*, & docet Palao *n.* 4. Rebell. 2. *p. lib.* 1. *q.* 4. *n.* 6. excepto debito primitiarum, & decimarum, quod ex consuetudine deferendum est ad domum creditoris.

Quid si bona fide debitor aliò trãsferatur?

197 Sed inquires, cuius expensis debitum ex contractu solvendum est, quando alter ex contrahentibus bona fide se transfert in locum distantem ab eo, in quo initus est contractus? Diximus *bona fide*, hoc est, si non recordatus talis debiti, vel necessitate compulsus, aliò migret. Si enim sciens, & advertens, & absque necessitate aliò se transferat, cùm ex vi contractus teneatur rem ponere in loco, vbi contractus celebratus est, cùm sit causa expensarum faciendarum, ab illo faciendæ sunt, qui modo dicto discedit à loco, in quo restitutio esset facienda. Igitur ad quæsitum respondetur, expensas faciendas esse ab eo, in cuius commodum factus fuit contractus: & ideò quia mutuum, vel cõmodatum fiunt in commodum mutuatarij, & commodatarij, ab eis expensæ faciendæ sunt: quia eius est onus, & incommodum, cuius est commodum, & emolumentum. Quando verò fit in commodum creditoris (vt depositum) illius expensa res ponenda est in loco contractus, quia debitor illius negotium gerit; proindeque si bona fide creditor alio se transferat, expensis eius facienda est restitutio in loco debito. Vazq. *cap.* 10. *de Restit. dub.* 1. *n.* 43. & 58. Bonac. *disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 1. *à n.* 9. Sayr. *in Clav. Reg. lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *n.* 7. Rebell. 2. *p. lib.* 2. *q.* 13. *n.* 5. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 11. *dub.* 8. *n.* 112. Tap. *lib.* 5. *q.* 31. *n.* 5. & 5.

PUNCTUM XI.

De ijs, quibus facienda est restitutio.

Quid circa hoc punctũ dicat Div. Thom.

198 DIvus Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. tria docet, de quibus hoc Puncto agemus. Primò *in corpore* resolvit restituendam esse semper rem ablatam ei, à quo ablata est. Secundò dicit *in solutione ad primum*, quòd si res aliena fuerit nociva ipsi domino, vel alteri, non est restituenda illi: nec ob id potest debitor eam retinere, vt sibi eam appropriet; sed vel reservare, vt congruo tempore restituat, vel eam alibi tradere tutiùs conservandam. Tertiò, *in solutione ad tertium*, ita ait: *Si ille, cui debet fieri restitutio, sit omninò ignotus, debet homo restituere secundùm quod potest, vel dando scilicèt eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive vivus; præmissa tamen diligenti inquisitione de persona eius, cui facienda est restitutio. Si verò sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi eius, qui computatur quasi vna persona cum ipso.* Hæc tria in hoc Puncto examinanda sunt, addito alio quarto illis valdè coniuncto, an possit aliquis satisfacere, solvendo debitum ei, cui suus creditor tantundem debet. Quod diversis paragraphis peragemus.

§. I.

An semper res restituenda sit ei, à quo fuit ablata.

Cuilibet justo possessori, à quo res ablata est, est restituenda.

199 COnclusio generalis D. Thom. quòd res semper ei reddenda est, à quo fuit ablata, intelligitur communitèr ab eius discipulis, & alijs, de eo, qui talem rem justo titulo possidebat, etiamsi non esset eius dominus; & ideò si ab eo, cui res tradita est in depositum, commodatum, pignus: vel cui locata est, vel illius habebat administrationem, vt vir habet in bonis vxoris; Tutor, vel Curator in bonis pupilli, & minoris; paterfamilias in bonis filij non emãcipati: si inquã, à quolibet horum res auferatur, non est restituenda domino rei; sed ei à quo ablata est, vel ei, qui succedit in jura eius: vndè si domino, non illi, res restituatur, tenetur debitor damnum, vel lucrum cessans inde eveniens restituere illi. Ratio sancti Doctoris est, quia restitutio est actus justitiæ, per quem inæqualitas alterius ad æqualitatem reducitur; sed si non fieret ei restitutio, à quo res accepta est, non reduceretur ad æqualitatem inæqualitas causata per læsionem; siquidem inæqualitas hæc facta est in illo, qui sua justa possessione, & administratione, vel retentione rei est privatus; ideoque illi est damnum irrogatum: illi ergo restitutio est facienda. Ita Caietan. Salon. Aragon. & Bañ. *ibi*, Tapia *lib.* 5. *q.* 30. *art.* 1. *n.* 1. & 3. Palaus *tom.* 7. *tract.* 31. *disp.* 1. *punct.* 18. *§.* 9. *n.* 1. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 6. *punct.* 4. Molina *tom.* 3. *disput.* 741. *n.* 1. Rebell. 1. *p. lib.* 2. *q.* 11. *n.* 1. Bonacin. *disp.* 1. *q.* 4. *punct.* 1. *n.* 1. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 13. *n.* 2. ¶ Cæterùm si nihil interfit justi illius possessoris, an ipsi, vel domino res restituatur, poterit domino restitui; secùs verò si illius interfit, quia privatur jure suo. Sed hoc intellige, modò suspectus non sit, quia si verosimilius judicaretur rem posteà detenturum, vel alienaturum, vel non sine damno, aut magna difficultate rem domino redditurum, quia vel fortè callidus est, vel prodigus, vel avarus, vel fur, rem non ipsi, sed domino reddere debes, nisi ea causa tibi damnum timeas probabilitèr eventurum. In dubio autem nemo debet privari justa possessione citra injuriam; & ideò, nisi certum, vel valdè verosimile sit, quod diximus, illi est talis res restituenda. Soto *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 1. *§.* 1. Rebell. *q.* 11. *num.* 4.

Res ablata ab injusto possessore, non illi, sed domino est reddenda.

200 At verò si res auferatur ab eo, qui absque justo titulo eam possidebat, vel quia ipse furatus eam fuerat, vel mala fide acceperat, vel, si bona fide, erat iam morosus detentor, & sic malæ fidei possessor, & de hoc constaret (in dubio enim, vt diximus, semper illi, à quo ablata est, est restituenda, quia ipse possidet; & sic in dubio est melior eius conditio) tunc reddenda est res ipsi domino: quia fur, vel iniquus detentor nullum habet jus ad illam. Sed in tali casu monere debet ipsius dominum (si id absque notabili incommodo potest) ne rem ab alio iterum petat; & etiam eum, à quo

quo ablata res est, ne ipse iterum restituat, neve in peccato perseveret, credens se teneri ad restitutionem, & nolens eam facere. Villalob. *n.* 1. Bonacin. *n.* 3. Bañ. Rebell. Molin. *loc. citat.* Petr. Navar. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 22. Sayr. *in Clav. Reg. lib.* 10. *tract.* 5. *num.* 19.

Res aliena à possessore bonæ fidei ablata, domino, non possessori, est reddenda.

201 Quando verò rem à possessore bonæ fidei contractu lucrativo accepisti, qui reipsa nullum jus habebat ad eam, teneris eam vero domino restituere, si id absque magno incommodo potes (si enim hoc timeas, cùm non debeas rem domini cum tuo detrimento curare, sufficit si eam in statu, in quo accepisti, reddas, eam possessori restituens) quia nec tu potes eam retinere, nec ille possessor bonæ fidei, cùm nullum jus habeat ad rem alienam: domino ergo est reddenda, nisi ex contractu depositi, pignoris, vel commodati acceperis: quia fides horum contractuum postulat, quòd res reddatur illi, à quo accepta est; monito tamen priùs illo rem esse alienam, vt ipse domino restituat. Et etiam ex charitate teneris monere dominum, si commodè potes, vt rem suam recuperet. Palaus *supr. n.* 2. Rebell. *n.* 5. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 5. ¶ At verò si contractu oneroso (nimirùm per venditionem) rem bona fide à possessore bonæ fidei accepisti, poteris possessori reddere, vt pretium tuum recuperes: quia non teneris cum jactura propria dominum indemnem servare, juxta dicta suprà *punct.* 3. *à n.* 83. Si autem justus possessor non compareat, vel non potes ab eo pretium datum redimere, eam domino tradere teneris: quia jus habet illam vendicandi, quod tu elidere non potes, quantumvis pretium amittas, vt constat ex ibidem dictis.

Quando res domino est reddēda, est reddēda etiā hæredibus eius, illo defuncto.

202 Sed hic duo advertenda veniunt: primum, quòd in dictis casibus, in quibus debitori, vel possessori, vel domino rem restituere tenetur, tenetur id ipsum facere hæredibus ex testamento, vel ab intestato, si ille mortuus fuerit: quia hæredes in omnia jura defuncti succedunt, vt docet D. Thom. *loc. cit. ad* 3. Nec poterit pauperibus erogare, vel in pia opera distribuere pro anima defuncti bona illa hæredibus restituenda: quia iam defunctus non habet illorum dominium, sed hæredes: & sic si pauperibus largiretur, teneretur hæredibus talia bona restituere, quia fecit restitutionem ei, cui facere non tenebatur. Sayr. *tract.* 6. *cap. vnic. n.* 16. Bonac. *disp.* 1. *q.* 4. *punct.* 1. *n.* 7. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 13. *n.* 11. Nisi bona fide talem distributionem inter pauperes, vel pia opera fecerit, quia tunc non tenebitur amplius restituere: quia nec ratione rei alienæ, nec ratione injustæ actionis talem obligationem habet. Si autem hæres ignoretur, vel incertus sit, idem est judicium ferendum, ac de bonis incerto domino debitis, de quo *§.* 3. erit sermo.

Res ablata à filiofamilias parenti, ab vxore viro, à Religioso Monasterio est reddēda.

203 Secundum, quod notare oportet, est quòd si rem auferas à filiofamilias, à Religioso, ab vxore, à minoribus, non satisfacis illis talia bona reddendo, sed debes reddere ei, qui dominium talium rerum habet, vt est Monasterium respectu Religiosi: vel administrationem, vt pater, vir, Tutor respectu bonorum filijfamilias, vxoris, & minoris: & si illis solvas, iterum istis solvere teneris, nisi scias rem conversam esse in patris, viri, vel etiam filij, aut vxoris vtilitatem. Villalob. *num.* 16. Palaus *§.* 9. *n.* 4. Rebell. *n.* 8. Tapia *n.* 2. & nisi sint ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quorum dominium, & administratio est apud filium: vel nisi illam rem ad suum vsum ex cōsensu Tutoris, Curatoris, patris, viri, respectivè habeant; sicut res ablata à Religioso est restituenda Monasterio, nisi sit ex ijs, quæ ipsi ad vsum de consensu Superioris sunt applicata: nam in similibus casibus sufficit, & debet restitui res ei, à quo immediatè fuit ablata.

§. II.

An restitutio facienda sit vero domino rei, quando ipsi, vel alteri futura est nociva.

Res nō debet reddi domino si illi, vel alteri futura est damnosa.

204 QUando rem alterius in depositō, vel alio quocumque modo habes, non poteris illam ipsi petenti reddere, si probabilitèr cognoscas illi, vel alteri futuram esse damnosam; sed differre potes, & debes, commodiori tempore, vel eam apud te retinere reddendam, quando tale incommodum non sequatur, vt tradit D. Thom. *loc. cit. ad* 1. quem sequuntur omnes Doctores. Et ratio est, quia restitutio facienda est in commodum creditoris: ergo si talis restitutio non commodum, sed incommodum ei allatura est, minimè est facienda, quando tale damnum timetur: & sic arma restituere non poteris ei, qui apud te in depositum reposuit, si scias in perniciem suam, vel aliorum eis abusurum, nisi ipse æquale damnum passurus esses retinendo, quia tunc gladium ei reddere potes, qui tibi dedit, etiamsi ad sui, vel aliorum damnum efflagitet: quia nemo tenetur vitare damnum alienum cum detrimento proprio. Hoc tamen periculo ablato, non solùm teneris ex charitate negare arma petenti: quibus scis abusurum ad suam, vel aliorum perniciem, sed ex justitia: eriſque proindè obnoxius restitutioni damnorum inde obvenientium: quia non solùm negativè, sed positivè influis porrigendo arma, & instrumenta, quibus damnum est eventurum; & sic eris causa damni, obligarisque ad restitutionem, juxta textum in cap. *Final. de Injurijs. & damnis*, ibi: *Si tua culpa damnum datum est in re, te satisfacere oportet.* Nec enim in tali casu minus influit ad malum, qui instrumenta damni apud se deposita tradit, quàm si sua essent, & conferret: in quo casu nulli dubium est, esse tradentem obnoxium restitutioni, vt constat ex leg. *Si pignore* 54. *§.* 4. ibi: *Qui ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium, vel armarium: vel scalas sciens commodaverit ad ascendendum, licèt nullum eius consilium principalitèr intervenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur.* Et ita in nostro casu tenet Bañ. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *dub.* 2. Aragon. *ibi, concl.* 2. Tapia *q.* 30 *art.* 2. *n.* 2. Sot. *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 1. *ad* 1. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 13. *n.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 4. *n.* 59.

Non teneris ex justitia ré negare ei, qui in suum damnū spirituale est illa abusurus.

205 Cærerùm si damnum, quod timetur ex traditione rei, non sit corporale; sed spirituale, certum est, ex justitia non teneri debitorem illam rem retinere; vt si pecunias debitas petat ad luxuriosè videndum, vel ad illas malè expendendas. Tùm quia debitori non incumbit curare, quomodo alius, cui restituit rem, impensurus est. Tùm etiam, quia illa retentio non est medium proportionatum ad vitandum damnum spirituale, sicut est ad damnum temporale præcavendum: quia sicut damnum corporale per media corporalia evitatur, sic damnum spirituale per spiritualia media, scilicet per correctionem

nem debet præcaveri. Tum denique, quia alius eſt dominus ſuarum actionum ſpiritualium, quibus damnum illud incurrit, & tale damnum ſubire liberum eſt illi; non ita reſpectu damni corporalis, vnde licèt iſtud teneatur præcavere ex juſtitia, arma, vel inſtrumenta retinendo; illud tamen evitare ex juſtitia non tenetur: nec erit reſtitutioni alicui obnoxius, ſi tale damnum ſequatur, vt aſſerunt communiter Doctores. Et idem, dicunt, dicendum eſſe, quando damnum temporale, quod timetur, eſt in rebus familiaribus, quarum alter eſt dominus, ob rationem vltimam, quam modò dedimus.

Non tenetur ex charitate debitum negare alteri nocitarum, ſi id abſque incómodo ſui non poteſt?

206 Difficultas autem eſt, an ſaltem ex charitate teneatur debitor denegare rem debitam creditori poſtulanti, ſi ſciat ea abuſurum eſſe in ſuum damnum ſpirituale, nimirum ad luxuriosè vivendum? In quo certum eſt, quòd ſi ex tali denegatione debitor aliquod damnum timeat, licèt non multum grave, poterit talia bonareddere: quia cum ſui detrimento non debet curare, quomodo alius ea expenſurus ſit; nec alterius peccata, quæ fiunt ab alio liberè, cùm ſuo incommodo vitare, vt ſi vel illius amicitiam ob talem denegationem, vel alia emolumenta timeat amiſſurum. ¶ Similitèr eſt certum, quod ſi damnum ſpirituale, quod timetur, non ſit ſolùm ipſius petentis, ſed alterius tertij, tenetur debitor rem denegare ex charitate, ſi id abſque magno incommodo poteſt, vt ſi ad ſolicitandam mulierem tale debitum poſtulentur, ex quo illius lapſus timetur: quia tunc alius innocens eſt, & ex charitate teneor impedire illud, quod nocet innocenti, juxta illud Eccleſiaſt. 17. *Unicuique mandavit Dominus de proximo ſuo.* Sed hoc intellige, ſi ſpes ſit talem detentionem profuturam ad evitandum damnum; nam ſi talis non detur ſpes, nec teneor retinere debitum ob damnum ſpirituale eius (imò nec corporale) qui petit, nec alterius, quem ſolicitabit. Quæſtio igitur eſt, an teneam ex charitate denegare pecunias creditori depoſcenti, quas in ſui damnum ſpirituale credo convertendas, ſi hoc abſque magno incommodo facere poſſum.

Tenetur debitor ex charitate rẽ nõ dare ei, qui illa eſt abuſurus.

207 Negant teneri debitorem ſuam rem denegare creditori inſtantèr petenti ex charitate in caſu dicto Bañez *ſupr. concluſ.* 2. Tapia ſuprà *num.6.* Villalob. *num.5.* quia talis denegatio non eſt medium proportionatum ad evitandum peccatum, ſicut eſt correctio fraterna, quando ex ea fructus ſperatur. ¶ Cæterùm negari non poteſt, quòd talis denegatio, quando eſt ſpes, quòd proficiet, eſt medium, etſi non directè, & per ſe ad tale damnum ſpirituale vitandum, aptum tamen, & congruum ad intentum: ſicut pœnæ corporales ad præcavenda plura peccata. Undè ſicut ex charitate teneor (cùm commodè poſſum) alium domi detinere, vt evitet plura peccata, quæ foris patraturus eſt: ita multò magis differre ſolutionem pecuniarum, quibus in perniciem animæ eſt abuſurus. Sot. *lib.4.q.7.art.1.* Navar. *cap.17.n.62.* & *63.* Leſſ. *lib.2.cap.16.n.53.* Qui addit rarò eſſe peccatum mortale debitum petenti ſolvere, qui abuſurus eſt eo in ſuum damnum ſpirituale. Tùm, quia poteſt debitor illum corrigere, & ſic aptiori medio à malis avertere. Tùm etiam, quia hoc remedium parum eſt in vſu, & parum efficax eſt ad intentum.

*** *** *)(§)(* *** ***

§. III.

Cui facienda eſt reſtitutio rei ablatæ, vel acceptæ, quando dominus eſt ignotus, vel incertus?

Qui rem incerti domini habet, omnem tenetur adhibere diligentiã inquirendi illum?

208 NOn loquimur in præſenti de rebus inventis, quarum dominus ignoratur: nam de his iam egimus *tract.præced.cap.2.punct.8.§.2.à n.82.* ſed de rebus ablatis, vel quomodolibet debitis, quando ignotus eſt dominus. In quo eſt certum, debere poſſeſſorem bonæ, vel malæ fidei omnem diligentiam adhibere in inquirendo vero domino, vt illi ſua res reddatur: & ſi eum mortuum eſſe conſtiterit, in hæredibus inquirendis: & maiorem, vel minorem adhibere debet diligentiam, ſecundùm quòd res debita eſt magis, vel minùs gravis, & pretioſa, aliàs dicendum non eſt, dominum eſſe moraliter ignotum, nec excuſabitur à reſtitutione debitor, cum ſit ignorans culpabiliter: non enim vult intelligere, vt benè agat. Et ſi, ſufficienti adhibita inquiſitione, dubium ſit, an res ſit Petri, vel Ioannis, cùm ſit certum eſſe vnius ex illis, tenetur illam inter vtrumque dividere, juxta proportionem dubij maioris, vel minoris, plus ſcilicèt dando illi reſpectu cuius magis inclinatur ſuam eſſe: quia tunc nullus poſsidet, vt in individuo ſit melior eius poſſeſsio; ſed vterque jus ad rem habet juxta proportionem dubij, quod de illo habetur: ergo eſt dividenda inter vtrumque, cum proportione dicta, vt eſt apud Doctores inconcuſſum.

Debita incerta ex delicto pauperibus sũt applicanda.

209 Igitur quando dominus rei omninò eſt ignotus, debita omnia, quæ ex delicto erant reſtituenda; debent inter pauperes diſtribui, vel pijs operibus applicari, vt docet D. Thom. *in ſolutione ad tertium, loc.cit.* & habetur ex jure canonico, capit. *Cum tu, de Vſuris*, cap. *Quamquam, eod.tit.in 6.* cap. *Cum ſit, de Iudæis.* Quibus in textibus, licèt ſolùm ſit ſermo de acquiſitis per ſimoniam, & vſuram, quorum dominus ignoratur, ex communi conſenſu Doctorum, & conſuetudine (quæ optima eſt legum interpres) extenditur ad omnia debita ex delicto, quorum dominus ignoratur, juxta cap. *Nemo, qui rapit* 14.*q.*5. & jure civili, authentic. *Omnes peregrin.de Succeſ.collat.10. leg.pen.tit.1.p.6.* & meritò, ne contingat homines divitijs aliorum diteſcere, plurimiſque aditus patefiat injuſtitijs.

Aliqui dicunt ex jure naturæ eſſe prædicta debita pauperibus reddenda.

210 Sed nunc reſtat gravis difficultas, an, præciſo jure poſitivo, ex ipſo naturæ jure debeant talia bona pauperibus applicari? Proindeque nulla conſuetudine, nulloque jure fieri poſsit, vt alteri res applicentur. Et videtur ita dicendum. Tùm, quia valdè probabiliter præſumitur ea voluntas domini, qui ſi interrogaretur, abſque dubio reſponderet, ſua velle in ſuum commodũ ſpirituale applicari per eleemoſynam, cùm non poſsit ea corporaliter poſsidere. Tùm etiam, quia bona aliena eo modo, quo poſſunt, ſunt reſtituenda ſuis dominis, ita vt ipſæ res, vel vtilitas ex illis ad dominum perveniat, quod dando pauperibus pro illius anima fiet. Ita Caietan. *2.2.q.62.art.5.* Aragon. *ibi, pag.157. col.2.* Covarr. *ad regul.peccat.p.3.§.1.* & videtur tenere, licèt reipſa nobiſcum ſentiat, Tap. *lib.5.q.3.art.3.n.6.* qui citat Sot. *lib.4.de Iuſtit.q.7.art.1.ad 3.* Sed immeritò, quia Soto nil aliud revera tenet, quàm id, quod nos in concluſione dicemus.

211 Dicendum itaque eſt, hæc bona incerta (præ-

Iure naturæ debita incerta non sunt restituenda pauperibus.

(præciso jure positivo) non esse pauperibus debita, sed jure naturæ pretium devolvi ad communitatem reipublicæ, & ad statum pristinum, in quo erant ante divisionem factam jure gentium: possèque rempublicam, vel summum Pontificem, vel Regem, vt veros, & legitimos administratores horum bonorum, convertere illa in quoscumque vsus bono communi vtiles, non secùs ac alia bona communia: & ideò hæc bona jure pontificio, & regali applicata sunt vrgentioribus necessitatibus, nempe pauperibus, qui sunt egena, & infirmiora membra reipublicæ. Et probatur non esse applicanda jure naturæ pauperibus: quia jus naturæ solùm obligat, vt debitum reddatur ei, cuius est, si possibile fuerit, si autem id fieri non potest, non jubet pauperibus applicari: quia hi non sunt hæredes illius legitimi, qui succedant in ipsius jura. Sed præcipuè hoc ipsum probatur, quia si esset obligatio justitiæ ad animam domini, in cuius beneficium essent ista bona pauperibus applicanda, nec, Authore Pontifice, aut alio Principe, possent alteri applicari, aut non possent saltem cum minori quantitate applicari, & ita deberet semper pro salute domini tota quantitas expendi. Cuius oppositum videmus fieri à Pontifice in bulla Compositionis, & per Principes, qui in Hispania, & Gallia plura incerta bona fisco applicarunt. Ita Sot. *loco supr. citat.* qui proculdubiò est huius opinionis. Bañ. 2.2.*q.*62.*art.*5. *dub.* 2. Ledesm. *de Iust. lib.*2.*cap.*14.*dub.*6. Villalob. *tract.* 11. *diff.*13.*n.*7. Less. *lib.*2.*cap.*14. *dub.* 6. Dicast. *lib.* 2. *tract.*2.*disp.*9.*dub.*14.*n.*372. Vazq. *de Rest.cap.*5.*§.* 4.*dub.*1.*à n* 7. Petr. Navar. *lib.*4.*cap.*2.*dub.*7.

Solvuntur fundamenta contraria.

212 Ad fundamenta contraria respondetur. Ad primum dicimus, quòd cum per ignorantiam domini (facta sufficienti inquisitione) jure naturæ bona devoluta sint in statum communem, iam dominus illorum dominium perdidit, & fiunt jure naturæ primò apprehendentis. Undè non est expectanda ignoti domini voluntas, nec expressa, nec præsumpta, quia post indaginem sufficientem ab illa non dependent illa bona: quia iam amisit dominium eorum. ¶ Ad secundum dicimus, debitorem teneri quidem ex jure naturæ eo modo rem restituere, quo ipsa, vel eius pretium, aut quævis temporalis vtilitas perveniat ad verum dominum (si fieri potest vt perveniat) Cæterùm non tenetur ex jure naturæ procurare, vt si vtilitas temporalis nequit provenire ad dominum, perveniat saltem vtilitas spiritualis: quia nemo jure naturæ tenetur compensare bonis spiritualibus damna temporalia, quamvis quòd ita fiat, æquissimum sit, & valdè consentaneum rationi, & sic per leges statutum est.

Probabile esse debita incerta, & non ex delicto contracta, non esse pauperibus applicãda, aliqui dicunt.

213 Ex dictis in assertione posset aliquis non improbabiliter inferre, bona illa incerta, quæ absque injusta actione possidentur, nimirum vel quæ bona fide, vel ex contractu justo habentur, posse post diligentem inquisitionem ab ipso debitore retineri, sine eo quòd teneatur ea pauperibus distribuere, quia ad id non tenetur jure naturæ, vt diximus: nec etiam jure positivo; siquidem jura supra allata solùm loquuntur de debitis incertis injustè possessis, non verò de illis, quæ absque injustitia possidentur, & ratio adducta *n.* 209. pro illis, non militat pro istis. Hæc ergo, & omnia debita incerta devoluta sunt ad statum communem, quem habebant ante divisionem jure gentium factam, quo modo omnes res erant communes negativè, id est, nullius domini particularis; & sic fiebant primò occupantis, sicut modò fiunt ea, quæ nullum dominum habent, vt feræ, pisces, margaritæ. Igitur hæc bona fiunt primò occupantis, quandiù vel à republica, vel eius Principe non sunt alteri applicata: & cùm solùm applicata sint jure regali, & pontificio bona injustè accepta pauperibus, vel pijs operibus, sequitur bona illa incerta, quæ absque injustitia possidentur, fieri primò occupantis, ac proinde ipsius possidentis, & hoc probabile esse, asserit Palaus *disp.*1.*punct.* 18. *§.*8.*n* 1. Dicast. *lib.*2.*tract.*2.*disp.*9.*dub.* 14. *n.* 381. Less. *lib.*2.*cap.*14.*dub.*6.*n.*38. Petr. Navarr. *lib.*4.*cap.* 2.*n.*47. Laym. *lib.*3.*sect.*5.*tract.*1.*cap.*9.*n.*1.

Verius est debita incerta, etiamsi ex delicto non sint, deberi inter pauperes distribui.

214 Cæterùm, quia communis sententia stat in oppositum, eo quod illæ leges ex consuetudine, & communi Doctorum consensu, de quibusvis debitis incertis accipiantur; nam sicuti solùm loquuntur de debitis per simoniam, aut vsuram contractis, & communi sensu, & consuetudine extenduntur ad alia debita, quæ ex delicto habentur: ita ex communi consensu, & consuetudine extenduntur ad quælibet incerta debita, quæ debitor tenetur inter pauperes distribuere, non in pœnam delicti, & sic non est expectanda Iudicis sententia; sed quia jure impeditur translatio dominij in ipsum, & ex ipso jure pauperibus applicantur. Ita D. Thom. 2.2.*q.*62.*art.*5.*ad* 2. Rebell. 1.*p.lib.*2.*q.*12.*n.*3. Molin. *tom.*2.*disp.* 59.*fine*, & Authores *num. præced.* relati, & communiter omnes. Videantur quæ diximus *tract.præced. cap.* 2. *num.*85.

Quibus pauperibus bona incerta sunt applicanda?

215 Sed inquires primò, inter quos pauperes debeant tales res domini incerti distribui? Et quidem licèt sit optimum consilium pauperiori hæc bona impertiri, id necessarium non est, sed sufficit, si pauperibus, qui verè tales sunt, applicentur, quia Pontifex solùm jubet pauperibus impendi: & esset res pluribus scrupulis obnoxia, si solum pauperioribus essent eroganda. Atque ita docent Rebell. *sup.num.*14. Palaus *§.*8.*num.* 2. Lessius *loco citato*, Dicastill. *num.*386. Petr. Navar. *lib.* 4. *cap.* 2.*num.*47. alter Navar. *cap.*17.*num.*93. ¶ Sed difficultas est, an debeant eligi pauperes illius loci, in quo res ablata est: an sufficiat inter pauperes, vbicumque fuerint, rem illam distribuere? Affirmant deberi eligi pauperes illius loci Villalob. *num.*10. Bañ. *artic.* 5.*dub.* 6. Tùm, quia credibile est ibi aliquem hæredem domini reperiri; & sic non est omninò ignotus dominus. Tùm etiam, quia ita præsumitur voluntas domini, ob affectum suæ patriæ. Sed quid si ille locus non esset in sua patria, & sic nullus in eo hæres existeret, vel existere prudenter crederetur? Verius ergo dicendum est cum Sot. *supr.* Tapia *num.*4. Rebell. *num.* 14. quod si injuria facta est alicui communitati, vel maiori parti illius, nimirum toti oppido, dum per exercitum iniquè devastatur, tunc si ignotus est dominus in particulari, facienda est illi communitati restitutio, vt ipsa inter partes læsas modo convenientiori distribuat. Quando verò contractum est debitum per aliquarum personarum injuriam singularem, non est necessarium in eodem oppido fieri; sed quibusvis pauperibus vbicumque occurrentibus possunt talia bona impendi. ¶ Si verò quis minutis venditionibus panis, vini, & olei multos alicuius communitatis defraudavit, nimirum, vel maiorem partem, vel saltem æqualem illius; tunc si vero simile sit eos iterum apud eum empturos, tenetur vendere vilius in eadem communitate: quia sic major pars damnificatorum

con-

compenſabitur. Dicaſt. *n.* 366. Rebel. *n.* 16. Tap. *n.* 5.

Quid nomine pauperũ intelligatur?

216 Sed notandum eſt primò hic nomine pauperum etiam pia opera venire, in quæ poſſunt talia debita expendi, vt omnes aſſerunt. Secundò poſſe ipſum debitorem ea ſibi indigenti, vel ſuis conſanguineis applicare, quando indigentia eſt manifeſtiſsima, & clariſsima, quia non eſt deterioris conditionis ac alij pauperes. Cæterùm ne detur occaſio excedendi in cauſa propria, quando ſua, vel ſuorum non eſt ita evidens neceſsitas, vt ea ſibi applicare poſsit, conſulere debet Epiſcopum, vel prudentem Confeſſarium, aut virum ſapientem, vt id facere valeat, vt inquit Sotus, & Tapia; quamvis Caietanus, Villalob. & Dicaſtill. id facere poſſe abſque tali conſenſu, aut conſilio aſſerant, maximè ſi ipſe ſit vir prudens, & ſapiens. ¶ Tertiò notandum eſt, quòd ſuper his bonis incerti domini poteſt fieri compoſitio per bullam Compoſitionis: quia hæc eſt regula generalis apud Authores explicantes illam, quòd in omnibus caſibus, in quibus obligat reſtitutio, & non invenitur creditor certus, cui fieri poſsit, habet compoſitio locum per bullam. Et quotieſcumque aliqua cedunt pauperibus, vel locis pijs per talem bullam poteſt fieri compoſitio. Sic Trullench. *in expoſitione bullæ, lib. 3. dub. 4. num. 4.* Rodrig. *ibi, dub. 1. §. vnico, n. 34. & 46.* Mendus *ibi, diſp. 33. cap. 3. n. 25.* Quomodo autem fieri debeat talis compoſitio, apud prædictos Authores videri poteſt. Scito tamen, pro ſingulis bullis vſque 50. regales 58. & 28. marapetinos componi.

Facta iam applicatione incertorum bonorum, nec diſtribuens, nec ille, cui diſtributa ſunt, tenetur domino cõparenti aliquid reddere.

217 Vltimò eſt advertendum, quòd facta compoſitione per bullam, vel applicatis iam his bonis ritè, vel ſibi, vel alijs pauperibus, etiamſi ipſe ad meliorem fortunam veniat, non tenetur amplius reſtituere, etiamſi poſteà dominus certus compareat: quia bona fide applicata ſunt; & *bona fides non patitur, vt debitum amplius exigatur, regul. 83. juris in 6.* Nec pauperes, quibus diſtributio facta eſt, tenentur domino comparenti aliquid reddere: quia jure optimo fuit facta applicatio, ratione cuius pauperes dominium acquieſierunt: quemadmodùm per præſcriptionem dominium acquirit poſsidens, tempore, & conditionibus ad illam requiſitis impletis, & non tenetur comparenti domino rem reſtituere, vt diximus *tract. præced. cap. 2. n. 110.* & nihil intereſt in noſtro caſu, quòd ſemel, aut iterum privetur dominus ſua re; ne crebriùs ignoti domini res vſurpentur indebitè, ac vſu convenienti, & neceſſario bono communi careant. Mend. *ſupr. n. 27.* Villalob. *tract. 11. diff. 13. n. 13.* Tapia *lib. 5. q. 30. art. 3. n. 11.* Bañ. *2. 2. q. 62. art. 5. dub. 8. concl. 5.* Salon. *ibi, concl. 6. in fine,* Dicaſtill. *tract. 2. diſp. 9. n. 390.* Henriq. *lib. 7. cap. 34. n. 6.* Trullench *ſupr. n. 8.* Lug. *tom. 1. de Iuſtit. diſp. 21. ſect. 7.*

Non requiritur cõſenſus Epiſcopi, vt hæc bona pauperibus applicentur?

218 Inquires ſecundò, an iſta diſtributio inter pauperes, vel pia opera debeat fieri Epiſcopi conſenſu? De eo qui ſibi, vel ſuis talia bona applicavit, iam diximus. De eo, qui alijs pauperibus elargiri vult, quærimus. In quo aſſerendum eſt, minimè neceſſarium eſſe talem applicationem fieri ex conſilio Epiſcopi, Confeſſarij, vel alterius viri prudentis, ſed poſſe debitorem talia bona propria authoritate in pauperes, vel pia opera expendere: quia hæc debita applicata ſunt pauperibus ſupradictis legibus eccleſiaſticis; ſed in eis non fit mentio huius conſenſus nec apponitur limitatio conſulendi aliquem: ergo, &c. Ita Villalob. ſuprà *n. 7.* Bañ. *dub. 7. concl. 3.* Tapia *n. 7.* Dicaſtill. *n. 383.* Sanch. *lib. 6. Sum. capit. 11. n. 54.* Palaus *§. 8. n. 2.* Optimum tamen erit conſilium, Epiſcopum, vel Confeſſarium prudentem, aliumve ſapientem virum conſulere, maximè ſi res ſit notabilis valoris; non tamen id eſt ex præcepto neceſſarium. Quo ſenſu dixit D. Thom. *in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5.* oportere reſtitutionem fieri conſulto Epiſcopo, vel eo, cui incumbit cura civitatis: intelligitur enim, vt explicat Magiſter Soto, de conſilio, non de præcepto: & ſic in præſenti *art. 5. ad 3.* vbi de neceſſarijs agit, hoc prætermiſit. Excipe diſtributionem ab vſurario faciendam, quæ ex præcepto debet fieri de licentia Epiſcopi, ex cap. *Quamquam, de Vſuris in 6.* fortè propter infirmam illorum confidentiam.

§. IV.

An ſolutione facta creditori mei creditoris, liber ſim ab alia facienda?

Quando ex eadem cauſa debitũ contrahitur, ſatisfacit debitor creditori ſui creditoris ſolvendo.

219 PRò complemento eorum, de quibus hoc Puncto egimus, nimirum de his quibus facienda eſt reſtitutio, placuit hoc dubium reſolvere: & loquimur in foro conſcientiæ (quidquid ſit de foro externo.) Et eſt caſus quando tibi centum debeo, & tu totidem debes fratri meo, & vtrumque debitum eſt liquidum, ſi fratri meo illa centum reddam, liber ero à facienda tibi alia reſtitutione? Et omnes conveniunt, quòd ſi debitum vtrumque ſit ob eandem cauſam contractum, liber ero ab alia ſolutione in tali caſu. Ut ſi à te locavi domum centum aureis, quam tu totidem locaſti à fratre meo, in vtroque foro tibi ſatisfacio pecuniam fratri meo ſolvendo: & idem eſt, ſi ſolvam nummos illi, à quo tu illos mutuos accepiſti, gerendo meum negotium: quia nullam tibi injuriam irrogavi, quin potiùs vtiliter tuum negotium egi. Dubium ergo eſt, quandò debitum ob diverſam cauſam eſt contractum.

Non poſſe debitorem creditori ſui creditoris ſolvere, aliqui dicunt.

220 Negat prima ſententia, me modo dicto debito mei creditoris ſatisfacere. Primò, quia creditor jus habet, vt ego illi ſuam rem reſtituam, vel reddam: & fortè ſua intereſt, vt non reſtituam ſuo creditori: quia vel ſperat, quod remittet, vel differet ſolutionem; & mihi dicere poteſt: quis te mea debita ſolvere iuſsit? Secundò, quia hoc modo ſi ſatisfaceres creditori, liceret tibi hoc facere, quod videtur falſum, alias etiam eſſet licitum ab alio bona auferre, vt ſuis debitis ſatisfaceres; & ſi haberes ab eo depoſitum, commodatum, aut pignus, poſſes ſuo creditori tradere in ſolutionem debiti, vel ſaltem in pignus, ſeu quaſi depoſitum, quouſque illi debitum ſolvat, quod non eſt admittendum: quia alias omnia eſſent dolo, & fallacia plena. Sic Bartol. in leg. *Solutum 11. ff. de pignor. act.* Sylveſt. *quæſt. 4.* quos affert, & ſequitur Villalob. *tract. 11. diff. 13. num. 19.*

Verius eſt ſatisfacere, qui creditori ſui creditoris reſtituit.

221 Secunda, & probabilior ſententia affirmat. Primò, quia, ſic ſolvendo, nullum damnum meo creditori infero, cum eum liberem à debito, quo reſpectu ſui creditoris tenebatur obſtrictus; & totidem illi reddo, ac debeo: ſiquidem liberare aliquem à certa obligatione ſolvendi centum, idem eſt, ac illi totidem dare, & eiuſdem æſtimationis. ¶ Secundò, quia ſi ego centum tibi deberem, & tu totidem deberes mihi, poſſem vti compenſatione, & à ſolutione abſtinere; ſed quando ego ſolvo tuo creditori, quod tu illi certò debes, ille jus ſuum in me transfert, & conſequen-

quenter illius debiti ego sum creditor: ergo tu debes mihi illa centum, quæ alteri debebas: ergo potero vti compensatione, non solvendo tibi centum, quæ debeo. Sic Less. *lib. 2. cap. 16. dub. 5.* Palaus *disp. 1. punct. 18. §. 10. n. 1.* Petr. Navar. *lib. 4. cap. 2. n. 20.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 9. n. 8.* Bonac. *disp. 1. q. 5. punct. 1. n. 1.* qui citat Rebel. Molin. Sayr. & Valentiam.

Solvuntur fundamenta contraria.

222 Ad primum contrariæ sententiæ fundamentum dicimus, neminem teneri immediatè rem reddere creditori, sed ita illi rem impendere, vt nullum patiatur detrimentum, vt in præsenti contingit: nec justè conquereretur creditor de me, qui vtilitèr eius negotium gessi; præterquam quòd creditor illius factus sum, & non debet molestè ferre, quòd si ego debeo illi, vt creditori, centum, ego talia centum mihi retineam, cum totidem ipse mihi debeat. ¶ Ad secundum respondetur, licitum esse ex justa causa, modo dicto, creditori mei creditoris debitum solvere, vt tenent Lessius, Villalob. Layman, Palaus, & ipse Villalobos, cum Rebello, servatis conditionibus justæ compensationis. Et similitèr, his regulis justæ compensationis servatis, licet mihi à nolente debitum suo creditori reddere, pecunias ab eo accipere, vt domino reddam; vel depositum, aut pignus illi in pignus dare: quia si ipse dominus potest à suo debitore rem modo dicto accipere, etiam ego potero negotium illius gerens, vt expressè testatur Bonac. *n. 2.* Molin. *disp. 741. n. 5.* Reginald. *lib. 10. tract. 3. n. 170.* In nostro autem casu præcipuè licet dicta compensatio: quia non datur inter debitorem, & creditorem, quæ fieri debeat authoritate Iudicis; sed inter creditorem, & creditorem, de qua non loquuntur leges, quæ talem sententiam requirunt, vt infrà *n. 303.* dicemus.

PUNCTUM XII.

De Ordine in restitutione servando.

Quid præcipuè tandum sit in hoc puncto?

223 GRavis huius difficultatis, & ad praxim adeò necessariæ decisio, magna ex parte ex legibus, & juribus, tàm communibus, quàm municipalibus dependet; & sic præcipuè ad Iuristas, quàm ad Theologos, pertinet eam ex omni parte exhaurire: nos verò ex illis generalia, & principaliora duntaxat deducentes, monemus lectorem, quòd in casu gravi occurrenti, suæ scientiæ non fidat, nisi sit vtriusque juris-prudentiæ peritus; sed consulat illius facultatis professores, ab eisque notitiam accipiat, ne in suo consilio alijs injustitiam irroget: quia sunt plures leges, vel communes, vel municipales, ex quibus resolutio dependet: præterquam in his, quæ sunt ex jure naturæ. Omnia brevitèr hoc Puncto diversis paragraphis attingemus.

Diversa creditorum genera explicantur.

224 Sed ante omnia præmittimus, ordinem servandum inter solutionem faciendam creditoribus (de quo hoc Puncto discutiemus) locum habere, cùm bona debitoris non sufficiunt pro omnibus creditoribus integrè solvendis; si enim sufficientia sint, singulis, quæ sibi debentur, sunt reddenda; nec oportet assignare cui priùs, aut posteriùs. Dissidium ergo est, quando bona pro omnibus non sufficiunt, quibus creditoribus sit priùs solvendum? Inter hos autem creditores aliqui sunt, qui ex jure naturæ alijs præferuntur, illi nimirùm, quibus independenter à legibus prælatio debetur; aliquibus solum ex lege talis antelatio debita est, & dicuntur *privilegiati*, quia ex jure privilegium obtinent, vt illis priùs debitum persolvatur ante alios, qui tali privilegio carent. Alij denique, qui nullo ex his modis sunt præferendi, sed æquale jus ad bona debitoris habent, vt ex eis, quod sibi debetur, persolvatur. Cæterùm creditores, sive privilegiati, sive non, aliqui tantum sunt *personales*; illi nimirùm qui solam personam debitoris obligatam habent, non verò eius bona, nisi indirectè, quia non habent hypothecam, aut pignus in illis, sed solùm actionem habent adversus personam, vt ex eius bonis ea sibi, quæ debentur, persolvantur; & hi creditores à Iuristis *chirographarij* dicuntur, & à Theologis *personales*. Alij sunt *hypothecarij*, qui non solùm actionem habent personalem adversus creditorem, sed etiam realem in eius bona: quia nimirum non solùm personam debitoris debito solvendo obligatam habent, sed etiam eius bona, quæ, vbicumque inventa sint, secum afferunt onus prædicti debiti solvendi: quia pignorata, vel hypothecata sunt creditori, & illi semper obligata remanent.

Quot modis hypothecæ dicuntur?

225 Cæterùm talis hypotheca, vel pignus (quæ idem sunt quantum ad præsens attinet) alia est *tacita*, quæ ex lege tantum, vel conventione facta habetur, vt res dotales, quæ tacitè bona mariti hypothecata habent; & omnia bona receptorum vectigalium sunt hypothecata fisco: alia est *expressa*, quæ ex conventione contrahentium habetur. Rursus hypotheca alia est *generalis*, qua omnia bona præterita, & futura (vulgò, *havidos, y por haver*) hypothecata remanent: alia *specialis*, qua hæc vinea, hæc domus est hypothecata, & sic obligata creditori. Inter quas hypothecas hoc datur discrimen, quòd hypotheca specialis non perit, re transeunte ad alium possessorem; sed semper cum onere illo transit, manetque hypothecario obligata: generalis verò perit in tali casu, quia afficit debitoris bona non in se, sed quatenus illius sunt; & sic, transeuntibus illis ad alium, à tali onere liberantur. Igitur in præsenti priùs agemus de personalibus creditoribus, quibus ex jure naturæ prælatio in solutione debetur. Secundò de hypothecarijs, quibus etiam ex jure naturæ, & positivo talis debetur antelatio. Tertiò de creditoribus privilegiatis, quibus ex jure positivo talis prælatio debetur. Quartò de ordine servando in satisfaciendis alijs creditoribus personalibus, qui nec ex jure naturæ, nec ex lege habent privilegium, vt eis priùs solvatur.

In conscientia obligat leges statuentes ordinem inter creditores servandum.

226 Sed ante omnia libuit præmittere, vt fundamentum dicendorum, jura tàm canonica, quàm civilia, quæ circa ordinem servandum in solutione debitorum habentur, non solùm obligare pro foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, & ante omnem Iudicis sententiam; non enim sunt leges pœnales, cùm non in vltionem alicuius criminis ponantur, sed præceptivæ, ad publicum bonum, quietem, & tranquilitatem reipublicæ ordinatæ, vt sunt leges præscriptionis, nec nituntur falsæ præsumptioni, & sic omninò sunt observandæ; & qui contra illas fecerit, peccat, & tenetur restituere, tàm debitor, qui, prioribus creditoribus insolutis relictis, quibus ex lege convenit talis prælatio, alijs solvit, quàm solutionem recipiens cum præjudicio priorum creditorum, quibus suum debitum tenetur reddere, quia ex

lege

lege ipſis debetur ante alios. Sic Tapia *lib.* 5.*quæſt.* 31.*art.*7.*num.*1.Prado 2.2.*tom.*2.*cap.* 17.*quæſt.* 9. *n.*15.Bañez 2.2. *quæſt.*62.*art.* 8. *dub.* 3. *docum.* 5. Salon.*ibi*, *fol.*968. Arag. *concluſ. vlt. fol.* 300. Ledeſma 2.*tom. Summ. tract.* 8. *cap.* 17. *concluſ.* 4. Villalob.*tom.* 2.*tract.*11. *diſſic.*24. *num.*2. Leſsius *lib.*2.*cap.*15.*n.*36. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 18. §. 18. *n.*15.Trullench.*lib.*7.*cap.* 14. *dub.*12. *n.* 22. Lugo *diſp.*20. *ſect.*4.*num.*37.*& ſect.* 5. *num.* 87. ¶ Qui notant facilè eſſe poſſe ignorantiam invincibilem in ipſis popularibus, ita vt non peccent, quando præoccupant ſibi debita, non ſervato ordine à jure præſcripto; ſed à Confeſſarijs monendi ſunt de onere reſtitutionis illorum bonorum, quæ apud ipſos extant; vel ſi non extent, quia præoccupata ſunt, id, in quo facti ſunt ditiores, debent reddere, ſicuti alij bonæ fidei poſſeſſores.

Non eſt improbabilis ſententia aſſerens, tales leges non obligare in conſcientia.

227 Sed in gratiam eorum, qui ſibi debita præoccupant, non ſervato ordine juris, non deſinam hìc adnotare, non eſſe improbabilem ſententiam illorum, qui aſſerunt tales leges in conſcientia non obligare, ſed ſolùm pro foro exteriori; ideòque non teneri creditores poſteriores debita ipſis perſoluta anterioribus reddere, poſſeque vti compenſatione occulta, ſi adſint alij creditores ſolo jure poſitivo anteriores. Plures enim ſunt leges conſtituentes id, quod eſt conſentaneum æquitati naturali, & quod in tribunalibus debent obſervare Iudices ob publicam pacem tuendam; quæ tamen non obligant in conſcientia, vt quæ, abſque ſolemnitate debita confecta, irritant teſtamenta: quæ damna à ſervis, vel animalibus facta dominis reſarcienda imponunt: & eſſe huiuſmodi leges illas, quæ ſtatuunt, qui creditores alijs præferri debeant, tenet Gabriel *in* 4. *diſp.* 15. *quæſt.* 2. *artic.*3.*dub.*6. Iacob. Marchant. quem refert, & ſequitur Diana 5.*p.tract.*13.*reſol.*79.& idem Diana 3. *p. tract.* 5. *reſol.*10.*&* 7.*p.tract.*10.*reſol.*19. & probabilem dicunt Machad. *tom.*1.*lib.*2.*p.* 3. *tract.* 23. *docum.* 5. *n.*9.& Trullench. apud ipſum Diana, & non improbabilem reputat Prado *n.* 16.Serra 2.2.*q.*62.*art.*8. *dub.*4.*pag.*262.

§. I.

De Creditoribus, quibus ex jure naturæ debet ſolutio fieri ante alios etiam hypothecarios, & privilegiatos.

Si debita in ſpecie extent, priùs ſolvēda ſunt domino illorum.

228 CErtiſsimum eſt apud omnes, quòd ſi res debita in propria ſpecie perſiſtat, & eius dominium translatum non eſt in debitorem, vt in pignoratis, depoſitis, commodatis contingit, reddenda eſt ante omnes alios creditori illi, qui eius dominium habet, etiamſi nulla alia bona ad alijs creditoribus ſolvendum ſuppetant: quia ſatisfactio non eſt facienda ex alienis; ſed ex proprijs: & illa res propria non erat debitoris, ſed creditoris: quia apud ipſum pignoratam, vel depoſitatam habebat. Quod verum cenſemus, ſive dominus fuerit notus, ſive ignotus. Unde in hoc caſu debitum certum non eſt anteponendum debitis incertis, etiam in ſententia aſſerente debita incerta poſt certa ſolvenda eſſe (de quo poſteà:) quæ ſententia locum non habet, quando debitum incertum extat in propria ſpecie: quia, ſi extet, anteponendum eſt debitis certis, propter rationem dictam, & reddenda eſt eccleſiæ, vel pauperibus, non ſolvendo ex ea certis creditoribus: quia ſcilicèt nō eſt ſolvendum ex rebus alienis. Tap. *lib.*5.*q.*31.*art.*7.*n.*5.Prad.*tom.* 2.*c.* 17.*q.*9.*n.*5.Pal. *diſp.*1.*punct.*18.*§.*13.*n.*2.Lugo *diſp.*20.*ſect.* 1.*n.*1. Dicaſt.*lib.*2.*tract.*2.*diſp.*11.*n.*3.Leſſ.*lib.*2. *cap.* 15. *dub.*1.*n.*3.

Sententia aſſerens debita certa nō debere præferri incertis.

229 Sed difficultas eſt, an debita certa (illa nimirum, quorum dominus non ignoratur) in propria ſpecie non extantia, præferenda ſint debitis incertis? Negat prima ſententia debere inter talia debita aliquem ordinem ſervari, ſed omnia pro rata ſolvenda eſſe, quando bona debitoris non ſufficiunt pro omnibus: quia nec datur talis prælatio ex jure poſitivo, vt conſtat; nec ex jure naturæ, quia eſtò debitum non ſit ex juſtitia pauperibus talia bona diſtribuere, ideòque pauperes in illa jus juſtitiæ non habeant, tamen ſubrogantur loco creditorum incertorum, qui jus non habebant inferius creditoribus certis. ¶ Confirmatur, quia durum eſſet, vt qui per furta, & rapinas multos ſpoliavit, quos ignorat, deberet reſtituere in integrum illis, cum quibus poſteà contrahit, alijs inſolutis; præſertim cum maior pars bonorum illius ex delicto ortum duceret. Sic Bañez 2.2. *quæſt.*62.*art.*8.*dub.*3. Rebell.*lib.*2.*de Reſt. q.*19.*concl.*1. licèt alibi oppoſitum tenuerit. Molina *tract.*4.*diſp.*760.*n.*2.& probabilem judicant Villalobos *tract.*11.*diſſic.*24.*n.*4. Tapia *ſupr.n.*4.& probabiliſsimam Lugo *diſp.*20.*ſect.*1.*n.*5.

Verius eſt debita certa ante incerta eſſe ſolvenda.

230 Verior tamen eſt communis ſententia, aſſerens debita certa præferenda eſſe incertis. Primò, quia reſtitutio ordinatur ad auferendam injuſtitiam, quæ invenitur in retentione rei alienæ; ſed, non ſolvendo incerta, nullæ perſonæ determinatè fit injuria, ſicut non ſolvendo certa: hæc ergo præ illis reſtituenda ſunt. ¶ Secundò, quia creditoribus certis debetur reſtitutio ex jure naturæ, pauperibus autem loco creditorum incertorum ſolùm ex diſpoſitione legis poſitivæ, vt diximus *num.* 211. ſed quæ ſunt debita ex jure naturæ, anteponenda ſunt debitis duntaxat ex jure poſitivo: ergo. ¶ Tertiò, quia creditores certi ex juſtitia commutativa jus habent ad illa bona; pauperes autem non habent tale jus, & ſic non poſſunt agere in judicio, vt talia bona ipſis conferantur: ſed creditor, cui debetur aliquid ex juſtitia commutativa, præferendus eſt ei, cui ex tali juſtitia non debetur: ergo, &c. Licet ergo pauperes ſuccedant loco creditorum certorum, non ſuccedunt quoad jus juſtitiæ, quod in illis erat, & ſic priùs ſolvēdum eſt debitoribus certis. Licet autem in caſu confirmationis durum aliquo modo videatur, verè durum non eſſet; ſed potiùs eſſet, ſi, debitoribus certis inſolutis relictis, bona in eleemoſynas expenderentur, vel illis aliquid detraheretur, vt conferretur iſtis. Sic D.Thom. vel Auctor *opuſcul.* 73. *cap.* 18. *§. De ſecundo*, Prado *tom.*2.*cap.*17.*quæſt.*9.*n.*54. Tapia, & Villalob. *ſupra citat.* Caietan. verb. *Reſtitutio* 8. Ledeſm.2.*tom.tr.*8.*cap.*17.*concl.*2. *diſſic.*1. Vazq.*de Reſt.cap.*11.*n.*3. Dicaſt.*ſupr.n.*5. Leſſ.*lib.*2. *cap.*15.*dub.*1.*n.*4. Laym.*lib.*3.*ſect.*5.*tract.*2.*capit.* 11.*n.*1. Palaus *ſupr.§.*13.*n.*4.

Quæ res vēdita priùs debeat reddi venditori?

231 Secunda difficultas eſt, an omnibus debitoribus, etiam privilegiatis, & hypothecarijs, venditor rei ſit præferendus, dum talis res extat apud debitorem? Et idem eſt in contractu permutationis. Et quidem omnes conveniunt, quòd ſi ab emptore non fuit pretium oblatum, pignus, aut

aut fidejussor promissus, vel venditor non reputavit pretium sibi solutum esse, ex eo quòd emptori de pretio solvendo fidem dederit, est venditor omnibus creditoribus præferendus: quia non transtulit dominium in emptorem, & consequenter ipse suæ rei dominium non amisit, leg. *Quod vendidi 19. ff. de Contrahenda emptione, §. Venditæ*, Instit. *de Rerum divisione*: quia venditor non intendit dominium rei transferre in emptorem, nisi sub conditione pretij sibi concessi. Igitur, nisi pretium offeratur, vel ipse de illo solvendo fidem dederit, dominium translatum non est, & sic vel res; vel pretium illi ante alios est reddendum. Quæstio igitur est, quando res traditur emptori, & illi pretium est creditum? Et non agimus de rebus venditis, quæ sunt ecclesiæ, fisci, vel minoris, qui semper in recuperatione pretij omnibus debitoribus præferuntur: quia illarum rerum dominium non transfertur in ementem, quocumque modo à Procuratore fisci, ministro ecclesiæ, vel tutore minoris vendantur, quousque pretium sit solutum. Leg. *Si curator 5. finali ff. de Iure fisci*, & tenent Layman *lib. 3. sect. 1. tract. 2. cap. 11. n. 2.* Tapia *lib. 5. q. 31. art. 7. n. 7.* Palaus *disp. 1. punct. 18. §. 14. num. 6.* Lugo *disp. 20. sect. 2. n. 15.* Lessius *lib. 2. cap. 15. dub. 2. n. 7.* Villalob. *tract. 11. diffic. 24. num. 7.* Igitur quæstio est in alijs venditoribus præter istos, quando res traditur emptori, & pretium ei creditur; an re ipsa extante, venditor sit præferendus in solutione pretij, vel illius rei, cæteris omnibus creditoribus, etiam privilegiatis, vel hypothecarijs. Duplex datur sententia, vtraque satis probabilis, vt testatur Dicast. *lib. 2. tract. 2. disp. 11. n. 20.*

Si res vendita extet in specie, non soluto pretio, est reddenda priùs venditori.

232 Prima est negativa, & probatur primò, quia per contractum venditionis perfectum; quod fit quando res est tradita emptori, & pretium ei creditum, tametsi non solutum, transfertur dominium in ementem: ergo de illa, ac de reliquis suis bonis, idem est judicium ferendum: ex quibus, certum est, singulis debitoribus non privilegiatis, aut hypothecarijs pro rata, vel pro temporis prioritate, esse solvendum. ¶ Secundò, quia nullo jure, nec naturali, nec positivo talę jus prælationis vendentibus competere, potest probari. Maximè cùm sit in præjudicium aliorum creditorum, qui fortè sunt tempore priores, & sic potiores in jure. Ita Covar. *lib. 1. Var. cap. 7. n. 3.* Laym. *supr. num. 2.* Vazq. *de Restitut. capit. 11. dub. 1. num. 19.* Palaus *supr. §. 14. num. 5.* Petrus Navar. *lib. 4. cap. vlt. §. 4. n. 39.* Azor 2. *part. lib. 4. cap. 36. quæst. 1.* Lugo *disp. 20. sect. 2. num. 17.* ¶ Verior autem est affirmativa. Tùm, quia durum valde esset, alienumque ab æquitate naturali, vt res mea, quam à me alius emit, non soluto pretio, & in propria specie existens, alijs assignetur, & ego tali re propria fraudatus maneat, simul & pretio illius. Tùm etiam, quia vel per talem venditionem non est translatum dominium, vt aliqui volunt; vel, si translatum est, censetur translatum sub conditione pretij solvendi: vnde talis res tacitè obligata, & hypothecata manet solutioni pretij, & manet tanquam pignus pro pretio, & emptore solvere non potente, vel nolente, solvitur contractus, & redit ipsa res ad priorem dominum. Sic Tapia *quæst. 31. art. 7. num. 6.* Bañez 2. 2. *q. 62. art. 8. dub. 3. docum. 3.* Caietan. *in Summa*, verb. *Restitutio, cap. 8.* Bonacin. *disp. 1. q. 8. punct. 2. num. 8.* Villalob. *tract. 11. difficult. 24. n. 7.* Sylvest. verb. *Restitutio 6. quæst. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 15. dub. 2. n. 11.* Rebell. *lib. 2. q. 10. sect. 1. & 2. num. 4.*

Debita ex contractu oneroso præferenda sunt debitis ex cõtractu gratioso.

233 Tertia difficultas est, an ea, quæ ex contractu oneroso sunt debita, nimirum ex venditione, permutatione, locatione, priùs sint solvenda, quàm quæ sunt debita ex gratioso, & liberali, nimirum ob promissionem acceptatam, ob legatum, &c. Respondetur affirmativè, etiamsi sit debitum dotis filiæ promissæ, & non solutæ, etiamsi legatum sit piæ causæ, vel ecclesiæ: quia par non est, vt de alieno eleemosyna fiat: esset enim sacrificium offerre de rapina; & aliàs promissio liberalis non obligat, quando est tanta mutatio rerum, vt, si præcognita fuisset, judicio prudentium, non fuisset facta: deduciturque ex leg. *Inter eos, §. Is quoque, ff. de Re judicata*, ibi: *Qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur: & quidem is solus, deducto ære alieno.* Bonac. *disp. quæst. 8. punct. 2. num. 12.* Lugo *disp. 20. sect. 7. n. 140.* Sylvest. verb. *Restit. 6. q. 6.* Rebel. *1. p. lib. 2. q. 19. n. 14.* Vazq. *lib. 11. de Restit. cap. 11. dub. 6. n. 111.* Medin. Cod. *de Restit. q. 2. dub. 5. concl. 4.* Less. *lib. 2. cap. 15. n. 35.*

Debita ex delicto præferenda esse, aliqui dicunt.

234 Maior difficultas est, an inter debita ex contractu oneroso, & debita ex delicto, sit aliquis ordo servandus? Circa quam dantur tres sententiæ, & omnes probabiles, & in praxi tutæ, vt inquit Villalob. *tract. 11. diffic. 24. n. 24.* Prima asserit, debita ex delicto esse priùs solvenda, quando non intervenit hypotheca, aut pignus in contractu, vel non extat res debita in propria specie. Tùm, quia priùs tenetur quis debitum solvere, quod ex vrgentiori causa, & graviori injuria contrahitur: sic se habet debitum ex delicto: ergo, &c. Tùm etiam, quia, cum non possit ab omnibus injurijs recedi, æquum est, vt à gravioribus recedatur; sed gravior est injuria rem alteri debitam ob injuriam illi irrogatam retinere, quàm rem debitam ex contractu. Cum ergo non possit omnibus debitis satisfacere, priùs tenebitur debitor illa solvere, quæ contraxit ex delicto, quàm quæ ex justo aliquo contractu. Sic D. Thom. *opuscul. illo 73. cap. 18.* Salon. 2. 2. *quæst. 62. art. 8. fine*, Ioan. de Medin. Cod. *de Restit. quæst. 2. dub. 5.* Rebell. *lib. 2. q. 19. concl. 5. n. 8.* Angel. *in Floribus, 2. part.* quæ est *de Restit. art. 3. concluf. 2.* Angelus *restit. 2. n. 18.* Unde, secundum hanc sententiam, primo solvenda sunt, quæ ex rapina debentur: secundò, quæ ex furto: tertiò, ex vsuris: quartò, quæ debentur ex contractu oneroso, mutui, venditionis, &c. & vltimò, quæ ex contractu gratuito, nimirum ex legato, vel promissione.

Debita ex contractu præferenda aliqui dicunt, debitis ex delicto.

235 Secunda sententia, præcedenti extremè opposita, asserit, priùs solvenda esse, quæ debentur ex contractu oneroso, postmodùm quæ ex delicto, ac denique, quæ ex contractu gratuito debentur. Et probatur, quia non sunt aliena retinenda invito domino, vt debita ex delicto solvantur, hoc enim esset solvere ex ære alieno; sed qui non solvit, quæ ex contractu licito debet, incipit accipere, & retinere rem alienam, vt solvat debita ex delicto: ergo, &c. Maximè, quia debita ex contractu licito magis debentur, quàm debita ex delicto: quia creditor dedit æquivalens ea intentione, vt sibi ex justitia tantundem redderetur. Sic Caietan. verb. *Restitutio, cap. 8.* Armilla *eodem verb. n. 36.* Navar. *cap. 17. n. 52.* Bartholomæus de Medin. *lib. 1. Sum. cap. 14. §. 33.* Tabien. verb. *Restitutio, n. 26.* Valent. *disp. 5. q. 6. punct. 10. concl. 4.*

Sententia medians inter duas præcedentes.

236 Tertia sententia asserit, nullum ordinem esse servandum inter prædicta debita, quando debita non extant in propria specie, vel non sunt aliqui

alicui creditori obligata, vel hypothecata, sed æquè omnibus satisfaciendum esse pro rata : quia talis prælatio, nec ex jure positivo datur (leges enim disponentes inter creditores personales nullam prælationem inveniri, non distingunt inter eos, qui ex delicto, vel ex contractu sunt tales, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus :) nec hoc habetur ex jure naturæ, quia vtrumque debetur ex justitia, nec strictiùs vnum, quam aliud: nam vtrique creditori debetur quantum deberi potest, quia in hoc non datur magis, aut minus, sed consistit in indivisibili, nimirum in non retinendo alieno, vel potiùs in jure alieno non lædendo. Sic Bañez *quæst.* 62. *art.* 8. *concluſ.* 4. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 24. *num.* 22. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 10. *dub.* 3. *num.* 24. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 16. Bonacin. *disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *n.* 11. Lugo *disp.* 20. *sect.* 5. *n.* 36. Palaus *disp.* 1. *punct.* 18. *§.* 19. *n.* 3. omnes istæ sunt probabiles, eligat lector quam maluerit.

§. II.

Quomodo creditores hypothecarij præferendi sint, etiam antiquioribus, hypothecam non habentibus?

237 SUppositis his, quæ diximus *num.* 224. & 225. circa explicationem hypothecæ, & divisionem illius, videamus quem locum in solutione creditores hypothecarij debent habere. Et dicimus hos, sive speciali, aut generali, expressa, vel tacita hypotheca rem obligatam habeant, ferè semper præferendos esse quibusvis alijs chirographarijs, seu personalibus creditoribus, etiam privilegiatis, etiamsi instrumento publico, vel confessione debitoris constet de debito contracto. Leg. *Eos qui*, Cod. *Qui potiores in pignore habeantur*, leg. *Pro debito*, Cod. *de Bonis auctorit. Iudic. possidendis.* Et ratio est: tùm, quia creditores hypothecarij directè habent actionem, nedum in personam debitoris, sed etiam in bona eius, quæ obligata, ac pignorata, & quasi ex parte alienata manent: & sic præferendi sunt alijs, qui duntaxat in personam, & ex consequenti in bona debitoris, actionem habent. Tum etiam, quia pignora, & hypothecæ adscribuntur ad specialem securitatem, & obligationem creditori, concedendo in his speciale jus ad petendum, sunt enim veluti quidam fidejussores debiti: ergo huiusmodi debita in pignore, & hypotheca firmata, præferenda sunt alijs, quæ non habent illam, quæcumque sint. Sic Bañez 2. 2. *quæst.* 62. *artic.* 8. *ad* 3. *concluſ.* 3. Tapia *lib.* 2. *quæst.* 31. *art.* 7. *num.* 9. Palaus *disp.* 1. *punct.* 18. *§.* 16. *num.* 2. Lugo *disp.* 20. *sect.* 5. *n.* 39. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 11. *num.* 35. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 22. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 24. *n.* 10. Vazq. *de Pignorib. & hypothecar. cap.* 5. *§.* 2.

Creditores hypothecarij personalibus sunt præferendi.

238 Inter creditores autem hypothecarios habentes, expressam, vel tacitam, generalem, vel specialem hypotecam, non datur prælatio prioris, & posterioris (exceptis his, qui ex jure privilegium antelationis habent, de quibus statim) sed inter eos servanda est illa regula juris: *Qui prior est tempore, potior est jure*; vt est omnium sententia, quæ constat ex leg. 2. *& sequentibus, ff.* & Cod. *Qui potiores in pignore habeantur.* Quod sancitum est, vt æquitati naturali maximè consonum, ne jus alterius quæsitum, quo rem alterius hypothecatam, & obligatam habebat, per novam supervenientem obligationem minuatur. Quod verum judicamus, non solùm comparata hypotheca expressa priori cum expressa posteriori, sed etiam tacita priori cum posteriore expressa; vt in hypotheca dotali, quæ etsi tacita sit, præfertur expressæ posteriori: & non solùm, comparatione facta inter generales, & generales hypothecarios, sed etiam inter generales, & speciales, tenet, quòd inter se nullus istorum ordinem habet, sed in omnibus verificatur: *Qui prior est tempore, potior est jure.* Palaus *suprà n.* 3. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 2. *cap.* 11. *n.* 3. Bonac. *disp.* 1. *q.* 8. *punct.* 2. *n.* 16. Covar. *lib.* 1. *Variar. cap.* 7. *n.* 2. Less. *supr. n.* 23. *ex leg.* 2. *ff. Qui potiores, &c.* & ex leg. *Hac edictali* 6. Cod. *de Secundis nuptijs.*

Inter hypothecarios non privilegiatos, qui prior est tempore, potior est jure.

239 Hypothecæ autem privilegiatæ, quæ, licèt posteriores sint tempore, alijs prioribus non privilegiatis præferuntur, hæc sunt. Primò hypotheca dotalis; illa nimirum, quam vxor, & eius filij, & alij descendentes habent adversus mariti bona pro dote solvenda (sunt enim obligata, & hypothecata omnia bona mariti doti vxoris, ex leg. *Assiduis*, Cod. *Qui potiores*) quæ speciali juris favore præfertur omnibus alijs habentibus tacitam hypothecam, nisi privilegiati sint. Sic ferè omnes Doctores ex dicta leg. *Assiduis.* ¶ Diximus, *nisi privilegiati sint.* Probabile namque est, non præferri hypothecis privilegiatis anterioribus, vt tenet Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 27. & 28. Palaus *disp.* 1. *punct.* 18. *§.* 16. *n.* 4. Rebell. 2. *part. lib.* 6. *q.* 10. *n.* 3. Diximus etiam, *tacitam hypothecam habentibus* : quia probabilius est, non præferri habentibus expressam : quia licèt generaliter in prædicta lege *Assiduis* hypotheca dotis præferatur omnibus his hypothecarijs anterioribus; at verò quia ibi non exprimitur præferendam esse etiam expressam hypothecam habentibus, minimè est hoc asserendum. Valde enim durum esset per nuptias vxoris supervenientes, omnes priores creditores amittere jus, quod expressè pacti erant: quod adhuc jure hispano indubitatum est, *leg.* 33. *tit.* 13. *p.* 5. Matienzo *lib.* 5. *Recopil. tit.* 16. *leg.* 7. *gloss.* 5. *n.* 4. Gutier. *lib.* 3. *practic. quæst. q.* 99. *n.* 7. Layman *suprà n.* 3. Palaus *n.* 6. Less. *n.* 27. Villalob. *n.* 13. Sylvest. verb. *Restitutio* 6. *q.* 5. Nisi res dotales constantes sint: quia tunc omnibus creditoribus, etiam expressam hypothecam habentibus, præferuntur, ex leg. *In rebus*, Cod. *de Iure dotium.* ¶ Sed hoc privilegium dotis competit vxori, quando cõstat fuisse dotem receptam: nam si excipere possent alij creditores, receptam non esse, non habet locum hoc privilegium, vt asserunt Palaus, Rebellus, Covar. ¶ At si contingat augeri dotem; quia huiusmodi auctuarium rei dotali adhæret, eodem gradu, & privilegio fruitur, quia accessorium sequitur naturam principalis.

Hypotheca dotis alijs hypothecis præfertur.

240 Secundò habet privilegium prælationis hypotheca fisci: qui enim contrahit cum fisco, obligat ipso facto omnia bona sua per modum hypotecæ cum privilegio prælationis huius debiti, respectu quorumcumque creditorum antecedentium, etiam hypothecam tacitam, non expressam, habentium, sicut de dote diximus, cui per omnia fiscus comparatur. Leg. *Si is, qui, ff. de Iure fisci, leg.* 2. C. *de Privileg. fisci, leg. Regia* 13. *tit.* 13. *p.* 5. Quod jus etiã habet fiscus ratione tributi nondum soluti: & sic omnia bona receptorum vectigalium sunt fisco hypothecata, *dict. leg.* 2. Cod. *de Privileg. fisci.* ¶ At inter hypo-

Hypotheca fisci alijs hypothecis præter dotalem præfertur.

thecam fisci,& dotalem nulla datur prælatio, sed inter eas tenet regula juris: *Qui prior est tempore, potior est jure*, vt constat ex leg.29.& 33. Regia,& ibi Gregor.Lop. verb. *Obligados por palabra*, Gutier. *lib. 3.Practic.quæst.99.n.13.*Villalob.*tract.11.diffic.24.n.12.*Tapia *lib.5.quæst. 31. art. 7. num. 14.* Palaus *disp.1.punct.18.§.17.n.7.* In dubio autem, an fiscus, vel mulier sit tempore prior creditor,mulier pro sua dote præferenda est, vt colligitur ex leg. *In ambiguis, ff.de Regul.jur.*leg. *In ambiguis, ff. de Iure gentium,*& tenent Authores citati.

Alij hypothecarij, qui præferendi sunt.

241 Tertiò est creditor privilegiatus, qui pecuniam dedit ad ædificationem, vel emptionem domus, ad emptionem prædiorum, ad eorum custodiam, ad cultum agrorum, collectionem segetum, qui domum, aut prædium hypotecata relinquunt, vt obligata existant pro pecunia solvenda, & præferuntur anterioribus creditoribus habentibus generalem hypothecam : quia hæc ad finem restitutionis conducunt, & ideò conceditur mutuanti hoc privilegium, quia est causa illius pignoris, & hypothecæ. *Leg.3.ff.Qui potiores,*&c.leg. *Licet,* C.*eod.tit.leg.1. ff. In quibus causis pignus,leg.Reg.13.tit. 13.part.5.* Idem est de eo qui pecunias dedit ad emendam domum, cum pacto, vt maneat hypothecata,leg. *Licet eodem,*Cod. *Qui potiores.* Item fructus prædiorum conductorum manent hypothecati pro pretio. Idem si mutuum accipiatur ad portandas merces in locũ, vbi vendantur, vel ad conducendam domum, vbi serventur. Hi enim,qui ad conservationem rei concurrunt, quæ obligata forsan erat alijs, & quæ nisi conservaretur, non posset fieri illis solutio, præferuntur etiam alijs creditoribus in ipsa re specialem habentibus hypothecam. Et idem est de credente pecuniam ad refectionem navis, domus,prædij,alteriusve rei conservationem, qui præfertur habenti specialem,& expressam hypothecam in illa re : quia, nisi mutuasset,tale pignus, vel hypotheca non subsisteret,leg.*Interdum 5.ff.Qui potiores, leg. Regia 28. tit.13.p.5.* Hæc ferè omnia docent Covar. *lib. 1. Variar.cap.17.num.3.*Palaus *disp. 1.punct. 18.§. 22.num.16.* Less. *lib. 2. cap.15.n. 26.* Tapia *lib. 5. quæst.31.art.7.n.10.*Villalob.*tract.11. diffic.24. n. 11.*Vazq.*de Pignor.cap.5.§. 2. n. 11.* Laym. *lib. 3. sect.5.tract.2.cap.11.n.14.*Dicast.*lib.2.tract.2.disp. 11.n.42.* ¶ An verò hypotheca, de qua *hoc num.* diximus, præferatur hypothecæ dotis, & fisci anteriori, vel è contra. Aliqui dicunt præferendam ; alij postponendam hypothecæ fisci, aut dotis. Nos verò asserimus, nec præferendam,nec postponendam, sed inter creditores, de quibus *hoc num.* diximus, & fiscum, aut dotem, tenendam esse regulam juris : *Qui prior est tempore, potior est jure.* Quia nullibi adstruitur prælatio inter supradictos creditores hypothecarios,& privilegiatos,& in privilegio dotis, aut fisci solùm conceditur antelatio omnibus alijs hypothecarijs privilegium non habentibus, vt diximus *n.239.*& tenent Vazq.*supr.n.15.*Palaus *n.20.* Gregor.Lopez *leg.28. gloss.1.leg. 29. tit. 13.p. 5.* verb.*Que el segundo.*

242 Quartò, privilegium habet prælationis, qui pecuniam dedit ad emendam militiam, seu causa belli ad emendum equum,arma,aliave necessaria, & ad sustentationem in castris. Huic enim in favorem militiæ datur jus prælationis adversus quoscũque creditores tacitas,vel expressas hypothecas habentes,generales,vel speciales,etiam ex causa dotis, vel fisci.Leg.*Quo jure,*juncta,leg.*Assiduis,*Cod. *Qui potiores in pignore habeantur,* authent.*De æqual.dotis,§.His consequens,coll.7.*Tapia *n.16.* Less. *n. 32.* Palaus *n.23.*Villalob.*n.11.*Rebell.*lib.16.quæst.10. n.3.*Vazq.*de Pignor.cap.5.§.2.num.59.* ¶ Quintò, quando pecunia pupilli prædium, domus, vel alia res emitur, privilegio juris manet hypothecata illi, & præferenda est cuicumque hypothecæ generali, tacitæ, vel expressæ (excepta ea, quæ causa militiæ habetur)quæ in bonis illius creditoris fuerit.Leg.*penult.*Cod.*deServand.pignor.dat.*leg.*Idemque,ff.Qui potiores,&c.leg.Regia 30.tit.13.part. 5.* Et nomine pupilli minorem 14. intelligendum in dicta lege regia habetur. Sextò, hypotheca instrumento publico comprobata præferenda est hypothecæ privata scriptura confectæ, eo quòd in hac privata scriptura fallacia præsumitur, leg. *Scripturas*, Cod. *Qui potiores,&c.* Quarè si absit totius fraudis suspicio,nulla erit prælatio inter has hypothecas; sed quæ fuerit prior tempore, erit potior in jure.¶ Denique excipitur à communi regula hypotheca contracta ex liberali, & gratuita promissione, quæ licèt prior sit tempore, postponenda est omnibus alijs hypothecis ex contractu oneroso : quia, vt diximus *n.233.* quæ debentur ex contractu oneroso,præferenda sunt debitis ex contractu gratuito.

§. III.

De Creditoribus personalibus privilegiatis, & ordine servando inter illos.

Debita funeraria omnibus quibuscumque debitis præferuntur.

243 POst creditores hypothecarios, qui, licèt privilegiati non sint, quibusvis non hypothecarijs præferuntur (vno duntaxat excepto, de quo statim)sequuntur personales, seu chirographarij (illi nimirum, qui, vt diximus, non habent rem debitoris sibi immediatè in genere, vel in specie obligatam,sed personam,& ob id personales dicuntur) quorum aliqui privilegiati sunt, de quibus hoc §. agemus, alij non privilagiati, de quibus §.sequenti. Igitur inter personales creditores primo loco præfertur, qui ex causa funeraria creditor est. Imò hic, tametsi personalis sit,omnibus alijs creditoribus præfertur,tàm hypothecarijs, quàm non hypothecarijs; tàm privilegiatis, quàm non privilegiatis,leg.*penult.ff.de Religios. & sumptib. funer.* leg. *Ære alieno,ff.eod.tit.leg.ult.§.Si computation.*Cod. *de Iure jurando.* Quibus in textibus, licèt solùm sit sermo de expensis in funere consumptis (vtique necessarijs,& moderatis,attentis circumstantijs concurrentibus)& debito ob eam rationem contracto,prælationem concedant, extenduntur tamen communitèr à Doctoribus ad debitum contractum ob curationem infirmi,nimirum,quod Medicis, aut Chirurgis solvendum est, vel alijs ad id concurrentibus, ob testamentum, vel inventarium conficiendum. Hæc enim omnia debita jure ipso naturali præferenda sunt alijs,cum nemo teneatur ab his omnibus abstinere ad satisfaciendum creditoribus. Unde si quis fecerit has expensas pro debitore,aut pro funere alterius, quem debitor sepelire,vel curare debuisset,vt pro filio, aut servo, jure naturali, & positivo alijs quibuscumque creditoribus est præferendus. Sicuti docet Bañez *2.2.quæst.62.art.8.dub.3 concl.* 4. Palaus *disp.1.punct.18. §.15.n.3.*Villalob. *tract. 11. diffic.24.n.9.*Less.*lib.2.cap.15.dub.4.n. 21.* Dicast. *lib.2.*

lib. 2. tract. 2. diſp. 11. n. 34. Tap. *lib. 5. q. 31. art. 7. n. 8.* Vazq. *de Reſtit. cap. 11. n. 48.*

ponſa tradens dotẽ, non ſequuto matrimonio, alijs creditoribus perſonalibus præfertur.

244 Secundo loco eſt creditor perſonalis privilegiatus ſponſa tradens dotem ante matrimonium, matrimonio non ſequuto (illo namque ſequuto, & non antea, eſt creditor hipothecarius) leg. *Quæſitum, §. Sponſa, ff. de Privilegijs creditorum*: & præfertur omnibus creditoribus perſonalibus pro receptione ſuæ dotis, non autem habentibus tacitam, vel expreſſam hypothecam: nec tranſit hoc privilegium ad hæredes, niſi ſint filij, vel alij deſcendentes. ¶ Tertiò deponens pecunias, non percepta vſura, ſeu lucro, apud publicum nummularium, ſeu depoſitarium à republica conſtitutum, qui, poſtquam tales pecuniæ ſunt conſumptæ, præfertur omnibus creditoribus perſonalibus eiuſdem depoſitarij, leg. *Si ventri, ff. de Privilegijs credit.* leg. *Si hominem, ff. Depoſiti*; & extenditur ab aliquibus ad quamlibet rem depoſitam, & conſumptam, quando vſura, vel lucrũ ex ea non accipitur: (ſi enim eam accipiat, non deponens, ſed mutuans dicitur.) At verò ſi tales res abſumptæ non ſint, cùm earum dominium non ſit apud nummularium, præfertur deponens, ſive cum lucro, ſive non, omnibus creditoribus, etiam hypothecarijs, propter ea, quæ diximus *num. 225.* in caſu, in quo res in ſpecie eſt apud creditorem, cuius ipſe dominium non habet. ¶ Quartò, quando reſpublica eſt creditor, præfertur omnibus alijs privatis creditoribus non hypothecarijs, leg. *Bonis venditis, ff. de Privileg. credit.* ¶ Inter hos autem creditores privilegiatos ille præferendus eſt, qui potiorem cauſam habuerit, etiamſi tempore ſit poſterior: quia in his non attenditur prælatio temporis, ſed cauſa, leg. *Privilegia, ff. de Privileg. credit.* & ibi gloſſa, leg. *Regia 11. tit. 14. leg. 2. tit. 15. p. 5.* Quando verò eandem cauſam, & titulum habent, an prior tempore præferendus ſit alijs poſterioribus, dicemus §. ſequenti: quia idem judicium ferendum eſt in hac parte inter privilegiatos creditores ex eodem titulo, & cauſa (vt ſunt omnes enumerati præter primum) ac inter perſonales non privilegiatos.

§. IV.

De Ordine ſervando in ſolutione creditorum perſonalium non privilegiatorum.

Sententia aſſerens inter creditores perſonales nullum præferri, etiã ſi tempore præcedat.

245 POſt hypothecarios creditores, & perſonales privilegiatos ſequuntur creditores non privilegiati, qui nec ex jure naturæ, nec ex privilegio juris poſitivi prælationem habent. Sed difficultas prima eſt, an inter illos ſervandus ſit aliquis ordo, vt ſaltem illi ſatisfaciendum integrè ſit, qui prior tempore eſt in jure, cùm non dantur alij, quibus ex jure naturæ debitum priùs debeatur. Duplex datur graviſsima ſententia, & vtraque ſatis probabilis, vt inquit Dicaſt. *lib. 2. tr. 2. diſp. 21. num. 62.* Prima aſſerit, inter creditores perſonales non privilegiatos (& idem eſt de privilegiatis ex eadem cauſa, vel titulo inter ſe comparatis, vt tetigimus *num. præced.*) nullam prælationem dari ob prioritatem temporis; ſed omnibus pro rata ſolvendum eſſe, cùm bona debitoris non ſufficiunt pro omnibus. Et probatur primò, quia omnes habent æquale jus: ergo omnibus eſt ex æquo ſolvendum. Sed antecedens, quod probare debebat, ſupponit hæc ſententia: quippè oppoſitum poſteà oſtendemus. ¶ Secundò probatur, quia ſola perſona eſt obligata in his obligationibus (quamvis enim ſolutionem exhibere debeat medijs bonis, quæ habet; ſed bona non annectuntur ſolutioni:) at perſona creditoris eadem eſt, & propter obligationem priori creditori factam non tollitur, quòd novam ſubeat: nec impeditur poſterior creditor ex prioris antecedentia: omnes ergo æqualiter in exactione debiti concurrere poſſunt. Cæterùm hæc ratio non convincit, cùm bona debitoris, ſaltem mediatè, creditori maneant obligata, quæ obligatio impedit aliam ſubſequentem obligationem cum præjudicio prioris. Hanc ſententiam defendunt Bonac. *diſp. 1. q. 8. punct. 2. num. 18. & 19.* Bañez *2. 2. q. 62. art. 8. dub. 3. concl. 2.* Villalob. *tr. 11. diffic. 24. n. 17.* Tap. *lib. 5. q. 31. art. 7. n. 18.* Palaus *diſp. 1. punct. 18. §. 18. n. 5.* Vazq. *de Reſtit. cap. 11. dub. 2. n. 49.* Leſius *lib. 2. cap. 15. n. 44.* Azor *3. p. lib. 4. cap. 36. q. 5.* & colligunt ex diverſis juribus Digeſtorum, & Codicis toto titulo, *Qui potiores in pignore habeantur*; vbi ſolum pro hypothecarijs creditoribus illa regula ſtatuitur: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.*

Etiam inter creditores perſonales eſt verum, quòd prior tẽpore, potior eſt jure.

246 Verior eſt autem ſecunda ſententia aſſerens inter hos creditores perſonales præferendum eſſe, qui prior tempore eſt creditor, illique integrè ſolvendum, quando bona debitoris pro omnibus non ſufficiunt. Et probatur primò ex Bonifac. VIII. qui *in regula 54. juris in 6.* generaliter loquitur, ſine reſtrictione ad creditores hypothecarios, vel perſonales: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Quæ regula licèt, prout eſt in jure civili, ſit reſtricta ad hypothecarios creditores; at jus canonicum, eam generaliter proponendo, videtur corrigere in hac parte jus civile, prout poteſt, quando juri naturali non eſt omninò conſentaneum. Secundò, quia talis regula fundatur in prærogativa juris naturalis, ex quo etiam creditores reales habent, vt, ſi priores ſint, poſterioribus præferantur: quia juri quæſito prioris derogandum non eſt per poſteriorem; & ob id priora ſponſalia poſterioribus, etiam juratis, præferuntur: & qui prius locavit operas alicuius, præfertur poſteriori locanti, leg. *In operis, ff. Locati*: & qui priùs emit, præfertur poſteriori ementi, ſi neutri ſit facta rei venditæ traditio. ¶ Tertiò arguitur ex paritate obligationis realis hypothecariæ, in qua ſecundùm omnes tenet illa regula: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Etenim licèt creditor perſonalis ſolùm perſonam directè obligatam ſolutioni habeat: etiam illius bona habet indirectè ſolutioni adſtricta, cum debitor medijs bonis debeat præſtare ſolutionem. Quod autem ſint directè bona obligata, vt in hypothecario, vel indirectè, vt in perſonali, ſi ſemel ſunt obligata, parum refert, vt priori creditori præjudicetur à ſuperveniente creditore. Sic D. Thomas *opuſcul. 73. cap. 18.* Salon. *2. 2. q. 62. art. 8. fine*, Suarez *in opuſcul. de Iuſt. ſect. 3. num. 7.* Ioan. de Medina Cod. *de Reſtit. q. 3. dub. 5.* Valent. *diſp. 5. q. 6. punct. 10.* Lugo *diſp. 20. ſect. 7. n. 147.* Rebellus *2. p. lib. 2. q. 19. num. 11.* Sà verb. *Reſtitutio, n. 61.* Tolet. *lib. 5. cap. 25.* & probabilem dicit Villalobos *ſupr. num. 25.* & rationi magis conſentaneam Leſſ. *num. 43.*

Sententia aſſerens poſſe priùs integrè ſolvi pauperi creditori.

247 Secunda difficultas eſt, an ex perſonalibus debitoribus, qui nec pignus, aut hypothecam habet, poſsit pauperiori, & egenti priùs debitor ſolvere, quàm diviti non egenti; imò illi integrè ſolvere, iſto manente inſoluto? Et non loqui-

loquimur de extremè, vel gravitèr indigente, cui ex charitate tenetur debitor, aut creditor succurrere: quia certum est, posse debitorem, imò debere, huic priùs solvere, vt illius necessitati subveniat; sed de eo, qui pauperie, vel indigentia laborat, licèt non ita extrema, aut vrgente. Nec similitèr loquimur in casu, quo pauper priùs petat: quia de priore creditore petente posteà agemus. Sed an liberè, & voluntariè possit debitor integrè solvere creditori indigenti, insoluto manente debitore non indigente: quia ad solutionem vtriusque non sufficiunt bona. Duplex datur sententia, vtraque probabilis, & tuta; vtramque proponemus, nulli præ alia subscribentes. ¶ Prima est D. Thom. *in opusc. 73. cap. 18. citato*, vel Auctoris illius opusculi (sufficit autem, vt nomine Div. Thom. communitèr circumferatur, vt illi omnem venerationem præstemus;) quæ pietati, & misericordiæ magis favet: asseritque priùs pauperi posse integrè solvi: quia obligatio restitutionis ad evitandum damnum proximi datur: plus autem patitur damni pauper, & indigens, nisi priùs ipsi solvatur, quàm dives tali non laborans egestate: ergo, &c. Sic præter D. Thom. Prado *cap. 17. q. 9. num. 21.* Aragon. 2. 2. *q. 62. art. 8. fol. 299. colum. 1.* Rodrig. *in Sum. tom. 2. cap. 46.* Petr. Navar. *cap. vlt. dub. 9. n. 77.* Rebell. *2. p. lib. 2. q. 19. n. 13.* Sayr. *lib. 10. tract. 5. cap. 10. n. 36.* Sylvest. verb. *Restitutio, q. 8. fine*, Sà *eodem verbo, n. 60.* Medin. Cod. *de Rest. q. 2. dub. 5.* Molin. *tract. 2. disp. 536. fine*, propendit Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 11. n. 7.* & probabilem dicit Less. *lib. 2. cap. 5. dub. 7. num. 47.* & Villalob. *tract. 11. difficult. 24. num. 19.*

Sententia negans creditorē pauperem posse diviti præferri.

248 Secunda sententia non minùs probabilis est negativa: quia jure positivo non datur pauperi talis prælatio: nec etiam jure naturæ, quia vtrique creditori ex justitia commutativa debetur: vtrique ergo pro rata est restituendū. Imò esset contra æquitatem naturæ, quod alteri debitor integrè persolvat, alio insoluto manente, quando jus æquale convenit vni, & alteri. Et licet sit debitum pauperis gravius, hoc non faciet ipsum præferri: sicut debitum 100. gravius est debitò 10. & non ob id datur inter talia debita prælatio, nec dari potest, si vterque debitor sit personalis, non privilegiatus à jure. Sic Lugo *disp. 20. sect. 7. n. 161.* Dicast. *lib. 2. tract. 2. disp. 11. dub. 6. n. 69.* Palaus *disp. 1. punct. 18. §. 2. à n. 1.* Ledesm. *tom. 2. tract. 8. cap. 17. post 5. concl. diffic. 3.* Less. *sup. n. 46.* Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 36. q. 4.* Vazq. *opusc. de Rest. cap. 11. dub. 4.*

Creditor petens alijs est præferendus creditoribus

249 Tertia difficultas est, an possit debitor vni ex creditoribus integrum debitum solvere, cùm ob id impotentior reddatur ad solvendum alijs? Circa quam difficultatem duo supponimus, & vnum in dubium vocamus. Supponimus enim primò, quòd si creditor in judicio debitum petat, sententiamque obtineat, præferendus est alijs creditoribus ex eadem causa: quia in præmium eius diligentiæ, & vigilantiæ à jure illi talis prælatio conceditur. Leg. *Si hominem, §. Quoties, ff. de Possessione*, leg. *Qui autem, §. Sciendum, ff. quæ in fraudem creditorum, leg. Regia 11. & 13. tit. 14. punct. 5.* At verò si, antequam debitum solveretur, alij creditores sententiam, & exequutionem suorum bonorum obtinerent, præferendi essent sententiam, non exequutionem, obtinenti: quia talis exequutio vim pignoris habet in bonis debitoris, & illius bona solutioni debiti quasi oppignorantur, & hypothecantur. Quod est apud omnes certissimum. ¶ Non autem est ita apud omnes receptum secundum, quod supponimus (quod tamen probabilius esse judicamus) videlicèt, quod creditori petenti priùs, sive in judicio, sive extra judicium, potest, & debet debitor integrè solvere, etiam si alijs personalibus creditoribus sit tempore posterior: quia ita per jus statutum videtur, vt eius diligentia faciat eum potiorem, sicut hypotheca, & pignus, leg. *Qui autem, ff. Quæ in fraudem creditorum*, leg. *Pupillus, eod. tit.* leg. *Inter eos, ff. de Re judicata, leg. Regia, 9. tit. 15. part. 5.* Sic Bañez *2. 2. quæst. 62. art. 8. dub. 3. concl. 2.* Villalob. *tract. 11. diffic. 24. num. 18.* Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 10. dub. 7. num. 10.* Less. *lib. 2. cap. 15. num. 39.* Navar. *cap. 17. num. 52. & 58.* Sylvest. verb. *Restitutio 6. q. 8.* & alij. ¶ Quod igitur in dubium vocatur, est, an si debitor voluntariè vni ex creditoribus non petenti integrè solvat, alijs insolutis manentibus, illi, quibus solutio fit, possint tuta conscientia solutum retinere, sine eo quòd teneantur alijs restituere partem, quæ ipsis solvi debebatur. Et supponimus, debitorem id facere non posse absque peccato, & absque onere restituendi creditoribus insolutis damnum inde proveniens, si fortè deveniat ad meliorem fortunam.

Sententia asserens creditorem posteriorē debitum accipientem nihil restituere teneri.

250 Igitur prima sententia affirmat, quod si vni ex creditoribus personalibus non privilegiatis integrè solvatur, factum tenet, nec tenetur creditor alijs concurrentibus creditoribus partem, quæ ipsis debebatur, restituere. Et probatur primò, quia talia bona non sunt hypothecata alijs solvendis creditoribus, vt supponimus; & ex alia parte nihil creditor aliud accepit, quàm quod sibi debitum erat: ergo non est vnde maneat restitutioni obnoxius. ¶ Secundò, quia in præcitatis juribus *num. præcedenti*, solutum non revocatur: ergo solutum retineri potest in conscientia; aliàs prædictæ leges faverent injustitiæ. Sic Ledesma *tom. 2. tract. 8. cap. 17. concl. 5. dub. 10.* Less. *lib. 2. cap. 15. dub. 5. num. 40. & 41.* Villalob. *tract. 11. diffic. 24. num. 18.* Machado *tom. 1. lib. 2. p. 3. tract. 23. docum. 5. n. 9.* Dicast. *lib. 2. tract. 2. disp. 10. n. 75.* Dian. *3. p. tract. 5. resol. 10. & 5. p. tract. 13. resol. 79. & 7. p. tr. 10. resol. 19.* Quod probabile dicit Prado *cap. 17. q. 9. n. 19. & 26.* Ioan. à Cruce *in Director. 1. p. præcept. 7. art. 8. dub. 2. concluſ. 3.* Quod notandum esse à Confessarijs, asserit Diana, vt à multis porplexitatibus, & scrupulis liberentur: nam moraliter impossibile erit, vt creditores posteriores habentes debitum in manibus solutum, illud restituant creditoribus anterioribus.

Verior est sententia præcedenti opposita.

251 Probabilior autem est sententia asserens, in foro conscientiæ creditorem æquale jus cum alijs habentem teneri alijs suam partem restituere, si prior alijs integrè recipiat, qui nullam prælationem, nec ex jure naturæ, nec ex lege habebat: quia solutum modo dicto acceptum retineri à creditore non potest; nec ex jure positivo, quia jura supra relata solùm denegant revocandum solutum, non verò dicunt accipi, vel retineri posse; & ideò pro foro externo denegant revocationem: quia sæpè leges ob vitandas lites talem revocationem denegant in foro externo, tametsi res retineri non possit, cuius revocatio negatur, vt in deceptione infrà dimidium justi pretij, cuius revocatio denegatur in foro externo; cum tamen in conscientia nequeat retineri, vt omnes asserunt. Nec ex jure naturæ; jure namque naturæ, cum bona omnibus non sufficiunt, pro rata restituenda sunt secundum proportionem: nec vllus habet jus, vt

sibi

ſibi integrè ſolvatur; ſed vt illa pars ſibi detur, quæ, proportione facta cum alijs debitoribus, ipſi competit: & ſi aliquid vltra eam accipiat, indebitum accipit cum præjudicio aliorum: ergo illis reſtituere tenetur, quod in eorum præjudicium accepit. Sic Bañez 2.2.*quæſt.* 62.*art.* 8. *dub.* 3.*fine*, Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 31.*art.* 7.*num.* 20. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 8. *punct.* 2.*num.* 23. & 27. Palaus *diſp.* 1.*punct.* 18. §.21.*num.* 6. Turrian. 2.2.*tom.* 2. *diſp.* 19.*dub.* 4. *n.* 6. Azor *tom.* 3.*lib.* 4.*cap.* 36.*q.* 8.

PUNCTUM XIII.

De tempore, & modo reſtitutionis faciendæ.

Debitor ſtatim, ac commodè poteſt debet reſtituere.

252 CErtiſsimum eſt apud omnes Doctores, debitorem teneri ſtatim, ac commodè poteſt, rem creditori reſtituere, quomodolibet talis res debita fuerit: & probat Div. Thom. 2.2. *quæſt.* 62. *articul.* 8. ex eo quòd alius injuſtè privatur vſu rei ſuæ, quandiu à debitore detinetur, & ſic patitur injuriam. Tum quia præceptū reſtituendi, tametſi ſecundum formam verborum ſit affirmativum, re tamen ipſa eſt negativum de non retinenda re aliena, quandiu creditor rationabiliter invitus judicatur, vt diximus *hoc cap.n.* 5. vel ad minus involvit præceptum negativum dictum: at negativum præceptum ſemper obligat, ac proinde ſtatim, ac res aliena retinetur abſque beneplacito domini, videlicèt non obtenta ab eo venia dilationis: ergo peccat, qui ſtatim non reſtituit, ac commodè poteſt. Imò mortiferè, ex genere ſuo, niſi ob brevitatem temporis, quo detinet, à lethali culpa excuſetur: & quia peccatum eius eſt contra juſtitiam, ſi ſit mortiferum, penſatis omnibus, teneretur reſtituere lucra ceſſantia creditoris, vel damna illi ob injuſtam ſuam detentionem provenientia: quia talis obligatio oritur ex violatione juſtitiæ, qualis in præſenti invenitur. Vt docent Tapia *lib.* 5.*q.* 31.*n.* 5. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 18.§.7.*n.* 1. Molin.*tom.* 3.*tract.* 2.*diſp.* 753.*n.* 3. Reginald.*lib.* 10.*tract.* 2.*num.* 224. Bonac. *diſp.* 1.*q.* 8. *punct.vnic.n.* 5.

Debet moraliter intelligi inſtans, quo obligat reſtitutio.

253 Cæterùm quando dicimus, quod ab inſtanti, quo poteſt, tenetur reſtituere, tale inſtans non debet ſumi mathematicè, ſed moraliter: brevis namque morula detentionis parum poteſt nocere creditori: & etiam cùm commoditas, & opportunitas reſtitutionis occurrerit: quia non aliter cenſetur creditor rationabiliter invitus. Vnde (ſuppoſito propoſito firmo reſtituendi) erit optima regula ad cognoſcendum, an excuſetur debitor à culpa gravi, vel non, differendo reſtitutionem, quòd attendatur ad damnum, quod per talem brevem morulam infertur creditori, vel ad ipſius gravem renitentiam: nam ſi, adhuc dilata reſtitutione per aliquod tempus breve, non cenſetur gravitèr invitus, aut damnificatus, non erit peccatum grave talem reſtitutionem differre, niſi eſſet periculum, aut quòd debitor animum mutet, aut quòd novum inſurgat impedimentum obſiſtens reſtitutioni. Quæ omnia arbitrio prudentum determinari debent, qui, penſato tempore, facultate reſtituendi, alterius damno, vel renitentia, hoc judicare poterunt: quia hæc obligatio moraliter, ac civiliter debet interpretari. Vt docent Lugo *diſp.* 20.*ſect.* 9.*num.* 211. Caietan. 2.2.*quæſt.* 62. *art.* 8. §. *In eodem*, Prado *tom.* 2.*cap.* 17.*q.* 7. *num.* 2. Bonac.*ſupr.n.* 1.

Qui ex contractu debet niſi petatur, non eſt in mora, nō ſic qui ex delicto?

254 Ex quo ſequitur, debitorem ex delicto, vel qui ratione rei alienæ bona fide poſſeſſæ, debet reſtituere, teneri ſtatim, ac commodè poteſt, reſtitutionem facere, etiamſi talis res à domino non petatur, aliàs ex tunc erit moroſus detentor. Leg. *Quoties in diem*, *ff.de Verb.oblig.* leg. *In re furtiva*, *ff. de Cond. furt.* At qui ex contractu, aut quaſi contractu debitor exiſtit, tenetur rem reſtituere à tempore in contractu diffinito, etiamſi à domino non admoneatur: quandoquidem pro domino interpellat dies diffinita, cap. *Finali*, *de Locato*, & *conducto*. Si verò tempus conſtitutum non fuit pro ſolutione, non eſt in mora, nec peccat gravitèr non reſtituendo, antequam admoneatur, vel à domino interpelletur (niſi ob timorem, impotentiam, vel oblivionem admoneri non poſsit;) nam creditor, non petendo, cùm ſciat, & poſſit, videtur conſentire dilationi, eamque concedere. Sic Sanchez *de Matrim. lib.* 2.*diſp.* 27.*n.* 2. Palaus *diſp.* 1.*punct.* 18.§.7.*n.* 2. Petrus Navarr. *lib.* 4. *cap.* 3.*n.* 12. Salon. 2.2.*quæſt.* 68.*art.* 2.*controv.* 7.*n.* 17. Dicaſt.*lib.* 2.*tract.* 2.*diſp.* 10.*dub.* 1.*num.* 2. Bonacin. *diſp.* 1.*quæſt.* 6.*punct. vnic.n.* 3. ¶ Sed hæc petitio neceſſaria non eſt, quando contractui additur juramentum: quia juramentum vim interpellationis habet, & obligat, vt quamprimum debitum reddatur, ac ſi eſſet petitum. Covarr.*lib.* 4.*Variar.cap.* 17.*illat.* 5. Palaus *cum alijs*, *num.* 7. Et ſi objicias, juramentum ſequi naturam actus, cui adhæret: ergo ſi natura obligationis diem non deſignantis imbibit conditionem interpellationis, vt debitor ſit in mora, idem habebit quando fuit juramento firmata. Adverte juramentum ſequi naturam ſubſtantialem, & primordialem actus, cui adhæret, non accidentalem: natura autem contractus diem non deſignantis eſt, vt, quamprimùm fieri poſsit, ſolutio fiat: quòd verò monitione indigeat, ex accidenti habet, videlicèt ex conſuetudine vſu recepta.

Quid facere debet Confeſſarius cū eo qui differt ſolutionem?

255 Sed monent Confeſſarium Prad. *cap.* 17. *q.* 7.*n.* 3. Trullench.*lib.* 7.*cap.* 24.*dub.* 10. *n.* 4. Lugo *diſp.* 20.*ſect.* 9.*n.* 211. Bonac.*ſupr. n.* 7. ne ſit nimis ſcrupuloſus in deneganda abſolutione ei, qui debitum ex contractu differt, nimirum ex mutuo, emptione, &c. ſi ex vna parte habeat firmum propoſitum ſolvendi, & ex alia creditor per dilationem aliquam grave damnum non patitur, etiamſi multoties repetat petitionem: præcipuè ſi debitor ægrè, & difficultèr ſolvere poſſet; tametſi debeat vrgere illum pro reſtitutione, non tamen abſolutionem denegare: quia, vt advertunt hi Auctores, ille, qui tenetur ex contractu juſto ſatisfacere, non facilè damnandus eſt de lethali culpa, quando eſt in mora reſtituendi abſque damno creditoris, etiamſi creditor ſæpiùs petierit ſolutionem, modò intentionem habeat ſolvendi, nec creditor periculum ſubeat amittendi rem ſibi debitam: quia non videtur adeò injurioſa talis dilatio, vt ob id mortale peccatum judicetur.

Quando eſt deneganda abſolutio ob reſtitutionis dilationem?

256 At non poteſt Confeſſarius abſolvere eum, qui vel propoſitum non habet firmum reſtituendi, cùm poſsit: quia non accedit cum debita diſpoſitione ad ſacramentum: vel eum, qui vſque ad mortem reſtitutionem differt; vel qui, cum debeat rem in magna quantitate, & totam ſolvere commodè poteſt, non vult niſi per partes, cum incommodo notabili, vel renitentia creditoris: quia abſque tacita, vel expreſſa illius licentia

non potest talem solutionem differre, nec Confessarius in hoc dispensare, cùm sit debitum ex jure naturæ. Bonac. *num.* 16. Sayr. *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 4. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *dipf.* 10. *dub.* 1. *num.* 6. Sotus *de Iust. lib.* 4. *q.* 7. *art.* 4. Nisi debitor sit in bona fide, putans se eo modo satisfacere suæ obligationi, nec teneri ad amplius: quia tunc Confessarius, si putat nihil profuturum, monendo de sua obligatione, potest eum absolvere absque tali monitione, Sylvest. v. *Restit.* 5. *q.* 5. Armilla *eodem verb. n.* 34. Dicast. *n.* 8. Petr. Navar. *de Restit. lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 11. qui asserit, hanc ignorantiam communiter excusare debitores: quia aliàs maior pars reipublicæ in statu damnationis existeret. Imò tunc melius erit debitorem non monere, sed in sua bona fide relinquere; nisi ipse petat edoceri. Dicast. *num.* 13. addit, id verum esse, sive debitor velit partem debiti restituere statim, partem bona fide differre, sive totum eadem fide differre: quia ignorantia invincibilis eodem modo potest esse circa totum, ac circa partem. Hæc notent Confessarij, ne illi, qui fortè rectè dispositus bona fide ad sacramentum accedit, laqueum injiciant. Quæ intelligenda sunt, quando magnum damnum creditori non imminet ex tali dilatione, nec periculum ex eo quòd debitum non solvatur.

Qui monitus, vt restituat, non facit, non potest absolvi.

257 Sed inquires primò, an Confessarius debeat absolutionem negare illi, qui semel, & iterum à se, vel ab alio in confessione admonitus, vt restituat, differt nihilominus restitutionem, cùm possit commodè restituere? Respondetur affirmitivè, licèt se firmum habere propositum restituendi dicat, donec reipsa restituat, vel in totum, vel secundum partem, prout potest. Tùm, quia meritò timetur, id ipsum, obtenta absolutione, facturum, quod toties monitus fecit. Tùm etiam, quia prudenter dubitare potest Sacerdos de vero proposito restituendi in eo, qui cum tali proposito toties confessus, semper in peccato non restituendi perseverat, cùm commodè id facere possit: sicut negari debet absolutio concubinario, qui aliquando admonitus in confessione, vt concubinam é domo emittat, adhuc cum ea in eadem domo, & occasione perseverat, quantumvis dicat se eam dimissurum, donec cum effectu dimittat: in vtroque enim casu est in proxima occasione peccandi, & in nostro est in actuali peccato, quandiu, cùm potest, non adimplet quod ei fuit à Confessario iniunctum. Sic Bañez 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *dub.* 1. *ad* 3. *fine*, Caiet. *in Sum.* verb. *Restit. n.* 6. Prado *cap.* 17. *q.* 7. *n.* 6. Lugo *disp.* 20. *sect.* 9. *n.* 213. Bonac. *disp.* 1. *q.* 6. *punct. vnic. n.* 18. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 10. *n.* 17.

Explicatio præcedentis doctrinæ.

258 Nisi vel impotens sit secundum totum, vel secundum partem restituendi, vel tales circumstantiæ occurrant, quæ persuadeant, tunc magis ex animo promittere, & reipsa observaturum. Concurrere namque possunt tales circumstantiæ temporis, loci, causæ, quòd Confessarius solo restitutionis proposito contentus esse debeat: quia pœnitens in rigore absolvi debet, quoties habet debitum dolorem cum proposito cavendi peccata in futurum, quod in nostro casu inveniri judicatur prudenter. Sed quia regulariter istæ circumstantiæ non adsunt, per se loquendo absolutio in dicto casu assertionis neganda est, & sic magna opus est prudentia in Confessario, ne decipiatur à pœnitente in extorquenda peccatorum absolutione ante præstitam actualem restitutionem. ¶ Sed probabilis est doctrina Petri Navarr. *lib.* 4. *de Rest. cap.* 4. *dub.* 13. Dicast. *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 10. *n.* 17. quòd pœnitenti, qui prima vice fatetur se non restituisse culpabiliter, nunc tamen habere firmum propositum restituendi, non est deneganda absolutio, nisi bis, aut ter fuisset in alijs confessionibus admonitus: quia sicut in omnibus alijs potest Confessarius, & debet credere pœnitenti, tàm pro se, quàm contra se, ita credere potest quòd habet tale propositum, quo Deus, cuius causam agit, contentus est.

Qui post mortem differt restitutionem, non est absolvẽdus?

259 Inquires secundò, an sint absolvendi pœnitentes, qui cùm possint in vita restituere, illud differunt vsque ad mortem: vel cum sint in mortis periculo constituti, & possint absque nota, vel scandalo, aliove incommodo restituere de facto, hoc negotium restitutionis hæredibus in testamento, vel testamentarijs, alijsve amicis committunt? Respondetur negativè. Tùm, quia in tali casu indicant se nõ habere propositum firmum restituendi, si supervivant, cùm solùm velint, sub conditione quòd moriantur, restituere. Tùm etiam, quia sine causa rationabili creditores exponunt periculo suum debitum non recuperandi, cùm sæpè hæredes, præcipuè Magnatum, id non faciant, vel difficultèr faciant, & post longissimum tempus. At ex justa causa potest Confessarius infirmum absolvere: quia nimirum esset nota infamia, perturbatio rerum, scandalum, si tunc esset facienda restitutio: quia tunc irrationabiliter invitus judicaretur creditor, si cum talibus circumstantijs vellet rem sibi protinùs restitui. Sufficit ergo, quòd infirmus in tali casu in testamento, vel alia via prudenti, sua debita declaret, & hæredibus restituenda committat, si prudenter restitutio per hæredem, aut testamentarios facienda creditur. Totum dictum hoc numero tenent Bañez *supra dub.* 1. *ad* 3. *fine*, Prado *cap.* 17. *q.* 7. *num.* 8. Ledesm. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 18. *concl.* 7. *corol.* 4. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 30. *diffic.* 27. *n.* 3. Bonac. *disp.* 1. *q.* 6. *punct. vnic. num.* 15. Lugo *disp.* 20. *sect.* 9. *n.* 212. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 10. *n.* 14. Dian. 5. *p. tract.* 3. *resol.* 104.

Verba præclara P. Soto circa hãc materiam.

260 Sed non possumus in calce huius Puncti prætermittere (pro confirmatione eorum, quæ *num. præced.* diximus) præclarissima verba sapientissimi Magistri Dominici Soto, qui, postquam nostram assertionem edocuit, hæc eruditè subtexuit *lib.* 4. *de Iustit. q.* 7. *art.* 4. *§. Ex his ergo.* Facilè (inquit) colligas in quàm aperto versentur periculo, imò in quàm manifesto iaceant peccato, qui restitutionem vsque ad mortis articulum procrastinant::: Atque idem omninò de illis judicandum, qui sub mortis articulum, cum ipsi per se possint restitutionem facere, id renuunt, arbitrantes satis esse id hæredibus jubere; quoniam illi re verà non habent sincerum, & candidum animum restituendi: nam qui tunc non restituunt, indicium apertum perhibent, quòd neque si vixerint, restituent: atque adeò restituendi intentio non illis est, nisi conditionalis, si moriantur, quæ profectò ad pœnitentiam non sufficit. Atque hoc potissimum periculum Magnatibus imminet, quorum testamenta nunquam, aut vix vnquam hæredes complent; sed satis se feciſſe arbitrantur, vt quam restitutionem avus patri, & pater sibi testamento præcepit, eandem ipse alijs recentibus onustam filio jubeat, quam ipse posteà committat nepoti. Nescio ergo, an hic legitimus illius verbi evangelij sensus sit: *Impossibile est divitem intrare in regnum cœlorum.* Hæc sapientissimus Magister.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

PUN-

PUNCTUM XIV.

Utrùm is, qui alienum morosè retinet, multa peccata committat, & quomodo in confeſsione eorum numerus ſit detegendus?

Qui eſt in mora culpabili reſtituẽdi, eſt in cõtinuo peccato.

261 LIcèt omnes aſſerant, eſſe in ſtatu damnationis eum, qui cum commodè poteſt, reſtitutionem differt invito domino rationabiliter. Attamen Caiet. 2.2.*q.66.art.*3. judicavit, eum, qui eſt in mora culpabili reſtituendi, non eſſe in continuo actuali peccato, ſed habituali: peccata verò nova repetere, quando actum poſitivum internum, vel externum efficit, quo proponit non reſtituere, vel alienare rem alterius, vel de facto alienat, vel conſumit. Cæterùm alij communiter aſſerunt, eſſe in actuali peccato continuo, vel poſitivo retentionis rei alienæ: quia eſt moraliter continuata eadem rei alienæ iniqua detentio: ſicut eſt in actuali peccato injuſtæ læſionis, qui hominem, quem in vincula injuſtè injecerat, in vinculis continuò tenet; vel privativo, quo continuò voluntariè omittit reſtitutionem, ad quam tenebatur: & eſt eiuſdem ſpeciei moralis cum prima injuſta acceptione. Sic Prado *cap.*17.*q.*7.*numer.*17. Rebell.1.*p.de Reſt.lib.*2.*q.*17.*ſect.*2. *n.*6. Dicaſt.*lib.* 2.*tract.*2.*diſp.*1.*n.*63. Leſſ.*lib.*2. *cap.*12. *dub.*3. Villalob. *tom.*2.*tract.*11.*diff.*20.*n.*2. Dian. 2.*p.tract.* 16.*reſ.*25.&, quod maius omnibus eſt, D. Thom.2.2. *q.*62.*art.*8. qui inde probat, teneri debitorem ſtatim reſtituere: *Quia quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere*: ſecundum illud Eccleſiaſt. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* Quod de peccato actuali, non de habituali verificatur. Non enim quis ſtatim ac videt ſe eſſe peccato habituali irretitum, tenetur illud per pœnitentiam abijcere, quod omnes aſſerunt. Intelligitur itaque de peccato actuali, quod ſemper, & in quocumque inſtanti tenetur homo deſerere: eſt ergo in continuo peccato actuali omiſsionis, vel commiſsionis, vel vtriuſque, qui eſt in mora culpabili reſtitutionis.

Plura peccata committit morosus detentor.

262 Imò, qui eſt in dicta mora reſtitutionis, non ſolùm eſt in continuo peccato; ſed tot peccata numero diverſa committit, quot occurrunt occaſiones reſtitutionis, & advertentèr illas prætermittit: at hæc multiplicitas eſt duntaxat phyſica, minimè neceſſariò in confeſsione detegenda, ſed quando datur eorum multiplicitas moralis: quia nimirùm talia peccata moraliter interrumpuntur. Sicut ille, qui decernit hominem occidere, toties phyſicè peccatum multiplicat, quoties propoſitum repetit, arma ſumit, iter agreditur, &c. quamvis hæc omnia vnum moraliter peccatum cum ipſa executione conſtituant. ¶ Sed gravis difficultas eſt, quando dicta peccata moraliter interrupta judicentur, vt debeant in confeſsione explicari. Aſſerit prima ſententia, toties peccata moraliter diſcontinuari, quoties vel actus internus non reſtituendi repetitur, vel externus novus exercetur, re ipſa aliena vtendo, eam conſumendo, vel alienando; vel quoties in eodem actu interno, vel externo prima rei alienæ vſurpatio non continuatur moraliter: quod fieri judicat quoties creditor ſuum debitum legitimè petit, & negatur: &, licèt non petat, ſi patitur neceſsitatem, & advertitur: quando occurrit nova commoditas, & prætermittitur; quando magnos ſumptus conſumit debitor, quo redditur impotens tam citò reſtituendi: quando actus propoſiti reſtituendi efficit, & poſteà ad ſuum animum non reſtituendi redit: quando ipſa omiſsio non reſtituendi deſinit eſſe peccatum: quia impotens eſt reſtituere, & poſteà de novo redditur potens: quando per tempus aliquod non poteſt debitor ad ſuam obligationem advertere: quia vel ſomno ſe tradit, vel alio diſtrahitur. In his, & ſimilibus caſibus dicit hæc ſententia, peccata moraliter multiplicari: quia in omnibus illis primum peccatum interrumpitur, & novum efficitur. Sic Tapia *lib.*5.*q.*31.*art.*3.*n.*5. Bañez 2. 2. *q.* 62.*art.*8.*dub.*1.*ad* 3. Bonac.*diſp.*1. *q.*6. *punct. vnic. n.*10. Villalob.*tom.*2.*tract.*11.*diff.*20. *num.*2. Suar. *tom.*4.*in* 3.*p.diſp.*22.*ſect.*5. Vazq.1.2. *q.*65. *cap.* 3. *n.*14. Dicaſt.*lib.*2.*tract.*2.*diſp.*1.*n.*66. Rebel.1.*part. lib.*2.*q.*17.*ſect.*2.*n.*6. Prad.*cap.*17. *q.*7. *n.*13. Trull. *lib.*7.*cap.*14.*dub.*10.*n.*6.

Quomodo multiplicitas illa peccatorum ſit in confeſsione detegenda?

263 Ex quo ſequitur (inquiunt prædicti Authores) deberi in confeſsione tempus explicari, quo debitor eſt in mora: quia vel eſt circumſtantia notabiliter aggravans, vel ſunt diverſa numero peccata moraliter diſcontinuata ob diverſas complacentias; conſenſus, & omiſsiones in tali tempore occurrentes. Sed monent, non debere Confeſſarium eſſe nimis prolixum in vicibus inquirendis, quo recordatus eſt huius obligationis, quot propoſita elicuit, quoties modo dicto intentionem primam interrupit; ſed ſufficere, ſi per ſeipſum numerum dictum conijciat parum, minuſve: quia ſic ſtatum pœnitentis moraliter venari poteſt: ſicut de meretrice communiter aſſeritur, ſufficere ſi in confeſsione exprimat tempus, quo ſe omnibus expoſitam habuit; cùm facilè non poſsit cogitationes turpes, & actus inhoneſtos eo tempore elicitos explicare.

Moraliter interrumpitur peccatũ per propoſitum efficax contrarium, non aliter.

264 Cæterùm licèt ſententia præcedens probabiliſsima ſit, probabilior nobis videtur ſententia aſſerens, toties peccata moraliter interrumpi, quoties per propoſitum efficax præcedens volitio retinendi rem alienam retractatur; ſed non dari talem moralem interruptionem, ſi in priori voluntate non retractata perſeveret, etiamſi per vnum annum, vel aliud tempus in ea perſiſtat; etiamſi eo tempore plures occurrant occaſiones reſtitutionis, vel plura repetantur propoſita non reſtituendi, vel externè res conſumatur, vel alienetur, quantumvis per ſomnum, vel diſtractionem talis voluntas interrumpatur: quia judicanda eſt duntaxat phyſica talis interruptio; & vnum moraliter peccatum non interruptum cenſendum eſt, quoties voluntas iniqua prima non retractatur; & multiplex quoties repetitur retractio efficax præcedentis, voluntatis, & ad eam de novo revertitur expreſsè, vel tacitè, per omiſsionem voluntariam. Ita in ſimili caſu docent N. Salmant.*tom.*3.*tract.*11.*de Bonit. & malit. diſp.* 5.*dub.*5.*num.*4.& in noſtro caſu tenent Aragon 2.2. *q.*62.*art.*2. verſ. *In ſecundo argumento*, Lugo *de Pœnitent.diſp.*16.*ſect.*14.*n.*548. Petr. Navarr. *de Reſtit. lib.*4.*cap.*4.*n.*9.& alij Authores, quos refert, & ſequitur Dian.1.*p.tract.*7.*reſol.*58.& 2.*p. tractat.*16. *reſol.*25. Undè, quia diuturnitas temporis non eſt niſi circumſtantia notabiliter aggravans, & tales circumſtantias non eſſe neceſſario in confeſsione detegendas, diximus *tract.*6.*de Pœnit.cap.*8.*punct.* 2.*n.*23. conſequentèr dicendum eſt, non eſſe neceſſarium detegere in confeſsione tempus, quo in mora culpabili fuit; ſed ſatisfacere dicendo ſe culpabiliter non

non restituisse rem alienam; & quoties propositum pravum retractavit, & ad illud iterum redivit.

Conclusio præcedens probatur.

265 Et quidem esse diversa numero peccata in confessione necessariò detegenda, quoties propositum pravum per contrariam voluntatem interrumpitur: probatur, quia iam tunc est diversa voluntas moraliter continuandi peccatum. Sed monet Cardinalis Lugo *suprà n.* 549. non quamcumque retractationem ad hoc sufficere, sed debere esse efficacem, & per aliquod tempus perdurantem. Si enim, inquit, per brevem morulam detur, & mox redeatur ad pristinum actum, non est censenda prior voluntas præcedens moraliter interrupta. Sicut qui die jeiunij, finito prandio, proponit non ampliùs comedere, si mox occurrat occasio alium cibum sumendi, non ideò præcedens prandium censetur moraliter interruptum. Et qui die veneris carnes illicitè comederet, & proponeret non ampliùs eas comedere, si statim propositum frangat, ob novum ferculum superveniens, non od id, inquit, censetur novum peccatum diversum, eas statim sumere. Sic discurrit sapientissimus vir in præsenti. ¶ Quòd verò moraliter sit idem peccatum, quoties non retractatur pristina voluntas, probatur. Tùm, quia retentio rei alienæ virtualiter durat, donec fiat restitutio, cum talis retentio nihil aliud sit, quàm ipsa prima acceptio continuata: & ideò illa prior voluntas virtualiter in ipsa retentione, seu læsione rei alienæ moraliter durare censetur, & sic non interrumpitur, dum per formalè contrariam voluntatem non retractatur. Tùm etiam, quia omnes illæ sequentes voluntates, & injustæ actiones in vi prioris procedunt, & sic moraliter cum illa continuantur: quia licèt somnus, aut distractio detur, semper remanet virtualiter prima voluntas, in qua posteà advertens, reliquæ cõtinuantur.

PUNCTUM XV.

De causis excusantibus à restitutione, vel à dilatione illius.

Impotentia physica, & moralis excusat à restitutione.

266 PRima causa omnibus notissima excusans à restitutione (ad quam omnes reliquas, de quibus hoc Puncto agemus, reducemus) est impotentia restitutionis, quæ, quandiù durat, à restitutione excusat, quãvis omninò non liberet ab ea: & sic si debitor reddatur potens, iam de novo ad restitutionẽ statim faciendam obligatur. Ratio autem quarè impotentia à restitutione excuset, ea est: quia ad impossibile nemo tenetur. Sed talis impotentia excusans non est solùm impotentia physica, sed moralis: nimirùm, quando talis restitutio fieri non potest absque gravi incõmodo debitoris: vel si ipse sit necessitate extrema, aut gravi oppressus: & alijs casibus, sequentibus difficultatibus exprimendis. Tota enim huius puncti difficultas circa hanc impotentiam moralem devolvitur. Et ideò.

Cum notabili dãno creditoris, non debet restitutio fieri.

267 Inquires primò, an cum damno proprio, vel periculo illius, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, teneatur debitor restitutionem facere? Respondetur negativè, sed differre potest restitutionem, quando damnum, quod timetur, maius est illo, quod patitur creditor per dilationem. Ratio est, quia restitutio est actus justitiæ ordinatus ad servandam æqualitatem inter debitorem, & creditorem: non servaretur autem æqualitas, si cum tanto dispendio debitoris deberet facere restitutionem. Præterquàm quod restitutio tunc obligat, quando creditor censetur rationabiliter invitus: non esset autem invitus rationabiliter in nostro casu, sed magis irrationabiliter, cum velle deberet, vt differretur restitutio, si absque notabili damno debitoris fieri non potest. Sed hoc intelligitur de damno distincto ab ipsa re restituenda. Si tamen damnum sit in eo, quòd tali re privetur, illud debitor tenetur pati: quia sic non patitur in proprijs bonis, sed in bonis alterius. Sic Palaus *disp.* 1. *punct.* 17. §. 2. *n.* 4. Prad. *cap.* 17. *q.* 8. *n.* 16. & 18. Less. *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 4. Bonac. *disp.* 1. *q. vlt. punct.* 1. *n.* 11. Dicast. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 10. *n.* 29. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 20. *n.* 5. Tap. *lib.* 5. *q.* 31. *art.* 4.

Objectio, & solutio illius.

268 Sed objicies: nemo potest ad evitandum proprium damnum alterius bona surripere: ergo nec etiam illa retinere: quia paria sunt aliena accipere, ac retinere. ¶ Respondetur, deterius semper esse aliena surripere, quàm solutionem procrastinare, vel etiam illam non exhibere; sicut deterius est alium vulnerare, quàm post vulneratum non mederi. Estò tamen paria essent, intelligendum est de retentione injusta, & culpabili, & sic de illa, quæ fit, creditore invito rationabiliter, qualis non est ista, de qua loquimur.

Plures casus ex dicta doctrina inferuntur.

269 Ex quo sequitur, non teneri restituere, qui periculum salutis animæ suæ, vel suorum prudenter inde timeret; vt si ob id cogeretur furari, aliasve injustitias facere; filiam prostituere, vxoris pudicitiam vendere: quia aliter se, vel suos alere non posset. Nec qui debet pecuniam, tenetur statim eam solvere, si aliter id facere non potest, nisi vendendo agrum, vel domum multò viliùs, quàm merentur. Nec similiter tenetur vendere instrumenta, quibus laborando sustentatur. Debet tamen artem, si sciat, vel officium suæ conditioni congruum exercere ad restituendum: quia debet media apponere per se apta debito satisfaciendo. Nec ea alienare tenetur, quæ sunt necessaria, vt corporis vestes, operimenta lectuli, domus habitaculum. Nec nobilis tenetur artem manualem exercere, vt restituat, aut privare se omni obsequio famulorum, aut equorum: debet autem paulatim plura minuere, vt possit aliena restituere: vt ostentationes superfluas in fastu famulorum, & equorum, in vestitu, & cibis pretiosis. Ex his detrahere debet, & se ad honestam mediocritatem reducere, vt eo quod inde detrahit, creditoribus satisfaciat. Nec denique tenetur restituere, si, id faciendo, debet cadere ab statu justè acquisito, etiamsi debitum sit ex delicto. Non enim æquitas postulat, vt debitor, restituendo, gravetur notabiliter in proprijs bonis, vt brevi commodo creditoris consulatur. Sed si status in quo est, injustè fuit acquisitus, nimirùm per vsuras, furta, aliasve injustitias; cum jactura status, tenetur restituere (retentis his, quæ sunt necessaria hominibus illius conditionis, in qua erat, antequam per injustitias acquireret sublimiorẽ statum) quia tunc restituendo non cadit à proprio statu, sed revertitur ad eum, qui erat proprius illius. Nec enim minor iniquitas est statum tueri, & conservare ex alienis, quàm illum comparare ex malè quæsitis. Palaus *num.* 5. Prado *num.* 17. Dicastill. *num.* 58. Villalobos *num.* 6. Tapia *numer.* 4. Bonac. *n.* 11. Bañez 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *dub.* 2. *concl.* 2. Undè filij vsurariorum, & aliorum, qui per injustitias ad altiorem statum devenerunt, tenentur debita parentum restituere, etiam cedendo à statu per injustitias illorum quæsito.

Dixi-

Tenetur debitor restituere cum æquali damno, ac patitur creditor.

270 Diximus autem non teneri restituere cum maiori damno eo, quod creditor patitur non restituendo. Si enim æquale damnum creditori inde eveniret, vt si ob id cogeretur mendicare, à proprio cadere statu, res familiares viliùs vendere, teneretur ad restitutionem debitor, etiam cum simili jactura, quia in pari causa melior est conditio innocentis. Villalob. *diff.* 20. *num.* 8. Palaus *disp.* 1. *punct.* 17. *§.* 3. *n.* 5. Dicastill. *n.* 50. Bañez *dub.* 2. *concl.* 1. Tapia *q.* 31. *art.* 4. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 31. Bonac. *n.* 19. Ex quo fit, quòd si falsò aliquem accusasti, ratione cuius condemnatus est ad mortem, vel gravem infamiam, teneris manifestare veritatem, etiamsi æquale supplicium timeas: & si alium in fama offendisti, teneris illam restituere, etiam cum jactura proprij honoris, & famæ.

Non potest differre solutionem ob lucrũ inde capiendum.

271 Et si roges, an privatio magni lucri, quod debitor faceret differendo restitutionem, sit causa sufficiens ad eam differendam, ne tanto emolumento privetur? Respondetur negativè, maximè si sit periculum, vt in totum, vel secundùm partem debitum relinquatur: quia hoc non est damnum pati in suis bonis, nec est secundùm æquitatem justitiæ, vt creditor privetur suis rebus, vt debitor ex eis emolumentum recipiat. Bonacin. *suprà numer.* 24. Lessius *libr.* 2. *capit.* 16. *numer.* 24. Tapia *supr. articul.* 4. *numer.* 6. Palaus *disput.* 1. *punct.* 17. *§.* 4. *numer.* 2. Villalobos *tractat.* 11. *diffic.* 20. *num.* 5. Dicastill. *libr.* 2. *tractat.* 2. *disp.* 11. *num.* 48. Sed hoc intellige, quando creditor ob talem dilationem patitur detrimentum, quamvis sit minùs, quàm emolumentum, quod debitor sperabat: nec debitor hoc lucrum quærat ad satisfaciendum alijs creditoribus, quibus alioquin non posset satisfacere: quia ad evitandum aliorum damnum hoc facere potest, cum non censeatur in tali casu dominus invitus rationabiliter, quin potiùs rationabiliter velle debet, quòd cum aliquali sui damno hoc modo differatur solutio, vt damnum aliorum maius evitetur.

In extrema necessitate nemo tenetur solvere.

272 Inquires secundò, an in gravi necessitate existens possis differre solutionem, si debitor eadem gravi necessitate laboret? Supponimus, quòd in extrema necessitate sui, vel suorum non tenetur debitor solutionem facere; sed potest differre illam, etiamsi creditor eadem extrema necessitate laboret: quia tempore extremæ necessitatis cessat jus gentium, quo singulis bona sunt distributa, & omnia communia redduntur; & sic fiunt illius, qui primò apprehenderit: cum ergo debitor bona apud se habeat, non tenetur ea relinquere, vt succurrat creditori extrema necessitate laboranti. Sic communiter Authores. Quamvis nonnulli oppositum sentiant. Similiter supponimus, quòd si debitor gravi necessitate laboret, qua non laborat creditor, potest differre solutionem: quia lex charitatis, & justitiæ non imponit onus tam grave. Imò posse in tali necessitate gravi existentem, non solùm non solvere debitum, sed etiam clam surripere ab alio, quod necessarium est ad succurrendum suæ necessitati, tenuit Palaus *disput.* 1. *punct.* 17. *§.* 2. *numer.* 2. Bañez 2. 2. *quæst.* 62. *articul.* 8. *dub.* 1. & probabile dicit Trullench. *libr.* 7. *capit.* 15. *dub.* 2. *numer.* 10. Bonacin. *disput.* 1. *quæst. vltim. punct.* 1. *numer.* 32. Sed immeritò, cum hoc esset portam aperiri pluribus furtis, & injustitijs, cum facilitèr vnusquisque sibi persuaderet, se iam gravi necessitate laborare, ob quam sibi licet aliena surripere. Et ideò id meritò negant Sotus, & Navarrus, quos affert, & sequitur Prado *capit.* 17. *quæst.* 8. *numer.* 12. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 20. *num.* 8. Vide infrà dicenda *cap.* 5. *num.* 36. ¶ Quibus tandem favet Innoc. XI. decretum 36. propos. damnando, quam *cap.* 5. *numer.* 37. vbi propriam sedem habet, adducemus.

In pari necessitate gravi creditoris potest secũdũ aliquos, secũdũ alios non potest, differri solutio.

273 Ad quæsitum ergo respondent aliqui, non esse sufficientem causam omittendi restitutionem, quòd debitor gravi necessitate laboret, si creditor est etiam in eadem necessitate, cui aliter subvenire non potest, nisi quod sibi debetur accipiendo, eo quòd citra casum extremæ necessitatis, cæteris paribus, semper est melior conditio creditoris. Sic Prado *capit.* 17. *quæst.* 8. *numer.* 12. Lugo *disput.* 16. *sect.* 7. & 21. *sect.* 2. *numer.* 6. Trullench. *in Decalog. lib.* 7. *capit.* 5. *dub.* 6. *numer.* 6. & *capit.* 15. *dub.* 2. *numer.* 8. ¶ Sed æquè probabile est, in tali casu non teneri restituere, vt si debitor esset in gravi necessitate famis, nuditatis, infirmitatis, &c. & contingat creditorem in parem necessitatem incidere: quia non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi videtur melior conditio possidentis; & quia debitor non possidet alienum, sed proprium, cum obligatione restituendi, cum commodè potest; non autem potest commodè, cum gravi necessitate laborat, cui aliter occurrere non potest, nisi debita retinendo: ergo tunc non tenetur restituere: sive debitum sit ex contractu, sive ex delicto; dummodò debitor alium in talem necessitatem non injecerit per iniquam ablationem: si enim rem abstulisti, qua ablata, alius in necessitatem incidit, non licet: quia tunc melior erat conditio illius, qui possidebat. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *n.* 20. Palaus *disp.* 1. *punct.* 17. *§.* 1. *n.* 6. & probabile dicit Trullench. *lib.* 7. *capit.* 15. *dub.* 2 *m.* 10. & Sylvius 2. 2. *quæst.* 62. *artic.* 8. *concluſ.* 2.

Qui ex delicto debet, & differt, tenetur ad damna emergẽtia, non qui ex cõtractu?

274 Inquires tertiò, an qui habet justam causam differendæ solutionis, teneatur ad restitutionem damni emergentis, vel lucri cessantis, quod creditor patitur ob dilationem? Respondetur, quòd in debitis ex delicto contractis tenetur; non in alijs. Ratio primi est, quia per suam injustam actionem causa fuit illius damni, quod alter patitur; & par non est, creditorem damnum pati ob debitoris delictum. Ratio secundi est, quia solum tenetur ad damna emergentia, vel lucra cessantia debitor ex contractu justo, quando est in mora solvendi; sed qui ex justa causa solutionem differt, non est in mora: ergo, &c. Sic Bonacin. *suprà numer.* 40. Villalob. *numer.* 12. Petrus Navar. *libr.* 4. *cap.* 4. *numer.* 56. Lessius *libr.* 2. *capit.* 16. *dub.* 2. *numer.* 32. Palaus *disput.* 1. *punct.* 17. *§.* 10. *num.* 2. Tametsi hic Author neget etiam debere restitui damnum emergens creditori, licèt debitum sit ex delicto: quia dicit non teneri debitorem ad damna ob dilationem obvenientia, nisi cum est in mora restitutionis; & in mora non est, quando habet causam justæ dilationis.

PUNCTUM XVI.

An per condonationem creditoris maneat debitor liber ab onere restitutionis?

Per condonationē extinguitur debitum cum duplici conditione.

275 PEr condonationem creditoris debitum omninò extingui, si totalis fuerit; vel secundùm partem, si particularis, constans est Doctorum sententia cum D.Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. Tùm, quia remissio creditoris æquivalet solutioni. Tùm etiam, quia scienti, & volenti non fit injuria; & ideò si creditor sciens rem sibi deberi, velit, vt non restituatur, quod per condonationem facit, non patitur injuriam per hoc, quòd talis res non restituatur ipsi. Cæterùm, vt sit valida talis donatio, & consequentèr extinguat debitum, duplicem requirit conditionem. Prima, quòd sit omninò libera, & voluntaria. Secunda, quòd non sit à jure impedita. Defectu huius conditionis invalida est condonatio à furioso, aut à pupillo facta, & etiam aliæ, quæ in jure invalidæ redduntur. Et ideò secundum Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Canonicus, qui non interest divinijs officijs, non potest retinere distributiones correspondentes tempori absentiæ, etiamsi aliquis Canonicus obtineat illarum remissionem: quia talis condonatio irritatur à jure Trident. *loco citat.* Similitèr Episcopus, quando tempore visitationis accipit aliquid præter sumptus necessarios, tenetur illud reddere, etiamsi remissionem recipiat: quia talis condonatio irritatur in cap. *Exegit, de Censibus, & exactionib.* Imò ex eodem jure tenetur intra mensem duplum restituere ex his, quæ accepit, sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto incurrenda. Ut docet Bonac. *disp.* 1. *q. vlt. punct.* 2. *n.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 3. *n.* 36. Pal. *disp.* 1. *punct.* 16. §. 5. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 10. *dub.* 6. *n.* 102.

Debet esse remissio omninò voluntaria, & libera, vt valida sit.

276 Ex defectu primæ conditionis invalida est condonatio involuntaria simplicitèr, aut mixta ex voluntario, & involuntario. Undè nulla est condonatio facta ab ebrio, vel amente, vel facta ex metu gravi, vel quæ per molestias extorquetur, vel per repetitas, & importunas preces, quas creditor mavult vitare, quàm vt debitum sibi solvatur: & etiam quæ per dolum fit, ignorantiam, aut fraudem: vt si finxit se pauperem, vel impotentem debitor, & intuitu huius accepit remimissionem. Et ratio est, quia remissio est quædam donatio liberalis, & gratiosa; sed donatio debet esse omninò libera, & voluntaria, vt valida sit: ergo etiam remissio: ideòque, si aliquo ex modis dictis sit involuntaria, non excusat à restitutione, ac si concessa non esset. Less. Bonacin. Palaus *suprà*, Sayr. *in Clavi Regia, lib.* 10. *tractat.* 5. *cap.* 8. *n.* 1. Sanch. *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 9. *numer.* 17. ¶ Idem dicimus de partiali remissione debiti facta ab eo, qui ob culpam, vel fraudem debitoris totum perdere veretur; vt si ex centum sibi debitis remittat quinquaginta, ne perdat totum, tunc est invalida talis remissio; secùs verò si absque culpa, & fraude debitoris, modo dicto, fiat; sed quia creditor timet ob indigentiam debitoris, vel ob alias causas absque culpa illius, non posse totam recuperare, & sic remittit partem, vt aliam partem saltem accipiat. Sanch. Sayr. Bonac. Dicast. ill. *n.* 105. Rebell. *lib.* 2. *cap.* 16. *sect.* 3.

277 Sed inquires primò, an debitor, qui se composuit cum creditoribus, ita quòd ipsi minori summa contenti remaneant, liberetur in totum ab onere solvendi, ita vt non teneatur partem condonatam reddere, tametsi deveniat ad pinguiorem fortunam? Respondetur, quòd, si absque dolo, & fraude talis compositio facta est, liber manet ab aliqua restitutione. Secùs verò, si cum dolo, & fraude fuerit celebrata: nam talis compositio quædam virtualis remissio est; at si ex dolo, aut fraude facta est, est involuntaria, & sic nulla: ergo, &c. Undè si debitor se in ecclesiam recepit, vel aufugiat, vt à creditoribus partis remissionem accipiat, vel vt componatur cum eis in minori summa, cum verè totum solvere posset, à restitutionis alterius partis onere non liberatur. Dicast. *n.* 110. Sylvest. *rest.* 7. *n.* 2. Petr. Navar. *lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 59. Bonac. *disp.* 1. *q. vlt. punct.* 2. *n.* 6. Sà, verb. *Debitum, n.* 27. Qui addit minorem partem creditorum, qui reclamarunt, teneri stare conventioni factæ per maiorem, & sic illis non restituendum pro rata plusquam maiori parti solvatur. Sed hoc non placet Bonac. & Dicast. & meritò: quia conventio maioris partis juri cæterorum creditorum, quod habebant, præjudicare non potest.

Qui cū creditoribus sine dolo cōponitur, ab onere restitutionis liberatur.

278 Inquires secundò, an sufficiat quòd constet de virtuali, vel præsumpta creditoris voluntate remittentis, vel restitutionem, vel dilationem illius, vt omitti, vel differri possit? Ut si moraliter certis, & probabilibus conjecturis creditori gratum fore credatur, vt debitum retineat. Et quidem si dubium sit solùm negativum de tali voluntate, certum est, non excusare à restitutione: quia de debito constat, & de excusatione dubitatur, & sic possessio stat pro illo, estque proindè melior eius conditio: igitur solvendum. Si tamen constet, aut probabiliter præsumatur, creditorem velle, aut remittere solutionem, aut dilationem concedere, cum iam, invito domino, nihil retineatur, liber manebit debitor ab onere restitutionis, vel poterit eam differre, proportione servata. Hac ratione excusantur à restitutione filij-familias, qui licèt peccent surripiendo aliquid à patre, non tamen sunt restitutioni obnoxij, ob præsumptam parentis voluntatem, quæ potest conijci ex amore patris in filium, ex rei ablatæ quantitate, & ex alijs circumstantijs, & signis. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 160. & 200. Dicast. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 10. *n.* 113. Palaus *disp.* 1. *punct.* 16. §. 5. *n.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 48. & *cap.* 16. *n.* 47. Bonac. *disp.* 1. *q. vlt. punct.* 2. *n.* 8. Rebell. *lib.* 2. *quæst.* 17. *num.* 15. ¶ Et hac ratione etiam dicunt excusari à furto eum, qui rem accipit ab eo, qui creditur non ægrè laturum: vt famuli, amici, filij, esculenta, & poculenta à domino recipientes, probabiliter arbitrantes ea, si peterent, sibi fore concedenda; sed tamen non audent petere ob verecundiam, in quo non committitur furtum, (saltem gravem) cum absolutè acceptio non displiceat domino, sed modus, videlicèt quòd clam ipso non præmonito fiat.

Ex tacita, & præsumpta remissione liberatur debitor à restitutione.

279 Inquires tertiò, an si creditor plures debitores habeat ratione eiusdem læsionis injustæ, quia videlicèt plures ad ipsius damnum concursum præbuere; & vni ex illis debitum remittat, reliqui ab onere restitutionis liberi remaneant? Respondetur, quòd si debitor, cuius remissio facta est, fuit causa principalis: quia nimirùm, vel fuit mandans, vel exequens, modo dicto *numer.* 141. & alij minùs principales, vt consiliantes, laudatores, consensum, vel recursum præbentes, &c. omnes manent liberi per illius condonationem, sicut

Si remissio fiat principali debitori, alij manent liberi.

sicut liber manet fidejussor per condonationem factam debitori principali. Et ratio est, quia reliqui solùm tenentur restituere in defectum principalis: ergò sicut, illo restituente, reliqui manent liberi, sic per condonationem factam ipsi, quæ solutioni æquiparatur. Si verò debitor, cui fuit facta remissio, sit ex secundarijs, & minùs principalibus, non ob id principalis debitor excusatur, sicut non excusatur debitor à solutione rei per remissionem, factam fidejussori, actionis, quam habebat creditor contra eum: licèt enim secúdarij à principali dependeant, quo proindè ab onere restitutionis immuni reddito, illi liberi maneant, principalis tamē non pendet à secundarijs, vt condonatione facta istius actionis, quam habebat creditor contra eos, ille liber maneat à restitutione.

Ob remissionem factam vni, non debent gravari alij.

280 Si tamen plures sint debitores æquè primarij, vel æquè secundarij, remissione vni concessa, alij non deobligantur solvere suam partem: quia obligatio vnius nec est accessoria alterius obligationi, nec ab illa dependet. At propter talem remissionem ampliùs non debent gravari singuli, quàm si facta non esset; ideòque si Titius, Franciscus, & Paulus 300. aureos à Petro furentur, & Titio remittat Petrus suum debitum, si Franciscus nolit solvere suam portionem, quæ erat 100. non ob id Paulus tenetur 200. solvere, sed tantum 150. quia Titius tenebatur in defectum alicuius consortis, partem illius cum alio dividere in solutione, & sic tenebatur 150. solvere, si aliquis ex socijs non solveret suam portionem, vnde per remissionem factam ipsi, 150. extrahi debent: & ideò quando vnus solvere recusat, alius qui vult satisfacere, 150. tantùm tenetur reddere. Omnia, quæ his duobus numeris diximus, tenēt Vazq. *de Rest. cap. 9. §. 1. dub. 4.* Pal. *disp. 1. punct. 16. §. 5. n. 8.* Bonac. *disp. 1. q. 8. punct. 1. n. 17.* Lug. *disput. 19. sect. 4. n. 140. & 142.* Less. *lib. 2. dub. 9. n. 60.* Dicast. *tract. 2. disp. 4. dub. 11. n. 239.*

PUNCTUM XVII.

Utrùm cum detrimento proprio in bonis superioris ordinis teneatur debitor solvere bona inferioris ordinis, quæ debet?

Quæ sint bona superioris, & inferioris ordinis.

281 SUpponendum est cum Caietan. 2. 2. *q. 62. art. 6.* quem sequuntur Bonac. & Palaus infrà citandi, bona dividi in temporalia, & spiritualia; & hæc semper esse superiora illis. Rursus temporalia bona in triplicem ordinem subdividi, infimum, medium, & supremum. Infimum locum obtinent res familiares, & quidquid pretio æstimatur: medium honor, & fama: supremum vita, libertas, sanitas, virginitas, membra. Quamvis Salon. 2. 2. *q. 62. art. 2.* & alij dicant, honorem, & famam esse bonum superius ipsa vita; meliùs tamen Villalob. *tract. 11. diff. 21. num. 1.* asserit, in aliquibus famam, & honorem plus æstimari vita: cum vita sit æqualis in viro ingenuo, & nobili, ac in plebeio; & tamen ille plus vita honorem æstimat, & consequenter vita plebeij inferius erit bonum honore, & fama: si tamen virtutibus, & alijs donis naturalibus, vt nobilitate, fortitudine, sapientia fuerit adepta; non illa, quæ vulgò æstimatur, cum verè talis non sit, sed multoties reipsa dedecus, & infamia.

282 Dicendum itaque est, quòd si debitum solvi non potest absque notabili jactura bonorū superioris ordinis, potest differri, vel in totum prætermitti. Et ratio est, quia secundum regulam Dominici Soto ab omnibus admissam *in 4. dist. 15. q. 2. art. 4.* Solutio differri, vel omitti potest, quoties dominus rei rationabiliter debet velle solutionem differri, vel omitti, & sic quando invitus non est rationabiliter: sed quando restitutio rei familiaris fieri nequit absque jactura membrorum, salutis, aut vitæ corporalis, vel spiritualis, non censetur rationabiliter invitus creditor, si non restituatur: quia in tali eventu peccat contra charitatem, si velit sibi restitutionem fieri, cum tanto debitoris detrimento. Nam secundum doctrinam Christi Domini, Matth. 7. *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, eadem, & vos facite illis*: quilibet autem rationabiliter vellet debitum sibi remitti, si absque infamia, aut periculo vitæ non potest illud solvere: ergo idem facere tenetur respectu alterius. Sic docent Tap. *lib. 5. q. 31. art. 4. n. 1.* Prad. *tom. 2. cap. 17. q. 8. §. 2. n. 13.* Bañ. 2. 2. *q. 62. art. 6. dub. 9. concl. 1.* Pal. *disp. 1. punct. 17. §. 3. n. 3.* Villalob. *tract. 11. diff. 20. n. 3.* Bonac. *disp. 1. q. ult. punct. 2. n. 13.*

Bona inferioris ordinis, cū detrimento aliorum superioris ordinis, restitui non debent.

283 Diximus, si absque notabili jactura, secùs verò esset, si minima esset jactura boni superioris. Et sic diffamatus propter aliqua furta teneretur ad restitutionem damni illati per aliud furtum, quamvis cum aliqua jactura famæ: quia tunc non videtur gravem illius læsionem pati, cum iam supponatur de tali crimine diffamatus. Imò & est accipienda præcedens assertio *per se*. *Per accidens* verò aliquando tenetur debitor bona inferiora solvere cum detrimento boni superioris, vt si ipse infimæ esset notæ, & bonum restituendum magni momenti: non quia bona ordinis inferioris possent bona superioris ordinis adæquare, quantumvis illa crescant in æstimatione, vt sentiunt Villalob. & Tapia; sed quia (vt benè inquit Bañ.) multoties divitiæ sunt instrumenta ad acquirendum honorem, & conservandum illum, & ideò cum teneatur vnusquisque cum æquali damno in bonis eiusdem ordinis restitutionem exhibere, vt diximus *num.* 270. tenetur etiam divitias solvere creditori, etiam cum jactura honoris, cum creditor ob non soluta sibi debita ab honore sui status cadere cogatur. Per se tamen loquendo, & regulariter, vt diximus, non sunt restituendæ pecuniæ cum jactura honoris, & famæ, & numquam cum jactura propriæ vitæ: quia in nullo eventu possunt bonum illius adæquare.

Aliquæ explicationes præcedentis doctrinæ.

284 Sed objicies, hinc sequi eum, qui per vsuras, furta, &c. injustè acquisivit statum sublimiorem, non teneri restituere cum jactura illius status: quia pateretur in fama, & honore detrimentum: &, secundùm doctrinam datam, non sunt restituenda bona ordinis inferioris cum detrimento bonorum superioris ordinis. ¶ Respondetur, negando sequelam: quia vel habebat in opinione aliorum rectè acquisitum illum statum, vel non? Si hoc secundum dicas, nullum patietur in honore detrimentum, ex eo quòd obligetur ad restitutionem cum amissione illius status: quia inde potiùs bonum nomen obtinebit, & providus salutis animæ reputabitur. Si primum, non inde excusandus est à restitutione, etiam cum amissione talis status: nam per hoc, quòd pecunias in pios vsus distribuat, non infertur hoc fieri, quia ad id tenetur ex delicto, sed potiùs creditur ex pietate præstari. Et si distributio facienda est alicui

Objectio, & solutio illius.

alicui determinatæ personæ, id per Confessarium, vel aliam personam facere potest, quin vulgus cognoscat esse factam restitutionem; & si inde succedat status diminutio, sustineat eam, qui injustè acquisivit illum, & sic nullum jus habebat ad eum. Quòd si ex simultanea restitutione timet homines crediturus iniquè statum fuisse acquisitum, cum tamen apud omnes benè audiat, paulatim, & per partes poterit præstare restitutionem, vt sic creditoribus satisfaciat, & suæ bonæ famæ non officiat.

Qui ex dictis non teneantur restituere?

285 Ex dictis in hoc puncto sequitur, fœminam, quæ filium ex adulterio percepit, non teneri crimen suum detegere, si periculum vitæ, aut famæ notabile timeat, etiamsi filijs legitimis damnum notabile in rebus familiaribus inde eveniat: quia videlicèt sciat amplum viri patrimonium æquis partibus inter spurium, & alios fore dividendum, vt constat ex cap. *Officij, de Pœnitent. & remissionibus.* ¶ Nec qui, nisi cum notabili detrimento valetudinis, nequit restituere. ¶ Neque qui ob restitutionem periculum magnum timeret incidendi in aliqua peccata, vel ipse, vel qui sui sunt, vt si furari cogeretur ad degendam vitam, vel filiam prostituere, aut honestatem vxoris meretricio exponere. ¶ Nec tenetur se vendere in servum, qui aliter bona fortunæ debita nequit restituere, leg. *Ob æs alienum*, Cod. *de Action. & obligat.* ¶ Nec tenetur testis, qui dedit falsum testimonium; tabellio, qui falsam scripturam confecit, ob quod alius læditur in bonis fortunæ, suum detegere crimen, cum periculo famæ, aut vitæ, aut alterius damni corporalis.

PUNCTUM XVIII.

Utrùm per ingressum in Religionem debita ante illum contracta extinguantur? & an ære alieno gravatus possit Religionem ingredi? & quid facere debeat, si licitè, vel illicite in Religione profiteatur?

Quæ certa sunt in hac materia?

286 PRæmittimus mortaliter peccare, qui in Religionem ingreditur, non solvendo creditoribus, cum posset, vel res non disponendo, vt illis satisfactio fiat: quia obligatio ex justitia præferenda est operibus ex consilio: attamen valebit professio jure naturæ, imò licita erit, si ille impotens sit solvere, nec spem habeat, quòd in sæculo manens possit creditoribus satisfacere. Similiter si debita erant incerti domini, quæ proindè pauperibus erant eroganda, licebit debitori impotenti solvere, ingredi Religionem, quamvis fortè in sæculo manens solvere brevi tempore posteà posset: quia hæc obligatio, non tam ex justitia, quam ex pietate consurgit, jure ecclesiastico, non naturali exercenda, vt diximus *num.* 211. & nihil tam pium, quam se, suaque omnia Deo in Religione dicare. Sic N. Anton. à Spirit. Sanct. *in suo Direct. Regul. tract. 3. disp. 2. sect. 1. n. 8.* Palaus *tract. 16. de Statu Relig. disp. 1. punct. 7. §. 4. num. 2.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7. n. 1.* Sanch. *in Decalog. lib. 4. cap. 19. n. 4.* Lug. *de Justit. tom. 1. disp. 21. sect. 6. n. 62.*

Qui brevi tempore sperat posse restituere, non

287 Præmittimus secundò, quòd si quis brevi tempore (putà intra biennium, vt aliqui volunt, vel ad summum triennium, vt placet alijs) in sæculo detentus spem habeat se posse satisfacere creditoribus, vel ex fructibus alicuius officij, aut beneficij, vel ex acquisitis arte, vel industria commodatis eius statui, tenetur per illud tempus differre Religionis ingressum (nisi extraordinarium, vel grave periculum incidendi in aliquod peccatum immineat) quia qui brevi tempore, & absque magna difficultate potest satisfacere, cur impotens dicendus est ad satisfaciendum? & aliàs petit æquitas justitiæ, ne omittatur obligatio naturalis satisfaciendi creditoribus, & cum præjudicio illorum consilia perfectionis sequantur: ergò tenetur per illud tempus statum illum non sumere, vt satisfaciat. Et licet aliqui Authores id negent, affirmant tamen nobiscum Sanch. *loc. cit. num.* 8. Lessius *lib. 1. cap. 41. dub. 3. num. 32.* Petrus Navar. *de Restitut. lib. 4. cap. 4. difficult. ultim.* Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 10. dub. 8. num. 129.* Nec oppositum tenet D. Thom. *2. 2. quæst. 189. art. 6. ad 3.* vbi asserit: *Undè licitè potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere, vt procuret undè debitum reddat.* Loquitur enim Sanct. Doct. de non potente restitutionem facere, nisi longo tempore in sæculo maneat: nam, vt diximus, qui brevi tempore id efficere potest, impotens non est dicendus ad intentum.

Potest Religiosus effici.

Qui debitis ex contractu gratuito est gravatus, potest Religionem ingredi.

288 Præmittimus tertiò, eum, qui debitis est gravatus ex liberali promissione contractis, posse statim (cedendo bonis suis, vt ex eis creditoribus fiat satisfactio) Religionem ingredi, & in ea profiteri absque eo, quòd teneatur etiam per breve tempus expectare, in quo sperat posse integrè satisfacere illis: quia promissio liberalis (putà donandi tot pecunias, hoc, vel illud obsequium exercendi, hoc opus, vel illud perficiendi) semper intelligitur sub tacita conditione, nisi ad melioris vitæ frugem fecerit transitum, vt de promissione matrimonij in sponsalibus facta diximus *tract. 9. de Matrimon. cap. 2. num. 16.* & in præsenti tenet Lugo *num. 68.* Suarez *num. 13.* Sanch. *num. 31. & 36.* & Palaus *n. 6.* Dicastill. *n. 134.* & est inter Doctores ferè omnes commune, quidquid aliqui contradicant. ¶ Quibus suppositis, duo nobis examinanda sunt. Primum, an possit ingredi Religionem, qui debitis ex delicto, vel contractu oneroso est gravatus, si per multum tempus in sæculo manens, speret se posse satisfacere; & hoc, attento jure naturæ? Secundum, quid circa hanc materiam sit jure pontificio dispositum?

§. I.

An jure naturæ teneatur debitor per multum tempus in sæculo manere, si toto illo speret posse creditoribus integrè satisfacere.

Sententia negativa, & argumenta pro ea.

289 DUplex est celebris circa quæsitum sententia. Prima affirmativa, quam tenet Molin. *tom. 3. disp. 758.* Ioan. de Medin. Cod. *de Rest. quæst. 3, caus. 8.* Valent. *2. 2. disput. 5. quæst. 6. punct. 7.* vers. *Præter has*, Suar. *tom. 3. de Religion. lib. 5. cap. 7. num. 12.* Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 7. §. 4. n. 7.* Reginald. *lib. 29. numer. 2. §. 4.* Bonacin. *disp. 1. q. vlt. punct. 2. §. 1. n. 1.* & alij. Et probatur primò, quia solutio debitorum est de jure divino, & naturali, à qua debitor non liberatur in conscientia ob cessionem bonorum; ergò tenetur non assu-

aſſumere ſtatum Religionis incompoſsibilem cum tali ſolutione,qui in ſæculo manens ſperat poſſe debitoribus ſatisfacere; quandoquidem opera ex conſilio prætermittenda ſunt, vt his, quæ debita ſunt ex jure naturæ,fiat ſatis. ¶ Secundò,quia filius non poteſt Religionem ingredi, quando,manens in ſæculo, poteſt ſubvenire parentibus indigentibus eius auxilio, eo quòd talis ſublevatio eſt debita jure naturæ, & ſic operibus conſilij præferenda: idem ergò inpræſenti. ¶ Tertiò, quia non eſt licitum propter lucrum proprium temporale, vel ſpirituale, debita prætermittere, & creditori nocumentum afferre, vt diximus *n.*271. eo quòd non ſunt facienda mala, vt inde bona ſequantur; nec aliquis poteſt locupletari aliena jactura: ergò propter ſpirituale lucrum ſtatus religioſi non licèt creditoribus nocumentum afferre. ¶ Quartò, quia mancipium non poteſt ingredi Religionem ſine conſenſu domini: quia illius obſequijs tenetur incumbere: & ſi ingrediatur, illud poteſt dominus intra triennium extrahere. Similiter ille, qui ſub ſpe conjugij virginem defloravit, nequit Religionem ingredi abſque illius licentia,vt *tract.9. de Matrim.cap.*2.*n.*45.diximus: quia in mulieris detrimentum cederet talis ingreſſus: ergò idem in noſtro caſu dicendum erit.

Licitus eſt ingreſſus in Religionem debitoris nó potentis debitoribus ſatisfacere.

290 His non obſtantibus,probabilior nobis videtur ſententia D. Thom. 2. 2. *q.*189.*art.6.ad* 3. aſſerentis, non teneri dictum debitorem impotentem, vt creditoribus ſatisfaciat, in ſæculo manere per longum tempus, etiamſi ſperet hoc modo poſſe integrè reſtituere; ſed licitè poſſe ingredi Religionem, cedendo bonis ſuis, vt ex eis creditoribus fiat ſatis. Probatur primò ratione Div. Thom. quia perſona hominis liberi non eſt creditoribus obligata (intellige per ſe,& ratione ſui propter dicta *num.* 224.) ſed eius bona (vel perſona ratione illorum) ergò cedendo bonis omnibus in favorem creditorum, illis ſatisfacit, nec ad ampliùs tenetur,& poteſt de perſona in obſequium Dei diſponere, ſtatum Religionis accipiendo. ¶ Secundò, quia ſatisfactio, quæ non,niſi cum magna difficultate, & longo tempore expectato, & cum detrimento ſpirituali,fieri poteſt, moraliter cenſetur impoſsibilis; ſed talis eſt, quæ per longum tempus impedit ingreſſum Religionis: ergo moraliter eſt cenſenda impoſsibilis: & cũ ad impoſsibile nemo teneatur, non erit obligatus debitor toto illo tempore in ſæculo expectare; ſed poterit licitè Religionem ingredi, ac ſi ſpem non haberet ſe poſſe ſatisfacere. ¶ Tertiò,quia vel debita ſunt ex contractu oneroſo, vel ex delicto: Si primum dicatur, cum in quolibet contractu illa tacita conditio imbibatur: *Niſi ad ſtatum perfectiorem incompoſsibilem tranſierim* (vt conſtat in contractu ſponſalium, & mutua promiſsione matrimonij, qui eſt oneroſus contractus,& tamen, vt diximus,eſt ſub illa tacita conditione initus) iam conſtat,non manere obligatum ad relinquendum ſtatum perfectiorem ob debita ex illo contracta: Si autem debita ſint ex delicto, maior difficultas eſt: quia in eis obligatio ex intentione debitoris non pendet. Cæterùm, quia adhuc in iſtis non obligatur cum tanto onere, vt privari debeat mutatione ſtatus in melius, vt cum maiore ſecuritate ſalutem ſpiritualem procuret: quia hoc eſſet graviſsimum onus;dicendum erit, talem ſtatum amplecti poſſe, ſi brevi tempore in ſæculo manens creditoribus ſatisfacere non ſperet. Ita præter D.Thom.Caiet.ibi,Sanch. *Decalog.lib.*4.*cap.* 19.*n.*8.Azor *tom.*1.*lib.*12.*capit.*1.*quæſt.*5. Leſsius *lib.*2.*cap.*16.*dub.*8.*n.*32.Petr.Navar.*de Reſtit.lib.*4. *cap.*4.*diff.vlt.n.*78.& 79.Lug.*diſp.*21.*ſect.*6. *n.*67. Rebell.1.*p.lib.*2.*q.*17.*ſect.*4.*concl.vlt.* Dicaſt. *libr.*2. *tract.*2.*diſp.*10. *dub.*8. *n.*130. N. Anton. ab Spirit. Sanct.*in Direct.tract.*3.*diſp.*2.*ſect.*1.*n.*8.Dian. 2.*p. tract.*2.*de Dubijs Regul.reſol.*41.

Triplex objectio contra dicta.

291 Sed obijcies primò, quod Div.Thom. *loc. cit.*ita ait: *Et ideò ſi aliquis ſit obligatus, vt alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat, non poteſt hoc licitè prætermittere, vt Religionem ingrediatur*: ergò cum debitis certis, & obligatione ad ratiocinia nemo poterit Religionem ingredi, ſi illis, manendo in ſæculo, poteſt ſatisfacere. ¶ Secundò, quia ſi ratio D. Thom. ſuprà propoſita aliquid probaret: quia nimirùm perſona eſt libera,& ſolùm bona manent obligata, ſequeretur quòd ſi omnia bona creditoris perirent, non teneretur etiam in ſæculo manens laborare, vt creditoribus ſatisfaceret,contra id quod ſuprà diximus,& omnes aſſerunt:quia dicere poſſet, manere liberam perſonam, & ſic non teneri ad actiones perſonales, bonis pereuntibus. ¶ Tertiò, quia ex noſtra aſſertione ſequitur, quod in ſæculo manens liberaretur ab obligatione ſatisfaciendi crediroribus, ſi in xenodochio pauperibus inſerviendis ſe addiceret, vel ſi orationi, & contemplationi vellet vacare: quia non deberet ſemitam adeò ſpiritualem, & lucrum animæ,eiuſque ſecuritatem prætermittere, vt debitoribus ſatisfaceret,quod nemo auderet dicere: idem ergò in noſtro caſu.

Solvitur pri maobjectio.

292 Reſpondetur ad primam, Sanctum Doctorem, quando dicit eum, qui certa debet, non poſſe Religionem ingredi, addere *facultate exiſtente*, id eſt, cum adeſt facultas illis ſatisfaciendi, ſive per bona, quæ habet, rectè diſponendo de illis, ſive per ea, quæ brevi tempore ſperat habere: & tunc non licet ingredi Religionem debita prætermittendo: quod,vt conſtat, non eſt contra noſtram ſententiam. Niſi mavis dicere, per debitum certum intelligere Sanctum Doctorem debitum, quod in ſpecie habetur, vt aliqui explicant: nam de alijs debitis, etiam certis, quæ in ſpecie non habentur, expreſsè eodem loco aſſerit, non impedire ingreſſum Religionis. Cæterùm, quia in ratiocinijs reddendis perſona ipſa eſt obligata (eſt enim obligatio perſonalis obligatio reddendi rationem) meritò aſſerit, non poſſe cum tali obligatione Religionem ingredi, qui in ſæculo manens, etiam longo tempore, ſperaret poſſe ſatisfacere illi obligationi. Sicut mancipium non poteſt ingredi Religionem abſque conſenſu domini, nec vxoratus abſque vxoris conſenſu: quia in vtroque perſona eſt obligata, & ad actiones perſonales adſtricta; & ſic non poteſt tranſire ad ſtatum, in quo perſona, & actiones eius domino conſecrantur. Quod ſecùs accidit in debitis realibus, de quibus loquimur:nam in eis perſona manet libera, & ſic poteſt Deo in ſtatu ſublimiori dicari.

Aliorũ objectionũ ſolutio.

293 Ad ſecundam reſpondetur, quòd in his debitis ſemper manet libera perſona, vt ſe in ſtatu perfectiori, quem voluerit, collocet, ſed cum obligatione, vt per operas illius ſtatus ſatisfaciat, prout valuerit, debitoribus:& ſic tam in ſæculo,quã in Religione tenetur per operas illi ſtatui non indecentes ſatisfacere debitoribus, non tamen obligatur ad non aſſumendum ſtatum ſublimiorem incompoſsibilem cum tali ſatisfactione per opera, quibus poſſet ſatisfacere. Sicut in ſæculo manens non tenetur ſublimiorem ſtatum juſtè quæſitum relinquere, vt diximus *numer.* 269. tametſi

in

in illo non posit laborare, vt restituat, sed tantùm est obligatus in illo facere quantum compatitur cum illo statu. ¶ Ad tertiam neganda est sequela: quia ibi non collocatur in novo statu perfectionis à periculis libero, sicut intrando in Religionem. Et hic non agitur solùm de acquirendo novo lucro spirituali, quod in exercitijs objectionis acquiritur; sed de fugiendis animæ periculis, quantum in hac vita fieri potest, & damnis spiritualibus: quod in sæculo manens, tametsi pijs operibus addictus, non consequitur, sicut qui ad Religionem convolavit.

Solvuntur duo argumenta contrariæ sententiæ.

294 Ex dictis possumus argumentis pro contraria sententia adductis satisfacere. Ad primum dicimus, præceptum naturale de solvendis debitis obligare, quando potest debitor solvere; sed in nostro casu, tam de præsenti, quàm de proximo, supponitur impotens; & ex tali præcepto naturali non tenetur ad procurandam potentiam solvendi postea, & adeò remotam, vt est illa, quæ per longum tempus speratur, cum tanto detrimento in bonis spiritualibus: quia nec ex contractu se voluit obligare ad hoc onus, nec ex delicto contrahit obligationem adeò gravem procurandi possibilitatem solvendi, cum detrimento perpetuo in bonis spiritualibus. ¶ Ad secundum, concesso antecedenti, neganda est consequentia: quia filius non ex sua voluntate obligationem illam accepit, sicut qui debet ex contractu; sed ex ipsa origine talem obligationem contraxit subveniendi parentibus: & non sicut debitor ex delicto, sed cum quolibet detrimento, dum ipse non est in æquali necessitate, propter arctissimum naturæ vinculum, quo tenetur genitoribus: quam obligationem sic strictam non contrahit debitor, sed multò minorem: & ideò potest, & debet non solvere debita, etiam ex delicto contracta, vt parentibus succurrat magna necessitate laborantibus. Quarè non mirùm, si propter parentes teneatur abstinere ab ingressu Religionis, etiam in perpetuum; non tamen vt creditoribus suis satisfaciat.

Duorum aliorum argumentorum solutio.

295 Ad tertium respondetur, quòd, vt diximus, hìc non solùm agitur de lucro consequendo, sed de damno, & detrimento vitando; quod sufficit ad excusandum à restitutione, si sit notabile, vt diximus *num.*267. Est quippè maximum damnum debitoris, se privare libertate, quam alij homines habent mutandi vitam in meliùs, & dicandi se Deo in statu perfectionis, liberandique se à laqueis, & offendiculis huius sæculi; & sic non tenetur hoc detrimentum in perpetuum subire, vt creditoribus satisfaciat. ¶ Ad quartum, ad id quod de mancipijs dicitur, constat ex dictis *n.*292. debitum illorum esse personale; & sic non posse absque consensu dominorum in Religione personam suam Deo dicare. Ad illud de virgine sub promissione conjugij defforata, dicimus cum Sanch. *lib.*1. *de Matrim. disp.*44. *num.*1. in tali casu personam defforantis manere obligatam ad conjugium contrahendum: quia eo modo tacitè facta fuit promissio à defforante, & recepta, ac acceptata à defforata: quia ipsa non aliter jacturam suæ integritatis objecit, nisi cum onere, vt alius ad alium statum incompossibilem cum matrimonio, ipsa invita, non transiret. Non enim vsuram corporis concederet, si liberum ipsum manere putaret ad Religionis statum transeundi, eam inhonoratam, & dejectam relinquendo. Igitur se voluit obligare (quod certè poterat) ad non assumendum alium statum, & amittendam libertatem, quam alij habent mutandi vitam in melius per statum religiosum. Maximè, cum sit obligatio personalis, quòd nequit licitè cum illa assumere statum, in quo non potest illi satisfacere.

Quid in Religione facere debet, qui cum debitis intravit?

296 Sed rogabis, an qui licitè, vel illicitè debitis gravatus in Religione professus est, teneatur in Monasterio laborare, vt creditoribus satisfaciat? Affirmat absolutè teneri Rossella, S. Antonin. Sylvest. Angel. Tabien. & Aragon. apud Sanch. *in Decalog. lib.*4. *cap.*19. *n.*14. Suar. *de Religion. tom.*3. *lib.*6. *cap.*10. *n.*7. Dicastill. *lib.*2. *tract.*2. *disp.*10. *dub.*8. *n.*128. & Prælatum debere illi dare licentiam: quod si non dederit, adhuc debere sibi eam subditum accipere, & laborare. Bonac. verò *disp.*1. *q. vlt. p. mct.*2. §.1. *num.*7. dicit teneri ad exercitia, quibus satisfacere possit, quæ decentia sint suo statui: & Prælatum obligatum esse ad dandam huiusmodi facultatem, si conscius debitorum, illum admisit. At Sanch. *suprà n.*16. Palaus *tom.*3. *tract.*16. *disp.*1. *punct.*7. §.4. *n.*8. Less. *lib.*2. *cap.*41. *dub.*3. *n.*31. negant, Prælatum teneri dare talem licentiam, licèt possit eam concedere, vt intra, vel extra Conventum, habitu retento, laboret; sed subditum non obligari ad vtendum tali licentia: quia id medium extraordinarium est; & licèt peccasset ingrediendo, & reddendo se impotentem ad solvendum, postea tamen non obligatur ad vtendum medijs adeò difficilibus. Addit Palaus aliam rationem: quia iam non creditorum, sed Religionis est; & professione facta, cum cessione bonorum debita extinxit.

Non tenetur Prælatus dare licentiam Religioso, vt pro debitoribus laboret, ipse verò, habita illa, teneatur laborare in his quæ decenter potest.

297 Veruntamen Cardin. Lugo *tom.*1. *disp.*21. *sect.*6. *n.*81. tria dicit, quæ nobis maximè placent. Primum cum Sanch. Lessio, & Palao convenit in eo, quod dicunt, non teneri Prælatum dare talem licentiam: quia Prælatus nihil debet creditoribus; & aliundè ratione status jus habet subditum gubernandi, & imponendi illi operas, & occupationes, quas voluerit, independenter ab eo, quòd impediant, vel non, solutionem debitorum: quia jus Prælati fortius est propter traditionem factam in professione; non ergò tenetur ad concedendam similem licentiam laborandi, vel operas suas pro debitoribus applicandi. ¶ Secundum, Religiosum non teneri neque in operibus laborare, quæ statui Religionis, eiusque personæ essent difficiles, aut minùs decentes, vel extraordinariæ; & quia indecentissimum esset, & extraordinarium, vel quòd sine licentia Prælati, vel quod extra Monasterium in habitu sæculari laboraret, ad id nullo modo teneri. Nec etiam eas operas efficere, quæ vel difficiles, vel indecentes essent illius statui, ac personæ: quia ex vna parte talem statum (tametsi illicitè assumptum, & peccando contra justitiam creditorum, quibus satisfaciendis impotentem se reddit) non habet comparatum ex alieno, sicut qui per vsuras, aut furta ad statum altiorem ascendit; & sic non tenetur, imò non potest, illum dimittere, vt satisfaciat; & ex alia parte nemo tenetur, nisi juxta conditionem suæ personæ, & status laborare, vt restituat. Sicut qui in inferiori statu debita contraxit, & sua fortuna, vel industria ad altiorem devenit, non tenetur ab eo cadere, vel manibus indecenter laborare, vt diximus suprà: ¶ Tertium dicit, teneri Religiosum, habita licentia Prælati, in his laborare, quæ nec statum dedecent, aut personam, nec sunt extraordinaria, & admodùm difficilia: quia ex vna parte bonorum cessio non liberat eum in conscientia, vt non

non debeat modo communi, & ordinario, procurare integram debitorum solutionem: & ex alia status Religionis solùm excusat, quatenus impedit modum,quo in sæculo solvi possent. Quia si non impedit,cur magis status Religionis excusaret, quàm status Clericalis, aut matrimonij? Modus verò,quo in sæculo solvi deberet, est laborando juxta decentiam status,& personæ: ergo etiam hoc modo tenetur in Monasterio laborare de Superioris licentia, vt creditoribus satisfaciat.

Explicatio præcedentis doctrinæ, verbis Lugo Cardinalis.

298 Sed addit Lugo *num.*84 hæc præclara verba: Infero secundò, ad judicandum de decentia hac, vel indecentia, attendendum esse,non solùm statum religiosum, sed conditionem, quam Religiosus in eo habet. Aliqua enim potest facere Religiosus laicus, quæ non decent Sacerdotem. Alia etiam potest simplex Sacerdos facere, quæ non decent Lectorem Theologiæ, vel Concionatorem, qui pro suo munere potest, & debet in rebus sublimioribus tempus expendere. Considerandum ergo est, an occupatio, vel labor ille deceant Religiosum talis conditionis, vel qualitatis. Non enim decet, quòd Lector, vel Concionator, si quod tempus illi supersit, illud expendat in transcribendis libris, vel faciendis operibus manualibus, etiamsi eam artem in sæculo exercuisset,ad solvendum suis creditoribus. Et in vniversum considerandum etiam est, quòd multa reputantur difficilia respectu Religiosi, qui satisfacere debet priùs officio suo, quodcumque illud sit, sine quo pauci inveniuntur, & posteà laborare deberet pro suis creditoribus,quæ tamen in sæculo ei difficilia non reputarentur:quia vnicum haberet officium, vel artem,qua & sibi necessaria, & superflua pro creditoribus comparare posset.Hactenus vir Eminentissimus,& Sapientissimus.

§. II.

Quid ex jure pontificio Sixti V. & Clementis VIII. circa materiam huius Puncti habeatur?

Decretum Sixti V. & Clem.VIII. proponitur, & explicatur.

299 SIxtus V. per motum proprium editum anno 1585. prohibuit in Religione recipi eos,qui supra suas facultates fuerint ingenti ære alieno gravati, vel ita obnoxij reddendis rationibus, vt ob id timeantur lites, & molestiæ inferendæ: quorum professionem annullat. Sed quantum ad hanc nullitatem revocavit dictum decretum Clemens VIII.per alium motum proprium, relinquens illud in suo robore quoad prohibitiones, & pœnas in eo taxatas. Sed circa hanc prohibitionem, & pro illius intelligentia aliqua notanda duximus. Notandum est ergo primò, quòd hæc prohibitio locum non habet in monialibus, vt ipse Sixtus V. in alio motu proprio declaravit, vt testatur Sanch. *lib.* 4. *Decal.cap.*19.*num.*22.Lugo *disp.*21.*sect.*6.*num.*87. Dicast.*lib.*2.*tract.*2.*disp.*10.*n.*140.Nec etiam comprehenduntur debitores, quorum debita non superant eorum substantiam. Unde non comprehenditur, qui licèt de præsenti non possit solvere, habet tamen vnde succesivè solvi possit, ipso etiam in Religione manente: quia hic non videtur gravatus super vires suas, & suarum facultatum. Ita tres Auctores modò citati. Nec similitèr, qui debita habet incerta, licèt sint magni momenti; sed qui debita certa habet. Debita siquidem incerta pauperibus debent applicari,& sibi ipsi,vt pauperi, poterunt à Confessario applicari ad finem ingrediendi Religionem,vt ait N.P.Fr.Anton.à Spiritu Sanct. *in suo Director.tract.*3.*disp.*2.*sect.*1.*n.*8.Sanch.*n.*24. Lug. *n.*88.Dicastill.*n.*145.

Ampliusexplicatur dictum decretum.

300 Notandum est secundò, quòd in debitis, quæ non sunt magni momenti, non habet locum prædictum decretum: quia solùm loquitur de his, qui sunt ingenti ære alieno gravati. Et adhuc licèt debita sint magni momenti, si vel adest consensus creditorum, vel Religio, vel quilibet alius offert se ad debita solvenda, vel cum effectu solvit,non obligat prædictum decretum: quia tunc iam non censetur debitor ære alieno gravatus. Nec dicuntur ære alieno gravati, qui in pœnam delicti condenati sunt ad aliquid solvendum, vel tenentur satisfacere ob injuriam quomodocumque irrogatam: quia isti non sunt gravati ære alieno, cum nihil alienum de bonis fortunæ sibi vsurpaverint.Sanch.*num.*22. Lugo *num.*90. Dicastill. *num.* 148. Nec sunt comprehensi sub hoc decreto, qui ex promissione gratuita, & liberali aliqui debent: quia hæc, vt diximus, semper sub tacita conditione intelligitur, nisi statum altiorem incomposibilem assumant. Nec etiam illi, qui quamvis debita ex ære alieno contraxerint, bonis suis cedunt pro creditoribus solvendis, & spes non datur,quòd, manendo in sæculo, poterunt ipsis satisfacere: quia ibi solùm de debitoribus est sermo, qui in præjudicium creditorum Religionem ingrediuntur; sed isti non præjudicant creditoribus, cum non possint eis satisfacere, nec posse se sperent: & alias melius est creditoribus, quòd omnibus bonis cedant,vt sic ex illis aliquam sibi portionem possint capere. N.P.Fr.Ant.à Spirit.Sanct. *n.*7.Sanch. *n.*26. Lugo *n.*89.Dicast.*n.*148.

In dicto decreto nõ cõtinentur,qui absque culpa sua non possunt satisfacere.

301 Denique notandum est,per huiusmodi decretum non retrahi ab ingressu Religionis, qui licet ingenti sint ære gravati, absque sua culpa in impotentiam satisfaciendi devenerunt: etiamsi spem habeant brevi tempore in sæculo manentes satisfaciendi, vt constat ex illis verbis decreti: *Multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam vim æris alieni.* Eos igitur comprehendit, qui dilapidando bona sua in ludis, luxurijs, & alijs vitijs redduntur impotentes satisfacere de præsenti, quamvis possint pro tempore futuro satisfacere, non verò illos qui absque sua culpa impotentes redditi sunt satisfacere de præsenti id, in quo sunt ære alieno gravati. Et sic isti ex vi huius decreti non prohibentur statim ingredi Religionem, etiamsi in sæculo manentes possint brevi tempore creditoribus satisfacere.Sic Lugo *n.* 89. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16.*disp.*1.*punct.*7.*§.*4.*num.*10.Dicast.*lib.*2.*tract.*2. *disp.*10.*dub.*8.*n.*147.N. Fr. Anton. à Spiritu Sanct. *supr.num.*7.¶ Igitur in vnum colligendo omnia, ex vi huius decreti solùm prohibetur ingressus Religionis illis, qui cum æs alienum, vel aliud de bonis fortunæ vanè expenderùt,sunt gravati ingentibus debitis, & de præsenti non possunt satisfacere, possunt tamen in sæculo manentes.Reliqui,qui in hoc decreto non comprehenduntur, & sunt restitutioni obnoxij, poterunt, vel non, ingredi Religionem juxta ea, quæ,attento jure naturali, toto hoc Puncto diximus.

PUNCTUM XIX.

Qualitèr in foro conscientiæ debitum compensatione extinguatur, & de conditionibus ad licitam, & validam compensationem requisitis.

Quid, & quotuplex sit compensatio?

302 COmpensatio diffinitur à Modestin. *in leg. 1. ff. de Compensat.* quod est: *Debiti, & crediti inter se invicem contributio*, seu qua vnum debitum alio debito proposito absumitur: & sic in compensatione propriè dicta duo debita debent intervenire, & bini, qui sibi invicem creditores, & debitores sint, quorum jura compensatione extinguantur. Quarè si ex vna parte solùm sit debitum, non est locus compensationi propriè dictæ, sed recuperationi, de qua est disparratio, vt posteà videbimus. Effectus compensationis propriæ est debitorem compensantem liberum à debito relinquere, leg. *Si ambo, ff. de Compensationibus*: quia ipsa compensatio est quædam debiti solutio, vt inquit Iurisconsult. *leg. 4. §. Solvisse, ff. de Re judicata*; & inducitur compensatio ab illo puncto, quo debitor creditorem sibi debitorem habet: quia eo ipso debitum creditoris, alterius debito extinguitur, leg. *Cum ambo*, leg. *Cum alter*, leg. *Idem juris, ff. de Compensat.* Unde eo ipso, quòd sit debitum moralitèr certum, extinguitur in conscientia debitum antiquum, nec requiritur ad hoc auctoritas Iudicis, sed absque illa licitè fit talis compensatio.

Propria cõpensatio licitè fit etiam sine Iudicis interventu.

303 Sed Auctores videntur confusè loqui, dum hanc propriam compensationem cum impropria, quæ est recuperatio debiti, confundunt: & sine distinctione asserunt requiri Iudicis sententiam, cum commodè potest haberi pro compensatione licita. Id enim verum est solùm in compensatione impropria, quando non datur debitum vtriusque partis, sed solùm ex parte vnius; vt si Petrus mihi debeat centum, & cum nolit ea solvere, volo ex bonis eius occultè surripere, quod mihi debet. Et sic recuperatio debiti nuncupatur, quæ, vt dicemus, fieri non potest, nisi cum auctoritate Iudicis, quando commodè hac via potest debitum recuperari. At verò loquendo de compensatione propriè dicta, quando tu mihi debes centum, & ego tibi totidem debeo, & vnum per aliud compensatur, non requiritur sententia Iudicis: sed eo ipso quòd vtrimque detur æquale debitum, datur compensatio vnius cum alio: quia tibi remittendo centum, quæ mihi debes, tibi solvo centum, quæ debebam: quod fieri potest propria auctoritate, vt benè asserunt Palaus *tom. 7. disp. 1. punct. 17. §. 3. num. 6.* Lugo *disput. 16. sect. 5. n. 87.* Valentia *disp. 5. q. 6. punct. 7.* Dicastill. *libr. 2. tract. 2. disp. 10. dub. 7. numer. 117.* & clariùs *disp. 9. n. 98.* Rebell. *libr. 5. q. 18. conclus. 2. numer. 4.* qui dicit Canonistarum communem esse sententiam in capit. *Bona fides, de Deposito*; sed quia cum pluribus est loquendum, ideò promiscuè de vna, & altera compensatione loquemur hoc Puncto: quia in omnibus alijs præter hoc, quòd est exigere, vel non, sententiam Iudicis, conveniunt.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

§. I.

Quomodo compensatio licita sit, & occulta debiti recuperatio.

Quædam debita, in quibus non licet compensatio jure positivo.

304 DEbitis servatis conditionibus infra recensendis, licitam esse compensaptionem, sive sit compensatio propriè dicta, qua vnum debitum per aliud extinguitur: sive sit impropriè talis, quando debitum, quod non potest alia via recuperari, per occultam subreptionem resarcitur, omnes Doctores concedunt. Sed dantur aliqui casus, in quibus ex dispositione juris nullo modo compensatio permittitur; nimirum de eo quod Regi, civitati, alterive communitati debetur, leg. *Mea*, Cod. *de Compensation.* leg. *Ob negotium, ff. eod. tit.* Similitèr condemnatus in judicio ad solvendam pecuniam, vel aliud debitum injuriato ob injuriam, furtum, vel aliud maleficium, non potest compensatione vti; sed debitum in specifica forma solvere tenetur, nisi alius ex eodem maleficio debitor existat. Leg. *Finali, in fine*, Cod. *de Compensation.* juncta glossa ibi, *leg. 27. tit. 14. p. 5.* Debitum ex deposito cum alio debito etiam ex deposito compensari non potest: imò nec pro illius solutione potest retineri; sed restituendum est, dum petitur, & posteà actio intentanda, vt alterius debitum, vel depositum accipiatur. Leg. *Si quis pecunias*, Cod. *de Depositi. leg. Regia 5. tit. 3. leg. 27. tit. 14. p. 5.* cap. *Bona fides, de Depositi.* Sed dicta, & alia huius generis intelliguntur in foro judiciali, in quo non potest illorum opponi exceptio compensationis. At in foro conscientiæ, si non sit scandalum, & alia via non possit debitum recuperari, potest creditor compensatione, vel retentione vti; vt inquit Palaus *tom. 7. disp. 1. punct. 6. §. 2. n. 12.* Petrus Navar. *lib. 3. cap. 1. n. 390.* Lug. *disp. 16. sect. 5. n. 89.* Dicast. *lib. 2. tract. 2. disp. 9. n. 91. & disp. 6. n. 96.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 4. n. 16.* Laym. *lib. 3. tract. 2. cap. 9. circ. fin.*

In depositis non licere compensationem, aliqui dicunt, sed verius est oppositum.

305 Aliqui excipiunt ab hac generali doctrina debitum, quod ex depositio debetur; in quo non licet vti compensatione, etiam in foro conscientiæ, ob specialem obligationem, & fidelitatem, qua debet depositarius rei servare eam in propria specie reddendam: est enim de facto ad reddendum depositum adstrictus in favorem creditoris, quo non licet debitori vti in suum commodum, juxta cap. *Bona fides, de Deposito*, vbi Gregor. IX. sic dicit: *Sanè depositario licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod compensationi, vel reductioni locus non fuit, vt contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minimè referatur.* Atque ita tenent Prado *cap. 22. q. 3. n. 2.* Tapia *lib. 5. q. 31. art. 6. num. 6.* Villalob. *tract. 41. diffic. 23. n. 2.* Palaus *supr. §. 3. num. 4.*

¶ Sed alij probabiliùs sentiunt, etiam in depositio dari locum compensationi in conscientia, vt si debitor apud te pallium, equum, vel quid simile deposuit, & non potes debitum tuum alia via recuperare, potes non reddere, vel negare depositum. Tùm, quia sicut debitor non servat fidem in solvendo, depositarius non debet illi servare fidem in reddendo depositum, juxta regulam *frangenti fidem non est servanda fides.* Tùm etiam, quia nec ex jure positivo id prohibetur: siquidem hoc solùm loquitur pro foro externo, vt diximus. Nec etiam ex jure naturali, quin potiùs ex hoc potest quis rem suam modo

do licito vindicare. Sic Rebell. 1. *p. lib.* 2. *q.* 18. Laym. *supr. cap.* 9. *q.* 3. *fin.* Dicast. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *n.* 91. & *disp.* 6. *n.* 96. Petr. Navar. Lug. Lessius *loc. cit.* Trullench. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 5. *n.* 7. Bonac. *disp.* 2. *q. vnic. punct.* 2. *n.* 19.

Etiam in debitis diversæ rationis licet compẽsatio.

306 Secundò, aliqui dicunt, solùm esse locum compensationi in rebus eiusdem speciei, vt triticum pro tritico, oves, boves, pecuniæ, pro ovibus, bobus, & pecunijs; non verò in rebus diversæ rationis, vt si ego debeo tibi equum, tu mihi centum aureos, inquiunt me non posse equum retinere ob pecunias debitas, si alius vult equum sibi reddi: quia non est cogendus dominus rem suam vendere: hoc enim esset creditorem gravare, rem suam, invito illo, emendo. Sed verius est dari locum compensationi, etiam in rebus diversæ rationis, si sint eiusdem æstimationis, & valoris, servatis debitis conditionibus: vt si mihi debeas equum, vel bovem centum valentes, & ego tibi centum debeam, nec possim rem meam commodè recuperare, possum compensatione vti: & si tu mihi debeas centum, & non vis solvere, possum à te occultè accipere equum tantùm valentem: quia tibi imputare debes, quòd cogaris rem vendere, vel emere, eo quòd non vis, quæ debes, solvere, cum vnicuique datum sit, vt se indemnem servet via, qua potest licitè. Prad. *cap.* 22. *q.* 3. *n.* 11. Lug. *disp.* 16. *n.* 92. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 5. *n.* 3. Dicast. *tr.* 2. *disp.* 10. *dub.* 7. *n.* 118. Rebell. 1. *p. lib.* 2. *q.* 18. *concl.* 2. *fin.* Dian. 2. *p. tr.* 16. *res.* 46.

Pro debito proximè futuro potest fieri cõpensatio.

307 Deinde aliqui dicunt, non esse locum compensationi, nisi debitum sit contractum. Sed immeritò, quia etiamsi debitum non sit contractum de facto, sed brevi tempore contrahendum, si timet tempore solutionis debitum non sibi solvendum, potest sibi pro tunc compensare pro eo, quod nondum sibi est debitum, sed debebitur brevi tempore. Lug. *disp.* 16. *section.* 5. *numer.* 93. Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 3. *tr.* 23. *docum.* 5. *num.* 7. Diana 7. *p. tract.* 10. *resolut.* 17. *fine.* ¶ Sed nota, non posse quem compensatione vti cum præjudicio creditorum anteriorum; vt si antequam res sibi deberetur, alteri esset obligata.; vel debitor alijs creditoribus prioribus debito eiusdem rationis esset obstrictus: quia non habet titulum, vt alijs creditoribus præferatur, vt benè inquit Lugo *disput.* 16. *sect.* 6. *n.* 126. & 127. ¶ Sed esse probabile, posse in tali casu compensatione vti: quia alij creditores solùm præferuntur, quando non datur alterius compensatio, qua debitum extinguitur: & quia durum valde esset rem sibi debitam in manibus habentem, eam relinquere, tenet Trullench. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 5. Machado *num.* 9. & alij, quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 10. & 5. *part. tract.* 13. *resol.* 79. & 7. *p. tract.* 10. *res.* 18.

Quomodo in honore, & fama liceat compẽsatio?

308 Denique nota, quòd diffamatus ab alio non potest vti compensatione, dehonorando, & infamando illum: quia infamare proximum non est medium recuperandi famam ab eo ablatam, sed vindicta sumpta propria auctoritate, cum detrimeto famæ alterius, quæ numquam licèt, cum non sit pura defensio. Petrus Navar. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. Bañez 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *dub. vlt. ad* 1. Villalob. *tr.* 11. *diffic.* 23. *n.* 9. Tapia *lib.* 5. *q.* 31. *art.* 6. *n.* 7. Attamen si potest recuperare famam, vel honorem cum tali damno diffamatoris, quod ipse tenetur pati ante sententiam Iudicis, vt restituat famam ablatam, licitum erit eo modo recuperare illam; vt asserendo, vel probando testibus, quòd mentitus est, si ipse diffamator tenetur fateri se mentitum. Bañez, & Tapia *suprà*, Dicast. *tract.* 2. *disp.* 12. *n.* 404. Soto *lib.* 5. *de Iustit. q.* 9. *art.* 3. Diana 9. *part. tr.* 9. *resol.* 44. ¶ An verò possit fieri famæ compensatio post factum, vt si alium diffamasti, à quo diffamatus es, possis vti compensatione, vt non tenearis famam illi restituere, dicemus §. 3. & latiùs *cap.* 4. *num.* 145.

Liceatne compensare ei, qui promisit, non compẽsaturum?

309 Sed inquires, an qui promittit alteri soluturum debitum, & non vsurum compensatione, teneatur stare contractui? Respondetur affirmativè, quia promissio de re licita, & possibili, qualis est ista, jure naturæ obligat: & sic promittens censetur cedere juri compensationis, quo vti poterat. Molina *tr.* 2. *disp.* 570. *circa medium*, §. *Utrùm autem*, Palaus *disp.* 1. *punct.* 27. §. 2. *num.* 15. ¶ Sed maior difficultas est, vtrùm jurans se soluturum debitum absque eo quòd expressè intendat cedere compensationi, quia est illius immemor, possit non solvere vtendo compensatione? Affirmativè respondendum est, sive juramentum sit factum ante debitum compensandum, sive post illum. Tùm, quia in juramento solvendi semper subintelligitur conditio: *Si debitum habuero solvendi*; sed, posita compensatione, nulla est obligatio solvendi: ergo, &c. Tùm etiam, quia juramentum sequitur naturam actus, cui adhæret, cap. *Quemadmodum, de Iure jurando.* sed compensatio habet regularitèr locum in omni debito: ergo etiam in jurato. Petrus Navar. *libr.* 3. *cap.* 1. *n.* 393. Molin. *tom.* 2. *disp.* 570. *circa medium*, Palaus *disp.* 1. *punct.* 16. §. 2. *n.* 17. Dian. 3. *p. tract.* 10. *res.* 17.

§. II.

De conditionibus ad licitam compensationem requisitis.

Quatuor cõditiones pro compensatione requisitæ.

310 QUæ diximus §. *præc.* præcipuè procedunt in compensatione rigorosa, qualis est illa, quæ versatur inter duo debita creditoris, & debitoris, juxta dicta *n.* 302. Dicenda hoc §. præcipuè currunt in compensatione impropriè dicta, qualis est occulta recuperatio debiti alterius: quamvis etiam applicari debeant illi, proportione servata: sicut etiam quæ diximus præcedenti §. etiam impropriæ compensationi sunt applicanda. Hanc ergo recuperationem debiti, etiam compẽsationis nomine appellabimus, quamvis impropriè talis dicatur. Igitur ad licitam compensationem primò requiritur, quòd non amplius per compensationem auferatur, quàm erat debitum; sed debet esse compensatio eiusdem æstimationis cum illo, aliàs non servaretur æqualitas, quàm justitia deposcit. Secundò, quòd non fiat compensatio in bonis, quæ debitoris non sunt; vt si tibi Petrus centum debeat, non poteris ab eo auferre centum, quod habebat in pignore, aut deposito: quia sicut ille non potest solvere de alienis, sed de proprijs, sic tu non potes tibi solvere, nisi de proprijs debitoris, non de alienis. Tertiò, quòd debitum sit certum, & liquidum: nam in dubio non est spoliandus alius jure sibi quæsito, cum in dubijs melior sit conditio possidentis. Quartò, quòd talis compensatio non sit in damnum debitoris, vel alterius: & sic compensatione vtens debet ex charitate, si commodè potest, monere suum debitorem de compensatione facta, vt ipse nec solvere iterum cogatur, vel manere in mala fide, putans se debere, & non solvere; nec alijs, quod ablatum est, imputetur.

311 Quintò requiritur, quòd debitum sit ex ju-

Sola debita ex justitia possunt cõpensari.

justitia, vt detur compensationi locus: & sic cum debitis ex charitate non debent compensari debita ex justitia: nec erit licitum alteri surripere occultè, quod ille solùm ex charitate præstare deberet: quia compensatio ordinatur ad recuperandum, quod alter restituere tenetur; sed restituere non tenetur, nisi ob debitum ex justitia: ergo solùm ob debitum ex justitia erit licita compensatio. Sic Soto *lib. 3. quæst. 3. art. 3.* Dicastill. *tract. 2. disp. 9. numer. 104.* Bonac. *disp. 1. quæst. vltim. punct. 2. n. 13.* Trullench. *libr. 7. cap. 5. dub. 5. n. 3.* Dian. 7. *part. tractat. 10. resol. 19.* Prado *cap. 22. quæst. 3. num. 2.* ¶ Licet contrarium teneat Petrus Navar. *lib. 3. cap. 5. num. 376. & 393.* & apud Prado, Machado *tom. 1. lib. 3. part. 3. tract. 23. docum. 5. numer. 5.* Quia si alter tenetur dare ex charitate, non fit illi injustitia, id, quod tenetur dare, accipiendo: & sic gravem patiens necessitatem, potest ab eo accipere, qui non dat eleemosynam, cùm possit, tametsi ex sola charitate ad id teneatur; vel ab eo, qui votum habet dandi, licèt ex sola Religione ad id adstringatur.

Debet compensatio auctoritate Iudicis fieri.

312 Sextam conditionem pro licita compensatione assignat D. Thom. 2. 2. *quæst. 66. art. 5. ad 3.* videlicèt, quòd fiat authoritate Iudicis: & intelligitur de impropria compensatione, id est, de occulta subreptione debiti, de qua loquitur Sanct. Doctor: *Qui verò furtim accipit rem suam* (verba sunt Sancti Doctoris) *apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet* (*& ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum*) *sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei judicium, juris ordine prætermisso.* Et ratio Sancti Doctoris est optima, quia qui commodè potest per interpellationem Iudicis suam rem vendicare, non debet hoc propria auctoritate efficere: quia hoc quod est alterius injuriam propulsare, est officium Iudicis, & nemini licet in propria causa jus dicere: quia fit injuria publicæ potestati, quæ ad hoc constituta est, vt singulis jus suum tribuat. Sed notat Sanctus Doctor, non teneri ad restitutionem, qui, juris ordine prætermisso, vtitur compensatione, quod etiam asserunt Bonacin. Tapia, Lessius, Dicastill. Prado citandi.

Quomodo limitanda sit præcedens conditio?

313 Sed conditio à Sancto Doctore assignata intelligitur, quando quis commodè potest suum debitum per interpellationem Iudicis, vel aliam petitionem recuperare: si tamen hoc non potest, nisi cum magno detrimento, & expensis, vel quia id probare non valet defectu testium, vel si jacturam rei familiaris timet, vel amicitiæ cum debitore initæ, potest clam eripere, quod sibi debetur absque Iudicis interventu, si id absque scandalo, vel periculo infamiæ propriæ, aut injuriæ alterius efficere valeat: quia acceptio in tali eventu furtum non est, sed proprij juris defensio, & injuriæ sibi factæ propulsatio. Sic Tapia *lib. 5. quæst. 31. art. 3. n. 2.* Prado *capit. 23. quæst. 3. num. 22.* Lugo *disp. 16. sect. 5.* Dicast. *tract. 2. disput. 9. num. 202.* Lessius *lib. 2. cap. 15. num. 58.* Palaus *disp. 1. punct. 17. §. 3. num. 6.* Dian. 7. *part. tract. 16. resol. 17.* Villalob. *tract. 11. diffic. 23. n. 4.* ¶ Sed an sit peccatum mortale vti occulta compensatione, quando debitum commodè potest accipi, aut Iudicis interpellatione, aut petitione creditoris? Affirmant plures, quia est Iudicis officium iniquè vsurpare. Cæterùm non esse mortale, si occultè, & cautè hoc fiat, & absque scandalo, vel damno alterius, meritò alij asserunt: quia parvum in hoc Iudici, aut publicæ potestati nocumentum infertur. Villalob. *diffic. 23. num. 7.* Lugo *disp. 16. sect. 5. num. 91.* Machado, Trullench. Bassæus, quos affert, & sequitur Diana 10. *part. tract. 16. resol. 60.* Malderus, & Valderus, quos idem Diana refert, & sequitur 3. *part. tract. 16. resol. 46.*

Qui cõpensatione vtitur, non incurrit excõmunicationem contra rem alienam surripientes impositam.

314 Sed hìc nota, quòd si excommunicatio lata fuerit contra eos, qui hoc, vel illud furati sunt, vt restituant, vel contra illos, qui in futuro furtum commiserint, non comprehendit eos, qui occulta compensatione aliquid accipiunt: quia illi minimè furari dicuntur, aut rem alienam retinere, sed suam propriam recuperare: & hoc, licèt illicitè faciant talem compensationem, non servato ordine juris (adhuc in sententia eorum, qui dicunt hoc modo peccare mortaliter) quia iste non peccat contra justitiam, & sic furari non dicitur: nec tenetur restituere (vt ex D. Thom. dicebamus, & tenent Tapia *num. 4.* Villalob. *num. 8.* Lessius *num. 61.* Dicastillo *disp. 9. num. 111.*) etiamsi dicatur, non obstante, quòd in compensationem acceperint: quia cum nullum fuerit peccatum contra justitiam, intolerabilem contineret talis sententia errorem. Vel intelligenda erit de illo, qui injusto prætextu compensationis talia bona clam accipere tentavit.

Quid de famulis sentiẽdum sit in ordine ad compẽsationem justi stipendij?

315 Sed quia famuli multoties conqueruntur sibi non concedi justum stipendium, & ob id compensationem sibi licitam arbitrantur, notare debent, quòd si libera, & spontanea voluntate cum domino paciscuntur pro tanto, vel tali stipendio, tametsi inferiori eo, quod ipsis debetur, illo contenti esse debent, nec possunt vti compensatione ad amplius recuperandum: quia censentur condonare, quod deficit, cum absque vi, & fraude detineantur, & possint alium dominum quærere. Et similitèr si scienter inter famulum, & dominum conventum sit de stipendio minori solito: quia supplex petivit recipi in sui obsequium, quem dominus non reciperet, nisi minuta mercede soluta, non poterit ampliùs occultè eripere, cum dominus non teneatur ampliùs illi concedere. Soto *libr. 5. quæst. 3. artic. 3.* Tapia *quæst. 31. art. 6. numer. 4.* Villalob. *tract. 11. diffic. 23. num. 6.* Dicastill. *tract. 2. disp. 9. num. 134.* Bonacin. *disp. 1. quæst. vltim. punct. 2. num. 15.* ¶ Et denique id ipsum, *absolute loquendo*, prohibet Innoc. XI. propos. 37. damnans, hoc modo se habentem: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam maiorem judicant salario, quod recipiunt.* Et pro aliqua istius propos. explicatione, hæc quæ sequuntur nota.

Quodnam justum stipendium famulorũ cẽseatur?

316 Cæterùm qui absque pacto explicito obsequium domini accepit, illud censetur justum stipendium, quod dominus dare tenetur, quod vel lege taxatum est, vel quod personis eiusdem ministerij ex communi vsu, & consuetudine conceditur. Deinde si tacitè, vel expressè à domino promissus est aliquis labor, vel diligentia in officij, vel beneficij consequutione, vel alterius rei ipsi vtilis, quod à domino non præstatur, poterit famulus occulte recipere illud, in quo promissum æstimatur: quia talis promissio est pretio æstimabilis. Less. *lib. 2. cap. 12. num. 63.* Palaus *disp. 1. punct. 14. §. 3. num. 8.* Similiter si dominus occupat famulum, vel alijs horis, vel in alijs ministerijs, quàm conventum est, potest famulus vti compensatione, si à domino id non compensatur: quia illud obsequium est pretio æstimabile, ad quod famulus ex vi conventionis non obligatur. Navar. *cap. 17. n. 111. & 118.* Palaus *n. 8.*

De-

Quibus caſibus liceat famulis cõpenſatio?

317 Denique ſi ex neceſsitate cum ſtipendio inferiori ſe conduxit, quia ſcilic. nolebat illi ampliùs dominus concedere, poteſt quod deficit compenſare, ſi id abſque animo condonandi fecit, ſed ne amitteret illam commoditatem: vel etiam ſi condonavit, ſi tamen pactum fuit injuſtum, excedens limites juſti pretij: quia eſt obligatio reducendi illud ad æqualitatem: juſtitia enim obligat, vt omnis inæqualitas ad æqualitatem reducatur.

§. III.

Utrùm cum opinione probabili, quòd res ſibi debetur, poſsit quis vti compenſatione occulta?

Sententia cõmunis negativa.

318 DIximus iam, vnam ex conditionibus præcipuis compenſationis eſſe, quòd ſit debitum certum, quod compenſatur: proindeque in dubio negativo certiſsimum eſt apud omnes, compenſationem locum non habere. Quærimus ergo modò, an caſu, quo ego centum tibi debeam, habeam tamen probabile judicium, te centum mihi debere, poſsim vti compenſatione, & centum tibi debita negare: & loquimur ſuppoſitis reliquis conditionibus pro compenſatione licita requiſitis. Sententia negans, in tali caſu locum habere compenſationem, eſt communis inter Doctores: quia cum ſit debitum alterius certum, & ſolùm probabilitas ex parte mei, tantum eſt remota talis probabilitas, vinciturque ab alterius certa poſſeſsione, cuius ſemper melior eſt conditio. Molina *tom.3.diſp.691.num.1.* Vazquez *opuſcul.de Reſtitutione, cap.6. §.3. dub.5. num.83.* Sanchez *lib.6. Decalog.cap.3.numer.7.* Suarez *lib.5.Decal.cap.18.num.5.* Villalob. *tom.1. tract. 1. diffic. 17. num.7. & tom.2. tract. 11. diffic. 23. num.11.* Bartholom. à S. Fauſto *diſp. 2. quæſt. 33. num.6.* Soto *lib.5.de Iuſtitia, q.3.art.3.ad 1. §. Sed tamen,* Bañez 2.2. *quæſt. 66. art. 5. dub.vltim.* Bonacin. *diſp.1.quæſt.vlt.punct.2. num.12.* Trullench. *tom.2.lib.2.cap.15.dub.11.numer.5.* Machado *tom. 1.lib.2.part.3.tract.23.docum.5.numer.4.* Diana 7. *part.tract.10.reſol.16.& 9.part.tract.9.reſol.44.* Et adeò communis, vt nullum Auctorem, præter vnum, viderimus, qui audeat aſſerere in generali, & communi, quòd in caſu æqualis probabilitatis poſsit dari locus compenſationi, ſed omnes vno ore aſſerunt, debere eſſe debitum liquidum, certum, vel per ſententiam Iudicis approbatum. Sed nos hac vnica concluſione noſtram mentem aperire decrevimus.

Duplex probabilitas explicatur.

319 Dicendum itaque eſt, quòd in generali, & in genere, vt ſic loquamur, id eſt, pro omnibus caſibus, licitum non eſt vti compenſatione occulta, cum ſolùm datur opinio æquè probabilis pro vtraque parte, debitoris ſcilicèt, & creditoris; ſed in caſibus aliquibus particularibus id licet: & etiam licet in omnibus, quando datur maior probabilitas ex parte creditoris, quòd tale debitum ſibi debetur. Hæc concluſio habet tres partes, quas vt probemus, ſupponimus duplicem eſſe probabilitatem; aliam quaſi ſpeculativam, remotam, & facti; aliam juris, practicam, & proximam (hæc enim omnia inter ſe coincidere arbitramur: quia probabilitas ſpeculativa ſolùm eſt remota, & probabilitas facti præcisè ad illam reducitur: practica autem probabilitas eſt, quæ eſt proxima, & eſt juris probabilitas.) Igitur probabilitas juris, & proxima, ac practica eſt, qua non ſolùm judicatur hoc, vel illud probabile eſſe, ſed probabile eſſe cum tali probabilitate operari eſſe licitum. Probabilitas verò facti remota, & quaſi ſpeculativa, eſt illa, qua judicatur hoc, vel illud probabile eſſe; ſed non judicatur eſſe probabile licere cum tali probabilitate operari. Exemplum ſit in ſacramentis, in quibus multoties eſt probabile hanc, vel illam formam, aut materiam eſſe ſufficientem pro illis; non eſt verò probabile licere extra caſum neceſsitatis tali materia, aut forma vti: & in noſtro caſu poteſt eſſe probabile hoc, vel illud eſſe meum, vel mihi debitum; cæterùm hæc ſolùm eſt probabilitas facti remota, & quaſi ſpeculativa: quia cum illa tantum non licet mihi practicè operari, & alienum, vt meum recipere; ſed debet vltra hoc dari probabilitas juris practica, & proxima, qua judicem probabiliter mihi licere alienum accipere cum opinione probabili facti de eo, quod eſt meum, aut mihi debetur.

In genere non licet cõpenſatio cũ probabilitate debiti, licèt in aliquibus caſibus ſit licita.

320 Quo ſuppoſito, probatur prima, & ſecunda pars aſſertionis, quibus diximus, non licere in generali, & pro omnibus caſibus vti compenſatione cum probabilitate æquali, quòd mihi aliquid debetur; licere verò in aliquibus caſibus particularibus: quia licèt pro omnibus detur probabilitas facti, & remota, non datur autem proxima probabilitas in generali, & pro omnibus, & datur proxima probabilitas pro caſibus aliquibus particularibus: ergo in iſtis, non in illis, erit licita talis compenſatio. Conſequentia tenet, quia probabilitas proxima eſt neceſſaria, & ſufficit, vt quis licitè cum illa operetur. Antecedens probatur quoad primam partem: nam Auctores, loquendo in generali, & pro omnibus caſibus, non audent aſſerere licere compenſationem in caſu æqualis probabilitatis; ſed omnes dicunt debere eſſe certum, liquidum, & indubitatum debitum: & ſic non datur ſententia probabilis, quæ aſſerat eſſe licitum cum probabilitate dicta alienum occultè accipere. At verò agentes Auctores de pluribus caſibus particularibus, id probabile eſſe aſſerunt, vt patet ex ſequentibus.

Varij caſus recenſentur, in quibus licet cũ probabilitate vti compenſatione.

321 Quia probabile eſt eum, qui non vult, vel non poteſt famam ablatam reſtituere, teneri per pecuniam damnum reſarcire: & ſic quia probabile eſt diffamato tales pecunias deberi, aſſerunt graves Auctores, poſſe occultè per compenſationem ſibi ſatisfacere, vt Leſsius *lib.2.cap.11. dub.25. fine.* Aragon 2.2. *quæſt.92.art.2.dub.9. diſput.2.* Molina *tom. 1. diſp.49.num.5.* Ledeſm. Ioan. de la Cruz, Tannerus, quos refert, & ſequitur Diana 2. *part.tract.at.2. miſcelan. reſol.30.* ¶ Secundò, cùm quis eſt diffamatus ab alio, quem ipſe infamavit, poteſt vti compenſatione, ſequendo opinionem probabilem id aſſerentem; tametſi opinio negans ſit etiam probabilis: & licitam eſſe talem compenſationem, tenet Sylvius, & Malderus, quos refert, & ſequitur Diana 7. *part.tract.at.10.reſolut.16.& 2.part.tract.at.5. miſcel.reſol.16.* Villalob. *tract.11. diffic.23. numer.10.* Rebellus 1. *part.lib.2.q.18.num.9.* Dicaſtill. *libr. 2. tract.2.diſp.12. n.120.* Soto *lib.4. q.6. art.3. ad 4.* Bonac. *q.1.de Reſtit.diſp.vltim.punct.2. numer.22.* ¶ Deinde cùm alicui ex teſtamento minùs ſolemni aliquod legatum relinquitur, poteſt compenſare, vel detinendo, vel accipiendo: quia probabile eſt tale legatum ſibi deberi, licèt contrarium ſit etiam probabile. Ita Granad. 1. 2. *controv.7.de Leg.tract.3. part.2. diſput.15. ſect. 2. n.17.* Dian. 7. *part.tract.10.reſol.16.* Molin. *tom. 1.*

disp. 81. §. *Quod si hæc fiant*, Less. *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 3. *n.* 22. & 30. & alijs casibus, in quibus multoties reperitur apud Auctores esse probabile licere cum probabilitate dicta vti compensatione occulta: datur ergo probabilitas proxima pro casibus particularibus, & sic licitum erit in illis compensatione vti.

Difficilis objectio proponitur.

322 Sed ecce difficilis objectio, quia si in hoc casu particulari, & in illo licet talis compensatio: ergo in omnibus erit licita: quia à singularibus ad vniversale valet inductione argumentatio. Maximè, quia ratio quarè in his particularibus casibus licet, tenet etiam in omnibus: quia non assignatur ab Auctoribus alia ratio, quarè in illis casibus particularibus liceat compensatio, nisi quia probabile est, rem sibi deberi: ergo in omnibus casibus, in quibus verificatur esse probabile, rem sibi deberi, licebit talis compensatio: quia vbi vrget eadem ratio, eadem debet esse decisio.

Solutio præcedentis objectionis.

323 Hac objectione (me Iudice) probatur rectè, quòd loquendo per principia intrinseca, vel est dicendum, quòd in omnibus casibus, in quibus datur probabilitas facti, quòd res debetur, est licita compensatio, & sic dari probabilitatem juris, & proximam; vel est negandum in casibus particularibus. Et sic meritò Eminentissim. Cardin. Lug. *tom.* 1. *de Iust. disp.* 16. *sect.* 5. *n.* 95. dixit, Auctores inconstanter, & inconsequenter procedere, cum ex vna parte in generali negant licitam esse compensationem cum opinione probabili debiti, & ex alia in casibus particularibus eam licitam esse adstruunt. Si enim quia probabile est mihi deberi legatum minùs solemne, possum vti compensatione, cur non eadem vti potero, cum est probabile mihi deberi ex mutuo? Si licet compensatio, cum est probabile mihi ob injustam læsionem famæ pecunias deberi, cur non licebit, si sit probabile mihi deberi pecunias propter furtum, vel rapinam? Fateor me non capere disparitatem. Sed non inficior, potuisse apud viros sic doctissimos esse aliquas speciales rationes, ob quas moverentur ad id asserendum in vno casu, & non in alio; & quæ apud me latent, apud illos patescere. Et ideò assero, quòd probabilitate extrinseca desumpta ex Doctorum auctoritate, licitum est in casibus illis, in quibus dantur Auctores classici sufficientes ad efficiendam opinionem probabilem, compensatione vti cum probabilitate debiti; sed quia non dantur tales Auctores, qui in generali, & pro omnibus casibus id asserant, nego licere in generali, & pro omnibus casibus talem compensationem. Sed circa hoc vide, quæ dicemus *cap.* 4. *huius tract. num. vltim.*

Probatur posse vti cõpensatione, qui probabilius judicat rem sibi deberi.

324 Tertia denique pars assertionis, qua diximus, quòd si sit probabilius, rem mihi deberi, possum vti compensatione (quam accepi à Doctiss. & Reverendiss. P. M. Fr. Ioan. Martinez à Prado *tom.* 2. *Theolog. Moral. cap.* 22. *quæst.* 3. §. 3. *n.* 19. quam postea reperi apud Stephanum Spinula, *Opusc. de Election. opinion. disp. vltim. sect.* 7.) sic probatur: quia quamplures ex Auctoribus asserentibus ad compensationem debere debitum esse certum, loquuntur de certitudine morali, quæ humano modo potest haberi, vt Less. *supr. n.* 58. Rebell. 1. *part. lib.* 2. *q.* 16. *n.* 4. Palaus *tom.* 7. *de Iust. disp.* 1. *punct.* 17. §. 3. *n.* 6. & alij; sed certitudo moralis, & humano modo habita est, quæ habetur per probabiliorem opinionem firmioribus enixam rationibus, & conjecturis; quidquid enim cum tali opinione judicatur, vt certum humano modo, habetur, vt docet Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. disput.* 69. *num.* 9. ergo sufficit certitudo moralis, quæ per probabiliorem habetur opinionem, vt locus compensationi detur.

325 Quod potest confirmari, quia in foro externo, etiamsi aliquis possideat, & alius agat contra eum circa proprietatem, si actor probet suum jus probabilioribus fundamentis, potest Iudex pro illo sententiam ferre (quidquid sit, an id possit, quando æquè probabilia sunt vtriusque fundamenta, de quo suo loco agemus) & sic spoliare possessorem re à se possessa, vt docent Lugo *tom.* 1. *disp.* 16. *sect.* 5. *n.* 99. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *de Conscient. opinante, disp.* 3. *punct.* 10. quia illud axioma: *In dubio melior est conditio possidentis*: Et illud: *In dubio nemo est privandus jure sibi quæsito*, intelliguntur, vel de dubio negativo, vel de dubio cum æquali probabilitate habito: quia semper intelliguntur cum illo addito, *in pari causa*; non verò quando dispar est causa vtriusque, vti est quando ex parte vnius est opinio probabilis, & ex parte alterius probabilior: ergo similiter, licèt in pari causa dubij, vel probabilitatis non possit compensans alium re sibi quæsita spoliare per compensationem, benè tamen quando est dispar causa, & ex parte illius sunt vrgentiores, & probabiliores rationes, rem sibi esse debitam probantes.

Duplex objectio contra dicta.

326 Sed objicies primò, quòd si debitor probabilioribus rationibus munitus potest compensatione vti, dabitur bellum ex vtraque parte justum; quod omnes reputant inconveniens: nam compensans justè petit in illo casu suum debitum, & ob id, si negetur, potest vti compensatione: alius etiam cum opinione probabili, quam habet, quòd non debet, munita, & roborata per possessionem, justè denegat tale debitum, & impedit quòd compensatio fiat: ergo datur bellum vtrimque justum. ¶ Objicies secundò, iniquum esse debitum certum cum incerto compensare, cum sit inæquale jus vtriusque; sed qui procedit cum opinione tantùm probabili, estò probabilior sit, solùm habet debitum incertum, alius autem debitum certum, vt supponimus: ergo iniquum erit vnum per aliud compensari.

Solutio primæ objectionis.

327 Respondetur ad primam objectionem, plures dari casus, in quibus bellum datur justum ex vtraque parte contendente: nam secundum aliquos subditus non tenetur obedire, quando ex parte eius datur probabilitas proxima asserens ad id non teneri, tametsi possit Prælatus justè præcipere, si ex parte eius datur etiam talis probabilitas, quòd potest præcipere, vti docent Sanchez *in Decal. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 7. Sayr. *in Clav. Reg. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. Petr. Navar. *lib.* 3. *de Restit. part.* 3. *dub.* 13. *numer.* 23. Palaus *tom.* 1. *de Conscientia opinante, disp.* 2. *punct.* 6. *num.* 1. Similiter si duo, qui sunt in possessione rei, paribus fundamentis litigent, vtrimque est bellum justum. Cæterùm in his casibus solùm per accidens datur vtrimque justum bellum: quia nimirum veritas ignoratur: quia cum detur ex vtraque parte probabilitas, tantùm in vna datur veritas: & sic per se, & ex natura sua bellum non esset justum; sed ob ignorantiam, quæ per accidens occurrit, & diversitatem opinionum, dari potest; quod accidit in nostro casu: Doctores autem solùm negant per se, & ex natura sua posse dari bellum justum ex vtraque parte.

Dissolvitur secunda objectio.

328 Ad secundam dicimus, in nostro casu non fieri compensationem debiti incerti cum certo, sed incerti cum incerto, quod hic, & nunc est tale, quamvis alias esset certum. Etenim cum ea-

certus sum me tibi debere centum, & incipio judicare probabilius te mihi centum debere, consequenter iam tuum debitum non est certum: nam si esset certum te mihi centum debere, certum etiam esset, me tibi iam centum (quæ aliàs debebam) non debere: quia compensatio ab eo puncto, quo debitor creditorem sibi debitorem habet, inducitur: quia eò ipso debitum creditoris alterius debito extinguitur, leg. *Cum ambo*, leg. *Cum alter*, leg. *Idem juris*, *ff. de Compensationibus*: ergo similiter si est probabile, te mihi centum debere, probabile est me tibi non debere, quod aliàs erat certum me tibi debere: compensatur ergo debitum incertum pro incerto, non certum pro incerto.

Replica cõtra dicta.

329 Dices, hoc modo, etiamsi dubium esset negativum, vel æquè probabilis opinio pro vtraque parte, non daretur compensatio certi pro incerto: quia ex quo ego dubito, vel probabiliter opinor, te mihi centum debere, dubito similiter, & opinor probabiliter, me tibi centum non debere, quod aliàs debebam: ergo poterit etiam in hoc casu esse locus compensationi, contra à nobis dicta, & contra communem sententiam. ¶ Respondetur, admittendo antecedens, & negando consequentiam: non enim ob id tantum negatur locus compensationi in casu dubij negativi, vel æquè probabilis: quia debitum incertum pro certo compensaretur, sed quia in pari causa dubij melior est conditio possidentis: & sic, cum ex vtraque parte est dubium æquale, præponderat possessio alterius, à qua non est deijciendus per occultam compensationem; quod in nostro casu non currit, nam maior probabilitas ex parte compensantis vincere potest jus possessionis, quod erat ex parte debitoris.

CAPUT II.

De Restitutione ob homicidium, & mutilationem.

POstquam iam egimus de justitia in communi, & de præcipuo actu eius, qui est restituere, in generali, restat vt modò agamus de vitijs contrarijs justitiæ, seu de injurijs, quæ contra illam irrogantur, & de restitutione facienda propter illas: quia sicut diximus in procœmio huius tractatus, in illo agentes de restitutione ob particulares injustitias, simul de illis etiam agemus, vt in vno, & eodem loco omnia conjuncta faciliùs à lectoribus percurrantur. Sed quia inter injurias, & injustitias omnium maxima est illa, quæ fit in persona hominis per homicidium, mutilationem, & vulnerationem, ab hac initium accipimus; & priùs de ipso crimine discutiemus, postmodum de restitutione facienda ob illud. Plura egimus circa hanc materiam *tract.* 10. *de Censur. cap.* 4. *punct.* 2. tractantes de excommunicatione Canonis, quæ incurritur ob Clerici percussionem, & latiùs *eod. tract. cap.* 8. per quatuor priora Puncta, agentes de irregularitate, quæ ob homicidium voluntarium, aut casuale contrahitur; & de illa, quæ ob mutilationem voluntariam, vel casualem infertur: ad quæ loca multoties recurremus ob consequentiam doctrinæ, & ne multoties eadem repetamus. Igitur hoc Caput continet octo Puncta.

Punct. I. *Vtrùm sit licitum occidere malefactores? & qua auctoritate id fieri debeat?* num. 1.

§. I. *Non solùm esse licitum malefactores interficere, de quibus sit fermo in scriptura, sed etiam alios, qui legibus justis ad mortem condemnantur, ostenditur.* num. 2.

§. II. *Aliqui casus particulares, in quibus, an liceat malefactorem privata, vel publica auctoritate occidere? deciduntur.* n. 9.

Punct. II. *Vtrùm in aliquo casu licitum sit seipsum interficere?* num. 18.

§. I. *In nullo casu licere seipsum directè occidere, tamquam de fide tenendum.* n. 19.

§. II. *An, & in quibus casibus licitum sit vitam non conservare, seu negativè ad mortem se habere, non impediendo illam, cum possimus?* num. 26.

§. III. *Vtrùm ex justa causa aliquid facere positivè liceat, ex quo sequutura est propria mors secundariò, & indirectè?* n. 33.

Punct. III. *Vtrùm mutilatio membrorum aliquo in casu sit licita?* num. 41.

Punct. IV. *Vtrùm liceat ali quando innocentem interficere?* num. 51.

§. I. *Innocentem directè occidere in nullo casu permittitur, in aliquibus licet indirectè.* num. 52.

§. II. *Quomodo illicitus sit abortus, & per eum occisio innocentis?* num. 58.

§. III. *De pœnis contra abortum procurantes in jure stabilitis.* num. 67.

Punct. V. *Vtrùm liceat occidere injustum invasorem vitæ, divitiarum, honoris, & famæ?* num. 74.

Punct. VI. *An sit aliquid restituendum pro vita ablata, membro mutilato, aut cicatrice causata?* num. 75.

Punct. VII. *Quid sit restituendum propter damna sequuta ex homicidio, aut mutilatione?* num. 88.

Punct. VIII. *Quibus personis debeat restitutio fieri propter damna ex homicidio causata?* num. 101.

PUNCTUM I.

Vtrùm sit licitum occidere malefactores, & qua auctoritate id fieri debeat?

Quod peccatũ est homicidium?

1 HOmicidium esse gravissimum peccatum, legibus divinis, & humanis prohibitum, non solùm executum, sed etiam naturalis mortis proximi desiderium, adhuc ob alicuius temporalis boni assecutionem, declaravit Innoc. XI. hanc 13. damnans propos. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere, & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Quo quidem decreto etiam damnavit Pontif. 14. & 15. quas retulimus *tom. 1. hui. curs. tract. 6. cap. 8. n. 82.* Igitur homicidium actu exercitum, inter omnia peccata, & injustitias, quæ contra proximum committuntur, esse deterius, lumine ipso naturæ cognoscitur, cum privet hominẽ maiori omnium bono, quod est vita; imò omnibus bonis temporalibus simul, quę cum tali vita evanescunt, & æterna bona periculo manifesto amittendi exponat, cum subitò hominem multoties rapiat è sæculo, & absque vlla sacramentorum receptione, quibus liberaretur à culpis commissis, tremendo Christi Tribunali præsentet judicandum, vbi nullus, quantumvis justus, securus vix sisti potest. Sed solùm in duplici casu potest esse licitum hominem occidere. Primò, quando fit per sententiam Iudicis in punitionem delictorum, ad quod reducitur, quod fit publica auctoritate in bello justo. Secundò cum fit contra injustum invasorem in defensionem vitæ, honoris, aut honestatis, cum moderamine inculpatæ tutelæ. De primo agemus hoc Puncto. De secundo posteà suo loco erit sermo.

§. I.

Non solùm esse licitum malefactores interficere, de quibus sermo in scriptura; sed etiam alios, qui legibus justis ad mortem condemnantur, ostenditur.

Hæreticorũ error, & sententia singularis Scoti.

2 PRæter errores hæreticorum, de quibus meminit Castro *lib. 11. Adversus hæreses*, verb. *Occidere*, asserentium, nullum hominẽ, quantumvis sceleratissimum, posse occidi, etiamsi id fiat ex Iudicis officio: quia vniversalitèr hominum occisio quinto Decalogi præcepto prohibetur: *Non occides*, stat Scotus, qui *in 1. dist. 15. q. 3. §. De secundo*, tria dicit. Primum, quòd ob sola crimina assignata in scriptura, vt est homicidium, adulterium, blasphemia, &c. possunt malefactores per Iudices interfici: eo quòd in lege superioris, qui alium superiorem non habet, nemo nisi ipse potest dispensare: cum ergo sit à Deo lex lata prohibens occisionem hominum quinto Decalogi præcepto: *Non occides*, solùm licebit talis occisio in casibus, in quibus ipse Deus videtur in sua lege dispensare, vt sunt illi, qui in scriptura continentur. Secundum dicit, ob furta numquam licere latrones suspendere: quia non constat quòd Deus, aut in lege Moysis, aut in lege evangelica ab illo generali præcepto: *Non occides*, exceperit peccatum furti: *Nec bullam* (inquit) *super hoc descendentem de cœlo audivimus; nec video, quòd lex aliqua justa possit statuere hominem occidi pro furto solo.* Tertium dicit, quòd licet in lege Moysis fuerit pœna mortis assignata pro adulterio, hæc tamen revocata est in nova lege *Ioan. 8.* vbi Christus Dominus adulteræ pepercit.

Licet malefactores publica auctoritate interficere.

3 Cæterùm contra hæreticos insurgunt vniversi Catholici, asserentes licere aliquos malefactores interficere. Quod de fide habetur, Exod. 22. *Maledicos non patieris vivere*; & de alijs ibi, & Deuteronom. 21. & 22. & Psalm. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Et patet innumeris exemplis, tùm veteris, tùm novi testamenti: & ex ratione, D. Thom. 2. 2. *q. 64. art. 2.* Quia omnis pars naturalitèr est propter totum, vnde, si saluti totius corporis humani expediens fuerit præcisio alicuius membri putridi, vel corruptivi aliorum membrorum, salubriter, & laudabiliter abscindetur: sed quilibet homo est pars corporis civilis alicuius communitatis: ergo, si est periculosus communitati, & propter sua crimina corruptivus boni communis, laudabiliter, & salubritèr de medio tollitur, vt bonum commune incolume conservetur, & alij à similibus culpis committendis retrahantur. Non enim tot homicidia, tot sacrilegia, tot furta multiplicarentur, si scirent protinùs è vita, hominumque convictu evellendos, qui talia sine timore Dei, & hominum perpetrant. Illud autem Dei præceptum: *Non occides*, à Catholicis communitèr intelligitur de occisione injusta, quæ sola homicidium est; ac proindè de illa, quæ privata auctoritate fit, non de illa, quæ fit per Iudicis sententiam, secundùm jura, & leges justas, & illarum ordine servato.

Ad quid Iudex teneatur, qui ordinem juris prætermittit?

4 Si enim Iudex (vt id obiter dicamus) non servaret ordinem juris in hominum occisione, homicida esset; & sicut talis teneretur restituere: vnde non potest filios propter delicta parentum pœna mortis punire, cap. *Undecumque*, cap. *Sponsus*, cap. *Numquam*, cap. *Satis 56. dist.* Et similiter si Iudex non procederet secundum jus, id est, secundum allegata, & probata, etiamsi ipse, vt persona particularis, delictum nosset, non posset reum occidere: quia contra jus naturæ est, quòd idem sit testis, & Iudex: cum id pluribus fallacijs, & injurijs sit expositum: & minus inconveniens est, quòd in aliquo casu reus impunitus relinquatur, quia non probatur aliquid contra eum, quàm quod innocens aliquando patiatur: aut pateat aditus, vt Gubernatores aliquando propria passione ducti, injustitiam contra reum committerent, asserentes se talis delicti notitiam habere; in quo bonum commune maximè periclitaretur: & sic esse reum homicidij, & teneri ad restitutionem Iudicem, qui ex particulari scientia (nisi casu quo esset publicum, & manifestum delictum) reum suspenderet, tenet Villalob. *tom. 2. tra. 12. diffic. 2. n. 5.* Petr. Navar. *lib. 2. de Rest. cap. 2. n. 363.* Ledesm. *2. tom. tr. 8. cap. 16. post 4. concluf.* Sed de hoc infrà erit sermo agentes de obligatione Iudicis, vbi etiam decidemus illam quæstionem, an Iudex possit occidere innocentem, qui secundùm allegata, & probata apparet nocens.

Latrones suspendere, & adulteros occidere licet.

5 Sed contra Scotum (cuius sententiam meritò appellat temerariam Bañez 2. 2. *q. 62. art. 2. dub. 1. in concl.* Bonac. *disp. 2. q. vlt. sect. 1. punct. 2. num. 1.*) militant omnes Theologi, imò vtriusque juris leges, statuentes multoties pœnam mortis in casibus alijs, præter eos, qui in lege veteri habentur. Nam in cap. *Ad abolendum*, cap. *Vt officium, de hæret.* & in bullis Urbani IV. & Innoc. IV. relatis in fine Directorij Inquisitorum, decernitur, hæreticos pertinaces bra-

brachio sæculari esse tradendos, vt condignis pœnis (vtique capitalibus, quæ sunt dignæ illorum animadversiones, vt constat ex leg. *Arrianis*, C. *de Hæret.* leg. *Quicumque*, *eod. tit.*) puniantur. Et Hieronymus Praga hæreticus in Concilio Constantiensi vivus igne consumptus est. Utinam sic fuissent Lutherus, Calvinus, & alij pestiferi hæresiarchæ. Et etiam latrones meritò suspendi, immeritò, imò temerariè negat Scotus, cum in toto orbe leges sint justissimæ stabilitæ de illorum occisione. Et ex scriptura colligatur, *Luc.* 23. vbi latro ad latronem dixit: *Et nos quidem justè: nam digna factis recipimus*: & *Iosue* 7. solùm propter furtum lapidatus fuit Acham: aliàs sequeretur pro nullo delicto fore nunc reum pœna mortis multandum. Nam lex Moysis quantum ad legalia, & pœnalia cessavit per legem Christi, in qua nullibi pœna capitalis assignatur pro aliquo delicto: nec Christus Dominus, adulteræ indulgendo, voluit potestatē Principibus, Rectoribusque auferre, vt adulteras in pœnam criminis decollarent, aut lapidarent; sed voluit cum illa particulari viscerā suæ misericordiæ ostendere, & demonstrare quòd sua lex pœnam sanguinis nulli imponit, sed quod benefaciendum etiam inimicis mandat.

Nullus privata auctoritate potest alium interficere.

6 Sed hæc potestas malefactores occidendi, vel se vindicandi de injurijs, nulli privatæ personæ potest in nullo casu convenire, sed tantùm est propria publicæ potestatis, vt omnes Doctores confitentur cum D. Thom. 2.2.*q.*64.*art.*3. Quod probat hac ratione, quia ea solùm ratione est licitum malefactores interficere: quia ad bonum totius communitatis expedit, vt infestantia membra abscindantur, & cæteri terrore pœnæ à maleficijs retrahantur: ergo ad illos pertinet malefactores de medio tollere, quibus est cura communitatis commissa: sicut membrum putridum abscindere solùm ille potest, qui administrationem totius corporis habet, vel cui eius cura est commissa. Cum ergo ad Principem, & eius ministros publica authoritate fulgentes pertineat totius reipublicæ bono incumbere, illi solum possunt malefactores interficere. Eo vel maximè, quia lumine naturæ prohibetur, aliquem in propria causa Iudicem existere, gereregue munia actoris, testis, & Iudicis: quod faceret si propria se auctoritate vindicaret. Si enim natura injuriato vindictam committeret, omnes vltra justum vlciscerentur. Dolor namque acceptæ injuriæ excæcat rationem, affectus iram inflammat; & sic nemo, quantum erat justum faceret, sed quantum posset, vindictam sumeret, vt constat ex abusu manifesto nobilium, qui honoris jactantiam sic ambitiosè sequuntur, vt pro minimis sæpè injurijs inimici mortem machinentur.

Obiectio cōtra dicta, & eius solutio.

7 Et si objicias, quòd si alter mihi centum debeat, & ego non possum per Iudicis interpellationem, ea accipere, possum per occultam compensationem clam à debitore propria auctoritate recipere, vt *cap. præc. n.* 313. dicebamus: ergo similiter, si non possum per Iudicis auctoritatem vindicari, quia vel probare non possum injuriam, vel Iudex negligens est in ea punienda, vel alia ratione, potero propria auctoritate ab inimico vindictam sumere. ¶ Respondetur, negando consequentiam: quia in casu antecedenti, alter mihi ex justitia debet solvere, & possum ea recuperare, si reddere recuset, vel interventu Iudicis commodè illa non possum habere; at nemo tenetur ante sententiam Iudicis pœnam luere; & sic non potero illius sententiam prævenire, aut me vindicare.

Tenetur Iudex interficere malefactores.

8 Iudex ergo non solùm potest malefactores interficere, sed ad id tenetur ex justitia, secundùm quod per leges est determinatum; aliàs erit causa malorum ex sua negligentia in republica insurgentium, tenebiturque ad restitutionem illorum id omittens: siquidem ad hoc ex officio est obligatus, ob pactum cum republica initum, ratione cuius recepit stipendium, vt bono illius communi invigilet. Quod verum est, etiamsi Iudex manifestissimis signis cognosceret reum impœnitentem decedere, aliàs quisque facinorosus impœnitens fingeretur, vt pœnam capitis effugeret. Imò etiamsi ex revelatione sciret condemnandum, justè nihilominùs posset, & deberet, eum suspendere. Non enim vindicta, seu punitio publica ad emendā particularis ordinatur, vel eius bonum, qui punitur; sed ad bonum publicum, vt alij terreantur. Ledesm. 2.*tom. tr.* 8. *cap.* 18. *post* 3. *concl.* Villalob. *tom.* 2. *tr.* 12. *diffic.* 2. *n.* 6. Fr. Ioan. Martin. de Prad. *tom.* 2. *disp.* 20. *q.* 1. *n.* 16. Sot. *lib.* 5. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Arag. 2.2. *q.* 64. *art.* 2. *ad* 2. Molina *disp.* 5. *n.* 6. Lug. *disp.* 10. *n.* 64. ¶ Cæterùm cum hoc compatitur, quòd nullus Iudex christianus possit negare confessionem petenti, & parato pœnam luere; etiamsi timeret fore diripiendum, aliave via liberandum, nisi crederet non tàm ex devotione petere, quàm spe liberationis, quæ rarò contingit. Et ideò à mortali culpa minimè liberantur, & quidem gravissima, Iudices confessionem petentibus reis, quantumvis flagitiosissimis, negantes: quia periculo eos exponunt condemnationis æternæ, qui aliàs confessi salvationem consequerentur. Trullench. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 2. *n.* 5. & 6. Navar. *cap.* 15. *n.* 23. Sylvest. verb. *Iudex*, *q.* 10. *concl.* 6. Prad. *supr. n.* 17.

§. II.

Aliqui casus particulares, in quibus, an liceat malefactorem privata, vel publica auctoritate occidere? deciduntur.

Quomodo bannitos liceat occidere?

9 SEd inquires primò, an possit respublica, vel Princeps concedere facultatem interficiendi bannitos (vulgò, *bandidos*) seu proscriptos? Respondetur, per se non posse, quia ordo naturæ postulat, neminem condemnari, aut puniri, nisi vocatum, & auditum in judicio, & eius cognita causa; quod in talibus non invenitur: per accidens autem, non per modum pœnæ vindicativæ, sed per modum defensionis, potest: vt si concederet licentiam occidendi cuilibet eum, qui mortem Principis machinaretur, vel minaretur vrbis incendium: quia tunc etiam sine tali licentia posset quilibet injustum illum invasorem in defensionem justam de medio tollere. Quod tenent infrà citandi Auctores. ¶ Cæterùm, quia facti notorietas solet valere loco sententiæ, potest Iudex aliquando malefactorem coram se, & in publico peccantem statim occidere, quia, vt optimè inquit Bañ. 2.2. *q.* 64. *art.* 3. *dub.* 2. *in solution. ad* 4. (Si quis ministrum justitiæ in foro publico, vel tribunali occiderit, statim licitum erit illum suspendere: sicut etiam contingit in bello, quod Dux militem publicè à disciplina militari deviantem statim interficit: sic etiam (si verum est quod aiunt) in actuali belli congressu singuli milites habent facultatem occidendi socium antecedentem, quando ille se inclinaverit, vel in latus verterit, vt fugiat ictum iaculi, licita enim erit huiusmodi occisio, quoniam fit publica auctoritate. Et ratio huius rigoris est propter com-

commune bonum exercitus; oportet enim, vt acies ordinatissimè pugnent ad victoriam cõsequendam.)

¶ At verò, postquam respublica malefactorem ad judicium vocavit,& noluit parere,& servato ordine juris contra eum sententiam tulit, potest cuilibet facultatem præbere, vt vbicumque eum inveniat, interficiat, vt minister ipsius reipublicæ,vt si celebrem latronem in via itinerantes spoliantem vocaret Iudex, &,eo non comparente, contra eum ferret sententiam,cullibet copiam eum occidendi posset dare, quandiu latro intra territorium eius, qui præcepit, existit.Bañ. *sup.concl.*2.Villalob.*tr.*12.*diff.*3. Dicastill.*tr.*2.*disp.*10.*dub.*1.*n.*7.Bonac.*disp.*2.*q.vlt.sect.* 1.*punct.*2.*n.*1.Lug.*disp.*10.*sect.*2.*n.*82.

Eum, qui tyrannicè fieri Princeps intentat, cuilibet interficere licet.

10 Inquires secundò, an possit vnusquisque propria auctoritate occidere Principem tyrannum? Respondetur, quòd, vt constat ex à nobis dictis *tr.* 11.*de Legib.cap.*2.*n.*9. dupliciter potest dici tyrannus aliquis Rex, nimirum gubernatione,& vsurpatione. Gubernatione dicitur tyrannus, qui justè quidem possidet regnum; estque verus dominus illius, cæterum illud gubernat tyrannicè, nimis subditos gravando, plures circa illos injustitias faciendo, illos bonis proprijs spoliando, & in bonum, & commodum proprium, non in bonum commune gubernationem dirigendo.Tirannum qui hoc modo est talis,nemini licet occidere: quod est de fide diffinitum in Concil.Constant.vbi inter alios articulos Ioannis Hus hic prohibetur à Concil. *Quilibet tyrannus licitè potest à quocumque subdito interfici.* Et ratio à priori desumitur ex illis verbis 1.Petr. 2. *Servi subditi estote in omni timore dominis,non tãtũ bonis,& modestis, sed etiam discolis.*Etenim legitimus Princeps,etsi tyrannicè gubernet,estSuperior, & ei est obediendum à subditis, & ideò contra eum insurgere non possunt, quia habet jus,ob legitimam successionem in regnum, à quo non est privandus, aut deponendus privata auctoritate, sed à Superiore, & sic recurrendum est ad Pontificem, vel Imperatorem, si eorum subditus fuerit.

Principem, qui tyrannicè gubernat, nemini particulari licet interficere.

11 Et rationem à posteriori assignat D.Thom. *opusc.*20.*de Regim.Princip.lib.*1.*cap.*6.*Effet*,inquit, *hoc multitudini periculosum,& eius Rectoribus, si privata præsumptione aliqui attentarent Præsidentium necem,etiam tyrannorum.* Quàm magna quippè esset hominum vitæ confusio, si cuilibet liceret Regem legitimum occidere, putans ipsum tyrannicè gubernare? Quarè differtissimè monet dicto opusculo D.Thom.subditos tyrannidem patientes, patienter ferre illius molestias, quia Deus non sinet multo tempore tyrannos impunè agere. Maximè si sustinentes illius molestias, pœnitentiam peccatorum agant, quæ ferè semper divinam justitiam provocant, vt tyrannos Reges permittat, juxta illud Iob 34. *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*: Et Oseæ 13. *Dabo tibi Regem in furore meo.* Undè sanctissimus Præceptor sic concludit: *Tollenda est igitur culpa, vt cesset tyrannorum plaga.* Dicta duobus numeris præcedentibus docent Caiet. 2.2.*q.*64.*art.*3.& ibi Aragon. Fr.Ioan.à S.Thom.Serra,Bañ.Sylv.Sot.*lib.*5.*q.*1.*art.* 3. Tapia *lib.*5.*q.*7.*art.*3.*n.*2.Prad.*cap.*20.*q.*1.*§.*3.*n.*21.Suar. *contra Regem Angliæ,lib.*7.*cap.*4.*n.*2.Less.*lib.*2.*cap.* 9.*dub.*4.*n.*10.Villalob.*tom.*2.*tract.*12. *diff.*4. Trullench.*lib.*5.*cap.*4.*dub.*2.*n.*1. Bonac.*disp.*2.*q.vltim. sect.*1.*punct.*3.*n.*2.

Ex inconvenientibus probatur præcedens doctrina.

12 Si verò Princeps secundo modo fuerit tyrannus, quia videlicèt absque vllo titulo justo se introducit in regnum, & vsurpat, quod sibi non debebatur, & armis, vel alio modo cogit rempublicam se, vt dominum, admittere; cum talis non sit Princeps,sed iniquus invasor, & oppressor reipublicæ, si de injusta vsurpatione constiterit, & quòd injustè omninò se introducit, iste potest à quolibet particulari interfici, nisi maius inde detrimentum reipublicæ timeatur; & talis non auctoritate propria procedit, sed auctoritate publica, tacitè, vel expressè à republica communicata,vt minister eius, eius personam gerens, & negotium illius vtilitèr agens. Quod, & non amplius, intendit D. Thom. 2.*dist.*44.*q.*2.*art.*2.*ad* 5.*&* 2.2.*q.*42. *art.* 2.*ad* 3. *& lib.*1.*de Regim.Princip.cap.*6. Et quidem talem posse interfici à quocumque particulari, quando actuali bello vult rempublicam opprimere, & regimen sibi indebitum vsurpare,nemo negat: quia talis est injustus invasor, bellum injustum gerens cum republica, illi vim inferens; & vim vi repellere licet. Et sic quilibet civis, vt pars ipsius reipublicæ (imò quilibet alius, etiam exterus,& peregrinus,nomine reipublicæ,& negotium illius vtiliter gerens) potest justè eum interficere: quia melior modus finiendi bellum injustum est de medio tollere Ducem, vel caput rebellionis. Imò illius occisor, non potest reus occisionis Principis vllo modo dici, sed injusti invasoris, indigni prorsus Principis nomine decorari.

13 Quando verò est iam tyrannus in possessione regni illegitimè vsurpati (renuente ipsa republica, & repugnante,sed quia ipsum expellere non potest, invita,& coacta illi subijcitur, arma contra eum deponens) posse à quolibet particulari occidi, aliqui negant.Sed immeritò,quia quoties,invito populo,& repugnante,possidet,licet populus succumbat, videns se non posse defendere, semper tamen bellum implicitum contra populum gerit, semper est invasor, & oppressor libertatis, semper vim injustam infert, quam vi repellere licet. Vnde sicut moraliter censetur in invasione populi perseverare, potest à quolibet de populo tacita, vel expressa ipsius facultate occidi: quemadmodùm possum furem fugientem eum equo, & divitijs meis, tello,vel,fagitta percutere: quia invasio durat donec se in tutum recipiat. Quare posse in tali casu occidi tyrannum, tenent omnes Auctores,quos *n.*11.dedimus.

Licet interficere tyrannum, etiam si sit in possione regni.

14 Inquires tertiò, an peccet mortaliter maritus,vel pater filiam,vel vxorem in adulterio deprehensam,eam,vel adulterum, vel vtrumque occidendo? Negativè respondet prima sententia. Quæ probatur primò, quia licet occidere malefactores non privata auctoritate, sed publica; sed maritus, v. g. non occidit adulteros in fragranti repertos auctoritate privata,sed publica, concessa sibi per leges.Iura namque, quæ de hac materia agunt, non solùm impunitum relinquunt occidentem, sed ei auctoritatem concedunt occidendi,& pœnæ executorem, ac ministrum constituunt; quemadmodùm,ea quæ assassinos,vel bannitos occidere concedunt: & ita esse constabit legentibus jura sequentia,*leg.*21.*cum duabus seqq.ff.de Adult.*leg.*Grachus* 4.C.*ad Legem Iuliam de adulterijs,leg.Regia* 5.*titul.*10.*leg.*4.*tit.* 23. *lib.*8.*Novæ Recop.*Nec sat est dicere tales leges per jus canonicum esse revocatas, & correctas: quia ideò jus canonicum (dicit hæc sententia) talem occisionem tenet illicitam: quia nemo non auditus potest condemnari,cum posset adultera pro se allegare se invitam cum ignorantia facti id feciſſe: ergo

Maritum posse vxorẽ interficere repertam in adulterio,ali qui asserũt.

si

ſi evidentèr de oppoſito conſtiterit, propter ſigna amoris,& alia,ipſam in adulterium conſenſiſſe, eam occidere poterit,& præcipuè adulterum, qui pro ſe nihil poteſt allegare: *Et notorius exceſſus notione non indiget*,cap.*Bona,de electione*. Et confirmatur, quia probabile eſt, poſſe injuſtum honoris aggreſſorem occidi: talis eſt adulter, & adultera reſpectu honoris mariti: ergo, &c. Sic ex Theologis Thom. Hurtad.*tom.*2.*Reſol.moral.tract.vlt.reſol.*5.§.7.*n.* 204.Fr.Chriſtoph.àS.Ioſeph *tom.*1.*Receptarum opinionum*,verb.*Adulterium,dub.*5.*n.*5.*fol.mihi* 39. & non improbabilem dicunt Fagund. *lib.* 5. *in Decalog.cap.*10.*n.*19.Leſſ.*lib.*2.*cap.*9.*n.* 16. & Caram. *in Theologia fundamentali*, *n.* 1397. *fol.mihi* 737. vbi dicit,quòd ſtando authoritati eſt probabilis hæc ſententia,ſtando rationi, certa,& evidens: & ex Iuriſtis Iulius Clarus *lib.*5.*Sententiarum*,§.*Homic.n.*48. Caſtill.*leg.*82.*Tauri*, *n.* 6. Anton. Gom. Azebed. Menchac.apud Dian. 3.*p.tract.*4.*reſol.* 223. ¶ At huiuſmodi ſententia omni probabilitate caret; vt cum Alex.VII.*n.ſeq.* dicemus,& idipſum adnotavimus *tom.*1.*tract.*6,*cap.*8.*n.*86.

Peccat maritus vxorē in adulterio deprehensā occidendo.

15 Secunda tamen (& omninò tenenda ſententia)dicit, quòd licèt maritus,aut pater, vxorem, aut filiam in adulterio deprehenſam occidens, non ſubiaceat pœnis contra homicidas à jure ſtatutis: quia ob nimium dolorem, & vehementem paſsionem inſurgentem difficile eſt ſe cohibere: & vt adulteria omninò à republica avertantur, voluerunt leges ipſum occiſorem impunitum manere. Cæterùm peccabunt mortiferè, & graviſsimè eos occidendo. Poterit tamen maritus poſt ſententiam Iudicis eam exequi in adulteros, eos publica,& ſolemni authoritate occidendo, ad purgandam infamiam, depoſito odio, & vindicta privata. Quod verò ante talem ſententiam peccet mortaliter adulteros occidendo, tenent D.Thom. 4. *diſt.* 37.*q.* 2. *art.*1. & ferè omnes Theologi, & Iuriſtæ, quorum 70. refert Sanch. *lib.*10.*de Matrim.diſp.*8.*n.*38.& Baſi.*q.*64. *artic.*3. *dub.*2.*ad* 3. dicit communem Theologorum, & Iuriſtarum Tapia *lib.*5.*q.*7.*art.*4.Lug. *diſp.*10. *ſect.*3. *n.*90.Bonac.*diſp.*2.*q.vlt.ſect.*1.*punct.* 2.*n.* 5. Trullench.*lib.*5. *cap.* 4. *dub.* 3. Dicaſt. *lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.*10.*n.*14.Dian. *loc.cit.* & improbabilem oppoſitam dicit Prad.*cap.* 20.*q.*1.*n.* 29. Villalob. *tract.* 12.*diff.*3. *n.*2. & falſiſsimam, & improbabilem Baſilius *lib.*9.*de Matrim.cap.*15.*n.*9. ¶ Et quidem ita eſſe conſtat ex decreto Alexand. VII. die 24. Septembris ann. 1665. expedito: vbi inter alias propoſitiones iſtam (quæ erat 19.) vt ſcandaloſam prohibet: *Non peccat maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehenſam* : quod prius Stephanus Papa prohibuerat, cap. *Inter hæc*,& alijs capitibus 33.*q.* 3.& id verum eſt,etiamſi Iudex propriam vxorem in adulterio deprehendat, cui eam tunc occidere non licet:quia non procedit,vt Iudex, ſed vt perſona particularis; nec zelo juſtitiæ, & exequendi legem, ſed vlciſcendi injuriam, & ſe vindicandi.

Ratio præcedentis aſſertionis.

16 Ratio aſſertionis ea eſt, quia ſic occidens perſonæ vxoris, & reipublicæ præjudicat. Perſonæ quidem, quia non debet mori,niſi confeſſa, & convicta in loco judicij de crimine: nemo enim inauditus,& in confeſſus, aut non convictus debet cõdemnari. Et reipublicæ præjudicat, quia ſibi vſurpat Iudicis officium,& vult eſſe Iudex,actor,& teſtis,quod omninò eſt contra naturam judicij recti: & ſic contra omnem ordinem naturæ procedit,qui ſic in flagranti occidit adulteros. Et contra gratiæ ordinem non minus delinquit, maximè inter chriſtianos, inter quos prævalere ſalus animarum debet temporali honori, quos aperto condemnationis periculo exponit, qui ſic in delicijs iacentes occidit,& impœnitentes gehennæ tradit. Unde mirum eſt, viros catholicos hoc licere, edocere non vereri. Cum hæc tamen ſtat, quòd,vt diximus *tract.*10. *de Cenſur.cap.* 4.*n.*31. ſi adulter occiſus ſit Clericus,non incidet in excommunicationem canonis, qui eum occidit, propter ea,quæ ibidem diximus; fiet tamen ſemper irregularis, quod omnes aſtruunt.

Solvuntur argumenta contraria.

17 Ad argumentum contrarium ex legibus civilibus deſumptum, ſic reſpondet D. Thom. 4. *diſt.*37.*q.*2.*art.*1.*Lex civilis quaſi licitum computat, quod in ipſo actu eam interficiat, non quaſi præcipiens, ſed pœnam homicidij non inferent, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occiſionem vxoris. Sed eccleſia in hoc non eſt adſtricta legibus humanis, vt judicet eum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ eccleſiaſtico judicio infligendæ, ex hoc quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per judicium ſæculare: & ideò in nullo caſu licet viro interficere vxorem propria authoritate.* Quare ſi dictæ leges amplius velint,quàm impunem occiſorem relinquere, injuſtæ ſunt,eo quòd viam aperiant pluribus peccatis,cum in tali occiſione vir non ex zelo juſtitiæ, ſed vindictæ procedat. Ideòque meritò ſunt revocatæ, & reprobatæ jure canonico: quia animabus perniciosiſsimæ, & non ob rationem, quæ in argumento tangitur, ſed ob alias à nobis propoſitas. ¶ Nec confirmatio vim habet contra nos,ſolum enim probat,quod in caſu, quo adulter niteretur adulterium perpetrare, poſsit maritus vi eum repellere, &, ſi alia via non poſſet eum avertere,occidere: quia tunc eſſet injuſtus invaſor honoris: in noſtro autem caſu poſt patratum adulterium, iam non ſumitur homicidium ad avertendum aggreſſorem,ſed ad vindictam injuriæ illatæ,quam alia via poſſet offenſus avertere per interpoſitionem Iudicis, & ſi non poſsit, nunquam tamen ei licet ſe propria authoritate vindicare.

PUNCTUM II.

Utrùm in aliquo caſu licitum ſit ſeipſum interficere?

Quibus modis poſsit quis ad ſuã mortem cõcurrere?

18 DUplicitér poteſt conſiderari, quòd homo ſeipſum interficiat; vel directè, & per ſe,ex animo,& intentione, vt ſi gladio ſeipſum confodiat, ſi laqueo ſe ſuſpendat, ſi ex eminentiori loco ſe præcipitet,vel influvium,aut flammas ſuffocandũ, aut comburendum tradat: alio modo indirectè, & hoc bifariam poteſt accidere: vel quia poſitivè influit ad ſuam necem, indirectè tamen, nimirum ſua voluntate exponendo ſe manifeſtiſsimo periculo, vt ab alio juguletur, vel alio modo occidatur:vel quia negativè ſe habet non fugiendo periculum, non avertendo damnum imminens: & de his tribus modis ſe occidendi, tribus paragraphis hoc Puncto claritatis gratia diviſim agemus.

*** ***)(§)(*** ***

§.I.

§. I.

In nullo casu licere se ipsum directè occidere, tanquam de fide tenendum.

Neminem seipsum directè occidere posse, fides docet.

19 COnclusionem negativam, quam fides catholica docet, his verbis Magni Parentis Augustini *lib. 1. de Civitat. Dei*, libuit proponere: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur: quia reus suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.* Hæc veritas, prout à D. August. edocta, definita est contra hæreticos oppositum tenentes, & contra gentiles in hoc maximè aberrantes, cap. *Tu dixisti*, cap. *Non est* 23. *q.* 5. & in cap. *Placuit*, *eiusdem causæ, & quæstionis.* Ex Concil. Bracarensi privatur sepultura ecclesiastica, qui seipsum quomodolibet directè occidit: & constat ex illo Exod. 20. *Non occides, nec alterum: ergo nec te* (inquit D. Augustin.) *neque enim alium quàm hominem occidit, qui seipsum occidit.* Et ex illo Deuteron. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Sapient. 16. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.*

Infirmitas animi, non fortitudo est seipsum occidere.

20 Et hinc probat optimè D. Thom. 3. *p. q.* 45. *art.* 6. *ad* 3. quòd justè David occidit Amalecitam, qui necavit Saul; quod facere non posset, si Saul seipsum occidere potuisset: quia si non licet petentem, & consentientem occidere, multò minus seipsum, cum magis teneatur aliquis ad propriam vitam conservandam, quàm alienam. Et inde Caietanus explicans verba illa 1. Reg. 28. *Arripuit itaque Saul gladium, & cecidit super eum*, inquit: *Hinc apparet mollities animi Saulis, non valentis sufferre illusiones à Philistæis: nam ad eas evitandas seipsum peremit.* Nam vt ait Senec. *epist.* 24. *Imbecillis est, qui propter dolorem moritur.* Et alibi: *Vir fortis, & sapiens non fugere debet è vita, sed exire.* Consonatque Cyprian. *lib. de Duplici morte, ante medium: Sunt*, ait, *qui leguntur sibi fortitèr mortem conciviſſe; at infirmitas erat morte, quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia.* Et ideò Arist. *lib.* 3. *Ethic. cap.* 7. asserit, non esse actum fortitudinis, sed pusillanimitatis, quod quis seipsum occidat. Quapropter de Razia, de quo dicitur 2. Machab. 14. *Cum iam comprehenderetur, gladio se petijt, eligens potius nobilitèr mori, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injurijs agi*, inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 5. *ad* 5. *Habere quandam speciem fortitudinis, quod aliquis sibi ipsi mortem inferat, vt vitet mala pœnalia; propter quod quidam seipsos interfecerunt, æstimantes se fortitèr agere, de quorum numero Razias fuit: non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia sustinere.* Quamvis Lyra, & Bañez Raziam excusent modo, quo D. Thom. *ad* 4. & D. August. *lib.* 1. *de Civit. cap.* 21. excusant Samsonem, qui seipsum cum hostibus ruina domus oppressit: *Quia latenter Spiritus Sanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat.*

Quomodo excusandi sunt aliqui, qui seipsos occiderunt?

21 Et ob hanc rationem excusantur plures, & sanctissimæ Virgines, quæ seipsas occiderunt, vt de Sancta Appollonia, quæ se inflammas projecit, dicitur in Martyrologio: & de Sancta Pelagia, quam commendat Sanctus Ambrosius *lib. 3. de Virgin.* quòd seipsam interemit, ne eius castitas periclitaretur: & illæ fœminæ, quæ, cum ad tyrannum essent adducendæ, se in flumen præcipitaverunt, ne pudicitiam amitterent. De quibus Eusebius *lib.* 8. *cap.* 12. & 17. & Palladius in historia Lausiaca laudat aliam fœminam, quæ, cùm à tyranno accerseretur, seipsam interfecit. Hæ enim omnes, & similes speciali Spiritus Sancti inspiratione, & instinctu ductæ sunt, qui dominus est vitæ hominum: quamvis etiam excusari possent ob ignorantiam invinciblem. Etenim, vt diximus *tr.* 11. *de Legib. cap.* 1. *punct.* 3. *§.* 2. *fin.* licèt præceptorum primæ tabulæ Decalogi non possit esse ignorantia invincibilis, si per se, & nudè sumantur, benè tamen, vt vestita particularibus circumstantijs: & sic ignorari potest invincibiliter illicitum esse se occidere ob motivum alicuius virtutis, vt plures ex sapientioribus gentilibus existimabant, melius esse nobiliter mori, quàm turpiter, & inglorie vivere. Et ideò de Catone, qui suis manibus perijt, inquit Tullius, *Cæteri quidem, Pompeius, Lentulus, & Scipio fœdè perierunt: at Cato præclarè.* Vnde invincibiliter etiam ignorari potest, esse illicitum se occidere ad evitandam infamiam, captivitatem, vel iacturam castitatis, vti docent in præsenti Sotus *lib.* 5. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 4. Prado *cap.* 25. *q.* 2. *n.* 25. Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *n.* 23. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 9. *n.* 5. & alij, quos refert, & sequitur Dian. 5. *p. tract.* 4. *resol.* 30. & 6. *p. tract.* 7. *resol.* 47.

Tres rationes D. Th. expendun-tur.

22 Tres rationes pro hac catholica veritate ponit D. Thom. *quæst.* 64. *articul.* 5. quæ (licèt eas aliqui ex Neotericis impugnent) optimæ sunt. Prima desumpta ex naturali inclinatione, quam habet homo ad conservationem suæ vitæ, & charitatem, quam erga se debet habere; contra quam charitatem delinquit se interficiendo, & contra naturæ inclinationem. Et loquitur Sanctus Thomas de inclinatione, quæ competit naturæ hominis, vt talis, id est, secundum rectam rationem operantis, juxta ea, quæ docet 1. 2. *q.* 71. *art.* 2. *corp.* nempè, quod id, quod est contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, in quantum est homo: non enim ignorabat D. Thomas, non esse illicitum agere contra id, quod est ex inclinatione hominis, vt animal est, vt sunt appetitus sensitivi. ¶ Secunda ratio desumitur ex ordine, quem habet homo ad rempublicam, seu congregationem aliorum, cuius est pars: nam cum pars id quod est, si totius, operatur contra debitum reipublicæ, eique injustitiam irrogat se occidendo, & rempublicam parte sibi debita absque consensu ipsius reipublicæ privando. Et hoc intelligitur per se: per accidens autem, quòd aliquando homo non sit vtilis reipublicæ, vel non sit pars eius, vt si esset vagus, non præjudicat rationi D. Thomæ, quia etiam concubitus vagus semper est illicitus, etiamsi aliquando per accidens possent damna, quæ ex illo sequuntur, evitari. ¶ Tertiam rationem sumit ex ordine, quem habet homo ad Deum: quia homo non est dominus suæ vitæ, sed Deus est supremus Dominus illius: & ideò sicut injustitiam irrogaret domino, qui servum eius occideret, sic Deo injustitiam irrogat, qui se occidit, cum non sit dominus suæ

vitæ ipſe, ſed Deus. Hæc vltima ratio placet Neotericis, ſed omnes placere deberet. An verò hic triplex committatur peccatum, vel vnum? An ſit propriè contra juſtitiam hoc crimen? Parum refert illud ad noſtrum intentum examinare.

Quatuor objectiones contra Catholicam veritatem?

23 Sed contra veritatem iſtam catholicam ſunt aliquæ objectiones. Prima, quòd eodem Dei præcepto prohibetur homo ne occidat alium, ac ne occidat ſeipſum; ſed in aliquibus caſibus alium occidere licet: ergo dabitur caſus, in quo liceat ſeipſum occidere. ¶ Secunda, quia occidere peccatores poteſt, qui habet publicam poteſtatem: ſed aliquando talis eſt malefactor: poterit ergo ſeipſum occidere. ¶ Tertia, quia licitum eſt minus malum eligere ad evitandum maius, ſicut propterea licet membrum aliquando abſcindere, vt vita totius conſervetur; ſed aliquando per occiſionem ſui liberatur homo à pluribus miſerijs, & peccatis, quæ deteriora ſunt ipſa morte: ergo licebit eam amplecti ad fugiendum illa. ¶ Quarta, id quod deſiderare eſt licitum, licitum erit illud exequi; ſed quandoque homo licitè deſiderat mortem, vt ſe à miſerijs, & malis huius vitæ liberet, vel vt vitam conſequatur excellentiorem: ergo propter hos fines licitum erit ſe occidere.

Solvuntur objectiones propoſitæ.

24 Reſpondetur ad primam, quòd materia illius præcepti, *non occides*, eſt occiſio hominis indebita, & contra rationem: ſemper autem ſe occidere eſt contra rationem: quia nec fit authoritate publica, nec in ſui defenſionem, quomodo aliquando eſt juxta rationem alium occidere. ¶ Ad ſecundam reſpondet D. Thom. *q. 64. art. 5. ad 2.* ſic: *Ille qui habet publicam poteſtatem, poteſt licitè malefactorem occidere per hoc, quòd poteſt de ipſo judicare: nullus autem eſt Iudex ſui ipſius. Vnde non licet habenti publicam poteſtatem ſeipſum occidere propter quodcũque peccatum, licet tamen ei ſe committere judicio aliorum.* ¶ Ad tertiam reſpondet idem D. Thom. *in ſolut. ad 3.* quod homo conſtituitur dominus ſui ipſius per liberum arbitrium: & ideò licitè poteſt homo de ſeipſo diſponere ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur; ſed tranſitus de hac vita ad aliam non ſubiacet libero arbitrio hominis, ſed poteſtati divinæ: & ideò non licet homini ſeipſum interficere, vt ad feliciorem vitam tranſeat. Similitèr etiam, nec vt quaslibet miſerias præſentis vitæ evadat, quia vltimum malum huius vitæ, & maximè terribile, eſt mors, vt patet per Philoſoph. 3. *Ethic.* & ideò inferre ſibi mortem ad alias huius vitæ miſerias evadendas, eſt maius malum aſſumere ad minoris mali vitationem. Similitèr non licet ſeipſum interficere propter aliquod peccatum commiſſum: quia in hoc ſibi maximè nocet; quòd ſibi adimit neceſſarium pœnitentiæ tempus: nec vt vitet committendum, quoniam non ſunt facienda mala, vt eveniant bona: & quia potens eſt Deus hominem, quacumque tentatione ſuperveniente, liberare à peccato.

Solvitur quarta objectio.

25 Ad quartam objectionem dicendum eſt, plura nobis, & alijs optare poſſe (nimirum, vt inculpato modo obveniant) quæ tamen inferre non poſſumus, vt quilibet poteſt optare multa pati pro Chriſto, quæ tamen non poteſt inferre, aut procurare. Et generaliter homini perverſo, & malo licèt multipliciter optare mortem. Primò ratione juſtitiæ, quo modo optamus peccatores à Iudice, vel à Deo puniri. Secundò, propter gloriam Dei, quomodo Prophetæ ſæpè præcabantur mala peccatoribus. Elias 4. *Reg.* 1. Eliſeus pueris *cap.* 2. Noe filio ſuo, *Geneſ.* 9. Iacob Ruben, *Geneſ.* 49. Tertiò ob commune bonum, qua ratione poſſumus optare, vt turcæ, hæretici, & alij peccatores, aut convertantur, aut deſinant nobis nocere, aut tollantur de medio. Quartò ratione proprij boni honeſti: vt ſi puella ſolicitaretur à iuvene, poteſt optare, quod infirmetur, & ſic ceſſet ab illa libidine, vel tollatur, niſi convertendum ſit. His, & alijs caſibus poſſumus optare mortem peccatoribus, vt à Deo, vel à Iudice inferendam: non tamen licet nobis hæc mala inferre, vel deſiderare ea tanquam à nobis inferenda.

§. II.

An, & in quibus caſibus licitum ſit vitam non conſervare, ſeu negativè ad mortem ſe habere, non impediendo illam, cum poſſimus?

Aliquando poteſt homo ſe mori, aut occidi permittere.

26 Dicendum itaque eſt, non ſemper teneri hominem propriam vitam defendere; ſed ſe occidi permittere poteſt, ob aliquod motivum virtutis: vt Chriſtus dominus, qui potuit ſe defendere; & voluit potius mortem ſubire: & illa decẽ millia martyrum, credibile eſt potuiſſe à tyranno defendi, & magis voluiſſe glorioſam mortem pro Chriſto pati. Nec etiam tenetur aliquis ad conſervandam vitam vti omnibus poſsibilibus remedijs, etiam extraordinarijs (nimirum exquiſitis medicinis, cibis pretioſis, ire ad terras ſalubriores ad amplius vivendum: nec dare omnes ſuas divitias pro evitanda morte, juſtè, vel injuſtè ab alio minata: nec tenetur infirmus deſperatus vti remedijs pretioſiſsimis, tametſi cum illis ſciret, vitam per aliquas horas, vel dies, vel etiam annos fore extendendam. Bonacin. *diſp. 2. de Reſtit. q. vlt. ſect. 1. punct. 5. n. 6.* Trullench. *lib. 5. cap. 3. dub. 3. n. 1.* Villalob. *tract. 12. diff. 7. n. 4. & 6.* Lug. *diſp. 10. ſect. 7. n. 29. & 32.*

Ex juſta cauſa poteſt quis vitæ conſervationem omittere.

27 Tenetur autem medijs ordinarijs vitam tueri: quia qui ea negligit, vitam negligere videtur, atque adeò negligentèr in eius conſervatione ſe gerere. Quando verò ab alio homine auferri conatur, nec ad ordinaria media tenetur ad illam tuendam. Et ſic plures Martyres, quamvis à tyranno medijs ordinarijs defendi poſſent, mortem patientèr ſuſtinuerunt: ideò poteſt quis ſe ſinere occidi ab injuſto invaſore (niſi ſit valdè vtilis reipublicæ) quamvis poſsit, cum occidendo, ſe defendere, licet ad id non teneatur; poteſtque in naufragio tabulam non captã relinquere, vt in ea alius ſalvetur, etiam cum ſuæ vitæ periculo. An verò illam iam captam poſsit relinquere? Dicemus poſteà. Poteſtque in extrema neceſsitate panem alteri relinquere extremè etiam indigenti; &, vti diximus *tract. 11. de Legib. cap. 2. punct. 7.* ex D. Thoma, quoties occurrit ſpeciale motivum virtutis, ob quod aliquis mortem acceptare valet, permittere poteſt ſe occidi, vt diximus ibi *num.* 138. de Carthuſianis, poſſe ſe mori permittere, vt obſervantiam ſacram abſtinendi a carnibus indemnem conſervent. At ſi quis à cauſa naturali invaditur, vt à flamine inundante, ab vrgente incendio, à fera dilacerare volente, tenetur medijs ordinarijs vti, vt vitam conſervet: quia non apparet motivum aliquod virtutis, ob quod ſe occidi permittat.

Ex

Non tenetur mulier cum iactura pudicitiæ se permittere curari.

28 Ex quo patet, quod ob tuendam castitatem, vel virginitatem conservandam potest licitè quis subire mortem, & abstinere à remedijs etiam licitis, & quæ sine peccato posset adhibere. Et sic S. Casimirus die quarta Martij laudatur, & commendatur ab ecclesia vniversali in eius officio, quòd, Medicis consulentibus, noluerit vxorem ducere, vt mortem ex morbo iam imminentem evaderet; sed maluerit mori, quàm virginitatis propositum deserere. Unde mulieres honestæ, præcipuè virgines, non tenentur se sinere curari à Chirurgis in partibus secretioribus, & pudendis, etiamsi ob hoc mortem certissimè timeant: quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minus abhorret, quàm ab ipsa morte: & plures reperiuntur virgines, quæ mallent mori, quàm se sinere cum iactura pudiciæ à viris tangi, vel conspici. Præterquam quòd ex honestissimo motivo se mori in illo casu permitterent. Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 60. Prad. *cap.* 20. *q.* 2. *n.* 38. Sanch. *Consil. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 13. & alij, quos refert, & sequitur Diana 5. *p. tract.* 3. *resol.* 138. Verum est, quòd licet in dicto casu non teneantur curationem illam admittere, possent licitè id facere: quia etiam ex motivo honesto salutis hoc permitterent. Imò teneri se à fœminis illius artis peritis sinere curare, testatur Dian. *loc. cit.* quia iam ratio dicta cessat.

Per pœnitentias imprudentes nō licet abbreviare vitam.

29 Ex dictis patet aliquarum quæstionum resolutio. Inquires ergo primò, vtrùm sit licitum per pœnitentias, ieiunia, abstinentias, vigilias, macerationes, studia, labores, vitam abbreviare? Et quidem si hæc fiant ex intentione abbreviandi vitam, omnibus notum est nemini hoc animo eis vti licere: quia si non licet occidere se, etiam post vnam horam ab alio occidendus, nec etiam licitum erit his rebus vitam abbreviare; esset quippè positivè, & directè ad sui occisionem concurrere, non minus ac si vulnus, & flagellum mortiferum sibi inferrent. Nec etiam licet absque tali intentione his exercitijs vti ita imprudenter, & immoderatè, vt per hoc vitam sibi notabiliter abbreviare timeant, vt docet Div. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. *ad* 2. & cum eo omnes. Ubi D. Hieronym. illam sententiam refert: *Non differt magno, vel parvo tempore te interimas, quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderatè corpus affligit.* Tenetur ergo ex charitate erga seipsum vitam conservare, eo quòd non est dominus vitæ, sed administrator: esset autem infidelis, & imprudens administrator vitæ, si illam immoderatis corporis afflictionibus consumeret.

Quomodò licitum sit per prudentes pœnitentias aliquantulum abbreviare vitam?

30 At verò licitum est prudenter his operibus exerceri, etiamsi ob id per aliquod tempus vitæ abbreviatio timeatur: quia, vt benè inquit Lug. *disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 32. in hoc pares sunt, qui excessu cibi, & potus, & qui eorum defectu vitæ abbreviationem causant. Quare sicut non damnantur peccati mortalis, qui cibis multis; & delicatis vtuntur, licet prævideant periculum multarum infirmitatum, & brevioris vitæ; ita non sunt damnandi qui operibus pœnitentiæ virtuosis vitæ abbreviationi se exponunt. Imò laudandi, & in hoc sunt multùm dispares ab illis, ob excellentius motivum, & quia hæc opera potius multoties vitæ conservationi juvant, vel saltem ita levem cooperationem mortis exhibent, vt meritò admittenda, & laudanda sint, vt corpus per castigationem voluntariam in servitutem redigatur. Quare, vt benè inquit Trullench. *lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 3. *n.* 5. pœnitentiæ, abstinentiæ, vigiliæ, &c. quæ ex regula sunt institutæ, non debent omitti ob timorem abbreviationis vitæ, quia à Patribus Sanctissimis, & viris prudentibus sunt excogitatæ, & approbatæ, & ad perfectionem assequendam, aliorumque exemplum accomodatæ. Afflictiones verò, quæ à privatis accipiuntur, si prudentis viri, Confessarij nimirum, vel Prælati, consilio fiant, valdè laudabiles sunt, nec ob eas timendum est, quòd vita abbrevietur; & si hoc fiat, laudabiliter, & vtiliter fiet: quod etiam docet Villalob. *tract.* 12. *diff.* 8. Bonacin. *disp.* 2. *q. vlt. sect.* 1. *punct.* 5. *n.* 5. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 32. & 33. Gtanad. 2. 2. *controvers.* 3. *tract.* 6. *disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 11. vbi optimè dicit: (Res sanè non est scrupulosè accipienda præsertim ab his, qui ob divinum obsequium, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis valdè corpus affligunt; rarò enim, aut potius nunquam, damnandus esset tanquam culpæ mortalis reus, qui propter ea vitam valdè abbreviaret. Et quidem Victoria ait, licèt Medicus dicat fore, vt vita alicuius protrahatur ad decem annos, si vinum bibat, posset nihilominus abstinere à vino. Et alij dicunt, non esse illicitum pœnitentijs affligi, licèt propterea vitæ duodecim annos amissurus sis.)

Condemnatus ad fame moriendum non potest relinquere cibos clam oblatos.

31 Inquires secundò, an condemnatus ad mortem per famem, possit abstinere à cibo clanculum oblato, per quod vitam conservare valeret? Affirmat Sotus *lib.* 5. *quæst.* 6. *artciul.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 29. Quia non comedendo non influit positivè ad mortem, sed solùm non conservat vitam, permittendo quòd per calorem naturalem consumatur; quod ex justa causa facere potest, vt se justæ sententiæ conformet: quemadmodum qui esset in extrema necessitate constitutus, & solùm haberet carnes humanas ad commendum, licet posset illis vesci, posset ab eis abstinere. ¶ Contrariam tamen sententiam tenet D. Thom. *quæst.* 66. *articul.* 4. *ad* 2. & sequitur Caietanus, & Lugo *disput.* 10. *sect.* 1. *num.* 28. Covarrub. *lib.* 1. *Variar. cap.* 2. *numer.* 10. Quia licet mortem justè à Iudice infligtam subire teneatur, non tamen potest ipse sibi illam infligere, sed solùm tolerare, quòd à ministris justitiæ infligatur; sed non comedendo, cum posset, se occideret: quia media communia vitæ conservationi debita non apponeret. Nec enim dicitur homo solùm se occidere, quando ferro se petit, aut laqueo suffocat, sed quando medijs communibus vitam non conservat; vt si videret feram ad ipsum venire, cuius impetum facilè posset declinare fugiendo, & expectaret; vel si incendium, aut fluminis inundationem appropinquare cerneret, & non fugeret: tunc enim, licet negativè se habeat, se occidit: sic in nostro casu, non in illo, qui ab adversarijs adducitur: quia carnibus humanis vesci est medium extraordinarium, & horribile, & his medijs conservare vitam nemo tenetur.

Non potest condemnatus ad mortem potionem veneni sumere.

32 Hinc deducitur alterius casus resolutio, an possit venenum sumere, qui ad mortem condemnatus est justa sententia, si tale venenum à ministris propinaretur, ad supplicij executionem? Affirmat Victoria *relectione de Homicidio, num.* 30. *ad argument.* 8. Aragon. 2. 2. *quæst.* 69. *articul.* 4. Corduba *lib.* 5. *quæst.* 33. Azor *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 10. Bonacin. *disp.* 2. *quæst. vlt. sect.* 1. *punct.* 5. *num.* 3. quia potest justè condemnari à Iudice ad tale supplicium, quod exequi non valet, nisi reus venenum epotet. ¶ Sed oppositum, & me-

ritò,

ritò docet D. Thom. *q. 69. artic. 4. ad 2.* vbi dicit: *Quod nullus ita condemnatur, quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur*; at qui venenum sumeret, non minus sibi mortem inferret, ac si viscera gladio dilaceraret. Ideò namque jure naturæ sumptio veneni cuilibet prohibita est, quia est occisio sui, non minus ac si mucrone pectus vulneraret; sed talem deformitatem non deponit per hoc, quòd ab alio jubeatur; sicut nec scissio ventris, vel vulneratio sui. Quare sicut Iudex præcipere non potest, vt quis se mucrone occidat, sic nec potest jubere, quòd venenum epotet. Sic præter D. Thom. Lugo *n. 25.* Sot. *lib. 5. q. 6. art. vlt.* Petr. Navar. *de Restit. lib. 2. cap. 3. n. 81.* Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 6. n. 25.* Sylvius *2. 2. q. 64. art. 4. quæritur 4.* Salon. *ibi controv. 7.* Salas *de Legib. disp. 15. concl. 7. n. 82.*

§. III.

Utrùm ex justa causa aliquid facere positivè liceat, ex quo sequutura propria mors noscitur secundario, & indirectè?

Laudabiliter ex justa causa potest mortis periculo quis exponi.

33 AFfirmativè respondendum: vnde, miles potest, imò tenetur præliari, & in conflictu pugnæ se periculo mortis exponere, & non deserere stationem sibi à Duce assignatam, tametsi ex hoc sibi mortem eventuram timeat: & tempore pestis poterit laudabiliter quilibet inservire infirmis; etiam cum periculo infectionis: & alijs casibus. Quorum ratio est, quia non est prohibitum homini, quòd vitam suam periculis exponat ex justa, & laudabili causa; sed ne directè, & ex intentione eam quasi exosam auferat, vel ne sine rationabili causa eam exponat, aut conservare omittat: quia tunc non censetur eam ex intentione perdere: sicut prohibitum est non intendere, aut procurare pollutionem, non verò se periculo illius ex justa causa exponere. Et ideò 1. *Machab.* dicitur: *Melius est nobis mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum.* Sic Victor. *relect. 3. de Homicid. num. 36.* Caietan. *tom. 3. Opusc. de Vincul. obedient. ad 2.* Bañez *2. 2. art. 5. dub. 1. ad 2.* Ledesm. *tom. 2. tract. 8. cap. 18. concl. 6. diff. 2.* Prad. *cap. 10. q. 2. n. 28.* Trullench. *lib. 5. cap. 3. dub. 2. n. 4.* Less. *lib. 2. cap. 9. n. 27.* Villalob. *tom. 2. tr. 12. diff. 7. n. 5.* ¶ Imò teneri aliquando vitam manifesto periculo exponere, docent Auctores citati, nimirum quando magnum commodum reipublicæ procurandum intervenit, vel magnum incommodum vitandum, vel specialis obligatio ex pacto, vel officio, quam habet miles ad servandam stationem assignatam; Gubernator ad non deserendam rempublicam sibi commissam, Episcopus, & Parochus ad administranda sacramenta tempore pestis illa laborantibus: & alijs casibus, de quibus diximus *tract. 11. de Legib. cap. 2. à n. 126.*

Naufragans tabulam socio relinquere potest.

34 Ex dictis poterunt decidi aliqui casus. Primus, an sit licitum naufraganti tabulam, quam iam habebat, & in qua se sperabat posse salvari, relinquere, & alteri dare, vt in ea salvetur? Negat Sotus *lib. 5. quæst. 6. art. vltim.* Rodriguez *tom. 1. cap. 221. n. 6.* Vega *in Summ. tom. 1. cap. 127. cas. 7.* nisi Principi, aut Duci præcellenti, qui maximè est bono communi proficuus: quia qui tabulam relinqueret, positivè, & directè ad suam mortem influeret, se in mari proijciendo, non minus ac ille, qui ex imminenti loco se præcipitem daret. ¶ Sed affirmativa sententia est verior: quia hoc non est directè concurrere ad mortem, sed non tueri se cùm possit, alias neque hoc liceret pro Rege, aut Duce facere, quod adversarij admittunt: quia positivè, & directè se occidere pro nullo licet. Non est igitur se occidere, sed certo periculo mortis se committere, quam non tenetur impedire per medium adeò difficile, quale est suum proximum in periculo relinquere, & non juvare. Præterquam quod ex causa honesta, & laudabili se tali periculo exponit, quod semper licet. Victoria *relect. de Homic. n. 26. ad 5. argument.* Trullench. *lib. 5. cap. 3. dub. 3. n. 10.* Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 6. n. 31.* Lugo *disp. 10. sect. 1. n. 48.* Prad. *cap. 20. q. 2. n. 37.* Dian. *5. p. tract. 4. resol. 42.*

Potest quis se præcipitare, vt fugiat incendium.

35 Secundus casus est, an, grassante incendio, possit quis se præcipitem dare, vel in mare, vel inter scopulos, cum periculo certo mortis, quando alia via non potest ab incendio liberari? Respondetur affirmativè, quia non intendit se occidere; sed horrendum illud incendium fuga evadere, & mortem mitiorem amplecti, vt horribiliorem fugiat. Sic Less. *lib. 2. cap. 9. n. 35.* Trullench. *lib. 5. cap. 3. dub. 3. n. 11.* Lug. *disp. 10. sect. 1. n. 50.* Bonac. *disp. 2. q. vlt. punct. 5. num. 8.*

Non posse milites navē incendere, ne veniat in manibus hostium, aliqui dicunt.

36 Difficilior est casus tertius, an nimirum Duces, & milites, qui in bello navali hostes effugare non valent, possint igne navem absumere, ne ipsi, & divitiæ, quæ sunt in navi, in turcarum, vel hæreticorum, aliorumve hostium manus deveniant? Et supponimus, nullam subesse spem, quod ex tali incendio ipsi incendentes effugiant, sed certissimè perituros esse. Si enim aliqua esset spes, quòd se in mari proijciendo, vel ad alias naves transeundo, vel alia via possent liberari, nulli dubium est id licere. Igitur quæsito respondet negativè prima sententia: quia talis actio immediatè, & per se tendit ad occisionem auctorum, & sic propinquius, magisque per se, & directè invadit illos, illisque mortem affert, quàm invadat hostem, vt illi noceat. Imò tantùm consequutivè, & quasi per accidens cedit in hostium perniciem, vel detrimentum; per se autem tendit in mortem, & nocumentum auctoris: ergo illicita est; sicut non licet militi, vt hostem præcipitet, se simul cum illo præcipitare. Sic Ioannes Uvigers *de Iustitia, tract. 2. cap. 2. dub. 18. num. 106.* Sylvius *2. 2. q. 64. art. 5. ad 4.* Prad. *cap. 20. q. 2. n. 34.* nisi in casu raro, quia scilicèt navem incendendo, simul periret Dux oppositi exercitus, & certissima esset victoria. Diana *5. p. tract. 4. resol. 26.* nisi milites certò judicarent se ab hostibus occidendos: quòd contrarium frequenter accidit. Lugo *disp. 10 sect. 1. n. 52.* nisi ob gravissimam causam; & dicit non sufficere periculum servitutis apud hostes, nec vt præda non veniat ad hostium manus, nec vt mortem suam ab hoste inferendam vindicet; sed debere esse causam boni publici, videlicèt si hostes allecti præsenti præda ardentius se præpararent ad alias naves depræ dandas. E contra verò si hac præda privantur, & timeant idem de alijs futurum, posteà non audebunt naves adversarias ingredi, propter periculum similis combustionis.

Probabile est posse milites navem incēdere, ne capiatur ab hostibus.

37 Sed certè, licèt hæc sententia probabilis sit, & securior, omninòque consulenda: quia communis sensus christianorum ab his factis, vt horrendis, & illicitis, videtur abhorrere: cæterùm probabilis est etiam sententia Lessij *lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 34.* Bonac. *supr. n. 5.* Trullench. *num. 11.* Malderi *2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 19.* Fagundez

dex *in Decalog. tom. 1. lib. 5. cap. 11. n. 14.* asserentium, licere navem incendere, vt hostes ingressi pereant, & ne navis, & eius bona cũ dedecore Principis, & hostium ditatione, ad eorum manus perveniant, vnde audaciores, & ditiores fiant inimici eius: exemplo Eleazari ab scriptura laudati 1. *Machab. 6.* qui elephantem, à quo videbat se supprimendum, occidit: & exemplo Samsonis, qui, vt interficeret hostes populi, evertit domum, cuius ruina ipse obrutus interijt. Quem licèt D. Thom. & D. Augustin. excusent, quòd Spiritus Sanct. inspiratione id fecerit, hac via alij etiam ipsum excusant, vt scilicet hostes debilitaret, & mortem ab ipsis inferendam in eorum perniciem vindicaret.

Probationes sententiæ præcedentis.

38 Et probatur primò hæc sententia: quia licitum est militibus inijcere ignem in pulverem tormentarium ad evertendam turrim hostilem, etsi certò sint obruendi: quia non seipsos interimunt, sed impetus ignis, vel turris ruina, quibus se milites ob justissimam causam exponunt, vt tenent Dian. Fagundez, Trullench. Bonac. Less. Lug. quamvis hic Author limitet ad casum, quo probabile sit, vt qui ignem illum inijcit, evadat periculum, & ruinam, quomodo fit communiter eversio turrium, ac mœnium hostium: alij verò ex communi sententia absque hac limitatione id dicunt: ergo similiter in nostro casu. ¶ Secundò, quia incendentes navem casu dicto, se non intendunt perimere positivè, & directè, sed pro bono communi, & authoritate sui Regis, directè intendunt enervare hostem, contra quem bellum justum gerunt, illumque privare illa præda, ne posteà fiat insolentior, licèt concommitanter, & per accidens ipso facto mortem subeant, non à se, sed ab incendio causatam. Unde sicut non licet pollutionem, aut aborsum intendere, licet tamen sumere potionem directè tendentem ad conservationem vitæ, & salutis, licèt obiter semen expellendum sit, vel aborsus sequatur: sic in nostro casu. ¶ Tertiò, quia secundum Authores contrariæ sententiæ, in casu quo Dux exercitus contrarij esset occidendus, & victoria inde certa, liceret navi ignem modo dicto applicare, vel in casu, quo milites essent certo ab inimicis occidendi, vel in casu, quo magnum bonum commune inde sequeretur: ergo talis actio non tendit per se, & directè ad necem authorum: quia in nullo casu est licitum directè, & per se occidere: ergo solum indirectè, & quasi per accidens sequitur eorum occisio: cum ergo licitum sit se exponere periculo certo mortis, ex quo mors indirecte sequitur ex causa gravi, & justa, sequitur licere in dicto casu combustionis navis, etiamsi mors militum ab inimicis inferenda non timeatur, sed ne captivi fiant, ne inimici ditiores, & audaciores reddantur, ne fama Principis periclitetur: quæ sunt justissimæ causæ, vt quis se exponat mortis evidenti periculo.

Non posse pro amico vitam exponi, aliqui dicunt.

39 Ultimus casus est, an licitum sit exponere propriam vitam pro conservanda vita amici, aut bonis eius? Ut si tu extremè indigeres, an posses amico etiam extremè indigendi panem dare, quo indigebas omninò ad vitæ conservationem? An possis te objicere telo ad caput amici tendenti, vt liberes illum? An liceat occurrere hostibus, aut bestiæ furenti, vt amicus evadat? An equum in bello tradere, vt evadat, quo indigebas ad te liberandum? Et alijs casibus. Aliqui negativè respondent: quia mensura est perfectior mensurato: sed dilectio sui est mensura dilectionis proximi, Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: ergo nemo potest pro amico vitam exponere, quia præferret id, quod imperfectius est perfectiori. ¶ Sed immeritò, quia, vt inquit Sotus *lib. 5. de Iust. q. 1. art. 6.* non est contra ordinem charitatis ponere vitam corporis pro amico: ordo siquidem charitatis duntaxat petit, vt bona gratiæ, & virtutes priùs velimus nobis, quàm proximo; non verò petit, vt cætera bona, nimirum vitæ corporalis, famæ, honoris, aut divitiarum priùs nobis, quàm proximo velimus.

Vetius est pro amico vitam posse exponi.

40 Quare dicendum est, quod pro conservatione vitæ amici (& idem cum proportione dicẽdum est de illius bonis, pro quibus vitam exponere possumus, sicuti pro conservatione nostrorum), Patris, Principis, aut alterius personæ præcellentis, bono communi multùm necessariæ, possumus modo dicto propriam vitam exponere; non verò pro alijs extraneis. Et ratio est, quia licet non teneamur vitam pro alio privato homine exponere (illud namque præceptum 1. Ioan. 3. *Debemus pro fratribus animas ponere*; intelligitur de bono spirituali proximi, quando est in extrema necessitate illius, cui etiam tum periculo vitæ tenentur Prælati incumbere) est tamen de perfectione charitatis vitam profundere pro bono virtutis, pietatis, observantiæ, vel amicitiæ, juxta illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo pro amicis, parentibus, Principibus, aut præcellentibus personis vitam exponere, laudabile est. Hoc enim licèt stultitia sit huius mundi, apud Deum est maxima prudentia, non sic pro extraneis, vitam expendere: quia, vt inquit D. August. *lib. 6. de Amicitia, cap. 10.* quando bonum proximi cum altera ratione virtutis conjungitur, nimirum pietatis, observantiæ, amicitiæ, ordo dilectionis ab amico debet inchoare; aliter esset dementia, inordinatio, & temeritas pro altero vitam exponere. Prado *cap. 20. q. 2. n. 37.* Lorc. 2. 2. *q. 26. art. 5. sect. 3. disp. 28.* Bonac. *disp. 2. q. vlt. sect. 5. punct. 5. n. 5.* Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 6. n. 29.* Tap. *lib. 3. q. 2. art. 6. n. 4.* Lug. *disp. 10. sect. 1. n. 49.* Villalob. *tract. 12. diff. 7. n. 8.* Quamvis etiam pro alijs proximis licitum esse vitam exponere, doceat Sotus *loc. cit.* Cordub. Victor. Azor, quos refert, & sequitur Diana 5. *p. tract. 4. resol. 28.*

PUNCTUM III.

Utrùm mutilatio membrorum aliquo in casu sit licita?

Nemo membrum, nisi perniciosũ, potest abscindere.

41 DIvus Thom. 2. 2. *q. 65. art. 1.* tria docet circa hoc Punctum, quæ ab omnibus sunt recepta; & ideò absque citatione aliorum in medium illam proponemus. Primò dicit S. Doctor, quod membrum sanum nemo potest mutilare privata authoritate, aut permittere quod ab alio mutiletur; & sic peccaret mortaliter, qui à se manũ, nasum, oculos, aliudve membrum abscinderet ex quocumque motivo id faciat, & qui tale membrum ab alio tolleret, etiam ipso consentiente: quia homo non est dominus membrorum, sed administrator, vt conducit ad bonum totius. Potest tamen à Iudice mutilari in pœnam delicti: quia sicut potest authoritate publica tota vita privari in pœnam gravioris criminis, ita vita partiali membrorum in pœnam delicti minùs gravis. ¶ Secundò docet Divus Thomas, quòd membrum putridum, & totius

tius corruptivum, potest privata auctoritate abscindi, vel ab eo, qui ipsum habet, vel ab eo, qui curam eius gerit, vt à parente, tutore, vel etiam à republica, si sit expediens bono communi (non verò ab altero, ipso invito) quia membrum est propter totum, quippè pars illius: & ideò quando totius periclitatur salus, ab eo, qui totius curam gerit, potest abscindi.

Obseruandā castitatem, nō licet castrari.

42 Tertiò docet, quòd propter peccatum vitandum, in nullo casu licet membrum abscindere, nimirum se castrare, aut virilia amputare (de quo solet esse quæstio) ob seruandam castitatem: quia non est membrum abscindendum propter salutem totius, nisi quando aliter non potest toti subveniri: & ideò si salus corporalis posset aliunde haberi, non posset membrum præscindi; sed ad conservationem castitatis non est illud medium necessarium, vel ad vitanda peccata: cum omnia voluntati hominis subiaceant, qui ieiunijs, vigilijs, abstinentijs, alijsve laboribus potest melius se juvare ad castitatis obseruantiam, quàm per mutilationem sui, quo modo non tentationes fugat, sed auget: nam maximas pati spadones probant Doctores diversis Patrum testimonijs, specialiter D. Basilij, & D. Chrysost. inter quos videndus est Basil. Pontius *de Matrimon. lib. 7. cap. 67. à num. 1.* & colligitur ex illo Ecclesiast. *cap. 20. Cuncupiscentia spadonis devirginavit juvenculam.* Et *cap. 30. Sicut spado complectens virginem, & suspirans.* ¶ Eo, vel maximè, quia membra à Deo creata non afferunt homini perniciem (alioqui Deus malè ordinatam naturam condidisset, quod dicere blasphemum est) sed malitia, & negligentia nostræ voluntatis. Vnde qui ob talem causam membrum mutilant, tacitam quandam blasphemiam, & injuriam Deo irrogant. Et sic meritò in cap. *Si quis à Medicis, dist. 55.* ex Concilio Nicæno reprobatur factum Origenis, qui virilia sibi abscidit ad seruandam castitatem, vt refertur *lib. 6. historia Ecclesiast. cap. 6.* & à Baron. *tom. 2. anno 268.*

Obiectiones contra dicta proponūtur.

43 Sed obijcies illud dictum Christi Domini, Matth. 19. *Sunt qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Et illud Matth. 4. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Et D. Hieronymus *in vita S. Pauli primi Eremitæ*, summoperè laudat factum cuiusdam Martyris, qui à meretrice provocatus, linguam abscidit; & in faciem petulantis fœminæ expuit: & de S. Marco Anachoreta scribitur, quòd ne sacris initiaretur, pollicem sibi præ humilitate amputavit: & de pluribus Sanctis Virginibus legitur, sibi oculos, nasum, &c, abstuliſſe, vt deformarentur, & à solicitatoribus liberarentur.

Solvuntur dictæ obiectiones.

44 Respondetur ad id, quod de personis Sanctis legitur, ipsas, vel potuisse huius veritatis habere ignorātiam invincibilem, vt diximus *n. 21.* vel (quod vetius est) id fecisse ex speciali instinctu Spiritus Sancti; & cùm sint extraordinarij casus, non debent trahi in consequentiam, *regula 28. juris in 6. Quæ à jure communi exorbitant; nequaquam in consequentiam sunt trahenda.* Illud autem dictum Christi Domini de abjectione oculorum, intelligitur communiter à Sanctis Patribus, non de corporali abjectione, sed de spirituali, nempè de remotione occasionum, & periculorum huius vitæ: & illud *Matth. 19.* intelligitur de castratione per remotionem totius venerei appetitus, & per obseruationem perfectam castitatis, vt explicant Basil. & August. & Chrisostom. relatus à D. Thom. *quæst. 61. art. 1. ad 3. Unde Chrisostom.* (dicit D. Thom.) *exponens illud Matth. 19. Sunt enim eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum: dicit, non per membrorum abscisionem, sed malarum cogitationum interemptionem: maledictioni enim est obnoxius, qui membrum abscindit; etenim homicidæ sunt, qui talia præsumunt.* Et postea subdit: *Nec concupiscentia mansuetior fit, sed molestior: aliunde enim habet fontes sperma, quod in nobis est, & præcipuè à proposito incontinenti, & mente negligente, nec ita abscisio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frænum.*

Ob suavitatē vocis cōservandam, castrari non licet.

45 Et si fortè roges, an possit quis licitè permittere, quòd castretur ad suavitatem vocis conservandam, qua redditus annuos in totam vitam lucrari possit; vel an parentibus maximè pauperibus liceat filios ad hunc finem castrare? Et quidem, invitis filijs, & repugnantibus, omnes asserunt non licere, quia filius in electione status est liber; qua libertate privatur per talem actionem: sed an ipsi possint consentire, vel ipsis consentientibus à parentibus castrari, quæstio est. Ad quam respondet affirmativè Salon 2. 2. *quæst. 65. art. 1. controv. 2.* Pasqualig. *decis. 498.* Trullench. *lib. 5. cap. 3. dub. 4. num. 4.* quia eunuchi vtiles sunt bono communi ecclesiarum, propter suavitatem vocis; & ipsis hoc maximè congruit, per quod tantum emolumentum accipiunt. ¶ Sed si hæc ratio aliquid probaret, probaret etiam, quòd si Rex in palatio (vt olim fiebat) nollet intimos famulos admittere, nisi eunuchos, licitum esset castrare filios ad talem commoditatem capiendam, & vt Rex decenter serviri posset; quod pertinet ad bonum commune: quod nullus docet. Si enim pro salute spirituali animæ, & vitandis periculis peccati id non licet, quanto minus pro emolumento temporali? Nec est bonum tanti momenti illo medio vocem conservare, vt ob id res tàm aliena, & à natura reprobata accipiatur; & ideò omninò illicitam esse talem castrationem, docet Prado *cap. 20. quæst. 5. num. 11.* Villalob. *tract. 12. diffic. 17. num. 4.* Lugo *disp. 10. sect. 1. num. 23.* Lezana *tom. 3.* verb. *Homicidium, num 4.* & verb. *Irregularitas, num 75.* Bonac. *de Censur. disp. 7. q. 2. punct. 2. n. 34.* Dian. *6. p. tract. 6. resol. 35.* & *tract. 8. resol. 36.* & *7. p. tract. 7. resol. 63.* & *p. 9. tract. 8. resol. 45.* & videtur velle D. Thom. *art. 1. cit.* vbi asserit omninò illicitam esse abscisionem membri, nisi quando aliter toti subveniri non potest.

Abscindi non posse membrum ob evitandam mortem ab extrinseco, aliqui dicūt.

46 Sed hinc oritur gravis quæstio, an quando aliter non potest vitæ totius subveniri, nisi abscisione membri, possit quis membrum sanum à se abscindere? Et est principalis quæstio, quando violentia omninò ab extrinsecò provenit; vt si tyrannus alicui minaretur mortem, nisi linguam dentibus secaret, nisi manum sinistram dextera abscinderet, aut aliud membrum mutilaret. Negat prima sententia, posse sic minatum membrum sanum per seipsum à se abscindere. Tùm, quia, cùm nulla intrinseca causa cogatur, sed solùm ab extrinseca tyranni malitia, videtur consentire injuriæ naturæ intentæ ab ipso, absque vlla intrinseca necessitate abscindendi membrum. Tùm etiam, quia non sumus membrorum domini, sed custodes: ergo pro arbitrio tyranni non possumus ea abscindere. Sic Soto *lib. 5. q. 2. art. 1. §. Hoc autem restat.* Bañ. *2. 2. q. 65. art. 1. fin.* & Arag. *ibi*, Tap. *lib. 5. q. 8. art. 3. n. 5.* Ledesm. *tom. 1. tr. 8. cap. 6. post secundam conclusionem*, Rodrig. *cap. 137. n. 4.* Petr. Navar. *lib. 2. cap. 3. n. 202.*

47 Verior autem est sententia affimativa: quia,

Verius est, ob vitandam totius mortem, posse membrū sanum secari.

quia ita videtur virtus, vt maius bonum minori præferatur, nimirum vita totius conservationi partis cum dolore abscissæ: sic dictat prudentia, nam pars illa peritura esset, pereunte toto: ita charitas etiam erga seipsum, qua plus se, quàm sui partem quis diligit: & ideò abscindendo partem, vt totum conservet, vtilitèr gerit totius corporis; & sui ipsius negotium; nec ob id cooperatur peccato tyranni, sed eligit quod minus malum est, ad evitandum maius: sicut qui parato occidere hominem consulit, vt abscisione manus contentus sit, non ob id peccato illius cooperatur, sed vt minus malum eligat, prudenter consulit: sic in præsenti casu. Præterquam quòd ex suppositione malæ voluntatis tyranni redimeret suam vexationem, &, vt vitam conservaret, hac quasi medicinali abscisione vteretur, quæ licita esset ex parte exequentis cum talibus circumstantijs, quamvis ex parte mandantis esset mala. ¶ Et confirmatur hoc, quia potest quis suum membrum secare, quod vipera, vel aspis momordit, si non occurrat aliud remedium procurandæ salutis. Similiter qui in vinculis detinetur, vt se absolvat, potest membrum amputare, quando videt esse occidendum. Similiter qui à flammis esset comburendus, vel captus à latronibus, & ab eis occidendus, aut à feris dilacerandus, nisi se expediat, potest membrum secare, vt fugiat: potest etiam è turri se dimittere, ne pereat incendio, quando aliter evadere non potest, etiamsi certè prævideat brachium, aut crus fore perfringendum. Si manum habeat alligatam ad palum, & videat feram venientem ad dilacerandum, vel grassans incendium, potest illam evellere, vt effugiat, vt omnes asserunt: quia semper pars toti est præferenda; & ad conservationem totius licitè parti vita abscinditur: ergo similiter in nostro casu: nam quòd ab intrinseco, vel ab extrinseco à fera, vel ab homine vis inferatur, parum interest ad intentum, dummodò sectio partis ad totius conservationem conducat. Sic Lessius *lib.2.cap.9.dub.14.n.101.* Toled. *lib. 5. cap. 9.* Villalob. *tract.12.diffic.17.n.6.* Diana *5. p. tr. 4. resol.32.* Dicast. *lib.2.tr.1.disp.10.n.556.* Prad. *cap. 20.q.5.n.9.* Serra *2.2.q.61.artic. 1. dub. 1. concl.1.* Trull. *lib.5.cap.4.dub.4.n.3.* Lug. *disp.10.n.22.* Bonacin. *de Restit.disp.2.q.vlt.punct.6.n.4.*

Difficilis objectio, & illius solutio.

48 Sed objicies, quòd non minus respublica habet administrationem vitæ suorum civium in ordine ad commune bonum, quàm quilibet particularis suorum membrorum in ordine ad conservationem totius: & ideò quando cives sunt nocivi reipublicæ, vt sunt malefactores, potest eos de medio tollere, & potest eos exponere periculo mortis, si expediat bono communi: & tamen si tyrannus minaretur incendium reipublicæ, nisi ipsi caput innocentis traderet, non posset respublica eum occidere, ac decapitare, licèt non teneretur eum defendere, vt cum D. Thom. *2.2.q.64.art.6.* & communi sententia dicemus puncto sequenti: ergo nec poterit quis ad conservandam vitam totius, membrum vivum, & toti non nocens abscindere, per hoc quòd à tyranno ob id morte totius minaretur. ¶ Respondetur indubitatum esse, diversam esse administrationem, quam quilibet habet respectu suorum membrorum, ac respublica respectu vitæ civium, cùm in casibus numero præcedenti relatis licitum sit directè, & per se membrum sanum secare ad conservationem totius; & nullo casu licitum sit directè, & per se occidere innocentem, etiam ob bonum commune. ¶ Disparitas ergo est, quòd respublica solùm politicum regimen habet respectu civium, qui in se diversa jura, & dominia possident. Unde directè non potest eos privare jure, quod habent ad vitam, nisi quando ipsi ratione sui, & non ratione malitiæ alterius sunt nocivi bono communi. Cum ergo innocens per se, & ratione sui nunquam noceat bono communi, non habet potestatem respublica per se, & directè occidendi eum. At homo habet administrationem naturalem suorum membrorum in ordine ad sui vtilitatem, vt de partibus disponat sicut conveniens est ipsi toti: quia partes naturales non habent proprium jus, sed per dominium totius gubernantur in ordine ad vtilitatem illius; ideòque sive ex se nocivæ sint, sive non, si toti expediens est, quòd abscindantur, abscindendæ sunt, in quo nullo jure privantur, nec eis fit aliqua injuria, cuius sunt incapaces.

Tenetur infirmus pati abscisionem membri sine magnis doloribus secandi.

49 Restat denique examinare, an quando membrum est putridum, excidium totius causans, teneatur infirmus illius pati incisionem, saltem superiore præcipiente? Et quidem si exigui futuri sint dolores, & abscisio de consilio Medicorum necessaria sit ad vitam tuendam, omnes asserunt teneri: at regulariter, si mentis compos fuerit, non poterit alius, ipso invito, tale membrum abscindere: quia homo est sui juris quoad custodiam membrorum sui corporis: ergo etiam propter bonum illius non poterit ei inferri violentia, quando est suæ mentis compos: poterit tamen, si non esset: & etiamsi esset, ab eo, qui curam illius gerit, vt à republica, si sit vtilis ipsi, à parente, si sit sub illius potestate, à domino, si sit eius mancipium: quia ad eos pertinet eius cura, & vitam ipsius conservare, etiam cum aliquo detrimento corporali.

Cum magnis doloribus nemo tenetur pati abscisionem membri.

50 Si autem magnis doloribus scisio esset facienda, nec tenetur infirmus eam pati ob conservationem vitæ, nec posset hoc respublica, aut Prælatus illi præcipere, nisi esset persona multùm necessaria bono communi: quia tunc, & infirmus illam pati scisionem teneretur, & respublica, aut Prælatus id præcipere posset, cuius mandato tenetur infirmus obtemperare, si remedium esset omninò certum ad illius vitæ conservationem: quia ob bonum commune sicut debet quilibet periculo mortis exponi, sic dolores, & cruciatus perpeti. Præcisa autem hac magna convenientia boni communis, non teneretur ob conservationem vitæ membrum secari permittere: quia, vt dicebat ille Romanus, cui crus cum ingenti dolore aperiebatur: *Non est tanto dolore digna salus.* Non enim quis tenetur per media extraordinaria, & horrenda vitam conservare: nec potest à Prælato, vel alio Superiore hoc præcipi: quia iste actus est nimium heroicus; & sic non cadit sub imperium Prælati, ob eius ingentem difficultatem. Sic Sotus *lib.5.q.2.art.1.§. Sed numquid,* Prado *cap.20. q.5.n.5.* & *6.* Bañez *2.2.q.65.art.1.* Trullench. *supr. n.4.* & *5.* Lugo *n.21.* Less. *lib.2.cap.9.dub.14.n.97.* Villalob. *tract.12.diffic.17.n.3.* Bonac. *disp.2.q.vlt. sect.1.punct.6.n.2.* Tapia *lib.5.q.8.art.2.* Dian. *5. p. tract.4.resol.32.*

PUNCTUM IV.

Utrùm liceat aliquando innocentem interficere?

51 DUpliciter potest intelligi, quòd innocens occidatur; vel directè, & per se, per actionem ad hoc ordinatam; vel indire-

directè per actionem tendentem ad alium finem, ex qua innocentis occisio sequatur. De vtroque modo dicemus in præsenti. Cæterùm innocens, qui occiditur, potest iam esse in lucem editus, & potest intra materna claustra adhuc contineri, & tunc per abortum dicitur occidi. Agemus priùs de illo, postmodùm de isto disputabimus.

§. I.

Innocentem directè occidere in nullo casu permittitur, in aliquibus licet indirectè.

Innocēs directè occidi in nullo casu potest.

52 NOn posse innocentem directè occidi, vel privata auctoritate, vel publica, etiamsi bonum commune ob id periclitaretur: quia nimirum tyrannus minaretur excidium vrbis, nisi caput innocentis sibi traderetur, aut sibi constaret de ipsius morte, omnium est sententia cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 6. Et ratio Sancti Doctoris est: quia respublica solùm habet auctoritatem ad cives occidendos, qui per se, & ratione sui nocivi sunt bono communi. At innocens ex se minimè nocet bono communi, sed potius illi proficit: & si in casu, quo tyrannus minaretur destructionem vrbis, nisi innocens occideretur, tunc innocens videatur pernicios ipsi reipublicæ, id non habet ex se, & ratione sui, sed ob malitiam tyranni, cui videtur respublica cooperari innocentem occidendo. Unde sicut non liceret reipublicæ sacramenta profanare, blasphemias dicere, aut idolis thus adolere, etiamsi à tyrano minaretur, ob id incedendam esse, quia illud intrinsecè, & ex se est malum: ita non posset innocentem occidere; quod per se, & ab intrinseco est malum, etiamsi timeret totaliter destrui. Sic Bañez 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 6. Magister Fr. Ioann. à S. Thoma *ibi, disp.* 17. *art.* 2. Lugo *disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 104. Dicastillus *tract.* 1. *disp.* 10. *num.* 133. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 36. Villalob. *tractat.* 9. *diffic.* 12. *num.* 2. Trullench. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 3. *numer.* 5.

Quadruplex objectio cōtra dicta.

53 Sed sunt contra hoc difficiles objectiones. Prima, quòd Iudex potest occidere eum, quem scit esse innocentem, si secundum allegata, & probata probetur nocens; & carnifex ex mandato eius potest eum occidere: ergo iam datur casus, in quo sit licitum verum innocentem occidere. ¶ Secundò, quia potest respublicâ suorum civium vitam exponere ob communem salutem: ergo vitam alicuius eripere ob commune bonum. ¶ Tertiò, quia, vt constat ex 4. *Reg.* 10. viri Samariæ interfecerunt septuaginta filios Achab timore belli, quod Iehu illis minabatur, quæ occisio placuit Deo. Et *Iosue* 6. dicitur, filios Israel omnes infantes, & lactentes interfeciſſe, qui proculdubio erant innocentes. ¶ Quartò potest miles in bello justo dirigere tormentum in locum, vbi videt innocentes ad obtinendam victoriam, quod nil aliud esse videtur, quàm ipsos innocentes occidere.

Trium objectionum solutio.

54 Ad primam objectionem constabit, cùm de obligatione Iudicis agamus. Interim audiatur D. Thomas, qui *dicto art.* 6. *ad* 3. sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quòd Iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, vt inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat, secundum allegata sententiam ferens: quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserant nocentem.* ¶ Ad secundam dicimus, posse quidem rempublicam civium vitam exponere: imperando justam defensionem ad patriæ salutem necessariam, quod per se ad bonum commune conducit; non sic mors innocentis, quæ solùm ex malitia tyranni ad id habet conducentiam. ¶ Ad tertiam dicimus, quòd in vtroque casu filij Israel ex Dei ordinatione (qui dominus est vitæ, & mortis) innocentes occiderunt. In primo quidem, quia omnem progeniem Acab voluit delere, 2. *Paralipom.* 22. quod Iehu intimatum est, & per ipsum habitatoribus Samariæ. Et in secundo, quia ita fuit à Deo Iosue imperatum.

Quartę objectioni fit satis.

55 Ad quartam dicimus, quòd in dicto casu non occidit miles innocentes ex intentione, sed præter illam: quia ille solùm intendit demoliri vrbem, quòd licitè potest, vt victoriam consequatur, per accidens autem est, quòd innocentes ob hoc occidantur, qui ibi sunt: ideoque dirigere potest tormentum ad locum conveniens, etiamsi ibi pueros, alioſve innocentes collocent adversarij. Aliàs si id non posset, nunquam consequeretur victoriam, cùm hac via possent inimici se liberare. Ita Soto *lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 2. Lugo *num.* 223. Villalob. Bañez, Dicastillus, Lessius, & Trullench. At si innocentes intra castra obsidentium essent, interfici non possent; vt Civitas tradi cogeretur, vt tradunt hi Auctores. Nec similiter post partam victoriam poterunt milites ingredientes Civitatem, innocentes illius interficere, quia isti nulli faciunt injuriam. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 105. *art.* 3. *ad* 4. & judicantur innocentes, nisi aliud constiterit, pueri, mulieres, Presbyteri, monachi, conversi, peregrini, mercatores obiter transeuntes; secùs si incolæ fuerint, vt constat ex cap. *Innovamus, de Trégua, & pace*: & illi omnes, qui non possunt arma sumere, & ad bellum juvare.

Posse respublicâ innocentē tyranno tradere, aliqui dicunt.

56 Sed maior difficultas est, an si tyrannus minaretur destructionem vrbis, nisi tradatur ei innocens, posset Civitas illum tradere; vel si timeret fugam capessendam, & ob id Civitatem destruendam, posset eum occidere? Prima sententia duo dicit. Primum, quòd non potest respublica innocentem tradere tyranno, à quo scit occidendum, immediatè, & per se: quia hoc esset illius injustitiæ cooperari. Sed posse, inquit, eum obligare, vt se tradat, & si noluerit, aut quòd fugiat timeatur, iam non est innocens, & sic posse eum occidere. Et quidem rempublicam in casu, de quo loquimur, non teneri innocentem protegere, sed posse eum deserere, omnes asserunt: quia non tenetur eum tueri cum tanto detrimento sui, & communis boni periculo. Imò ipsum innocentem non teneri se defendere, omnes dicunt: quia cessat in ipso præceptum conservandi propriam vitam ob vitandum maximum nocumentum reipublicæ. Quod autem ipse teneatur tradi tyranno, & hoc illi possit præcipi à republica, & consequenter (si noluerit) quod potest ipsa eum tradere, probatur: quia talis ob charitatem, & pietatem in patriam egredi tenetur, & vitam periculo exponere ob bonum commune: præterquam quòd datur præceptum naturale conservandi bonum commune cum detrimento proprio per media, quæ ipse licitè facere potest, vt est istud egrediendi ab vrbe,

in quo nullum malum intrinsecum apparet : ergo potest cogi à republica per præcepta, vt egrediatur. Quia respublica cogere potest, vt civis id efficiat, non solùm quod ex justitia, sed quod ex alijs virtutibus tenetur facere, vt ad vendendum triticum tempore famis, ad non fornicandum, vel non blasphemandum. Sic Bañez 2.2. *q.64. art.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 7. *n.* 38. Ledesm. 2. *tom. tract.* 8. *cap.* 18. *post* 7. *concl.* Dicast. *lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 10. *à n.* 140. Trullench. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 7. Villalob. *tract.* 12. *diff.* 9. *n.* 2. Lugo *disp.* 10. *sect.* 4. *n.* 113. Diana 5. *p. tract.* 4. *resol.* 23.

Verius est, non posse respublicã tradere innocentẽ tyranno.

57 Nobis autem placet contraria sententia, negans, aut innocentem teneri exire, & se tradere tyranno, aut rempublicam ad hoc ipsum cogere posse; proindeque nullo modo posse eum interficere, aut tyranno occidendum tradere. Primò, quia innocentem tradi tyranno, est ad ipsius necem cooperari, non enim alia ratione cooperarentur satellites tyranni, si innocentem apprehenderent, & illum ipsi traderent, vt omnes dicunt : ergo hoc est intrinsecè malum, nullo modo à republica licitè factibile: sicut non posset virginem, quam tyrannus corrumpendam peteret, illi tradere, etiamsi minaratur civitatis excidium; nec libros sacros ad comburendum, aut sacramenta ad profanandum: quia talis traditio esset malitiæ, & peccato cooperari, & sic est intrinsecè mala, quæ nunquam licet: sic in præsenti. ¶ Secundò ad hominem contra Auctores oppositæ sententiæ sic argumentor: nam ipsi dicunt, non posse rempublicam immediatè tradere innocentem tyranno, nisi ipse renuat id facere post mandatum illius; nam vel hoc, quòd est tradi innocentem tyranno, est intrinsecè malum, & nullo modo denudabile à malitia, vel non est malum intrinsecè, sed posset ex fine bono honestari? Si primum : ergo nec ipse innocens poterit tradi tyranno, nec ad hoc tenebitur, aut cogi poterit : quia ad id quod est intrinsecè malum, nullo modo honestabile, nemo teneri, aut cogi potest. Si secundum : ergo poterit, imò tenebitur respublica eum tradere tyranno : quia respublica tenetur omnia media licita ad sui conservationem adhibere; & illa traditio dicitur indifferens, honestarique ex bono fine : & finis optimus est totius reipublicæ perniciem evitare. Sic Soto *lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 7. Aragon 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 3. Turrian. *disp.* 26. *dub.* 2. *num.* 15. Magister Fr. Ioan. à S. Thoma 2. 2. *quæst.* 64. *disp.* 7. *art.* 2. *concl.* 2.

§. II.

Quomodo illicitus sit aborsus, & per eum occisio innocentis?

Quæ certa sunt apud Auctores circa aborsum.

58 RESTAT nunc, vt de occisione innocentis, quæ per aborsum fieri solet, agamus. In quo supponunt omnes Auctores, quod si fœtus fuerit animatus, omninò illicitum est procurare aborsum per media directè, & per se ad expellendam, vel occidendam creaturam ordinata, vt per potionem veneni, dilacerationem, percussionem, vel alia media, quæ per se ad talem effectum conducunt, sed esse peccatum homicidij propriè dicti sic aborsum procurare, & qui ad illum concurrit fieri irregularem, & alias pœnas subire infra assignandas contra procurantes aborsum: quia hæc est occisio injusta per se, & directè hominis innocentis, quæ nullo modo licet ob periculum infamiæ, mortis, vel alterius damni matris, non enim facienda sunt mala, vt inde eveniant bona: *Et* (vt dixit D. Ambros. relatus in cap. *Denique* 14. *q.* 15.) *si alteri subveniri non potest, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvare.* Similiter est certum apud omnes, esse illicitum aborsum procurare antè fœtus animationem, & reduci ad peccatum homicidij, quamvis non sit proprié tale: quia non est actualiter homo, qui occiditur (& idem est de eo, qui quovis modo fœminæ procurat sterilitatem, vel quomodolibet impedit penetrationem, *cap. Aliquando* 32. *q.* 2. *& sequent.*) non tamen fit irregularis, qui sic ad aborsum fœtus inanimitati concurrit : nam, vt optimè inquit Div. Thom. 4. *dist.* 31. *in expositione. literæ* : *Hoc peccatum quamvis sit grave, & inter maleficia computandum, & contra naturam, quia etiam bestiæ fœtus expectant, tamen est minus, quàm homicidium: quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus: nec est judicandus talis irregularis, nisi iam formato puerperio, aborsum procuret.*

Quo tempore fœtus animetur.

56 Sed scire oportet, quo tempore fœtus animetur pro notitia dicendorum. ¶ Et dementia illorum relicta, existimantium omnem fœtum toto tempore, quo intra claustrum maternum existit, vita carere, quod damnatum fuit ab Innoc. XI. vt liquet ex hac propos. q[uæ] erat 35. *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in vtero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Tali igitur improbabilitate deiecta. ¶ Aliqui dicunt ex Hipocrate *lib. de Natura fœtus, num.* 10. masculum, vt longissimè 30. diebus animari, fœminam verò, vt longissimè 45. diebus. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 65. Alij verò dicunt, masculum animari à 30. die vsque ad 45. ita vt aliquando absolvatur animatio 30. die, aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. fœminam verò formari, seu animari à 35. die vsque ad 50. ita vt aliquando absolvatur animatio 35. die, aliquando 40. aliquando 45. aliquando 50. & ratio, cur non eodem tempore in omnibus formetur, provenit ex maiori, vel minori caliditate, aut frigiditate matris. Sic Bonac. *de Restit. disp.* 2. *quæst. vlt. punct.* 7. *sect.* 1. *n.* 5. Filliucius *tract.* 29. *cap.* 6. *q.* 1. *n.* 99. Alij verò dicunt, quòd masculus spatio 40. dierum formatur, fœmina verò spatio 80. sic ex communi sententia, docet Sylvest. verb. *Homicidium* 1. *num.* 3. Azor *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 1. Trullench. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 2. ex Philosopho 5. *animal, cap.* 3. *&* 9. Sed Philosophi mentem explicat D. Thomas 3. *distinct.* 3. *q.* 5. *art.* 2. his verbis: *Maris conceptio non perficitur, nisi vsque ad quadragesimum diem, vt Philosophus in* 9. *de Animalibus dicit: Fœminæ autem vsque ad nonagesimum: sed in commpositione corporis masculi videtur Augustinus superaddere sex dies, qui sic distinguntur secundum eum in epistola ad Hieronymum, &c.* Idem habet *super cap.* 3. *Ioan. lect.* 3. *lit. C.* citans D. Augustinum, & sic huic sententiæ est adhærendum; sed in dubio, an fœtus animatus sit, post 40. dies animatus præsumitur, quia præsumitur vir, quo casu aborsum procurare facit irregularem. Sic Sayr. *lib.* 6. *clavis, cap.* 15. *n.* 9. Trullench. *supr. n.* 2. Prad. *cap.* 20. *q.* 5. *n.* 7. Quæ quæstio ita controversa est apud huius artis peritos, vt vix aliquid certi definiri possit.

Nunc

Licere procurare abortum fœtus inanimati ob tuendam matris vitã, aliqui dicũt

60 Nunc ergo difficultas est, an liceat pharmacum prægnanti dare directè tendens ad faciendum aborsum, quando id ad matris periclitantis curationem necessarium judicatur? Affirmat prima sententia id esse licitum, etiamsi tale remedium non alitèr conducat ad matris vitam, nisi quatenus excutit fœtum non animatum. Sic Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 20. n. 9. & 10.* referens 13. Auctores, Aragon, Layman, Henriq. Reginald. &c. quos refert, & sequitur Dian. *3. p. tract 5. resol. 11. & 5. p. tr. 14. resolut. 90.* Trullench. *lib. 5. cap. 1. dub. 3. num. 1.* Villalob. *tract. 12. diffic. 13. n. 8.* Dicastill. *lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 13. n. 164.* Et probatur primò, quia tunc fœtus est aggressor: nam veluti matrem invadit ad occidendum: ergo licet eum expellere ad sanitatem matris. ¶ Secundò, quia licet abscindere partem ad curationem totius, sed fœtus pars ventris est, quandiu per diversam animam non informatur, *leg. 1. §. 1. ff. de Ventre inspiciendo*: ergo, &c. ¶ Sed hæ rationes etiam probant, licere potionem sumere directè tendentem ad expellendum puerperium iam animatum, quod nemo admittet: quia etiam tunc fœtus invadit, & fortiùs, cùm sit robustior, & plus alimenti absumat, magisque naturam offendat. Et in lege illa indifferenter fit sermo de omni fœtu ante partum, qui impropriè pars dicitur. Quare sicut semen, etiamsi invadat, quando ex abundantia mortem generat, & licèt sit quodammodò pars hominis, non licet illud directè expellere ob sanitatem, sic non licebit fœtum propter illas rationes. ¶ Si dicas, quod fœtus inanimati expulsio non est ita intrinsecè mala sicut pullutio voluntaria, quin possit aliqua causa honestari, cùm in ea delectatio non sentiatur, vt in seminis resolutione: Adverte, quòd pollutio non est mala, & prohibita ob delectationem: aliàs etiam in conjugatis copula esset prohibita; sed potius, è contra, voluptas est mala, & prohibita ob seminis inordinatam effusionem, vt iam dicemus.

Quid sequatur ex doctrina præcedenti?

61 Ex hac sententia (quidquid in oppositum dicat Sanchez, & aliqui ex Auctoribus suprà dictis) sequitur (vt benè arguunt Basilius Pontius, & Lugo Cardinal. infrà citandi) licere directè, & per se aborsum procurare ante animationem fœtus ad tuendam famam, vel vitam mulieris: vt si puella, vel vxorata ex pravo concubitu conciperet, & per manifestationem illius, vel coarctationem fœminæ mortem, vel infamiam timeret; maximè si esset fœmina nobilis, aut virgo Deo sacrata: quia non est ratio disparitatis, quare in infirmitate matris ad conservandam eius vitam posset pharmacum sumi, quo fœtus expellatur, vel aliud remedium ad id adhiberi, & non cùm vita matris, vel honor, & fama ex alijs capitibus periclitatur. Quare ob hanc rationem, & etiã quia si fœtus non est animatus, nulli fit injuria, si procuretur aborsus, vel conceptio impediatur, licere illum directè procurare ante animationem, ad evitandam infamiam matris, vel periculum mortis, docent Torreblanc. *de Magia, lib. 3. cap. 34. n. 10. & in Practicis juris spiritualis, lib. 12. cap. 13. n. 31. & 36.* Leo Zambellus *in Repertorio morali*, verb. *Medicus, n. 1.* Bordon. *in Consilijs regular. resol. 45. q. 4. num. 4.* Zanardus *in Director. Confessar. 1. part. de Sacram. Matrim. cap. 41. quæst. 17.* & probabilem dicit Lezana *tom. 3. qq. Regular.* verb. *Aborsus, n. 5.* Trullench. *lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 1. fine.* ¶ Sed hæc opinio, prima (vt diximus) valde affinis, modò sustineri non potest: quia illam reijcit Innoc. XI. vt constat ex propos. 34. in ipsius Pontif. decreto damnata: *Licet* (aiebat propos.) *procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, vel infametur.* Igitur tu sequentem, & nostram sententiam amplectere.

61 Itaque dicendum est primò, quòd licèt fœtus non sit animatus, semper est illicitum, & peccatum mortale aborsum per se, & directe procurare per remedium per se ordinatum ad expulsionem creaturæ, etiam ad salvandam vitam matris per infirmitatem periclitantis, vel ex alijs capitibus, vel ad tuendam illius famam, vel honorem, quantumvis fœmina nobilis sit, etiam Deo sacrata. Probatur primò ex cap. *Si aliquis 5. de Homicidio*, vbi sic dicitur: *Eum, qui fecerit, vt mulier non possit concipere, vel generare, vel vt proles non possit nasci, vt homicidam tenendum.* ¶ Secundò, quia sicut per se pollutionem procurare est contra naturam generationis, sic aborsum: illud non licet, nec ad sanitatem, nec ob alium finem: ergo nec istud. Unde sicut non licet procurare pollutionem, etiamsi ex abundantia seminis mors timeatur, sic non licebit partum, aut generationem impedire, etiamsi mors matris immineat: quia magis contra naturam generationis est procurare fœtum expellere, quia propinquior est vitæ humanæ, quàm semina nondum commixta, cum ibi iam semen commixtum sit, elaboratum, & in sede primaria ad generationem à natura destinata constitutum. Unde dixit optimè Tertulianus *in Apologet. cap. 9. Nobis homicidio semper interdicto, etiam concepto vtero dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem: homo est, qui futurus est, nam fructus in semine est.*

Directè, & per se nunquam licet abortũ procurare.

63 Conclusionem assignatam, quantùm ad id quod asserit, non licere matri extremè laboranti pharmacum sumere, directè ad expulsionem fœtus ordinatum, ob vitæ conservationem, tenent Candid. *tom. 1. disquis. 1. art. 1.* Serra 2. 2. *quæst. 64. art. 7. dub. 1. post 5. concl.* Prado *cap. 20. quæst. 5. à numer. 15.* Basilius *de Matrim. lib. 10. cap. 13. num. 2.* Lugo *disp. 10. sect. 5. num. 131.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 10.* Bonacin. *disp. 2. quæst. vltim. sect. 1. punct. 7. n. 3.* Covarr. *Clement. Si furiosus, punct. 12. §. 3. num. 1.* Petr. Navar. *lib. 2. cap. 3. n. 140.* Leander *tom. 5. de Irregul. tract. 2. disp. 11. quæst. 2.* ¶ Et in secundo casu, in quo vita, vel fama nobilis mulieris periclitaretur ob eandem rationem: & quia non sunt facienda mala, vt eveniant bona: & sibi imputare debet mulier, quòd per crimen commissum in eas angustias devenerit: tenent, præter citatos Auctores, Tapia *lib. 5. quæst. 7. art. 3. num. 3.* Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 9. num. 9.* Dicast. *lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 13. num. 174.* Ledesma *quæst. 49. de Matrimon. art. 6. dub. 2. concl. 6.* Filliucius *tract. 29. cap. 6. num. 130.* Diana *3. part. tract. 5. resol. 11. & 5. p. tract. 14. resol. 90. & 6. p. tract. 8. resol. 37.* ¶ Et denique Innocent. XI. vt diximus *n. 61. fin.* eam tenere videtur.

Auctores, qui præcedentem cõclusionem tuentur.

64 Dicendum est secundò, quòd si prægnans mulier periculoso morbo laboret, & aliud remedium non superfit, potest pharmacum, vel aliud remedium sumere directè, & per se ad salutem ordinatum, vt venæ sciscionem, ventris purgationem, balnea, &c. quamvis inde aborsum sequi timeatur, sive animatus fuerit fœtus, sive inanimatus: nec tenetur mulier à tali remedio abstinere cum dispendio vitæ, sicut nec natum iam

Remedium causativum indirectè, & per accidés aborsus fieri potest.

iam filium tenetur mulier cum vitæ discrimine alere, aut retinere. Primò, quia mater ante prolem conceptam, habet jus vtendi remedijs necessarijs ad salutem; sed hoc jus non amittit per fœtus conceptionem: ergo suo jure vtitur: & per accidens, & præter intentionem aborsus sequitur. ¶ Secundò, quia sicut ad salutem potest quis vti cibo, aut potu, ex quibus pollutio sequutura cognoscitur: quia non intenditur, & sic per accidens, & præter intenrionem sequuta censetur, sic in præsenti. ¶ Tertiò, quia si quis non potest liberari à morte, nisi conculcando, vel occidendo casu puerum in via sedentem, potest fugere: quia per accidens, & præter intentionem illa mors innocentis sequitur: & qui commisit crimen dignum morte, ob quod, si non se manifestet, damnandus est innocens, & morte plectendus, potest non se prodere, vt suum damnum evitet, & mulier à fera invasa potest fugere cum periculo aborsus: & qui injustè invasus est ab inimico, potest invasorem petere, etiam cum occisione innocentis, quem sumpsit ille, & ante se posuit ad se protegendum. In his, & similibus casibus est licita occisio innocentis: quia fit per accidens, & præter intentionem: sic accidit in nostro casu.

Auctores, qui præcedentem cõclusionem tuentur, & eorum limitatio.

65 Assertionem præcedentem docent Prado *cap.20.q.6.n.20.* Tap. *lib.5.q.7.art.3.n.4.* Villalob. *tract.2.diffic.13.n.8.* Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 20.n.16.* Leand. *de Irregul.tr.2.disp.11.q.4.* Dicast. *supr.num.166.* Lugo *num.132.* Lessius *lib.2.cap. 9. dub.10.n.62.* Trullench. *lib.5.cap.1.dub. 4. num.3.* ¶ Sed limitant hi Auctores, nisi casu, quo probabilis sit spes, vt fœtus animatus ad lucem prodeat, & baptismum suscipiat. In quo casu dicunt, non posse matrem, etiamsi se periculo mortis exponat, remedium ad vitæ conservationem sumere, vnde aborsus timeatur: quia quilibet ordine charitatis tenetur præferre salutem æternam proximi, suæ vitæ temporali, & hanc pro illa exponere. Cæterùm, licet hæc ita sint, optimè monet Sanch. *num.17.* huic casum rarissimum esse, & moralitèr impossibilem: quia matre lethaliter ægrotante, humores corrumpuntur, & inficiunt alimentum, quo fœtus nutriendus erat, ita vt penè miraculum sit, matre pereunte, fœtum incolumen permanere. Sequitur in hoc Sanch. & Lugo *n.135.* Diana *5.p.tract.5.resolut.11.* Sed non esse ita rarissimum, dicit Dicastillo, quia, ipso præsente, bis contigit: & posteà refert casum in quo Chirurgus adfuit, & Presbyter: ille, vt matrem mortuam secaret; hic, vt fœtum extractum baptizaret, & vtrumque factum est.

Quid in casu, quo puer perium baptizari speretur.

66 Sed doctissimus P.M. Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.2.cap.20.q.5.num.24.* sic optimè circa hanc materiam loquitur. (Ex alia parte hæc obligatio abstinendi ab his medicamentis, propter baptizandum puerum mortua matre, videtur dubia: quia præceptum exponendi vitam corporalem pro salute spirituali proximi exigit, quòd vita nostra sit simpliciter necessaria ad illum finem, vt cum Magistro Soto diximus *cap.15.q.15.n.33.* quod in hoc casu rarissimum est. De quo Campensis *tom.2.tr. 18. sect. 5.n.139.* Cuius verba affert Diana *7.p.tr.5. resolut. 38.* Sæpè etiam est dubium, an puer prius moriatur in ventre matris propter alimentum infectum, quàm edatur in lucem, vt possit baptizari. Dubium item est de peritia Chirurgi, ne quando mortuam matrem resecat, forte occidat parvulum. Et ideò in curandis prægnantibus non judico Medicos nimis scrupulosè se debere gerere. Imò sæpè tenentur hæc medicamenta adhibere, dum directè medicina non tendat ad necem.) Hactenus sapientissimus Magister.

§. III.

De pœnis contra aborsum procurantes in jure stabilitis.

Pœnæ, quæ de facto nũc extant contra procurãtes aborsũ.

67 QUandam rigorosissimam, tametsi justissimam, constitutionem contra omnes procurantes aborsum, sive fœtus sit animatus, sive non, pœnas gravissimas continentem, edidit Sixtus V. anno 1588. incipientem: *Effrænatam*; quam posteà moderavit Gregor. XIV. (non XIII. vt dicit Dicastillo, nec XV. vt alij) in constitutione ab ipso edita anno 1592. incipiente: *Sedis Apostolicæ*; vbi has tres pœnas contra procurantes aborsum, si fœtus sit animatus, assignat (præter illas, quæ ex jure communi contra eos assignantur, vt pœna mortis, *leg.penult.C.de Secarijs*, leg. *Divus 4.ff.de Extraordinarijs criminibus.*) Prima est irregularitas homicidij voluntarij, sedi apostolicæ reservata, sequuto ipso effectu abortionis. ¶ Secunda, contra procurantes aborsum fœtus animati, præbentes auxilium, vel consilium, assignat maiorem excommunicationem ipso facto incurrendam, quam Sixtus V. assignaverat, & reservaverat eius absolutionem sedi apostolicæ, nisi pro articulo mortis. Sed Gregor. XIV. relinquens excommunicationem, sustulit reservationem, & eius absolutionem commisit Episcopis, vel alijs Confessoribus ab ipso assignatis, & ad hoc specialitèr deputatis. ¶ Tertiò assignavit privationem officij, & beneficij, & cuiuscumque dignitatis ecclesiasticæ obtentæ, & inhabilitatem ad alias in posterum obtinendas ipso facto incurrendam: & ideò talem abortionem procurans, consulens, mandans (effectu sequuto) tenetur omni modo possibili quascumque dignitates, officia, aut beneficia obtenta statim modo convenientiori relinquere. Ut inquit Tapia *lib.5.q.7.art.7.* Villalob. *tom.2.tract. 12. diffic. 14.* Sed hoc intellige post sententiam Iudicis, saltem declarativam criminis, propter *dicta tract. 11. de Legibus, cap.2.n.59.* Alias vero dignitates, vel beneficia in posterùm obtinere non potest absque dispensatione sedis apostolicæ, nam est inhabilis ipso facto ad illas, etiam ante omnem sententiam Iudicis, propter ibidem *n.62.* dicta.

Nõ incurrit dictas pœnas, qui aborsum fœtus inanimati procurat.

68 Sed inquires primò, an excommunicationem contra procurantes, vel auxilium, aut consilium præbentes ad aborsum, & alias pœnas modo assignatas, incurrant, qui ante fœtus animationem aborsus causæ existunt? Respondetur negativè, quia licèt Sixtus V. etiam hos in sua constitutione comprehenderit, Gregorius verò XIV. in sua illam limitavit ad procurantes aborsum fœtus animati, effectu ipso sequuto. In dubio autem, an fœtus animatus fuerit, vel non (vt diximus *n.59.fine*) judicandus est animatus post quadraginta dies: quia masculus præsumitur. Igitur, si animatus non fuerit, nec fit irregularis, nec excommunicationem incurrit, nec privatur beneficijs, vel inhabilis fit ad alia aborsum procurans, etiamsi effectus sequatur. Tapia *supra n.3.* Villalob. *n.3.* Prad. *cap.20.q.6 n.77.* Trullench. *lib. 5. cap. 1. dub.4.n.8.* Dicast. *tract.1.disp.10.n.180.* Lugo *lib.2. Respons.moral.dub.4.n. 2.* & est communis. Et idem est de procurante sterilitatem fœminæ, vel quomodolibet generationem impediente.

Inqui-

Mulierem pregnantem procurãtem abortum, incurrere excommunicationem, dicunt aliqui.

69 Inquires secundò, an excommunicationem illam impositam contra procurantes abortum fœtus animati, incurrat ipsa mulier gravida, si per potionem, vel alia media sibi abortum procurat? Affirmat prima sententia communis. Primò, quia ita est vsu, & praxi receptum. Secundò, quia in ipsa bulla excommunicantur fœminæ omnes, *quæ vti principales, vel vt sociæ, ad tale facinus committendum concurrunt*; sed ipsa prægnans abortum procurans, est causa principalis: ergo excommunicationi subiacebit. Sic Prado *n.* 29. Trullench. *n.* 9. Dicastill. *n.* 179. Bonac. *disp.* 2. *de Restit. quæst. vlt. sect.* 1. *punct.* 7. *n.* 6. &, alijs relatis, Diana 7. *p. tract.* 15. *resol.* 7. Quæ sententia omninò consulenda est, quia communis, & securior, maximè vbi vsu, & praxi fuerit recepta. Cæterùm, quia talis vsus in sententia communi dicente talem mulierem fieri excommunicatam, fundatur, & ob id ad cautelam solent absolvi, non tollit alterius sententiæ probabilitatem, de qua statim.

Probabilis est sententia asserens talem mulierem nõ incurrere excommunicationem.

70 Dicimus ergo, probabilem esse sententiam negantem, prægnantem ipsam mulierem incurrere excommunicationem in casu dicto. Et probatur: nam in bulla Sixti V. vbi talis habetur excommunicatio, quam relinquit Gregorius XIV. solùm reservationem tollens, ita habetur: *Qui, vel quæ vti principales, vel vt sociæ, ad tale facinus committendum*, (hucusque referunt alterius sententiæ Auctores, sed quæ sequuntur prætermittunt) *opem, consilium favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scientèr dederint.* Ubi minimè nominat ipsam fœminam, quæ remedia applicat, sed eos, vel eas, qui ad huiusmodi crimina cooperantur cum illa, nimirum dantes, consiliantes, faventes, inter quas causas datur principalis, & datur socia. Principalis est, quæ potionem dat; famula, quæ nomine suæ dominæ illam portat, est socia criminis; quæ poculum procurat, & emit, est principalis causa cooperans; pharmacopola, qui eius iussu præparat, & vendit, est socius criminis. Ideòque licèt in dicta constitutione nominetur principalis causa abortus, & socia, solùm loquendo de cooperantibus ad illum, non ob id ipsa prægnans manet comprehensa: quia hæc non est dans, consulens, adiuvans; sed recipiens, & exequens, de qua nihil in dicta constitutione habetur.

Amplius probatur, assertum, & illius Auctores.

71 Et quidem mirum est, quòd summus Pontifex, agens de alijs pœnis contra procurantes abortum, inter incurrentes illas expressè nominaverit ipsam prægnantem: nam loquendo de alijs pœnis, semel dicit: *Ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scientèr præmissa fecerint.* Et iterum: *Ac mulieres ipsas, quæ eadem pocula sponte, ac scientèr sumpserint.* Et agens de pœna excommunicationis, nec tales prægnantes nominat, nec de eis, quæ pocula sumunt, loquitur, sed de dantibus, consulentibus, quomodolibet adiuvantibus; quod ex industria videtur omisisse, fortè compassus infirmitatis fœminarum, quæ, nisi ex gravissimi damni timore, putà infamiæ, aut mortis, & ex vehementissima passione tantum malum procuraturæ non præsumuntur, cum quibus damnis imminentibus difficultèr excommunicationis timore à tali crimine cohiberentur: & ideò ad evitandum novum animæ laqueum, & præcavenda alia peccata inde sequutura, creditur noluisse Pontificem eas sub tali excommunicatione comprehendere. Sic Avila *de Censuris, p.* 2. *cap.* 5. *disp.* 3. *dub.* 12. *concl.* 2. §. 5. Naldus verb. *Abortus, num.* 1. Lugo Cardin. *lib.* 2. *Responsion. moral. dub.* 4. *num.* 4. N. Lezana *Quæst. Regul. tom.* 3. verb. *Aborsus, num.* 11. Alfonsus de Leone *de Censuris, resolut.* 7. *num.* 34.

Quis possit à dictis pœnis absolvere.

72 Inquires tertiò, quis possit ab his pœnis absolvere, vel in eis dispensare? Respondetur, quòd, quantum attinet ad irregularitatem, ille potest in ista dispensare (& non alius) qui potest ex privilegio, vel jure ordinario dispensare in irregularitatibus ob homicidium voluntarium incursis, de quibus diximus *tract.* 10. *de Censuris, cap.* 8. *punct.* 1. *num.* 15. *& sequent.* ¶ Quantum ad excommunicationem potest ab ea Episcopus absolvere, vel Confessarius ab eo approbatus, & ad hoc specialitèr deputatus: & respectu Religiosi, debet à suo Provinciali esse deputatus. Et licèt dicat Bonacin. *supra punct.* 20. *num.* 6. quod qui obtinet ab Episcopo facultatem ad casus Episcopo reservatos, etiam ad istum censetur habere illam. Verius est requiri specialem deputationem ad istum casum, & non sufficere generalem licentiam ad omnes casus episcopales, nisi specificè iste casus concedatur, propter specialem modum reservationis illius. Prado *cap.* 20. *quæst.* 6. *n.* 31. Diana *part.* 7. *tract.* 15. *resol.* 15. Verum autem est, quod isti Auctores dicunt, quòd quando in jubileis conceditur facultas absolvendi à casibus, & censuris reservatis, intelligitur etiam de isto: per bullam autem cruciatæ certum est posse absolvi ab hoc casu; & toties, quoties, quia episcopalis est, non papalis. Videantur dicta *tract.* 10. *de Censuris, cap.* 2. *num.* 82.

Quis super inhabilitate potest dispensare?

73 Circa inhabilitatem autem ad dignitates, & officia ecclesiastica possunt in ea Prælati Regulares cum suis Religiosis dispensare, vt ex concessione Sixti V. & Gregorij XIV. probat Villalob. *supra num.* 7. Portel. verb. *Privilegij confirmatio, n.* 29. & 30. & notat Villalob. *n.* 8. quòd si Religiosus, qui incurrit hanc inhabilitatem, sit in Capitulo generali, vel etiam Conventuali, vbi generalitèr Prælatus absolvit omnes ab omni censura, & dispensat in omni inhabilitate incursa, etiamsi non recordetur tunc censuræ, vel inhabilitatis ob crimen incursæ, manet tamen tàm ab excommunicatione, quàm inhabilitate absolutus: juxta ea, quæ diximus *tract.* 10. *de Censuris, cap.* 2. *n.* 33. & 34.

PUNCTUM V.

Utrùm liceat occidere injustum invasorem vitæ, divitiarum, honoris, & famæ?

Dicenda circa hoc dubiũ ad aliũ locum remittimus.

74 PLura, quæ dicenda essent circa hoc Punctum, à nobis iam examinata sunt latè *tract.* 10. *de Censuris, cap.* 8. *punct.* 4. *per tot.* vbi egimus de irregularitate, quæ potest incurri limites defensionis justæ excedendo. Ibique differuimus, quando, & quomodo injustum invasorem liceat occidere. ¶ Et denuo ibidem, præcipuè *n.* 51. & 56. *item tract. præced. cap.* 2. *n.* 33. & *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 82. in fine doctrinam notatu dignam reperies ex decretis Alexand. VII. & Innoc. XI. emanatam. Quapropter, ne bis eadem contra stylum nostrum repetamus, ad loca modò citata lectorem remittimus, vbi hanc quæstionem cum casibus circa hanc materiam particularibus examinatam videbit.

*** ***)(§)(*** ***

PUNCTUM VI.

An sit aliquid restituendum pro vita ablata, membro mutilato, aut cicatrice causata?

In duplici genere bonorum læditur occisus.

75 IN præsenti dubio, & sequentibus, quando agimus de obligatione restituendi ob homicidium, vulnus, mutilationem, non est nobis sermo, quando talis læsio absque peccato fuit causata, ob justam defensionem, vel ob justam sententiam Iudicis, vel præter intentionem omninò casualiter absque vlla culpa: quia cum obligatio restitutionis oriatur ex actione iniqua contra justitiam (hìc enim non datur locus restitutioni ratione rei acceptæ, cùm nihil percussor de bonis percusi accipiat) vbi talis non datur, nulla restitutionis obligatio consurgit. Verùm qui alium occidit, vel mutilat, in duplici genere bonorum potest illum lædere, vel in bonis præcisè naturalibus, privando illum vita, membro, salute, robore, aut pulchritudine; vel in temporalibus, privando ipsum bonorum quæstu, quæ per industriam, artem, negotiationem poterat lucrari. De hoc secundo modo damni dicemus Puncto sequenti, & in hoc solùm agimus de primo.

Qui pœnam talionis subijt, nihil tenetur restituere ob damnum naturale.

76 In quo supponimus, quòd si homicida, & mutilator pœnam talionis subeat, nihil, præcisè ob damnum naturale, tenetur restituere (quidquid sit, an teneatur ad damna temporalia, quæ ex occisione sequuntur, de quo Puncto sequenti erit sermo.) Quod verum est adhuc in sententia eorum, qui dicunt ob tale damnum fore in pecunijs, aut honoribus restituendum: nam adhuc in eorum sententia talis satisfactio arbitrio boni viri relinquitur, & talionis pœna prudenter judicatur condigna compensatio pro læsione facta: & hoc præcipuè, quando hæredes defuncti præter pœnam talionis nullam aliam exigunt, sicuti non exigere praxis quotidiana demonstrat. Sic Lesius *lib.2. cap. 9. dub. 32. num. 139. fine.* Soto, Orellan. Ledesm. Trullench. Villalob. Tapia, Bañez, Prado, Lugo, infrà citandi, & alij, quos affert, & sequitur Diana *5. p. tract. 4. resol. 60.* Et hoc maximè, quando pars læsa est nobilis, aut dives. Nobiles namque, vel divites facilè solent debita pecuniaria non exigere, vel accipere dedignantur, contenti per hoc, quòd reus condigna pœna plectatur, cætera liberè remittentes. Quod adhuc in debitis ob damna sequuta, & lucra cessantia habere locum respectu divitum, & nobilium, etiamsi occisor, aut mutilans non subeat pœnam talionis, dicemus Puncto sequenti.

Sententia asserens ob damnum naturale debere aliquid restitui.

77 Igitur circa quæsitum huius puncti duplex gravissima datur sententia, vtraque satis probabilis. Prima dicit, præcisè ob mortem, mutilationem, vulnus, vel aliud damnum naturale debere delinquentem aliquid restituere in bonis alterius ordinis, videlicèt vel in pecunijs, vel honoribus. Et probatur primò ex illo Exodi 21. vers. *26. Si percusserit quispiam oculos servi sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit.* Et vers. 22. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.* ¶ Secundò ex D. Thoma *2.2. q. 62. art. 2. ad 1.* ibi: *In quibus non potest recompensari æquivalens, sufficit quòd ibi recompensetur, quod possibile est, putà cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione vtriusque personæ secundum arbitrium boni viri.* ¶ Tertiò, quia aliàs plus esset restituendum ei, qui virum infimæ notæ occidit, quàm qui clarissimum, & nobilissimum: siquidem ob ablatam vitam neuter teneretur restituere, & ob lucra cessantia, & damna emergentia ob mortem pauperis, non divitis, est restituendum. Et durissimum videtur, quòd in foro conscientiæ maneat liber ab omni onere restitutionis, qui clarissimum virum occidit, non minus ac si canem de medio tolleret, vt exaggerat Scotus *4. dist. 15. q. 3.* ¶ Quartò, quia in omnium sententia licet cum homine injustè læso transigere de damno, & ex pacto aliquid accipere in pecunia, vel honore, vel in alijs huiusmodi: ergo lædens pro tali damno aliquid in his bonis restituere tenetur, aliàs tale pactum esset illicitum.

Alia ratio à priori ponitur, & Auctores pro ista sententia referuntur.

78 Quintò probatur præcipuè, & à priori dicta sententia. Quia qui alium lædit, peccat contra justitiam commutativam, & per se tenetur æquale compensare, si possibile esset; sed per hoc quòd æqualis satisfactio sit impossibilis, non excusatur ab exhibenda ea, quam potest; sicut qui debet mille, & non potest nisi centum solvere, saltem tenetur ea centum dare: & nos, qui non possumus æqualem satisfactionem pro offensis dare, & tenemur per pœnitentiam satisfacere, quantum possumus. ¶ Ac per hoc manet impugnata solutio, quæ solet communiter huic argumento adhiberi, nimirum id verum esse, quando id, quod potest solvi, est eiusdem ordinis cum debito: vt qui debet mille aureos, & potest solvere centum. Siquidem etiam, quod debemus Deo satisfacere pro offensa, est altioris rationis ab eo, quod per pœnitentiam possumus: ergo licèt vita ablata, aut membrum sint altioris rationis à pecunijs, vel honoribus, non erit deobligatus lædens in illis ad satisfaciendum, quantum potest in istis. Sic Caietanus verb. *Restitutio, cap. 2.* Sotus *de Iustit. lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 3.* Aragon *2.2. q. 62. art. 2. circa solut. ad 1.* D. Thom. *fol. 183. pag. 2.* Salon *ibi, controv. 4.* Tapia *lib. 5. quæst. 25. art. 1. num. 3.* Azor *3. p. lib. 5. cap. 3. q. 4.* Rebell. *de Obligatione just. 1. p. lib. 3. q. 13. n. 1.* Molin. *tom. 4. tr. 3. disp. 88.* Valentia *tom. 3. disput. 5. quæst. 6. punct. 5. §. 1.* Prado *disp. 18. q. 2. §. 2. n. 7.* Villalob. *tom. 1. tract. 11. diffic. 28. num. 2.* Sayrus *in Clavi Reg. lib. 11. cap. 2. n. 9. & 22.* Sylvest. verb. *Restit. 3. §. 2.* Cordub. *lib. 1. q. 31. art. 3. fol. 252.*

Quantum debeat restitui pro damno naturali, secùndùm hanc sententiam?

79 Ex hac sententia sequitur, quòd pro fustibus, alapa, & alijs injurijs, si non possint restitui in bonis eiusdem generis, debet compensari saltem in bonis pecuniarijs. Idem est de vulnere, debilitate, deformitate, vel alijs damnis naturalibus: quia hæc sunt damna illata contra commutativam justitiam: & sic debent restitui, quantum fieri potest. An verò sit licita occulta compensatio, quando lædens non vult restituere, quod secundum istam sententiam debet? vide quæ diximus *cap. præced. punct. vlt. num. 321. & quæ dicemus cap. 4. num. 148.* ¶ Sed divisi sunt prædicti Auctores in assignanda quantitate, quæ ob vitam, vel membrum ablatum debet restitui. Aliqui enim dicunt, debere homicidam, vel in prælio justo vitam exponere, vel se Iudici offerre, vt ab eo condignè puniatur in satisfactionem offensæ alteri irrogatæ. Alij debere se perpetuæ servituti partis læsæ addicere. Alij debere dare quantum pars læsa postulaverit. Sed hæc arbitraria sunt,

& valdè dura, & rigida. Quapropter communiter inter eos habetur, deberi prudentum arbitrio id taxari, pensata qualitate personæ læsæ, & facultate personæ lædentis, ita vt nec vita eius exponatur: quia per hoc nihil parti provenit vtilitatis: nec libertas, nec ad magnam necessitatem, vel statum vilem, ob talem satisfactionem deveniat.

Nihil est restituendum ob præcisè damnum naturale.

80 Probabilior tamen nobis videtur sententia asserens ob damna in vita, aut membris hominis liberi, nihil esse restituendum in bonis fortunæ, vel honoris: quæ probatur primò ex illo Exod. 21. *vers.* 19. vbi mentio fit de restitutione ob lucra amissa per operas, quas læsus poterat exercere, & ob expensas in curatione factas; non verò pro vulnere, ibi: *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo; si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit: ita tamen, vt opera eius, & impensas in Medicos restituat*: ergo alia restitutio pro vulnere non est necessaria. ¶ Et per hoc manet solutum primum argumentum ex diversis locis Exodi desumptum; ibi enim solùm est sermo de pœna, quæ poterat justè imponi ob homicidium, vel damnum corporale: quæ pœna à Iudice est assignanda; & cum lex antiqua quantum ad pœnalia cessaverit, modò non obligat. Quantum verò ad obligationem naturalem, vel moralem satisfactionis, constat ex textu à nobis citato, nullam dari, nisi ad restituendas operas, quas omisit, vel expensas, quas in curatione consumpsit.

Ex jure civili probatur sententia proposita.

81 Secundò probatur dicta sententia ex leg. *Ex hac lege 3. ff. Ne quadrupes pauper. feciſſe dicatur*, leg. *Liber homo, ff.* ad legem *Aquiliam*, leg. *Fin. ff. de his, qui effuder. vel dejecer.* vbi sic habetur: *Cum liberi hominis corpus, ex eo, quod dejectum, effussumve quid erit, læsum fuerit, Iudex computat mercedes Medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt. Præterea operarum, quibus caruit, aut carituras est ob id, quòd inutilis factus est: cicatricum autem, aut deformitatis, nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* ¶ Nec valet dicere, quod adversarij respondent, in his legibus solùm negari actionem in foro externo, non verò obligationem, quæ est in foro conscientiæ. Tùm, quia apertè dicunt, nihil pro his damnis naturalibus deberi, eo quòd sunt supra omne pretium, ac proindè non possunt conferri cum his rebus, quæ in humanos veniunt contractus. Tùm etiam, quia nulla esset ratio, cur in foro externo neganda esset actio, si pro his damnis debetur aliquid, sicut datur pro alijs. Maximè, quia si taxatio debiti viri prudentis arbitrio debet fieri meliùs fieret arbitrio, & sententia Iudicis, cui omnes statim acquiescerent.

Ex duplici ratione eadem sententia probatur.

82 Tertiò probatur nostra sententia: quia bona superioris ordinis non debent compensari in bonis ordinis inferioris, aliàs qui alium à statu perfectionis averteret, vel qui esset causa damni spiritualis, si alia via non posset illum recompensare, teneretur recompensare illud in pecunijs. Et similiter qui committeret adulterium, deberet pecunijs injuriam irrogatam compensare, quod nullus dicet. ¶ Quartò, quia vita, vel membra hominis non sunt pretio æstimabilia, & sic non sunt per illud compensanda, quia quantumcumque solutum esset, semper restaret amplius, & amplius solvendum, nec esset exhauribile debitum. Pone enim arbitrio prudentis te mille solvisse; cur, quæro, non debes solvere duo millia, si potes? Cur non centum millia? Omnia enim hæc inferiora sunt debito ob necem contracto; nec prudens habet fundamentum, vt judicet te per solutionem viginti millium satisfeciſſe, si potes centum millia, vel amplius solvere; non ergo est compensabilis vita, vel membra hominis per aliquod pretium temporale. Sic Victor. quem refert, & sequitur Ban. 2. 2. *q. 62. art. 2. dub. 4. concluſ. 2.* Orellan. quem refert, & sequitur Ledesm. 2. *p. Sum. tr. 8. cap. 6. concl. 1. diff. 1. dist. 2.* Covar. *lib. 2. Variar. cap. 10. n. 7. circ. medium.* Filliuc. *tom. 2. tr. 32. cap. 8. n. 200.* Sanch. *Consil. lib. 1. cap. 4. dub. 1. n. 7.* Bonac. *disp. 2. q. vlt. sect. 2. punct. 1. n. 10.* Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 23. n. 141.* Vazq. *Opusc. de Restit. cap. 2. §. 3. dub. 6.* Lug. *disp. 11. sect. 1. à num. 5.* Dicast. *lib. 2. tr. 2. disp. 7. dub. 4. n. 56.* Trull. *lib. 7. cap. 8. dub. 2. n. 3.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. cap. 6. n. 2.* Petr. Navar. *lib. 4. de Restit. cap. 1. dub. 10. n. 80.* Dian. *3. p. tract. 6. ref. 53. & 5. p. tract. 4. ref. 54.*

Quid inferatur ex præcedenti sententia?

83 Ex nostra sententia sequitur, quòd vulnerans, vel fustibus, vel alapa percutiens alium, vel aliam injuriam irrogans, non tenetur pro injuria compensationem pecuniæ facere, sed duntaxat pro damnis temporalibus inde sequutis: quia, cum non sint eiusdem ordinis cum pecunia, non possunt ea compensari. Nec similiter est restituendum aliquid personæ liberæ ob deformitatem ex vulnere resultantem: quia hoc est damnum corporale, quod in libero non est pretio æstimabile. At si in servo talis deformitas, vel mutilatio fiat, ob quod minus valeret, illud restituendum esset: & totum pretium quod valet, si occidatur; sicut totum pretium equi tenetur domino restituere, qui eum occideret; hæc enim sunt pretio æstimabilia. Idem est dicendum, si deformitas, vel mutilatio facta esset in fœmina nubili, quæ essent causa alicuius damni temporalis in ea; hoc damnum compensandum esset proculdubiò, vt si ob id non posset matrimonium contrahere, vel ampliori dote ad hoc indigeret. Ac tandem si in his læsionibus miscetur injuria in honore, ea compensanda est juxta modum, quo aliæ injuriæ. Et ob id dicitur communiter, homicidam debere parti satisfacere, veniam ab ea petendo ob injuriam, quæ simul cum homicidio communiter parti irrogatur; non verò præcisè ob ipsum damnum naturale, quod est superioris ordinis qualibet humiliatione præstita ab homicida. Præterquàm quòd si alicui esset satisfactio facienda, deberet fieri ipsi, qui damnum passus est, non alijs, qui per hoc præcisè nullum sustinent detrimentum.

Homicida non tenetur ex justitia suffragia pro defuncto offerre.

84 Hinc infertur, non teneri homicidam ex justitia sacrificia, suffragia, orationes, eleemosynas pro occiso offerre (quamvis aliqui oppositum probabiliter dicant) quemadmodum qui furatus est, si non potest restituere ablata, non tenetur compensare damnum orationibus, sacrificijs, aut alijs pijs operibus. Et ratio est eadem. Tùm, quia res spirituales, & sacræ, pretia vitæ, honoris, fortunæ non sunt. Tùm etiam, quia per bona alterius ordinis, maximè superioris, non debent compensari bona, quæ sunt inferioris ordinis. Tùm denique, quia quod debetur ex natura restitutionis pro injuria, omnibus est debitum, quibus similis fit injuria; sed restitutio in spiritualibus, omnibus injustè occisis non debetur, putà infidelibus, aut certò damnatis: ergò, &c. Sic Sanch. *Consil. lib. 1. cap. 4. dub. 1. n. 5.* Soto *lib. 4. q. 3. art. 3. ad 3.* vers. *Quando verò.* Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 7. dub. 4. n. 61.* Tapia

pia *lib.5.q.25.art.1.n.5.* Less. *lib.2. cap.9. dub.25. n.148.* Bonac. *disp.2.q.vlt.sect.2.punct.1.n.12.* Filiuc. *tom.2.tract.32.cap.8.n.205.* Azor *part.3.lib.5. cap.3.q.12.* Laym. *lib.3.sect.5.tract.3.part.3. cap.6. n.2.* Dian. *5.p.tract.4. res.55.* Erit tamen salubre, & optimum consilium hæc multoties pro anima defuncti ab homicida offerri; & præter satisfactionem pro damnis, de quibus puncto sequenti, pro isto filijs, vxori, parentibus, alijsve necessarijs aliquam compensationem facere: quia vita defuncti bonum illorum erat. Maximè, si sint pauperes, & non putentur, nisi hac via mœrorem aliquem deposituri, & ipse absque gravi incommodo possit hoc præstare.

Quæ pœnitentia est imponēda homicidæ in confessione?

85 Hinc inferes, quam pœnitentiam possit, & debeat Confessor homicidæ imponere; debet enim præcipere, vt propinquis defuncti supplicem se abijciat, veniamque ab eis deprecetur, si injuriosa fuit occisio illis: debet monere de obligatione restituendi omne damnum emergens, & lucrum cessans, juxta dicenda puncto sequenti. Insuper poterit jubere, vt pro vita ablata aliquid amplius hæredibus largiatur: quia licet ad hoc non teneatur interfector ex justitia, potest in pœnitentiam delicti imponi; & quòd singulis hebdomadibus per annum, si facultates supperant, sacrificium pro interfecto offerat, & aliquam eleemosynam, & jeiunia pro anima illius: quòd per annum litanias, vel coronam Virginis recitet, visitetque altaria ad lucrandas indulgentias, quas per modum suffragij pro occiso offerat; & quod singulis diebus per totam vitam preculas aliquas offerat. Videatur Bañ. *supr. concluf.3.* Sotus *loc.cit.ad 3.* Dian. *5.part.tract.4. resol.43.* Comitol. *in Responsion.moral.lib.4. q.11. n.8.* Et omnes monent, ne Confessarius nimis sit mitis in pœnitentijs assignandis, ne ita facilitèr putet homicida se satisfeciſſe, ac si esset canis ab ipso occisus.

Cōtraria argumenta solvuntur.

86 Ad contraria argumenta respondetur. Ad primum ex locis sacræ scripturæ, constat ex dictis *n.80.* ¶ Ad secundum ex Div. Thom. sic respondet Bañez: (Item Div. Thom. potest explicari, cum dicit *debet fieri*, hoc est, decet vt fiat, maximè in foro pœnitentiario, vbi Confessarius potest obligare; imò aliquando debet obligare reum, vt satisfaciat pecunijs, vel honore parti læsæ, attenta conditione vtriusque personæ. Et ad hoc ferè semper obligat charitas: quia hac via componitur pax, & amicitia inter læsorem, & partem læsam.) ¶ Ad tertium respondetur, quòd cum vita in omnibus sit æqualis, nec pro vita præclarissimi, ac hominis infimæ notæ est amplius restituendum, sed pro damnis inde sequutis, quæ aliquando in paupere erunt maiora, aliquando in divite: & tunc magis est restituendum per se, secundum quòd occisio est causa maioris damni: per accidens autem, quia nobiles censentur condonare in hac parte pecuniaria debita, & dedignantur illa recipere: ideò minùs est restituendum pro occisione divitis: quod æquè verùm esset, etiamsi pro ipsa vita esset aliquid restituendum, quia adhuc secundum contrarios inter nobiles non daretur talis restitutio: nec durum debet judicari, sed potius valdè consonum rationi (& quod homicidæ magis exaggerat crimen) quòd liber maneat à restitutione: siquidem adeò gravissimum est crimen; & tantum malum infert, vt ob id dicatur non esse obnoxium restitutioni: quia est inæstimabilis pretij, & nulla quacumque satisfactione exæquabile. ¶ Ad quartum, quòd talis transactio ideò licèt, quia cum posset vulneratus, vel consanguinei occisi criminaliter agere contra damnificatorem, vt talem querelam, & accusationem deponant, & à petenda pœna talionis, vel vindicta desistant (quæ sunt pretio æstimabilia) possunt pecunias accipere, non præcisè pro ipso damno naturali, nisi post sententiam Judicis in pœnam criminis aliquid temporale solvendum assignetur; quod justè fieri potest, commutando ex justa causa pœnam capitis in illam temporalem.

Ultimū dissolvitur argumentum.

87 Ad quintum dicimus, verum esse, quòd in bonis eiusdem generis qui non potest æquale, tenetur solvere quantum potest; vt qui non potest solvere mille aureos, quæ debet, centum solvat, si hæc potest: quia illa centum, cum sint eiusdem ordinis cum debito, sunt pars debiti: vndè sicut obligatio est solvendi totum, ita reddendi partem quia eadem est proportio de parte ad partem, ac de toto ad totum: igitur impossibilitas reddendi totum non liberat ab onere restitutionis partis. At quando pars est diversi ordinis, ac erat totum, nulla datur inter illa proportio: vndè per hoc, quòd non possit totum, vel saltem partem illius ordinis restituere (quod in nostro casu contingit) manet liber ab onere restitutionis. Deo autem per pœnitentiam satisfacimus per solutionem, saltem partialem, eiusdem generis cum debito: siquidem humiliatio, attritio, & veniæ petitio sunt eiusdem generis in ratione satisfactionis cum offensa. Et quamvis offensa Dei sit altioris ordinis, ac quælibet satisfactio creaturæ: hæc tamen, vt informata per gratiam, est quodammodò ordinis divini; & sic sufficiens, vt sit partialis quædam, & imperfecta satisfactio pro illa, vt inquit D. Thom. *in 4.dist.15. quæst.1.art.1.ad 1.*

PUNCTUM VII.

Quid sit restituendum propter damna sequuta ex homicidio, aut mutilatione?

Quæ dāna; & lucra debet occisor, vel mutilator compēsare?

88 OMnium Doctor. est communis sententia, homicidam, mutilatorem, vel vulnus aliquod inferentem, debere restituere omnia damna, quæ ex sua injusta actione parti læsæ, vel eius hæredibus proveniunt: quia illorum causa efficax est. Undè tenetur integrè restituere expensas factas in curatione, *cap. 1. de Injurijs.* Sed intelligitur de expensis necessarijs, non de sumptibus superfluis, in morbi curatione factis. Tenetur vltrà de omni damno emergente, ac lucro cessante, leg. *Ex hac lege, ff. si quadrupes pauperiem, &c. leg.vlt.de his, qui dejecerunt, ve effuderunt*, & sic omne quod negotiatione, arte, vel officio poterat lucrari, vel quidquid proximè amittit ratione vulneris, vel læsionis: vt si esset occisus Scriba, & ante viginti dies à renuntiatione officij (quos, vt officium non perdatur, lex elabi jubet) decedat, homicida tenetur integrum valorem hæredibus restituere: quia fuit causa per injustam actionem, quòd tale officium perderetur. Sanchez *lib.1.Consilior.cap.4.dub.2.num.5.* Lugo *disput.11. numer.37.* Sed hoc verùm est, inquit Lugo, si occisus habeat personas conjunctas, quibus ob jactu-
ram officij damnum proveniat: quia, vt ipse *sect.2. numer.34.* ex Molina *tom.1.disp.83.numer.2. & 5.* docet,

docet, quando quis occiditur injustè, non est attendendum emolumentum: quod ipsi occiso cessat, sed quod cessat alijs personis cum eo conjunctis; filijs videlicèt, vxori, & parentibus: quarè si ex operis, aut lucris occisi nullum emolumentum erat alijs obventurum, ad nullam restitutionem tenetur homicida. Et ratio est, quia obligatio restitutionis solùm fit pro damno, quod reipsa læsus patitur: occisus autem, per hoc quòd careat post mortem redditibus, lucris, divitijs, nullum sentit damnum ex jactura earum rerum: nam licèt eas haberet, sibi vtiles non forent in eo statu. Undè illi non tenetur de damno, sed alijs conjunctis personis, quæ si ex eius operis, vel industria nihil commodi recipiebant, nihil tenetur restituere.

Solum est restituendū illud lucrū, quod probabiliter sperabatur.

89 Sed adhuc non integrum quæstum, quod lucraturus erat occisus, mutilatus, aut vulneratus, debet lædens restituere, sed extrahendæ sunt expensæ, quas ipse consumpturus esset, si viveret, aut sanus esset; vt si lucraturus erat centum, & consumpturus quinquaginta, solùm tenetur lædens quinquaginta solvere: quia quæ occisus consumpturus esset, non debent computari inter lucra cessantia, quæ ad hæredes pertineant. Nec similiter restituere debet, quantum ipse occisus lucraturus erat, sed quantum æstimatur illa spes lucri, quando aliquo officio, arte, negotiatione, &c. quæstum faciebat: quia lucrum in spe, quod multipliciter potest impediri, non valet tantum, ac lucrum in re. Undè tantum restituendum est, quantum, attentis omnibus circumstantijs loci, temporis, personæ, verisimile est fore lucraturum, nec sunt numerandi dies festi: cum in eis non esset operaturus. Et si vulneratus nequit laborare, potest verò, vel negotiatione, vel alio modo quæstum facere, hoc est ponderandum: similiter si juvenis benè valens sit diutiùs naturaliter victurus: si artifex optimus multùm labori incumbens. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 27. *num.* 4. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 7. *dub.* 5. *n.* 64. Lugo *disp.* 11. *sect.* 2. *num.* 42. Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 19. *n.* 124. Soto *lib.* 4. *de Iust. q.* 6. *artic.* 3. *ad* 3. Bonac. *disp.* 2. *q. vlt. sect.* 1. *punct.* 1. *n.* 6. ¶ Nec est attendendus modus occidendi, vt si per insidias, atrociter, &c. factum sit homicidium, quipè non ob id magis est restituendum: quia sive hoc, sive illo modo fiat homicidium, damnum est æquale, & sic æqualis debet esse restitutio. Sanch. *supr. dub.* 2. *num.* 8. Dian. 5. *part. tract.* 4. *res.* 53. Less. *n.* 132. Petr. Navar. *lib.* 4. *de Rest. cap.* 1. *n.* 91. *vers.* 3.

Nec est extrahēda æstimatio laboris cessantis, quando lucrum amissum restituitur.

90 Cæterùm non probamus, quod dicit Diana 3. *part. tract.* 6. *res.* 53. & 5. *part. tract.* 4. *resol.* 53. Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 9. *dub. vltim.* Rebell. 1. *part. lib.* 3. *q.* 13. *n.* 2. Molina *tract.* 3. *disp.* 87. *concluf.* 1. Videlicet detrahendam esse æstimationem laboris, vel molestiæ, quam in officio, vel opificio subiturus erat vulneratus, vel occisus; & sic minus debere solvere percussorem, dum percussus quiescit, ac dum laborat, quia iam lucratur quietem: & sic aliquid deducendum est, quia non laborat. Et hanc sententiam approbat Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *numer.* 125. & dicit, satis esse rationi consonam, si hoc modo temperetur, vt tantum detrahatur lucri, quantum ille artifex libenter pro laboris redemptione daturus fuisset; quomodo dictam sententiam videtur temperare Rebellus, & Molina; licèt Diana absque vlla limitatione loquatur. ¶ Sed nullo modo est sustinenda hæc sententia: quia si extrahenda esset æstimatio laboris, vix aliquid restituendum restaret: sæpe enim lucrum non excedit pretium laboris: maximè in artificibus parum industriæ habentibus: vbi si extrahas, quod consumpturi erant: & pretium laboris, quid restaret restituendum? Undè sicut ille, qui impedit per vim, aut dolum, ne alius laboret, tenetur totum quæstum restituere, quod lucraturus esset, quia fuit causa, ne illud consequeretur: ita qui v. g. fuit causa ratione vulneris, vt rusticus maneret domi per mensem, tenetur restituere mercedem, quam laborando per mensem acquisisset. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 2. Sot. *lib.* 4. *q.* 6. *artic.* 3. *ad* 3. Petr. Navar. *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 68. *fol.* 429. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 27. *n.* 4. Dicast. *tract.* 2. *disp.* 6. *num.* 66. Lugo *disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 33. Bonac. *disp.* 2. *quæst. vlt. sect.* 2. *punct.* 1. *n.* 7.

Quomodo computandi sunt dies ad lucra cessātia compensanda.

91 Nec similiter approbamus quod inquit Navar. *in Summ. cap.* 15. *num.* 24. citans Hostiensem, nimirùm totum hoc lucrum æstimandum esse 50. aureis, *ex leg.* 1. *§.* 1. *ff. de ijs, qui dejecer. vel effud.* Potest namque maius, vel minus esse, juxta probabiliorem spem maioris, vel brevioris vitæ occisi, vel maiorem industriam, & laborem vulnerati. Et in illa lege non agitur de restitutione damni, sed de pœna, vel mulcta, quæ post sententiam iudicis debetur, vt docent Dian. 5. *part. tract.* 4. *resol.* 53. Sanch. *dub.* 2. *n.* 8. Less. *n.* 132. Dicast. *num.* 68. Lug. *num.* 42. ¶ Nec etiam approbamus quod inquit Angel. v. *Restit.* 1. *§. Homicidium*, Covar. *lib.* 2. *Variar. capit.* 10. *n.* 7. & probabile judicat Dian. 5. *p. tract.* 4. *resol.* 53. & Becanus ab ipso citatus; videlicèt computum temporis, quo victurus esset, qui occiditur, faciendum esse juxta legem *Computationi, ff.* ad legem *Falcidiam*, vbi certum assignatur tempus futuræ ætatis existimandæ; nimirùm vsque ad 60. annos. Ita vt si occisus sit 30. annorum, vel infrà, computetur adhuc victurus 30. si fuerit 40. annorum, computetur victurus 20. &c. Cæterùm hæc lex solùm loquitur de alimentis alicui ad vitam legatis, & non est extendenda ad nostrum casum; sed computum faciendum est prudentum judicio, attenta ætate, valetudine, & alijs circumstantijs, ob quas magis, vel minùs victurum occisum judicaretur: aliàs qui occideret hominem 59. annorum, solùm teneretur ad lucrum cessans per vnum annum compensandum: & qui habentem 60. occideret, ad nihil teneretur; cum tamen posset esse validus, & robustus ad laborandum. Sic Dicastill. *n.* 69. Bonac. *n.* 9. Less. *dub.* 24. *n.* 129. Sanch. *dub.* 2. *n.* 10. Lug. *disp.* 11. *n.* 46. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 27. *n.* 5. Tapia *lib.* 5. *q.* 25. *art.* 2. *n.* 2. *fine.*

Qui proximè moriturum occidit, nihil tenetur restituere.

92 Sed notant prædicti Auctores, quòd si quis membrum alterius feccet, aut debilitet, & supervivat, non est necessarium computare annos, quos victurus est, sed sufficere annuatim solvere lucrum cessans, quantum æstimatur in spe: quamvis melius erit cum parte læsa se componere. At si quis occideret eum, qui vel morte naturali, vel justè esset aliàs priximè moriturus, vel à Iudice occidendus, etsi peccet contra justitiam, ad nihil restituendum tenetur: nisi quod illo parvo tempore esset lucraturus: quia nullius damni subsequuti fuit efficax causa, cum reipsa esset proximè tale damnum sequendum: secùs verò esset, si injustè occidendus esset proximè ab alio: quia per hoc, quòd tu prævenias injustum occisorem, in te suscipis onus restitutionis, quod ille susceperus erat: & sic teneris damna sequuta compensare, non minùs ac si occidendus non esset. Sanchez, Lessius, Diana, Bonac. Dicast. Lugo *num.* 38.

Li-

Duplex limitatio doctrinæ communis.

93 Limitanda tamen est doctrina huius Puncti primò, vt non teneatur occisor, vel vulnerans damna sequuta resarcire, si ob hoc constituatur in gravi necessitate, nisi hæredes occisi, vel vulneratus essent etiam in gravi necessitate constituti: quia cum tanto dispendio non tenetur restituere. Nec est ratio, quare hoc debitum in tali casu debeat solvi potius, quàm alia debita ex delicto contracta, de quibus diximus *cap.præc.n.*271. non deberi in tali casu solvi. Sot.*lib.*4.*q.*6.*art.*3.*ad* 3. Sanch.*tom.*1.*Opuscul. lib.*11.*cap.*4.*dub.*7.*n.*2. Lugo *disp.*11.*sect.*2.*numer.* 59. ¶ Limitatur secundò, vt non habeat locum inter nobiles, & divites, vt ipsis aliquid ex dictis restituatur: quia, vt habetur ex vsu communi, videntur huic juri renuntiare, tacitèque debitum remittere, qui solùm injuriam memoria retinent, & damna facilitèr condonant. Et ideò non tenetur quis ad talem restitutionem, quando certò credit hæredes non admissuros, imò dedecori habituros, vt inter nobiles, & divites contingit. Sanch.*dub.*13.*num.*6. Diana 5.*p.tract.*4.*resol.*61. Sot.*lib.*4.*q.*6.*art.*3.*ad* 3. Aragon 2.2.*q.*62.*art.*2.*ad* 1. Salon.*ibi, contr.*7. *fol.* 639. Bañ.*ibi, concl.*3.*fin.* Prad.*cap.*8.*q.*2.*§.*2.*num.*16. Tapia *lib.*5.*q.*25.*art.*5.*n.*5.

Expensæ factæ in funere non sunt restituendæ.

94 Limitatur tertiò, vt non habeat locum circa expensas in funere factas, quæ, per se loquendo, non sunt restituendæ: quia in his nullus est damnificatus, cùm faciendæ sint necessariò tempore mortis naturalis. Si tamen per accidens propter anticipationem, vel ratione loci, temporis, aut alterius circumstantiæ maiores expensæ fierent, quàm alioqui essent faciendæ, hoc damnum, cuius est causa homicida, erit compensandum. Lug.*n.*40. Bonacin.*n.*11. Villalob.*tract.*11.*diff.*27.*n.*4. Sanch. *dub.*2. *num.*3. Dicast.*tract.*2.*disp.*7.*n.*67. Less.*lib.*2. *cap.*9. *n.* 147. Dian. 5. *tract.* 4. *resol.* 53. *fine.* ¶ Sed hìc nota, quòd quando homicida, vel vulnerans aliquid tenetur restituere ex his damnis, si moriatur ante talem restitutionem, hæredes eius tenentur ex eius bonis illud compensare: quia totum id quod dare tenetur, censetur habere minùs in suis bonis: & quia succedùt loco defuncti in omnibus bonis, & juribus, & sic etiam in omnibus obligationibus realibus ex justitia, vt est obligatio, de qua loquimur. Sanch. *dub.*11.*num.*1. Less.*n.*127. Villalob.*n.*3. Bonac.*num.* 15. Lugo *num.* 31. & ipse fiscus tenetur solvere dicta damna, si bona homicidæ fuerint publicata, sicut tenetur ad alia debita. Leg. *In summ. ff. de Iure fisci.*

Quid, si homicida, aut mutilator pœnam talionis subeat?

95 Quartò limitant aliqui dictam assertionem, vt non teneatur talia damna compensare homicida, aut mutilator, si pœnam talionis subeat: quia sufficienter omne damnum homicidij satisfieri per pœnam mortis censetur: & hoc esse probabile, asserit Lessius infrà citandus, Scotus, Gabriel, Angelus, Rossella, Adrian. Bañez, quos refert, & sequitur Dian.5.*p.tract.*4.*resol.*60. ¶ Sed hoc displicet alijs, qui asserunt, quòd sicut fur vapulans adhuc tenetur, quod furatus est, restituere, sic hæredes homicidæ, damna ab eo causata compensare, tametsi pœnam talionis subeat. Et probatur: tùm, quia aliud est pati pœnam legis, aliud damnum alteri factum resarcire, cui nihil accidit, per hoc quòd alius puniatur. Tùm etiam, quia per pœnam solùm fit satisfactio reipublicæ turbatæ, & scandalizatæ, vt alijs deserviat ad terrorem; non verò est satisfactum damnificatæ parti, quæ adhuc minus habet in suis. Sic Sanch. *Consilior. tom.* 1. *lib.*1.*cap.*4.*dub.*6.*n.*2. Azor.*tom.*3.*lib.*5.*cap.*3.*quæst.* 6. Covar.*lib.*2.*Var.cap.*10. *n.*7. Petr. Navar. *de Restit.lib.*4.*cap.*1.*n.*91. Lugo *disp.*21.*sect.*2. *num.* 48. Bonac.*disp.*2.*q.vlt.sect.*2.*punct.*1. *n.*14. ¶ Nos verò dicimus, quòd si ad petitionem partis, & non præcisè à Iudice ex officio, homicida suspendatur, nihil ampliùs tenentur hæredes eius restituere. Tùm, quia ita habet vsus, vt pœna mortis censeatur compensare, cæteraque remittere. Tùm etiam, quia hoc ipso quòd pars læsa petat punitionem, videtur contemnere omne aliud genus satisfactionis. Cæterùm si adhuc hæredes occisi petant aliam satisfactionem præter pœnam (quod honesti non facient) ab hæredibus homicidæ solvendum est, propter secundæ sententiæ rationem. Sic Lessius *num.* 139. Villalob. *diff.*27.*num.*3. Dicastill. *lib.*2. *tract.*2. *disput.*7. *dubit.*6.*num.*73. Becanus *de Iustit. & jure in* 2. 2. *de Restitut.quæst.*10.*concl.*2. Salon.*ibi, quæst.*62. *art.* 2. *controv.*10.

Quãdo duo ad pugnam provocãtur, neuter aliquid tenetur restituere.

96 Quartò limitatur, quando quis ab alio ad pugnam provocatur, qui licèt excedendo modum, occidat provocatorem, ad nullam restitutionem tenetur. Et idem est, si duo se provocent vicissim, & pari consensu pugnam aggrediantur, quod si vnus alium occidat, vel vulneret, ad nullam restitutionem tenetur; sed vterque censetur renuntiare juri suo, etiamsi in damnum filiorum cedat. Et hoc notent Confessarij, vt si moribundo assistant, moneant ipsum declarare teneri sic vulneratum esse, ne ab hæredibus eius aliquid ab homicida petatur. Et ratio est, quia qui dat alteri potestatem, vt contra se agat quod potest, videtur ei omne damnum condonare: quare, si occidatur, non est injusta occisio respectu illius, sed respectu reipublicæ, & Dei, qui specialis est dominus vitæ. Lugo *disput.* 11. *sect.*3. *num.*66. Villalob.*tract.*11. *difficult.* 29. *numer.*1. Dian.3.*part.tract.*6. *resol.*52. Bañez 2. 2. *quæst.*62.*artic.*2. *dub.*5. Bonacin. *supr. num.*2. Dicastill.*num.*86. Tapia *lib.*5.*quæst.*25.*articul.*3. *ad* 3. Layman *lib.*3.*sect.*3.*tract.*3.*cap.*6. *numer.*5. Sanch. *lib.*1.*Consil.capit.*4.*dub.*10. *num.*1. Qui dicit, idem esse, si vnus provocet alium, qui lubens descendit ad duellum: quia per hoc quòd accedunt voluntariè, nulli fit injuria, faciuntque implicitè pactum, vt neuter teneatur de damno illato. ¶ At si vnus provocet alium cum injuria, ita vt ille provocatus, si non acceptet certamen, reputabitur vilis, & pusillanimis, tenetur provocans, si occidat, vel vulneret provocatum, damna restituere, secundum sententiam Sanchez, Bañez, & Villalobos, quamvis provocatus, si occidat alium, ad nihil teneatur: quia provocatus involuntariè (hoc est voluntario admixto involuntario) venit ad certamen motu jacturæ famæ, & honoris. Quamvis Tapia, *suprà numer.* 4. adhuc non teneri provocantem, si occidat provocatum, asserat: quia non tenebatur, nec poterat duellum acceptare, nec fuit ei violentia rationabiliter incussa: nec metus talis infamiæ cadit in virum constantem, cum verè non sit infamia; & sic voluntariè descendit ad certamen, tam provocans, quàm provocatus. Undè neuter ad damna sequuta compensanda tenetur.

Quid, si aliquis in defensionẽ sui occidat invasorem?

97 Et si roges primò, an si quis absque provocatione alium invadat, & ab eo occidatur, excedendo tamen mortaliter moderamen justæ tutelæ, teneatur occidens damna sequuta integrè compensare? In quo est certum, quòd si modum gra-

gravitèr non excedat, ad nihil teneatur, ſed alius ſibi imputet, quòd damnum patiatur, qui injuſtus fuit invaſor. Certum ſimilitèr eſt, quòd ſi gravitèr excedat, aliquid tenetur reſtituere. Sed an integrè omne damnum compenſare teneatur, eſt diſsidium? Cæterùm ſi exceſſus fuerit in eo, quòd non fugerit, cùm poſſet abſque dedecore id facere; ſi tamen in modo defenſionis non excedit, nihil tenetur reſtituere: quia ex juſtitia ad fugiendum non tenetur, ſed vel ex charitate, vt ſi ſæcularis abſque dedecore fugere poteſt; vel ex religione, vt Monachus, aut Clericus, quorum ſtatus exigit modeſtiam, & lenitatem; non verò ex juſtitia, quia invadens non habet jus, vt alius, vel fugiat, vel ſe occidere permittat. Imò neminem teneri fugere, nec ex charitate, aut religione, nedum ex juſtitia, aliquos defendere diximus *tract.*10.*de Cenſur.cap.*8.*n.*54.Undè non teneri in dicto caſu ad reſtitutionem, docent Leſſ. *libr.* 2.*cap.*9.*dub.*21.*n.*136.Becan.2.2.D.Thom. *q.*82.*de Reſtit.q.*9.*concl.*3.Diana 5.*part.tract.*4. *reſolut.* 46. & 49.

Qui excedẽdo defenſionem alium occidit, non tenetur integrè reſtituere?

98 Ad quæſitum ergo aliqui judicant integrè teneri reſtituere damna, qui, excedendo graviter modum, invaſorem occidit: quia damnum æquale fit, ſive hoc, ſive illo modo occidatur, ſi tamen injuſtè occiditur: at reſtitutio, quæ eſt actus juſtitiæ commutativæ, ſolùm attendit ad damnum injuſtè cauſatum: ergo vbi æquale fuerit, æqualis debet eſſe reſtitutio. Aliud autem eſt pœna, quæ ob gravius peccatum, & injuriam maiorem, maior debet imponi. Reſtitutio autem non eſt pœna, ſed compenſatio damni illati. Sic Leſſ.*n.*134.Becan. *ſupr. concl.* 2.Vazq.*de Reſtit.cap.*2.§.3.*dub.*4.Dicaſtill. *tract.*2. *diſp.*6.*n.*9.Sanch.*dub.*9.*n.*3.Lugo *diſp.*11. *num.*54. *fine.* ¶ Cæterùm, quia nimis difficile eſt in tali caſu juſtum temperare dolorem, quin invaſus in ſui defenſione excedat: & quia illum damnum, licèt ſit æquale, hoc, vel illo modo illatum: attamen qui alterum invadit, videtur ex parte amittere jus ad compenſationem damni; nam ſibi ipſi eſt cauſa damni alium injuſtè invadendo; & ideò ſi occidatur, vel lædatur, ſibi ex parte debet imputare; meritò non teneri in integrum ad compenſanda omnia damna, ſed aliquid minùs arbitrio prudentum, ita vt magis, vel minùs debeat reſtituere ſecundùm maiorem, vel minorem culpam, quam habuit: nunquam tamen integrum totum damnum, aſſerunt Rebell.*p.*2.*lib.*3.*q.*12.*n.*7.Sot.*dib.*4.*q.*6. *art.*5. *ad* 3. verſ.*His ergo*,Villalob.*diff.*29.*n.*3.*fin.* Bonac. *diſp.* 2.*q.vlt.ſect.*2.*punct.*1.*n.*3.Sylv.v.*Reſtit.*3. *q.*2. Angel.*eodem verb.*1.§.*Homic.*Aragon.*quæſt.*62. *art.* 2. *ad* 1. D.Thom.*fol.*181.*pagin.*2. Salon. *ibi*, *controv.* 7. *fol.* 638. & probabile dicit Dicaſtillo *numer.* 88. & valdè rationi, & æquitati conſonum, Leſsius *numer.*135.

Quid reſtituere teneatur, qui caſualitèr occidit?

99 Rogabis ſecundò, an ex homicidio caſuali oriatur obligatio reſtitutionis? Reſpondetur, quòd ſi cauſa ex ſe non eſt efficax, & aliundè ſequatur mors, nimirùm quia vulnus ab alio illatum lethiferum non erat; ſed ex incuria Medicorum, vel vulnerati, vel ex ſuperveniente ægritudine, mors contigit, non tenetur ad compenſanda damna ex morte ſequuta, ſed quæ ſequuta ſunt ex vulnere; ſecùs verò, ſi in illo loco Chirurgus non erat, & ob id vulneratus moritur, tametſi vulnus ex ſe lethale non eſſet, tunc enim lædens tenetur damna ex morte ſequuta compenſare: quia illorum cauſa fuit. ¶ Similitèr ſi dans operam rei licitæ, vel illicitæ, adhiberet omnem cautionem ad evitandum damnum, etiamſi ſequatur, ei imputandum non eſt: quia nec in ſe, nec in cauſa fuit volitum: vt ſi Clericus chirurgiam ſibi vetitam, aut venationem exerceret, adhibita ſufficienti diligentia, ne damnum alterius ſequatur, ad nullam reſtitutionem tenetur. Similitèr cavendum eſt ab eo, qui proximum injuria afficit: quia per hoc non amittit jus ſe defendendi, nec proximus injuriatus poteſt propria auctoritate de injuria vindictam ſumere. Dicaſtill.*lib.*2.*tract.*2.*diſp.*6.*dub.*8.*num.*91. 93. & 100.Molin.*diſp.*83.*n.*8. Becan. *ſupr. q.*9. *de Reſtit. concl.*4.Diana 5.*p. tract.*4. *reſol.*46. & 47. Sanchez *tom.*1.*Conſil.lib.*1.*cap.*4.*dub.*8.*fin.* Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 9.*dub.*15.& 21.*num.*137.Bonac.*num.*5.Lugo *diſp.* 83.*num.*8.

Quę negligentia requiritur, vt homicidiũ voluntariũ imputetur?

100 Cæterùm ſi negligentèr ſe habuerit in præcavendo damno ex ſua actione cauſato, ita vt culpam latam juridicam, & gravem theologicam committat (quam requiri ad obligationem reſtitutionis in his caſibus diximus *cap. præcedent.* *à num.* 16.) reſtituere debet damna ſequuta: vt ſi prævideat in ebrietate, vel ſomno hominem læſurum, & diligentiam non adhibeat ad præcavendum tale damnum. Sed tunc mitius facienda eſt reſtitutio, ita vt non integrum damnum compenſare teneatur, ſed ex parte, arbitrio boni, & prudentis viri, vt docet Diana *loco citat.*cum Angel.& Sylveſtro. ¶ Addit Molin.*tract.*3.*diſp.*81.*n.*10. Dicaſtillo *n.*97.quòd qui ob acceptam injuriam juſto dolore, vel ira vulneravit, vel occidit alium (v. g. maritus adulterum occidens deprehenſum in adulterio) vel qui alium ſibi alapam impingentem occidit, poteſt in conſcientiæ foro negare reſtitutionem damnorum, donec ad Iudicem cauſa delata cognoſcatur, vtrùm in pœnam delicti, aut injuriæ compenſationem reſtitutio ipſi remittenda ſit?

PUNCTUM VIII.

Quibus perſonis debeat reſtitutio fieri propter damna ex homicidio cauſata?

Duplex genus hęredũ aſsignatur.

101 PRæmittendum eſt, hæredes eſſe in duplici differentia, vt docet Salon.2.2.*q.*62. *art.*2.*contr.*7.Sanch. *Conſil.tom.*1. *lib.* 4.*dub.*3.*n.*1. Alij ſunt neceſſarij, vt filij (idem eſt de nepotibus) parentes, inter quos vxor computatur reſpectu mariti, & è contrà: quia licèt propriè non ſint hæres, pertinet tamen ad familiam mariti ex debito matrimonij neceſſariò ab eo ſuſtentanda. Alij ſunt non neceſſarij, quos non tenebatur defunctus hæredes inſtituere, vt fratres, & alij conſanguinei, qui ſuccedunt ab inteſtato, vel illi, quos ex ſua voluntate in teſtamento inſtituit. Quærimus ergo, quibus ex his debeat reſtitutio fieri? In quo duo, vt, certa ſupponimus.

Debita realia omnibus hęredibus tenetur homicida reſtituere.

102 Primò ſupponimus, quòd debita realia contracta ab homicida ante mortem reſpectu defuncti debet omnia integrè ſolvere quibuſcumque hæredibus, vt quod expendit in curatione, vel ſi vixit per aliquos dies poſt vulnus, quibus ceſſavit ei lucrum, quod ſuo labore acquirebat, vel in quibus convenit cum occiſore de aliqua pecunia ſolvenda, propter remiſsionem injuriæ: quia hæc debita non de-

ben-

bentur ratione alimentorum, sed sunt debita realia contracta ante mortem, quæ proculdubiò debentur quibuscumque hæredibus, qui succedunt in omnibus juribus defuncti, quæ, dum viveret, habebat. Lugo *disp.* 11. *sect.* 4. *num.* 73. Tapia *lib.* 5. *q.* 25. *art.* 2. *n.* 4. Bañ. 2. 2. *q.* 62. *art.*.... *dub.* 6. *concl.* 3. Sanchez *supr. dub.* 3. *num.* 3. Dian. 5. *p. tract.* 4. *resol.* 59. *fin.* Dubium ergo est, an titulo alimentorum, aut lucri cessantis, aut damni emergentis, post mortem teneatur occisor, non solùm hæredibus necessarijs, quos alere tenebatur occisus, sed quibuscumque alijs, quos ex sua liberalitate alebat?

Hæredibus necessarijs debent omnia damna compensari.

103 Supponimus secundò, quòd hæredibus necessarijs, ninirum filijs, parentibus, vxori (quæ, vt diximus, computatur, quoad hoc, inter illos, & sic eam includemus, quoties hæredes necessarios nominabimus) restituenda sunt alimenta, quæ defunctus illis dare tenebatur, & omnia commoda, & emolumenta, quæ in eius vita lucrabantur, & damna, quæ per mortem subire coguntur. Ut si filius interfectus sit absque prole, & pater succedat illi, vel quando debet parentem alere: idem de filijs respectu patris, & vxore respectu mariti. Et ratio est, quia omnes isti censentur vna persona: & sic qui occidit Ioannem, vxori, filijs, & parenti damnum infert, & eos damnificat in re sua, & veluti abscindit partem sibi strictissimo nexu conjunctam, à qua vtilitas sibi proveniebat. Hoc omnes asserunt Doctores. Et adverte nomine alimentorum omnia venire necessaria ad vitam, secundùm decentiam status, & ad familiam debitam statui conservandam, vt docent Tapia, & Bañez infra citandi.

Quædam limitatio doctrinæ præcedentis.

104 Sed notandum est cum Lessio *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 26. *n.* 157. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 8. *num.* 207. Lugo *disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 88. Dian. 5. *part. tract.* 4. *resol.* 59. probabile esse, homicidam non teneri quidquam restituere vxori, si illa notabile detrimentum non accepit, vel si æquè commodè potest nubere, tametsi velit innupta ex sua voluntate permanere, vel si alius eam liberaliter alendam suscepit: quia non censetur in rebus pecunia æstimabilibus læsa, nec minùs ex his habere, quàm habere debebat. ¶ Addit Tannerus *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 4. *numer.* 121. Lessius *numer.* 157. Satis esse probabile, quòd si occisus de pretio non convenit, dum viveret, & parentes, ac vxor non egeant alimentis, nec filij necessarijs ad vitam, non teneri homicidam ante Iudicis sententiam aliquid restituere illis. Sed hoc meritò reprobat Sanchez *lib.* 1. *Consil. capit.* 4. *dub.* 3. *numer.* 9. Lugo *numer.* 87. Soto *lib.* 4. *quæst.* 6. *articul.* 3. *ad* 3. Prado *capit.* 18. *quæst.* 2. §. 4. *num.* 27. qui ait, restituendum esse his personis, etiamsi divites sint, & aliundè victum habeant (nisi fortè excusetur homicida ex ratione generali: quia divites de his debitis solvendis non curant) quia justitia non respicit, an damnificatus sit dives, vel pauper; sed quid damnificatum, vel ablatum est. ¶ Igitur circa fratres, consanguineos, familiares, vel alios, quibus defunctus ex liberalitate benefaciebat, est dubium, an homicida teneatur his damna compensare, quæ ex morte benefactoris illis obveniunt: vel saltem ea bona illis conferre, quæ ab occiso, si viveret, probabiliter judicantur conferenda? Triplex datur in hoc sententia.

105 Prima sententia dicit, restituendum esse omnibus hæredibus, & etiam illis, quibus occisus ex liberalitate benefaciebat, sive consanguinei sint, sive non: si probabilitas esset, quòd, si ille viveret, eos aleret; & quantum talis probabilitas æstimatur. Quia licèt hi non habeant jus justitiæ ad talia bona, habent tamen jus justitiæ, ne per vim, aut fraudem impediatur benefactor, quominùs talia beneficia conferat: ergo qui injustè occidit benefactorem, quomodo per vim impedit beneficium, illud compensare tenetur; quemadmodùm diximus *cap. præced. numer.* 98. quòd qui per vim, aut fraudem detinet eum, qui eleemosynam vult dare, vel legatum gratiosum relinquere, tenetur hæc restituere. Sic Vazq. *de Restit. cap.* 2. §. 3. *dub.* 7. *n.* 24. Petr. Navar. *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 97. Scot. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. §. *De secundo.* Azor. 3. *part. lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 11. Turrian. *disput.* 8. *dub.* 3. Sequitur ex parte Sanch. *lib.* 1. *Consilior. cap.* 4. *dub.* 3. *n.* 11. in casu quo malefactor advertat talia damna fore sequenda; secùs verò, si ad hoc non advertat. Sed sive advertat, sive non, eadem ratio debet esse: quemadmodum respectu filiorum, parentum, & vxoris: quia ad id advertere debebat, saltem in communi.

Omnibus hæredibus est restituendum, aliqui dicunt.

106 Secunda sententia docet, quòd præter parentes, vxorem, aut filios debet homicida fratres alere, si à defuncto alimenta accipiebant; & eis restituere lucrum cessans ex tali morte: quia in jure datur actio fratribus ad petendum fratris homicidium. Sed hoc nihil probat, cum etiam alijs propinquis talis actio detur, quibus tenet hæc sententia, nihil esse restituendum. Sic Mercado *lib.* 6. *de Contractib. cap.* 6. favet ex parte Sanch. *supr. n.* 8. dicens, quòd si per Iudicem compulsus sit occisus alere fratres, tunc homicida tenetur fratribus ad alimenta: quia iam erat debitum justitiæ. Sed hoc nihil probat; siquidem etiam creditoribus debebat occisus ex justitia solutionem debiti, vt docet ipse Sanch. & postea videbimus, non teneri homicidam illis solutionem impendere.

Fratribus restituendum esse, sunt qui asserunt.

107 Tertia ergo, & probabilior sententia asserit, solùm hæredibus necessarijs, filijs videlicèt, vxori, & parentibus, qui vnum censentur cum occiso, & damnificari in suis, quando ille injustè de medio tollitur, esse restituendum ab homicida, non fratribus, non alijs consanguineis, non denique alijs, quibus ex liberalitate occisus alimenta præbebat. Et quòd his non sit restituendum, probatur: quia hoc damnum merè per accidens censetur eis obvenire: & quia interfectus non tenebatur ex justitia eos alere, quia nullum jus ad hoc habebant: ergo nec etiam interfector, alioqui teneretur alere omnes famulos defuncti, & pauperes, quos ipse alebat: quod nunquam fuit receptum. ¶ Quòd verò fratribus non teneatur, probatur: quia nec sunt hæredes necessarij, nec censetur vna persona cum defuncto, nec jus naturale habent ad alimenta: & in omnium judicio non censentur damnificatus frater per occisionem fratris, sed potiùs ei commodum allatum, cum sic citius fruatur eius bonis, qui, si viveret, alios fortè institueret hæredes. Sic Prado *capit.* 18. *quæst.* 2. §. 4. *numer.* 23. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 25. *art.* 2. *numer.* 3. Sotus *lib.* 4. *de Iustit. quæst.* 6. *artic.* 3. *ad* 3. Lugo *disp.* 11. *sect.* 4. *numer.* 77. Villalob. *tractat.* 11. *diffic.* 27. *numer.* 4. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 6. *dub.* 7. *numer.* 79. & 80. Trullench, *lib.* 7. *cap.* 8. *dub.* 4. *numer.* 2. Filliuc. *tom.* 2. *tractat.* 32. *capit.* 8. *num.* 207. Bonacina *disp.* 2. *quæst. vltim. sect.* 2. *punct. vltim. num.* 2. Diana 3. *part. tractat.* 6. *reso-*

Solum hæredibus necessarijs sunt damna compensanda.

resolut. 54. & 5. *part. tractat.* 4. *resolut.* 56. & 59.

Qui ex animo nocendi alijs hominem vulneraret, illis damna sequuta teneretur restituere.

108 Et idem est dicendum contra Sanchez, etiamsi homicida advertat talia damna fore sequenda: quia semper per accidens sequuntur, & remotè: & quando damnum per accidens præter intentionem, & remotè sequitur ex actione, non censetur causa physica, aut moralis illius. Aliud est, si homicida talia damna intenderet, & eo animo hominem occideret, vt talia bona impediret: nam in tali casu, juxta doctrinam à nobis traditam *cap. præc. n.* 23. & 103. verè esset causa moralis horum malorum: quia (vt ibidem probavimus) causa per accidens conjuncta cum effectu, si ex animo, & intentione illum procuret, est iam illius moralis causa, cum eoque moraliter conjuncta. Quare in nostro casu teneri homicidam, tam fratribus, quàm alijs, si ex animo impediendi, eorum emolumenta procedat, tenent Villalob. *n.* 6. Serra 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 1. Caietan. *ibi ad* 4. Molin. *tom.* 3. *disp.* 697. *n.* 18. & *tom.* 4. *disp.* 84. *n.* 6. Tapia *num.* 6. Salon. *q.* 62. *art.* 2. *controv.* 8. Lugo *disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 84. & *disput.* 11. *sect.* 4. *à n.* 79. Less. *suprà dub.* 16. *n.* 154. Licet alibi oppositum doceat cum alijs, qui satis probabiliter tenent, quod quantum attinet ad restitutionem, non est attendendum, quo animo, sed quo jure aliquid fiat; & an opus externum ex se sit nocivum, & contra justitiam. Sic Bonac. *n.* 2. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 8. *dub.* 4. *n.* 6. Sanch. *lib.* 1. *Consil. cap.* 4. *dub.* 5. *n.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 49. *n.* 6. Sot. *lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. *ad* 3. *§. Illa autem*, Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 6. *dub.* 7. *n.* 83.

Solvitur argumentū cōtrarium.

109 Ad argumentum primæ sententiæ (quod solùm indiget solutione) respondetur, quòd quando quis per vim impedit, ne alius faciat eleemosynam, vel legatum relinquat; assumitur medium directè, & per se, ex animo ad proximi damnum tendens: vndè non mirum, quòd teneatur ad restitutionem damni, cuius verè fuit causa. At verò in nostro casu respectu aliorum, qui non sunt hæredes necessarij, & respectu amicorum, & familiarium, est solùm causa per accidens, & remota per homicidium.

Creditoribus debita solvenda esse ab homicida, aliqui dicunt.

110 Sed inquires primò, an teneatur homicida solvere creditoribus, quæ debebat occisus, quibus ille fortè, si diutius viveret, solveret, & ob repentinam mortem absque satisfactione sui debiti remanent? Affirmat Sanch. *Opuscul. lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 2. Tapia *lib.* 5 *q.* 25. *art.* 2. *num.* 7. si creditores esse damnificandos prævideat, quando alium occidit, si propter mortem debitoris amittunt debitum: quia tunc percussor, vel occisor videt damnum in causa sequendum ex sua actione: ergo vult efficaciter illud, ac proindè tenetur restituere: sicut prævidens ante ebrietatem damnum faciendum in ebrietate, quamvis non habeat expressam intentionem inferendi damnum, sed solùm se inebriandi, tenetur ad restitutionem damni subsequuti. At si non prævideat damnum subsequendum ex homicidio, inquiunt non tenere: quia percussor non tenetur ex justitia advertere, aut inquirere debita percusi: & sic in tali casu non peccat contra creditores hominem occidendo, vndè ad nihil eis restituendum tenetur. ¶ Alij verò dicunt, teneri debita solvere creditoribus, sive advertat damnum sequendum, sive non: quemadmodum tenetur filijs, vxori, & parentibus, sive advertat ad damnum illorum, sive non: quia ideò respectu eorum semper tenetur: quia occisus tenebatur alimenta illis præbere, & ob injustam suam actionem privavit eos occisor, vel mutilator suo emolumento; sed etiam tenebatur solvere debita creditoribus: ergo, &c. Sic Molin. *n.* 4. *tract.* 3. *disp.* 83. *n.* 8. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 4.

Non tenetur homicida debita creditoribus solvere.

111 Nos verò asserimus, quòd sive advertat, sive non (saltem si ex animo nocendi id non faciat) non tenetur occidens, vel mutilans hominem debita solvere creditotibus, etiamsi occasione mortis à suis debitis fraudentur. Primò, quia creditoribus non datur in foro externo actio contra læsorem debitoris, nec in foro conscientiæ solet læsor interrogari, an læsus debitores habeat: ergo signum est non teneri ex justitia illis satisfacere. ¶ Secundò, quia ex tali læsione per accidens obvenit damnum creditoribus; illa namque ex se non est ipsis damnosa, sicut est damnosa eis, qui cum læso vnum reputantur, vt sunt filij, parentes, & vxor. ¶ Tertiò, quia creditor jus non habet in suum debitorem, nisi in quantum se extendunt illius facultates, quas vel actu habet, vel verosimiliter habiturus esset, si superviveret. Cum ergo hæc homicida restituat hæredibus, in quos transfertur defuncti obligatio, creditoribus injuriam non facit: quia petere possunt solutionem ab hæredibus. Ita Serra 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 1. *conclus.* 1. *§. Creditoribus*, Prado *cap.* 18. *q.* 2. *§.* 4. *n.* 23. & 24. Soto *de Iustit. lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. *ad* 4. Becan. 2. 2. *quæst.* 62. *de Restit. q.* 14. *concl.* 1. *ibi*, Salon. *art.* 2. *controv.* 7. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 27. *n.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 26. *n.* 151. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 8. *n.* 209. Lugo *disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 83. Dicast. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 6. *dub.* 7. *n.* 82. Dian. 5. *p. tract.* 4. *resol.* 57.

Non quævis remissio injuriæ sufficit ad liberādum à restitutione.

112 Inquires secundò, an si occisus remittit homicidæ ante mortem damna, maneat ille liber ab onere restitutionis? In quo est certum, non excusari homicidam à restitutione per hoc, quòd occisus in foro animæ remittat injuriam: quam remissionem communiter Confessarij petere solent à vulnerato. Nec per hoc censetur remissum jus referendi ad Iudicem injuriam, & accusandi: intelligitur namque talis remissio solùm intra terminos charitatis, quoad non habendum odium: quod requiritur, & non amplius, vt sacramentaliter absolvatur. Vndè vt talis remissio extendatur ad exteriorem injuriæ querelam, debet esse plena, & generalis. Imò non sufficit remittere injuriam, etiam quoad forum externum, & exteriorem accusationem, vt censeantur damna remissa, expensæ, & interesse: quia ex vi huius solùm intelligitur remissa injuria, vel pœna civilis, nisi totum exprimatur. Quemadmodum per hoc, quòd Rex justa de causa condonet homicidæ delictum, non ob id manet liber à restitutione: quia ipse solùm pœnam civilem, & obligationem ad illam intendit, imò potest, remittere, non verò obligationem ad damna, & interesse. Bonac. *disp.* 2. *q. vlt. sect.* 2. *punct.* 1. *fine*, Lugo *disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 60. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disput.* 6. *dub.* 7. *n.* 81. Sanch. *tom.* 1. *Consilior. lib.* 1. *capit.* 4. *dub.* 12. *num.* 1. Covar. 2. *Variar. cap.* 10. *à n.* 7. vers. *Tertium.*

113 Dicimus ergo ad quæsitum, quòd licèt pater, v.g. male faciat, remittendo expensas, & reliqua damna læsori cum præjudicio filiorum (& idem est de filio respectu patris, & mariti respectu vxoris) eo quòd filijs prius consulere debeat, quàm extraneis, & sic contra illorum charitatem peccabit, si aliundè non habeant si-

bi

bi necessaria : valida tamen erit talis remissio , & percussor à restitutionis onere manebit immunis. Tùm, quia, vt sibi talia damna compensentur, non habent maius jus filij, quàm pater, imò omne jus filiorum ratione parentum provenit: ergò si ipse debitor renuntiet, factum tenebit. Tùm etiam, quia pater ex justitia non tenetur filijs alimenta præbere, sed ex charitate, vel pietate : ergo si remittat, valida erit remissio. Tùm denique, quia in omnium sententia, si duo se provocent ad duellum, vel vnus alium, & ab eo occidatur, non tenetur occisor aliquid restituere : quia tunc censetur omnia damna condonare, vt diximus *n.96.* ergo potest validè remittere pater talia debita, etiam cum filiorum detrimento. Ita Sanchez *supr.n.*5. Diana 5.*p. tract.*4. *resolut.*58. Bañez 2.2.*q.*62.*art.*2.*dub.*6. Sot.*lib.*4. *q.*6. *art.*3.*ad* 5. Less.*lib.*2.*cap.*9.*dub.*26. *n.*159. Bonacin. *disp.*2.*q.vltim.sect.*2.*punct.*1.*num.*16. Dicast. *supr. num.*81. Becan.*q.*14.*de Restit. concl.*4. & hoc verum est etiam in regnis, vbi pater disponere non potest nisi de quinto, si habeat filios. Tùm propter rationes dictas. Tùm etiam, quia hæc bona non computantur inter bona patris, de quibus loquuntur leges: quia loquuntur de acquisitis, non de acquirendis. Et sic nobiles, & divites hæc debita solent condonare, & nemo cogitur huiusmodi actiones ex delicto, vel injuria nascentes in censu suo numerare.

CAPUT III.

De Restitutione ratione adulterij, vel stupri.

QVamvis plures dentur species luxuriæ, de quibus agunt Doctores cum Div. Thom. 2.2.*q.*154.*art.*1. vel *in tract. de Matrimon.* & nos suo loco de illis sermonem faciemus, duæ tamen sunt speciales, per quas injuria proximo irrogatur, nimirùm *stuprum, & adulterium.* De quibus, & de obligatione restituendi, quam inducunt, hoc Capite agemus. Quod continet duo Puncta.

Punct. I. *Quid pro stupro teneatur restituere, qui virginem defloravit?* num. 1.

§. I. *De obligatione, quam habet, restitutionis defloror virginis absque promissione conjugij.* num. 2.

§. II. *Quam obligationem subeat, qui sub promissione matrimonij virginem violavit?* num. 17.

Punct. II. *De obligatione restitutionis ratione adulterij.* num. 26.

§. I. *Vtrùm si partus sequatur, teneatur adulter damna restituere, quæ marito, vel hæredibus consequuntur?* num. 28.

§. II. *Ad quid teneatur adultera, si partus sequutus sit?* num. 37.

PUNCTUM I.

Quid pro stupro teneatur restituere qui virginem defloravit?

1 QVamvis nomine stupri generalitèr omnis concubitus jure reprobatus, & condemnatus intelligatur, qua ratione incestus, sodomia, adulterium, stuprum appellantur in leg. *Inter liberas, ff. de Adulter.* proprie tamen accipitur pro virginis violatione, maximè si per vim fiat; quo modo, vltra peccatum fornicationis, habet malitiam gravissimam contra justitiam in confessione detegendam, & in jure pœna capitali punitur: & hanc malitiam stupri, & eius pœnam etiam conjunctam habet, sive virgo sit, sive corrupta, cui vis illata est : erit tamen gravius in virgine, propter florem pudicitiæ vi ereptum. ¶ At si talis defloratio virginis non fiat vi, minis, aut alio modo involuntarium involvente; sed ipsa vel solicitante, vel consentiente liberè, probabilius est, non inducere novam malitiam, aut ex parte viri, aut ex parte fœminæ, præter malitiam simplicis fornicationis, in confessione detegendam : nec tenetur fœmina, quæ cum viro rem habuit, in confessione detegere, an illa sit prima copula ab ea habita, qua florem virginitatis amisit; an alias præter illam habuerit: nec de hoc interroganda est; aliàs cogeretur cum pudore vis in confessione suam fragilitatem detegere : quod omninò vitandum est, quando ad explicandam novam speciem malitiæ non requiritur, vt hic contingit: nam stuprum, consentiente puella, non inducit malitiam injustitiæ, vt dicemus, etiamsi ipsa sit sub patris, vel tutoris custodia. Et tenet Less. *lib.*2.*cap.*10.*dub.*1. & *lib.*4. *cap.*3. *dub.*9. Bañez 2.2.*q.*62.*art.*2.*dub.*7. Sot. *in* 4.*dist.*18. *q.*2. *artic.* 4. *post* 7.*concl.* Petr. Navar. *lib.*2. *cap.*3.*n.*417. & 419. Vazq. 1.2.*q.*74.*art.*8.*disp.*112.*num.*1. & 3. Suar. *de Confessione, disp.*22.*sect.*4.*n.*2. *Circumstantia quid, n.*6. Sanch. *lib.*7. *de Matrimon. disp.*14.*n.*5. Nisi fortè infamia ex tali actu parentibus, & consanguineis oriatur, vel alia damna, & incommoda timeantur insurrectura; sed hoc est per accidens, quod evenire posset, etiamsi fœmina vidua esset, vel aliàs occultè violata. ¶ Undè inferunt (& benè) prædicti Authores, cogitationes, seu delectationes morosas in virgine, vel in adolescente circa virginem, tametsi peccata sint mortifera, non tamen habere specialem malitiam detegendam, ac si cum alia fœmina soluta essent habitæ, nisi junctæ sint cum voluntate inferendæ violentiæ. ¶ Quibus sic prælibatis circa malitiam huius peccati, ad obligationem restitutionis explicandam accedamus. Et prius loquemur, quando cum violatione virginis non intervenit conjugij promissio, posteà de tali stupro, cum promissione matrimonij conjuncto.

Quid sit stuprum, & quale peccatum?

§. I.

De Obligatione, quam habet reſtitutionis deflorator virginis abſque promiſsione conjugij.

Conſentiēte virgine, nihil defloratur tenetur reſtituere.

2 DUpliciter ſe habere poteſt alicuius virginis deflorator: vel illam vi, minis, vel importuniſsimis precibus, aut medijs extraordinarijs ſolicitando, & ſic vſuram corporis obtinendo: vel tantùm cum ea rem habendo, ipſa ſponte ſua conſentiente, vel quia ipſa induxit, vel quia inducta eſt precibus, blanditijs, aut muneribus, ita vt liberè, & ſponte omninò conſentiat. Dicimus ergo, quòd ſi virgo ſponte ſua conſentiat, non tenetur corruptor in foro conſcientiæ, aut eam ducere, aut dotem augere, aliquidve ipſi reſtituere: nec eius parentibus, etiamſi poteſtati illorum ſubjecta ſit, & abſque illorum conſenſu patiatur ſe violari. Aſſertio quoad primam partem, quòd non teneatur corruptor aliquid puellæ reſtituere, ferè eſt communis inter Doctores, vno, vel altero dempto. Quoad ſecundam verò, quòd nec parentibus, ſub cuius cuſtodia eſt, aliquid per ſe, & præcisè ratione damni virginitatis ablatæ teneatur reſtituere, licèt non omnes conſentiant, eſt graviſsimorum Doctorum opinio. Unde, quoad vtramque partem, aſſertionem tenent Soto *lib.* 4.*de Iuſtit.q.*7.*art.*1.*ad* 2.Bañez 2.2.*q.*62. *art.* 2. *dub.*7. *concl.*1.Tapia *tom.*2.*Catenæ,lib.*5.*q.*25.*art.*4.Vera-Cruz 3.*part.Opuſcul.art.* 19.*fine.* Suarez *tom.* 4.*de Pœnit.diſp.*22.*ſect.*4.*n.*26. Lugo *tom.*1.*de de Iuſtit. diſp.*12.*ſect.*1.*n.*2.& 8. Dicaſtill. *lib.*2.*tr.*2.*diſp.*7. *dub.*9.*n.*109.& 111. Layman *lib.*3.*tr.*3. *p.* 3. *cap.* 13.*n.*3.Rebell.1.*part.lib.*3.*q.*8.*concl.*1.& *q.* 9. *concluſ.*3.Sanch. *de Matrim.lib.*7.*diſp.*14.*n.* 11. Villalobos *tr.*11.*diffic.*30.*n.*1.& 5.Leſsius *lib.*2.*cap.*10. *dub.*2.*n.*9.Petr.Navarr. *lib.*2.*de Reſtit.cap.*3.*dub.*2. *n.*423.

Prima pars concluſionis probatur.

3 Et probatur aſſertio quoad primam partem: quia puella eſt domina ſui corporis quoad vſum illius,& ſuæ integritatis, ſicut cæterorum membrorum eſt domina quoad illorum vſum: vnde habet jus vtendi eo etiam ad hoc opus, ita vt nemini propriè faciat injuriam: ſicut mulier corrupta nemini facit injuriam,ſi ſuo corpore abutatur: ergo ſi ipſa ſpontè in ſui defloration em conſentiat, nullam injuriam patitur: quia ſcienti, & conſentienti nulla fit injuria: ergo ad nullam reſtitutionem illi faciendam ſtuprator tenebitur. ¶ Nec valet dicere, ipſam, ſicuti non poteſt conſentire, vt ei abſcindatur manus, vel aliud membrum: ſic nec in ſtuprum, per quod fit læſio corporis, & ruptio membri. ¶ Sed licèt concedatur talem rupturam fieri, (quod ex opinione peritiſsimorum Medicorum negat Leſsius *ſuprà* citatus) attamen, vt rectè inquit Bañez, qui permittit, vt manus v.g. ei abſcindatur, non patitur injuriam, nec ei eſt aliquid reſtituendum, quamvis ipſi naturæ per hoc injuria irrogetur, cuius juri cedere non poteſt, cùm in nullo caſu ipſi licitum ſit tale membrum à ſe abſcindi conſentire. In noſtro autem caſu (inquit Bañez) nec ipſi naturæ fit injuria, cùm ipſa natura ordinaverit talem integritatem virginis per coitum abſcindendam; quod ſicut ipſa pati poteſt licitè in matrimonio, ita etiam illicitè extra illud: non tamen contra juſtitiam, vel naturam in hoc operabitur.

Probatur ſecunda pars aſſertionis.

4 Quoad ſecundam partem probatur: quia mulier eſt domina ſui corporis, non ipſius parentes, & ſic non tenetur ex juſtitia ſe integram ſervare; ſed ſicut poteſt à matrimonio abſtinere, vel, ipſis invitis, indignè nubere, ſic poteſt abſque injuſtitia ſe inhabilem ad illud reddere, aut minùs aptam: & ſic non facit illis injuriam ſe violari permittens, nec tenetur aliquid illis reſtituere: quemadmodùm ſi ſaltibus, alijſve motibus clauſtrum virgineum reſeraret. Cùm ergò ipſa, quæ principalis eſt cauſa damni, ad nullam reſtitutionem teneatur reſpectu parentum, vel tutorum, multò minùs tenebitur deflorator ad aliquam reſtitutionem in foro conſcientiæ, qui, volente ipſa, & ſpontè conſentiente, florem virginitatis eripuit.

Ad quid ſtuprator in foro externo obligetur.

5 Sed notandum eſt primò, nos dixiſſe, non teneri defloratorem in foro conſcientiæ ad aliquid reſtituendum: in foro namque exteriori cogetur eam ducere, & dotare, vel ſaltem vnum de duobus exhibere: quia ipſam decepiſſe præſumitur, *cap.* 1. & 2. *de Adulterijs, leg. vnica, ff. de Raptu.* Imò in tali foro virgo præſumitur, licèt non ſit, niſi oppoſitum probetur. Sed quia iſtæ leges in præſumptione fundantur, non tenebitur ipſe ſtare ſententiæ Iudicis in conſcientia, ſi falſa ſit præſumptio, in qua fundatæ ſunt: nec poterit mulier licitè contra illum in foro externo agere, vt notavit Lugo; ſed tenebitur veritatem dicere, ſi interrogetur; vel à prætenſione deſiſtere: imò etiam reſtituere damna ſtupratori obvenientia, ſi ſe virginem, aut deceptam fingens, cogat illum aliquid parentibus dare, & expenſas in proſecutione litis conſumptas.

Si nobilis fuerit vir, & pauper virgo, eam ex parte dotare debet, etiāſi ſpōte conſentiat.

6 Notandum eſt ſecundò, quòd (vt benè inquit Bañez *ſuprà concluſ.* 4. Villalob. *num.* 3. Tapia *art.*4.*num.*3.) ſi deflorator ſit valdè dives, & fœmina pauper, tenebitur aliquam partem dotis ei conferre, licèt eam dare non promiſerit; quia tunc quoddam pactum implicitum intervenire cenſetur, & ſub hac ſpe puellam in ſui detrimentum conſentire; quia ſic frequentèr ſibi credunt de remedio opportuno provideri; quia cum puellæ videant ad hoc obligari in foro externo virginum violatores, judicant ſemper ſub tali obligatione ab ipſis crimen commiti. Quod advertere debent Confeſſarij, ne de facilì abſque aliquo onere reſtituendi eos abſolvant. Quamvis Dicaſtill. *n*, 144. Rebellus *n.* 3. ad id ſolùm ex conſilio, & æquitate teneri dicant. In quocumque tamen eventu debet Confeſſarius aliquam pœnam pœcuniariam violatoribus divitibus imponere, virgini defloratæ ſolvendam.

Quid ſētiēdū de infamia ex defloratione ſequuta.

7 Notandum eſt tertiò, quòd nos diximus *per ſe, & ratione præcisè virginitatis ablatæ*; & quia ob id non poterit æquè benè fœmina nubere, ſed augendam eſſe dotem à parentibus, non teneri aliquid ſtupratorem parentibus reſtituere. Per accidens tamen poteſt illis infamia, vel dedecus ex tali actu obvenire, quod per accidens ex illius publicatione ortum ducit, & æque benè poterat oriri, ſi fœmina ſub cuſtodia parentum conſtituta, eſſet vidua, aut virgo reputata, cùm tamen eſſet corrupta; & in tali caſu teneri ad reſtitutionem talis infamiæ, aut dedecoris familiæ ſtupratorem, aſſerunt Bañez, Leſsius, & Rebellus. Quod facere poteſt, vel per æquivalentem honorationem, vel per veniæ petitionem, vel alijs modis, quibus honor ablatus reſtitui ſolet: quod omitti poteſt, ſi ex circumſtantijs perſonæ præſumitur, nolle talem ſatisfactionem. ¶ Cæterum Sanchez, Villalobos, & Dicaſtillo nec talem ſatisfactionem

in tali casu teneri corruptorem exhibere asserunt: tùm, quia non est in vsu: tùm etiam, quia ipsa virgo potuit pati hoc detrimentum absque obligatione restitutionis, non obstente infamia parentibus sequuta. Sicut qui delictum committit, quo suam infamat familiam, non tenetur quidquam restituere? quia non tenetur ex justitia bene vivere, vt ipsius honorem incolumem conservet. Unde nec ipse violator tenebitur ex justitia ob talem finem à copula abstinere. Eo vel maximè: quia ex sua actione non sequitur per se talis infamia, sed per accidens ex aliorum divulgatione, & malitia. At si ex ipsius malitia talis infamia proveniret, vt si de tali actu se jactaret, vel illum incautè referret, proculdubiò tenebitur dictam satisfactionem exhibere parentibus; & fœminam vel ducere, vel dotare, vel saltem dotem augere; vt posset æquè bene nubere, ac si non esset hic defectus divulgatus; quia tunc contra illius voluntatem est causa mali, & damni ex sua injusta propalatione fœminæ sequuti.

Qui vi, aut fraude virginẽ violavit, illi debet dotẽ augere, vt benè nubat.

8 Dicendum est secundò, quòd si quis vi, fraudibus, aut minis virginem violavit, tenetur compensare omnia damna honoris, & fortunæ, ipsi, & parentibus inde provenientia: quia illorum causa injusta exitit; & propterea illa resarcire debet, cap. *Si culpa de injurijs*: Non autem tenetur integrè virginem dotare, sed quantum plus valebat spes nuptiarum, quam adhuc integra habebat, compensare; ideoque tenetur augere dotem, vt æquè benè nubat, ac si talem injuriam passa non esset: V.g. si virgo erat talis conditionis, vt per dotem mille aureorum poterat conformitèr ad suum statum nubere, & posteà vi corrupta, minis, aut fallacijs, indiget tribus mille aureis, vt æqualitèr nubat, non debet corruptor omnia tria milia dare, sed illa duo milia, quibus indiget, vt æquè benè nubat; quia jure naturæ non tenetur, nisi damnum illatum reparare: vt docet Covarr. 2. *part. de Sponsalibus, cap.* 18. *§.* 8. *num.* 19. Lugo *disp.* 2. *sect.* 1. *n.* 13. Tapia *lib.* 5. *q.* 25. *art.* 4. *n.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. *n.* 11. Bañez 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 7. *concl. vlt.* Rebellus 1. *p. lib.* 3. *q.* 8. *n.* 9. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. *n.* 115. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 14. *n.* 12. & præter hoc debet aliquid arbitrio prudentum dare, propter illum dolorem, & mœrorem, quem mulier semper vi oppressa patitur, & timorem ac periculum, vt si conjugata á viro cognoscatur, dimittatur, & malè tractetur.

Non tenetur eam ducere injustus violator.

9 In foro autem conscientiæ non tenetur corruptor, qui vi, aut fraudibus copulam extorsit absque promissione conjugij, eam ducere, & dotare, sed vnum ex his exhibere; & non tenetur determinatè ad vnum, nimirum ad eam ducendam; sed satisfacit suæ obligationi augendo dotem, vt æquè benè nubat, & alia damna sequuta resarciendo; quia solùm damna facta per injuriam tenetur rependere; & ideò vel per matrimonium, vel damni æstimationem: & sic si nec tacitè, nec expressè matrimonium promisit, sed solùm vi, vel fraude virginem violavit; etsi ipsa velit matrimonium, non tenetur corruptor eam ducere in foro conscientiæ, quia solùm debet damnum illatum compensare; quamvis sit saluberrimum consilium eam ducere, vt penitus ab injuria liberetur. Lugo *num.* 11. & 14. Bañez *in solut. ad* 1. Dicastill. *n.* 115. Tapia *n.* 5. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 30. *num.* 9. Rebell. *quæst.* 8. *num.* 9. Lessius *num.* 13. ¶ Poterit tamen in pœnam criminis per sententiam Iudicis ad vnum determinatè, vel ad dotandam eam, & ducendam simul, obligari; & tunc tenetur justæ sententiæ obedire: quia sententia pœnalis justa obligat in foro conscientiæ, quomodò explicatur ab Auctoribus *cap.* 1. *de Adulterijs*, vbi seductorem virginis teneri eam dotare, & ducere dicitur: & desumitur *ex cap.* 22. *Exod.* vbi dicitur: *Si seduxerit quis virginem nedum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & accipiet eam in vxorem.* Quæ post sententiam Iudicis intelliguntur, & tanquam pœna criminis, proinde non obligat, nisi post Iudicis sententiam.

Si nolit virgo acceptare violatoris cõjugium, eam dotare tenetur.

10 At verò qui per vim fœminam corrupit, vel per fraudem, fingendo se nobilem, aut divitem, qui talis non erat, si velit eam ducere, sed ipsa non vult matrimonium cum ipso contrahere, vel parentes eius illi dare eàm nolunt, quamvis Covarr. *part.* 2. *de Sponsalibus, cap.* 6. *§.* 8. *num.* 19. Molina *disp.* 104. *n.* 16. dicant ad amplius non teneri, quia existimant debere puellam admittere matrimonium, si ipsius conditio ei correspondeat; & ideò si recusset, ad nihil amplius stupratorem teneri: Verius est tamen non teneri fœminam matrimonium oblatum admittere, & tunc obligabitur violator pecunijs illatum damnum reparare: quia per injuriam passa est tale damnum, cuius reparationem potest exigere: & non est cogenda cum injusto deceptore, & violatore contrahere; ita vt privetur jure, quod habebat, ad eligendum virum quem voluerit, Rebell. 1. *p. lib.* 3. *q.* 8. *n.* 9. Dicastill. *tr.* 2. *disp.* 6. *dub.* 9. *n.* 116. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. *n.* 12. Lugo *disp.* 12. *n.* 12. citans Azor, & Turrianum.

Quid de violatore virginis talis reputatæ cum non esset?

11 Sed hìc nota, quòd si oppressor virginis adhuc dubitet eam virginem esse, tenetur modo dicto damna compensare: quia semper præsumitur talis, dum non constat certò de oppositò. Imò etiamsi certò reperiat non esse virginem, reputabatur tamen talis, & suo concubitu injusto eam diffamavit, tenetur eodem modo, vel eam ducere, vel dotem augere, vel de nuptijs competentibus providere: quia illud damnum intulit contra justitiam, accedens ad eam vi, & fraude, & exturbans injustè ab opinione virginitatis. Idem dicimus ex communi Doctorum placito de eo, qui viduam honestæ famæ, vi, aut fraudibus cognovit, si ex tali copula illi proveniat infamia, ratione cuius non ita bene nubere possit: quippe tenetur vel eam ducere, vel augere dotem, aut de nuptijs providere competentibus. Si tamen in occulto rem habuit cum fœmina corrupta, sive vidua, sive virgine reputata: ita vt ex tali coitu non infametur, non tenetur nec eam ducere, nec dotem augere. Non quidem ratione damni illati, cùm nullum sequutum sit, nec ratione copulæ injustè extortæ: quia hæc non est per pecunias compensabilis, vt *cap præced. n.* 81. de eo qui membrum abstulit, vulnus inflixit, aut mortem, diximus.

Si violata virgo æquè benè nubat, ad nihil tenetur stuprator.

12 Sed rogabis primò, an si virgo vi, aut fraude violata, posteà æquè benè nubat, ac si vitiata non esset, vel in Religione profiteatur sponte, & sua libera voluntate, teneatur corruptor aliquid ipsi, vel parentibus restituere, præciso alio extrinseco damno diffamationis, & inhonorationis familiæ? Respondetur, quòd si antequam matrimonium contrahat, vel profiteatur, per sententiam, vel pactum non esset ei adjudicata dos ab stupratore solvenda (quo casu tenetur apud omnes eam solvere, & eam potest fœmina tuta conscientia retinere) ad nihil violator injustus manet obligatus. Non quidem pro violatione virginitatis, quæ irreparabilis est, nec pecunijs æstiman-

manda, vt abſciſsio membri, vel vitæ ablatio; nec pro damno illato, eo quòd nullum eſt ſequutum, cùm æquè bonum ſtatum aſſumpſerit, ac ſi vitiata non eſſet; nec pro periculo, in quo illam conſtituit non inveniendi commodas nuptias; quippe alteri periculum inferre vitæ, vel fortunarum, non obligat ad reſtitutionem, quin damnum reipſa ſequatur; niſi antequam damnum non ſequuturum conſtet, cum conſtituente in periculo paciſcatur de aliquo emolumento recipiendo, pro eo quòd occaſione illius in tali periculo conſtituatur: quod licitè poteſt, & tunc alius pactum tenetur obſervare. Sic Leſsius *lib. 2. cap. 10. dub. 2. n. 15.* Dicaſtill. *ſuprà n. 121.* Villalob. *diffic. 11. tr. 30. num. 14.* Lugo *diſp. 12. ſect. 1. n. 16.* Petrus Navarr. *lib. 3. cap. 5. dub. 2. n. 434.* Qui advertunt, quòd ſi poſteà, cognito vitio à marito, malè tractetur, vel dimittatur, tenetur deflorator ad talia damna compenſanda, arbitrio prudentum.

Si moriatur puella, vel debitum remittat, ad nihil ſtuprator tenetur.

13 Imò ſi ipſa moriatur ante tempus nubendi, & ante obitum pacta non eſt de pretio pro periculo damni, cui expoſita fuit; nihil hæredibus eius tenetur deflorator reſtituere, eo quòd non ſit damnum ſubſequutum. Si autem ante mortem puellæ iam pactus eſt cum illa de dote conferenda, vel per ſententiam Iudicis eſt ei adjudicata, tenetur eam hæredibus ſolvere, qui ſuccedunt in omnibus juribus illius, & quibus competunt omnia debita realia, quæ defuncto ante mortem debebantur. ¶ Ac tandem ſi, poſtquàm violator pepigit cum puella de dote illi danda, vel etiam ante tale pactum, ipſa condonavit injuriam, & omne debitum remiſit, ad nihil ille tenetur. Poteſt namque puella talem facere condonationem, etiamſi ſit ſub cura parentum; quia non parentibus, ſed ipſi talis ſatisfactio debetur. Leſsius *num. 19.* Lug. *n. 9.* Vazq. *Opuſcul. de Reſtit. cap. 3. §. 2. dub. 4. n. 12.*

Per repetitas preces violentia nõ infertur.

14 Rogabis ſecundò, an ſi vir precibus repetitis, & importunis, vel muneribus, aut promiſsis virginem ad conſenſum ſuæ defloracionis induxit, teneatur eam ducere, vel dotem modo dicto augere, aliàve damna ſequuta reparare? Reſpondetur negativè, niſi ſimul cum precibus junctæ fuerint minæ, aut metus reverentialis: vt ſi eſſet illius dominus, ſuperior, aut tantæ authoritatis, cui ipſa non audeat contradicere. Quia tales preces non adimunt libertatem ſimpliciter talem, nec ingerunt aliquam violentiam, vt diximus *tract. 9. de Matrim. cap. 9. num. 36.* & illarum moleſtiam aliter poteſt mulier excutere, concepta ira, qualem in hac parte maximè decet; & multò minus promiſſa vim afferunt, ſed blandè alliciunt; nec etiam munera: vnde non tollunt, quòd ſpontè virgo conſentiat. Vazquez *de Reſtitut. cap. 3. §. 2. dub. 1. n. 4. & 6.* Diana 2. *part. tract. 2. Miſcel. reſol. 50.* Lugo *diſp. 12. ſect. 1. n. 4.* Dicaſtillo *lib. 2. tr. 2. diſp. 7. n. 117.* Soto *de Iuſtit. lib. 4. q. 6. art. 3. concl. 3.* Petr. Navarr. *lib. 2. cap. 3. n. 444.* Leſſ. *lib. 2. cap. 10. dub. 2. n. 14.* Sanch. *tom. 1. de Matrim. lib. 4. diſp. 10. n. 1. & 4.*

Aliquando preces moleſtiſsimæ violẽtię ęqui parantur.

15 Verum eſt, quòd ſi diligentiæ ad extorquendum conſenſum virginis eſſent multùm extraordinariæ, & preces eſſent adeò importunæ, & ſolicitationes repetitæ, & frequentes, vt ipſa mallet illud virginitatis pati detrimentum, quàm aſsiduè tàm improba ſolicitatione enecari (quod prudentum arbitrio penſandum eſt) tenetur deflorator damna reſarcire, ac ſi vi, aut fraude virginem violaret; quia tunc quaſi invita, & (vt dicunt) *à mas no poder*, conſentit: nam, vt dicitur *in leg. 1. de raptu virginis*, & Gloſſa, cap. *Scienti, de regul. juris in 6.* quæ ſic ſolicitatur, quaſi vim patitur ad hunc effectum: quia (vt communiter circumfertur) *eſtos no ſon ruegos, ſino fuerça.* Unde licèt non excuſetur à peccato mulier conſentiendo, tenetur compenſare damna deflorator: vt docent Sanch. & Dicaſtill. *loc. citat.* Bañez *q. 62. art. 2. dub. 7. concluſ. 3.* Tapia *lib. 5. q. 25. art. 5. n. 2.* Villalob. *ſuprà n. 11.* Rebellus 1. *part. lib. 3. q. 8. n. 5.* Sed, vt benè notavit Sanchez, & Leſsius, hæc rariſsimè contingunt: & fœmina defacilè poſſet, concepta ira, & aſperitate, importunum ſolicitatorem excutere, & alijs vijs effugare.

Duo quæ debent notari.

16 Sed benè advertit Bañez, Tapia, & Villalobos, quòd ſi vir incepit vim virgini inferre amplexibus oſculis, tactibus, &c. etiamſi abſque dicta precum importunitate id faciat, & poſteà ipſa libere conſentiat, non liberatur ſtuprator à reſtitutione dicta damnorum: quia per illam violentiam antecedentem, virginem in tali periculo poſuit, vt ad reſiſtendum virtute valdè heroica indiguerit. ¶ Notat etiam rectè Rebell. *num. 5.* Dicaſtill. *num. 119.* quòd ſi virgo conſentiat roganti, & nolenti aliter diſcedere, videtur per coactionem conſentire, ſi, vt vitet ſuſpicionem ſtupri, & notam infamiæ, quam timet naſciturum, ſi cum viro in loco ſuſpecto reperiatur, vſuram corporis impertitur. Sed in his, & ſimilibus caſibus minor eſt reſtitutio facienda, arbitrio prudentum, cùm non omninò coacta fœmina conſentiat, & ſic ex parte amittit jus ad reparationem damnorum.

§. II.

Quam obligationem ſubeat, qui ſub promiſsione virginem violaverit?

Tenetur ducere virginẽ qui ex promiſsione matrimonij eã coguovit.

17 Aſserendum eſt tertiò, quod qui virgini matrimonium promiſit, ſive ex animo, ſive fictè id fecerit, & ſub ea ſpe eam defloravit, tenetur eam ducere, & non ſatisfacit ſuæ obligationi ipſam dotando, vel eam de nuptijs providendo: quia intervenit quidam contractus oneroſus, *do, vt des, facio, vt facias.* Vnde ſicut illa ex ſua parte implevit conditionem, ſe jacturæ virginitatis exponendo, vir tenetur ſtare promiſsis, vt latè diximus *tract. 9. de Matrim. cap. 1. num. 34. & 83.* & ſic tenent Leſsius, Dicaſtillo, Rebellus, Villalobos, Tapia, Lugo, & alij. Cæterùm *loco citato* ex D. Thoma plures limitationes, & conditiones huius doctrinæ tradidimus, quæ ibi videri poterunt. Hic ſolùm addimus, quòd ſi aliquod impedimentum dirimens viro ſuperveniat, vt ſi fiat affinis, ſi contrahat cum alia de præſenti, ad ſacros Ordines promoveatur, tenetur damnum illatum modo dicto *§. præced.* de eo, qui per fraudem, aut vim virginem defloravit, compenſare. At verò ſi, viro offerente matrimonium, (nullo impedimento exiſtente) puella nolit illud acceptare, vel parentes eam ipſi tradere, ad nihil vltra tenetur; ſive fictè, ſive ex animo conjugium promiſerit: quia ipſe ſolùm tenetur ad id quod promiſit; promiſit autem conjugium, quaſi vt pretium, vel conditionem defloracionis: ergo ſi per ipſum non ſtet, quominus matrimonium celebretur, ad nihil vltra tenetur. Lugo *diſp. 12. ſect. 2. n. 29.* Sanch. *lib. 1. de Matrim. diſp. 10. n. 15.* Leſſ. *lib. 2. cap. 10. dub. 3. n. 27.* Villalob. *tr. 11. diffic. 30. n. 8.* ¶ Imò nec ipſam ducere, nec aliquid aliud tenetur reſtituere, ſi poſteà con-

contingat cum alio fœminam copulari. Non quidem ducere tenetur: quia per fornicationem subsequentem fœminæ, cessat obligatio promissionis conjugij, vt dicto *tract. cap.* 2. *num.* 78. diximus. Nec etiam alia damna compensare: quia ex vi promissionis solùm ad contrahendum cum illa se obligavit, quæ obligatio per subsequentem copulam fœminæ cessavit. Lugo *n.* 26. Sanch. *n.* 13. Lessius *n.* 28. Villalobos *n.* 8. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. *n.* 134. Rebellus 1. *part. lib.* 3. *q.* 8. *n.* 16.

Si fœmina virum decipiat, se virginē fingēdo, ad nihil tenetur vir.

18 Sed rogabis primò, an si vir fœminæ conjugium promittat, vel fictè, vel ex animo, putans eam virginem esse, quod postea non esse certò cognoscit, teneatur eam ducere, vel saltem dotare, aut dotem ipsius augere? Respondetur, quòd si ipsa virum decepit, dicens se virginem esse, quæ non erat talis; ad nihil manet vir obligatus. Non quidem ad ducendam eam: quia ex præcedenti copula in fœmina, datur sufficiens causa in viro dissolvendi sponsalia, seu matrimonij promissionem, vt probavimus *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 2. *num.* 89. Nec etiam compensandi damnum: quia nullum datur; vel si detur, sibi imputet fœmina decipiens, cum alius sub conditione quòd virgo esset, censeatur promittere. Ideòque etiamsi verè promittat, ad nihil tenetur, & multò minùs, si fictè: quia sicut fœminam decepit, ab ipsa deceptus est, & sic datur compensatio deceptionis. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 10. *n.* 11. Lugo *disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 24. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *n.* 28. Corduba *lib.* 1. *q.* 13. *dict.* 3. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. *dub.* 10. *n.* 142. Sed debet certò constare virginem non esse; & non sufficiunt leves conjecturæ, vel dubia, ad exonerandum virum à tali obligatione: siquidem excusatio debet esse certa, vt à certa liberet obligatione; & semper virgo præsumitur omni jure fœmina, nisi de oppositò constet.

Qui promittit fœminæ, putās virginē, matrimonium si non sit, ad nihil tenetur?

19 At si puella non decipiat virum, sed ille putans virginem esse, sub promissione matrimonij eam cognovit, quam non esse talem certò comprehendit; adhuc non teneri, nec eam ducere, nec dotem illius augere, aut de nuptijs providere, probabile judicamus. Non quidem eam ducere tenetur: quia hæc sufficiens causa est dissolvendi sponsalia ex parte viri, & liberandi eum à promissione matrimonij: si fœminam, quam virginem judicabat, inveniat corruptam, etiamsi vidua esset, & legitimo toro violata, vt diximus *dicto tract. cap.* 2. *num.* 92. Nec etiam damnum compensare: quia nullum sequutum est, si occultè fiat. Et quia ipse solùm ad ducendam eam se obligavit, & dumtaxat promissis stare tenetur: quæ obligatio, vt iam diximus, cessat in illo casu. Turrian. *disp.* 30. *dub.* 4. *num.* 20. Lessius *n.* 10. Sanchez *num.* 12. Dicastillo *num.* 145. Villalobos *tract.* 11. *diffic.* 30. *num.* 8. Lugo *suprà n.* 25. licèt oppositum videatur innuere *n.* 24. Sed hoc intellige, ita vt non teneatur compensare damna præcisè ratione copulæ sequutæ, vt si esset occulta, vel sua culpa minimè divulgata. Sed si ipse causa esset divulgationis, ob quam fœmina infamiam pateretur, eam ducere teneretur, vel saltem dotare, vel dotem augere, vt æquè benè nubere posset. Similitèr restituere debet aliquid pro eo quòd ex parte sua fœmina dedit, nimirum quantum valere potuit consensus ille in copulam, qui pro qualitate personæ, & alijs circumstantijs æstimandus est.

Qui votum habet Religionis, & misſione conjugij virginem defloravit, teneatur eam ducere, vel potiùs ingredi Religionem, casu quo ipsa votum ignoravit, & omnem aliam satisfactionem recuset? Circa quod quæsitum aliqua supponimus. Primò, quòd si virgo de tali voto notitiam habebat, non potest licitè vrgere pro nuptijs: quia non bona fide processit; nisi fortè persuasa sit ab illo, se defacili dispensationem obtenturum. Nec ipse eam ducere tenetur, nec alio modo dotare: quia decepta non est à viro, sed ipsa se decipere voluit, cùm admiserit promissionem viri, quam sciebat ipsum adimplere non posse: vt rectè docet Lessius *lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 4. *n.* 33. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 44. *n.* 5. ¶ Similitèr supponimus, quòd si puella alia satisfactione contenta sit, quam potest ipse exhibere, non potest cum ea contrahere, sed debet votum emissum antea implere: cùm non detur aliquid excusans eum à tali impietione. ¶ Ac tandem, quòd si vir non potest alio modo damna virginis, quæ ignorans votum passa est se violari sub spe conjugij, compensare; tenetur cum illa contrahere: vt probant rationes primæ sententiæ infrà referendæ: & tenent illius auctores: (an verò teneatur dispensationem voti in tali casu petere, dicemus postea.) Quo sensu accipiendum est, si aliquando diximus, teneri, non obstante voto, cum virgine à se corrupta contrahere (nimirum cum non potest alia via damna causata resarcire.) Imò consummare matrimonium, quod vltimum immeritò negat Basilius, *lib.* 6. *de Matrim. cap.* 12. *num.* 6. quem sequitur Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 203. qui dicunt, talem teneri priùs cum illa contrahere, & ante consummationem matrimonij Religionem ingredi, vt sic satisfaciat vtrique obligationi. Quod meritò reijciunt Lessius *suprà num.* 32. Sanch. *num.* 7. Lugo *num.* 49. quia sic nec promissio virgini facta impletur, nec damnum ex eius violatione reparatur, eo quòd promissio fuit conjugij, prout sufficit ad celandum defectum virginitatis, & occurrendum damno, ratione cuius non posset æque benè nubere. Cui damno, vt constat, non occurritur, nisi cum defloratore posteà matrimonium consummetur.

non potest aliter virgini violatę satisfacere, eam ducere tenetur?

21 Quæstio igitur est, quando virgo ignorans viri votum, ab eo se violari permisit sub promissione conjugij, & ipsa nolit satisfactionem admittere, quam vir poterat dare, teneaturne ipse cum illa contrahere; vel potius priùs emissum votum implere illam dotando? Duplex datur gravissima sententia. Prima dicit, non posse Religionem ingredi, sed teneri cum virgine contrahere. Et probatur primò: quia votum non est vinculum iniquitatis, & sic ad id quod iniquum est, nequit obligare; sed in casu dicto illicita est viro materia voti: quia non potest, nisi gravem injuriam fœminæ irrogando, illud implere: ergo non tenetur vinculo voti, & sic ad contrahendum obligatur. ¶ Secundò, quia votum non obligat, rebus notabiliter mutatis: hic datur notabilis mutatio rerum, ob strictissimam justitiæ obligationem: ergo, &c. ¶ Tertiò, quia obligatio strictæ justitiæ præponderat obligationi Religionis, maximè illi, quæ ex libera voluntate proficiscitur, vt est obligatio voti: sicuti qui voveret dare centum pauperibus, non posset votum implere, si per hoc redderetur impotens ad solvendum totidem creditoribus, quibus ex justitia debebat: ergo similitèr non potest votum ingrediendi Religionem implere, qui obligationem justitiæ contrahendi contraxit cum virgine, quam violavit: nec ipsa tenetur aliam compensationem admittere ob jacturam pudicitiæ, quæ non est

Sententia asserens non posse, qui votū Religionis habebat eā ingredi, sed debere matrimoniū contrahere.

pretio

pretio æſtimabilis. Sic Candidus, *diſquiſ.25.art.18.* Trullench *in Decalog.lib.7.cap.9.dub.4.n.2.* Vazq. *de Reſtitut.cap.3.§.2.dub.6.n.20.* Sanchez *lib.1.de Matrim.diſp.45.n.3.* Lug.*diſp.12.ſect.3.n.42.* Leſſ. *lib.2.cap.10.dub.4.n.32.* Baſilius *de Matrim. lib.6. cap.12.n.6.* Barthol.à Sanct.Fauſt. *diſp.24.q.24.* & 26.Bonac.*de Sponſal.q.1.punct.5.n.7.* & idem eſt, ſi vidua honeſtæ famæ à viro ſit cognita ſub promiſſione conjugij. Ac tandem idem aſſerunt dicendum, licèt non ſit inter illos copula, ſi tamen ſub promiſſione matrimonij tanta fuerit inter eos familiaritas, vt moveat ſuſpicionem copulæ, ita vt abſque notabili fœminæ infamia nequeat vir à contractu reſilire.

Tenetur, ſtãdo huic ſentẽtiæ, impetrare diſpenſationem.

22 Sed diviſi ſunt dicti Authores in determinando, an talis debeat diſpenſationem voti priùs obtinere, ſi de facili poſsit, & non ſit periculum in mora? an poſsit abſque illa licitè contrahere matrimonium? Non teneri diſpenſationem impetrare, ſed poſſe abſque illa contrahere, tenent Leſsius, Candidus, Trullench, Barthol.à Sancto Fauſto: quia executio voti facta eſt pro tunc illicita, & ſic pro tunc ceſſavit illius obligatio. Quamvis dicant conſulendum eſſe, vt eam petat: aliàs ſi eſſet caſtitatis votum, cùm ex parte ſua obſervare illud teneretur, non poſſet debitum petere, quamvis reddere teneretur, vxore tacitè, vel expreſsè petente. ¶ Cæterùm ipſum teneri talem diſpenſationem petere, ſi commodè poteſt eam impetrare, nec alitèr poſſe licitè contrahere (adhuc ſtando in hac ſententia) meritò alij docent. Quia hic tenetur & damnum virgini factum reſarcire, & votum implere: ergo ſi de facili poteſt, tenetur vtrique ſatisfacere obligationi per media opportuna: quod facile poteſt petendo diſpenſationem, quæ ex hac cauſa de facili obtinetur, & ea obtenta contrahendo. Lugo *n.*41.Baſilius *n.*11.Prado *cap.* 18. *q.3.§.2.n.7.*

Verius eſt eum, qui habebat votũ, non teneri virginẽ ducere, quam defloravit.

23 Sed ſecundam ſententiam aſſerentem in caſu quæſtionis non teneri ſtupratorem puellam ducere, ſed ſatisfacere eam dotando, vel de nuptijs providendo, probabiliorem judicamus. Quæ (prætermiſsis alijs rationibus) hac vnica probatur: quia talis non tenetur matrimonium contrahere ex vi promiſsionis ſponſalitiæ: quia (vt diximus *tract. 9. de Matrim.cap.2.num.*30. & adverſarij fatentur) talis promiſsio per ſe ſola nulla eſt, præcedente voto, cùm ſit de re omninò illicita, & promiſsio nulla nullam præſtat obligationem; quia *Non præſtat impedimentum, quod de jure non fortitur effectum: regul.*52. *juris in 6.* Vnde ſi non ſequeretur violatio virginis, aut viduæ honeſtæ famæ cognitio, obligatio voti ſubſiſteret, & obligationi promiſsionis matrimonij prævaleret, juxta aliam regulam juris *in 6. Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Nec etiam tenetur eam ducere ratione damni defforationis, vel diffamationis; quia hoc aliunde poteſt compenſare: vti diximus *n.* 9. de eo, qui virginem vi, aut fraude oppreſsit, quòd, nõ tenetur determinatè eam ducere, ſed ſuæ obligationi ſatisfacit eam dotando, vel augendo dotem, vel de nuptijs providendo: nec minus damnum patitur vi, aut fraude violata, quam ſponte ſub ſpe futuri matrimonij corrupta. Sic Layman *lib.5.tr.10.part.1.cap.2.n.5.* Dicaſtillus *lib. 2. tr. 2. diſp.7.dub.9.num.*137. & 141. Fr.Ioan.Martinez à Prado *cap.*18.*q.3.§.2.n.7.* Rodriguez *tom. 1. in 2. Edition. cap.*208.*n.*11. Ochagavia *tr.1.q.*18.*n.* 11. Sylvius 2.2.*q.*62.*art.*2.*q.*6. Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.*280.

24 Ad fundamenta contrariæ ſententiæ facilis eſt reſponſio; omnia enim illa ad ſummum probant, quòd caſu, quo gravis de novo juſtitiæ obligatio inſurgat, ſuſpenditur pro tunc obligatio voti, ſi tali obligationi juſtitiæ non poteſt aliter ſatisfieri, niſi ponendo oppoſitum materiæ voti: vt contingit in eo, qui ſub promiſsione matrimonij defloravit virginem, & alitèr non poteſt illius damna reſarcire, niſi contrahendo cum ea. At in caſu noſtro ſolùm ex vi damni illati (ex vi enim promiſsionis, vt diximus, ad nihil tenetur) ad ducendum eam, vel eam dotandam, vel aliter damnum compenſandum tenetur: ergo ſi poteſt aliter damnum compenſare (quo modo ſatisfacit obligationi juſtitiæ) tenetur votum implere: quia quando duplex adeſt obligatio, cuius impletio non eſt incompoſsibilis, vtrique debet ſatisfieri. Quemadmodum, ſi quis voto Religionis, vel caſtitatis adſtrictus, virginem vi, vel fraude violaret, adhuc vinculo voti tenetur: quia damnum, dotando virginem, poteſt reſarcire, & ad nihil amplius obligatur.

Solvuntur cõtraria fũdamenta.

Ad quid teneatur, qui filium ſuſcepit?

25 In calce huius Puncti quæres, ad quid teneatur vir, qui ſive cum virgine, vel alia non conjugata rem habens, filium ex ea ſuſcepit? Et nunc loquimur de non conjugata. Quid verò ſentiendum ſit de adultero, qui filios adulterinos procreavit, dicemus puncto ſequenti. Dicimus ergo, quòd ſi vi, vel fraude copulam extorſit, ex qua proles procreata eſt, tenetur pater ex juſtitia nutrire, & alere partum à principio, & ſolvere omnes expenſas ventris, & omnia damna ex tali concubitu, & conceptu ſubſequuta, juxta cap. *Si culpa, de injurijs*: quia quæ per injuriam cauſantur, debent ex juſtitia reſtitui. At ſi, fœmina conſentiente, copula habita eſt, tenetur ipſa partum alere tribus prioribus annis; & deinceps vir, vſque dum filius ſibi de neceſſarijs poſsit providere. Tenetur, inquam, jure naturæ, & pietatis, non de rigore juſtitiæ, alimenta præbere, vt colligitur *ex cap. 2. de Converſione infidelium*, & probat ibi Gloſſa, & ex leg. *Nec filium*, Cod. *de Patria poteſtate.* Tap. *lib. 5.q.26.art.7.n.2.* Villalob. *tr.11.diffic.13.n.2.* Petr. Navarr. *lib.3.cap.1.n.149.* & eſt communis.

PUNCTUM II.

De Obligatione Reſtitutionis ratione adulterij.

Quid ſit adulterium, & quod peccatum?

26 ADulterium ſic dicitur, quaſi *ad alterum torum acceſsio*; nam eſt copula cum perſona conjugata: & ſi tàm vir, quàm fœmina tales fuerint, datur in tali peccato, præter malitiam fornicationis, duplex alia numero moralitèr diverſa, & contra juſtitiam in confeſsione detegenda. Nec liberatur à tali malitia injuſtitiæ adulterans per hoc, quòd conjux in adulterium conſentiat, vel ad illud inducat: (vt cum SS. Pontif. Innoc. XI. iam diximus, & notavimus *tom. 1. huius Curſ. tractat. 6. cap.* 8.*numer.*70. vbi Propoſ. ab ipſo damnatam, contrarium habentem, retulimus.) Quia licet tunc ipſi conjugi injuria non fiat, quia ſcienti, & volenti non fit injuria; fit tamen ipſi matrimonio, cuius indoſſulubile vinculum vitiatur, eo quòd perſonæ inter ſe connexæ diſtrahuntur; fitque carnis diviſio, quo vinculum ſanctitate ſacramenti confirmatum deturpatur. Vnde ſicut Clericus conſentiens à Iudice ſæculari compre-

hendi, vel judicari, injuriam personalem non patitur, patitur autem ipse status injuriam, cuius privilegijs ille renuntiare nequit: sic conjugatus in adulterium vxoris consentiens non patitur injuriam; cæterùm ipsi statui, & matrimonio sanctitate sacramenti confirmato injuria irrogatur: & sic semper talis actus malitiam injustitiæ continet omninò confitendam. ¶ *Sed vide sup. tr.* 12. *cap.* 1. *n.* 44.

Nihil ratione adulterij tenetur adulter restituere.

27 Cæterùm licèt adulterium sit contra justitiam, si partus non sequatur, vel aliud damnum, ratione præcisè ipsius adulterij, & injuriæ per illud conjugi irrogatæ, nihil restituere tenetur adulter. Tùm, quia licèt sit contra justitiam, non omnia, quæ contra justitiam fiunt, obligationem restitutionis inducunt. Nam qui vi, aut fraude baptizatur, patitur injustitiam, & non ob id baptizans aliquid restituere tenetur; & huiusmodi est adulterium. Aliàs si ob injuriam adulterij aliquid esset restituendum, etiamsi copula non esset sequuta, ob tactus, oscula, &c. habita cum vxorata, per quæ fit injuria marito, aliquid restituendum foret: quod nemo dixit. Tùm etiam, quia non est in vsu, nec vnquam Confessarij, ob præcisam adulterij injuriam, aliquid restituendum assignant. Tùm denique, quia præcisè per adulterium non fit damnum, sed injuria: at pro injuria solùm satisfactio debetur per signa doloris, aut contritionis, quando ipsa non ignoratur: talis enim satisfactio solùm scienti injuriam fit, vt animus perturbatus, & exacerbatus pacetur: & adhuc tunc non debetur in nostro casu, quia non putatur virum talem cupere satisfactionem, quin potiùs pudore, & nova injuria afficeretur. Sic Lugo *disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 6. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. *dub.* 11. *n.* 152. Villalob. *tr.* 11. *diffic.* 34. *n.* 1. Aragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 5. Trullench *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 7. *n.* 1. Prado *cap.* 18. *q.* 4. §. 1. *n.* 3. Medina *lib.* 1. *Summæ, cap.* 14. §. 18. Molina *tom.* 4. *disp.* 100. *num.* 1. Qui addunt, quòd etiamsi maritus pro injuria sibi illata pecuniam exigat ab adultero, non tenetur reddere. Tùm, quia injuria compensabilis non est pecunia. Tùm etiam, quia talis conventio in jure est reprobata, ne maritus videatur suæ vxori lenocinium facere, leg. *Transigere*, Cod. *de Transact.* leg. *Miles*, *ff.* ad Legem *Iuliam.* Verùm si culpa adulteri divulgatum fuit adulterium, & ob id diffamatus est maritus, tenetur famam restituere; sicut quilibet alius, qui verbis, vel actionibus proximum diffamavit ¶ Quarè in præsenti solùm est dubium de obligatione, quam habet adulter, vel adultera, quando proles ex adulterio suscipitur: quod duobus paragraphis præstabimus, primo loquentes de adultero, & secundo de adultera.

§. I.

Vtrùm si partus sequatur, teneatur adulter damna restituere, quæ marito, vel heredibus consequuntur?

Parẽtes, qui certò sciunt filiũ adulterinum esse suum, illum alere tenentur.

28 CErtissimum est apud omnes, quòd si adulter certò sciat moraliter prolem ex adultera esse suam, vel quia vir toto illo tempore abfuit, vel non cohabitavit cum muliere, vel æger erat, ad vsum matrimonij impotens, vel ex alijs manifestis signis, & conjecturis, tenetur restituere omnia, quæ impensa sunt à marito in alimenta nati à tertio ætatis anno, & deinceps; & hoc licèt mulieri non suadeat suppositionem: quia mulier solùm vsque ad tertium annum filium alere, & enutrire tenetur; & pater à tertio anno, vsque dum sibi possit de necessarijs providere, vt diximus *n.* 25. Imò etiam teneri parentes hospitali restituere, si filium ex adulterio conceptum exponant (& idem est de alijs, qui filios hospitalibus alendos exponunt, si divites sint) pro expensis prolis nutriendæ, si sufficientes sint parentes ad ipsum alimentandum, communis tenet sententia: quia hæc pia opera, & redditus illorum, pro sustentatione pauperum sunt instituta: ergo injustè agit, qui, cùm dives sit, & teneatur alimenta filio præbere, cogit ad alendum illum ex pauperum bonis. Sic Tapia *lib.* 5. *quæst.* 26. *art.* 7. *num.* 2. Rebellus 1. *part. lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 8. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 33. *num.* 2. Caietan. *Summ.* verb. *Adulterium.* Sylvester *eodem verbo*, *quæst.* 5. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 103. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. *n.* 70. Prado *cap.* 18. *q.* 4. *n.* 3. Vazquez *de Testam. cap.* 5. §. 1. *dub.* 10. *n.* 23. Lugo *disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 5. Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 7. Sanchez *Consil. lib.* 1. *cap.* 15. *dub.* 4. *n.* 17.

Non est improbabile, nihil teneri hospitalibus restituere parentes, etiam divites, qui filios exponunt.

29 Sed non est improbabilis sententia Henriq. *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 19. *numer.* 3. *in comm. lit. I.* quem sequitur Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 7. *n.* 171. citans Layman, & in eam inclinat Rodericus de Acuña, cuius verba refert Diana 2. *p. tr.* 6. *resol.* 40. nec impugnat, asserens, non esse de rigore justitiæ quidquam hospitalibus restituendum à parentibus, etiam divitibus, qui, vt infamiam, vel notam evitent, filios alendos hospitalibus exponunt; quia in gratiam miserorum parvulorum, & divinum obsequium videntur hæc pia opera à Fundatoribus erecta, vt omninò liberi serventur, vel à morte liberentur, ne hac occasione à parentibus, qui vel non habent vnde alant, vel præ timore infamiæ alere non audent filios sic susceptos, expositi miselli perirent. Vnde non videtur illorum fuisse mentem, velle obligare ex justitia parentes, qui ex rationabili causa filios exposuerunt; sed quod eam eleemosinam gratiosam filijs præbere voluerunt. Præterquàm quòd hospitalia erecta sunt pro præsentibus necessitatibus absque onere posteà restituendi. Vnde peregrini, & à latronibus spoliati, vel infirmi, licèt in patria dives sint, gratis ibi curantur absque onere satisfactionis. Quibus adde, parentes ex justitia non teneri filios alere, sed ex pietate, & præcepto naturæ. Vnde si parentes negligant filios alere, & ab alijs ex pietate alantur, istis quidquam restituere non tenentur: quia qui præstat ex misericordia, quod alius item ex misericordia præstare deberet, non transfundit aliquod onus restitutionis in illum.

Non tenetur adulter quidquam restituere, nisi constet prolem esse suã.

30 Sed modò inquires primò, an si adulter dubitet prolem esse suam; vel ex aliquibus conjecturis probabilibus hoc credat, non tamen certò moraliter id cognoscat, teneatur dicta restituere alimenta, vel alia damna filijs legitimis obvenientia? Respondetur negativè, etiamsi pro vtraque parte habeat rationes probabiles, sed reputandus est filius legitimus. Tùm, quia possessio stat pro matrimonio, & sic semper filius ex legitimo toro natus judicatur, si durante matrimonio habeatur, nisi constet de oppositio. Tùm etiam, quia in dubio melior est conditio possidentis, nec re sibi propria quisquam spoliari debet ob dubiam obligationem. Vnde nec filius jure legitimitatis debet privari, nisi constet esse spurium: nec adulter debet suis bonis privari, dum non constat esse suum filium. Sic Lugo *disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 17. Prado *cap.* 18. *q.* 4. *num.*

num. 13. Villalob. *diffic.* 34. *tract.* 11. *numer.* 3. & 9. Sayrus *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 20. Trullench *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 5. Ludovicus Lopez 1. *part. Inſtruct. cap.* 90. *ad* 2. *fine.* Soto *lib.* 4. *de Iuſtit. quæſt.* 7. *art.* 2. *ad* 2. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 39. Sanch. *lib.* 4. *Conſil. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 17. *art.* 7. *num.* 5. Palaus *tom.* 1. *tr.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 5. *num.* 8. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 21. *num.* 2. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 7. *dub.* 11. *num.* 135. ¶ Vnde ſi eo tempore, quo adultera concepit, maritus cum ea habitabat, non tenetur adulter credere eſſe ſuam prolem, etiamſi in vultu imaginem referre videatur, quia hæc ſunt ſigna fallacia; vel etiam ſi mulier juret eſſe adulteri, vel aliæ tantùm probabiles de hoc conjecturæ dentur. Semper enim à legibus, & Doctoribus præſumitur eſſe mariti, & poſſeſsio ſtat pro matrimonio, cuius favor prævalet, niſi certò conſtet de oppoſito; quia nimirum tunc temporis vir non habitavit cum vxore, quando concepta eſt proles, aut ita ægrotus erat, vt ineptus eſſet ad vſum matrimonij. Leg. *Filium*, *ff. de Ijs*, *qui ſunt ſui*, &c. leg. *Si vicinis*, Cod. *de nuptijs*, leg. *Miles*, §. *Defuncta*, *ff. de Adulterijs*.

Quid, ſi mulier cũ duobus viris eodem tempore converſetur, quiſnam eorum filiũ agnoſcere teneatur?

31 Sed hinc oritur gravis difficultas, an ſi mulier adultera (& idem eſt de alia quacumque fornicaria) cum duobus eodem tempore converſetur, & non ſint ſigna manifeſta ad cognoſcendum eſſe magis vnius, quàm alterius, maneat vterque liber ab obligatione præſtandi alimenta, aliave damna reſarciendi, ita vt ſolùm à matre debeat filius ali, vel aliàs, ac ſi pater eſſet mortuus? Negat ſatis probabiliter prima ſententia, aſſerens vtrumque adulterum teneri pro rata, & qualitate dubij alimenta ſolvere: quia iniquum videtur, filium in iſto caſu ſubſidio parentis manere deſtitutum: ergo illorum ſinguli debent ex parte concurrere ad alimenta præſtanda, cum certum ſit eorum eſſe filium, licèt determinatè cuius ſit ignoretur. Vnde proles jus habet petendi ab eis alimenta, ſaltem partialiter, pro ratione dubij. Sic Molina *tom.* 4. *diſp.* 103. *num.* 3. Vazquez 2. 2. *diſput.* 66. *cap.* 8. *num.* 47. Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tractat.* 8. *diſput. vnic. ſect.* 24. *n.* 247. Diana 4. *part. tractat.* 3. *reſol.* 31. Dicaſtillo *ſuprà num.* 161. Bonacin. *de Matrim. punct.* 15. *num.* 10. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 8. Rebellus *lib.* 3. *q.* 10. *n.* 11. Palaus *num.* 15.

Neutrum in dicto caſu teneri ex juſtitia alimẽta præbere, probabilius eſt?

32 Probabilior autem eſt ſententia affirmans, non teneri quemquam illorum, vt ſuum, recognoſcere, nec alimenta, etiam ex parte, impertiri. Quod docet Lugo *à num.* 20. Prado, Vilialob. Sayrus, Trullench, Ludovicus Lopez, Sanchez, & Sotus *locis citatis*. Et colligitur ex leg. *Lucius*, *ff. de Conditionibus*, *& demonſtrationibus*; quia vterque dubius eſt filium eſſe ſuum, & poſsidet bona fide ſua bona, licèt mala fide acceſſerit ad mulierem; & ſic tenet regula, quòd *in dubio melior eſt*, &c. Vnde ſicut in foro externo, re non probata, reus abſolvitur, ſic in caſu noſtro, dum res manet dubia, & non probata in vtroque foro, neetur obligatur ad alimenta, & multò minùs ad alia damna ſequuta: quemadmodùm ſi occiſus in via reperiatur, & neſciatur an à Paulo, an à Franciſco fuerit homicidium perpetratum, iniquum erit vtrumque punire, etiamſi certum ſit, aliquem ex illis criminis reum fuiſſe, ne innocens injuſtè puniatur: ergo ſimiliter nemo ad certam ſolutionem debet obligari, cùm dubius ſit de tali obligatione, in caſu de quo loquimur.

Solvitur contrarium fundamentum.

33 Per quod contrarium ſolvitur fundamentum: quia etiam iniquum eſſet, vt aliquis cogatur ex parte cognoſcere, & alere, vt proprium filium, quem non ſcit eſſe ſuum: & ſic ſuæ fortunæ debet filius imputare, quòd ob incertitudinem patrem non agnoſcat, à quo exigat ſubſidia paterna. Ob quod inconveniens educationis prolis incerto patre, damnatur coitus inter ſolutas perſonas: & nulla, etiam gentium barbararum, lege fuit permiſſum, quòd vna mulier habeat duos viros, licèt lege veteri divina, & alijs legibus gentilium permiſſum ſit vnum virum duas vxores habere, vt diximus *tract. 9. de Matrim. cap.* 5. *à n.* 3. *& à n.* 31.

Si adulter ſit cauſa ſuppoſitionis, omnia dãna ſequuta tenetur reſarcire.

34 Inquires ſecundò, an adulter, certò ſciens prolem eſſe ſuam, teneatur reſarcire damnum legitimis filijs obveniens ob partitionem hæreditatis; vel ſucceſsionem illius ſpurij cum alijs vel etiam alia bona legata, aut hæreditates; quæ tali filio à conſanguineis patris, vel eius intuitu obveniunt; quia putatur illius filius, quando ipſe non fuit auctor ſuppoſitionis? In hac graviſsima difficultate vnum certiſsimum ſupponimus; nimirùm, quòd ſi adulter fuit talis ſuppoſitionis auctor, quia vel ſuaſit, vel procuravit, vt adultera adulterinam prolem ſuſceptam marito ſupponeret, fingeretque eius filium, tenetur, præter alimenta à tertio anno filio impendenda, damnum hæreditatis alijs rependere hæredibus; & alia, de quibus loquitur quæſitum; ita vt tàm ipſe, quàm adultera, æquè principaliter pro rata teneantur dicta damna reſarcire, quia vterque illius damni cauſa fuit; vir, quia vtriuſque nomine ſuaſit, vel procuravit; mulier, quia vtriuſque nomine fecit. Et quamvis aliquid conſulens in ſui gratiam faciendum, primo loco teneatur, & executor in defectum illius (vt diximus *cap.* 1. *huius tract. num.* 142.) & è contra, ſi conſulens in gratiam executoris conſilium præbeat, primo loco teneatur executor, & conſulens in defectum illius: at ſi in vtriuſque commodum fiat, vterque, vt cauſa principalis, primo loco pro rata tenetur reſtituere, & vnus ex defectu alterius in ſolidum, vt diximus ibi, *num.* 143. quod in præſenti contingit: & docet Leſsius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 41. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 26. *art.* 7. *num.* 3. Villalobos *tract.* 11. *diffic.* 34. *num.* 6. Dicaſtillus *ſuprà numer.* 167. & 179. Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 2. *num.* 9. Dubium ergo eſt, quando adulter nec procuravit, aut ſuaſit, vt adultera filium ſupponeret, an non ſolùm adultera teneatur dicta damna reſarcire (de qua non eſt dubium teneri, cùm ſit cauſa ſuppoſitionis, & ſic damnorum ex illa provenientium) ſed etiam adulter pro rata, modo explicato? Duplex datur ſententia.

Sententia aſſerens adulterum, qui non ſuadet ſuppoſitionem non teneri damna reſarcire.

35 Prima ſententia negat, adulterum habere huiuſmodi obligationem in caſu quæſiti: quia adulter nec talium damnorum, nec ſuppoſitionis fuit cauſa, cùm nec illam intenderit, nec ſua actione procurarit, ſed mater fingens, & imponens marito talem filium, cuius fraudis auctor non eſt adulter, aut conſultor. Nec cenſetur cauſa huius ſuppoſitionis: quia matrem in eam neceſsitatem conjecit, vt neceſſariò vel ſe infamare, vel prolem ſupponere deberet: quia illam invitam, aut nolentem (vt ſupponimus) non conjecit in iſtas anguſtias, ſed volentem: & ſic ſibi imputare debet, quòd in tali neceſsitate conſtituatur. Et explicatur exemplo abortionis, in qua non cenſetur adulter cauſa homicidij, niſi ſuadeat, vel adjuvet matrem ad abortum, etiamſi ob ſui cauſam mater in eam neceſsitatem conjiciatur; nec videtur adulterum fuiſſe magis au-

thorem vnius, quàm alterius damni, cùm neutrum consuluerit, sed ex matris malitia ortum ducat, ipso materiam *circa quam* vtriusque facti suppeditante. Sic Soto *lib.4.q.7.art.2.ad 2. §. Sed molestior*, Henriquez *lib.7.de Matrim.cap.21.n. 3.* referens Magistrum Peñam. Magister Orellana, quem refert Petrus Ledesma *tom.2.tract.4.cap.14.conclus.10. diffic. 2.* & ipse dicit probabilem *dicto 2.* Quod etiam asserit Barthol. à Sancto Fausto *in Specul. Confessor. disp. 23.q.8.n.8.* Diana *2.p.tract.3.Miscel.* qui est *17. resol.55.* Trullench *lib.7 cap.9.dub.7. n. 4. fin.* Bassæus, verb. *Adulterium, n.5.* Ioan. à Cruce *in 7.Præceptum de Restit. art.6.dub.2.concl.2.* Quam veram reputat Vazq. *Opusc. de Testam. cap.5.§.1.n.23.* casu quo liberum esset adulteræ filium adulterinum domo retinere, vel illum ejicere.

Verius est adulterũ teneri omnia damna compensare.

36 Secunda tamen sententia (cui nos subscribimus) asserit, adulterum non minùs quàm adulteram teneri restituere dicta damna, etiamsi suppositionem expresse non suadeat, aut procuret. Quæ est communis sententia, à qua in re tanti momenti non est recedendum. Nec fas est adulteris in re adeò nefanda favere. Et probatur primò, quia licèt non suaserit suppositionem, fuit causa suo iniquo actu, vt spurius ille filius esse mariti credatur; & hoc non per accidens, sed per se, cùm id regulariter, & semper fiat (semper enim creditur filius mariti, qui ab eius vxore nascitur:) est ergo causa talis erroris per se: ergo etiam damnorum, quæ ex errore proficiscuntur, juxta illud: *Qui est causa causæ, est etiam causa causati*: sed quòd illegitimus succedat, & defraudet alios, per se sequitur ex errore, quo legitimus judicatur: ergò cùm adulter, filium in vtero vxoris ponendo, sit causa talis erroris, etiam causa est damnorum ex illo provenientium. ¶ Secundò, quia vt adulter causa sit suppositionis, sufficit, quòd filium ex adultera suscipiat: quia hoc ipso supponit marito, absque alia fictione, ac si eius proles esset. Quemadmodùm adultera, vt causa sit suppositionis, non requiritur, quòd aliquid dicat, aut fingat; sed quòd, extante matrimonio, filium suscipiat, quia hoc sufficit, vt filius credatur mariti, proindeque vt marito supponatur. Sic Bañez *2.2.q.62.art.6. dub. 9. fine*, Caietanus *in Summ.* verb. *Adulterium*, Sylvester *ibi, q.5.* Angelus *n.4.* Fr. Ioan. Martinez à Prado *cap.18.q.4. §. 2. n. 10.* Fr. Petr. à Tapia *tom.2.Caten.lib.5.q.26. art. 7. n.3.* Navarr. *cap.27.n.48. & 49.* Petrus Navarr. *lib. 3.cap.1.n.149.* Rebellus *1.part.lib.3.q.10.num.11.* Dicastill. *lib.2.tract.2.disp.7.dub.11.n.166.* Lessius *lib.2.cap.10.dub.6.n.45.* Lugo *disp.13.sect.2.num. 14.* Molina *tom.4.disp.103.n.2.* Bonacin. *de Matrim. q.4.punct.15.n.7.* Villalobos *tract.11. diffic. 34. n. 6. & 7.* ¶ Ex dictis constat solutio fundamenti contrarij.

§. II.

Ad quid teneatur adultera, si partus sequutus sit?

Mater adultera omnia damna ex adulterio sequuta tenetur cõpensare.

37 EGimus iam de obligatione adulteri, nunc ad obligationem, quam subit mulier partum adulterinum suscipiens, deveniamus. Circa quam, vt certum apud omnes, supponendum est, matrem ex adulterio filium suscipientem, si certò sibi constet esse prolem adulteri, non mariti (in dubio autem, vel etiam cum probabilitate vtriusque partis, non tenetur eum spurium judicare, nec quidquam propter hoc restituere, vt de adultero dicebamus *num.30.*) omnibus modis, quibus sine dispendio vitæ, aut famæ potest, tenetur procurare, ne hæredes ratione illius illegitimi damnum percipiant: quia damnum alterius debet vnusquisque, modis quibus potuerit, præcavere; & sic debet procurare meliorationem legitimorum à se, vel à marito faciendam; & quæ extraneis dare, aut relinquere potest, illis impertiri in compensationem; & si bona paraphernalia habuerit, ea legitimis relinquere; laborare quantum suo decet statui; & si quid lucri inde acceperit, legitimis dare; solitos sumptus minuere, quantum commodè potest, attenta sua conditione, & valetudine; spurium ad Religionem capessendam, hæreditariæ successionis incapacem, inducere, si idoneus fuerit; vel ad aliam Religionem capacem hæreditariæ successionis, suadendo, vt renuntiationem in aliorum fratrum commodum faciat, & alijs modis, quibus si plenè satisfaciat dictis damnis, & aliorum detrimenta compensat, probabilius judicamus ad nihil amplius teneri, sed posse permittere, quòd nothus ille succedat in hæreditate paterna. Vti docet Lessius *lib.2.cap.10.dub.7.n.48.* Lug. *disp.13. sect.3.à n.36.* Molina *tom.3.disp.102.* licet Dicastill. *lib.2.tract.2.disp.7.dub.9. n. 183.* & alij oppositum satis probabiliter teneant.

In dubio spei fructus, mulier non tenetur suũ crimen detegere.

38 Sed nunc rogabis primò, an si mater certam moraliter non habeat spem damni avertendi, vel quia filius non credet, aut non restituet, teneatur filio suum crimen detegere, vt damna aliorum præcaveat, quando ipsa non potest illa compensare? Respondetur negativè: quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo si dubitat prudenter, an manifestatio proderit (& multò minùs quando parùm est credibile profuturam) non tenetur famam suam prodigere, occultum delictum detegendo; sed hoc imprudenter faciet, se exosam & infamem apud filium reddendo absque certa spe fructus, & illum in magnos animi æstus, & angores, ac scrupulos conijciendo. ¶ Et si dicas, quòd qui infamavit alterum, etsi non teneatur dictum revocare, quando certus est nihil profuturam revocationem, ad id tamen teneri, si dubius est aliquem creditum, etiam cum famæ dispendio: ergo similiter in nostro casu. ¶ Adverte, infamatorem injustum damnum in fama intulisse, quod etiam cum suæ famæ dispendio debet resarcire. At mulier non damnum in fama legitimis filijs, sed in pecunia intulit. Vnde licèt illud cum dispendio pecuniæ teneatur rependere, non cum dispendio honoris, & periculo infamiæ. Sic Prado *cap.18. quæst. 4. numer.17.* Sotus *lib. 4. quæst.7.articul.2.ad 2. §. Dubium autem*, Lessius *supra num. 50.* Villalob. *tract.11.diffic.34.num.9.* Petrus Navarr. *lib.2.cap.4. num. 408.* Dicastill. *lib. 2.tract.2.disp.7.num.189.* Tapia *lib. 5. quæst. 26. articul.7.num.4.* & ex parte Lugo *disp.13. sect. 3. à num.27.*

Non tenetur filius credere matri dicenti illegitimum esse.

39 Vbi advertendum est, rarò contingere, adulteram non habere rationem dubitandi, an revelatio proderit? Quia filius (nisi aliunde convincatur) non tenetur credere matri dicenti, etiam cum juramento affirmanti, adhuc in periculo mortis, seipsum esse spurium, etiamsi illam adulteram fuisse non ignoret. Tùm, quia vnius dicto testis, quantacumque fulgeat dignitate, necesse non creditur, vbi agitur de præjudicio, vt in præsenti agitur, cap. *Per tuas, de probation.*

Tum

Tùm etiam, quia (vt in regulis juris dicitur) ſuam turpitudinem alleganti non debetur fides, & intelligitur cum alterius præjudicio. Tùm denique, quia cùm filius ſua, & aliorum opinione ſit legitimus, non tenetur, niſi convincatur, cum tanto ſuo detrimento judicari ſpurius ob dictum mulieris, quarum ingenium eſt alios præter modum amare, alios odio proſequi. Vndè rectè inquit Magiſter Medin. *lib.* 1. *ſum. cap.* 14. *fol.* 18. *n.* 121. filium valdè ſtultum eſſe, ſi crederet matri teſtificanti, poſtquàm natus, & educatus, & nominatus eſt vt hæres legitimus. Sic communiter Canoniſtæ in cap. *Per tuas* 10. *de probation.* & Lægiſtæ, leg. *Si poſthumus* 14. *ff. de liber. & poſthum.* Leſſ. *ſupr. n.* 51. Prado *n.* 20. Lugo *n.* 62. Trullench. *dub.* 6. *n.* 2. Soto *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 2. *ad* 2. Dicaſtill. *n.* 196. Bañ. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 9. Villalob. *diff.* 34. *num.* 9. Caſtro *lib.* 2. *de Lege pœnal. cap.* 11. ¶ Diximus non teneri filium ſe illegitimum computare, & matri credere, niſi convincatur: ſi enim convincatur ſignis manifeſtiſsimis, quia nimirùm mater oſtenderet maritum toto illo tempore abfuiſſe, vel talia ipſi motiva proponeret, vt propter illa in foro externo judicaretur ſpurius, vel ita ſibi liquidò conſtet, vt de oppoſito non dubitet, ob circumſtantias occurrentes, maximè ſi pater communiter impotens reputabatur, & ab omnibus filius, vt illegitimus habebatur; tunc ſe vt illegitimum reputare debet in conſcientia, & hæreditatem non poteſt adire.

Quid certũ ſit de caſu, de quo hoc numero loquimur?

40 Rogabis ſecundò, an ſi adultera nullo modo poſsit compenſare damna hæredibus, & aliàs habeat certam ſpem per revelationem criminis damno hæredibus facto occurſum iri, teneatur crimen ſuum detegere, ſi inde periculum vitæ, vel famæ impendens timeat? Et loquimur de muliere honeſtæ conditionis, & quæ pro tali paſsim habeatur: nam ſi ſit de tali crimine infamata, vel adeò vilis, vt ipſius fama parvipendatur, vera eſt ſententia Soti, de qua poſteà; (quam in hoc caſu Leſſ. amplectitur, Prado, Trullench. Lugo, & Villalob. infrà citandi) famam ſcilicet judicio prudentum eſſe cõpenſandam cum æſtimatione hæreditatis; ita vt ſi hæreditas magna ſit, & fama perdenda parvi momenti, hæc exponatur, vt illa legitimis relinquatur. Loquimur ergo quando fœmina honeſtæ famæ eſt, & communiter vt talis habita. In quo etiam caſu verum judicamus, quod inquit Leſſ. infrà *n.* 58. Dicaſtill. *n.* 194. Rebell. *n.* 12. Prad. *n.* 40. D. Anton. 2. *p. tit.* 7. *cap.* 7. §. 4. *col.* 2. quòd ſi ex vna parte certa eſſet ſpes damni avertendi, & ex alia maritus ſit valdè bonus, & prudens, & ſimiliter filius, qui ſilentio rem compreſſuri eſſent, nec idcircò mulierem oſuri, probriſque vexaturi, tenebitur illis crimen detegere, ſive quia hoc caſu (qui ratiſsimus eſt, vt teſtantur prædicti Authores) ipſa non ſe infamare cenſetur, nam, vt inquit Rebell. infamia non intelligitur reſpectu vnius, vel alterius, ſed multorum. Sive (quod verius eſt) quia in tali caſu parvi eſt momenti talis infamia, & ſic ſuſtinenda eſt, vt aliorum damno occurratur. Igitur quæſtio eſt, quando periculum imminet mulieri mortis, vel infamiæ ſimpliciter talis.

Sententia aſſerentium cum periculo vitæ, & infamiæ teneri adulteram crimen ſuum detegere.

41 Celebris eſt in hac quæſtione ſententia Soti, *lib.* 4. *de Iuſt. q.* 7. *art.* 2. *ad* 2. §. *Gravis autem*, aſſerentis, quòd regulariter cum periculo vitæ non tenetur adultera crimen ſuum detegere. At ſi regnum, vel præclariſsima domus (quod rarum, & extraordinarium eſt) ſilente adultera, ad ſpurium deberet tranſire, inquit debere cum vitæ periculo veritatem probare. Tenet etiam hoc Adrian. *quodlib.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Rebell. 1. *p. lib.* 3. *q.* 10. *num.* 10. & 11. Nec diſſentit Covar. *ad regul. peccatum*, 1. *p. num.* 5. *fol.* 40. Ledeſm. 2. *tom. tract.* 18. *cap.* 14. *concl.* 10. *difficult.* 1. *aſſert.* 8. *fol.* 288. *colum.* 2. Similiter ipſe Sotus, *q.* 6. *art.* 3. *ad* 4. § *Gravius autem*, Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 3. *à n.* 45. Palud. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt. artic.* 1. *n.* 9. Ioan. Maior *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 17. Covar. *loc. cit.* Corduba *lib.* 1. *q.* 31. Molin. *diſp.* 102. *n.* 10. aſſerunt, quòd ſi hæreditas adimenda notabilis ſit, & multùm infamiæ ſuæ, vel ſuorum excellat, aut vtraque æqualis ſit, aut paulò plus ſe excederent, deberet mulier cum ſuæ famæ diſpendio crimen detegere, ſi per hoc tertò crederet damnis imminentibus hæredi fore occurſuram, vel per ſe, vel per virum prudentem; vel ſaltem in teſtamento manifeſtare, vt poſt mortem eius ſciretur. Tùm, quia in tali caſu melior eſt conditio innocentis hæredis, vt illa ſuam famam exponere non debeat. Tùm etiam, quia nemini licet cum detrimento alterius ſuum protegere honorem. Tùm denique, quia licèt fama ex genere ſuo præſtantior ſit pecunijs, tantùm poteſt æris cumulari, vt cumulus ille multo ſit pretioſior fama.

Verius eſt non teneri adulteram cum vitæ, vel infamiæ periculo crimen ſuum detegere.

42 Cæterùm vix intelligi poteſt, quomodo hæreditas magna fœminæ vxoratæ, & honeſtæ opinionis, famæ præponderet: nam ſi hæreditas regnum fuerit, vel præclariſsima domus, quomodo loquuntur adverſarij, mater, vel Regina erit, vel nobilitatis eximiæ: & quò hæreditas in filio ex eo quòd putetur legitimus creſcit, eo etiam creſcit nobilitas, & honoris æſtimatio in matre, ex cuius matrimonio genitum eſſe creditur; & ſic nunquam talis exceſſus, aut æqualitas poteſt intervenire, vt exceſſum ordinis ſuperioris boni, quem nobilitas, vel fama habet præ fortunarum bonis, poſsit prudentum judicio exæquare. ¶ Quarè dicendum eſt, non teneri per ſe fœminam cum diſpendio vitæ, vel famæ, ſuum crimen detegere, licèt ampliſsima hæreditas, aut progenitura, aut etiam regnum devolvi deberet ad ſpurium. Tùm, quia bona inferioris ordinis cum diſpendio bonorum ordinis ſuperioris reſtitui non debent, vt diximus *cap.* 1. *num.* 282. & 283. Tùm etiam, quia ex eo quòd detineatur pecunia, ſi mortis, vel infamiæ damnum ſequatur, creditor non eſt rationabiliter invitus, cum omnis homo rationabiliter velit, vt non obligetur cum tanto detrimento. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *ad* 2. Caiet. *ibi*, & *Opuſc.* 31. *reſp.* 14. *quæſit.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 7. *n.* 53. & *cap.* 15. *dub.* 15. *n.* 86. Prad. *cap.* 17. *q.* 4. *n.* 27. & 30. Dian. 3. *p. tract.* 5. *reſol.* 30. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 18. §. 8. & *tit.* 2. *cap.* 7. §. 4. Bañ. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 9. *ibi.* Setra *dub.* 6. Ioan. à Cruc. 7. *p. præceptor. de reſtit. art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 1. Barthol. à Sancto Fauſt. *diſp.* 21. *q.* 70. & 23. *q.* 5. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 21. & 34. *n.* 9. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 5. *n.* 5. & *cap.* 10. *dub.* 17. *n.* 1. Petr. Navar. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 162. Tapia *lib.* 5. *q.* 26. *art.* 7. *n.* 4. Dicaſt. *lib.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 7. *dub.* 11. *n.* 190. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 9. & vniverſi Canoniſtæ in cap. *Officij* 9. *de Pœnitentijs*, & *remiſsionib.* vbi non eſſe denegandam abſolutionem adulteræ nolenti crimen ſuum detegere cum diſpendio vitæ, vel famæ, dicitur.

Duæ limitationes præcedentis doctrinæ.

43 Diximus per ſe non teneri, per accidens autem poterit, etiam cùm diſpendio vitæ, obligari: vt ſi damnum commune timeretur, putà ſi eſſet ſpurius malæ indolis, & perditis moribus, ita vt ex eius dominatu mala Reipublicæ ingentia timerentur;

rentur; & legitimus optimæ indolis, & bonæ spei: tunc namque adultera teneretur etiam cum mortis periculo impedire successionem illegitimi: quia bonum commune, vel damnum, cuicumque particulari damno debet præponderare. ¶ Etiam per accidens potest cum dispendio famæ fœmina aliquando obligari crimen suum detegere, quia (vt diximus *cap.* 1. *num.* 283. ex Magist. Bañ.) divitiæ sunt instrumenta ad acquirendum honorem, & conservandum illum. Et hinc est, quòd aliquis teneatur aliquando cum aliqua infamia, & proprio dedecore restituere res inferioris ordinis, quatenus defectu illarum rerum causa est vero domino dedecoris, & infamiæ, vel etiam impedit eum ab honore notabili, quem divitijs poterat acquirere, ac conservare. Et hoc modo sententia Soti in aliquibus casibus verificanda est, & sequenda.

CAPUT IV.

De Restitutione ob injurias in materia famæ, & honoris.

QUINQVE sunt species injuriarum, quæ in verbis præcipuè consistunt, quibus fama, vel honor deturpatur, vel aliquo modo in illis homo lædi-tur; de quibus agit D. Thom. 2. 2. *à quæst.* 72. *vsque ad* 77. Nimirùm *Contumelia, Detractio, Irrisio, Susurratio, & Maledictio*: de quibus hoc capite agemus. Quarum aliæ sunt præcipuè contra honorem, aliæ contra famam, tametsi alia damna secum importent. Vndè prius de honore, & fama hoc capite agemus, postmodùm de illis injurijs, quibus denigrantur. Quod continet novem Puncta.

Punct. I. *De honore, & fama, in quo consistant, & in quo diferant?* num. 1.

Punct. II. *Quid sit contumelia, & quot modis fiat; & an contumelias sustinere quis teneatur?* num. 9.

Punct. III. *Quod peccatum sit susurratio, & quod derisio, & in quibus casibus vtraque liceat?* num. 19.

Punct. IV. *De maledictione, eius malitia, & diversitate.* num. 26.

Punct. V. *De injuria contra bonum famæ per detractionem commissa.* num. 30.

§. I. *Quid sit detractio? quod peccatum? quot modis contingat? An respectu mortuorum locum habeat? vbi de historijs, & libellis infamatorijs.* n. 31.

§. II. *Quæ censenda sit parva, vel magna materia, vt detractio mortale, vel veniale peccatum judicetur?* num. 42.

§. III. *An sit peccatum grave detractionis crimen in vno loco publicum, in alio, vbi non est publicum, narrare?* num. 53.

§. IV. *Quomodo manifestatio alieni criminis, vel defectus excusetur à peccato detractionis propter necessitatem?* num. 63.

§. V. *Vtrùm audiens, & tolerans detrahentem peccet mortaliter?* num. 68.

Punct. VI. *De peccato, quod committit qui secretum naturale revelat.* numer. 74.

§. I. *Quot modis contingat secretum? Quod peccatum illud violare? Quibus in casibus liceat?* num. 79.

§. II. *Vtrùm alicui liceat exquirere sibi secretum alterius, & literas alij missas aperire?* num. 83.

Punct. VII. *De judicio temerario, dubio, opinione, & suspitione.* num. 87.

§. I. *Quando judicium temerarium sit mortale peccatum, vel à tali malitia liberum?* num. 90.

§. II. *De suspicione, dubio, & opinione temararia.* num. 100.

§. III. *Quomodo sint in meliorem partem dubia interpretanda?* numer. 104.

Punct. VIII. *De modo, quo debet honor injustè ablatus restitui.* numer. 109.

Punct. IX. *De restitutione famæ per detractionem ablatæ.* num. 117.

§. I. *Quomodo detractor teneatur restituere, quantum, & quibus?* num. 118.

§. II. *Quomodo facienda sit restitutio ab eo, qui falsum crimen imposuit, vel occultum verum revelavit?* num. 128.

§. III. *In quibus casibus à restitutione famæ excusetur injustus diffamator?* num. 134.

PUN-

PUNCTUM I.

De honore, & fama, in quo consistant, & in quo differant?

Quid sit honor? & duo, quæ requirit.

1 HOnor à D.Thom.2.2.*q.*103.*art.* 2. diffinitur, quòd est *Quædam protestatio de excelentia bonitatis alicuius.* Undè duo requiruntur, vnum ex parte honorati, aliud ex parte honorantis: ex parte honorati, nisi sit honor fictitius, excellentia aliqua requiritur, saltem ab alio apprehensa. Quæ excelentia non requiritur, quòd sit comparatione illius, qui honorat; sæpè namque qui excellentior est, inferiorem honorat: imò signum est optimæ indolis, & nobilitatis eximiæ omnes honorare, sed sufficit quòd sit excellentia secundùm se (inquit D. Thom.) vel comparatione ad aliquos alios, & ideò Deus sanctos honorat, *Ioan.* 10. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*: & nullus, adhuc secundùm quid, respectu Dei habet excellentiam. Ex parte honorantis, præter opinionem, & conceptum talis excellentiæ, requiritur illius protestatio; & quia homines testimonium ferre non possunt, nisi per aliqua signa exteriora, ideò talis protestatio fieri debet, vel verbis, ore excellentiam alterius pronuntiando, vel factis, nimirùm inclinationibus, obviationibus, & alijs signis externis.

Non requiritur honorem cum reverentia, aut submissione exhiberi.

2 Aliqui vltra dicta requirunt, quòd honor cum aliqua reverentia, vel submissione fiat. Sed neutrum ad honorem requiri, optimè docet D.Thom.*art.*2. *ad* 1. & *ad* 4. Nam reverentia quandoque est principium honoris; quando nimirùm aliquis ex reverentia, quam habet ad alium, eum honorat: quandoque est finis, in quantum ad hoc honoramur multoties, vt revereamur ab alijs: quandoque autem nec finis, nec principium est honoris; vt quando aliquis solùm honorat alium, vt suæ obligationi satisfaciat, honorem debitum impendendo. Et quòd absque reverentia detur multoties honor, constat, quia Deus Sanctos honorat; quos nec colit, nec reveretur. Legatur *ibi* Caietanus. Etiam absque submissione honor reperitur multoties, quia multoties inferiores à superioribus honorantur: & ideò privatæ personæ honorantur à Regibus, qui minimè submissione honorem conferunt. Et etiam inter æquales debet dari honor, ad Roman. 12. *Honore invicem prævenientes*: cum tamen submissio solùm sit respectu superiorum.

Fama quid sit, & cuius rei?

3 *Fama*, quæ in bonam, & malam partem sumi solet, à *fando* dicitur: & est illud, quod de aliquo divulgatur, sive bonum, sive malum. Vndè primariò, & principaliter consistit in interiori judicio, & opinione, quamvis talis opinio verbis divulgetur. Sumpta tamen fama in bonam partem (quomodo de illa nunc loquimur) diffinitur à Canonistis in cap. *Vestra, de cohabit. Cleric. & mulier.* Quòd est *Illæsa dignitatis status, vitæ, & moribus comprobatus*: & à Theologis, quod est *Clara illa notitia, quam alij de nobis habent*: & talis notitia præcipuè, & primariò debet esse virtuosæ, & ordinatæ vitæ; quæ est præcipuè materia bonæ famæ: secundariò autem aliarum rerum, quas homines solent æstimare, vt sapientiæ, ingenij, nobilitatis, dexteritatis in artibus, divitiarum, &c.

4 Nec ita connectitur famæ cum honore, vt adinvicem non separentur. Separantur quidem multoties, vt inquit Sotus *lib.* 5.*q.* 9.*art.* 1. *initio*: quia multoties Magnates honorantur propter excelientiam sanguinis, cuius morum siniſtra habetur æstimatio: è contra verò solent privati viri sanctissimi in angulis latitantes honoribus privari, de quorum sanctitate, & virtute clara cum laude habetur notitia. Vndè rectè inquit Lugo *disp.* 14. *sect.* 6. posse peccari gravitèr contra honorem, & non contra famam, vt si alicui in occulto alapam infligas, honorem læsisti, cuius reparationi obligaris, non famam: & sic non teneris eam restituere. Alicuius honorem denigrasti, defectus falsos illi objiciendo coram eis, qui minimè crediderunt; non teneris ad restitutionem famæ, quam cum effectu non læsisti: læsisti tamen honorem, eum contumelijs afficiendo, quod satisfacere teneris. E contra verò alicui absenti detraxisti manifestando defectus graves occultos, contra illius famam operatus es, quam teneris restituere, non contra honorem, quia non semper est dehonoratio gravis vilia, & turpia de aliquo absenti narrare. Quomodo autem facienda sit restitutio famæ, & honoris, in fine huius capitis dicemus.

Non semper cum honore fama coniungitur.

Fama bonū est excellentius honore.

5 Et si velis scire, quod est maius bonum, honor, aut fama? Respondetur, famam esse maius bonum, magisque dignum, vt desideretur, & ametur. Primò, quia prætiosior est existimatio, quam alij habent de nostra probitate, quam honor, & reverentia, quæ sæpè mendacitèr, & vanè confertur. ¶ Secundò, quia fama consistit in interna opinione, seu existimatione: honor in externa testificatione: & cum actus interni sint pretiosiores externis, pretiosior est fama, quæ in illis consistit, quàm honor, qui istis exhibetur. ¶ Tertiò, quia honor in tantum æstimatur, in quantum est testificatio famæ, & includit illam. Vndè si recta ratione procederes, & tibi optio daretur, malles quòd alij benè de te cordè sentirent absque vllo signo, aut testificatione talis opinionis, quàm quòd bonam significarent se habere opinionem; cum tamen nullam haberent. At verò, quia corda non intueris, nunc magis gaudes de honore, quàm de fama sola, quia ex honore arguis te habere bonam famam apud eos, qui te exterius honorāt. Et hoc sensu dixit Aristot. *lib.* 5. *Ethic. cap.* 3. *Honorem esse maximum inter bona externa*: cuius signum esse dicit, quòd *principatus, & divitiæ sunt propter honorem optabilia.* Quod etiam asserit D. Thom. *ibi, sect.* 9. & 2.2.*q.*103.*art.*1.*ad*2. Intelligitur enim de honore, vt famam ipsam includit, quo modo maius est bonum honor, quàm fama sola. ¶ Nisi mavis dicere, Philosophum, & D. Thom. loqui de bonis externis, inter quæ dicunt honorem primatum obtinere: fama autem inter interna bona computatur: & sic absolutè est maius bonum, quàm honor, vti docent Sot. *lib.* 5.*q.*10.*art.*3.*ad* 2. Bañ. 2.2. *q.*77.*art.* 1.*dub.* 1. Fr. Ioan. Martin. à Prad. *cap.* 25.*q.* 1.*n.* 12. Lug. *disp.* 14. *sect.* 1.*n.* 9.

In quo differant contumelia, & detractio?

6 Contra hæc duo bona adeò præclara, vt est fama, & honor, sunt duo præcipua peccata oris, quibus denigrantur, & minuuntur: ni nirùm *detractio, & contumelia*; quæ inter se differunt, inquit D. Thom. 2.2.*q.*75.*art.*1. *Detractio differt à contumelia dupliciter: vno modo quantum ad modum proponendi verba, quia scilicèt contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur* (nimirùm, quia in eius facie defectus objcit) *detractor autem occultè* (id est, non in præsentia eius qui detrahitur.) *Alio modo quantum ad finem intentum, seu quantum ad nocu-*

nocumentum illatum, quia scilicèt contumeliosus derogat honori, detractor famæ. Itaque contumelia est injuria verborum in præsentia eius, cui injicitur: & sic directè est contra honorem. Nam ex eo, quòd aliquis contra alium verba contumeliosa evomat, videtur eum parvipendere: & ex hoc ipso dehonoratur. Detractio autem verbis lædit famam proximi in absentia apud alios; & hæc apud omnes differentia est specifica: & sic omninò est in confessione explicandum, an in præsentia per contemelias, an in absentia per detractionem sit proximus injuriatus.

¶ Sed benè notat Bañ. *q.72. ar.1. dub. vlt.* & ibi Caietanus, quod de ratione contumeliæ est, quòd per se, & ex intentione in præsentia proferatur; & de ratione detractionis, quod per se in absentia: quod sufficit ad constituendam diversitatem specificam inter illas. Sed hoc non tollit, quòd aliquando in absentia lædatur honor, & quis afficiatur contumelijs, vt si eius imaginem verbis probrosis contemnas; sed tunc imperfectè honor læditur, & sic imperfectam habet rationem contumeliæ talis dehonoratio. Nam qui ex intentione, & per se profert defectum alterius in absentia, reveretur personam illius: & sic non directè tendit contra eius honorem. At si fiat coram, & in præsentia personaliter, tunc non reveretur personam, & sic directè contra honorem eius operatur.

Aliqui asserunt contumeliã non esse gravius peccatũ detractione.

7 Et hinc oritur gravis quæstio, an contumelia sit gravius peccatum detractione, vel è contra? Et videtur detractionem gravius esse peccatum: quia quò injuria maiori bono privat, gravius est peccatum: & sic homicidium, quod privat vita, maius est peccatum detractione, quæ privat fama: Et Div. Thom. 2.2. *q.64. art.2.* docet, susurrationem gravius esse peccatum murmuratione, & contumelia: quia privat amicitia, quæ est maius bonum quàm honor, & fama, quibus privant detractio, & contumelia: quia (vt inquit Aristot. 8. *Ethic.*) *Inter cætera exteriora bona præeminet amicus, quia sine amicis nemo vivere potest.* Vnde *Eccles. 6.* dicitur: *Amico fideli nulla est comparatio*; sed detractio privat fama, quæ (vt diximus *num.* 5.) maius bonum est, quàm honor, quo privat contumelia: ergo gravius erit peccatum detractio quàm contumelia. Sic Bañ. *q.72. art.1. dub.1.* Ledesm. 2. *tom.* 8. *cap.27. concl.2. diff.1.*

Verius est contumeliã gravius peccatum esse detractione.

8 Cæterùm licèt fatendum sit, susurrationem gravius esse peccatum contumelia, ac detractone, vt tenet D. Thom. & cum eo omnes: quia (vt dicemus *punct.4.*) susurro intendit amicitiam dissolvere; & amicus maius bonum est quàm honor, sicut amari melius est, quàm honorari: *Et fama ipsa, quæ per detractionem tollitur* (inquit Sanctus Doctor) *ad hoc maximè necessaria est, vt homo idoneus ad amicitiam habeatur*: cæterùm (vt ipse Sanctissimus Præceptor asserit 2.2. *q.72. art.3. ad 2.*) *gravius peccatum est contumelia quàm detractio*: *sicut rapina est gravius peccatum quàm furtum.* Et ratio est, quam attingit his vltimis verbis: quia objecta propria, & formalia contumeliæ, & detractionis, non sunt honor, & fama, sed rationes involuntarij, quia nimirùm contumelia in præsentia, & quasi vim inferendo infertur, sicut rapina; detractio autem tollit famam in absentia, sicut furtum in absentia tollit pecunias. Et inde colligitur, contumeliam esse acerbiorem, nimirùm: quia per eam quis patitur involuntarium vi; per detractionem non, nisi ignorantia, vt contingit in furto, & rapina. Vnde esse gravius peccatum contumeliam detractione; docent Prad. *cap.25. q.1. n.22.* Tap. *lib.5. q.14. art.1. n.4.* Rebel. *p.1. lib.4. q.1. n.11.* Serra 2.2. *q.72. artic.1. concl.1. fin.* Less. *lib.2. cap.11. dub.2. n.7.* Bonacin. *disp.2. q.5. punct.1. n.8.* Sot. *lib.5. q.10. art.3. ad 2. §. Contra hoc.*

PUNCTUM II.

Quid sit contumelia? Quot modis fiat? Et an contumelias sustinere quis teneatur?

Explicatur definitio cõ tumeliæ.

9 POstquàm honorem, & famam explicuimus, iam ad injurias ipsis contrarias in particulari explicandas accedamus, ideòque priùs de contumelia hoc puncto agemus. Et quamvis sequentes ordinem D. Thom. statim nobis agendum erat de detractione; quia tamen de ista latius est nobis agendum, priùs agemus de susurratione, & maledictione, quibus etiam honor, & fama læditur, duobus sequentibus punctis, vt posteà de detractione laxiori calamo agamus. Igitur contumelia à D. Thom. 2.2. *q.72. art.1.* diffinitur, quòd est *Dehonoratio alicuius per verba, quibus id quod est contra honorem illius, deducitur in notiam eius, & aliorum.* Pro cuius explicatione notandum est ex eodem Sancto Doctore, contumeliam per se, & primariò in verbis consistere: & sic D. Isidor. à D. Thom. relatus, ait: *Contumeliosus dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis injuriæ*, vt si in eius præsentia objicias illius defectus, etiam veros: & si defectus objectus sit culpæ, vt dicendo, *tu es fur, tu es mœchus*, dicitur contumelia: si defectus pœnæ objicias dicendo, *tu es cæcus, stultus/ve*, dicitur convitium: si defectus indigentiæ præteritæ, præcipuè revocando in memoriam auxilium, quod indigenti præstitit, dicitur improperium: Eccles. 20. *Exigua dedit, dedit, & multa improperavit*: quamvis inter hæc vitia multoties vnum pro alio accipiatur.

Contumelia fit verbis, quomodo etiã factis?

10 Semper ergo in verbis contumelia in genere consistit: quia per illam intendit contumeliosus exprimere id, quod ad alium inhonorandum conducit; & quia verba ad exprimendum animum sunt ordinata, per verba contumelia per se, & directè efficitur. Et hoc non tollit, quòd factis aliquando contumelia inferatur; sed tunc non sumuntur facta, vt facta, seu vt res sunt, sed quatenus suo modo induunt rationem verborum, & sunt signa, sumunturque ad significandum id, quod est contra honorem, vt rectè docet Sotus *lib.5. quæst.9. articul.1. concl.2.* Vt si fustibus alium cædas, aut ferias, est contra justitiam, sicut vulneratio, aut mutilatio; non autem est contumelia, aut contra honorem: quia tunc summitur factum, vt res est, non vt signum est. Si autẽ fustibus cædas, vt ostendas te eum parvipendere, & flocci æstimare, significans aliquem defectum virium, seu fortitudinis, est contumelia formaliter talis. Vnde rectè inquit Caietanus, *quæst.72. art.1.* quòd ad hoc, vt aliquis actus sit directè, & per se contumelia, exigitur, quòd directè intendat proximi dehonorationem, & quod est contra honorem alicuius, deducat in notitiam eius, vel aliorum. Id enim commune est omnibus peccatis, quæ per se, & ex sua specie in verbis consistunt, vt inquit ibi Magister Bañez, quòd ex intentione sint judicanda.

Verba

Verba namque non habent rationem contumeliæ, quatenùs soni sunt,sed quatenùs exprimunt conceptum : habent autem virtutem significandi ex intentione; & sic ex intentione judicanda sunt.Datur tamen contumelia materialis , si verbum, aut factum notabilitèr sint offensiva honoris, licet non ex intentione: sed si per inadvertètiam culpabilem notabilis læsio sit sequuta,quia potuit , & debuit prævideri , tunc erit peccatum mortale, quod reducitur ad speciem contumeliæ. Censetur enim tunc redire in naturam suæ formæ , vt inquit Caietanus : seu (quod idem est) interpretativè esse volitam talem offensionem , vt D. Thomas ait 2. 2. *quæst.* 73. *art.*2.

Non requiritur, quòd contumelia coram multis proferatur, vt sit injustitia.

11 Sed quia in fine diffinitionis contumeliæ dixit D. Thom. *contra honorem deducitur in notitiam eius , & aliorum*: notandum est , non quiri, quòd vtrumque simul semper reperiatur , sed sufficere ad contumeliam, quod id quòd est contra honorem, ad notitiam patientis faciat venire; & sic quod illi soli verba inhonorantia dicat : erit autem gravius peccatum, si in notitiam eius, & aliorum defectus,quos objicit contumeliosus, faciat devenire. Et ideò concludit D.Thom.dicta *q.*72.*art.* 2. *Et ideò maior est contumelia , si aliquis alicui suum defectum dicat coram multis: & tamen si illi soli dicat, potest esse contumelia in quantum ipse,qui loquitur injustè, contra reverentiam audientis agit.*

Omnes contumeliæ sunt eiusdē speciei , & sic non necessario in confessione explicandæ.

12 Sunt autem omnes contumeliæ eiusdem speciei infimæ,sicut omnes detractiones, vt suo loco dicemus, sunt eiusdem speciei : sive sit contumelia, convitium,improperium: omnes enim ad denigrandum honorem per se tendunt : & licèt intra eandem speciem, vna sit alia gravior,quò gravius delictum, vel defectum objcit, & aliquando notabiliter agravent injuriam;vt si objciat esse hæreticum, judeum, proditorem, omnes intra eandem speciem continentur. D. Thom.*q.*72.*art.*1. Ean. *ibi,notabili tertio*, Caietan.*ibi ad* 3. Serra,*ibidem circa finem*,Prado *cap.*25.*q.*1.§.3. Bonac.*disp.*2.*q.*5.*punct.* 1.*n.*5. Soto *lib.*5.*q.*9.*art.*1.*ad finem.* Rebell.1.*p.lib.*4.*q.*1. *n.*5.Tap.*lib.*5.*q.*14.*art.*1.*n.*2. Dian. 1.*p. tract. de Circumstant.resol.* 28. Trullench.*lib.*7.*cap.*10.*dub.* 2.*n.*4.Lugo *de Pœnit.disp.*16.*sect.* 5. *n.* 265.*& de Iustitia, disp.*14.*sect.*11.*n.*190.Dicastill.*de Pœnit. tract.*8. *disp.*9.*dub.*8.*quæsit.*7 *n.*504. Vndè secundùm opinionem probabiliorem , quam sequuti sumus *tract.*6.*de pœnit. cap.*8.*n.*23. nimirùm circumstantias intra eandem speciem notabilitèr aggravantes, non esse necessariò in confessione explicandas , non erit necessarium explicare in confessione mala, quæ per contumeliam proximò objciuntur; sed sufficiet dicere , se graviter contumelijs alium affeciisse, vt ibidem *n.*75.*in fin.* diximus, nisi in ordine ad restitutionem faciendam necessariò sint explicanda.

Est contumelia ex genere suo grave peccatum.

13 Igitur contumelia ex suo genere peccatum est mortale, vt inquit D. Thom. *q.* 72. *art.* 2. eo quòd deprimere intendit honorem , qui pluris æstimatur divitijs: & Christus Dominus , Matth. 5. dixit : *Si quis dixerit fratri suo: Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Addit *ad* 3. & *ibi* Caietanus, posse esse veniale , quandoque ex levitate se tenente ex parte honoris , quia non intendit nisi parum inhonorare, & modicum credit alium contristandum: aliquando ex parte intentionis, vt si brevi ira prorumpit in verbum contumeliosum , non ex intentione,& consensu dehonorandi. Hinc enim excusari possunt à peccato mortali, & quandoque etiam à veniali, patres appellantes filios torvos , duros , asinos : non enim intendunt dehonorare , sed carpere : & contumeliæ, quibus mulierculæ , pueri , & viri infimæ sortis sese solent verberare; cùm enim eorum verbis non soleat fides adhiberi , non multùm honorem lædunt.

Quomodo ad correptionem possit superior vti verbis contumeliosis?

14 Sed objcies, quòd Christus Dominus stultos vocavit discipulos, Lucæ vltim. *O stulti,& tardi corde ad credendum!* Et Pharisæis verba contumeliosa multotis objecit. Et *ad Galatas* 3. vocat eos Apostolus insensatos : ergo non erit ex genere suo mortale his , & alijs contumelijs proximum afficere. ¶ Respondetur , quòd sicut verberare, & percutere possumus eos, quos erudire , & corrigere debemus causa disciplinæ ; sic convitium, & contumeliam dicere , vt confundantur , & corrigantur. Cæterùm , quia (vt inquit D. Gregorius *præfat. in Iob. cap.*8.) *Nonnunquam plus conturbant verba , quàm vulnera* , juxta illud Eccles. 21. *Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa*; monet optimè D. Thom. *art.* 2. *ad* 2. ex D. Augustin. *lib.* 2.*de sermon. Domini in monte, cap.* 30. rarissimè in correctionibus esse contumeliosa verba adducenda : quoniam repræsentatur subditis , quòd superiores non ex charitate , sed ex passione procedunt , fiuntque deteriores, non suscipientes disciplinam. Vnde Tullius *lib. de Officijs* inquit : *Omnis animadversio , & castigatio contumelijs vacare debet.* Et Trident. *sess.*15. *de Reform.cap.*1. inquit : *Cùm sæpè plus erga corrigendos agat benevolentia , quàm austeritas : plus exhortatio , quàm comminatio : plus charitas,quàm potestas.* Hæc animadvertant , quibus incumbit onus corrigendi , etiam ex officio, quàm temperatè verbis obiurgatorijs vti debeant, quæ sæpiùs durities pariunt, quàm fructum emendæ. Discretione itaque opus est , & conditio personæ corrigendæ prudenter consideranda.

Non semper obligat sustinere contumelias,ali quando eas obtundere, est laudabile.

15 Sed inquires primò , vtrum debeat Christianus contumelias sibi illatas sustinere ? Respondetur , quòd sicut patientia nobis necessaria est in his , quæ contra nos fiunt ; sic in his , quæ contra nos dicuntur. Cæterùm , vt inquit Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 72. *articul.* 3. præcepta patientiæ sunt in præparatione animi habenda, vt scilicèt paratus sit ea sustinere , quæ contra illum fiunt, si opus, vel expediens fuerit , juxta illud : *Si quis percusserit te in vna maxilla, præbe ei , & aliam.* Quod intelligitur,secundùm D.August.*lib.*1. *de Serm.Domin. in monte,cap.*34.vt homo sit paratus id facere, si opus fuerit : non tamen tenetur hoc de facto facere , quia nec ipse Dominus hoc fecit, qui suscipiens alapam , percutienti dixit : *Cur me cædis?* Sic homo debet esse paratus ad toleranda contumelias, si opus fuerit : non tamen tenetur semper actu eas tolerare. ¶ Imò inquit Sanctus Thomas, quandoque contumeliam illatam retundere convenieus est: vel propter bonum eius,qui infert illam, vt reprimatur, ne de cætero talia audeat proferre. *Proverb.* 20. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Quod quidem mansuetè, & modestè debet fieri , non per inordinata , & contumeliosa verba , vt ibidem dicitur : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Vel propter bonum aliorum, quorum profectus impeditur ob contumelias nobis illatas : quod verbis D. Gregor. *Homil.* 9. *in Eze-*

Ezechiel. confirmat. Et iterum ipse D. Thom. *Opusc. 19. contra impugnantes Religionem, cap. 14.* docet, quòd etiam viri Apostolici quandoque maledicentibus possunt resistere: & probat exemplo plurium Sanctorum, qui apologeticos fecerunt, & Epistolas, quibus se excusarent ab his, quæ ipsis imponebantur: & inter alia testimonia refert præclara verba D. August. 2. *de Trinit.* ex quibus constat, quòd canini dentes detractorum quandoque sunt evitandi, quandoque retundendi. Sed vt debito ordine hæc fiant, audi ipsum Sanctum, *quodlib. 10. art. 13.* vbi ita ait: *Quòd vtrumque, scilicèt, & contemptus famæ, & appetitus, potest esse laudabile, & vitiosum: fama enim non est necessaria homini propter se ipsum, sed propter proximum ædificandum: appetere ergo famam propter proximum, charitas est: appetere verò propter seipsum, ad inanem gloriam pertinet. E converso contemptus famæ ratione sui ipsius, humilitas est: ratione verò proximi ignavia, & crudelitas.*

Quandoque contumelias sustinere est optimus actus.

16 Cùm hoc tamen stat, verissimam esse doctrinam Caiet. *in Sum.* verb. *Fama, in fine,* docentis quòd quandoque melius providetur proximis cum hilari patientia tolerando infamias nostras, quàm obsistendo adversarijs: nec tunc quis negligit famam propriam, sed illius optimam curam habet, eam Deo offerendo. (Vndè (concludit) nisi charitas proximi impellat, melius toleratur infamia, quàm pro fama laboratur.) Exemplo Davidis, *Psalm. 37. Et qui inquirebant mala, mihi loquuti sunt vanitates: ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperui os meum.* Et vt Religiosos in hac parte optimè instruat, hæc præclara verba tradit D. Damascen. *lib. 6. epist. 30. circa finem. Inter omnia, quæ divina nobis sunt lege mandata, nihil est Monacho propensius enitendum, quàm vt patientiam in omnibus habeat, qua videlicèt alienæ improbitatis injuriam æquanimitèr ferat. Hæc planè virtus ad perfectionis culmen Monachum provolvit, & terribilem in Dei hostibus animum dimicantem facit.*

Quomodo offenso liceat contumelias adversus offensorē objicere?

17 Inquires secundò. An liceat offenso aliam contumeliam objicere contumelianti ad repellendam priorem contumeliam? In quo supponimus, quòd contumeliam in alium objicere ex iracundia præcisè in vindictam, peccatum est juxta gravitatem materiæ; sicut alium, qui te iam percussit, repercutere. Nemini enim propria auctoritate, sive verbis, sive factis licet vindictam sumere. Supponimus etiam, quòd per hoc, quòd alteri crimen objicias, vt contumeliam infringas, & honorem tuum defendas, non peccas, si verum est crimen quod objicis, licèt occultum: vt si eum mentiri asseras, & assuetum esse mendacijs proferendis probes, vt sic ipsi fides non adhibeatur; vel si adhibita sit, repellatur: quia quandiù manet talis opinio, tua fama denigratur: & adhuc alius est quasi aggressor illius, quem vi repellere potes. Sicut communitèr dicitur de teste, qui mihi crimen falsum, vel verum occultum in judicio objecit; vel etiam si publicum, sed contra ordinem juris, possum de illo dicere mentitum esse, & esse mendacijs assuetum probarè; vt ipsi non adhibeatur fides, vt diximus *cap. 1. huius tract.*

Aliquando etiam crimen falsum inimico im-

18 Difficultas ergo est, an possit aliquis absque peccato gravi objicere testi modo dicto *num. præced.* testificanti, vel contumeliam dicenti, crimen falsum, si per se conducat ad repellendam illam injustitiam? Probabile esse, posse absque peccato gravi id facere, plures Doctores asserunt: quia tunc non est mendacium permitiosum, sed simplex mendacium, quod limites peccati venialis non transit: eo quòd sicut licet obsistere invasori, eum occidendo, sic infamatorem injustum repellere, eum infamando. Vndè sicut omnes asserunt, licere crimen occultum ei objicere, quia sic se justè defendit, & per hoc non facit alteri injustitiam; sic falsum ei objicere non erit contra justitiam, sed contra veritatem: nam quod crimen, quod objicitur, falsum sit, vel occultum verum, quoad injustitiam idem est, & solùm differunt illa duo penes verum, vel falsum: quod solum est peccatum veniale. Sic Bañ. 2. 2. *q. 70. artic. 3. dub. 2. & q. 73. art. 3. in dub. super art. concl.* 2. Ledesm. & Orellan. quos refert, & sequitur Ioan. à Cruce *in Director. conscientiæ, p. 2. præcep. 8. art. 4. dub. 17. concl. 1.* Dicastill. *de Justit. tom. 1. lib. 2. tract. 2. disp. 12. n. 406.* Qui septemdecim pro hac parte refert Doctores, quorum subscriptiones apud se habet: Quamvis alij oppositum teneant. ¶ Quibus, & nos assentimur, ob Innoc. XI. decretum, de medio probabilitatem huius sententiæ tollentis, vt constat ex Propos. 43. & 44. à prædicto summo Pastore damnatis: Aiebat enim illa: *Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere.* Hæc 44. dicebat: *Probabile est non peccare mortalitèr, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam justitiam, & honorem defendat, & si hoc non est probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.* Quibus, vt vides, reprobat SS. Pontif. vnquam licere falsum crimen imponere contumelijs afficienti, vel detrahenti, ita vt falsum crimen imponēs à lethali culpa excusetur.

posse ad avertenda contumelia, non esse mortale, aliqui dixerūt.



PUNCTUM III.

Quod peccatum sit susurratio, & quod derisio: & in quibus casibus vtraque liceat?

Quid est susurratio, & quomodo ab alijs vitijs linguę distinguatur.

19 LOquens Apostolus *ad Roman. 1.* enumerat susurrones, & detractores, vbi Glossa Interlinealis dicit: *Susurrones inter amicos discordiam seminantes; detractores, quia horum bona negant, vel minuunt.* Itaque licèt detractio, & susurratio inter se conveniant, tàm in materia, quia malum alterius proferunt, quàm in forma, seu modo loquendi, quia vtraque malum de proximo in absentia dicit, ex fine differunt specie, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst. 74. art. 5.* quia detractor intendit famam proximi minuere; & ideò illa profer, quibus eius recta opinio possit denigrari. At susurro amicitiam separare intendit; & ideò talia mala de proximo dicit, quæ commovere possint animum audientis: Proverb. 26. *Susurrone subtracto, iurgia cessabunt:* Ecclesiastes 28. *Vir peccator conturbat amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiã.* Et ideò ex genere suo esse peccatum lethale, imò gravius detractione, diximus *num. 8.* & docet D. Thom. *loco citato, art. 2.* & ex eius doctrina sic diffiniri quàm benè potest: *Verbum seminans inter amicos discordias.* Et quia specie differt à detractione, quia illa famam deturpare, hæc amicitiam solvere intendit, exprimenda est in confessione, ex D. Thom. *articul. 1. ad 1.* Qui etiam *ad 3.* asserit, rectè susurronem dici bi-

liu-

linguem, quia amicitiam, quæ est inter duos, ex vtraque parte nititur dissolvere: & ideò duplici lingua ad duos vtitur, vni de alio maledicens, vt inter vtrumque discordiam foeminet: Ecclesiast. 28. *Susurro, & bilinguis maledictus erit, multos enim turbabit pacem habentes.*

Omnes sunt eiusdem speciei, nisi aliâ extrinsecam habeant.

20 Omnes susurrationes sunt eiusdem speciei, quia omnes tendunt in communem rationem inimicitiæ: sicut omnia odia sunt eiusdem speciei, quia in communi intendunt rationem mali. Cæterum (vt benè advertit Caietan. 2.2.*q.*74.*art.*1. & Bañ. *ibi*) quia vnum vitium vtitur alio, & eius speciem induit; si quis susurrando intendat aliquid delectabile, quia ponendo, v. g. discordias inter conjuges, abutetur vxore: aut aliquid vtile, quia, susurrando inter Principes, vsurpabit sibi Regnum, vel Comitatum; tunc induit susurratio alteram speciem in confessione detegendam: imò simpliciter non est tunc susurratio formalis, cùm nõ intendat principaliter dissolvere amicitiam: sicut enim qui furatur, vt mœchetur, magis dicitur mœchus, quàm fur; ità magis dicitur in dictis casibus adulter, vel latro, quàm susurro. Et hoc modo verum est, quod tradit Lugo *disp.*14.*sect.*3.*n.*43. posse susurrationes specie differre: quando videlicèt susurro prævidet sequi posse, non solùm detrimentum pacis, & concordiæ, sed etiam alia damna, in alio genere bonorum, vt vulnera, homicidia, damna in bonis fortunæ; ex quorum bonorum diversitate susurratio accipit speciem diversam injuriæ, & induit pro his damnis obligationem restituendi.

Licitum est amicitiã dãnosam dissolvere.

21 Indubitatum est licere aliquando duorum amicitiam per susurrationem dissolvere, nimirùm quando amicitia est aliquo modo pernicioſa: tunc enim justum est, citra infamationem, aliqua vitia naturalia, vel etiam moralia, vera proferre: vt si ad retrahendum amicum à muliere, dicat eam esse deformem, insulsam, vel meretricem: & in communitatibus religiosis sæpè necessarium est medijs licitis amicitias nocivas exturbare, vt ab initio nascentis Religionis Patres docuerunt, & tradit Sot. *lib.* 5. *q.* 10.*art.*1.*§. Alterum dubiolum.* Bonac. *disp.*2.*q.* 6. *punct.*2.*n.*4. Rebell. *lib.*4.*q.*1.*n.*12. Dicastill. *lib.* 2. *tract.*2.*disp.*12.*p.*4.*n.*422. Dissolvere autem amicitiam in virtute fundatam, semper est peccatum mortale, si ex amicis contendat facere inimicos: & si solum assiduam familiaritatem abigere, poterit esse veniale.

Licet citra infamiã alium ab amicitia repellere, vt se intromittat in eam.

22 Hinc oritur quæstio, an liceat amicitiam aliquorum dissolvere citra infamationem, narrando aliquos defectus naturales, vel alijs modis licitis; non vt fiant inimici, sed vt se intromittat in amicitiam loco amici expulsi, quia Prælatus, aut Princeps ad tantam familiaritatem non eum admittet, nisi alter excludatur? Negant Bañ. & Salon. 2.2. *q.* 74. *art.*2. Azor 3.*p.lib.*13.*cap.*8.*dub.* 5. Sayr. *lib.* 12. *cap.*5.*n.*5. Filliuc. *tract.*40.*cap.*5.*q.* 3. *n.* 104. Trullench. *lib.*8.*cap.*7.*dub.*2.*n.*7. Quia bonum propriæ vtilitatis sufficiens non est causa honestandi damnũ, & incommodum, quod regulariter alteri sequitur ex diminutione familiaritatis: licet enim amicitia bonum gratuitum sit, postquàm tamẽ aliquis est admissus ad eam, jus habet, vt sine causa, cum damno suo illa non privetur. ¶ Sed affirmativè respondẽdum est: quia licitum est vnicuique sine vi, & fraude, illud bonum sibi procurare, quod ex alterius gratuita voluntate dependet, licèt per hoc alius ab eo expellatur, & procurare ne detur alteri, sed sibi, etiamsi id fiat cum repulsa alterius, qui jus ad illud non habebat: vt dicebamus *hoc tract. cap.* 1.*n.*98. de eo, qui absque vi, aut fraude procurat avertere alium, ne legatum, aut hæreditatem Petro relinquat, cui relinquere volebat; sed vel sibi, vel amico. Atqui amicitia, quando contrahitur, & quandiù conservatur, bonum est gratuitum ex alterius libera voluntate dependens: igitur illam sibi procurare absque vi, fraude, aut injustitia, etiam cum alterius exclusione, licitum erit vnicuique Sot. supr. *§. An verò*, Aragon *q.*74.*art.*2.*fin.* Bonac. *disp.*2.*quæst.*6. *punct.*2.*n.*6. Serra *q.*74.*art.*2.*fin.* Prado *cap.* 25.*q.* 3.*num.*12.

Quid sit irrisio, & quæ duplex?

23 Præter susurrationem datur aliud peccatum linguæ, quo alterius honor deprimitur, & dicitur derisio, vel irrisio, seu illusio: & diffinitur, quòd est *Verborum ludus ex proximi defectibus, vt erubescat.* Derisionem distingui specie à contumelia, detractione, & susurratione, probat D. Thom. 2.2.*q.* 75.*art.*1. ex parte finis, & motivi diversi: contumelia namque intendit honorem deprimere, detractio famam minuere, susurratio amicitiam solvere, irrisio pudorem, & verecundiam causare. Et *artic.* 2. docet, ex genere suo esse grave peccatum, si defectus gravis objiciatur in ludum, & derisum; vndè alius gravitèr offendatur, aut confundatur. Omnes irrisiones sunt eiusdem speciei, nisi malitiam contra aliam virtutem superinduant: vndè irridere Deum, & ea quæ Dei sunt, gravissimum peccatum est. Isai.47. *Cui exprobrasti? Et quem blasphemasti? Et super quem exaltasti vocem tuam?* Et posteà subdit: *Ad sanctum Israel?* Vndè sicut contumelia Dei est blasphemia, sic irrisio. Quod impiè fecerunt Principes Sacerdotum, irridentes Christum, & milites illudentes ei. Si fuerit irrisio parentum, vti fuit in Cham respectu patris sui Noe, est contra pietatem, & secundo loco gravitatem sortitur, de quo Proverb. 30. *Oculum, qui subsanat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Iustorum derisio est etiam gravissimum peccatum, & contra virtutem observantiæ, & multum pernicioſum: quia per hoc homines à benè agendo impediuntur. Iob 12. *Deridetur justi simplicitas.*

Quando irrisio sit veniale, vel nullũ peccatum?

24 *Cum autem aliquis* (inquit D. Thom. *q.* 75. *art.*2.) *alterius personæ malum, vel defectum in risum, vel ludum ponit, quia secundum se parvum malum est, est veniale, & leve peccatum, secundùm suum genus.* Addunt autem hic Magister Serra, & Bonac. *disp.*2.*q.*5.*punct.*1.*n.* 14. quòd potest esse aliqua derisio, quæ nullum sit peccatum, nec deordinata, sed ordinata: vt jocosa de exiguo aliquo malo alterius, vt parvo rubore suffundatur, est actus virtutis eutropeliæ; nam potest aliqua erubescentia proximi intendi absque contemptu, & dehonoratione illius, per modum ludi, ad honestam recreationem, & jucunditatem, media aliqua moderata irrisione. Sed notat benè Magister Soto *lib.* 5. *quæst.* 11. *articul.* 2. *conclus.* 2. quòd si quis vitium non adeò per se magnum alteri ludendo objiciat, sciens irritionem illum gravissimè laturum, peccatum grave contra charitatem committet: & exemplum ponit in eo, qui viro honestissimo, ac religioso in facie diceret, absque arbitris fuisse puellæ loquutum, vndè ille ingenti rubore suffunderetur. Propterea opus est magna prudentia in derisione, quæ sit causa recreatio-

tionis, cùm facilè committi possit grave peccatum ratione tristitiæ, & erubescentiæ, quam derisus patitur.

Quid, si alius turbetur nimis irrisione rei levis ob pusillanimitatẽ animi?

25 Sed rogabis, an mortalitèr delinqueret, qui sciens alium ob vile ingenium, vel animi pusillanimitatem gravitèr laturum irrisionem alicuius defectus levis, joci, & ludi causa, illam ipsi obijceret? Respondet Magister Serra *art.* 2. *cit.* non peccare mortalitèr, nisi quàdo alius prudenter talem irrisionem gravissimè fert: nam si quis stultè, & nimis imprudentèr de his, quæ ex se sunt exigua, nimium erubesceret, ac perturbaretur, non esset talis irrisio causa huiusmodi erubescentiæ, & perturbationis; sed ipsa sua stultitia, & fatuitas. Vndè, inquit, nisi velimus mundum replere peccatis mortalibus, regulariter à lethali culpa excusare possumus eos, qui magis aliquem derident, quò magis erubescit de quibusdam minimis, hoc enim stultitia est: nam si æquanimitèr toleraret, alij à derisione desisterent, & stultè erubescendo, seipsum deridendum præbet. ¶ Cæterùm licèt reipsa stultitia maxima sit gravissimè erubescere, vel perturbari de re nulla, vel parvissimè digna erubescentia; at quia actiones morales in singulari sunt attendendæ, si quis in dicto casu gravissimam proximi perturbationem, & erubescentiam, ex eius pusilanimitate ortam prævideret, eum non excusant à mortali Bonacina *disp.* 2. *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 14. Molina *tract.* 4. *disp.* 21. *n.* 4. Prad. *cap.* 25. *q.* 3. *n.* 25. Salon 2. 2. *q.* 75. *art.* 2. *concl.* 1. Sayr. *lib.* 12. *cap.* 5. *n.* 9. Trullench. *lib.* 8. *cap.* 7. *dub.* 3. *n.* 10.

PUNCTUM IV.

De Maledictione, eius malitia, & diversitate.

Quid sit maledictio, & illius gravitas.

26 QUamvis maledicere idem sit, quòd malum dicere, & ideò maledictio communi vocabulo cum detractione conveniat, quia per eam malum dicitur, vt tradit Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 76. *articul.* 1. & si in præsentia dicatur, cum contumelia conveniat, quia etiam maledictio in facie prolata honorem non parum deprimit; accipitur tamen in præsenti pro illis verbis, quibus malum contra aliquem pronuntiatur imperando, vel imprecando: dicendo (v. g.) *Mala morte moriaris: malum tibi vtinam contingat.* Diffiniturque maledictio hoc modo sumpta à D. Thom. *art.* 3. *Per quam pronuntiatur malum contra aliquem, optando, vel imperando illud ex intentione.* Peccatum frequentissimum, quod ex suo genere est mortale, vt *dicto art.* 3. tradit D. Thom. quia velle, imprecari, vel imperio movere ad malum alterius secundùm se repugnat charitati, qua diligimus proximum, & illius bonum optamus: & ideò *ad Corinth.* 6. dicitur: *Nec maledici Regnum Dei possidebunt.* Et tantò est gravius peccatum, quantò personam, cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur. Et sic Levitici 20. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* ¶ Quomodo autem optare possumus malum alterius sub ratione boni, & quibus casibus, diximus *cap.* 2. *huius tract. n.* 25. sicut etiam Ecclesia anathematizando maledicit peccatores. Et *Deuter.* 27. dicitur: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius.* ¶ Maledictiones autem creaturarum irrationalium secundum se sumptarum, quomodo incapaces sunt mali, & sic maledictionis, sunt peccata venialia, sicut alia verba, vel facta otiosa; at si maledicantur illæ, vt sunt in ordine ad creaturam rationalem illi deservientes, erit peccatum grave juxta gravitatem materiæ, vt si maledicas gregem Petri, optando quòd à dæmone rapiatur. Sed si creaturæ irrationales maledicantur, vt sunt creaturæ Dei, blasphemia est, vt inquit D. Thom. *art.* 2. At rustici multoties eas maledicunt materialitèr, vt sunt à Deo factæ, dicendo: *Maldita sea el alma que te criò.* Sed blasphemiam formalem non proferunt, quia nesciunt quid dicunt, nec contra quem irascuntur.

Quãdo maledictio non sit peccatum mortale?

27 Addit D. Thomas *art.* 3. *cit.* maledictionem peccatum esse veniale, vel ex parvitate materiæ, vt si parvum malum exoptet, vel ex affectus imperfectione, quia (vt dixerat *q.* 72. *art.* 2) peccata verborum maximè ex affectu pensantur. Vndè si vel ex levi motu, vel ex ludo, vel ex subreptione aliquem maledicas, non peccas mortalitèr. Et addit Caietanus, quòd maledictio materialitèr sumpta ex suo genere non est peccatum mortale, & sic maledictiones à parentibus in filios immissæ, quæ non transeunt guttur, à mortali communitèr excusantur. Cæterùm non est sufficiens signum (vt malè ab ignorantibus judicatur) maledictionem non esse prolatam formalitèr, & ex intentione mali, quòd statim maledicentem pœniteat protulisse, & doleat, si contingeret; si tamen, quando malum imprecabatur, passio iræ, aut furoris prævaluit, flexitque voluntatem ad consensum, ita vt tunc voluisset, vt eveniret, quod imprecabatur (quod communitèr accidit, quando inimici maledicuntur, vel illi, à quibus grave malum accepimus) erit peccatum mortale. Soto *lib.* 5. *q.* 12. *art.* 1. §. *Circa has*, Prado *cap.* 25. *q.* 4. *n.* 6. Serra 2. 2. *q.* 76. *art.* 3. Caiet. *ibi*, & *in Sum.* verb. *Maledictio.*

Quæ necessaria, vt maledictio sit mortale?

28 Ex quo fit, tria necessariò requiri, vt maledictio sit peccatum mortale. Primò, quòd ex animo, & intentione malum imprecetur: secundò, quòd ex perfecta deliberatione procedat talis imprecatio: tertiò, quod malum optatum grave sit. Quolibet ex his defficiente, etiamsi ex ira, & mala consuetudine maledictio procedat, non erit mortale. Et ideò mulierculæ, quæ filijs, vel ancillis maledicunt: rustici, qui sibi, & alijs, frequentèr non peccant mortalitèr: quia vel ex ira, vel ex prava consuetudine procedunt, non optando, sed impetum furoris, & impatientiæ significando; vel ex quadam levi negligentia, vel inconsideratione in maledicendo. Azor *tom.* 3. *lib.* 13. *cap.* 10. Diana 3. *part. tract.* 3. *resol.* 13. Trullench. *lib.* 8. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 1. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *à num.* 538. Lugo *disp.* 14. *sect.* 11. *num.* 196. Molina *tom.* 5. *disp.* 22. *numer.* 4. Nisi per imprecationem scandalum in audientibus generaret; vt si alium magno impetu, & clamore diabolo committeret. Sed regulariter, nisi fiat ex animo talis commissio (quomodo rarò contingit) dicunt prædicti Authores non esse peccatum mortale. Seipsum autem diabolo committere, etiamsi ex animo non loquatur, esse mortale tenet Molina, ob feritatem, horrorem, ac perversitatem rei. Sed oppositum Dicastill. & Lugo docent: qui meritò advertunt, quod quia contra se verba illa proferentes apprehendunt in eis regulariter gravem deformitatem, hoc sufficit ad mortale ex hoc capite.

Quando sunt maledictiones eiusdē speciei, vel diversæ.

29 An verò omnes maledictiones sint eiusdem speciei, ita vt necessarium non sit in confessione aperire,cuius speciei sit malum imprecatum: Negant esse diversæ speciei Diana 1.*part. tract.* 7. *resolut.*30.& 3.*part.tract.*4.*resol.*67.Lugo *de Pœnit. disp.*16.*sect.*5.& *de Iustit. disp.*14.*sect.* 11. *num.* 195.Trullench.*lib.*8.*cap.*2.*dub.*4.*num.*2.& 7. quia peccata odij proximi non sumunt diversam speciem à diverso malo desiderato,quando omnia sub ratione mali proximi appetuntur : quia semper eidem virtuti dilectionis proximi contrariantur. ¶ Sed hanc veram sentētiam judicamus,si malum solùm in cōmuni imprecetur, vt si dicitur: *Maledictus sis:malum tibi vtinam eveniat: boni nihil tibi contingat.* At si maledictio formalis,hoc est, ex animo prolata,includit desiderium , sumit diversam speciem in confessione detegendam ; vt si imprecatur homicidium, mutilationem, infamiam, sunt diversæ speciei maledictiones:quia desiderium mali proximi ex diverso malo,quod optatur,accipit speciem, & sic desiderium homicidij ad homicidium pertinet; desiderium furti ad furtum,& sic de reliquis. Quod docent D.Thomas 2.2.*quæst.*76.*art.* 4.*ad* 1. Caietanus, Bañez, Salon ibi, Prado *cap.*25.*quæst.* 4. *num.* 12. Villalobos *tom.*2.*tract.*3.*diffic.*9.*num.*2.Filliucius, *tract.*4.*cap.*5.*num.*47.Soto *lib.* 5.*quæst.* 11. *art.* 3.*concl.*2.*§.Ex his*,Dicastill.*lib.*2.*tract.*12.*n.*533.

PUNCTUM V.

De injuria contra bonum famæ per detractionem commissa.

Quæ sint in hoc puncto peragenda?

30 DE hac materia agit D. Thomas *tota quæst.*37.*huius* 2. 2. vbi naturam detractionis explicat, gravitatem eius declarat,multiplicem modum , quo fieri solet, enodat,quibus in casibus à mortali excusetur, edocet,& alia ad hanc materiam pertinentia dexteritate, qua solet, persolvit. Quæ omnia nos, vt confusionem ex vna parte evitemus,& ex alia nihil prætermittamus ex his,quæ scitu necessaria sunt ad praxim(quæ plurima á Doctoribus aliquibus latissimè, & doctissimè pertractantur)in quinque paragraphos dividentes,brevitate,& perspicuitate possibili declarabimus. In primo agemus de his , quæ ad naturam detractionis , eius gravitatem , & multiplicitatem spectant, & de personis, de quibus detrahi non licet: vbi de defunctis, de historijs , & libelis infamatorijs sermo erit. In secundo de casibus, in quibus ob parvitatem materiæ detractio à lethali culpa liberatur, in generali regulam statuentes,& posteà descendendo ad casus particulares. In tertio de publica alicuius infamatione agemus, ratione cuius illius crimina propalare non sit detractio, aut gravis detractio. In quarto de causis justis excusantibus à detractione materiali, seu à prolatione alienorum defectuum occultorum. Et in quinto de his,qui audiunt detractores,& non corrigunt.



§. I.

Quid sit detractio? quod peccatum? & quot modis contingat? An respectu mortuorum locum habeat? vbi de historijs , & libellis infamatorijs?

Quid sit detractio,& quomodo specie differat à contumelia?

31 SIcut factis potest homo offendere proximum coram , & absentia, vt per rapinam,& furtum, ob quam rationem hæc duo differunt specie in confessione detegenda; ita verbis, vel in propatulo, illius crimen, aut defectum objiciendo, vel in absentia,crimen,aut defectum verum occultum,vel falsum propalando. Primum fit per contumeliam,vt iam diximus, secundum per detractionem.Vnde licét hæc duo in genere conveniant, in eo scilicet quod est malū de proximo enuntiare, differūt tamen specie:tùm,quia contumelia lædit honorem, detractio famam: tùm,& præcipuè,quia illa in præsentia profertur,hæc in absentia , & sic penes maiorem rationem involuntarij per se primò distinguntur. Vnde sat non est in confessione dicere , se malum de alio enuntiasse;sed an in præsentia,vel in absentia dictum sit, debet exprimi, vt diximus *num* 8. Vnde detractio , de qua nunc loquimur , à Divo Thoma 2.2.*quæst.*73.*art.*1. diffinitur, quod est *Denigratio injusta alienæ famæ per occulta verba.* Cùm enim fama (vt diximus *num.*3.) sit illa recta opinio, quæ de nobis habetur,qui defectum,vel crimen occultum manifestat alijs, quantum est ex se, tollit, vel minuit illam opinionem,quam de illo , de quo dicuntur, auditores habebant:& quia talis injuria in absentia irrogatur,dicitur, quòd fit per occulta verba; non quidem simplicitèr , & absolutè talia, sed comparatione ad eum, de quo dicuntur;quia in eius absentia propalantur, iuxta illud Eccles. 10. *Si mordeat serpens in silentio , nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.*

Quomodo in præsentia possit detractio committi?

32 Quandoque autem detractio in præsentia committitur , & tunc simul est contumelia: vt si alicui coram eo , & alijs verbum infamatorium dicatur : quod, vt objectum patienti, est contumelia:quia tunc eius honor deprimitur ; & quatenus manifestat alijs crimen , vel defectum infamatorium, est detractio , qua bona alius fama denigratur,& recta æstimatio diminuitur. Etenim , vt benè inquit Tapia *tom.*2.*suæ Catenæ*, *lib.* 5. *quæst.* 14. *art.*2.*num.*4. præsentia, & absentia constituentes has duas species injuriæ accipiuntur formalissimè. Præsentia quidem , quatenus loquens dirigit verbum ad convitiatum , eum in faciem alloquens, irreverenter dehonorando. Absentia verò , quatenus dirigit sermones ad alios, apud quos minuitur bona opinio, ac fama alterius, ac si essent absentes ab ipso corporaliter. Itaque contumeliator dicitur loqui in præsentia , cùm alloquitur offensum ; in absentia verò quando loquitur alijs de illo: quamvis non loquatur expresse cum his, aut cum illo , dicendo:*Tu es Iudæus*, vel alijs : *Iste est Iudæus*; sed sufficit , quòd coram eis referat: quia in verbo sic prolato , vtraque relatio reperitur , & contumeliæ ad eum, cuius crimen profertur; & detractionis ad eos, qui de illo audiunt: & tunc datur duplex malitia confitenda , & restituendus est honor ablatus per contumeliam , &

fama per detractionem deturpata, modo, quo infrà dicemus.

Detractio ex genere suo est peccatum mortale.

33 Detractio alia est formalis, illa videlicèt, qua ex animo infamandi probrosa dicuntur, quæ nunquam à malitia exuitur. Alia materialis, qua crimina, & defectus deteguntur; non ex animo infamandi, sed ex alio motivo, quod si honestum fuerit, excusabit à peccato, vt posteà dicetur. Cæterùm, si ex levitate animi, vel inconsideratione culpabili verba infamatoria dicantur, est detractio, licet materialis, prava, & peccaminosa. Vtraque autem detractio prava ex genere suo est peccatum mortale, vt D. Thom. ait 2.2. *quæst.* 73. *art.* 2. quia per illam læditur injustè, & culpabiliter fama proximi, quæ est bonum æstimabilius divitijs, & thesauris: Proverb. 22. *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Et *Ecclesiast.* 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm multi thesauri magni, & pretiosi.* Quamvis ex levitate materiæ, & imperfecta deliberatione, & ex imperfectione affectus lædendi alterius famam, quandoque non sit, nisi veniale, quomodo explicat D. Thom. *art.* 2. *citato, ad* 3. D. August. *Sermon* 14. *de Sanctis*, ponentem inter peccata minuta verba detractoria, quæ cum facilitate dicuntur. Quomodo autem à peccato gravi, imò etiam à levi, detractio excusetur, & quando, *§. sequenti* explicabimus.

Quibus modis detractio directè, vel indirectè contingat?

34 Septem modis detractionem fieri posse, docet Sanctus Doctor *quæst.* 73. *art.* 1. *ad* 1. Additur communiter alius in illis inclusus, & sic octo frequentèr enumerantur. Quatuor modis directè fit detractio, & alijs quatuor indirectè. Primò, falsum alteri imponendo, qui est omnibus deterior. Secundò, quando peccatum, vel defectus verbis augetur, & aggravatur. Tertiò, quando crimen occultum revelatur. Quartò, quando id quod bonum est, dicitur mala intentione esse factum: quod si absque fundamento simul judicetur, est etiam judicium temerarium, & sic novum peccatum. Isti quatuor modi directè lædendi famam hoc versu continentur: *Imponens, augens, manifestans, In mala vertens.* Indirectè autem læditur, vel negando bonum alteriùs: vel malitiosè reticendo, quando ex sua taciturnitate videtur affirmare quod dicitur: vel alterius bonum, quod narratur, minuendo; vel frigidè alterum laudando; peius est enim frigidè laudare, quàm apertè reprehendere; qui enim maledicit, inimicus reputatur; & ideò fides ei non adhibetur; sed qui infacundè, & jejunè laudat, à causa ipsa destitui videtur: nam amicus creditur eius, quem laudare vult, sed nihil posse reperiri, quod laudetur. Hi quatuor modi indirectè detrahendi hoc versiculo explicantur: *Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.* In quibus casibus (si solùm sit contra charitatem famam lædere, vt de eo qui reticèt, cùm ex officio non teneatur alterius honori, aut famæ invigilare, & alijs casibus, quibus hoc puncto adnotabimus solùm esse contra charitatem, non contra justitiam, detractionem) non datur obligatio restitutionis, vt omnes asserunt, cùm hæc solummodò ex læsione contra justitiam consurgat. Sed notant communitèr Doctores, posse factis fieri detractionem, vt signa sunt, vt de contumelia supra diximus *num.* 10. & tunc etiam datur obligatio restitutionis; vt si cornua ad fenestram conjugati appendas, vt illius, & vxoris famam deturpes. Omnes hi modi detractionis sunt eiusdem speciei (quod omnes vno ore concedunt) quamvis alij alijs graviores existant; & quo deteriora fuerint crimina detecta, erit deterior detractio, & multoties notabilitèr aggravans intra eandem speciem. At si ex alio capite novam speciem non superinduat, non erit necesse in confessione diversitatem detractionum detegere; secundùm probabiliorem opinionem, quam sequuti sumus.

Defunctis detrahere peccatum grave est contra justitiam.

35 Sed modò rogabis primò, an defunctis detrahere, de illis crimina occulta detegendo, sit grave peccatum juxta gravitatem materiæ obligans ad restitutionem? Respondetur affirmativè: quia fama bonum quoddam est, quod etiam post mortem perseverat; & vt nomen suum præclarum conservent homines, egregia facinora multoties aggrediuntur. Vnde illa privare diffamatum, est gravis injustitia: & cum anima perseveret, in qua voluntas residet, & in ea jus ad famam, & honorem (homo enim ratione animæ, & juris, quod est in voluntate, capax est famæ, & rectæ opinionis, non ratione corporis,) ideò patitur gravem injustitiam, si in ea in detrimentum patiatur, vt tenent Molina *tom.* 1. *tract.* 8. *disp.* 28. Sayro *lib.* 11. *cap.* 7. *num.* 31. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *controv.* 7. *concl.* 3. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *num.* 123. Bonacin. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. *n.* 3. Prado *cap.* 15. *quæst.* 2. *num.* 51. Lugo *disp.* 14. *sect.* 4. *n.* 44. Levius autem, cæteris paribus, erit peccatum defunctis detrahere, quàm vivis. Tùm, quia ab eis minùs fama æstimatur. Tùm etiam, quia minus damnum ipsis infertur, qui ad rectè vivendum fama non indigent, sicut vivi. Quod tenent ferè omnes Authores citati; & sic magis requiritur ad hoc vt sit peccatum mortale detractio illorum, quàm istorum. ¶ Aliqui ex prædictis Authoribus docent, famam per detractionem defunctorum ablatam, restituendam esse familiæ, aut consanguineis, qui per illorum infamationem etiam diffamati censentur: alij per orationes, & suffragia pro defunctis oblata compensandam: quia sic modo ipsis magis proficuo satisfactio fit. Neutrum admittimus: nam si defunctus diffamatus est, illi est restituendum: qui sicut capax est famæ post mortem, ita quod illi ablata restituatur. Vnde sicut familia, vel consanguinei per illius diffamationem fortè diffamati sunt, si restituas in suum statum famam defuncto (secundùm regulas restitutionis illius) familiæ restituta censetur. Nec etiam suffragijs, aut orationibus satisfacis tuæ obligationi: quia fama compensanda non est in bonis alterius ordinis; nec ad hoc aliquis tenetur, etiamsi alio modo non possit illam compensare, propter ea, quæ *cap.* 2. *huius tract. num.* 84. diximus.

Etiam condemnatis certò detrahere, potest esse mortale.

36 Sed nunquid peccatum erit mortale detrahere defunctis, qui certò sunt condemnati, vt sunt Pagani, & Hæretici? Negativè respondent Molina, *loc. cit.* & *tom.* 4. *disp.* 84. *in fine* 3. *concl.* Malderus 2. 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 8. Rebellus *lib.* 4. *quæst.* 11. *num.* 3. Barthol. à Sancto Fausto *disp.* 21. *quæst.* 39. *num.* 2. & probabile judicat Trullench *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 14. *n.* 2. nisi detractio eorum redundet in illorum familiam, vel consanguineos: quia condemnati sunt inimici Dei, & nostri, nec sunt proximi nostri; & ideò justitia, quæ est erga proximos, ad illos non extenditur. ¶ Cæterùm licèt levius sit peccatum, cæteris paribus, condemnatis detrahere, quàm alijs, de quibus est spes salutis, & sic amplius requiratur, vt detractio illorum sit mortalis, quàm istorum, negari non potest esse grave peccatum, gravissima crimina, vel defectus illis imponere, vel occultos illorum propalare: quia licèt ad finem supernaturalem non sint iam ordinati, adhuc proximi nostri manent, quoad naturam

nam humanam.Quarè ſicut non licet eis deſiderare duplex maius tormentum, ſecundum regulas charitatis: quia adhuc eos vt proximos ſecundùm naturam humanam conſideramus ; ita non licet famam illorum,quam poſsident quoad homines , auferre. Aliàs de hæretico nobili iam mortuo liceret falsò aſſerere, fuiſſe proditorem Reipublicæ;& de Ariſtotele,fuiſſe totius philoſophiæ ignarum;de Cicerone, omninò imperitum;deLucretia,fuiſſe publicam meretricem,& alia,quæ nimis dura videntur. Ita Salon 2.2.*quæſt.*62.*art.*2.*controv.*2.*concluſ.* 3. Lugo *diſp.*14.*ſect.*3.*num.*43. Bonacin. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.*2.*num.*5.

Peccãt mortaliter, qui hiſtorijs crimina occulta commendant.

37 Ex quo infertur, peccare gravitèr hiſtoriographos , qui occulta defunctorum crimina in ſuis hiſtorijs ſcribunt : quia illorum famam injuſtè deturpant.Sotus *lib.*5.*quæſt.*10. *art.* 2. Molina *ſuprà diſp.*28. Rebellus *quæſt.* 3. *fine.* Valentia *diſp.* 5. *quæſt.*17. *punct.*2.*§.*4.Salon *controv.*3. *ad* 4. *argum.*Dicaſtillo *num.* 124. Quamvis hi Authores concedant, quòd ſi non ſint nimis occulta , licitum erit ob bonum commune ea ſcribere ; quia poſteri plurimùm inſtruuntur ex hiſtoria in conſilijs capiendis,& ad res præclaras incenduntur ſpe honoris,& timore infamiæ a turpibus deterruntur. Vnde ſecundùm prædictos Authores plus licet in hac parte hiſtoricis,quàm alijs. Cæterùm expendere deberent,cùm ſcribunt delicta alicuius perſonæ nobilis,cuius infamia illius tota familia maculatur, præponderetnè vtilitas , quam legentes futuri ex tali narratione accipient, damno, quod ex tali infamia provenit proſapiæ? quia niſi præponderet , prædicta revelare illicitum erit.

Libellos infamatorios exponere,eſt grave peccatum.

38 Rogabis ſecundò,an libellos famoſos conficere ſit peccatum grave detractionis obligans ad reſtitutionem?Reſpondetur affirmativè:quia per illos gravitèr leditur fama; imò graviùs , quam per particularem detractionem; quia per libellum infamia proditur, vt paulatim publicetur,& in omnium veniat notitiam. Vnde etſi actu non publicetur libellus : quia fortè à viro probo inventus conciſus eſt,vel combuſtus,peccatum erit mortale illum conficere;quia quantum eſt ex parte Authoris , appoſita eſt cauſa infamiæ,quamvis nullam obligationem reſtitutionis inducat, niſi actu infamia ſequatur. Molina *tom.*4.*diſp.*36.*num.*3.Sà,verb.*Infamare*, Petrus Navarr.*lib.*2.*cap.*4 *num.*442. Sayrus *lib.*12.*cap.* 4. *n.*9. Bonacin.*diſp.*2.*quæſt.*4.*punct.*9. *num.* 7. Dicaſtill.*lib.*2.*tract.*2.*diſp.*12.*num.* 436. Imò tenetur publicè reſtituere famam , ſi publicè per libellum quemquam infamavit ; quia reſtitutio fieri debet ad æqualitatem , qualis non fiet , niſi publicè reſtituendo quod publice eſt damnificatum ; quod fiet judicio prudentis Confeſſoris, vel voce præconis , vel ſcriptura publica, vel alio ſimili remedio.

Quid ſit famoſus libellus?

39 Et ſi velis ſcire,quas pœnas incurrat, qui libellos infamatorios componit , aut edit, ſupponere debes quid ſit propriè libellus famoſus;quem ſic ab Authoribus diffinitum reperies , quod *eſt ſignum, vel ſcriptura, in qua continetur alterius infamia ſecreta, vel non omninò publica, vt publica fiat, aut in pleniorem notitiam ſtatim , vel paulatim deveniat.* Ex quo patet, libellum infamatorium non dici,quando infamia iam eſt publica , vel de publicis criminibus agit:vel quando quis componit, vt exerceat ingenium: vel ex aliqua alia curioſitate, non vt malum publicum fiat, aliquid ſpargitur alterius defectum continens; vel quando quis zelo correctionis, aut reſipiſcentiæ,vel boni publici,defectum occultum in Reipublicæ perniciem graſſantem profert, vel cùm ſolùm ludibria,aut jocoſa,non gravia, aut gravitèr infamantia conſcribit. Dicaſtill. & Bonacin. cum alijs ab ipſo citatis.

Quando detur libellus infamatorij compenſatio?

40 Igitur quando aliqua ſcriptura profertur crimina occulta continens , vt de manu in manum tranſeundo , ad publicam notitiam cum infamia eius, de quo dicuntur, ſive vera, ſive falſa ſint, tranſeat, libellus famoſus, vel infamatorius dicitur. Et quamvis vox *libellus* ſignificare videatur aliquam ſcripturam longiuſculam , quia plerumque libellus ſic eſſe ſolet, in quo huiuſmodi turpia deteguntur;ſi tamen quis brevem conficiat ſcripturam alicuius infamia continentem , dicitur libellum famoſum conficere,vt parvam ſchedulam , ſeu chartam, aut picturam ſolam,vel paucas literas continentem , exponendo,quæ vulgò dicuntur *Paſquines*.IuliusClarus,*lib.*5.*ſentent.quæſt.*68.*num.*25.Graſſis *lib.*1.*de caſibus reſervatis,cap.*19.*num.*21. Molina, Dicaſtillo *ſuprà citati*.Qui etiam addunt , authorem libelli infamatorij cenſeri, eiuſque pœnis obnoxium,qui ſigno aliquo infamiam alicuius ſignificat , vt publicetur, vt ſi cornua ad feneſtram alicuius appendat, vt ſignificet eius conjugem eſſe adulteram. ¶ Ac denique, qui,occultato ſuo nomine, ad Iudicem,vel Prælatum ſchedulam de crimine alicuius occulto defert, vt ille inquiſitionem faciat,ita vt non ſciatur author ſchedulæ, dicitur libellum conficere. Quod etiam verum eſt , tametſi ibi ponantur conſcij illius criminis , qui de illo teſtificari poſsint. Equidem in eo caſu ſuperior non poteſt licitè procedere ad inquiſitionem, nec fides præſtanda eſt tali ſcripturæ,vt habetur cap. *Inquiſitionis, §.Tertiæ,de accuſationibus.* Vbi tales ſchedulæ dicuntur libelli famoſi , & præcipitur, vt ad inquiſitionem non procedatur. Cõſonant *leg.vnica,§.Sanè*,Cod. *de famoſis libellis, & leg.*3.*regia,tit.*9.*part.*7.docentque Molin.*tract.* 4.*diſp.*35.Bonacin. *diſp.*2.*quæſt.*4.*punct.*9.*num.*4. Dicaſtil.*lib.*2.*tract.*2.*diſp.*12.*num.*432.

Quas pœnas ſubeat, qui libellum famoſum edit?

41 His ſuppoſitis,dicimus,quòd, præter pœnas civiles in jure aſsignatas , & præter excommunicationem ipſo facto incurrendam adverſus eum qui libellum famoſum contra Papam,vel aliquem Cardinalem edit,vt ex pluribus extravagantibus, maximè Pij V.probant Doctores infra citandi;adverſus eum , qui contra aliquem libellum infamatorium edit , jure communi aſsignatur excommunicatio ferenda, *canon.qui alterius*,5.*quæſt.*11. & excommunicationem Papæ reſervatam tulit Alex. IV. contra eos,qui libellos contra ſtatũ Ordinum Minorum,aut Prædicatorum conficiunt,& edunt.Quod etiam extendi ad aliasReligiones,quæ cum iſtis in privilegijs communicant, docent Bonacin. *ſuprà num.* 9. Dicaſtillo *num.*440.Molin.*num.*5.Graſſis *lib.*1.*de caſ. reſerv.cap.*19.*num.*26.Salon 2.2.*quæſt.* 72. *art.* 2. *§.Quomodo, fol.*287.Sayr. *lib.*11.*cap.*6.*n.*29.& *lib.* 12.*cap.*4.*num.*10.Qui notant, non comprehendere talem excommunicationem eum,qui cõtra aliquem particularem Religioſum huiuſmodi libellum ſcribit, etiamſi hoc quodammodò vergat in Religionis illius dedecus;quia loquitur Pontifex de his , qui contra ſtatum Religionis libellum conficiunt.

§. II.

Quæ censenda sit parva, vel magna materia, vt detractio mortale, vel veniale peccatum judicetur?

Gravitas detractionis pẽ landa nõ est ex delicto, quod detegit, sed ex infamia, quam irrogat.

42 DIximus *num.* 33. ex D. Thom. *quæst.* 73. *art.* 2. quòd licèt detractio ex genere suo sit mortale, fieri potest veniale ob parvitatem materiæ. Videamus modò, in quibus casibus id contingat. Circa quod hæc regula generalis statuenda est, quòd gravitas, vel levitas detractionis non est semper accipienda ex gravitate criminis impositi, aut detecti, sed ex gravitate infamiæ subsequutæ. Licèt enim, regulariter loquendo, narrare defectus veniales, non sit nisi veniale: quia, cùm ab his nemo excusetur, parùm læditur fama alicuius per hoc quòd de illo proferantur; & peccata gravia occulta propalare grave sit ex suo genere peccatum, vt communiter Doctores dicunt: aliqua sunt tamen peccata gravia respectu aliquarum personarum, quæ de illis proferre nullum, vel leve erit peccatum, vt si de juvene aulico, vel alio Equite, quæ de hoc parùm curant, vel potius ipsi de eo se jactant, peccata lasciva proferres, solicitationes, &c. de milite duela, lites, aut vulnera. E contra verò potest de aliqua persona res levis pronuntiari, quæ graviter læderet suam famam; vt si de fœmina honestissima, vel de gravi viro rem aliquam minùs honestam, tametsi non esset grave peccatum, proferres. Attendendæ sunt ergo omnes circumstantiæ, vt qualitas personæ, de qua detrahitur; authoritas detrahentis, levitas, malitia, bonus, vel malus affectus audientium, qui possunt in deteriorem, vel meliorem partem rem sumere, eam divulgare, vel etiam augere. Vnde de viro gravi, aut Religioso dicere esse mendacem, id est, crebrò mentitum, peccatum erit mortale, licèt mendacia limites venialis non excedant: non autem esset mortale de illo in absentia dicere semel, aut iterum fuisse mentitum: quia per hoc parùm eius fama læderetur. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *part.* 2. *dub.* 5. *numer.* 312. Rebellus 1. *part. lib.* 4. *quæst.* 2. Molina *tom.* 5. *disp.* 26. *num.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 14. Dian. 5. *part. tract.* 5. *resol.* 69. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *num.* 107.

An per generalia verba proximi delicta narrare sit mortale?

43 Ex qua regula potest colligi illius casus resolutio: an sit peccatum grave delicta proximi per generalia verba detegere, quibus non possit constare ipsum mortale commisisse: vt dicere, esse valdè superbum, avarum, iracundum, contentiosum, præsumptuosum, inanis gloriæ cupidum, & similia, quando de illis aliàs non esset diffamatus? Negativè aliqui respondent: quia illa ex se non magis sonant peccatum veniale, quàm mortale, & possunt accipi pro naturali inclinatione, & motu primo, & sic non censetur inferri notabilis infamia. Sayrus *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 2. Azor 3. *part. lib.* 13. *cap.* 4. *dub.* 5. Sanctus Antonin. 2. *part. tit.* 8. *cap.* 4. *in princip.* Dian. 5. *part. tract.* 5. *resol.* 69. Sylvester, verb. *Detractio, quæst.* 1. & *quæst.* 4. *except.* 4. Armilla, verb. *Restitutio, num.* 41. ¶ Cæterùm hoc nobis videtur periculosum, & ex circumstantijs pensandum, an mortale, vel veniale sit: vt si persona, de qua dicuntur, tantæ opinionis, & sanctitatis sit, vt notabiliter eius fama lædatur, & persona, quæ loquitur, modesta sit, nec solita similia dicere, nisi cum magno fundamento; vel si audientes ita malè affecti sint, vt in peiorem partem essent interpretaturi, non liberarem detrahentem à mortali, & ab onere restitutionis; quia injustam dedit causam notabilis infamiæ subsequutæ. Navarr. *cap.* 17. *num.* 24. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *part.* 2. *dub.* 6. *num.* 314. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *numer.* 114. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 18. Bonacin. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 17.

Detrahere in confuso per verba malum indicantia, est mortale.

44 Et hinc infertur, quòd alteri detrahere in confuso, & generaliter, non exponendo aliquid in particulari, innuendo verò graves illius defectus, erit mortale peccatum obligans ad restitutionem; vt si de re aliqua gravi esset conversatio, & quis diceret, se aliquid scire de Petro, quo non parùm confunderetur, vel dicendo: *Petrus deberet tacere coram me; ipse enim scit, quòd eum agnosco*; quia per huiusmodi loquutiones confusas, & quasi prægnantes, aliquid peius fortasse concipitur, quàm si aliquid grave in particulari diceretur. Dominus Fr. Petrus à Tapia *tom.* 2. *suæ Catenæ*, *lib.* 5. *quæst.* 14. *art.* 4. *num.* 2. Lugo Cardin. *disp.* 14. *sect.* 4. *num.* 50.

Defectus naturales detegere mortale nõ est.

45 An verò defectus naturales alicuius referre animi, vel corporis, sit mortale peccatum? Respondetur, quòd, nisi ob revelationem illorum impediretur alius a consequendo bono aliquo temporali (quo modo non malitiam detractionis, sed aliam talis loquutio haberet) non esset grave peccatum hos defectus propalare, vt si dicas esse indoctum, ignarum, indiscretum, parvi judicij, esse cœcum, gibbosum, deformem; quia tales defectus non sunt culpabiles, & regulariter sunt manifesti, vel de facili possunt manifestari. Dian. 5. *p. tr.* 5. *res.* 69. Sayr. *lib.* 11. *cap.* 7. *n.* 4. Navarr. *cap.* 18. *n.* 24. Petrus Navarr. *dub. illo* 4. *n.* 307. Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *n.* 14. Bonacin. *n.* 8. Dicast. *n.* 111. Verum est, hos defectus in præsentia objicere, grave posse esse peccatum, inspecta persona, de qua dicuntur, modo, tempore, & loco, & persona, quæ loquitur. ¶ Idem tenent Petrus Navarra, & Sayrus, quando de alio dicitur morbo gallico laborare: quia talis morbus etiam ex causa naturali solet procedere. Cæterùm veriùs cum Bonacina, & Dicastillo, dicendum est, hoc debere pensari, attenta persona, de qua dicuntur, coram quibus, & circumstantijs, quibus profertur: nam si timeri posset, quòd credatur proveniisse ex castitatis violatione, non posset dici absque mortali de eo, de quo fornicationem detegere esset mortale. ¶ Idem asserunt prædicti Authores de aliquibus defectibus natalium; vt si dicas, esse filium Clerici, natum ex adulterio, nisi ob id putetur valde contemnendus ab his, qui audiunt. Non tamen de omnibus, vt si de aliquo honorabili viro dicas eius avum vilissimum exercuisse officium, vel fuisse publicè flagellatum, vel esse ex genere Sarracenum, Iudæum confessum, novum Christianum ex hæreticis procedentem. Maximè hoc in Hispania, vbi solent tales defectus ægriùs ferri, ac si crimina gravia manifestarentur, & à plurimis bonis consequendis multùm impedire.

Quando ad solatium, vel consilium licet detectũ occulti & revelare.

46 Sed modò inquires primò, an revelare crimen, vel defectum verum occultum vni, vel alteri viro cordato, qui illud sub secreto continebit, erit lethale peccatum, obligans ad restitutionem? In quo certum est, quòd si crimen sit falsum, & defectus gravis, erit lethale illud proferre ob injuriam, quæ alteri irrogatur, ei falsum crimen imponendum: quemadmodùm judicium temerarium de aliquo delicto gravi, est grave peca-

catum ob eandem rationem, quidquid sit de famæ læsione, quæ eodem modo læditur, sive sit verum crimen impositum, sive falsum, si est occultum. Certum similiter est apud omnes Authores, quòd revelare crimen verum occultum vni, vel alteri prudenti viro ad leniendum dolorem offensæ, ad petendum consilium, ad consolationem sui, non erit vllum peccatum; quia durum valde esset, quòd quis cogatur injurias acceptas nemini manifestare; maxime quando talis vtitur jure suo, & modo proportionato lenire vult dolorem: quòd per compassionem amicorum fieri, tradit D. Thomas 1. 2. *quæst.* 38. *art.* 2. *ad* 3. Quarè dubium est, quando nec ad capiendum consilium, aut consolationem injuriæ in occulto illatæ, sed vel ex levitate animi, vel alia ratione alterius occultum crimen verum vni, vel alteri prudenti viro sub secreto revelatur, an sit peccatum mortale?

Vni, vel alteri peccatũ occultum revelare, non esse lethale, aliqui dicũt.

47 Negat prima sententia, quia per hoc parum, aut nihil alterius fama læditur, quia fama est publica notitia; & sic infamia, quæ illi contrariatur, debet fieri cum publica notitia. Vnde non dicitur aliquis infamis per hoc, quòd ab vno, vel altero eius defectus sciatur. Qua ratione probabilior fert opinio, quam amplexi sumus *tract.* 6. *de Pœnit. cap.* 8. *punct.* 4. *à n.* 125. licitum esse (imò necessarium) complicem delicti in confessione detegere, si aliter nõ potest peccatum integrè explicari. Et in omnium sententia (imò secundùm fidem) tenetur pœnitens suum detegere crimen Confessatio, & ob id non censetur detrimentum notabile famæ recipere; quia hoc præceptum integritatis materialis confessionis cum notabili jacturæ famæ non obligat, vt omnes asserunt. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 335. Navar. *in Manual. cap.* 18. *num.* 33. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 24. *cap.* 4. *num.* 75. Covar. *de Detract. quæst.* 2. *concl.* 4. Diana 2. *part. tract.* 17. & 3. *Miscel. resol.* 22. & 3. *part. tract.* 5. *Miscel. resol.* 33. & 6. *part. tr.* 6. *resol.* 9. Quibus in locis refert Gratium, Tannerum, Ioannem à Cruce, Bauny, Bassæum, Cambellum, & Cœlestinum, quamvis non in eodem loco omnes. Favet Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 11. *num.* 70. *fine*, & probabilem dicit Bonacin. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 3. *n.* 2. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 11. *num.* 1. Serra 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *dub.* 1. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 11 *n.* *um.* 119.

Verius est peccatũ esse mortale vni tantùm occultum crimen detegere.

48 Secunda verò sententia (cui subscribimus) affirmativa est, quæ probatur primò ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 1. *ad* 2. vbi dicit: *Etiamsi vni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius; non in toto, sed in parte.* Etenim (vt benè notavit Cardin. Lugo *disp.* 14. *sect.* 4. *num.* 52.) ad lædendum gravitèr famam alterius non requiritur, vt detractor reddat proximum infamem, sed sufficit, quòd in parte famam eius corrumpat. Quemadmodum, vt furtum sit gravis læsio fortunarum, non requiritur, quòd reddat inopem eum, à quo accipitur, sed sufficit, quòd in parte eius substantiam diminuat. ¶ Secundò, quia valor, & pretium rei debet ex communi æstimatione pensari; sed magis apud omnes æstimatur bona opinio, & fama apud vnum, vel alterum virum cordatum, & prudentem (qualis est ille, cui secretum committitur, & servaturum censetur) quàm apud alios plebis; & ægrius fertur apud vnum virum prudentem dehonorari, quàm apud plures infimæ sortis; quia (vt inquit D. Thomas 1. 2. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3.) quærunt homines maximè honorari à sapientibus, quorum judicio credunt se esse excellentes, & felices: ergo non est levis, sed gravis læsio famę apud vnum, vel alterum sapientem infamari. In confessione autem abundè per fructum sacramẽti compensatur damnum famæ, quod illi annectitur; & ideò infamia intrinseca ipsi confessioni, vel integritati eius sustineri debet, quamvis non debeat materialiter integrari confessio, si periculum infamiæ extrinsecæ immineret. Per quod solutum manet contrarium fundamentum. Hanc sententiam tuentur præter D. Thom. Bonac. Serra, Trullench. Lugo, *loco cit.* Tapia *lib.* 5. *quæst.* 14. *art.* 4. *num.* 3. Bañez *quæst.* 72. *art.* 2. Soto *lib.* 4. *quæst.* 10. *art.* 2. Prado *cap.* 25. *quæst.* 2. *num.* 8. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 36. *num.* 8. Malderus 2. 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 4. *concl.* 4. Rebellus *lib.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 1. *concl.* 1.

Quid sit circa difficultatẽ supponendum?

49 Inquires secundò, an qui refert crimen proximi occultum, non asseverantèr, sed dicendo se ab alijs illud audivisse, sine eo quòd vel augeat, vel cõfirmet audita, peccet mortalitèr? In quo supponimus primò, quòd si ab aliquibus personis se dicat audivisse, quibus nulla est fides adhibenda, sed potiùs ipse dicat omninò se falsum illud judicare; vel si referat se audivisse ab inimicis infamati, quibus proinde non nisi ex malitia audientium esset fides adhibenda, non esset mortale peccatum, propter rationem primæ sententiæ infrà referendæ. ¶ Supponimus secundò, quòd si crimina, quæ ad hunc modum referuntur, sint gravissima, vt hæresis, proditio patriæ, sodomiæ peccatum, erit mortale hæc referre, vt audita, etiam nihil asseverando; quia narratio hoc modo facta ad minùs generat dubitationem, & suspicionem, quæ in criminibus gravissimis magis infamant, quàm certa scientia in alijs criminibus. Ita Bañez, Lugo, Lessius, Bonacin. infrà citandi, & omnes Authores pro secunda sententia adducendi. ¶ Difficultas ergo est, quando crimina gravia sunt ex se, & si assertivè dicerentur, sufficeret ad mortale peccatum detractionis, quamvis non sint gravissima; an ea referre, vt audita à personis fidedignis, sit peccatum grave detractionis?

Sententia negans esse mortale referre crimen occultum ex auditu.

50 Negat prima sententia, etiamsi coram multis huiusmodi peccata proferantur; quia sic loquentes non inferunt ex se grave damnum in fama, eo quòd, si audientes concipiunt malam opinionem, non oritur ex illo modo referendi audita, aut dubia, sed ex sua levi credulitate, iuxta illud Ecclesiastici 19. *Qui citò credit, levis est corde.* Sic Caietan. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. Faber *de Restitut. in* 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.* 53. *num.* 29. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 1. D. Antonin. 2. *p. cap.* 2. *tit.* 2. §. 3. vers. *Quantum ad tertium.* Diana 3. *p. tract.* 5. *Miscel. resol.* 28. Serra 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *dub.* 2. *concl.* 2. *fine.* Armilla v. *Restitutio, n.* 4. *except.* 7. & probabile dicit Tamer. 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 7. *num.* 139. Trullench. *infrà citandus.* Et hoc licèt narratio facta sit à viro magnæ authoritatis, si ipse non asseveret, sed rem dubitanter, vt audivit, referat. Quia hæc narratio ex se, & ex sua natura non aufert famam, nec efficaciter causat injuriam. Et prædicti Authores absque distinctione loquuntur criminis gravis, aut gravissimi; & sic pro omnibus idem sentire videntur. Sed loquendo non de criminibus gravissimis, de quibus diximus *num. præced.* sed solùm de gravibus, & à viro non magnæ authoritatis relatis, sic tenet Bañez 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *dub.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 5. Lugo *disp.* 14. *sect.* 4. *num.*

n. 56. & 57. Bonacin. *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 5. *num.* 1.

Verius est peccare mortaliter, qui crimen occultum refert à se auditum.

51 Sed loquendo de quocumque crimine gravi occulto, verior est secunda sententia, asserens esse mortale illud referre, vt auditum, coram multis, nisi à personis levibus, & omninò fide indignis auditum referatur; quia narratio, etiam ex audito, ex se generat conceptum malæ famæ in auditoribus, qui alijs referunt; & sic crescit infamia orta ex tali narratione, & brevi fit absoluta, & quasi certa; vt si de fœmina honestæ famæ dicas, te audivisse eam cum tali viro fornicasse, quis non dicet, eam multùm famæ apud audientes perdidisse? Quis audientium pravum de illa conceptum non faciet? Et si isti alijs referant se audivisse, & isti alijs, qualiter fama illius verberabitur? Vnde præclarè dixit Magister Soto, statim citandus: (Modus iste infamandi est tantò perniciosior, quantò vsitatior, & minoris æstimatus; nempè dum quis, quæ audivit, refert. Audisti, scilicèt, vicinam tuam amicum acceptare, id autem (vt ingenium est hominum) statim in aures vicinæ hisce verbis susurras: Hoc, aut illud audivi: ego quidem non credo, sed audita refero, est profectò ingeniosus, sed pestilens detrahendi modus: nam quò tu teipsum sanctiùs justificas, maiorem tibi arrogas fidem, & ideò peiùs infamas: sic enim fama, vt ait ille, vires acquirit eundo.) Sic Sotus *lib.* 4. *de Iustitia, quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. *§. Quartus denique.* Aragon, 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *fol.* 199. *columna* 2. Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 7. *num.* 2. & 3. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 14. *art.* 4. *num.* 4. Prado *cap.* 25. *quæst.* 2. *num.* 25. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 36. *num.* 6. & 7. Malderus 2. 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 13. Sylvius 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *quæst.* 16. *concl.* 3. Salon *ibi*, *controv.* 2.

Eum infamare, qui de alijs criminibus est infamatus, nō est mortale.

52 Inquires tertiò, an infamare eum de novis criminibus, qui iam de aliquibus est diffamatus, sit peccatum mortale? Respondetur, quòd si novum crimen, quòd narratur, parùm auget narrationem præteritam, etiamsi sit diversæ speciei ab eo, de quo est diffamatus, non erit peccatum mortale; vt si de eo, qui publicè habetur vt fur, dicas, esse perjurum; vel si delictum, quod de novo refertur, sit annexum, & affine ei, de quo est diffamatus: vt si de famoso lusore vulgò *Tahur*, dicas, non audisse Sacrum, ne ludum relinqueret, vel suæ familiæ non curare: vel si, delictum, quod de novo dicitur, subintellectum sit in eo, de quo est diffamatus, vt si de meretrice etiam falso narres aliquam fornicationem occultam; quia hoc parùm, aut nihil addit eius publicæ famæ. At si vnum crimen sub alio subintellectum non sit, nec illi affine, hoc de novo propalare erit peccatum grave. Vt si de fœmina diffamata de vno adulterio, narres aliud occultum; quia fama non consistit in indivisibili, & gravitèr augetur per criminum multiplicationem, & multò magis si de diffamato in vno genere, occultum crimen alterius generis detegas cū illo nō connexū, vt si de adultero dicas, quod est fur, constat enim diversis partibus fama; & qui amisit vnam, magni æstimare solet aliam. Tapia *suprà num.* 6. Villalob. *num.* 4. 16. & 17. Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 14. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *numer.* 117. Petr. Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 8. *num.* 328. Lugo *disp.* 14. *sect.* 4. *num.* 58. Bonacin. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 7.

§. III.

An sit peccatum grave detractionis crimen in vno loco publicum, in alio, vbi nō est publicum, narrare?

Quod crimē publicum dicatur, & quibus modis?

53 TRiplicitèr aliquid solet dici publicum, seu notorium. Primò, quod est *notorium facto.* Secundò, quod est *notorium jure.* Tertiò, quod est *famosum. Notorium jure* simpliciter est, quod per publicam sententiam ludicis est tale; & secundum quid est jure notorium, quod per confessionem rei habetur, vel testium depositionem antè sententiæ prolationem. *Notorium facti*, quod in præsentia multorum est perpetratum, vt in foro, in platea publica; & quod passim ab omnibus ob oculos versatur, vt si publicè concubinam habeat, & filios eius alat domi. *Famosum* autem illud dicitur, cuius fama ex sufficientibus indicijs orta, ad multos pervenit, ita vt maior pars Civitatis, pagi, viciniæ Parochiæ illud norit, & quod manifestum est maiori parti alicuius congregationis, nimirum Collegij, aut Conventus, vbi non pauciores, quàm decem reperiuntur: vt si in Congregatione essent decem, & à sex sciretur, publicum, seu famosum dici poterit: & si esset communitas duodecim, & à septem notum esset, solùm erit notorium respectu illius communitatis, non absolutè respectu totius Vrbis, aut Parochiæ. Sed ea absolutè dicuntur publica, quæ eo loco cum illis circumstantijs sunt gesta, vel propalata, vt cuivis innotescere potuerint, videlicèt in foro, vel platea publica, quia non curavit author, quis viderit, vel non. Vnde rectè Caietan. *tom.* 10. *Opuscul. tract.* 31. *respons.* 9. per publicum intelligit, quod per se habet, vnde in communem notitiam perveniat, & benè addit Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *num.* 298. quòd si aliquis est infamatus in Curia regia, vel alia Civitate, vbi concurrere solent ex toto Regno, & inde spargi per illud, dicitur pro toto Regno infamatus. Sed advertit benè Tapia *lib.* 5. *quæst.* 14. *art.* 5. *n.* 10. quòd in parvo loco sufficit, & requiritur, vt à maiori parte sciatur, vt publicum factum dicatur; sed in magno oppido, & Civitate, licèt id sufficiens sit, non tamen requiritur: nam licet ad maiorem partem non deveniat, judicandum erit publicum, arbitrio prudentum, quod tot personis innotescit, vt brevi credatur ad notitiam maioris partis perventurum.

Loqui de occultis crimi nibus coram his, qui sciunt illa, non est mortale.

54 Quibus suppositis, quæ ferè apud omnes certa sunt, proponemus, & posteà id, de quo est dubium, examinabimus: Certum igitur est primò, quòd loqui de aliorum peccatis aliàs occultis coram his, quibus nota sunt, est actus indifferens, & ex fine potest honestari, vel depravari. Si enim ex animi levitate, vel curiositate quis ea narret, vel de his loquatur, erit actus otiosus, & peccatum veniale: si vt alij à similibus abstineant, exemplo lapsorum, aut punitorum, vel ex alio recto fine, erit actus virtutis: si ex odio ad personam, vel vt, quantum est ex se, amplius infametur, erit peccatum grave contra charitatem, nunquam autem contra justitiam, ita vt obligationem restitutionis inducat: quia per talem relationem nihil famæ detrahitur proximo, qui iam est apud audientes diffamatus. Bonacin. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct* 6. *num.* 2. Aragon 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *difficult.* 2. Corduba *de detract. membr.* 4. *quæst.* 2. *concluſ.*

concluſ. 6. Dicaſtillus *lib. 2. tract. 2. diſp. 12. numer. 110.* & eſt commune.

Publicum crimen in aliquo loco narrare neſcientibus, nō eſt mortale.

55 Secundò eſt certum, quòd narrare grave crimen notorium in eo loco, in quo eſt publicum, etiam illud ignorantibus, non eſt grave peccatum, aut detractionis contra juſtitiam, aut murmurationis contra charitatem; & conſtat ex communi vſu hominum, etiam timoratorum, qui, quando aliquod delictum committitur in præſentia populi, ſine aliquo ſcrupulo narrant illud omnibus abſentibus. Et ratio eſt, quia ab eo, de quo ſic detrahitur, vel nulla, vel minima fama auferetur; eo quòd per accidens eſt, quòd ignoretur ab illis paucis; & infamia illa, moraliter loquendo, in promptu eſt, vt perveniat ad omnes incolas illius vrbis: vnde illa extēſio minimum detrimētum infert, ſuppoſita publica infamia. Et ſic, ſi abſque cauſa tales defectus dicantur, erit peccatum veniale; ſi cum illa, nullum. Leſsius *lib. 2. cap. 11. num. 78.* Molina *tract. 5. diſp. 32. num. 8.* Lugo *diſp. 14. ſect. 5. num. 59.* Bonacin. *num. 2.* Dicaſtillo *num. 303.* Villalob. *tract. 11. diffic. 36. n. 12.* Tapia, *ſuprà num. 1. & 2.* Caiet. *tom. 10. opuſcul. tract. 31. reſponſ. 9.* Bañez *2. 2. quæſt. 63. art. 2. dub. 3.*

Crimina in vno loco publica, in alio narrare, vbi non ſunt, quomodo non ſit mortale?

56 Et propter eandem rationem (ſecundum prædictos Authores) idem dicendum eſt, de eo, qui crimina in vno loco publica, in alio narraret, ad quod, inſpecta conditione hominum, & convicto illorum, faciliter eſſet perventura brevi tempore eorum notitia; quia ſic parvum, aut nullum detrimentum famæ irrogatur. Vnde rectè aſſerunt, non eſſe mortale peccatum ea in tali loco propalare. ¶ Quod verum judicamus, ſive juſtè, ſive injuſtè publicatum ſit tale delictum, ſi verum eſt, & de facto eſt iam publicatum, & notorium: quia nihil refert ad publicitatem veri criminis, quòd factum juſtè, vel injuſtè publicatum ſit. Et ſic æquè benè vti poſſunt homines publicitate; quia hoc ipſo quòd factum verè publicum ſit, egreditur cancellos occulti, & diffamatus jus non habet, vt ab eo narrando alij abſtineant; quia licèt per injuriam nemo jus amittat, quod habebat, poteſt illud amittere per id quod per injuriam ab alijs factam ſequitur, nimirum per hoc, quòd ſit in propatulo: quia hoc ipſo quòd ſit publicum, jus amiſit, vt homines aliter de ſe ſentiant. Leſsius *n. 77.* Lugo *num. 65.* Dicaſtill. *num. 326.* Molin. *diſp. 32. num. 7.* Tapia *num. 9.* Bañez *loc. cit.* Si autem crimen divulgatum falſum eſſet, nullatenus poſſet ab his, qui ſciunt veritatem, referri, aut vlteriùs protrahi ſine gravi peccato injuſtitiæ.

Qui per publicam ſententiam in vno loco diffamatus eſt, in omnibus poteſt diffamari.

57 Tertiò apud nos certiſsimum judicamus, quòd ſi quis in vno loco publicè diffamatus eſt publicitate juris ſimpliciter tali, nimirum per publicam Iudicis ſententiam, poteſt tàm pœna, quàm crimen, de quo diffamatus eſt, in alio loco etiam diſtanti, ad quem non eſſet de facili illius notitia perventura, narrari abſque peccato gravi, præciſo alio extrinſeco nocumento: vt ſi quis publicè eſſet flagellatus, per plateas verecundiæ infamis cauſa ductus, adductuſve in publico theatro, ſcilicèt Inquiſitionis, & in ſimilibus caſibus, poterit eius crimen, ob quod ſic punitus eſt, ad remotiſsima loca perduci, etiam ad illa, ad quæ non eſſet eius infamia perventura, tametſi hoc redundaret in alios ab ipſo reo: & ratio eſt, quia Iudex licitè publicat eam ſententiam, ſine vlla reſtrictione, & executioni mandat in loco publico, & in tempore maioris concurſus populorum, vt in omnium veniat notitiam, ad exemplum juſtitiæ, & terrorem malefactorum: ideòque juſtè privat illos per ſententiam famam, publicè eos infamando; & ſic illi abſolutè famā privati, nullum jus habent ad illam: licitum ergo eſt omnibus talia vbique proferre, & ſcribere: & ſic conſuetudine introductum eſt, vt delicta ſic publicata ſcribantur, hiſtorijs commendentur, typis mandentur, & promulgentur, vt á quibuſvis legantur. Sic Caiet. *tom. 10. Opuſcul. tract. 31. reſp. 9.* Tapia *lib. 5. quæſt. 14. art. 5. n. 4. & 5.* Bonacin. *diſp. 2. q. 4. punct. 6. num. 2.* Villalob. *tract. 11. diffic. 36. num. 13.* Dicaſtillo *lib. 2. tract. 2. diſp. 12. num. 314.* Leſsius *lib. 2. cap. 11. dub. 13. num. 8.* Bañez *2. 2. quæſt. 73. art. 2. dub. vlt.* Lugo *diſp. 14. ſect. 6. num. 72. & 76.* Molina *tom. 5. diſp. 32. num. 8.* ¶ At ſi ſolùm ſit publicum publicitate juris ſecundum quid, nimirum per teſtium depoſitionem, & rei confeſsionem ante prolationem ſententiæ Iudicis, quamvis eam ferrè juſtè poſſet, nefas erit talia crimina, ſi aliàs publicitate facti non ſint notoria, in locis, vbi ignorantur, publicare: quia ex vi illius non eſt adhuc fama deperdita, nec per juſtam ſententiam eſt reus illa privatus. Molin. *num. 6.* Dicaſtill. *num. 318.* Lugo *num. 72.* Ad quam diſtinctionem diverſæ publicitatis juris non adverterunt plures Doctores, qui abſque diſtinctione proferunt, delicta publica in vno loco publicitate juris, poſſe vbique publicari abſque injuſtitia, vt fecerunt Leſsius, Bonac. Dian. & alij.

Doctrinæ præcedentis limitationes.

58 Sed limitanda eſt doctrina numeri præcedentis, vt videlicèt delicta per juſtam ſententiam publicata poſsint vbique proferri, ſi ſententia publica ſit ſimpliciter, vt publicatio facta in Villa, Civitate, aut Regno; eſt publicatio ſimpliciter: & ſic extendi poteſt ad omnes verbis, vel literis. Cæterum ſi ſententia non ſit omninò publica, ſed intra limites alicuius Congregationis, vel Communitatis duntaxat, vt ſententiæ latæ à Prælatis intra vnum Monaſterium, vel Religionem, non poſſunt extendi extra Religionem, nec extra Monaſterium, niſi aliàs ex circumſtantijs credatur moraliter brevi tempore fore extra Monaſterium intra Religionem extendendam: & ſimiliter ſententiæ Sanctæ Inquiſitionis, quæ pronuntiantur, & executioni mandantur in Tribunali, vel aula ſecreta coram deſignatis Prælatis, & perſonis, non licet eis extra referre huiuſmodi ſententias, condemnationes, vel crimina, ob quæ ſunt prolatæ, ſed peccarent mortaliter extrà tale ſecretum narrando, quæ ibi audierunt; quia ad hunc finem illa ſententia non amplius publicatur, ſed clam profertur; quia Iudices nolunt infamiam extra limites illius conclavis vocatorum extendi, vt ex vna parte ſufficiens correptio publica adhibeatur, & ex alia nimia confuſio, & infamia temperetur; quia non maiorem exigebat delictum, & circumſtantia perſonæ. Souſſa *tract. 2. de Confeſſar. ſolic. cap. 16. num. 8.* Molin. *diſp. 33. num. 7.* Lugo *ſuprà num. 73. 74. & 75.* Tapia *num. 6.* ¶ Licet hanc limitationem non admittat Diana *4. part. tract. 5. reſol. 44.* Freitas ab ipſo citatus *in Addition. ad tract. de Confeſſori ſolicit. quæſt. 24. num. 49.* Niſi vel ſcandalum ex tali narratione ſequatur, vel præceptum à Iudicibus imponatur de obſervatione ſecreti; quia dicunt, illam ſententiam non ideò intra illos limites proferri, quia velint Iudices famæ rei conſulere: ſed ne per publicationem maiorem alij ſcandalizentur, vel ob evitanda alia inconvenientia.

Sententia aſſerens eſſe cōtra juſtitiam

59 Quibus ſuppoſitis, dubium in hac parte eſt, an delictum publicum publicitati facti, vel famoſum in vno loco, poſsit ſine peccato mortali in alio proferri, ad quem non eſſet brevi tem-

delictum in vno loco publicum, in alio narrare.

tempore perventurum, vel in eo publicandum creditur? Vt ſi Petrus in hac Civitate Salmantina publicè crimina committeret, vel ex indicijs ſufficientibus eſſent notoria in illa, an liceret ea in Curia Romana, vel apud Indos referre, vbi de illis nulla dabatur notitia? Et loquimur, quando nulla eſt neceſsitas ea in alio loco detegendi, quia, ea data, nulli dubium eſt, licere, vt dicemus §. *ſequenti.* ¶ Igitur prima ſententia dicit, eſſe peccatum mortale, & contra juſtitiam, & contra charitatem; obligarique proinde ad reſtitutionem talia narrans: quia vnuſquiſque habet illæſam ſuam famam in loco, vbi non eſt infamatus, nec per ſententiam publicam punitus: ergo injuſtè privatur tali fama in eo loco, vbi non ſciebatur ſuum crimen: non minus, ac ſi tale crimen eſſet in omni loco occultum, & ab aliquo propalaretur. Sic Soto *lib.*5.*q.*10.*art.*2. Molina *diſp.*33.*concl.*1. Dicaſtillus *lib.*2.*tr.*2.*diſp.*12.*n.*308.& 313. Villal.*tr.* 11.*diffic.*36.*n.*14. Petr. Navarr.*lib.*2.*cap.*4.*n.* 162.

Sententia, quæ dicit, ſolùm eſſe contra charitatem.

60 Secunda ſententia dicit eſſe peccatum mortale contra charitatem, non contra juſtitiam, & ſic non obligare ad reſtitutionem. Quòd non ſit contra juſtitiam, probatur fundamentis tertiæ ſententiæ. Quòd ſit contra charitatem, probatur: quia licèt ille jus ad famam non habeat, quia tamen ſine alicuius injuria, aut fraude eam poſsidet in illo loco, & ea fuiſſet diu fruiturus, lædit or per ablationem illius boni nominis; quod vnuſquiſque rationabilitèr ægrè ferret: ergo talis narratio erit ad minus contra charitatem. Sic Leſsius *lib.*2.*cap.*11.*dub.*13. *num.*75. & 79. Bonacin.*diſp.*2.*quæſt.*4.*punct.*6.*num.* 2. Salon 2.2.*quæſt.*73.*art.*2.*controv.*3. *concl.* 4. limitat autem Leſsius, niſi infamatus parum curet, ſe alibi infamari: quod ſemper, inquit, fieri ſolet, præſertim ſi procul abſit. Limitat etiam Bonacin. vt ſolùm intelligatur eſſe peccatum mortale contra charitatem, quando ille, qui diffamatur, gravi mœrore afficeretur ob ſui delicti manifeſtationem, & non aliter. Sed quid, ſi ad eius notitiam non crederetur venturum? Quid, ſi non prævideretur talis gravis mœror in eo cauſandus? Quarè, cùm hoc rariſsimum ſit, credimus ipſum Authorem abſolutè eſſe pro noſtra ſententia, & ſic pro ea eum citabimus.

Nec eſt cõtra charitatem, nec juſtitiam peccata in vno loco publica, in alio narrare.

61 Tertia igitur ſententia (quam probabiliorem judicamus) dicit, non eſſe peccatum grave, nec contra juſtitiam, nec contra charitatem, peccata publica abſolutè, & ſimplicitèr publicitate facti (ea nimirùm, quæ in aliquo Regno, aliqua Civitate, Villa, Parrochia ſunt notoria, aut famoſa) publicare in alio loco, vbi de eis non datur notitia, etiamſi ad talem locum non eſſent de facili extendenda. Et probatur primò, quia ſemel publicata alicubi delicti infamia, omnes habent jus ad eam cognoſcendam, vt in convictu humano ſe incolumes ſervent, & caveant à publicis criminibus. ¶ Secundò, quia hoc ipſo quod ſic publicata ſint, juris ſcilicèt, aut facti publicatione, diffamatus jus ad famam amiſit, quia ipſa facti evidentia repugnat, ne poſsit conqueri, ſibi fieri injuriam narratione factorum, quæ iam erant poſita in propatulo. ¶ Tertiò, quia qui talia publica crimina coram commiſit, vel de eis indicia manifeſta dedit, ſponte ſua videtur cedere juri, quod ad famam habebat: quia hoc ipſo, quòd in publico crimen commiſit, vel eius dedit indicia manifeſta, non videtur curare quis ſciat, vel non; eo enim loco, & modo fecit, vt omnibus pateſcere poſſent; & per accidens fuit, quòd celarentur aliquibus. ¶ Quartò ex communi hominum vſu, & conſuetudine, etiam timoratorum, qui non putant ſe gravitèr peccare, ſi publica crimina alibi referant, literis præſcribant, hiſtorijs commendent, vel commendata legant, aut referant. Ita Caietan.*tom.*10.*Opuſcul.tr.*31.*reſponſ.* 9. Bañez 2.2.*quæſt.*73.*art.*2.*dub.*3.*fol.* 333. Serra *ibi*, *dub.*2.*concl.*3. Navarr.*in Manual.cap.* 18.*num.* 26. Lugo *diſp.*14.*ſect.*6.*num.*72.& 80. Fagundez, *pracept.*2.*lib.*5.*cap.*3.*num.*10. Filliuc.*tom.* 2. *tract.* 32.*cap.*9.*num.*235. Machado *tom.*1.*lib.*2.*p.*3.*tract.* 14.*docum.*2.*num.*12. Diana 3.*part.tract.*5. *Miſcel. reſol.*17.& 4.*p.tr.*4.*reſol.*128.& 10. *p. tract.* 12. *reſol.*5. Bonac.*loco ſuprà citato*, & probabile dicunt Tapia *lib.*5.*quæſt.*14.*art.*5.*num.*8. Prado *cap.* 25. *quæſt.*2.*num.*37. Nuñus *tom.*2.*in* 3.*p. quæſt.*8.*art.* 6.*diffic.*3. Quid verò tenendum ſit, quando in primo loco publicatum eſſet injuſtè, diximus *num.* 56.

Quid dicẽdum ſit, ſi aliàs honeſtè vivendo famam recuperavit?

62 Et ſi interroges, an in caſibus, quibus diximus *hoc* §. licere delictum publicum proferre, & de eo loqui, verum ſit, quando is, qui olim infamatus erat de illo, nunc famam honeſtè vivendo recuperavit? Reſpondent aliqui, tunc eſſe contra charitatem, non contra juſtitiam talia crimina commemorare apud eos, qui illa ignorabant, dummodò ex modo referendi non detur occaſio judicandi adhuc in his criminibus permanere. Sic Leſsius, *ſuprà n.* 82. Bonacin.*num.*4. Dicaſtillus *num.*337. Et quòd ſit contra charitatem, probat Leſsius argumento, quo *ſuprà n.* 60. ſuam ſententiam probavit. Quod non ſit contra juſtitiam, probatur: quia licèt talis jus habeat ad famam, quam benè vivendo ex eo tempore comparaverat: non tamen acquiſivit jus, nec potuit acquirere, vt æſtimetur, vel dicatur probum fuiſſe eo tempore, quo fuit criminibus publicis coinquinatus: ergo qui narrat eum olim criminoſum fuiſſe, non facit illi injuriam, niſi eo modo loquatur, vt judicent audientes illum in ſuis criminibus adhuc perſeverare. ¶ Cæterùm licèt hic non potuerit acquirere jus, vt dicatur probus pro eo tempore, quo improbus erat, potuit tamen illud acquirere bene vivendo, ne improbum fuiſſe aliquando, apud neſcientes publicetur: & hoc acquirit, quando per publicam emendationem, & temporis lapſum penitùs abolita fuit prior infamia, & oblita: quia tunc propter oblivionem reducta eſt eius fama omninò ad eum ſtatum, quem habebat, antequam eius crimina eſſent publicata. Vnde illa commemorare, vel apud neſcientes, vel eorum immemores narrare, nedum contra charitatem, ſed etiam erit contra juſtitiam, vt tenent Molina *diſp.*33.*num.* 2. Lugo *diſp.*14.*ſect.*6.*num.*85. Tapia *lib.*5.*q.*14.*art.* 5.*num.*8. Si tamen præterita infamia non eſt oblivioni tradita, etiamſi emendata fuerint crimina, nec contra juſtitiam, aut charitatem gravitèr delinqueret, qui ea commemoraret, propter dicta *num. præcedent.*

§. IV.

Quomodo manifeſtatio alieni criminis, vel defectus occulti excuſetur à peccato detractionis propter neceſsitatem?

Ob denunciationem licet crimina occulta detegere.

63 DIvus Thom.2.2.*q.*73.*art.*2.*in corp.* & *ad* 1. docet, quòd ſi verba, quibus fama alterius minuitur, dicantur ob neceſsitatem, vel honeſtum finem, non habent malitiam detractionis:

ctionis: quia tunc diminutio famæ non causatur per se, sed præter intentionem sequitur; sicut alia detrimenta per accidens ab bonum intentum consequuta, culpa carent. Hanc doctrinam vniversalem, & verissimam oportet in particulari explicare, descendendo ad casus practicos. Aliquos breviter recensebimus, vt inde alij facilitèr possint venari. Primò igitur licitum est crimina occulta detegere in casu, quem ibi D. Thom. commemorat, nimirùm ad denuntiandum delinquentem, ob emendationem, vel accusandum, ob bonum justitiæ publicum, debitis servatis circumstantijs: quia ordo charitatis præfert bonum spirituale, vel publicum, temporali, vel particulari. Undè si filius, aut servus non bene vivant, & aliter corrigi non possint, licitum est id denuntiare parenti, aut domino, vt corrigantur.

Licet occultum crimen detegere ad evitãdũ grave damnum.

64 Secundò deinde licitum est crimina occulta detegere ad evitandum grave damnum commune, vel damnum particulare considerabile, sui, vel aliorum, sive in vita, sive membris, aut bonis fortunæ. Vt si imponatur homicidium innocenti, licitum est, imò debitum, aperire authorem: si noscas Petrum furem esse, potes eos monere, cum quibus habitat, vt sibi caveant, quia ordo justitiæ, aut charitatis petit, vt jus ad famam habeatur sine præjudicio aliorum. Vnde quando ad evitandum grave damnum detegitur delictum, non læditur fama ex intentione, sed vitatur malum; & læsio famæ sequitur per accidens, & præter intentionem, vt conculcatio segetum, vel occisio parvuli jacentis in via, ad fugiendum, & mortem vitandam. Bañez 2.2.*q.*73.*art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 2. Salon *ibi controv.* 3. *concl.* 1. Soto *lib.*5.*q.*7.*art.*1. Tapia *lib.*5.*q.*14.*art.*6. *à n.* 4. Lugo *disp.*14.*sect.*7.*à n.*95. Bonacin. *disp.*2.*q.*4. *punct.*8. *n.* 1. ¶ Quod intelligendùm est secundum quòd est necessarium duntaxat ad finem vitandi prædictum damnum: nam si aliter vitari potest sine detrimento famæ proximi, vel cum minori, id fieri debet; & si ad intentum sufficit manifestare sub secreto, ita faciendum est: & is, cui notitia traditur, manet obligatus sub sigillo secreti, vt fama proximi, quantum minùs fieri potest, lædatur.

Limitatio doctrinę præcedentis aliquorum.

65 Imò non posse ad evitanda prædicta damna alterius crimina occulta revelare eum, qui injustè accipit illorum notitiam per vim, aut fraudem, v. g. aperiendo literas clausas, & sigillatas, vel torquendo injustè ad accipiendam talem notitiam, docent Lugo *n.*104. Tapia *n.*8. Soto *lib.*5.*q.* 10. *art.*2. Sanch. *Cons. lib.*6.*cap.*6.*dub.*2. *n.* 6. Quia qui notitiam occulti criminis injustè extorsit, se habere debet, ac si non sciret: quia sicut non potest ad proprium, vel alienum commodum injustè notitiam criminis occulti quærere; sic non potest notitia hoc modo habita vti ad manifestandum delictum, ob evitandum proprium, vel alienum damnum. ¶ Cæterùm probabile judicamus cum Less. *n.* 55. & Petro Navar. *lib.*2.*cap.* 4. *n.* 131. id licitum esse: quia licet injuriam fecerit extorquendo secretum; postquàm tamen habet notitiam, in gravi necessitate ea vti potest; sicuti injustitiam fecit, qui equum injustè accepit; sed postquàm eum apud se habet, illo in gravi necessitate vti potest, etiam cum morte equi, imò ipsius domini. ¶ Illud certum sit, quòd si grave damnum ex manifestatione alteri sequatur, & tolum leve evitetur, non erit licita talis manifestatio: non autem requiritur, quòd damnum evitandum sit malus, vel æquale; sed sufficit, si grave sit, quamvis minùs: vt si innocenti immineat pœna exilij petetui, vel triremium, & alteri ex manifestatione tua mors eventura timeatur, licitè potes, imò debes, illud manifestare. Sed si malum tibi imminens sit longè minus, illud pati teneris ex lege charitatis, ne maius damnum alteri ex tua manifestatione sequatur; sed in dubio in favorem innocentis debes inclinari. Tap. *n.*10. Villalob. *tract.*11. *diff.*38. *n.*4. Dicastill. *n.*93.

Quibus casibus licitũ sit defectũ occultum detegere.

66 Ex dictis sequitur, quòd si quis se fingit magnum Medicum, artificem, vel Advocatum in aliorum præjudicium, licitum est ei, qui certò scit illius defectum, illum detegere ad obviandum alienum præjudicium: vt si aliquis vellet illius opera vti in aliquo ex his officijs, potest illi revelare eius insufficientiam, ne illi fidat. Similitèr quando alius habet maiorem famam scientiæ suæ, vel alterius doni, quàm par est, si non detegat aliquod illius peccatum, licitè potest illius inscitiam propalare: quia illi non fecit injuriam, sed corrigit errantium judicium, tribuendo illi quod debetur. Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.*63. Bonac. supr. *punct.*8. *n.* 4. Villalob. *num.*4. Dicast. *lib.*2. *tract.*2. *disp.*12. *n.* 45. citans Molin. & Rebellum. ¶ Dixi verò: *Si nullum ipsius peccatum detegat*, quia si quis sibi nomen per hypocrisim, aut alias impostura pepererit, non licet tale vitium manifestare, sicut nec ab altero auferre divitias injustè acquisitas: quia in nostro casu non retinet alienum, eo quòd prædicta fama non habet alterum dominium: nec ea abutitur in alterius damnum. Valent. *disp.*5.*q.*17. *punct.*2.*q.*3. Petr. Navar. *lib.*2. *cap.* 4. *n.*9. Dicastill. *n.*96. Less. *n.*64. ¶ Imò etiam alterius insufficientiam manifestare esset illicitum (seclusa alicuius criminis propalatione) si propter odium, invidiam, vel vt alius diffametur, proferatur, quod frequentèr fit: & sic fieri non deberet, nisi alterius damnum sequatur.

Si expediens sit bono privato, vel publico, licet occultũ crimen publicare.

67 Tertiò licitum est occultum detegere crimen, quando expedit bono communi, vel ipsius diffamati, vt si beneficium esset recepturus, vel Ordines, vel aliud munus, ad quod esset inhabilis, tunc illud dicere ei, qui remedium adhibere posset, licitum esset, & debitum, quando de illis vita inquiritur: & etiamsi non inquiratur, quia præponderare debet commune bonum, & etiam spirituale ipsius peccatoris, illius famæ. ¶ Quartò, quando quis intendit collegium ingredi, habitum, aut canonicatum statuti recipere, licitum est declarare cum minori damno possibili defectum illius occultum. Tùm vt præjudicium aliorum evitetur. Tùm, vt ipse posteà, ingrediens mala fide, non possideat male conscientia. Tùm denique, quia ea lege res proponitur, vt si quæ inhabilitas, vel defectus, etiam occultus, sit in prætensore, justè detegi possit. Sed si hic bona fide procedat, tenebitur conscius eius defectus, priùs secretò eum monere, si possit, vt à prætensione desistat. Dicastill. *lib.*2. *tract.*2. *disput.* 12. *num.* 103. Petr. Navar. *lib.*2. *cap.*4. *part.* 2. *dub.* 3. *num.*301. Bonacin. *disp.*2. *quæst.* 4. *punct.* 8. *num.* 6. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 36. *num.* 4. ¶ Denique licet peccatum, vel defectum occultum revelare, quando id necessarium est ad bonum temporale alterius, dummodò id fiat sub secreto, & solùm quantum necessarium est ad consequendum tale bonum, & evitandum malum; & cum probabilitate, & spe, quòd non publicabitur, vt defectus natalium, quòd est fur, quòd morbo gallico infectus, licèt manifestare ei, cum qua vult matrimonium contrahere, vel his, qui de hoc agunt;

agunt; & furtum servi, ne in familiam alterius recipiatur. Dicastill. *n.* 104. Bonac. *n.* 5. Rodrig. *cap.* 253. *concluſ.* 7. & 9. Petr. Navar. *n.* 301.

§. V.

Vtrùm audiens, & tolerans detrahentem, peccet mortaliter?

Quibus casibus audiens detractorem peccet, vel nō mortaliter.

68 SEcundùm sententiam illorum, qui dicunt, quòd crimen occultum vni, vel alteri viro cordato, & prudenti referre, qui sub secreto illud habebit, non est peccatum mortale, aut contra justitiam, aut charitatem, de qua suprà *num.* 47. diximus, certum est, non esse peccatum mortale detrahentem coram me solùm audire, nec resistere, si propositum habeam id, quod audio, silentio retinere. Sed quia ibi contrarium probabilius duximus, sive quis coram vno solo, sive in præsentia multorum detrahat, præsens procedit dubitatio. Circa quam supponimus ex D. Thom. 2. 2. *q.* 73. *art.* 4. eum, qui inducit alium ad murmurationem interrogando, vrgendo, & qui animum addit gestu, plausu, verbis, & ostendendo gratam sibi esse murmurationem, peccare mortaliter contra justitiam, tenerique ad restitutionem in defectum eius, qui detrahit modo dicto, *cap.* 1. *n.* 139. quia talis vt causa efficax ad damnum alterius concurrit: vel participans, vel palpans, de quibus diximus eodem *cap.* 1. *num.* 141. Imò gravius peccat, quàm ipse detrahens, quia peccat contra justitiam, contra eum, de quo detrahitur; & contra charitatem contra detrahentem, eum inducens ad malum, & occasionem scandali præbens; quod omnes asserunt. Excusari autem potest, tùm à peccato gravi, tùm ab onere restitutionis, si invincibilitèr ignoraret detractionem gravem futuram esse, aut quia ipse solùm ad rem levem incitabat, aut ad rem, quam judicabat publicam, & detrahens præter intentionem ad alia transit. Bonac. *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 11. *n.* 3. Rebell. *lib.* 4. *q.* 6. *n.* 3. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 2. *n.* 342.

Qui de alterius detractione gaudet, contra charitatem, non contra justitiā, peccat?

69 Supponimus secundò ex eodem Angelico Doctore *loco citato*, quòd si quis, nec inducat ad murmurationem, nec augeat animum detrahentis, sed tantùm gaudeat, & complaceat in detractione rei gravis, peccaret gravitèr ex genere suo contra charitatem, non contra justitiam: quia non est causa efficax damni alterius: sicut autem qui complacet in furto, mutilatione, aliove damno proximi, peccat contra charitatem; sic qui complacet de infamia alterius: & ideò *ad Roman.* 1. postquàm dixit Apostolus, detractores esse Deo odibiles, addit: *Digni sunt morte, non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Bañez 2. 2. *quæst.* 73. *artic.* 4. *concl.* 2. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 14. *articul.* 9. *num.* 2. Villalobos *tractat.* 11. *difficult.* 36. *num.* 20. Bonacin. *suprà*, *num.* 4. Rebell. *num.* 5. Lesius *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 20. Dicastillo *num.* 343. ¶ Nisi fortè quis gaudeat, vel in detractione delectationem accipiat, non de infamia proximi, sed vel de auditione rei novæ, de eloquentia detrahentis, vel curiosa cognitione delictorum proximi, aut ex alia simili causa; tunc enim non peccabit mortaliter, vt inquiunt Lesius, & Bonac. nisi ita delectetur, vt ei placeat, quòd alius detrahat. Sed hanc limitationem non admittunt Reginald. *lib.* 4. *q.* 6. *n.* 96. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 67. Dicastill. *n.* 346. Qui dicunt, quòd etiamsi delectetur de ipsa detractione, non ex odio, seu displicentia personæ, aut quia gaudet de eius malo, sed ex curiositate, otiositate, vanitate, non erit peccatum mortale; & ideò dixit D. Thom. esse peccatum grave, *si placeat ei detractio propter odium eius, cui detrahitur*: ergo si ex odio non oriatur talis complacentia, sed ex alijs capitibus dictis, non erit tale.

Quomodo Superiores infamantis, aut infamati, teneantur detractionē impedire?

70 Tertiò supponimus ex eodem D. Thom. *dict. q.* 73. *art.* 4. quòd Magistratus, Superior, vel Prælatus, tàm eius qui detrahit, quàm eius, de quo detrahitur, peccant mortaliter audiendo detractionem, & non avertendo eam, cùm commodè possint: quia illis incumbit speciali obligatione peccatum detrahentis per correctionem repellere, & damno infamati obviare. ¶ An verò peccet contra justitiam, ita vt ad restitutionem teneatur famæ ablatæ, negat de vtroque Superiore, tàm detrahentis, quàm eius de quo detrahitur Soto *lib.* 5. *q.* 10. *art.* 4. Rebellus 1. *p. lib.* 4. *q.* 6. *n.* 9. & probabilissimum dicit Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *n.* 350. Non quidem detrahentis Superior: quia ipse ex justitia non tenetur bono subditi alieni invigilare, & sic nec famæ attendere infamati, qui suus subditus non est: nec etiam istius Superior; quia ipsi non incumbit ex justitia bonis temporalibus subditi attendere, vti est fama; sed bona spiritualia promovere, nec suscepisse videtur officium cum tanto onere. Consentit Lugo *disp.* 14. *sect.* 8. *n.* 133. & 134. loquendo de Prælatis, vt de Episcopis, aut Superioribus Religionum, quibus solùm ex justitia incumbit bonis spiritualibus subditorum attendere: non de Magistratibus, aut Principibus, quibus etiam cura bonorum temporalium est commissa: & sicut peccabunt contra justitiam furta subditi non avertendo, sic detractionem. ¶ Melius autem Bañ. *q.* 73. *art.* 4. *concl.* 3. & 4. Tapia *lib.* 5. *q.* 14. *art.* 9. *n.* 4. asserunt, Superiorem quemcumque infamati teneri ex justitia detractionem avertere: & si secus faciat, obligabitur ad restitutionem in defectum detrahentis; quia ex officio tenetur bonis spiritualibus subditi attendere, & ea tollere, quæ non parum officiunt ad bonum spirituale promovendum, vt est infamia. Imò Bañez etiam asserit peccare contra justitiam Prælatum detrahentis, ei non resistendo: non quidem per injustitiam in ordine ad infamatum, si eius subditus non sit, & ideò illi non tenetur restituere; sed in ordine ad detrahentem, illi consentiendo ad malum spirituale, quod ex officio tenetur evitare. Sed melius id negat Tapia: quia detrahenti nulla fit injuria non impediendo eius detractionem, cùm ipse volens eam amplectatur; & scienti, ac volenti injuria non fit, alias cuilibet subdito peccanti Prælatus injuriam faceret, si non corrigeret. Et licèt specialiùs Prælati, quàm alij debeant corrigere peccatores, hæc obligatio est charitatis in ordine ad subditum liberè peccantem.

Persona particularis quādo nō peccet detractionem audiendo?

71 Difficultas ergo præsens est loquendo de personis particularibus, quæ detractionem audiunt, & nec inducunt ad eam, nec animum augent, nec in ea complacent; sed cùm commodè possint, non contradicunt, si spem haberent, quod ipsis resistentibus detractio cessaret. Si enim hanc non haberent, vt si esset inferior respectu Superioris, vel parvæ authoritatis ad hunc effectum, nulli dubium est non peccare permittendo detractionem. Et similitèr si damnum aliquod ex tali resistentia timeant: vel si credant auditores nullam fidem detrahenti præbituros: ac tandem

dem si dubitent an delictum sit publicum, vel non: quia tunc non tenentur, imò non possunt, loquenti se opponere, quia non debent præsumere alium injustè, cum alterius damno talia narrare. Quod si attenderetur, plures scrupuli cessarent, quia quando ego audio detrahentem, nisi ipse asserat id esse occultum, possum præsumere, quòd, licèt mihi ignotum sit, iam sufficientem habebit publicatem, quia alius sciens audet talia dicere. Quæstio ergo est, quando certò nossem alium injustè detrahere, an peccem mortalitèr contra charitatem illum non corrigendo,& alterius infamiam avertendo. Et dico contra charitatem: nam contra justitiam me non peccare, nec ad vllam teneri restitutionem, omnes dicunt, cùm mihi particulari ex officio non incumbat damna alterius evitare.

Sententia asserens audire detrahentē esse mortale.

72 Igitur prima sententia dicit, peccare mortalitèr, qui sic audiens detrahentem, cùm commodè potest avertere detractionem, tolerat; ideòque si potest, vel corrigendo detractorem verbis, vel conversationem ad alia divertendo, vel saltem, quando aliud non potest, vultum tristem ostendendo (secundum illud *Proverb.* 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*:) tenetur ex lege charitatis id facere; & si non faciat, peccat mortalitèr: tùm contra præceptum correctionis fraternæ contra detrahentem, tùm contra præceptum charitatis, quemlibet obligans ad evitandum malum grave proximi, cùm absque incommodo potest. Nam sicut peccaret mortalitèr, qui videret domum vicini comburi, & non impediret, cùm de facili posset; sic qui videt famam proximi dissipari,& non resistit, cùm id posset absque sui detrimento facere. Sic Villalob. *tract.*11.*diffic.*36.*n.* 20.Bonac. *disp.*2.*q.*4.*punct.*11.*n.*6.Less. *lib.*2. *cap.* 11.*dub.*4.*n.*21.Dicast.*lib.*2.*tract.*2.*disp.*12.*n.* 347. Lugo *disp.*4.*sect.*4. *num.* 125. & alij ab ipsis relati. ¶ Hæc sententia verissima est. Cæterùm, quia cum talibus limitationibus ab his Authoribus traditur, vt reipsa non discrepet ab ea, quam tradunt communitèr Thomistæ, placuit limitationes illius, quas ex aliorum Doctorum sententia tradit Eminentissimus Lug.*n.*128. suis verbis referre.

Limitationes præcedentis doctrinæ.

73 (Vndè obitèr infero (verba sunt illius) prædictam obligationem impediendi sub peccato gravi detractionem, raram esse inter æquales; rarissimam in inferiore respectu personæ Superioris. Primò, quia plerumque ille, qui audit, non scit, an id, quod detrahens dicere incipit de proximo, sit publicum, cùm sæpè contingat id, quod ad tuam notitiam nondum venit, iam apud alios esse publicum; & in dubio non est, cur condemnes detrahentem. Deinde secundò, quia aliquando id quod dicitur, facilè reparari potest postea ab ipso audiente, ostendendo eius falsitatem. Tertiò, quia aliquando, incepta semel detractione, melius consulitur proximo non impediendo detractionem progredi, quàm illam statim initio impediendo: remanent enim auditores cum illa notitia confusa de gravitate rei, quæ dici cœperat, & fortasse concipiunt in genere aliquid gravius: quòd si rem totam distinctam audivissent, adverterent rem non esse ita gravem, prout prius in confuso conceperant. Quartò, quia sæpè non poteris te opponere detrahenti sine gravi eius offensione, qui ægrè fert corrigi in publico, & redargui, quasi injustè famam proximi invaderet. Quintò, quia sæpè non est grave damnum famæ proximi ex eo, quòd tibi soli eius defectus manifestetur, qui alioqui rem secreto servabis: nec teneris illud impedire cum illo tui, & detrahentis rubore. Sextò, quia plerumque continget detrahentem habere justam causam rem manifestandi, quia id facit, vel vt consilium petat, vel vt se vtilitèr moneat, vel vt dolorem suum ex injuria illata justè leniat.) Hactenus sapientissimus vir.

Peccatum mortale non est ex negligentia, vel timore detrahentē nō corrigere.

74 Quarè dicendum est, quòd si privata persona, nec compiaceat in detractione, vt malum est proximi, nec ad eam inducat, non peccaret, nisi venialitèr, si vel ex verecundia, vel negligentia, vel timore non resistat detrahenti, nisi aliud damnum præter infamiam ex detractione sequatur. Sic Div. Thom. 2.2.*quæst.*73.*articul.*4. *in corp.* vbi dicit: *Si verò non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minùs, quàm detrahens, & plerumque venialitèr.* Addit D. Thom. *plerumque*, quia subdit posteà tres casus, in quibus esset mortale: vt si esset Superior, si aliud damnum proximo immineret, si timor in sua radice esset mortale, modo quo ipse explicuit 2.2.*q.* 19. *art.*3. nimirùm, quando talis timor ex amore, vel cupiditate oritur, constituente finem vltimum in creaturis. His ergo præcisis casibus (quomodo nunc loquimur) solùm erit veniale peccatum detrahenti non resistere. Quod tenent Sot.*lib.* 5.*q.* 10.*art.*4.*pag.*457. Bañ. 2.2.*q.*73.*art.* 4.*concl. vlt.* Tap. *lib.*5.*q.*14.*art.*9.*n.*3. Prad. *cap.*25.*q.*2.§.2.*n.* 19.*fin.*Ioan.à Cruc. *in Direct.conscient.p.*8.*q.*2.*art.* 2.*dub.*5.*concl.*1.Rebell.*lib.*4.*q.*6.*n.* 8. Tanner. 2.2. *disp.*4.*q.*8.*dub.*7.*n.*151. Reginald. *in Prax. tom.*2. *lib.*24.*cap.*4.*n.*95.Faber *de Restit.in* 4.*sent. dist.*15. *q.*3.*disp.*53.*cap.*3.*n.*127. Dian. 2.*p.tract.*17. & 3. *Miscel.resol.* 24.& 3.*p.tract.*5.*resol.*35. & 4. *part. tract.*4.*resol.*228. Et quamvis aliqui ex his Authoribus dicant, vt in plurimum esse veniale, rarissimè esse mortale, hoc asserunt,quia (vt dicebamus explicando verba D.Thom.)ex alijs adjunctis poterit aliquando esse mortale: vt si esset detractio contra fidem, aut religionem, ob strictiorem obligationem illam defendendi. At in casu, de quo nos loquimur, & quomodo à nobis est propositus, omnes sentiunt non esse nisi veniale. Et etiam videntur id sentire prioris sententiæ Authores, propter limitationes, quas ipsi addunt; sed ad tollendos scrupulos nostram assertionem cum vniversalitate dicta proposuimus.

PUNCTUM VI.

De peccato, quod committit, qui secretum naturale revelat.

QUia egimus de peccatis occultis non revelandis, & multoties eorum notitia,& aliarum rerum, commissa est sub secreto naturali, de illo hoc loco agere operæ prætium duximus, & non loquimur in hoc puncto de sigillo confessionis, de quo latè egimus *tract. de Pœnit. cap. vlt. per tot.* sed de secreto accepto extra confessionem.

§. I.

Quot modis contingat secretum? Quod peccatum sit illud violare? Quibus in casibus liceat?

Triplex secreti genus recenſetur.

75 PRæter ſecretum, quod ſub ſigillo confeſſionis habetur (de quo nihil modo) triplex aliud ſolet conſiderari. Primum, quod ex natura rei ſequitur, vt ſi quis caſu, vel induſtria alterius novit delictum, vel aliquid aliud, vel ex relatione accepit abſque promiſsione ſervandi illud, vt quando alius ex levitate animi illud revelavit. Secundum, quando res ex natura ſua non inducebat obligationem ſervandi ſecretum, cùm nullum damnum ex eius revelatione ſequatur, nec ab alio mihi commiſſum eſt; ſed ego promiſi illud ſervare: & dicitur ſecretum promiſſum, ſed non commiſſum. Tertium, quando ſecretum mihi commiſſum eſt ab alio tacitè, vel expreſsè; & ego tacitè, vel expreſsè illud ſervaturum promiſi: quod eſt omnibus ſtrictius, & rigoroſius. Et quidem expreſsè dicitur commiſſum, & promiſſum ſecretum, quando alius verbis mihi commendat ſecretum, & ego illud ſervare promitto, etiam expreſsis verbis. Tacitè verò, quando ex circumſtantijs conſtat alium mihi rem ſub ſecreto committere, licèt id verbis non exprimat; & ego eodem modo ipſum accepto. Sic Medici, Advocati, Chirurgi, obſtetrices, & alij, ad quos pro remedio, vel conſilio recurritur, ſub ſecreto rigoroſo (hoc eſt, commiſſo, & promiſſo) tenentur rem omninò celare. Et etiam Theologi, & alij viri docti circa caſus conſcientiæ conſulti, quibus licèt expreſsè non committatur ſecretum, ex vi ſui muneris, & officij ad illud obſervandum obligantur, & ſub eo onere ſecretum alterius recipiunt, vt omnes aſſerunt Doctores.

Quoties ex revelatione ſecreti damnum imminet, obligatio eſt juſtitiæ ſervare illud.

76 Igitur ſecretum, quod ex natura rei ſequitur, debet obſervari ſub peccato mortali, & ex juſtitia, quoties ex illius revelatione gravitèr læditur is, cuius eſt ſecretum: vel aliquod damnum in fama, vel in fortunis ipſi imminet: quod ſi ex tali revelatione ſequatur, tenetur ad reſtitutionem damnorum, qui revelavit. Quarè qui caſu, vel induſtria novit vbi alius thesaurum habeat occultum, & hoc incautè revelat; vndè ſequitur, quòd à furibus furripiatur: qui alterius delictum, vel defectum novit, & profert, vndè illi infamia gravis ſequitur: qui ſecretum exercitus, vel Principis accepit, & hoc hoſtibus revelat, tenetur omnia damna ſequuta reſarcire: quia per injuſtam actionem, nimirùm per revelationem injuſtam ſecreti (id quod quiſque ex natura rei habet jus, vt ſibi obſervetur) cauſa fuit illorum damnorum. Quæ eſt communis Doctorum ſententia. ¶ Sed notandum eſt, neque hoc præceptum frangere, nec alia duo genera, de quibus dicemus, eſſe peccatum, quando quis vi tormentorum, vel mortis compellitur, vt illud revelet; habet enim juſtam cauſam illud revelandi, nec tenetur cum tanto ſuo incommodo illud celare, modò id non cedat in damnum publicum. Quilibet enim tenetur mortem ſubire ad evitandum damnum commune. Vnde miles tenetur ſervare ſecretum, cuius revelatio cederet in damnum exercitus, vel Ducis, etiamſi necaretur cruciatibus: & habentes officium publicum tenentur, etiam cum vitæ periculo, retinere ea, quæ in conſiſtorio aguntur ad bonum commune pertinentia: niſi eſſent parvi momenti, vel levitèr in damnum commune talis revelatio cederet: quia non cenſentur cum tanto incommodo in re levi obligationem obſervationis talis ſecreti ſubire, etiamſi illud obſervaturos juraverint, quia non judicantur ſe velle vinculo juramenti adſtringere cum tanto ſuo damno in re parvi momenti. Sanch. *tom. 2. Conſil. cap. 6. dub. 2.* Bonac. *diſp. 2. q. 2. punct. vnic. n. 8.* Dicaſt. *lib. 2. tract. 2. diſp. 12. n. 590.* Trullench. *lib. 7. cap. 10. dub. 32. n. 9.*

Secretũ promiſſum non ſemper eſt mortale frãgere.

77 Si ſecretum ſit ſecundi generis, quia nimirùm alteri illud promiſiſti, ſed ab eo non accepiſti, & aliundè ex eius revelatione non ſequatur damnum in fortunis, vel fama; ſed ſit illarum rerum, quæ, præciſa promiſsione, licitè poteras propalare, obligabit, vel non, ſub mortali illud obſervare, ſecundum regulas generales de modo, quo promiſsio libera, & acceptata obligat, de quibus *tract. ſeq.* agemus. Modò memoranda eſt illa generalis regula, quam ex Thom. Sanch. *lib. 1. de Matrim. diſp. 5.* tradidimus *tract. 9. de Matrim. cap. 1. n. 22.* & in præſenti tradit Lug. *diſp. 14. ſect. 9. n. 140.* Quòd ſi quando promiſiſti te ſervaturum ſecretum, intendiſti te gravitèr velle obligari, ſic obligatus cenſeris: ſi verò hoc non intendiſti, ſed ex vrbanitate, & fidelitate, non ex juſtitia, ab obligatione gravi eris immunis: & ſic in foro conſcientiæ tuo teſtimonio eſt ſtandum; in dubio verò ex circumſtantijs materiæ, loci, temporis, modi, perſonæ, &c. penſandum eſt. Et quidem ſi quando promiſiſti, à te peteretur, an velles ſub peccato gravi obligari, annueres; ſic judicandum eſt te obligatum manere: ſi id negares, putandum eſt, te ex vrbanitate, vel fidelitate, non ex juſtitia voluiſſe obligari.

Diverſitas obligationis ſecreti promiſsi, & cõmiſsi.

78 Sed adhuc caſu, quo per promiſsionem velis, & poſsis, ex juſtitia obligari ad obſervationem ſecreti, minorem haberes obligationem, quam ſi tibi commiſſum eſſet. Etenim mera promiſsio ſecreti non obligat in caſibus, in quibus aliàs tenebaris illud revelare, etiamſi ſub juramento illud obſervare promiſiſſes: quia promiſsio erat de re injuſta, & illicita, cum ſupponamus eſſe de re, quam revelare tenebaris: & juramentum, cum non ſit vinculum iniquitatis, obligare non poteſt ad id, quod injuſtum eſt. Vndè ſi delictum ſecretum cognoviſti, quia vel præſens fuiſti, quando perpetratum eſt, vel quia alia via ad tuam notitiam pervenit, & legitimè interrogaris à Iudice, vel Superiore de illo, teneris veritatem aperire, etiamſi ſecretum obſervaturum promiſiſſes, vel etiam juraſſes. Quarè ſolùm per talem promiſsionem te obligaſti ad non loquendum, quoties facere licitè poſſes. At ſi tibi ſecretum commiſſum fuit, & aliàs non eſt publicatum, teneris illud obſervare, etiam de illo juridicè interrogatus; & te nihil ſcire potes aſſerere (ſubintellecto in mente, *ad tibi revelandum*: nam hæc non eſt reſtrictio purè mentalis, quam Innoc. XI. damnavit; modo quo *tom. 4. huius Curſ. tract. 17. cap. 2. punct. 8. per tot.* dicemus) & perinde te habere: ac ſi nihil poſſes: illa namque notitia ita limitata, & ſigillata eſt ad vnam perſonam ex ipſo jure naturæ, vt alteri eam communicare non liceat. Et ratio eſt, quia Superior, aut Iudex interrogans, jus naturæ nequit abrogare: ſed ex jure naturæ ſecretum commiſſum obſervandum eſt (niſi vel alia via ſit cognitum, vel ſit juſta cauſa illud deregendi, vt poſtea dicemus) ergo, &c. Vn-

&c. Vndè Iudici interroganti de eo, quod ſub ſecreto tibi commiſſum eſt, potes etiam ſub juramento dicere, te nihil ſcire (ſub intellecto, *ad tibi revelandum modo nuper dicto*) cùm ex vna parte juſta ſit cauſa vtendi tergiverſatione, & ex alia Iudex jus non habeat te interrogandi juridicè de eis, quæ ſub ſecreto naturali noſti. Sic Petr. Navarra *lib.* 2. *cap.*4.*n.*459. Lugo *diſp.*14.*ſect.*9.*n.* 141. Bonacin. *diſp.*2.*q.*2.*punct.vnic.n.*9. & 10. Dicaſtillo *lib.* 2. *tract.*2.*diſp.*12.*n.*566.

Secretum promiſſum, & commiſſum obligat ex juſtitia ad ſui obſervationem.

79 Secretum verò illud rigoroſum, quod abſolutè dicitur ſecretum naturale, nimirum, quod commiſſum, & promiſſum eſt implicitè, vel explicitè, obligat ſub mortali ad eius obſervationem, imò ex juſtitia commutativa: quia tunc non datur nuda promiſsio, ſed quidam quaſi contractus oneroſus inter commendantem ſuum ſecretum, & illud promittentem: vnus committit ſecretum ſub conditione, quod alius obſervet: ergo cùm ille ex parte ſua ſubeat onus revelandi ſuum ſecretum, & conditionem impleat, hic debet ponere ex parte ſua obſervationem illius, & ſic illi grave damnum facit (præciſo alio extrinſeco nocumento) ſecretum non obſervando ſub onere, vel conditione promiſſum; & ſi promiſsio fuerit jurata, fractio illius ſecreti vltra malitiam injuſtitiæ induet malitiam ſacrilegij in confeſsione detegendam. Sic Sanch. *lib.* 6. *Conſil. cap.*6.*dub.*1. *num.* 4. Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 9.*num.*139.Bonacin. *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct. vnic. num.*1. Azor 3.*part.lib.*13.*cap.* 31. *dub.* 3. Valent. *diſp.* 15. *quæſt.*13.*punct.*2.Molin. *tract.* 4. *diſp.* 3. *num.* 6. & eſt communis. Cæterùm ſicut in alijs materijs juſtitiæ, ita in hac voluntas præſumpta, ſeu interpretativa eius, qui ſecretum commiſit, locum habet, vt liberet à peccato gravi frangentem. Præſumitur autem talis voluntas, ſaltem conditionata, ſi in hoc caſu ab hac perſona de eo peteretur licentia, concederetur, vt admittunt prædicti Auctores.

Quæ parvitas materiæ à ſecreto frã gendo excuſet?

80 Excuſatur autem à peccato mortali, qui ſecretum ſibi commiſſum confringit, ex triplici capite. Primò ex parvitate materiæ, quia ſæpè res, quæ ſub ſecreto committitur, non eſt tanti momenti, vt poſsit gravem obligationem inducere. An verò vni, vel alteri rem gravem ſub ſecreto commendatam ſit peccatum mortale revelare, etiam ſub eodem ſecreto, ſuppoſito quòd aliunde nec infamia, nec aliud damnum ſequatur (ſi ſit materia parva, excuſans à mortali) Satis probabiliter affirmant, eſſe parvam materiam. Lugo *diſp.*14.*ſect. 9. num.* 147. Azor 3.*p.lib.*13.*cap.*31.*dub.*3. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.vnic.n.*2. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.*2.*diſp.* 12. *n.* 583.Trullench. *in Decalog.lib.*7.*cap.*10.*dub.* 32. *n.* 3. Quia, ſuppoſito quòd non cedat in alicuius famæ, vel bonorum detrimentum, parum refert, quòd ab vno, vel altero prudenti res ſciatur, qui eam ſub ſecreto ſervaturi ſunt. Sed hoc intellige, dummodò ſecretum illi non detegatur, cui certò, vel probabiliter creditur eum, qui ſecretum commiſit, voluiſſe in particulari celari, & non manifeſtari ob ſpeciales rationes in eo occurrentes, quia tunc videtur gravem injuriam ei, cui ſecretum commiſit, irrogari. ¶ Si tamen ſecretum iam aliunde publicatum ſit, cùm parva, vel nulla fiat injuria ei, qui illud commiſit, de illo loqui, etiam apud neſcientes, nullum erit peccatum: quia tunc non detegitur ſecretum; cùm iam ſecretum non ſit, ſed publicum. Similiter ſi is, qui ſecretum promiſit, aliunde rei ſub ſecreto commendatæ notitiam habet, illo vti poteſt, &, quantum eſt ex vi huius capitis, non peccabit illud detegendo, niſi aliud damnum ſequatur, vt in ſecreto confeſsionis, quod vrgentius obligat, communiter aſſeritur.

Inadvertentia in hac materia à gravi peccato excuſat.

81 Secundò excuſatur à peccato gravi ſecreti revelatio ex inadvertentia, vel imperfecta deliberatione; vt ſi vel non adverteret ad materiæ gravitatem, vel ſibi eſſe ſub ſecreto commiſſam non recordaretur. An verò gravitèr peccet ſecretum magni momenti revelans, qui illud parvi eſſe momenti credebat? Negativè reſpondendum eſt, ſi ad hoc ſufficientem adhibuit diligentiam: quia bona fides, & inadvertentia eum excuſat; ſecùs verò ſi fuit negligens, lata, vel gravi negligentia, in inveſtigando, an ſecretum rei gravis, vel levis fuerit, cùm adſit gravitas materiæ, & deliberatio ſufficiens ad mortale. Bonacin. *n.* 3. Azor *dub.* 3. Trullench. *n.*4.Dicaſtill.*n.*584.Sanch. *n.* 6. qui benè notat, debere certò moraliter credere rem eſſe parvi momenti, vt in caſu dicto revelatio ſecreti non ſit mortale. Si enim ſub dubio eſſet, ratione periculi, cui ſe exponeret, gravem proximo injuriam irrogandi, mortaliter delinqueret.

Quæ cauſæ juſtæ excuſent à ſecreti obſervatione?

82 Tertiò excuſatur ex juſta cauſa, vt quando in damnum ipſius, qui commiſit, vergeret illius obſervatio, vel in damnum commune, vel alterius innocentis: itaque non obligat ſecretum commiſſum celare, quoties ordo charitatis fraternæ circa eum, qui commiſit, poſtulat, quòd reveletur; vt ſi erui non poteſt ille à ſua nequitia, niſi ſecretum revelando; & tunc detegi poteſt, & debet, quantum ſat eſt, vt corrigatur: quia bonum illius ſpirituale bono famæ præponderare debet. Vndè etiamſi in dicto caſu juraſſet illud obſervaturum, adhuc illud revelare potest: quia cùm ad hoc lege charitatis teneatur, non poteſt per juramentum, quod vinculum non eſt iniquitatis, obligari ad oppoſitum. Sic Molin. *tract.* 4.*diſp.*3.*n.*7.Petr.Navarr.*lib.*2.*cap.* 4.*n.*230. Dicaſtill. *lib.*2.*tract.*2.*diſp.*12.*n.*580.Valent. *diſp.* 5.*q.* 13.*punct.*2.Bañ.& Aragon 2.2.*q.*69.*art.* 2. ¶ Similiter ſecretum, etiam commiſſum, revelandum eſt, quoties eius obſervatio vergit in damnum commune, vel alicuius innocentis: quia ſecretum non poteſt obligare contra charitatem alteri debitam; ſed ex charitate debemus cavere damna communitatis, & innocentis: ergo, &c. Et hoc etiamſi ſub juramento promiſſa ſit talis obſervatio, ob rationem dictam: ſolùm itaque ſecretum, quod ſub ſigillo confeſsionis habetur, obligat cum quocumque detrimento communi, proprio, vel alterius; non ita ſecretum naturale, de quo loquimur, etiamſi aperiens ſecretum dicat, ſe illud manifeſtare ſub ſigillo confeſsionis (quod ignorantes faciunt) quia ſi non confitetur, vel animum non habet conficiendi Sacramentum Pœnitentiæ, non eſt ſecretum confeſsionis, nec vt tale obligationem obſervationis inducit. Sylveſt. *Secretum*,*n.*1. Navar. *cap.*18.*n.* 54. Molin. *tract.* 3. *diſp.*36.Reginald.*lib.*25.*n.*112. Bonac.*n* 9. Dicaſtill. *n.*578. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 32. *num.*10.

§. II.

Vtrùm alicui liceat exquirere sibi secretum alterius, & literas alij missas aperire?

Secretum alicuius inquirere grave est peccatum.

83 DIximus iam de secreto, quod fortè ad notitiam alicuius devenit, vel ab altero ei fuit commendatum: dicamus modò de eo, quod ipse sibi quæsivit. Igitur alterius exquirere secretum rei gravis, ex genere suo est mortale peccatum, sive hoc fiat verbo, absque causa scrutando, vel interrogando de occultis ab illis, qui norunt ea, quæ sub secreto ab alio observari vellent: vel etiam facto, insidiando per rimulas, vel fenestras eis, qui in occulto operantur. Et ratio est, quia vnusquisque habet jus ad suum secretum, vt ipse solùm sciat, vel cui voluerit, communicet: ergo, invito domino secreti, illud inquirere, vel explorare, erit peccatum mortale contra justitiam commutativam, si quantitas materiæ sit gravis. Sic Tap. *tom. 2. fuæ Cat. lib. 5. q. 14 art. 8. n. 1.* Excusabitur verò à lethali in omnibus casibus, in quibus diximus §. *præced.* excusari eum qui secretum commissum revelat. Vndè cùm ibidem *n.* 80. dixerimus, quòd vni, vel alteri, qui sub secreto observabunt, illud revelare, parvitas materiæ censetur, nisi sit de re, quæ posset alium infamare, vel ille, cui specialiter vellet alius celari: ita qui inquirit animo apud se illud retinendi, cum dictis conditionibus, non erit mortale. Quemadmodùm suprà, *n.* 68. diximus, quòd in sententia illorum, qui dicunt posse vni, vel alteri viro cordato delictum alterius referri, qui illud silentio sunt observaturi, non esse peccatum grave detractionis, dicendum est, quòd audire detrahentem apud ipsum solum; si talem habeat animum, peccatum non erit mortale: ita philosophandum est in præsenti. ¶ Sed præter dicta licitum est alterius secretum inquirere, quando datur casus gravis necessitatis, nimirùm ad conferendum beneficium, eligendum Prælatum, Parochum, Gubernatorem, contrahendum matrimonium, & his similia, licitum est eis, quorum interest, inquirere mores, etiam secretos, quantum opus est ad cognoscendam dignitatem personæ eligendæ: inquirentes verò ea, quorum notitiam accipiunt, sub secreto observare tenentur.

Literas alterius aperire, grave est peccatum.

84 Et quia vnusquisque idem jus habet ad suum secretum scriptis mandatum, ac verbis prolatum, vel factis executum, quia semper patitur gravem injuriam, si illud contra suam voluntatem ab alio sciatur, quod sibi soli, vel cui voluerit revelare, habet jus observandi, communis tenet Doctorum sententia, esse peccatum mortale contra justitiam literas clausas, & sigillatas aperire, vel etiam apertas legere, si in loco secreto reperiantur, vt in scrinio, vel mensa cubiculi, & quæcumque alia scripta secreta. Molin. *tom. 5. disp. 36. n. 2.* Trullench. *lib. 7. cap. 10. dub. 32. n. 6.* Sanch. *tom. 2. Consil. lib. 6. cap. 6. dub. 3. n. 4.* Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 12. num.* 586. Bonacin. *disp. 2. q. 2. punct. vnic. n. 5.* Lugo *disp. 14. sect. 9. num.* 18. Tapia *suprà, n. 3.* ¶ Sed notat Navarrus apud Sanchez, *loco citat.* quòd si aperiens literas certus sit se non nociturum, nec eius occasione alium detrimentum passurum, non erit mortale literas dictas aperire, vel legere, etiamsi crimen aliquod infamatorium ibi contineatur: quia infamari coram vno, qui minimè nocebit, peccatum non erit mortale. Sed circa hoc vide quæ diximus suprà, *num.* 47.

Quibus in casibus licitum sit alterius literas aperire, & legere?

85 Excipiuntur autem aliqui casus, in quibus non erit mortale literas clausas aperire; & legere. Primus, si sit Prælatus, qui subditorum literas legere potest, sive hoc habeat ex statuto (vt apud nos habetur) sive non, si ad subditorum vtilitatem expediens judicaverit: vtitur namque jure suo, dum cavet, ne quid damni subdito inde veniat. Excipe literas à superiori Prælato ad subditum missas, vel ab ipso ad Superiorem, quas Prælatus inferior minimè aperire, aut legere potest, sicut nec quilibet alius. ¶ Secundus, quando datur consensus, saltem implicitus, & præsumptus, mittentis literas, vel eius ad quem mittuntur: quia dominus secreti illud potest, cui voluerit, communicare. Vndè si ratione amicitiæ, vel alterius convenientiæ credo alium non ægrè laturum, quòd ego illius literas aperiam, illas absque peccato aperire, & legere possum. ¶ Tertius ob parvitatem materiæ, vt si in literis credam non contineri aliquid, quod grave secretum petat; vel quia aliàs est de re publica, & notoria, vel quia parvi momenti, vel quia alius parvipendet, quòd de eo talia sciantur: quia solùm est mortale grave secretum exquirere eius, ad quem pertinet. Et similiter, si ob curiositatem absque periculo notabilis damni, vel gravis injuriæ, literæ aperiantur causa sciendi nova, aut ridendi ob inelegantem, & barbaram compositionem, non erit mortale: quia per hoc nulli fit gravis injuria. Sanchez suprà, *lib. 6. cap. 2. dub. 3. num. 3.* Navar. *cap. 18. num. 55.* Azor *3. part. lib. 13. cap. 31. dub. 16.* Trullench. *num. 6.* Bonac. *sup. rnum. 5.* Rodrig. *in Sum. tom. 2. cap. 53. num. 2.* ¶ Quartus, quando rationabiliter credit aliquid contineri in literis, quod in eius damnum cedat: quia jure suo vtitur se indemnem servando; hoc enim ad jus propriæ defensionis pertinet. Sic excusatur à peccato, qui literas sui capitalis inimici intercipit ad suum damnum præcavendum. Sic in bello justo licitè intercipiuntur literæ hostium, ad eorum secreta bellica cognoscenda. Sic etiam Gubernatores literas civium aperire possunt, quando ex gravi causa judicaverint expedire reipublicæ, & bono communi. Sed notant communiter Authores, quòd in his casibus, in quibus licet aperire, & legere secretas literas, solùm ea legere possunt, quæ attinent ad finem, ratione cuius sit licita indagatio secreti; reliqua contenta transilienda sunt, nec possunt lecta alijs revelari, præter necessarios, ad damnum, quod timetur, arcendum.

Literas in loco publico repertas licitum est legere, si apertæ sint.

86 Sed qui invenit literas etiam in loco publico apertas, quæ præter intentionem ibi è sinu habentis illas ceciderunt, peccat mortaliter eas legendo, qnia adhuc manent sub secreto. Lugo *numer.* 150. Tapia *num. 9.* Secus verò si eas projicere vidisti, vel invenisti semilaceratas in loco publico, vel apertas, vbi possent ab alio legi, quia tunc eas videtur alius projeciſſe, & celsisse juri suo. Sed quid si speciali studio nimis sint in minutas partes à domino laceratæ, & projectæ in loco publico: poterisne eas conjungere, & legere? Negat Tapia, *loco citato*, quia sic rumpens voluit chartam manere omninò destructam, atque adeò sub secreto, & nimis displicet ei ea partium conjunctio, & lectio; quam si prævidisset, non sic literas projeciſſet. Sed probabile est, non esse peccatum: quia eo ipso quod dominus

nus projecit in loco publico, videtur cedere juri suo, & pro derelicto eas habens permittere, vt à quolibet legantur. Sic Rebell. 2. *p. lib. 9. q. 7. n. 9.* Lug. *disp. 14. sect. 9. n. 150.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1. cap. 4. n. 4.* Dian. 2. *p. tr. 6. Miscel. resol. 55.*

PUNCTUM VII.

De Iudicio temerario, Dubio, Opinione, & Suspicione.

Quid in hoc puncto sit agendũ?

87 CUm temerarium judicium reducatur ad detractionem, tanquam actus internus ad externum, & sit læsio famæ alterius in mente illius, qui perversè judicat; ideò plures Doctores hoc in loco, vbi agitur de detractione, & injurijs contra famam, hanc difficultatem enodant. Quorum sequentes vestigia, hìc de illa agere congruum duximus: quamvis alij plures infrà agentes de judicio externo, & Iudicis obligatione, illam examinent. In præsenti enim non agimus de judicio externo temerario, vt est sententia à Iudice absque debitis probationibus prolata, quia de illo alibi agemus; sed de judicio, quod in mente profertur, vbi quasi sedens homo pro tribunali, examinatis hinc inde causis, indicijs, & rationibus ad judicandum de proximo, sententiam contra illum fert. Tria igitur nobis examinanda sunt. Primò, quando judicium temerarium sit peccatum mortale? Secundò, quid de dubio, suspicione, & opinione tenendum sit? Tertiò, quomodo dubia sint in meliorem partem explicanda? Sed priùs aliqua ponenda sunt fundamenta.

Quatuor gradus judicij temerarij?

88 Supponendum itaque est primùm; judicium temerarium illud dici, quod de alicuius peccato gravi, vel infami defectu concipitur ex levibus indicijs: si enim ex justis, vel sufficientibus causis concipiatur, non est judicium temerarium, sed rationi consonum. Assignat autem D. Thom. 2. 2. *q. 60. art. 3.* diversos gradus judicij temerarij. Et relicto judicio exteriori, vt iam diximus, quod D. Thom. ibi ponit, vt de illo suo loco agamus, quatuor gradus communitèr à Doctoribus circumferuntur: primus dubitando, secundus suspicando, tertius opinando: quos omnes nomine *suspicionis* D. Thom. comprehendit: & sic gradum, in quo omnes continentur, hoc modo explicat: *Cum homo ex levibus indicijs dubitare incipit*, vbi clauditur etiam opinio, vt ibi inquit Caietan. Et sic D. Thom. ex Cicerone ita suspicionem declarat, dicens: *Suspicionem esse opinionem mali ex levibus indicijs conceptam.* Quartus gradus est judicium firmum, quod est assensus sine formidine veritatis oppositæ; & tunc est temerarium, quando ex levibus indicijs firmitèr, & certò malitiam alterius judicamus. ¶ Sed nota ex Caietan. 2. 2. *q. 60. art. 3.* Less. *lib. 2. cap. 29. dub. 3. n. 29.* Molin. *tract. 4. disp. 14. n. 4.* Reginald. *lib. 24. n. 24.* Petr. Navar. *lib. 2. cap. 4. n. 445.* Bonac. *disp. 2. q. 7. punct. 1. n. 1.* Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 12. n. 35. & 50.* hanc esse regulam generalem ad cognoscendum quando judicium firmum, & certum de alicuius malitia habemus: quando nimirùm quis ita judicat, vt interrogatus, an habeat pro certo alterius peccatum, responsurus esset sibi certum, aut ferè certum videri; tunc habet firmum judicium. Si verò ita judicet, vt responsurus sit, se non esse moraliter certum, sed facilè posse ea in re falli (quod certè, vt in plurimum, contingit: cùm ex levibus indicijs rarò quis ita firmitèr assentiatur, vt oppositi non habeat formidinem; quod si pensaretur, plures scrupuli dissipatentur) tunc solùm est suspcio, opinio, vel dubitatio.

In quo differant suspicio, dubiũ, & opinio.

89 Secundò supponendum est, quòd licet Div. Thom. suspicionem, opinionem, & dubitationem sub eodem gradu comprehendat, quia omnes assensum incertum cum formidine alterius partes dicunt; tamen, si propriè secundum suas rationes sumantur, distingui possunt. Nan dubitatio tunc est, cum, vtrimque propositis rationibus, animus hæret suspensus, nulli parti adherens, sed quasi pendulus inter illas. Suspicio tunc est, quando in alteram partem inclinatur, sed nondum absolutè assentitur, non enim est assesus, & judicium determinatum, sed inclinatio, & incitatio animi ad illum. Opinio autem dicit assensum alterius partis, & determinatum judicium, sed vacillans, & infirmum, de opposito formidinem habens; & sic affert secum dubitationem, quia licèt determinet in genere ad assensum, non tamen determinat ad assensum firmum, sed circa firmitatem assensus vacillat, & dubitat; & sic dubitare dicimur, quando de nulla parte sumus certi. Inter quos gradus hoc datur discrimen, quòd maiora indicia requiruntur, vt suspicio, vel opinio non sint temerariæ, quàm ad dubitationem; & maiora ad firmum judicium, quàm ad suspicionem. Verùm quia distantia, quæ inter suspicionem, opinionem, & dubitationem datur, & inter indicia ad illa requisita, parva, & exigua est, & in moralibus quasi nulla reputatur, communitèr à Doctoribus in præsenti, quod de vna dicitur, de altera asseritur: & quando dicunt suspicionem esse, vel non esse mortale, idem asserunt de dubitatione. Vnde & nos promiscuè de illis loquemur; & quod de suspicione dictum fuerit, de alijs dictum intelligatur.

§. I.

Quando judicium temerarium sit peccatum mortale, vel à tali malitia liberum?

Ex indicijs sufficientibus malum judicare, nullum est peccatũ.

90 DIcendum ergo est primò, non esse judicium temerarium, nec peccatum mortale, imò nullum, quando quis ex indicijs, vel conjecturis sufficientibus, & prudentibus malum aliquod de proximo firmitèr judicat. Sic D. Thom. 2. 2. *q. 60. art. 3.* & cum eo omnes. Videantur ibi Caietan. Aragon. Bañez, & Salonius. Et ratio est: quia dici non potest judicium temerarium, quod est conforme rectæ rationi, & prudentiæ; sed ita est judicium procedens ex sufficientibus indicijs, quæ prudentem, & passione liberum movere possunt: ergo, &c. ¶ Confirmatur primò: quia judicium temerarium est, quando quis ex levibus indicijs firmitèr assentitur malitiæ alterius: ergo quando non ex levibus, sed ex sufficientibus indicijs ad id movetur, non temerariè judicat. ¶ Confirmatur secundò: quia (vt inquit D. Thom. *loc. cit.*) in tantum datur judicium temerarium, quod est peccatum mortale, in quantum jus proximi violatur, quod habet ne quis de illo malè sentiat; sed proximus non habet jus, vt alter de ipso non male judicet, quando ipse dat sufficientes conjecturas ad male de ipso judicandum: quia nemo jus habet, vt alius aliter judicet, quàm postulant indicia sufficientia: non ergo tunc datur judicium te-

temerarium. Hoc certissimum est apud Doctores.

Quibus casibus detur ad judicium certum sufficiens fundamentum?

91 Sed est inter illos difficultas, quandò nam indicia, & conjecturæ sint sufficientia, vt judicium non sit temerarium, nec peccaminosum? Et conveniunt omnes, id esse pensandum arbitrio prudentum, & generalitèr illas dici sufficientes conjecturas, quæ, omnibus inspectis, sufficientèr movere possunt prudentem virum ad tale judicium ferendum: & istas ex multiplici capite posse venari, nimirùm ex circumstantia temporis, loci, personæ de qua dicitur, & personæ testificantis. Si quis enim videat aliquem noctu scalas ascendere ad ingrediendum domum alterius per fenestram, vel occultum foramen ex circumstantia temporis; absque temeritate judicabit ipsum ingredi ad aliquod delictum perpetrandum, modo non adsint aliæ circumstantiæ contrarium suadentes. Si video adolescentem ingredi domum vbi solæ habitant meretrices, vel in obscuro loco lascivè amplexantem puellam, ob circumstantiam loci, absque temeritate judicabo illum lascivè velle peccare. Ac de Petro, quæ constat multoties peccata furti perpetrasse, judico furtum, quod de novo factum est, ab ipso fuisse factum, etsi non habeam manifesta indicia, dummodò aliqua habeam, absque temeritate procedo, ob circumstantiam personæ, de qua judicatur. Denique si vir fide dignus mihi referat hominis delictum, qui non est tantæ authoritatis, aut honesti nominis, quin sit probabile ipsum commissurum simile, cur fidem dicenti præbendo ero temerarius judicator? Quia licet jure civili, & canonico vni testi non credatur in foro externo; in foro tamen interno, si testis sit fide dignus, & is, de quo malè testificat, non tantæ authoritatis, vel honesti nominis, & concurrant alia adminicula, quæ rem faciant probabilem, prudentèr illi fides adhibetur; secùs verò si hæc non concurrant: nam de viro probo non debeo credere delictum grave propter testimonium vnius dicentis, alias judicarem temerariè. Bonac. *disp.2.q.6.punct.1.n.3.* Lugo *disp.14.sect.2.n.29.* Dicast. *lib.2.tract.2.disp.12.n.26.*

Tria capita ex quibus solent judicia temeraria oriri.

92 Sed hìc notandum est ex Angelico Doctore 2.2.*q.60.art.3.* hoc judicium temerarium ex tribus capitibus præcipuè provenire solere, quapropter triplex genus personarum deberent maximè ab hoc vitio cavere, quæ tamen minùs de hoc solent esse solicitæ. Primò ex hoc quòd ipse malus est: nam qualis vnusquisque est in se, tales solet judicare alios esse: Eccles. 10. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Et ideò homines improbi facilius de alijs improbitatem opinantur. Secundò ex hoc quòd aliquis malè afficitur ad alium, vnusquisque enim judicat sicut est affectus: & de his, quos diligimus, quàm benè omnia judicamus! Omnia in bonam partem inflectimus: quando opus excusare non possumus, malitiam minuimus, & intentionem excusamus. At cùm aliquis contemnit, vel odit alium, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso: quia *vnusquisque*, ait, *facilitèr credit quod appetit.* Tertio modo provenit ex longa experientia; & sic Arist. 2. *Rethor. cap.13.* dicit, senes esse maximè suspicios os, quia iam longa experientia experti sunt aliorum defectus. Et licèt hoc vltimum caput conducat ad temeritatem ex parte excusandam, *in quantum experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis*, non tamen omninò excusat. Alia verò duo capita potiùs illam aggravant, quia perversitatem affectus indigitant.

Judicium temerarium cum plena advertentia est peccatum mortale?

93 Dicendum est secundò, judicium temerarium (quod cum plena animadversione de gravi aliquo malo proximi habetur) esse peccatum mortiferum ex suo genere contra justitiam. In hac assertione omnes Doctores conveniunt cum D. Thom. *q. 60. cit. art.3.* Et probatur primò ex Scriptura, Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini,* 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus judicare.* Iacob. 4. *Tu quis es, qui judicas proximum tuum?* Ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Quibus in locis prohibetur judicium temerarium, quo quis ex levibus signis de alio malè sentit, vt communitèr à Patribus, & Doctoribus intelliguntur. Ratio D. Thomæ est: quia tale judicium minuit rectam opinionem proximi, eum quodammodò contemnit, eique injuriam gravem irrogat, pravam de illo habendo existimationem, & sine causa judicando eum improbum: quod idem est, ac si falsùm crimem ei imponeret. Undè licèt probabile sit, non esse mortale peccatum apud vnum, vel alterum infamare proximum, illius secretum delictum revelando (de quo diximus supr. *n.47.*) non tamen est probabile, non esse lethale peccatum, proximum apud vnum infamare, falsum crimen ei impingendo: quod facit, qui absque causa delictum grave de illo judicat: ergò contra justitiam delinquit mortaliter, proximo gravem injuriam irrogando. Vndè ad restitutionem tenetur, quæ fiet deponendo pravam opinionem conceptam: ad quod vrgere debent Confessarij, vt sic recta existimatio redeat, & proximo, quod ablatum est, restituatur.

Tria notanda ponuntur.

94 Sed nota primò cum Villalob. *tom.2.tr.14. diff.18.n.5.* Ledesm. *in Sum.2.p.tr.8. cap.2. post 3. concl. dub. vlt.* Dicast. *lib.2.disp.12.n.36.* etiam esse mortale, temerariè malum de defuncto judicare; vt si quis de illo judicet absque indicijs, esse damnatum: quia quamvis non vivat quantum ad alia, vivit quantum ad honorem, & famam: & in eis ipsum lædere, est contra justitiam, & lethale peccatum. ¶ Nota secundò cum Card. Lug. *tom.1.disp.14.sect.2.n.13.* hoc judicium temerarium, sive de vivis, sive de mortuis, esse mortale peccatum, etiamsi per breve tempus habeatur: quia pravè judicans, quantum est in se, semper vult in eo judicio permanere, & sic gravem alteri facere injuriam. Si autem judicet, vel inducat alium ad judicandum brevi tempore, animo statim repellendi pravum judicium, non erit lethale peccatum. Et sic excusantur à peccato, qui per jocum decipiunt aliquem, generando in ipso pravam opinionem alterius, cum animo statim manifestandi veritatem: quia non habent animum inferendi grave damnum, nec de facto inferunt: vt si aliquis ab alio rem per breve tempus surripiat animo statim illam reddendi, non peccabit mortaliter cum parum, vel nihil alterum læserit. ¶ Tertiò nota ex Cajet. 2.2.*q.60.art.3.* quatuor inter alia requiri, vt judicium temerarium sit peccatum mortale. Primò, quòd sit firmum, & certum, & respectu certæ, & determinatæ personæ. Secundò, quòd sit temeritas tanta, vt arbitrio prudentum ad gravem culpam sufficiat. Tertiò, quòd sit judicium de materia gravi. Quartò, quòd sit cum plena advertentia ex parte intellectus, & plena libertate ex parte voluntatis. Quolibet ex his deficiente, non erit judicium temerarium peccatum mortale.

65 Ex defectu primæ conditionis non erit grave peccatum aliquod crimen in mente impingere

Si nõ sit determinatæ personæ judicium, non est mortale.

gere indeterminatæ personæ, vt si videas mulierem velatam, & quænam sit ignores, & de ea judices, esse meretricem: vel hominem à longe videas,nec agnoscas,& eum esse furem dijudices; quia sic, prudentum judicio, nemini injuria gravis irrogatur. Ledesma *suprà concl.* 10.Bonac.*disp.*2.*quæst.*7.*punct.*1. *n.* 7. Molina *tract.*4.*disp.*16.*n.*5.Lugo *disput.*14. *sect.*2. *n.* 26. Vel si in communi, non determinando personam, pravum quid judicaretur; vt si quis in hac civitate gravissima committi crimina judicaret, non imponendo ea alicui determinatæ personæ, vel communitati illius. Si enim de aliqua Communitate religiosa temerariè judicaret, in ea ab aliquo,vel aliquibus gravia committi crimina, absque dubio peccaret mortaliter, quia licèt personæ determinatæ non faceret injuriam, eam communitati irrogaret. Nec denique esset mortale peccatum, si quis falsò judicans aliquid esse mortale peccatum, putà juramentum, etiam cum veritate prolatum, & videns Petrum plura juramenta proferre, judicaret Petrum in eo peccare, quia supposito illo erroneo judicio speculativo, in quo nulli facit injuriam, non facit injuriam,judicando Petrum peccare, cùm videt eum facere, quod judicat esse peccatum. Molin. *num.*8. Lugo *num.*2.Caietan.*loc.cit.*

Quando non est grave peccatum temerarium judicium?

96 Defectu secundæ conditionis,nimirum quòd arbitrio prudentum sit magna temeritas, non erit peccatum mortale,si quis judicet malè de alio,quando habet indicia, quæ licèt non sint sufficientia ad certum judicium faciendum; rem tamen ipsam faciunt verosimilem, & credibilem cum magna probabilitate, & sic sufficientia sunt ad suspicionem,etiamsi tunc judicet esse moraliter certum, quod arbitratur: quia prudentum judicio non est tanta distantia inter moralem certitudinem, & magnam probabilitatem, vt censeatur gravis injuria, si quod probabile est, certum judicetur; præsertim cùm certitudo moralis conjuncta sit cum aliqua formidine, vt si quis adolescentem solùm cum puella in obscuro cubiculo videat, non erit mortale judicare ipsos turpiter inter se agere: quia licèt indicia non sint sufficientia ad moralem certitudinem, faciunt tamen rem satis probabilem. Petr.Navarr.*lib.*2. *cap.* 4.*n.*448. Lugo *disp.*14.*sect.*2.*n.*25.Molin.*tr.*4.*disp.*16.*n.*6.Lessius *lib.*2.*cap.*29.*dub.*1.*n.*13.Bonac.*disp.*2.*q.*7.*punct.*1. *n.*5.Dicastill. *lib.*2.*tr.*2.*disp.*12.*n.*42.

Ex levitate materiæ,quãdo non est mortale temerariè judicare?

97 Defectu tertiæ conditionis,nimirum,gravitatis materiæ, non erit lethale aliquid parvi momenti,vel quod ab alio parvi æstimatur, de illo temerariè judicare; quia per hoc non læditur eius fama, & æstimatio gravitèr. Sed non est semper judicanda parva materia per hoc, quòd aliquid veniale aliquis de alio judicet; nec semper gravis ex eo quod judicet grave peccatum: sed attendendum est ad qualitatem personæ,& alia, quæ *suprà num.*42. diximus, ad judicandum, qualis sit materia parva, vel magna,sufficiens ad gravem detractionem. ¶ An verò de alio judicare defectus non culpabiles, vt esse stultum, ignobilem,spurium, filium judæi, &c. sit mortale peccatum? Negat Lessius *num.*14.Petr.Navarr.*n.* 450. Azor 3.*p.lib.*13.*cap.*11. *dub.* 4. Manuel Rodriguez *in Summa*, *tom.*1.*cap.*187.*concl.*3. quia apud homines prudẽtes non adscribitur opprobrio,& dedecori ortum habuisse ex huiusmodi parentibus, vel his defectibus laborare, cùm non sit culpa nati, imò potiùs ad laudem imputari debeat, si virtutem colat, quam perentes impij non sunt sequuti. ¶ Alij affirmativæ parti adhærent: quia homines gravitèr ferunt, quòd de illis tale judicium habeatur. Bonac.*n.*6. Molin. *n.* 5.Lug.*n.*23.Sotus *lib.*2.*de Iustitia*,*q.*4.*art.*3.Sayrus *lib.*2.*cap.*3.*n.*28.Villalob.*tr.*14.*diffic.*18. *n.* 4. Ledesma *in Summa*, 2.*p.tr.*8. *cap.* 2. *post* 3. *conclusionem*,*diffic.* 4. ¶ Sed quia omnes hi Authores hanc regulam generalem ponunt, quòd tunc erit materia gravis judicij temerarij, sufficiens ad mortale peccatum, quando,si id, quod judicatur, coram alijs publicaretur, esset sufficiens ad peccatum grave detractionis; & quando non est materia gravis pro detractione, nec etiam pro judicio temerario (judicium namque temerarium respectu detractionis se habet vt actus interior ad exteriorem) videnda sunt, quæ suprà *hoc cap. n.* 45. diximus circa prædictam difficultatem, respectu detractionis, & idem dicendum est de judicio temerario.

Quando ex defectu plenæ deliberationis, nõ est peccatũ grave judicium temerarium?

98 Denique defectu quartæ conditionis, nimirum, quòd detur plena advertentia ex parte intellectus, & libertas plena ex parte voluntatis, non erit peccatum mortale temerarium judicium, quod absque plena animadversione, & libertate habetur: quod est commune omnibus peccatis. Sed advertendum est, non esse sufficiens, vt judicium temerarium sit peccatum mortale, quòd quis plenè advertat se pravè de alio judicare, sed debet advertere,vel saltem dubitare, se absque sufficientibus indicijs tale judicium habere: priùs enim quàm advertat causas, ex quibus movetur, esse insufficientes, vel saltem de hoc dubitet, illud judicium, tametsi in ratione judicij possit esse voluntarium, non tamen est tale in ratione temerarij: quia,vt nostri Salmant. docent 1.2. *tom.*2.*q.*74.*tr.*23.*dePeccatis*,*disp.*10. *dub.*4.*n.*148. ad peccatum mortiferum requiritur perfectus consensus, qui ex perfecta gravitatis objecti notitia procedat; & tunc est perfecta gravitatis advertentia, quando mens sui compos non occupata alijs cogitationibus reflectit supra suum actum, & illum in materia gravi divinæ legi contraria versari cognoscit, vel saltem de hoc incipit dubitare: ergo non sufficit ad mortale, quòd advertam me pravè de alio judicare, sed me temerariè judicare, hoc est, absque sufficientibus causis, & indicijs. Sic Bonac. *n.* 4. *fine* Lessius *n.*9.Dicastill.*n.*34.Lug.*n.*11.

Aliqua, quæ notari debẽt circa dicta.

99 Sed pro consolatione aliquorum timoratorum, qui circa judicia temeraria nimis scrupulis anguntur, placuit verba Dicastill. *lib.*2.*tract.*2.*disp.* 12.*punct.*1.*dub.*3.*num.*34.*in medio*, hìc ad vnguem referre: (Quando res peragitur solo intellectu, etiam perfectè advertendo, & expendendo motiva,& indicia, etiam per multum tempus, quandiu voluntas non præbet consensum, nec statuit, ac implecitur illum simul cum intellectu, non est cur timeatur culpa lethalis judicij temerarij, etiamsi aliqua negligentia reperiatur reprimendi; aut expellendi judicium temerarium, quod est in intellectu,licèt materia gravis sit. Vnde colligit Molina *disp.*13.*num.* 4. ratò viros timoratos incidere in culpam lethalem judicij temerarij, quamvis sæpè patiantur huiusmodi sinistras cogitationes; quoniam, vel non perveniunt ad consensum voluntatis; vel certè si repentinus aliquis adsit consensus,habet admixtam formidinem de oppositio.) Hactenus acutissimus Pater, & benè.

§. II.

De Suspicione, Dubio, & Opinione temeraria.

Quando suspicio, aut dubium, nullũ sit peccatũ?

100 QUid sint hæc tria, diximus suprà *n.* 89. quomodo inter se differant, & quod minora indicia requirunt, quàm judicium certum, & firmum, vt non sint temeraria. Sed quia (vt ibidem diximus) parum inter se differunt in ordine ad injuriam alteri faciendam, cùm absque fundamento habentur, quod de vno asseritur communiter à Doctoribus, dicitur in præsenti de alio, & sic promiscuè vno, vel altero nomine vtemur. In quo supponimus primò, quòd si dantur indicia dubia, & probabilia, quamvis non sufficientia ad judicium certum, & firmum, possumus absque peccato de alterius delicto dubitare, an ita sit, vel asserere esse probabile ita esse; quia per hoc non fit injuria proximo, sed est judicium rectæ rationi conforme: sicut certum judicium habere, cum adsunt indicia certa, est prudenter, non temerariè judicare. Si tamen fundamentum levius sit, quàm ad suspicionem requiritur, est temeraria suspicio. Levitas verò, vel gravitas fundamenti, vel indiciorum ad suspicandum, arbitrio prudentum pensanda sunt, attentis circumstantijs, conjecturis, & proportione illarum ad gravitatem mali, quod suspicatur, & personæ, cui imputatur: nam quod sufficit ad præsumendum de vna, & de vno genere peccati, non sufficit de alia, vel de alio genere delicti.

Suspicio pertinax ex pravo affectu lethale est peccatum.

101 Supponimus secundò, vt nobis certum, id, quod docet Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 3. num. 21.* & sequitur Villalobos *tract. 14. diffic. 19. n. 7.* quòd si suspicio sit temeraria ex pravo affectu, & malevolentia orta, vel ex odio, aut invidia erga illum, de quo quis suspicatur, ratione cuius, etiamsi videat signa illa esse insufficientia, vult nihilominus pergere in suspicione pertinaciter, erit peccatum mortale: quomodo hæretici, & politici solent de viris probis, & Religiosis malè supicari: partim quia ipsi mali sunt, & nollent alios præferri; ideò talia de ipsis pro sua libidine confingunt: partim vt eos contemnant. Qua ratione libentissimè legunt, & audiunt, quæ ad illorum dedecus pertinent; & quæ ad laudem, & excusationem spectant, renuunt auscultare: quæ sunt duæ suspicionis causæ, de quibus docet D. Thomas 2.2. *quæst. 60. art. 3. in corp.* quòd manifestè pertinent ad perversitatem affectus. Et quòd sic talis suspicio peccatum mortale, constat; quia cùm non procedat ex errore, aut fragilitate humana, sed ex malevolentia: & pertinacia, qua quis ita vult malè in materia gravi de proximo sentire, vt eum contemnat, & pro vili habeat, aut ne cogatur in corde suo illum sibi præferre, gravissimam irrogat injuriam ipsi. Nec credendum est ab hac suppositione dissentire Caietanum, & alios, qui ipsum sequuntur, quando dicunt, non esse grave peccatum suspicionem, aut dubium temerarium de alterius malitia. Loquuntur enim (quomodo communiter accidit) de suspicione ex errore intellectus proveniente, & negligentia voluntatis; quæ, cùm dubitet, vel aliquo modo advertat se absque sufficienti fundamento suspicari, non curat rem inquirere, sed negligenter se habet, sequendo intellectus dictamen. Hoc modo (qui est regularis, & communis; & sic de illo absolutè loquuntur Authores) quæritur, an sit peccatum mortale suspicio temeraria, hoc est, sine indicijs, saltem probabilibus, de alterius malitia? Et idem est de dubio, & opinione.

Sententia asserens nullã suspicionem temerariam esse mortale peccatum.

102 Celebris est circa hoc sententia Caietani *2.2. quæst. 60. art. 3. & in Summa*, verb. *Suspicio*, & verb. *Iudicium temerarium*, asserentis nullam suspicionem, opinionem, aut dubitationem de re, quantumvis gravi, esse peccatum mortale, etiamsi absque fundamento habeantur, & ideò sint temeriæ, & sic nullum judicium temerarium, citra certum, excedere limites peccati venialis. Quantumcumque enim, inquit, sit temeraria, & vehemens suspicio, non intervenit completè contemptus proximi, dum non prorrumpit in judicium diffinitivum, eo quod suspicans non dicit in suo animo *ita est*; sed *ita mihi videtur*, id est, non complete decidendo, sed cum formidine levitèr conjectando: & cum sit judicium infirmum, & imbecille cum formidine, non facit gravem injuriam ei, de quo talia suspicatur. Sequitur Caietanum Diana *3. part. tract. 5. resol. 31.* Ioannes à Cruce *in Director. part. 8. quæst. 1. dub. 2. concl. 2.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 2. num. 6.* Faber *de Restitut. in 4. sentent. dist. 15. quæst. 3. disp. 54. cap. 1. n. 10.* Petrus Navarrus *lib. 2. cap. 4. num. 454.* Navarr. *in Rubrica de Iudicijs, num. 48.* Armilla, verb. *Iudicium temerarium, num. 8.* Sà *eodem num. 2.* Nec discedit Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 3. num. 18.* Et videtur divi Thomæ, qui *2.2. quæst. 60. art. 3. in corp.* ait: *Primus gradus suspicionis est cùm homo ex levibus indicijs de bonitate alicuius incipit dubitare; & hoc est veniale, & leve peccatum.* Et D. Augustin. *tract. 90. in Ioan.* dicit, pertinere ad tentationem humanam, sine qua vita duci non potest, huiusmodi suspiciones habere: *Et si suspiciones*, addit, *vitare non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est, diffinitivas, firmasque sententias, continere debemus.*

Aliquorum gravium peccatorũ suspicio est mortale, nõ omnium.

103 Sed iam communis est, & vera sententia illa, quæ distinguit inter peccata gravia ordinaria, & extraordinaria graviora: & dicit, quòd de proximo absque indicijs sufficientibus suspicari gravia peccata ordinaria, non erit mortale. Et quia hoc est, quod plerumque contingit, asserit, regulariter loquendo, suspiciones (& idem est de dubijs, & opinionibus temerarijs) non esse mortale peccatum; & hoc intendere D. Thomam, & D. Augustinum, *locis citatis*: & ratio Caietani probat: quia de his rebus dubitare, aut suspicari, non facit, quòd proximum despiciamus, sicut per judicium certum, & firmum: & ideò illi parva fit injuria, cùm suspicio, & dubium de facili evanescant. At gravissima crimina ex levissimis indicijs suspicari, dicit hæc sententia, grave esse peccatum, & meritò: vt si de viro probo, & Religioso ex levi fundamento hæreticum esse suspicaretur, vel matrem incestasse. Vel si de homine catholico, & vt tali habito ab omnibus, absque fundamento diceret dubium esse, an sit christianus, vel judeus, & his similia. Et ratio est, quia ægriùs ferunt homines, & magis offenduntur ex huiusmodi suspicionibus, & dubijs in rebus gravissimis, quàm si alij certum judicium de alijs gravibus delictis ordinarijs haberent. Sic Soto *lib. 3. quæst. 4. art. 3.* Ledesma *2. tom. tract. 8. cap. 2. post. 4. concl. diffic. 2. concl. 2.* Tapia *lib. 5. quæst. 10. art. 13. num. 7.* Turrianus *2.2. tr. 2. disp. 4. dub. 3. num. 7.* Villalob. *tract. 14. diffic. 19. num. 2. & 3.* Molina *tract. 4. disp. 17. num. 10.* Lugo *disp. 14. sect. 2. num. 14.* Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 12. num.*

12.*n*.48.Valentia *tom*.3.*disp*.5.*q*.4.*punct*.3.Bonac. *disp*.2.*q*.6.*punct*.1.*n*.4.Azor 3.*part*.*lib*. 13. *cap*. 11. *dub*.3.Reginald.*lib*.24.*n*.27.

§. III.

Quomodo sint in meliorem partem dubia interpretanda?

Dubia de rebus non sunt in meliorem partē interpretanda.

104 HÆc difficultas, de qua tractat D. Thomas 2. 2. *q*. 60. *art*. 4. in hunc sensum accipienda est, vt aliquid novum supra iam dicta addat. An nimirum si quis vtrinque habeat indicia probabilia ad judicandum benè, vel pravè de proximo, teneatur, ex suppositione quòd ferre velit sententiam, & firmum, ac certum judicium elicere, in meliorem partem inclinari? quia ad dubitandum sufficientia habet fundamenta, ad firmitèr judicandum non ita. Si ergo determinet judicare, quæritur an teneatur,relictis probabilibus indicijs,in favorem proximi judicium ferre. Et distinguit D. Thom.*ad* 2. dubium de rebus à dubio de personis; & de hoc secundo procedit quæstio: nam de primo omnes cùm ipso admittunt, non esse in meliorem partem interpretandum (vt si sit dubium,an contractus licitus,vel illicitus sit,) sed omnes res suis esse æstimandas momentis; quia in eis solùm agitur, vt veritas attingatur, nec timetur, quòd alicui injuria irrogetur. Vnde si ego audio aliquem propositionem hæreticam proferentem, illam hæreticam esse, debeo judicare, quia hoc est judicium de rebus; sed ipsum esse hæreticum, non ita, nisi aliunde habeam vrgentissima fundamenta, cùm posset ex inadvertentia, vel ignorantia ab alio proferri.

In dubio de bonitate alterius,in eius favorē est inclinandum.

105 Dicendum itaque est,quòd in dubio de alterius malitia, si firmum,& certum judicium velimus elicere, tenemur ex justitia in meliorem partem dubium interpretari. Sic D.Thom.*loco citat*. & ibi Cajetanus, & Bañez, Lessius *lib*.2.*cap*.29.*dub*. 4. *num*. 32.Villalob.*tract*.14.*diffic*.19.*num*.4.Bonac. *disp*. 2.*quæst*.7.*punct*.3.*n*.2.Dicastillo *lib*.2.*tract*.2. *disp*. 12.*num*.53.Petrus Navarr. *lib*.2. *cap*. 4. *num*. 483. Lugo *disp*.14.*sect*.2.*num*.21. Valentia *tom*.2. *disp*. 5.*quæst*.4.*punct*.4. Et probatur primò ex verbis D. August. *de Serm*.*Domini in monte*,*lib*.2.*cap*.18. vbi explicans illud dictum Christi Domini: *Nolite judicare*, sic dicit: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* ¶ Secundò ex ratione: nam proximus jus possidet ad famam, & vt de se nemo sinistrè judicet absque sufficienti fundamento: ergo à tali possessione dejciendus non est in dubio, nec est de illo præsumendum malum: nam *in dubio non est præsumendum delictum*,leg.*Meritò*,*ff*. *Pro socio*: & ideò ex suppositione, quòd quis judicare velit; & ferre in illo dubio sententiam, in meliorem partem debet inclinare; aliter periculo se exponeret sinistram sententiam contra jus proximi pronuntiandi. Unde dicto loco docet D.Thom.*ad* 1.quòd, cùm pro vtraque parte dubium existit, melius est errare benè judicando,quàm malè judicando (licèt aliàs verum sit quod judicatur) absque sufficientibus indicijs: quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primò. ¶ An verò ita debeamus in bonam partem dubium interpretari in casu, de quo loquimur, vt sit peccatum mortale oppositum facere, vide quæ diximus hoc puncto *num*.96.

106 Sed inquires primò, an non solùm ex suppositione, quòd velimus sententiam ferre, debeamus in bonam partem proximi dubia interpretari, sed etiam absolutè nulla facta suppositione? Pro resolutione nota, duplicitèr nos posse in potiorem partem dubia interpretari. Primò negativè, suspendendo judicium, & tanquam de re ad nos non pertinente neutram volendo partem judicare; & sic nec judicando in dubio proximum authorem criminis, vel peccasse, nec rectè fecisse, aut bona intentione operatum esse. Secundò positivè, huic secundæ parti applicando judicium, & positivè asserendo ipsum minimè deliquisse. Dicimus ergo absolutè neminem teneri positivè in meliorem partem dubia proximi interpretari, sed tantùm negativè: quod docent Authores *num*.*præced*.relati. Et ratio est,quia nemo tenetur ad assensum, vel modum assensus, in quo periculo errandi se exponit; quia talis assensus, nec est actus virtutis, neque ad actum virtutis necessarius; sed errori obnoxius, quem prudentia docet debere evitari: & ideò neque in Angelis (in his de quibus dubitant) daretur, nec in statu innocentiæ, nec in B.Virgine. Maximè, quia non est necessitas talis judicij, vt quis erga proximum, sicut debet, vel oportet, se habeat: ad hoc enim sufficit in dubio probabilitèr esse probum, aut non peccare opinari; quamvis suspendat judicium speculativum, nolens aliquam partem diffinire, qualis reipsa sit, sed hoc Deo committat judicandum.

Nemo tenetur positivè in meliorem partē inclinare judicium.

Quando de damno vitādo agitur, in peiorē partem est dubium interpretandum.

107 Inquires secundò,an in aliquo casu possint, & debeant dubia proximi in partem deteriorem interpretari? Respondetur affirmativè,nimirum quando agitur de vitando aliquo damno,vel de adhibendo remedio. Tunc enim, vt inquit D. Thom. 2. 2. *quæst*.60.*art*.4. *ad* 3. dubia sunt in peiorem partem interpretanda, non diffiniendo, aut judicando, sed supponendo: & ita non judicando proximum esse v.g. furem, vel lascivum,vel habendum pro tali, nec de hoc dubitando, sed per quandam suppositionem ita se exteriùs gerendo, ac si alterius probitas dubia esset.Sit exemplum: recipio in domo servum,vel advenam, cuius mores ignoro; non possum judicare illum esse furem, vel de hoc positivè dubitare; possum tamen ita me gerere, ac illum cavere, ac si fur esset, quod est per suppositionem judicare. Eadem ratione pater puellæ, ac vir vxoris, si videat juvenem ante fores domus propriæ circumversari, quamvis non possit diffinitivè judicare id facere animo solicitandi illas, potest illas auferre, & prohibere ab eius colloquio, & aspectu, quasi supponendo ad hoc juvenem venire.

Quomodo Superiores possūt in deteriorē partē dubia interpretari.

108 Hoc modo Superiores ob indicia quædam dubia meritò subditos reprehendunt, & talia remedia illis corrigendis adhibent,ac si malos judicarent, quamvis malos non judicent, sed potiùs excusent facta, vel intentionem in suo animo. Quandoquidem licèt etiam Superiores quoad internam affectionem, & existimationem regulam illam observare debeant, quòd in dubio ad meliorem partem est inclinandum; exteriùs tamen ita se gerere possunt erga subditos in ordine ad emendationem, vel cautelam mali, ac si malum aliquod perpetrasse judicarent. Et sic *cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium* (inquit D. Thom.) *sive nostris, sive alienis, expedit, ad hoc vt securius remedium apponatur, quod supponatur id,quod est deterius;quia remedium quòd est efficax contra maius malum,multò magis est efficax contra minus malum.* Sed cavendum est in hac parte

te Superioribus, ne sint nimis suspecti, & modum excedant, vel subditos alijs reddant suspectos. Cæterùm quando non agitur de vitando damno, sed de reverentia, & interna existimatione proximi, etsi non debeamus diffinitivè judicare ipsum esse probum, propter dicta *n.* 106. id tamen per quandam suppositionem pensandum est, supponendo esse probum: & ita interiùs, & exteriùs agendo, ac si esset bonus. Dicta his duobus numeris tenent Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 4. punct. 4.* Sanch. *in Summ. lib. 1. cap. 7. n. 17.* Bonac. *disp. 2. q. 7. punct. 3. n. 3.* Villalob. *tr. 14. diffic. 19. n. 5.* Dicastill. *lib. 2. tr. 2. disp. 12. n. 60.* Less. *lib. 2. cap. 29. dub. 4. n. 43. & 44.*

PUNCTUM VIII.

De modo, quo debet honor injustè ablatus restitui.

Qui omissione honorem abstulit, exhibendo debitam reverentiam satisfacit.

109 POstquam iam egimus de modis, quibus potest honor, & fama proximi injustè lædi, & quando talis læsio restitutionis obligationem inducat, veniamus ad secundam partem huius capitis, nimirum ad explicandum, quomodo honor, & fama per injustitiam læsa debeant restitui? Diximus iam, præcipuè per contumeliam honorem deprimi, & etiam per irrisionem, & per detractionem famam deturpari. Videamus hoc puncto, quomodo honor sit restituendus, & puncto sequenti de restitutione famæ pertractabimus. ¶ Honor igitur duplicitèr tolli potest, vel privativè per omissionem, non reddendo honorem debitum, vt si Prælato transeunti caput non discooperias; & qui isto modo honorem abstulit, seu (vt meliùs loquamur) omisit honorare, sufficit vt satisfaciat, honorem, & reverentiam exhibendo, quam non exhibuit; quia sic quod abstulit, reddit. Sicut qui temerariè judicat de alio, sufficit ad satisfactionem, quòd deponat pravam existimationem, quam de illo concepit. Imò hic, proprie loquendo, non tenetur ad restitutionem, quia non honorando Superiorem, tantùm contra virtutem observantiæ, non justitiæ, fecit. Nisi simul cum illa omissione virtualem, vel interpretativam contumeliam Superiori irrogaverit, vt si, alijs Episcopum, vel Magistratum transeuntes honorantibus, in illos absque vllo honore impudentèr aspicias, quia tunc teneris ablatum honorem restituere, quod facies honorem debitum exhibendo. Ita Villalob. *tract. 11. diffic. 42. n. 5.* Caietanus 2. 2. *q. 72. art. 3.* Salon 2. 2. *q. 62. art. 2. controv. 14.* Bonacin. *disp. 2. q. 5. punct. 2. n. 3.* Less. *lib. 2. cap. 11. disp. 27. n. 142.* Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 12. n. 356.* Trullench *in Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 31. num. 3.*

Per contumeliã honor ablatus restitui debet.

110 Alio modo potest honor auferri, scilicèt positivè, alteri irridendo, vel contumelijs afficiendo, verbis, vel factis: vt si alapa, vel fuste eum percuteret; & qui hoc modo honorem lædit, ex justitia tenetur illum restituere, sive in publico coram alijs, sive in secreto ipsi soli objiciendo contumeliam, ipsum dehonoraverit. Et quidem, quòd si in publico dehonoravit, teneatur restituere, nullus est, qui dubitet: quia iste veram injuriam fecit, & contra justitiam honorem abstulit, qui divitijs est æstimabilior: ergo illud tenetur damnum resarcire, & si simul cum contumelia infamavit proximum, præter restitutionem honoris, famam restituere tenetur, modo quo dicemus puncto sequenti, famam esse restituendam. Imò si publica fuit dehonoratio, & contumelia, publica debet esse satisfactio coram illis, in conspectu quorum alius dehonoratus est, vel saltem ita patens, vt ad eorum notitiam de facili possit satisfactio pervenire. Non tamen est necessarium, vt qui publicè dehonoravit, per seipsum satisfactionem publicè exhibeat; sed sufficit quòd vel per seipsum, vel per amicum, Confessarium, vel aliam personam publicè, v.g. veniam petat, vt docet Petrus Navarr. *lib. 2. cap. 4. num. 521.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 31. num. 11.*

Etiam qui in secreto contumeliã dixit, tenetur restituere.

111 Quod verò teneatur restituere, qui in secreto contumeliam dixit, vel fecit, negat Molina *tom. 5. disp. 46. num. 5. 6. & 7.* & sequitur Laym. *sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 7. num. 6.* quia per restitutionem reparatur damnum illatum, quod permanet, & sic nulla debetur, quando nullum permanet damnum; sed quando injuria in occulto irrogata est, totum damnum illatum transit, cùm ob id à nemine alius despiciatur: ergo, &c. Fatentur tamen hi Authores, quòd si aliud damnum præter dehonorationem alteri obveniat, tenetur injurians illud resarcire. Sed fundamentum Molinæ sic solvit D. Thom. 2. 2 *q. 62. art. 2. ad 3.* Nam cùm sibi idem ferè argumentum proposuisset, ita respondet: *Ad tertium dicendum, quòd actio contumeliam inferentis non potest fieri, vt non fuerit; potest tamen fieri, vt eius effectus, scilicèt diminutio dignitatis personæ, in opinione hominum reparetur per exhibitionem reverentiæ*; itaque quamvis contumelia transierit, effectus eius remanet, qui est depressio alterius, & honoris debiti deturpatio, quæ debet per restitutionem dimoveri.

Sententia Molinæ impugnatur.

112 Et ita sententia Molinæ est contra omnes Theologos, imò contra Sacram Scripturam. Nam postquam dixit Christus Dominus, *Matth. 5. Qui dixerit fratri suo, fatue: reus erit gehennæ.* (Quo indicavit contumeliam etiam vni soli datam esse mortale peccatum) vt doceret debere honorem restitui, subiunxit: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Quibus verbis docet, peccatum illud per contumeliam commissum, etsi sit ab vno solo, non dimitti, donec modo debito honor ablatus restituatur, vt ibi explicant Patres, & Interpretes. Et ratio id ipsum persuadet: quia licèt per contumeliam damnum fortunarum non fiat, fit tamen in animo, & æstimatione hominum grave damnum in personam, & dignitatem eius, ipsius honorem labefactando, & quantum est in se viliorem ipsum reddendo: vnde contumelia affecti honorem, & dignitatem suam læsam arbitrantur. Quam læsionem tanti æstimant; vt maxima indignatione ob hanc injuriam commoveantur, & sæpè damna fortunarum gravissima præoptent, vt ab ea liberentur: aliquod igitur morale damnum remanet, quod ad sui compensationem obliget. Atque ita docent, præter D. Thom. citatum, Prado *tom. 2. cap. 18. quæst. 6. §. 1. num. 3.* Serra 2. 2. *quæst. 62. art. 2. dub. 4. conclus. 2.* Rebellus 1. *part. lib. 2. quæst. 10. sect. 2. num. 3.* Villalobos *tract. 11. diffic. 42. num. 3.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 31. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 27. n. 140.* Lug. *tom. 1. disp. 15. sect. 4. n. 53.*

Modi diversi restituendi honorem.

113 Sed difficultas est in præsenti, quomodo honor ablatus restituendus sit? Plures modos Doctores assignant, quibus talis reparatio fiat, ni-

nimirum secundum suum statum, honorando injuriatum, antecedenter salutando, domi invisendo, ostendendo extraordinariam benevolentiam, amica, & honorabili salutatione, vel compellatione ipsum honorando, adhibendo inhonoratum ad mensam, dando locum honorificum, illi propinando, vbi propinatio habetur, vt signum honoris: per reverentiæ exhibitionem, per capitis apertionem; assurrectionem, genuflexionem, & alijs modis. Quorum alij sufficiunt pro Superioribus respectu inferiorum, nobilibus erga plebeios; alij pro æqualibus, alij pro inferioribus erga Superiores. Quod sanè prudentis arbitrio ponderandum est, quando vnus, vel alius modus sufficiat, attentis circumstantijs, & persona inhonorata, ac inhonorante. Minor enim satisfactio requiritur in æquite respectu plebei, quem contumelia affecit: in superiore respectu inferioris, quem similiter inhonoravit: in parente respectu filiorum, in domino respectu servorum, ac respectu vxoris in marito. Omnia denique per regulas prudentiæ pensanda sunt. Et (vt vno verbo dicam) illa satisfactio erit semper sufficiens, quæ prudenter judicatur sufficere ad manifestandam æstimationem internam de persona offensa, non obstante manifestatione contraria per contumeliam exhibita.

Per veniæ petitionem optimus modus est restituēdi honorem.

114 Inter omnes autem modos honorem compensandi, aptissimus est per veniæ petionem, vt docet D. Augustinus in sua regula; quia cùm contumeliator superiorem se gesserit, alterum subigens, & eius dignitatem diminuens, nolensque debitam exhibere reverentiam, non alio modo melius inæqualitas facta ad æqualitatem reducetur, quàm se humiliando, & suppliciter veniam petendo: id quod omnes asserunt. Cæterùm talis modus necessarius non est, nisi quando aliter non potest compensatio fieri; quia justitia solùm petit, quòd damnum illatum compensetur ad æqualitatem; non verò quòd hoc fiat illo, vel illo modo ab injuriato petito; sed alijs modis potest honor ad æqualitatem multoties restitui: ergo non erit necessarium, quòd hoc fiat per veniæ petitionem, quando aliter fieri potest. Sic Petrus de Ledesma *tom.2.tract.8.cap.7.concl.* 8. Caietanus 2.2.*quæst.*72.*art.*3.& *tom.* 1.*opuscul.tract.*31.*resp.* 13. Lessius *lib.*2.*cap.*11.*dub.*27.*num.*144. Villalob. *tract.*11.*diffic.*42.*num.*7. Bañez 2.2. *quæst.*62.*art.* 2.*dub.*11.*fine.* Prado *cap.*18.*quæst.*6.*§.*2.*numer.* 9. Trullench *lib.*6.*cap.*10.*dub.*31. *num.* 5. & 10. Bonacin. *disp.*2.*quæst.*5.*punct.*2.*num.*5. Dicastill.*lib.*2. *tract.*2.*disp.* 12. *num.* 362. Rebellus 1. *part. lib.* 4. *quæst.*6.*art.*3.*ad* 5. ¶ Qui omnes dicunt, non esse necessarium Prælatos, qui contumelijs subditos affecerunt, veniam petere: *Ne dum nimium servatur humilitas* (vt inquit D. Augustin. *in regula*) *regendi frangatur authoritas.* Idem de Magistris respectu discipulorum, de parentibus respectu filiorum, dominis respectu famulorum, viris respectu vxorum (quamvis hos multoties non obliget restitutio, nimirum parentes, dominos, viros, etiamsi alapis, verberibus, contumelijs, filios, servos, & vxores afficiant, si id faciunt correctionis gratia, etiamsi in modo aliquantulùm excedant:) & de alijs superioribus respectu inferiorum, & de nobilibus erga plebeios; qui alio modo, quo ex supra enumeratis possunt arbitrio prudentum suæ satisfacere obligationi. ¶ Sed monent Lessius, Rebellus, & Villalobos, quòd si inferior, vel æqualis nequit alio modo satisfactionem exhibere, nisi veniam petendo, non potest satisfacere per pecunias, si offensus hac satisfactione contentus non sit, nisi per veniæ petitionem, quam potest, & debet exhibere; quia satisfactio in eodem genere bonorum debet fieri, quando id non est impossibile.

Non semper veniæ petitio est sufficiens satisfactio pro honore læso.

115 Sed gravis restat difficultas, an semper veniæ petitio sit sufficiens satisfactio pro quacumque injuria, ita vt offendens ad nullam aliam satisfactionem teneatur in conscientia? Affirmat prima sententia, etiamsi injuria atrocissima sit, & viro nobilissimo facta, nisi per sententiam Iudicis alia maior satisfactio assignata fuerit; quia sic moribus gentium est receptum, vt etiam pro summis injurijs non teneatur quisquam sponte sua aliam satisfactionem maiorem exhibere, quàm se humiliare injuriato, & ab eo venium exigere. Sic Lessius *supra num.* 145. Bonacina *num.*5. Trullench *num.*8. Barthol. à Sancto Fausto *disp.*22.*quæst.*15.*num.*9. ¶ Sed negativa sententia tenenda est, quando injuria est gravissima: vt si colapho, aut fuste virum nobilem percutias, non satisfacies sola petione veniæ, quam propter aliam minorem injuriam exhibere deberes; sed etiam ante Iudicis sententiam in conscientia teneris reddere maiorem satisfactionem, nimirum vel flexis genibus ante illum veniam petere, vel alijs signis externis dolorem, & pœnitudinem indicantibus, & humiliationem significantibus arbitrio prudentum: quia justitia ex natura sua obligat ad æqualem satisfactionem: non autem est æqualis satisfactio petitio veniæ cum gravissima injuria eximio viro irrogata, cùm hæc cum alijs inferioribus injurijs habeat æqualitatem: ergo per illam solam tuæ obligationi non satisfacies, sed ad maiorem satisfactionem teneris. Sic Rebell.*n.*6.Soto *loc.cit.ad* 5.*§.Sed de hac.* Serra 2.2.*q.*62.*art.*2.*dub.*4.*concl.*3. Ledesm.*suprà concl.* 8.Villalob.*n.*7.Lug.*n.*57.Prado *n.*14.

Inhonoratū familiariter tractare offensorem, nō est sufficiens signum remissionis.

116 Quomodo autem excusetur aliquis à dicta exhibenda satisfactione; & an pecunijs compensare debeat honorem ablatum, quando id alia via facere non potest, dicemus *puncto sequenti*, agentes de restitutione pro infamia, quia eadem est vtriusque ratio. Hìc solùm notandum est, non censeri remissam restitutionem honoris, si inhonoratus valde familiariter conversetur cum eo, à quo contumeliam accepit, nisi manifesta signa remissionis exhibuerit; vt si sponte sua ad eum accederet, valdeque familiariter, ac jocosè cum eo tractaret, & alia manifesta signa reconciliationis, & remissionis præberet: quia sicut familiaris tantùm conversatio non sufficit, vt quis debitum pecuniarum censeatur remittere: sic nec sufficiens est, vt debitum honoris, quod magis æstimatur, censeatur condonare. Multi enim, vel quia vivunt cum injuriatore; vel quia eo indigent, vel vt prudenter se gerant, & notam, & scandalum evitent, dissimulant; tametsi debitum ob injuriam acceptam non condonent: nam licèt odium deponant, &, vt lex charitatis petit, veniam in corde concedant; non tamen volunt jus amittere, vt sibi honor ablatus restituatur, quod cum charitate christiana non est incompatibile. Sic Bonacin. *disp.*2.*q.*5.*punct.*2.*n.*6.Dicastill.*lib.*2.*tr.*2.*disp.* 12. *n.*379. Trullench *lib.*7.*cap.*10.*dub.*31.*n.* 13. Petrus Navarra *lib.*2.*cap.*4.*n.*524.Saytus *in Clavi Reg. lib.* 11.*cap.*8.*n.*14.

PUNCTUM IX.

De Restitutione famæ per detractionem ablatæ.

117 CErtum est apud omnes, famam ablatam per detractionem deberi ad æqualitatem, quantum fieri potest, restitui, sive talis fama ablata sit falsum crimen imponendo, sive verum crimen occultum contra justitiam manifestando: quia proximus jus habet ad suam famam, quandiu eius crimen manet occultum: ergo qui contra tale jus eum infamat, detegendo defectum occultum, & multò magis falsum imponendo, operatur contra justitiam commutativam; & sic tenetur integrè inæqualitatem, & injustitiam factam ad debitam æqualitatem reducere. Hoc omnes Doctores concedunt; sed circa tria est difficultas à nobis in præsenti decidenda. Primum, quando restituere teneatur detractor? quantum? & coram quibus? Secundum, quomodo fama ablata per detractionem debeat restitui? Tertium, quibus casibus à tali restitutione facienda excusetur? quod tribus paragraphis explicabimus.

§. I.

Quomodo detractor teneatur restituere? quantum? & quibus?

Referuntur casus, quibus detractor restituere non tenetur.

118 DUo sunt, quæ detractor tenetur restituere, nimirum famam, & damna, quæ ex infamia proximo sequuntur. Sed, vt horum restitutionis obligationem subeat, requiritur, quòd gravitèr peccaverit detrahendo contra justitiam. Si enim vel absque peccato alterius crimen detexit, & alterum infamavit, vt Iudex, qui per sentẽtiam justam reum infamavit, vel quia accusationem, vel delationem exhibuit, & alij omnes, de quibus diximus *punct.* 5. non peccare contra justitiam crimen alterius detegendo, non tenetur restituere. Nec si peccavit contra justitiam, leviter tamen, in casibus ibidem positis: quia obligatio restitutionis orta non ex contractu, vel ex re accepta, sed ex injusta actione (qualis est ista) non consurgit, nisi ob peccatum grave, vt *cap.* 1. *huius tract. num.* 16. diximus. Ac denique licèt gravitèr peccet, si solùm est contra charitatem, non contra justitiam, vt in casibus dicto puncto attactis, non obligatur ad restitutionem: quia sicut restitutio est actus justitiæ, non nisi ex violatione justitiæ consurgit eius obligatio, vt multoties ex communi sententia diximus hoc tractatu. ¶ Deinde, vt damna sequuta teneatur resarcire, debet vel in communi, vel in particulari prævidere eventura. Si enim nullo modo hoc prævidet, vel propter naturalem oblivionem, inadvertentiam, vel invincibilem ignorantiam non prævidit damna eventura; vel in communi, timendo aliquod damnum fore sequendum; vel in particulari, de hoc, vel illo damno recordans, non tenetur talia damna recompensare; quia quando damnum sequuturum, vel in communi, vel in particulari non prævidetur, non censetur voluntaria causa, quæ apponitur; & sic damnum ex illa non sequitur voluntarie. ¶ Ac tandem si vel infamia, vel damnum ex illa cum effectu non sequantur, vndecumque effectus impediatur, cessat obligatio restitutionis, quantumvis detractor illud sequi conetur: sicut fur non tenetur ad restitutionem, quantumcumque conetur ad furtum, nisi de facto sequatur. Quare si, te detrahente, non sequatur infamia, vel quia auditores non crediderunt, vel quia publicum erat, quod putabas occultum, vel quia infamatus parum curat, quod talia peccata de ipso sciantur, vel quia iam erat infamatus circa alia similia, & ideò parum, aut nihil famæ perdidit; ad nullam restitutionem teneris, vt omnes asserunt.

An qui materialitèr alium infamat, teneatur restituere?

119 Difficultas autem est, an quando solùm materialitèr contra justitiam alium infamasti, tenearis ad restitutionem famæ de facto læsæ, & aliorum damnorum, quæ de facto sequuntur ex tua detractione, vt contingit, quando bona fide procedis putans te alium non infamare? Quod contingere potest, vel quia putabas crimen esse publicum, quod narras, cùm tamen esset secretum; vel quia falsum dixisti, quod judicabas verum; vel quia per ignorantiam, vel inadvertentiam rem magni momenti propalasti, quam parvi esse judicabas; vel si Iudex injustam sententiam infamatoriam contra alium protulit, justam esse arbitrans; vel denique si narras de vno aliquem defectum, de quo absque injustitia dicere poteras, & auditores intellignnt de alio: in quibus casibus contra justitiam formalitèr non delinquis, sed tantùm materialitèr: quæritur, an tenearis ad restitutionem? Et ratio dubitandi est, quia obligatio restitutionis solùm ex tribus capitibus oritur, nimirum vel ex contractu, vel ex re accepta, vel ex injusta læsione. Hìc non datur contractus, nec res aliena accepta, cùm per alterius infamiam non fis ditior factus: nec injusta læsio, quia qui bona fide in sua actione procedit, non dicitur injustè lædere, ita vt obligetur ad restitutionem; vt qui hominem occideret putans esse feram, vel qui segetes vicini succenderet, suas esse arbitrans.

Tenetur restituere, qui etiã nesciens alium infamat.

120 Nihilominus dicendum est, te in dictis, & simillibus casibus teneri ex justitia famam alterius resarcire. Primò, quia qui retinet rem alienam, invito domino, eam tenetur restituere statim ac cognoscit esse alienam; sed in casibus dictis, quando tuum dictum non retractas, detines famam alterius, quia pravam opinionem ex tuo dicto causatam in aliorum mente relinquis: ergo teneris illam repellere aperiendo veritatem, quod non est propriè restituere (vt benè inquit Ledesma *infra citandus*) sed damnum inceptum interrumpere. Per quod ratio dubitandi dissolvitur, quæ solùm procedit de restitutione propria, non de interruptione damni alieni. ¶ Secundò, quia licèt ab initio non fuerit injusta actio, tamen si advertit, & non tollit eam, iam est injusta, cùm alij sua authoritate innixi illud malum credant de proximo, & sic eius dictum causa est, quod in tali existimatione permaneant; vnde est causa injusta talis malæ opinionis: ergò ex justitia tenetur eam avertere, aperiendo veritatem, vel pravum aliorum expellendo conceptum. ¶ Tertiò, quia justitia, non solùm obligat ad non inferendum damnum, sed ne ex tua actione damnum sequatur, vel conservetur: vt si absque culpa segetes, vel domum alterius incendis, teneris ex justitia, si commodè potest, statim ac damnum advertis, ignem extinguere: ergo similitèr, qui famam alterius absque culpa cœpit comburere, ignem infamationis tenetur extinguere, facien-

faciendo quod in se est, vt prava opinio concepta repellatur. Ita Layman *lib.3.sect.5.tract.3.part.2. cap.7.n.1.* Trullench. *lib.7.cap.10.dub.25.n.1.* Lug. *disp.15.sect.1.n.4.* Molina *tract.4.disp.40.n.3.* Bonacin.*disp.2.q.4.punct.6.n.11.* Lesius *lib.2.cap.11. dub.22.* Ledesma *tom.2.tract.8.cap.7. post primam concl.* Dicastillo ex parte, *lib.2.tractat.2.disput.12. num.164.*

Limitationes præcedentis doctrinæ.

121 Quamvis Lesius, Trullench, & Bonacina dicant, quòd in casu illo,quo quis de vno diceret, & præsentes intelligerent de alio, solùm ex charitate, non ex justitia deberet revocare dictum, & infamiam interrumpere.Sed inconsequenter hoc dicunt: nam in omnibus dictis casibus eadem currit ratio, vt consideranti constabit. ¶ Advertunt autem omnes hi Authores, esse minorem obligationem restituendi in eo, qui bona fide aliquo ex modis dictis alium infamavit; ac in eo, qui formaliter contra justitiam id fecit: & ideò licèt iste teneatur cum detrimento suæ famæ, & bonorum fortunæ, & aliquando etiam vitæ, famam restituere, ille nunquam cum magno incommodo ad id obligatur, sive in fama, sive in vita, sive in bonis divitiarum; sed solùm quando commodè potest: & etiam quòd ille tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ infamato ex suo dicto sequuntur, vt postea dicemus; hic verò minimè,ad hæc resarcienda tenetur: quia cùm voluntariè alium non infamavit, damna inde sequuta non imputantur illi. Sed si postquam advertit alium ex suo dicto infamatum, non occurrit, vt infamiam avertat, cùm commode potest, & est in mora reddendi, tenetur de mamnis, quæ ex tali detentione injusta obveniunt alteri.

Detractor coram quibus tenetur restituere?

122 Sed rogabis primò, an infamator, non solùm teneatur famam restituere coram illis,in conspectu quorum detraxit; sed etiam coram alijs, quibus tale malum auditores detexerunt?Respondetur,quòd si auditores immediati detractoris viri erant,de quorum secreto ille non dubitabat, non tenetur ad amplius,quàm ad restituendum famam coram illis,quibus ipse dixerat:nam respectu primi revelantis damnum casuale censetur infamia dispersa per alios. Sed si crimen falsum, vel verum occultum in præsentia illorum narravit, quos sciebat, vel dubitabat idem crimen alijs revelaturos, tenetur apud omnes, si illi non restituant, cùm sua detractione fuerit causa efficax,quòd apud omnes diffundatur. *Fama* quippe (vt dixit ille) *vires acquirit eundo*; & quò magis pergit, magis crescit,& invalescit. Vnde sicut qui hæreditati alterius ignem applicuit, de toto damno tenetur, si partes priùs succensæ alias concremant; ita in præsenti.Quod docet Bonacin.*disp.2.quæst.4.punct.14. num.1.&* 2.Rebellus *lib.4.quæst.12.n.4.* Villalobos *tract.11.difficult.37.n.11.* Petr.Navar.*lib.2.cap.4.n. 432.* Trullench *lib.7.cap.10.dub.2.n.5.* Turrianus *in præsenti, disp.53.dub.2.n.9.* Diana *2.part.tract.5. Miscel.resol.34.*

Detractorē solùm coram immediatis auditoribus restituere teneri,sunt qui dicunt.

123 Cæterùm improbabile non est, quod docet Lugo *tom.1. de Iustit. disput.5.sect.2.num.26.* referens Philippum Fabrum *de Restitut. in 4. sentent. distinct.15.quæst.3.disput.53.cap.1.num.* 37. non teneri detractorem, nisi apud immediatos auditores alterius famam resarcire. Tùm, quia sic habet praxis omnium Confessariorum, qui ad hoc solùm obligant pœnitentes, vt apud immediatos auditores se retractent; & pœnitentium, quia sive ante, sive post confessionem suæ obligationi satisfacere videntur, si apud solos immediatos auditores famam alterius resarciant. Tùm etiam; quia impossibile videtur moraliter, quòd apud omnes satisfaciat; quia verba in infinitum promulgantur,alijs,& alijs referentibus. Tùm denique, quia eo ipso, quòd apud immediatos auditores detegat falsitatem, videtur illis committere, vt ipsi hanc suam retractationem apud alios divulgent, quibus illi fortasse peccatum manifestaverunt; & ipsi videntur hoc onus in se suscipere, cùm detractor nesciat, quæ sint illæ personæ, apud quas illi de tali crimine sunt loquuti. Et certè tenentur ipsi hoc onus suscipere, cum detractor ad summum in defectum illorum teneatur. Vnde videtur detractor satisfacere suæ obligationi, si coram immediatis auditoribus famam alterius conetur resarcire. Exemplo illius, qui apud alios errorem docuit, v. g. in sermone, non esse jeiunandum tali die; qui satisfacere creditur, si apud eosdem contrarium doceat, tametsi contingat auditores iam apud alios doctrinam illam disseminasse.

Detractor; præter famā, omnia damna sequuta tenetur restituere.

124 Rogabis secundò,an detractor injustus non solùm teneatur restituere famam læso, sed omnia damna, quæ ex tali infamia fuerunt cum effectu sequuta? Respondetur affirmativè, sive damnum fuerit positivum,sive privativum, dummodò per se ex tali infamia sequatur (si enim per accidens consequatur, vt si alius mœrore confectus moriatur, aut desperatus se occidat, ad hæc damna, quæ sunt omninò accidentalia, non tenetur,) v.g.imposuisti alteri homicidium, & ob hoc suspenditur, teneris sicut homicida, ad damna, quæ ex tali morte sequuntur. Imposuisti, vel detexisti injustè furtum, ob quod alius damna in bonis fortunæ patitur, illa teneris restituere. Adulterium mulieris verum, vel falsum viro narrasti, ob quod ab illo occiditur, teneris damna mortis restituere. Et ratio est,quia per tuam injustam detractionem fuisti causa horum damnorum, & sic omnia tibi imputantur; quia ille damnum feciisse censetur, qui illius causa fuit. Imò si causa fuisti, ne alius consequeretur legatum, officium, vel beneficium: si de puella turpitudinem publicasti, ob quod illa competentes nuptias non invenit: si de paupere defectum occultum, ob quod ille assueta eleemosina privatur, teneris hæc omnia restituere, quanti valebat spes obtinendi illud bonum, vel beneficium. Quia (vt dixImus *cap.1.num.98.*) qui injustè alium impedit ab alicuius boni consequutione,tenetur illud damnum resarcire Sed non in totum, quia bonum in spe minùs valet, quàm in re, sed quantum spes obtinendi illud æstimatur. Petrus de Ledesma *tom. 2.tract.8.cap.7.concl.1.* Layman *lib.3.sect.5.tract.3. part.2.cap.7.n.4.* Petr.Navar.*lib.2.cap.4.n.384.* Bonacin.*disp.2.q.4.punct.16.n.1.& 2.* Lesius *lib.2. cap.11.dub.19.n.101.* Lug.*disp.15.sect.2.num.31.* Molin.*disp.45.n.3.* Sayrus *in Clavi Reg.lib.11. cap. 3.num.17.* Trullench. *lib.7.cap.10.dub.20. num.3.* Salon 2. 2. *quæst.62. art.2.controv.20.fol.225.* Dicastill. *lib.2.tract.2.disp.12.num.272.* Reginald. *lib.10.n.335.* Sed hæc intelligenda sunt, vt diximus initio huius puncti, modò in communi, vel particulari talia damna sequuta prævideret, vel de hoc dubitaret.

Aliqui dicũt detegentem verũ crimẽ, non teneri integrè restituere sequuta damna.

125 Sed est modò difficultas, an qui infamavit alium, verum crimen occultum detegendo, teneatur integre prædicta damna restituere. Et quidem dubium non est, omnia integrè debere resarcire, si per impositionem falsi criminis alium infamavit. Negativè respondent Soto *lib.1. quæst.*

7. *art.* 3. *ad* 4. cuius sententiam probabilem dicit Trullench *suprà n.* 4. & Bonacin. *n.* 1. quatenus oppositam, quam ipse sequitur, dicit probabiliorem: & non ait improbabilem Lessius, *num.* 103. qui dicit multos recentiores illam tenere, sed nullum refert in particulari. Asserit ergo Soto, eum qui verum crimen, sed occultum detexit, teneri solùm ad partem damnorum, quæ ex infamia sequuntur arbitrio viri prudentis. Et probat sic: quia tale damnum non solùm videtur ex manifestatione provenire, sed etiam ex ipso vero crimine commisso; & manifestatio solùm fuit causa, quòd crimen adduceretur in cognitionem: ergo partim debet correspondere damnum manifestanti, partim ei qui crimen commisit. ¶ Et confirmatur: quia minus est occultum crimen revelare, quàm falsum imponere: quia qui falsum imponit, & crimen impingit ei, quem innocentem cognoscit, & eum infamat, quando eius defectum alijs persuadere nititur; hoc solùm secundum facit, qui verum crimen occultum detegit: minùs ergo tenetur restituere, quàm ille.

Injustus detractor, etiàsi verũ crimen detegat, tenetur integrè restituere.

126 Sed contrarium tenent omnes citati *n.* 124. & merito docent, talem detractorem totum integrum damnum teneri restituere, si ex sua revelatione cum efficacia sequatur. (Hoc dicimus, quia si aliunde esset sequuturum, eo quòd delictum, quod detegit, esset proximè revelandum, vel de facto ab alijs fuit revelatum, & ex eorum revelatione damnum sequutum, non tenebitur ad totum, sed vel nihil, vel juxta tantitatem influxus.) Et ratio est, quia talis revelatio fuit totalis causa damni sequuti: tùm, quia crimen non esset causa damni, nisi accederet cognitio; quandiu enim occultum remanet, in ordine ad causandum damnum, est quasi non esset; & ideò si non manifestaretur, etiam adstante crimine, minimè damnum illud sequeretur. Tùm etiam, quia sicut tota combustio tribuitur ei, qui consopitum ignem excitavit, & applicuit paleis, seu ligniş ex quibus, flante vento, tota domus combusta est, quæ aliàs non combureretur; ita damnum ex crimine occulto proveniens imputatur manifestanti, qui illud revelavit, & sic causa fuit, quòd ad vltimum effectum veniret, ad quem non veniret, si sub cineribus conservaretur.

Obligatio restitutionis, quam habet detractor, nõ trãsit ad hæredes.

127 Rogabis tertiò, an si detractor ante restitutionem moriatur, obligatio restituendi transeat ad hæredes eius? Respondetur negativè, quoad obligationem restituendi famam: & affirmativè, quoad obligationem alia damna sequuta ex infamia resarciendi. Ratio primi est, quia obligatio restituendi famam est debitum personale; quia non est ad aliquid dandum ex bonis, sed ad aliquid ex persona agendum; & sic non afficit bona, in quibus succedunt hæredes, sed personam: vnde sicut isti non tenentur vota personalia defuncti adimplere, sic nec debitum restitutionis famæ. Ratio secundi est, quia obligatio resarciendi damna sequuta non est propriè personalis, sed afficit quodammodò bona infamatoris: & sic cum ea affectione, ac proinde cum onere restituendi, transeunt talia bona ad hæredes. Quemadmodum si quis domum alterius injustè incendisset, ob quod teneretur ex bonis suis damnum illatum satisfacere, ipsius hæredes, qui in sua bona succedunt, deberent dictum damnum resarcire, sic in præsenti. Et ideò si is, qui damnum passus est, mortuus fuerit, restitutio famæ ipsi est facienda; quia adhuc defunctus retinet jus ad famam, & illi est restituendum id, in quo sive vivus, sive mortuus fuerit læsus; sed damnorum, quæ sequuntur, restitutio facienda est eius hæredibus, qui in omnia jura defuncti succedunt. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 426. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *n.* 280. Navarr. *cap.* 18. *n.* 45. Lugo *disp.* 15. *sect.* 1. *num.* 8. Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 24. *n.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 21. *n.* 113. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 4. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 11. *diffic.* 40. Salon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *controv.* 21. Bonacin. *disp.* 2. *q.* 4. *punct. vltim. num.* 15.

§. II.

Quomodo facienda sit restitutio ab eo, qui falsum crimen imposuit, vel occultum verum revelavit?

Regula generalis statuitur.

128 MAior difficultas est in explicando modo, quo fama injustè ablata est restituenda, & maxima est in ipsa exhibenda restitutione, quæ vix vnquam ad effectum reducitur. Et præcipuè hæc difficultas vrget, quando verum est crimen, quod detegitur. Circa quod sit generalis regula, quòd sive sit verum, sive falsum, quod dictum est, ille est aptior modus restituendi famam, vt docet Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 2. qui melior reputatur apud eas personas, apud quas est aliquis diffamatus, vt ex illarum mente prava æstimatio concepta evellatur: & sic id, quod sufficit, attentis omnibus circumstantijs arbitrio prudentum, vt talis opinio tollatur, sufficit, vt fama debitè restituatur: nam cùm infamia sit illa prava opinio, quam alij concipiunt, hac evulsa, manet infamia dissipata, & fama ad statum debitum reducta. Sed quia infamia inducitur, vel per crimen impositum, vel per occultum revelatum, videamus in particulari, quibus modis sit restituenda in vtroque casu.

Qui infamavit, falsũ crimen imponendo, tenetur retractare teste.

129 Qui falsum crimen alteri imposuit, si alia via non potest aliorum opinionem pravam avertere, tenetur retractare quod dixit, dicendo, se falsum dixisse, vt inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 2. & eum eo omnes. Et si simplici retractationi alios non credituros timeat, debet juramentum addere; quia ex justitia tenetur remedia necessaria, & non admodum difficilia adhibere ad integram famæ restitutionem: ergo si alia via eam facere non potest, istud medium debet assumere, quod non est admodum difficile, & extraordinarium, sed ipsi naturæ rei intrinsecum. Imò si retractatio, & juramentum non sufficiant, tenetur testes veritatis, si invenerit, adhibere, quia efficacem revocationem debet apponere. Sic Villalob. *tract.* 11. *diffi.* 37. *n.* 2. Diana 2. *part. tract.* 5. *Miscel. resol.* 29. Soto *lib.* 4. *de Iustit. quæst.* 6. *art.* 3. Bonacin. *disp.* 2. *q.* 6. *punct.* 15. *n.* 4. Lugo *disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 26. Quamvis aliqui hoc, quod est testes adhibere, negent esse necessarium, etiamsi alij non credant; quia si retractationi, & juramento non creditur, malitiæ auditorum debet attribui, cui solùm illa siniştra opinio imititur; ideò illa infamia non provenit ex dicto detractoris, sed ex aliorum malitia. Et D. Thomas solùm dixit, debere se falsum dixisse asserere, non verò testium meminit. Sic Philippus Faber *de Restit. in* 4. *sentent. dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.* 53. *cap.* 1. *n.* 32. Navarr. *cap.* 17. *n.* 95. Petr. Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 378. Sayr. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 27. Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 21. *num.* 1. Dicastill. *lib.* 2. *tract.*

tr.2.disp.12.n.258. Sed si retractationi, juramento, & testium depositioni alij non credant, talis existimatio provenit ex eorum malitia, & sic ad amplius infamator non tenetur. Imò nec retractare suum dictum, si notabile damnum in fama subeat, modo quo *§.seq.* dicemus.

Diversi modi, quibus restitui potest fama per detectionem veri criminis ablata.

130 Magna est inter Doctores varietas, & confusio circa modum restituendi famam ablatam, ob detectionem veri criminis. Vt veritati, & claritati consulamus, tres modos eligimus, quos ponit Sapientissimus Petr. à Ledesm. *tom.2.tract.8. diff. 7. concl.1.* Primus est, quem assignat D. Thom. 2.2. *q.62.art.2.ad 2. Quod dicat se malè dixisse : vel quod injustè eum diffamarit, vel si non potest famam restituere, debet ei aliter recompensare, &c.* Sed hic modus, vt notat ibi Caietan. & Ledesm. & communiter Thomistæ, illo tempore D. Thom. sufficiens erat, quando non tanta malitia erat in mundo; & modò apud simplices, & rudes etiam sufficiens judicatur, vt inquit Less. Cæterùm, quia malitia crevit, & plures ex illo modo potius colligerent detractorem verum dixisse, & postea, conscientia stimulante, hoc modo velle retractare, quo modo potiùs infamia confirmaretur, quàm tolleretur; ideò cautè est illo vtendum, maximè apud doctos, & peritos, qui modos restituendi non ignorant; ne vbi medicina paratur, damnum irreparabile causetur. ¶ Secundus modus est, quem Caietanus loco citato assignat, & omnes, vt aptissimum, amplectuntur: nimirùm, quòd si restitutio alio modo facta esset novum nocumentum inducere, melius erit tacere, & occasionibus oblatis verè, seriò, & ex animo, & sine vllo signo restitutionis præclarè loqui de læso, cum illo honorificè agere, de alijs virtutibus eum laudere: & pluries asserere, illum probum virum, & modis omnibus dare operam, vt talis ab alijs habeatur.

Sententia asserens, non posse dicere se falsum dixisse detractorem, qui verum crimen revelavit.

131 Sed si duplex modus recensitus insufficiens ad intentum judicetur, adhibendus est tertius modus, quo dicat se nesciviss quod dixit, se deceptum fuisse, se falsum dixisse, ista, vel simili forma: *Quando illud dixi, putabam me verum dicere, sed, re melius inspecta, reperio me falsum dixisse.* Sed circa istum modum non modica est inter Authores controversia, an detractor illum possit, & teneatur adhibere, quando alios judicaverit insufficientes? Negant plures, & gravissimi Doctores, qui asserunt hoc medio vti esse illicitum, ideòque sufficere, si infamatum laudibus extollat, apud alios honoret, virtutes illius detegat, dummodò id faciat seriò, & absque periculo cognitionis, quòd id propter restitutionem facit. Et probant hac ratione, quia dicere se falsum dixisse, vel se mentitum esse, quando verum crimen aperuit, est mendacium. Si quidem verum erat, quod dixit, & à se cognitum, quamvis injustè egit detegendo, quando erat occultum: sed mendacium semper est malum intrinsecè ex natura rei: ergo ad nullum bonum potest deservire. Quod autem sit mendacium semper ille modus loquendi in casu nostro, probatur: quia licèt aliquando liceat æquivocatione vti, aut ambiguitate; istæ tamen voces nullam habent, nec in Latina, nec in Hispaniæ lingua, quia dicere mendacium communi sensu est contra mentem ire: & ille contra mentem non est loquutus, quando sciebat verum esse quod asserebat: dicere falsum est aliter dicere, quàm res se habet, quod in præsenti non invenitur, nec alius sensus in his verbis esse potest sine mendacio: ergo illis vti non potest, & sic non tenetur ad restitutionem famæ illo modo faciendam. Ita Soto *lib.4.q.6.art.3.ad 4. §. Verumtamen*, Cajet. 2.2.*q.62. art.2.ad 2. §. In eadem*, Bañ. *ibi dub.8.concl.3. §.3. modus*, Aragon. *super eundem articulum*, Azor. 3.*p.lib.5. cap.9. q.7.* Silvius 2.2.*q.62.art.2.q.22.* Bonac. *disp.2.q.4. punct. 15.n.2.* Tolet. *lib.5.cap.70.n.1.* Armill. verb. *Restitutio, n.41.* Sylvest. verb. *Mendacium*, verb. *Juramentum 3.q.2.* & verb. *Detractio.* Dian. referens plures alios DD. *tom.2.Miscel.tr.5. resol.30.* & probabilissimum dicit Fr. Ioan. Martin. à Prad. *tom.2.cap. 18.q.5.n.4.fine, & n.13.* Et non teneri vti huiusmodi verbis amphibologicis, ait Less. *lib.2.cap.11. dub.20.n.110.* Et videtur esse D. Thom. pro hac sententia 2.2. qui *q.62.art.2.ad 2.* ita dicit: *Tertio modo, verum dicendo, sed injustè, putà cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum; & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen, vtpotè quòd dicat se malè dixisse, vel quod injustè eum diffamaverit.* Idem habet *in 4. distinct.15.q.1. art.5. quæst.2. ad 1.*

Quid sentiat D. Th. circa præsentem quæstionem.

132 Sed certè D. Thom. minimè huic sententiæ, opitulatur: quia aliud est, quòd cum mendacio non possit famam alterius diffamator restituere (quod omnes Catholici asserunt, cùm mendacium sit ex his malis, quæ nulla ratione honestari possunt) aliud, quòd dicendo in nostro casu se falsum dixisse, se erasse, se mentitum esse, mentiatur. Primum dicit D. Thom. fieri non posse, quod nemo negat: non asserit secundum; sed non esse mendacium, est eius doctrinæ valde conforme: nam 1. *p.quæst.17.art.1.* ait: *Ipsa peccata falsitates dicuntur in Scripturis, secundum Psal.4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Igitur cùm injustus detractor, etsi verum dicat, detrahendo peccaverit, non mentitur, si dicat se falsum, aut mendacium dixisse, cùm omne peccatum secundùm Scripturam sit mendacium. Fatemur, itaque, quod mentiendo non potest famam restituere, sed potest, & debet quocumque alio modo, qui non sit mendacium, vt D. Thomas tradit loco *ex 4. sentent.* citato, vbi dicit: *Injustè aufert, etiamsi verum sit, quod dicit: & tunc tenetur ad famæ restitutionem, vel dicendo se falsum dixisse, si falsum dixit; vel quocumque alio modo, non mentiendo, si verù dixit: sine hoc tamen, quòd se mendacium dixisse dicat, quia non debet alterius famam cum mendacio restituere.*

Potest dicere injustus detractor sine mendacio, se falsù dixisse, mentitum esse.

133 Cum ergo asserat D. Thomas, posse, & debere famam restitui omni modo possibili absque mendacio, asserendum est, eum, qui verum dixit, sed injustè, posse, & debere (quando alijs modis enumeratis non potest sufficienter famam ablatam restituere) dicere se deceptum fuisse, quando talia dixit: omnis enim, qui peccat, à dæmone, vel à sua passione decipitur: se erasse, quia omnis, qui peccat, errat: & dicere cum illis peccatoribus potest: *Ergo erravimus*; se nesciisse quod dixit, quando talia protulit: quia quod aliquis scit, & non potest revelare, se nescire illud potest asserere, hoc est, ad revelandum, juxta illud *Marci 14. De die autem illo nemo scit, nec filius hominis*: hoc est, ad revelandum eum, vt omnes Interpretes asserunt: se mentitum fuisse, quia præter hoc, quòd ipsum peccatum mendacium dicitur in Scriptura, vt dicebamus, loquutus

est

est contra dictamen practicum, contra quod non esse loquendum in tali casu monebatur, & practicè esse loquendum asseruit, vel consensit; & sic loquutus est practicè contra mentem. Vndè practicè commisit mendacium, & falsum dixit: omnes enim, qui peccant; specialitèr lingua, mendaces sunt, & sic falsum dicunt. Ierem. 8. *Apprehenderunt mendacium*, id est, peccatum: & infrà: *A Propheta vsque ad Sacerdotes omnes faciunt mendacium*, hoc est peccatum. Ex his modis potest commodiori, & efficaciori vti. Nam licèt mendacium sit vti verbis præter eorum significationem, retorquendo ad alium sensum cum restrictione merè interna; quando tamen verba ex se sunt ambigua; & vnum, & alterum sensum possunt habere, ex justa causa possunt vsurpari in alio sensu ab eo, quem auditores suponunt. Ita Villalob. *tract.* 11. *diff.* 37. *n.* 5. *fin.* Sayr. *lib.* 11. *cap.* 3. *à n.* 21. *vsque ad* 29. Prad. suprà, *q.* 5. *n.* 7. Petrus Navar. *lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 3. *dub.* 5. *n.* 243. Sanch. *in Sum. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 13. & 15. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 21. *n.* 13. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 6. Ledesm. *tom.* 2. *tract.* 8. *diff.* 7. *concl.* 3. Tapia *lib.* 5. *q.* 27. *art.* 2. *n.* 3. Lugo *disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 30. Serra 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 3. *fol.* 88. & alij.

§. III.

In quibus casibus à restitutione famæ excusetur injustus diffamator?

Plura; quæ excusant, à restitutione famæ.

134 PLura sunt, quæ excusare possunt à famæ restitutione. Alia, quæ detractionem excusant à peccato, quia absque injustitia ab aliquo dicuntur. Alia, quæ licèt non à peccato excusent, non sunt contra justitiam, sed contra charitatem. Alia, quæ licèt sint contra justitiam, quia ledunt levitèr famam, & sic sunt veniale peccatum; non tamen inducunt obligationem restitutionis: de quibus omnibus diximus *punct.* 5. Excusatur etiam, quando de facto non sequitur effectus infamiæ; vel quia crimen erat iam publicatum; vel auditores non crediderunt detractori; vel infamatus de alio simili erat iam diffamatus, vt diximus initio huius puncti. Ac tandem impossibilitas restitutionis ab ea excusat; vt si tua culpa alius sit ita per diversas partes diffamatus, vt iam moralitèr sit impossibile talem infamiam dissipare: & tunc licèt non tenearis ad totum illud damnum resarciendum, quia ad impossibile nemo tenetur, seu (vt verius dicam) excuseris à totali restitutione ob impossibilitatem; teneris saltem quoad partem, & quoad totum, quod potest infamiam alterius minuere. Sicut qui non potest mille aureos, quos debet solvere, tenetur solvere centum, si potest. Sed veniamus ad alios casus particulares, de quibus est dubium, an excusetur à restitutione infamator?

Non tenetur detractor restituere cum magno incommodo suo.

135 Inquires ergo primò, an teneatur infamator restituere cum magno suo incommodo, & periculo? Respondetur, quòd si periculum imminens sit mortis, non tenetur; vt si se retractans, vel alio modo falsitatem, vel injustitiam manifestans, jacturam vitæ timeret: quia bona inferioris ordinis restituenda non sunt cum detrimento bonorum superioris ordinis; sed fama est bonum inferioris ordinis à vita: ergo, &c. Sed de hoc latè egimus *hoc tract. cap.* 1. *punct.* 17. & *cap.* 2. *n.* 77. quæ videnda sunt, & cum conditionibus ibidem dictis intelligenda. Excipe casum, in quo infamatus ob tuam injustitiam in eodem esset periculo mortis: vt si illi imposuisti esse hæreticum, aut proditorem, ob quam causam esset ad mortem condemnatus, tunc tenereris aperire veritatem, etiam cum periculo propriæ vitæ: quia in pari causa potior est conditio innocentis; & quilibet cum æquali suo detrimento tenetur alterius damnum resarcire, vt diximus *cap.* 1. *num.* 270. ¶ At tenetur infamator restituere, etiam cum detrimento proprij census, & bonorum fortunæ, si opus fuerit; vt si fuerit necessaria aliqua diligentia, aut iter facere cum sumptu pecuniarum, tenetur eas expendere ad effectum restitutionis: quia res inferioris ordinis debent famulari rebus ordinis superioris, & hoc etiam stando in ea sententia (de qua posteà) quæ dicit, non esse restituendam famam per pecunias, quando famæ restitutio est impossibilis: quia aliud est, quòd fama ipsa pecunijs compensetur: aliud quòd pecunia famæ restitutioni famuletur, & vt hic effectus sequatur, illæ expendantur, si opus fuerit. Hæc inter Authores sunt certa.

Nō tenetur cum magno infamiæ detrimēto.

136 Similitèr est certum apud Authores, teneri infamatorem restituere cum suæ propriæ famæ detrimento, si hoc non sit longè maius, quàm sit damnum infamiæ alterius: quia ipse, alterum infamando, amisit jus ad suam famam, cùm potior sit ratio patientis injuriam, quàm inferentis: & suæ culpæ imputare debet infamator, quòd cogatur retractare dictum cum propriæ famæ detrimento. Sicut si quis alteri damnum irrogavit in bonis fortunæ, tenetur illud compensare cum æquali, vel aliquantulùm maiori damno divitiarum. ¶ At verò si longè maius sit damnum infamiæ, quod infamatori sequitur per hoc, quòd retractet suum dictum, quàm sit illud, quod infamatus patitur: licèt aliqui asserant, etiam tunc ad restitutionem teneri, se modo dicto infamando: Verius crediderim esse oppositum: quia irrationabilitèr alius vellet, quòd cum tanto detrimento detractor famam restituat: sicut irrationabilitèr vellet quòd qui abstulit pecunias, cum longè maiore detrimento divitiarum sibi restituat, vt diximus *cap.* 1. *num.* 267. Tùm etiam, quia non servaretur æqualitas, quam petit justitia: vt si infamator esset Episcopus, Prælatus, vel alia illustris persona: & infamatus vir ignobilis, aut subditus, non teneretur infamator dicere se mentitum, aut dictum revocare cum tanto suæ famæ detrimento: & sic sufficit, quòd eum honoret, & laudet in eo genere virtutis, in quo alium infamavit. Et si per hoc non tollitur infamia, ad amplius non tenetur. Sic Tap. *lib.* 5. *q.* 27. *art.* 3. *n.* 2. Salon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *Controv.* 13. *concl.* 1. Bañ. *ibi*, *dub.* 9. *concl.* 2. Sot. *lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. *ad* 4. Lesi. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 23. *n.* 138. Reginald. *lib.* 19. *n.* 345. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *n.* 230. Rodrig. *tom.* 2. *cap.* 45. *concl.* 1. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 21. *n.* 4. & *dub.* 30. *n.* 8. Lug. *disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 29. Bonacin. *disp.* 2. *q.* 6. *punct. vlt. n.* 12. Ledesm. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 7. *concl.* 4. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 37. *n.* 33. & *diff.* 38. *n.* 3. Dian. 3. *p. tract.* 5. *Miscel. resol.* 29. Et licèt aliqui dicant teneri, oblata pecunia, remissionem à læso impetrare: alij verius id negant, propter ea, quæ *n.* 142. dicemus.

137 Inquires secundò, an si infamatus alia via suam famam recuperavit, teneatur restituere aliquid infamator? In quo certum est, quòd si illo tem-

Si infamatus integrè famam recuperavit, non tenetur infamator restituere.

tempore,quo famam non recuperavit, aliud damnum infamatus præter infamiam subijt, vt si privatus est officio, aut beneficio,si expensas in recuperatione insumpsit, tenetur infamator illud resarcire, nisi etiam cum fama amissum beneficium, vel officium recuperavit: quia illius damni fuit causa efficax, vt diximus *n.*124. sed loquimur de sola infamia. Ad quæsitum ergo dicimus, quòd si famam amissam integrè infamatus recuperavit,non tenetur infamator se retractare, aut alio modo famam restituere, quia iam restitutio facta est, & non est bis facienda: vt si equum abstulisti à Petro,& ille equus ad suum dominum, quacumque via, sine alicuius tamen detrimento, redeat, non teneris aliquid restituere : ita si infamatus suam famam recuperavit, vt si in ipsa probitate, & virtute sua infamiam abstersit ; si aliorum testimonio, vel ipsa experientia veritas est aperta. Si Petrum de concubinatu detractor infamavit, & videt auditores certificatos esse de opposito: si captum ab Inquisitoribus dixit hæreticum esse, & per publicam sententiam constat esse verè innocentem, non tenetur infamator amplius circa famam restituere. Sic Lug. *disp.* 15.*sect.* 3. *n.* 35. Tap.*lib.*5.*q.*27.*art.*2.*n.*5.Navar. *cap.* 18.*n.*47. Petr.Navar.*lib.*2.*cap.*4.*n.*421.Less.*lib.* 2. *cap.* 13. *dub.*17. Dicastill.*lib.*2.*tract.*2.*disp.*12.*n.* 183. Bonacin.*disp.*2.*q.*4.*punct.*12.*n.*1. Villalob. *tract.* 11. *diff.*37.*n.*6.Ledesm.*tom.*2.*tract.*8.*cap.* 7. *concl.* 4. Sed aliqui asserunt debere pro infamia, quàm illo medio tempore passus est, satisfacere per signa doloris, veniæ petitionem, vel per aliquem honorem, vel laudem, juxta conditionem personæ, si alius petat, aut credatur velle, alioquin censetur illud debitum condonatum:& hoc crederem saluberrimum consilium, saltem ad expiationem peccati,quod detractor committit per infamationem. Quamvis non desint,qui contra sentiant.

Si infamia sit oblita, non est restituendum pro ea.

138 Idem dicendum est, si arbitrio prudentum præterita infamia est penitùs oblivione consepulta, nec est periculum vt reviviscat, sive verum fuerit crimen impositum,sive falsum (quamvis damna à tempore illatæ injuriæ vsque ad oblivionem sequuta, sint restituenda) quia talis oblivio tollit damnum illatum ex narratione veri, vel falsi criminis; & quia velle, quòd tunc restitutio fieret,non esset aliud, quàm curare, vt vulnera, quæ consenuerant, reviviscant: quod potiùs esset damnificare, quàm restituere. Vnde,si multo tempore transacto, videt nullam mentionem illius criminis fieri, judicandum est esse oblivioni traditum. Ledesm. suprà, *concl.*4.Navar. *cap.*18.*n.* 47. Less. *dub.* 18. Trullench.*dub.*19.*n.*5. Lug.*n.*35.Dicastill.*n.*193.Bonacin.*punct.*13.*n.*1.Valent.*disp.*5.*q.*6.*punct.* 5. Rebellus *lib.*4.*q.*13.*n.*7.Tap.*n.*5.Molin.*tract.* 4. *disp.* 41.*n.*3. Nec tenetur (vt aliqui male opinantur) interrogare hos quibus narravit, an recordentur ; sed sufficit,si probabiliter judicet, illos esse oblitos: quia tali interrogatione fieri posset, vt refricaretur memoria criminis obliti. Aliqui ex his Authoribus petunt, quòd infamator sit certus oblivionis : nam in dubio melior est conditio innocentis. Sed alij melius sufficere dicunt opinionem probabilem oblivionis : quia etiam innocenti fieri potest injuria, si modo refricetur memoria eius, quod fortè erat oblivioni traditum. Fateor magna esse opus prudentia ; & quòd si certitudo adsit, quòd innocens non lædatur, in dubio oblivionis obligatur infamator omnia media adhibere, vt fama alterius incolumis conservetur.

Si delictum aliàs fiat publicum, nō tenetur restituere detractor.

139 Idem etiam dicendum est, casu quo delictum, quod tu detexisti, aliundè iam publicatum fuerit, quòd excusaris à restitutione famæ : quia in tali casu non magis teneris ad restitutionem, ac si tali statu famam alterius invenisses : cùm ergo, si à principio esset crimen publicatum, non tenearis restituere,etiamsi putans occultum esse, illud crimen detegeres; sequitur, te nec modò teneri ad restitutionem famæ.Sed obligatus eris omnia damna resarcire, quæ sequuta sunt infamato à tempore, quo tu crimen illius occultum propalasti, vsque ad tempus, quo factum fuit aliundè publicum. Sic Villalob.*tract.*11.*diff.*37.*n.*6. Trullench.*dub.* 19. *n.* 3. Tap.*lib.*5.*q.*27.*aat.*2.*n.*6.Lug.*disp.*15.*sect.*3.*n.*37. Less.*lib.*2.*cap.*11.*dub.*26.Petr.Navar.*lib.*2. *cap.* 4. *num.*198. Bonacin.*disp.*2. *quæst.* 6. *punct. vltim. num.*8.

Quibus casibus per pecuniam debeat fama cōpensari?

140 Inquires tertiò,an si famæ impossibilis sit restitutio, debeat damnum in fama illatum in pecunijs ab infamatore compensari? Supponimus, vt certum apud Authores, quòd si per sententiam Iudicis imposita sit aliqua pœna pecuniaria infamatori, vel si infamatus cum eo transigeret de aliqua pecunia solvenda, teneretur ex justitia infamator illam solvere : quia & Iudex potest illam justè imponere, sicuti aliam pœnam exilij, aut carceris;& justæ sententiæ Iudicis, quæ in alterius tertij commodum cedit, tenetur quilibet ex justitia obtemperare : & cùm infamatus jus habeat ad petendam suæ infamiæ satisfactionem, vt justam querelam deponat, potest cum eo paciscì de aliqua pecunia solvenda: & cùm pactum sit justum, ex justitia obligat illud observare. Imò etiam ex æquitate, absque sententia, & pacto, debere infamatorem, si dives sit, & infamatus pauper ; & credat illi gratum futurum, aliquam quantitatem pecuniæ reddere,si impossibilis sit famæ restitutio, omnes asserunt. Et sic congruentissimum erit Confessario huiusmodi infamatorem absolventi pro pœnitentia aliquam pecuniam imponere in vtilitatem infamati solvenda. Hæc communia sunt. Difficultas verò est, an,præciso pacto, & sentia Iudicis, teneatur ex justitia infamator, cui impossibilis est famæ restitutio, eam pecunijs compensare?

Sententia asserens famam debere compensari pecunia, cum impossibilis est restitutio illius.

141 Duplex in præsenti casu datur sententia, sicut suprà *cap.*2.*n.*77.agentes de eo,qui non potest pro vita ablata, vel membro satisfacere,an teneatur pecunijs injuriam reparare, duplicem sententiam retulimus : & qui ibi affirmativam sequuti sunt, hic consequenter eam amplectuntur, & dicunt debere pecunijs compensari famam, si in alio genere nequeat pro illa satisfieri. Et probant primo, quia fama est pretio æstimabilis, & sic potest compensari pecunia, quæ est pretium omnium rerum. ¶ Secundò, quia non ex eo quòd injustus detractor non possit famam restituere, debet manere omninò liber:quia tenetur facere quod potest, & aliquid loco illius reddere. ¶ Tertiò ex D.Thom. qui 2.2. *q.* 62. *articul.*2. *ad* 2. dixit : *Vel si non potest famam restituere, debet ei aliter compensare, sicut & in alijs dictum est* : nimirùm in solutione ad 1. vbi dixerat, quòd quando aliquid non est compensabile in suo genere, debet in alio genere,scilicet pecuniæ, compensari. Ita in præsenti Ledesm. *tract.* 8.*cap.*7.*diff.*2.*post* 7. *concl.fol.*379. *colum.* 1. Sylvius, 2. 2.*q.*62.*artic.*2.*quæritur* 22. Aragon, *eodem artic.*2.*ad* 2.Tap.*lib.*5.*q.* 27. *art.*4. *numer.* 2.

Sayrus,

Sayrus, *lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 25. & *cap.* 7. *n.* 26. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 5. Soto, *lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. *§. Quid autem*, Villalob. *tract.* 11. *diff.* 39. *n.* 5. Cordub. *de detract. membr.* 4. *q.* 3. *concl.* 9. *in* 2. *p. illius*, Rodrig. *cap.* 254. *concl.* 5. Covarr. 1. *Variar. cap.* 2. *n.* 8. & *regul. peccatum*, 1. *p. n.* 6. Quæ est sententia satis probabilis.

Fama pecuniam compensari non debet, etiam si non possibilis sit satisfactio.

142 Sed quia nos loco citato negativam partem sequuti sumus, etiam modò illam eligimus, & rationibus, quibus ibi illam probabimus, hæc potest probari, ibique mentem D. Thomæ cum verbis Magistri Bañez explicuimus. Nunc brevitèr probatur, quia sicut vita non est pretio æstimabilis, sic nec honor, aut fama, quæ sunt ordinis superioris ad pecunias; & sic superant omnem illarum solutionem: & si mille solvas, adhuc inferior debito manebis, idem si centum millia: non ergo est pecunia fama compensanda: aliàs è contra, qui non posset solvere pecuniam debitam, teneretur satisfacere, creditorem laudando, & honorando: quia non est ratio quare fama sit compensanda pecunia, & pecunia non possit compensari fama; quod tamen nullus admittet; alias fur, qui quando impotens erat solvere, debitum honoribus, & laudibus compensavit, si posteà potens redderetur, non teneretur solvere quod abstulit: quia, facta compensatione ritè, obligatio debiti cessat. Etiam sequeretur, quòd adultera, quæ honorem mariti læsit, teneretur, dotem illi relinquendo, honorem ablatum compensare: & qui in rebus spiritualibus alterum læsit, teneretur satisfacere illi pecunijs; quod nemo dicet. Siquidem si pecunia est omnium rerum pretium, non est cur sit illarum, & non istarum. Ratio autem à priori omnium est: quia justitia solùm obligat ad restituendum id quod ablatum est, vel æquivalens; sed pecunia nec est id, quod per detractionem aufertur, nec æquivalens famæ ablatæ: ergo justitia non obligat ad compensandum pecuniâ famam injustè læsam. Sic in præsenti Bañez *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 10. Sylvest. verb. *Detractio*, *quæst.* 4. Sà, verb. *Restitutio*, *n.* 55. Bonac. *disp.* 2. *q.* 6. *punct. vltim. n.* 14. Lefl. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 16. *num.* 92. Azor 3. *p. lib.* 5. *cap.* 9. *quæst.* 13. Navar. *cap.* 17. *num.* 92. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *num.* 227. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 18. *num.* 2. Reginald. *lib.* 10. *n.* 242. Dian. *p.* 2. *tract.* 5. *Miscel. resol.* 30. Lug. *disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 13. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 10. *num.* 239.

Quibus casibus infamiæ non liceat cõpensatio?

143 Inquires vltimò, an cessaret obligatio restitutionis pro infamia per compensationem, servata æqualitate? Casus est iste: Petrus te per detractionem infamavit, falsum imponendo, vel verum crimen occultum detegendo. Tu rursus infamasti eum eodem modo: an possit vnum pro alio compensari, ita vt in neutro detur satisfactionis obligatio? Tria sunt certa apud Authores in hac difficultate. Primum, quòd si detur inæqualitas in injurijs, non potest vna pro alia compensari: vt si tu illum in pluribus materijs infamasti, vel in vna gravissima; & ille te in vna tantùm materia non ita gravi: tunc omnes asserunt debere te illi restituere vsque dum maneat æqualitas: & tunc remanet quæstio præsens. Secundum, quòd si alius, qui te infamavit, velit tibi famam restituere, non poteris vti compensatione, etiamsi æqualitèr sis ab illo infamatus; sed debes admittere satisfactionem illius; & vicissim illi satisfacere: quia compensatio non habet locum invito alio, quando iste vult solvere, quod debet. Et ita si Petrus tibi debeat centum, & equum illius totidem valentem apud te habeas, non potes vti compensatione, si Petrus centum tibi debita vult solvere: aliàs cogeretur dominus rem suam vendere, se invito; quod est contra æquitatem. Tertium (quod apud omnes est certum) est, quòd famæ ablatæ compensatio fieri non potest per ablationem famæ alterius; vt si alius te infamavit, tu rursus illum infames: quia cùm alterius infamia ad tuæ famæ recuperationem nihil conducat, illum infamare non esset, sed vindictam de illo sumere, quod nemini licet propria authoritate; nec est malum pro malo reddendum, sed bono malum debet superari.

Obiectio cõtra dicta, & solutio illius

144 Sed objicies quòd possum auferre pecunias, & vti occulta compensatione, quando aliter non possum debitum pecuniarium recuperare, debitis servatis conditionibus, de quibus diximus *cap.* 1. *num.* 310. ergo similitèr possum alterius famam auferre ad compensandam infamiam meam ab ipso causatam, quando alitèr non possum famam recuperare. ¶ Respondetur, quòd cum per occultam compensationem pecuniam ab alio aufero, tollo quod meum est: quia ille totidem pecunias mihi debet, quas recusat solvere; & sic illæ pecuniæ suæ propriæ non sunt, sed meæ, cùm mihi sint debitæ ex justitia; & sic vtor meo jure alterius injustam detentionem vi repellendo, medio ad istum effectum ordinato. Sed qui alium infamat, postquàm est infamatus ab alio, non aufert quod suum est, nec medium proportionatum sumit ad repellendam suam infamiam; aufert enim famam alterius, quæ non est sua, sed alterius; & per hoc, quòd alterius famam denigret, non recuperat suam famam; & sic talis compensatio est omninò illicita, nisi quando defectus impositus infamatori deservit ad infringendam fidem illius, vt sic non credatur ab alijs: quo modo infamatus tollit, quòd ab alijs, vt pravus habeatur, & sic est justa defensio ad repellendam suam injuriam. Quæstio igitur præsens est, an si Petrus injustè infamavit Paulum, & Paulus injustè infamavit Petrum, ita vt æqualis sit vtriusque injuria, aut ferè æqualis: & nolit Petrus satisfacere Paulo pro injuria, possit iste non satisfacere illi; & sic detur inter illatas injurias compensatio?

Famæ cum fama nõ dari compensationem, aliqui dicunt

145 Negat prima sententia. Primò, quia idem est malum inferre, ac illatum conservare; sed qui famam ablatam non restituit, conservat malum, quod injustè intulit: ergo sicut non licet ab initio illud inferre, etiam suppositâ infamia facta per alium; ita non licet per omissionem restitutionis illud conservare, etiam suppositâ omissione restitutionis alterius. ¶ Secundò, quia non licet illatum damnum conservare, nisi ad reparandum simile damnum illatum; sed infamia tibi illata non reparatur detinendo alterius famam, nec damnum infamiæ conservando: quia nihil tibi vtilitatis accrescit ex eo quòd famam alterius retineas: nec ob id maiorem, aut meliorem famam habes: ergo, &c. In quo patet diversitas inter eum, qui bona alterius retinet ob compensationem: quia per talem detentionem reparatur damnum ab alio illatum, & ipse ditior, & melior redditur in fortunis: ergo

ergo licèt in his rebus detur compensatio æqualis debito, non tamen in casu, de quo loquimur. Ita Prado *tom.* 2. *cap.* 18. *q.* 5. *n.* 20. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 5. §. *Quinta assertio.* Caietan. 2. 2. *q.* 62. *artic.* 2. *ad* 2. *dub.* 1. §. *Sed salva.* Rodrig. *cap.* 254. *concl.* 5. Petrus Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 325. Navar. *cap.* 18. *n.* 47. Lugo *disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 44. Turrianus *in præsenti*, *disp.* 53. *dub.* 5. *n.* 7. Taner. *disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 6. *n.* 155.

Famæ cum fama datur compensatio.

146 Sed affirmativa sententia tenenda est, & à posteriori probatur: quia durissimum esset, & ab æquitate valde alienum, vt si tu alium infamasti, à quo æqualitèr diffamatus es, quòd, illo tibi offerente satisfactionem, dummodò tu illi satisfacias, nolis illi satisfacere, & vellis quòd ille tibi satisfaciat: ergo irrationabilitèr te geris, si tu illi non restituas: ergo alius in dicto casu non tenetur restituere, quia nemo tenetur restituere illi, qui solùm irrationabilitèr damnum patitur. ¶ Secundò à priori, quia in debitis temporalibus, quando jura sunt paria, si alter non vult tibi servare jus, & solvere debitum, nec tu teneris servare illi jus, & debitum restituere; sed fama est bonum temporale: ergo, &c. ¶ Et confirmatur (per quod fundamentum contrarium dissolvitur) quia licèt per retentionem famæ alterius damnum tuæ infamiæ non tollatur, tolllitur tamen debitum solvendi pro damno alteri facto. Quemadmodùm, si Petrus incendit tuam domum, non aufertur tuum damnum incendendo domum illius: at si incendas domum illius, debitum vtriusque tollitur ob compensationem: ergo similitèr in præsenti. ¶ Et roboratur hoc, quia retinendo alterius famam, & non restituendo, mihi acrescit suo modo fama, quam amissurus eram retractando meum dictum, vt illi restituam; & alteri etiam accrescit fama, quam ex parte amissurus erat se retractans: ergo potest vnum debitum pro alio compensari. Quod tenent Sotus *lib.* 4. *de Iustit. quæst.* 6. *articul.* 3. *ad* 4. §. *Ex his*, Sylvius, & Malderus, quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 30. *notab.* 2. Salon. 2. 2. *quæst.* 62. *articul.* 2. *controvers.* 7. *concl.* 2. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 2. *disput.* 12. *numer.* 246. Toletus *lib.* 5. *cap.* 71. *numer.* 3. Bonacina *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct. vltim. numer.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 25. *num.* 134. Sà, verb. *Restitutio*, *num.* 32. Rebellus 1. *part. lib.* 4. *quæst.* 13. *num.* 4. & 5. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 23. *num.* 10. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 29. *num.* 2. Qui addunt, quòd si vnus alium infamavit in crimine longè maiori, ac ab illo fuit diffamatus, posset detinere famam alterius per modum pignoris, donec restituat. Sicut si torquem aureum habeas apud te Petri valoris mille, potes per modum pignoris illum apud te retinere, donec Petrus centum, quæ tibi debet, solvat.

Quid de priori sententia sequatur?

147 Cæterùm ex hac sententia oritur alia quæstio, an, stando sententiæ illi probabili, de qua diximus *num.* 141. nimirùm quòd fama potest pecuniis compensari, poteris vti pecuniarum compensatione, quando alius infamiæ tibi illatæ non potest, vel non vult satisfacere? v. g. alius te infamavit, & non vult, vel non potest famam restituere; tu illi debes mille aureos, poterisne vti compensatione, & non solvere hos mille aureos, quos debes (vel, si non debes, secretò illos auferre ab alio servatis conditionibus pro compensatione debitis,) quia alter non vult tibi satisfacere? Affirmant, sequi ex duplici sententia dicta Bonacina *loc. cit. num.* 1. Trullench. *n.* 6. Less. *n.* 136. & *dub.* 16. *n.* 97. Molina *disp.* 49. Aragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 9. *disp.* 2. Diana 3. *p. tract.* 5. *resol.* 30. qui refert Tannerum, & Ioannem de la Cruz: quia probabilis est sententia dicens, posse, & debere pecuniis famam compensari: ergo si alius non vult famam resarcire, stando in nostra sententia, quæ admittit compensationem in debito famæ; sicut potest non satisfacere, qui famam debebat alteri nolenti famæ à se Iæsæ satisfacere: ita poterit pecuniarum vti compensatione pro debito famæ, cui alter non potest, vel non vult satisfacere. ¶ Alij id negant, quia (vt diximus *cap.* 1. *huius tract. punct.* 19. §. 3.) non datur locus compensationi, vbi tantum est debiti opinio probabilis, & solùm est probabilis opinio dicens posse, & debere pecunijs famam compensari.

Quomodo cum opinione probabili detur compensatio.

148 Fateor cum opinione tantùm probabili debiti non posse dari compensationem. Cæterùm si velis præcitatorum Authorum opinionem sequi, ne poteris dicere, hic non esse opinionem probabilem circa debitum: nam debitum est certum, nimirùm debitum famæ; sed circa modum, quo talis fama possit compensari, an nimirùm pecunijs possit compensatio fieri? Et quando à Doctoribus communitèr dicitur, non dari locum compensationi, quando debitum est dubium, vel probabile, loquuntur de dubio versante circa ipsum debitum, non circa modum compensandi debitum: v. g. habes dubium, vel opinionem, quòd Petrus tibi debet centum, non potes vti compensatione: quia esset certum pro incerto accipere: & in dubio alterius, qui possidet, melior est eius conditio. Sed si certus sis, quòd Petrus centum debet, & non vult solvere; habes tamen opinionem probabilem, quòd hoc modo, vel illo potes compensatione vti, potes accommodari huic opinioni probabili: quia tunc non tollis certum pro incerto, sed certum pro certo, quamvis sit dubium circa modum auferendi. Ita in præsenti posses philosophari: quia debitum famæ est tibi certum (vt supponimus) & solùm es dubius cum opinione probabili, an hoc modo, nimirùm per solutionem pecuniarum, debeat illud debitum tibi compensari: ergo potes vti compensatione pecuniarum, non solvendo quas debes, quia alter tibi debitum famæ non solvit. Et si aliquo modo posset prædictorum sententia Doctorum sustineri, esset hoc modo. Quomodo etiam intelligi potest illorum Doctorum doctrina, qui ex vna parte dicunt, non licere vti compensatione cum opinione probabili; & ex alia in aliquibus casibus particularibus illud admittunt, vt intelligantur, quòd nunquam licet cum opinione tantùm probabili circa debitum vti compensatione; quamvis in casibus particularibus, in quibus tantùm sit opinio probabilis circa modum compensandi, quia debitum est certum, licita sit compensatio. Circa quod vide, quæ diximus *punct.* 19. §. 3.

CAPUT

CAPUT V.

De Restitutione ob furtum, & rapinam.

Quid sit in hoc cap. agendum?

IN præsenti capite solum agendum nobis est de peccato furti, & de materia illius: nam de restitutione, quæ facienda est ratione furti, ac rapinæ, nihil occurrit de novo dicendum præter ea, quæ *cap. 1. per totum* diximus: ea enim, quæ ibi dicta sunt circa restitutionem in communi, specialiter explicimus circa restitutionem rei alienæ injustè ablatæ, & detentæ. Quare omnes difficultates, quæ in præsenti ab Authoribus aliquibus exagitãtur, ab alijs, loquendo de restitutione in communi, deciduntur: & quia ibi de illis abundè egimus, ne bis eadem repetamus, modò eas omittemus, solùm de peccato furti hoc Capite peragentes, quod cõtinet quatuor Puncta.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit furtum; & quomodo differat à rapina?* num. 1.

Punct. II. *De parvitate materiæ, ob quam furtum à peccato gravi excusatur.* n. 10.

§. I. *Quæ materia sit sufficiens in furto, vt sit peccatum mortale?* num. 11.

§. II. *Quomodo materiam parvam à pluribus auferre, vel ab vno repetitis vicibus, sit grave peccatum?* num. 18.

§. III. *Vtrum quando plures per minuta furta grave damnum inferunt vni, eorum singuli mortalitèr pecent, & ad restitutionem teneantur?* num. 24.

Punct. III. *Quæ necessitas possit excusare à furto, vel rapina acceptionem rei alienæ?* num. 30.

§. I. *Quomodo in extrema necessitate licitum sit coram, vel in occulto rapere?* num. 31.

§. II. *Sitne licitum aliena accipere, invito domino, in gravi necessitate?* numer. 36.

Punct. IV. *De furtis domesticorum.* numer. 39.

§. I. *De servorum, & famulorum furtis?* num. 40.

§. II. *De furtis filiorum respectu parentum; & parentum respectu filiorum,* num. 43.

§. III. *De furtis vxoris respectu viri, & viri respectu vxoris.* num. 48.

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex sit furtum, & quomodo differat à rapina?

1 FUrtum à D. Thom. *q. 66. art. 3.* diffinitur, quòd est: *Acceptatio occulta rei alienæ.* Additur communitèr maioris explicationis gratia, *invito domino.* Rationem huius diffinitionis, & explicationem eius tradit sic Sanctus Præceptor. Nam tria in furto inveniuntur: primum, quòd sit contra justitiam (in quo cum alijs injurijs proximi convenit; & ideò se habet vt genus) nam sicut munus justitiæ est vnicuique dare quod suum est, ita est contra eam alienum accipere, ob idque dicitur *acceptio alienæ rei.* Secundum, quòd furtum differt, ab injurijs, quæ fiunt in persona proximi, vel in rebus maximè conjunctis, vt est homicidium, adulterium; furtum verò versatur circa res, & ideò dicitur *rei alienæ.* Quare si quis acciperet alterius vxorem, vel filiam, esset alia species injustitiæ, non furtum: quia non esset rei acceptio, sed personæ. Tertium, quod complet rationem furti secundum suam vltimam speciem, est quòd fiat in abscondito, per quod differt à rapina; & ideò additur, quòd sit *occulta*: & ideò *fur* à *furvo* dictus est, id est, *fusco*, vt inquit D. Isidor. *lib. 10. Etymolog. cap. 6.* citatus à D. Thom. in argumento, *sed contra*, eo quòd fur præcipuè noctis vtitur tempore. Cæterùm, quia talis acceptio posset esse volente domino, vt in vsura, vel saltem ipso interpretativè consentiente, additur, *invito domino*: & sic communitèr à Theologis diffinitur (quidquid sit de Iurisiarum diffinitione) quòd est: *Acceptio occulta rei alienæ, invito domino.*

Diffinitio furti explicatur.

2 Sed aliqua notare oportet circa dictam diffinitionem, vt sic objectionibus contra eam insurgentibus maneat satisfactum. Primum, quòd cùm detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habeat cum acceptione injusta, meritò dixit D. Thom. *ad 2.* quòd sub injusta acceptione subintelligitur etiam injusta detentio; ideòque fur est, qui bona fide rem alienam accipiens, postquàm scit esse alienam, detinet; vel qui solutionem, aut restitutionem procrastinat; diciturque morosus detentor. Sed (vt notavit Bañez ibi) iniqua detentio rei alienæ peccatum est furti apud Deum, & in foro conscientiæ, licèt in foro exteriori non puniatur, vt fur, morosus detentor. Vndè si sub excommunicatione esset prohibitum furtum, aut esset reservatum, non esset iniqua detentio excommunicationi obnoxia, aut reservationi. ¶ Secundò nota ex eodem D. Thom. *ad 1.* duplicem esse occultationem: alia quæ est ad vitandum scandalum, & propter verecundiã; & hæc est simplex circumstantia culpam diminuens: alia est fraudulenta, & dolosa; qua, vt liberiùs peccet, fugit homo à luce, & quærit tenebras; & hæc est causa peccati adaugens malitiam, & hæc datur in furto, & per illam particulam *occulta* explicatur. ¶ Nota tertiò, nomen *rei*, debere latius accipi, vt etiam rei vsum, & possessionem comprehendat. Quare si commodatarius, depositarius, conductor, qui pignus accipit, sine domini expresso, vel præsumpto consensu, re commodata, depositata, &c, vtatur

Circa diffinitionem furti aliqua notantur.

vtatur vltra id, quod in pactum deductum est, quasi furtum committet. Similiter si dominus rei ab his, qui vsum illius habent, rem ipsam auferat, illis nescientibus, etiam furtum committet: quia privat eos injustè vsu, & commoditate rei, ad quam jus habebant. Sylvest. verb. *Commodatum*, *q.* 11. & verb. *Depositum*, *q.* 6. Laym. *sect.* 5. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 1.

Vlterius explicatur tradita diffinitio.

3 Sed quia diximus, acceptionem occultam filiæ, aut vxoris non esse furtum, notandum est quartò cum Caietan. 2. 2. *q.* 66. *art.* 3. Prado *cap.* 22. *q.* 1. *num.* 12. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *n.* 15. aliquando illarum aceptionem furtum esse, quia si quis filiam, aut vxorem alterius ad abutendum ipsis rapiat, sic non erit furtum, sed species luxuriæ, vt raptus, stupri, vel incestus, & alterius, juxta qualitatem, tàm personæ extrahentis, quàm extractæ. Si verò accipiantur, vt vendantur, vel propter servitium, aut alias vtilitates temporales, erit furtum, sicut alienum furripere servum: quia sicut dominus jus habet vtendi servo ad vtilitates, & commoda vitæ; sic obsequio vxoris vir, aut filiæ habet pater jus vtendi, & ideò à Iuristis enumeratur species furti plagium, quod est furtum hominis liberi venditi scienter, vel empti. ¶ Denique circa vltimam particulam *invito domino*, notandum est, intelligendam esse de invito rationabiliter, & quoad substantiam. Si enim irrationabiliter sit invitus, furtum non erit, vt in surreptione rei alienæ tempore extremæ necessitatis: & similiter, si ob amicitiam, v. g. putaret domino non displicere, non esset furtum, saltem grave, tametsi modus, quòd occultè, & absque licentia fiat, ei displiceat, quam per verecundiam, vel timorem non audet petere. Quomodò furta aliqua filiorum familiàs facta parentibus, à Doctoribus à culpa mortali liberantur: de quo *punct.* 3. erit sermo. Et hac ratione Lessius, *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 41. Dicastillo, *suprà*, *dub.* 9. *numer.* 11. excusant à mortali pauperes, qui tempore messis, vel vindemiæ notabilem quantitatem uvarum, vel frumenti collegerunt, auferendo modicum à singulis, quia si domini scirent eorum miseram conditionem, non essent rationabiliter inviti.

Species furti quatuor enumerantur, & explicantur.

4 Quatuor species furti ex parte materiæ, seu objecti materialis enumerantur communiter. Nam præter illud, quòd communi nomine furtum dicitur, datur *peculatus*, quod est furtum de rebus Reipublicæ, cap. *Quid ergo* 23. *quæst.* 4. *plagiatus*, quod est furtum hominis liberi venditi scienter, vel empti, *leg.* 1. *ff. de plagio*: *& sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ. Illarum trium specierum meminit Div. Thomas, 2. 2. *quæst.* 66. *articul.* 6. *ad* 2. & denique *abigeatus*, quod est furtum pecorum, seu jumentorum, & dicitur ab *abigo*, quia à quibus furantur priùs abiguntur. Hæ solùm diversæ species sunt juridicè, præter sacrilegium, quia diversæ in jure assignantur pœnæ propter illas: theologicè verò sunt eiusdem speciei infimæ, propter eandem rationem formalem; & sic non est necessarium hanc, vel illam in particulari in confessione aperire. ¶ Sacrilegium autem, quando est furtum rerum sacrarum, absque dubio addit novam speciem in confessione detegendam: quando verò res non sacra in loco sacro furatur, vt si crumenam, vel aliam rem ab existentibus in Ecclesia auferas, aliqui dicunt, non esse sacrilegium strictè sumptum, nec addere novam speciem supra furtum, vt Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Lug. *de Pœnitent. disp.* 16. *sect.* 1. *n.* 470. *& de Iustit. disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 19. cum Molina *disp.* 695. *à n.* 35. & octo Authores, quos refert, & sequitur Diana 1. *p. tract.* 7. *resol.* 2. & alij, quos citat Leandet *tract.* 5. *de Pœnitent. disp.* 8. §. 4. *q.* 17. Cæterùm, attento jure positivo canonico, oppositum tenendum est Nam Ioan. Papa VIII. in cap. *Quisquis inventus* 17. *q.* 4. ita dicit: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Vbi cùm illa verba: *Non sacrum de sacro*, absolutè, & illimitatè ponantur, non est cur restringantur, sicut à citatis Authoribus restringuntur; præcipuè cùm hoc magis pium sit, favens locis sacris, & latronibus officiens. Vndè esse novam speciem furti in confessione aperiendam, docent Prado *cap.* 22. *q.* 1. *num.* 24. Filliucius, & Palaus, quos refert, & sequitur Trullench. *lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 15. *n.* 5. Valent. Vazq. Navar. & Nuño, quos citat Bonacin. *in primo præcepto Decalog. disp.* 3. *q.* 6. *punct. vnic. n.* 17. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 7. Ledesm. *tom.* 1. *de Pœnit. cap.* 19. Raph. de la Torr. *tom.* 2. *in* 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 2. *disp.* 7. & alij.

Quot modis sumatur rapina, & in quo consistat explicatur?

5 Loquendo verò de rapina, præmittendum est, multiplicitèr sumi solere. Primò improprijssimè pro vsurpatione cuiuscumque rei temporalis, vel spiritualis, quomodo de Christo Domino dicitur *ad Philip.* 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Secundò minùs impropriè, sed lato vocabulo pro quacumque illicita vsurpatione, seu occupatione rei temporalis, quomodo convenit cùm furto, juxta illud D. Ambros. *Qui vsuram accipit, rapinam facit*, & illud D. Augustin. *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Tertiò propriè, vt distinguitur contra furtum; & sic diffiniri potest ex D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. *Ablatio violenta rei alienæ*: vt quando, domino sciente, & vidente, res illius è manibus eripitur injustè contra eius voluntatem. Si verò quis rem suam, non alienam è manibus alterius eriperet; vel si alienam justè auferret, vt in bello justo; vel si injustè, sed non per vim, sed per fraudem, aut latentèr eriperet, vt in furto non esset propriè rapina. ¶ Et hic probat D. Thom. *art.* 4. quem omnes ferè sequuntur, furtum, & rapinam specie differre declaranda in confessione. Ratio D. Thom. hæc est, quia vtrumque est peccatum contra justitiam, in quantum sunt actiones involuntariæ ex parte eius, à quo aliquid subtrahitur: quia in tantum aliquis facit injustum, in quantum involuntarium: nullus namque patitur injustum volens, vt dicitur 5. *Ethicor. cap.* 9. sed involuntarium bifariam contingit, aut per ignorantiam, aut per violentiam, quæ sunt illius diversæ species: (Aliter enim est involuntarium, quod quis ignorans patitur; aliter quod faciens, & renitens) ergo cùm furtum faciat involuntarium ex parte eius, cui subtrahitur, per ignorantiam, quia fit in occulto: & rapina per violentiam, quia coram, & in aperto, erunt diversæ species, quarum specifica, & propria differentia in eo consistit, quòd furtum latenter, & absque violentia fit: rapina verò in præsentia, & violenter. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 4. Prado *cap.* 22. *quæst.* 1. *num.* 21. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 9. *artic.* 1. *num.* 5. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 1. *num.* 2. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 2. *num.* 8. Bonacin. *disp.* 2. *de restit. quæst.* 8. *punct.* 1. *numer.* 3. & communiter.

6 Sed contra hanc D. Thomæ, & communem

Aliunde sumunt differentiam rapinæ, & furti aliqui Doctores.

nem sententiam sentiunt Cardin. Lug. *disp. 16. sect. 1. n. 11.* citans Molinam, & plures Thomistas, quos conatur ad eius mentem trahere, Dicastill. *lib. 2. tract. 2. disp. 9. n. 7.* citans Vazq. & Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 2. n. 3.* Qui quamvis differre specie furtum, & rapinam concedant, sed differentiam specificam harum specierum non esse sumendam penès diversum involuntarium, quod causant, probare nituntur; sed per hoc, quòd furtum est circa res, rapina circa personam, illam speciali injuria, & contemptu afficiens, nam qui violenter aliquid in præsentia eripit, personæ irreverentiam irrogat; & ideò qui è manibus Clerici aliquid per vim eripit, incurrit excommunicationem Canonis, vt diximus *tract. 10. de Censur. cap. 4. n. 26.* quia magnam illi facit irreverentiam: ex hac ergo irreverentia, quam causat rapina, & non furtum, eius differentia specifica est assumenda. Quod videtur docere D. Thomas, *q. 66. art. 9.* vbi ait: *Per rapinam non solùm infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quandam personæ ignominiam, sive injuriam.*

Vera differentia inter furtum, & rapinam, ex D. Thoma explicatur.

7 Cæterùm D. Thom. minimè huic sententiæ opitulatur: siquidem species peccati accipienda non est ex eo, quod consequenter, & indirectè se habet in illo; sed ex motivo, & objecto primario ipsius, vt docet Sanctus Doctor 1. 2. *quæst. 72. articul. 8. & 9.* Fatemur itaque, in rapina committi irreverentiam in personam, ob quam incurrit censuram Canonis, qui rem è manibus Clerici irreverenter eriperet: & inde etiam probat Div. Thom. *artic. 9. citato*, & cum eo omnes Thomistæ, rapinam esse gravius peccatum, quàm furtum, quia addit violentiam, quæ est gravior injuria, & quædam irreverentia personæ: & injustum irrogatum coram, & per vim, gravius est, & magis injuriosum, quàm per fraudem, & clam eripere. At verò in rapina talis irreverentia se habet indirectè, & consequenter. Quod denotavit D. Thom. asserens: *Sed etiam vergit in quandam personæ ignominiam*, quia hoc ex consequenti, & per resultantiam affert. Nam primario, & per se rapina non est contra personam, sed contra res: & ideò initio huius quæstionis *66. in Proœmio*, inquit Angelicus Præceptor: *Deinde considerandum est de peccatis justitiæ oppositis, per quæ infertur nocumentum proximo in rebus, scilicèt de furto, & rapina, & articul. 3. in corpor.* posuit differentiam inter homicidium, & adulterium ex vna parte; ac furtum, & rapinam ex alia, quòd illæ species primò, & per se versantur circa personam, licet indirectè, & consequenter circa res: hæ primò, & per se circa res, licèt ex consequenti circa personam. Ac tandem *artic. 4.* vbi erat proprius locus explicandi radicem differentiæ specificæ inter furtum, & rapinam, non recurrit ad irreverentiam, quam vna irrogat personæ, & non alia; sed solùm penes diversum involuntarium explicatum illa distinxit: hinc ergo specifica differentia horum peccatorum est accipienda.

Quomodo Deus possit facere, quòd furtum, non sit peccatū?

8 Esse furtum intrinsecè peccatum (& idem est de rapina) manifestum est: quia est contra alterius justitiam rem propriam illius auferre: & ideò *Exod. 20.* ponitur septimum præceptum: *Non furtum facies.* Et probat D. Thomas, *quæst. 66. citata, artic. 5. & artic. 6.* esse ex genere suo mortale: ad Corinth. *6. Nec fures Regnum Dei possidebunt.* Et esse ita intrinsecè malum, quòd nec Deus possit dispensare, vt non sit peccatum furtum, manendo in ratione furti, probavimus *tract. 9. de Matrim. cap. 5. n. 43. & tr. 11. de Legib. cap. 5. n. 21.* Potest autem Deus facere quòd acceptio rei alienæ furtum non sit, sicut quòd hominis occisio non sit homicidium: vel quia, vt supremus dominus omnium rerum, potest cui voluerit licentiam præbere, vt ab alio, quod possidet, auferat: & tunc non erit, invito domino supremo, & principali; licèt immediatus, & minùs principalis sit invitus; sed non rationabilitèr: sive quia, vt judex omnium, potest aliorum bona in peccatorum pœnam alijs applicare. Vtroque modo applicata fuerunt bona Ægyptiorum filijs Israel, & possessiones, ac terræ Cananæorum: & sic non fuit furtum, aut malum quòd filij Israel spoliarent Ægyptios, terrasque Cananæorum, ipsis nolentibus, possiderent, quia à Deo, vt à supremo Domino, fuerunt ipsis applicatæ, & à supremo Iudice in peccatorum pœnam fuerunt ablatæ ab illis, vt docet D. Thom. *art. 5. ad 1.* D. August. *lib. 2. q. super Exod. 39.*

Tria capita enumerantur ex quibus furtū à peccato excusatur.

9 Excusatur autem à peccato mortali ex triplici capite. Primò ob necessitatem; de quo D. Thomas, *q. 66. art. 7.* Secundò ob voluntatem interpretativam domini; quo modo filiorum, aliorumve domesticorum furta aliquando à culpa gravi excusantur. Tertiò ratione parvitatis materiæ, quam admittere furtum, probat D. Thom. *art. 6. ad 3.* De quibus tribus sequentibus punctis agemus. Sed modo advertimus, quòd quando D. Thom. loco proximè citato asserit: *Si tamen habeat animum furandi, vel inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut in solo cogitatu per consensum.* Hæc verba intelligenda non sunt (vt aliqui perperam interpretantur) quòd consensus deliberatus in furta minima erit mortale, & solùm ob surreptionem veniale. Apage quòd hoc sit de D. Thomæ mente, quia velle malum proximi leve, etiam cum deliberatione, veniale est peccatum, ob materiæ parvitatem. Sensus ergo D. Thom. est (vt explicant Bañez, & Caietan.) quòd si quis cum effectu auferat minima, habeat autem affectum simpliciter nocendi in maioribus, si posset, absque dubio esset mortale: *Quia fur, non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus judicatur* (intellige in foro conscientiæ) *non enim id, quod furto ablatum, sed mens furandi attenditur*, vt dicitur *in cap. vlt. 14. q. 6.*

PUNCTUM II.

De parvitate materiæ, ob quam furtum à peccato gravi excusatur.

10 NOn loquimur hoc puncto de furtis famulorum, filiorum-familias, & vxoris, quia de his (in quibus currit specialis ratio) sermo erit puncto sequenti, sed de furtis aliorum extraneorum. Tria igitur in præsenti nobis agenda sunt. Primò assignandum est, quæ parvitas materiæ sit sufficiens ad peccatum mortale in furto. Secundò de furtis minimis respectu diversarum personarum ab vno perpetratis erit sermo. Tertiò de furtis minimis à pluribus eidem personæ factis: quod distinctis paragraphis fiet.

Qua

§. I.

Quæ materia sit sufficiens in furto, vt sit peccatum mortale?

Quomodo rei levis furtum potest esse mortale?

11 SUpponimus ex omnium sententia posse dari materiam levem, imò levissimam, quæ sufficiat ad mortale ratione nocumenti, vel damni extrinseci, quod eius ablatio secum affert; vt si à pictore auferas penicillum, sine quo depingere non potest, & sic lucro privatur ex sua arte quærendo: si à sutore acum, sine quo nequit laborare, & ob id privatur suo quæstu: vel si rem parvi momenti ex se ab illo tollas, qui sibi eam multùm charam habebat, magnique æstimabat, illa delectabatur, & afficiebatur, ita vt ex eius amissione turbationem, & molestiam magnam capturus existimetur; in vtroque autem casu erit mortale ablatio rei parvæ: in primo contra justitiam, obligans ad restitutionem lucri cessantis; in secundo contra charitatem: in neutro autem erit furtum grave propriè tale, quia hoc ex nocumento extrinseco, & per accidens sequuto non est pensandum, sed ex intrinseco, & per se, quod secum affert. Quarè si imposita esset excommunicatio contra furantes gravitèr, vel peccatum grave furti esset reservatum, in nullo ex dictis casibus, aut excommunicatio incurreretur, aut reservatio, quia hæ pro furto gravi, formalitèr tali, impositæ censentur, non pro parvo, quod peccatum est grave ex damnis extrinsecis, & per accidens sequutis.

Magna, aut parva materia respectivè ad locũ, & tempus, quomodo accipiatur?

12 Supponimus secundò, quòd licèt non omnes Doctores admittant, parvam, aut magnam materiam in furto pensandam esse respectivè ad personam, à qua subtrahitur, omnes tamen conveniunt, debere attendi respectivè ad locum, & tempus, in quo auferatur; & quæ in vno loco, aut tempore gravis judicatur, in alio tempore, aut loco censetur levis. Possunt enim in vno loco, aut tempore tot pecuniæ, & penuria rerum concurrere; & in alio tanta rerum abundantia, & pecuniæ inopia, vt sit grave nocumentum hanc, vel illam pecuniam subtrahere; quæ subtractio in alio loco, aut tempore leve duntaxat inferret nocumentum. Vnde res, quæ alio tempore valebat duo, modò viginti valet; & quæ hic Salmanticæ valebat quatuor, fortasse Matriti, aut Hispali valebit vsque ad decem. Et sic non potest eadem materia gravis, aut levis pro omnibus temporibus, & locis taxari. (Et loquimur de ablatione pecuniæ, quia idem cum proportione sentiendum est de ablatione ipsarum rerum pecunia æstimabilium.) Et meritò, quia pecunia prætium est omnium rerum; & sic pluris æstimatur, & maioris est valoris, quò plures res per illam emuntur. Vnde tempore, quò per vnum argenteum poterant plures homines vno die sustentari, quis dubitabit, esse grave peccatum illum auferre. Sed hoc tempore, quo nec per tres regales vix potest vno die homo ali, non erit vnum argẽteum materia sufficiens ad mortale. Hinc provenit inter Authores tanta diversitas in assignanda materia levi, aut gravi, vt alij strictissimè, alij latissimè videantur loqui; quia cùm diversis locis, & temporibus scripserint, in quibus valor monetæ est, mutatus occasione Indiarum, bellorum, & aliarum circumstantiarum, fuit in causa, vt diversimodè quantitatem assignarent. Vnde arbitrio prudentum omnes hoc negotium meritò pensandum committunt, qui, inspectis omnibus circumstantijs, loci, temporis, &c. judicare debent, quæ sit magna, vel parva quantitas in hac materia.

Non esse attendendũ ad personã, cui aliquid subtrahitur, vt furtũ censeatur grave, sunt qui dicunt.

13 An verò inter circunstantias, quæ attendi debent, inspicienda sit persona, cui res subtrahitur, ita vt maior materia requiratur ad peccatum mortale respectu divitis, est inter Doctores controversia. Aliquibus negantibus materiæ gravitatem respectivè ad personam esse attendendam, sed respectu omnium eandem esse materiam sufficientem: quamvis illorum aliqui materiam illam magis extendant, alij restringant. Sed omnes in eo conveniunt, quod quatuor argenteis, vel quinque, est respectu omnium ad peccatum mortale materia sufficiens. Et probant primò, quia furtum mortale est ablatio rei alienæ in magna quantitate, domino rationabilitèr, & gravitèr invito; sed quatuor argentei respectu omnium sunt magna quantitas moralitèr æstimabilis ad humanos vsus, in cuius ablatione etiam ditissimus est rationabilitèr, & gravitèr invitus, vt, ipso nesciente, auferatur: ergò, &c. ¶ Secundò, quia per furtum infertur damnum in rebus proximi; & ideò non est grave, quia inferat notabile personæ damnum, sed quia auferat notabile bonum, & moralitèr æstimabile, vt quid grave, & vtile ad humanas actiones: ergo non est attendendum, cui personæ auferatur, vt sit mortale, sed quid in se sit. Aliàs qui auferret à Rege, qui habet tot milliones annuatim, centum aureos, non peccaret mortalitèr, quia minus damnum sentiet ipse in ablatione centum aureorum, & minus ægrè feret, quàm alius in ablatione vnius regalis: quare non esse pensandam quantitatem per respectum ad personam, cui subtrahitur, tenent Lessius, *lib.12.cap.12.dub.6.num.30.* Ferdinand. de Moure, *1.p.cap.18.§.1.num.15.* Fr. Ioan. Martinez à Prado *tom.2.cap.2.q.2.n.30.* Tapia *tom.2. suæ Catenæ, lib.5.q.9.art.3.n.2.* Dicast. *lib.2.tr.2.disp.9.n.26.* Villalob. *tract.13.diffic.2.num.5.* Barthol. à S. Fausto *in Speculo, disp.2.q.18.* Vega *in Sum. tom.1.cap.19.casu 12.* Trullench *in Decalog. lib.6.cap.5.dub.2.n.5.* Rebell. *de oblig. Iustit. 1.part.lib.3.q.15.sect.1.*

Alij asserũt pensandam esse substãtiam personæ, vt furtum sit grave.

14 Alij per oppositum arbitrantur, quantitatem materiæ pensandam esse penes maiorem, vel minorem substantiam eius, à quo aliquid subtrahitur, ideòque dicunt, maiorem quantitatem requiri ad culpam gravem respectu ditissimi; & minorem respectu pauperis. Et ratio est, quia ideò furtum peccatum est grave, quia grave infert nocumentum; & quò gravius nocumentum causat, gravius peccatum constituit; sed gravius nocumentum infertur per furtum eiusdem materiæ pauperi, quam diviti, & diviti ordinario, quàm opulentissimo: ergo habendus est respectus ad personam, vt inde gravior, aut levior materia judicetur ad constituendum furtum grave, vel leve. Minor (quæ ab adversarijs non negatur) probatur; quia homo dives in his, quæ minima sunt, non reputat sibi nocumentum grave inferri, benè autem pauper, qui plus angitur, plus repugnat tali ablationi, & quia magis re illa indiget, plus læditur, cùm illa privatur. Maior (quæ non admittitur ab alijs) præterquàm constare videtur, quia furtum est injustitia, & tunc maior sit injustitia, cum maius nocumentum proximo irrogatur, probatur ex D. Thom. qui 2. 2. *quæst. 66. art.6.ad 3.* inde probat furtum levis materiæ esse veniale, *quia homo in his, quæ minima sunt, non reputat sibi nocumentum inferri*: ergo ex nocumento,

to, quod causat, judicanda est gravis, vel levis materia. Idem habet *quæst.* 10. *de malo, art.* 2. & sic pro hac sententia meritò referri potest. Quam tenet Sotus *de Iust. lib.* 5. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 3. *§. His tamen.* Bañez *q.* 66. *art.* 6. *dub.* 2. Aragon, *ibi, fol.* 328. *col.* 2. Serra, *art.* 6. *dub.* 1. *concl.* 2. Ludovic. Lopez 1. *p. Instruct. cap.* 32. Ioan. à Cruce *in* 7. *præcept. quæst.* 2. *dub.* 2. Lugo *disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 23. Sanchez *lib.* 1. *Summ. cap.* 4. *num.* 18. Corduba *in Summ. quæst.* 70. Suarez *tom.* 3. *de Relig. cap.* 6. *num.* 5. Bonacin. *disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 1. *num.* 7. Petrus Navarra *lib.* 3. *cap.* 1. *à n.* 30. Angelus, verb. *Furtum, num.* 54. Sylvester *eod. verbo, q.* 2. Rodrig. *cap.* 150. *concl.* 1. & *cap.* 118. *num.* 28. & 29. Diana 2. *part. tr.* 17. & 3. *Miscel. resol.* 57. Layman *sect.* 5. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. Reginaldus *in Praxi, tom.* 2. *lib.* 22. *cap.* 1. *quæst.* 4. *num.* 19. Gord. *lib.* 5. *Theolog. moral. quæst.* 3. *cap.* 2. *num.* 5.

Quam quantitatem pro furto assignent diversi Doctores?

15 Sed est inter hos Doctores magnum discrimen in assignanda in particulari gravi materia pro divitibus, & pro alijs; ita vt quot capita, tot sententiæ. Aliqua eorum placita enumerabimus, quia res, quæ ex prudentum arbitrio pendet, ex gravium authoritate Doctorum est accipienda. Itaque Rodriguez, Aragon, Corduba, Angelus, Sylvester judicant, illam esse notabilem, quæ excedit duos aureos respectu valdè divitum (& hæc sententia communiter tribuitur Soto, & Layman:) à Mercatore divite auferre duos, aut tres florenos, quorum quilibet (vt inquit Lugo) quinque valet regales: à mendico laborem victus diurni. Magister Serra inquit esse materiam gravem duos aureos auferre à Rege, á Marchionibus, Ducibus, vel alijs divitibus nobilibus dimidium; respectu mediocriter divitum, quatuor regales; respectu mœchanicorum artificum duos, respectu pauperum vnum, pauperrimorum dimidium. Gordon. asserit esse mortale, si à divite auferatur vnus aureus, à persona communi quatuor regales, à paupere vnum cum dimidio. Lugo *num.* 28. si à magnate, & opulento auferatur vnus aureus; à divite 6. vel 7. argentei, ab artifice quatuor, à paupere valor victus diurni. Denique Bonacin. Petrus Navarr. Diana, & Reginald. distinguunt quatuor genera personarum. Nam aliæ, inquiunt, sunt personæ illustres, quæ splendidè alunt familiam: & respectu harum nummus aureus, vt minimùm, est materia peccati mortalis: aliæ, quæ vivunt suis redditibus, nec aliquo indigent artificio ad vitæ sustentationem, vt sunt communes divites; & respectu harum circiter quatuor regales: aliæ, quæ se suo sustentant artificio, & operam; & respectu harum duo circiter regales: aliæ, quæ mendicando sibi consulunt, & prospiciunt; & respectu harum vnus, vel dimidius regalis.

Eligitur secunda sententia, & explicatur.

16 Ex duabus præfatis sententijs secundam judicamus probabiliorem, quam amplexati sumus *tract.* 11. *de Legib. cap.* 2. *numer.* 28. Sed ex ibidem dictis est notandum (vt soluta maneant contraria argumenta) quòd sicut in alijs materijs est assignandus terminus magnitudinis, & parvitatis, id est, materia, quæ absolutè, & respectu omnium sit magna; & quæ absolutè, & respectu omnium sit parva; & media inter vtramque, quæ respectivè ad vnam personam erit magna, ad aliam non erit talis: sic in materia justitiæ, de qua agimus. Sit exemplum in recitatione officij divini. Etenim omissio decem Psalmorum respectu omnium esset materia magna, etiam eius qui totum Psalterium debebat recitare: vnius Salutationis Angelicæ esset parva, etiam respectu eius, qui solam illam recitare teneretur: & trium Psalmorum omissio, respectu eius, qui deberet totum Psalterium, esset materia parva: & respectu eius, qui vnam Horam Canonicam teneretur recitare, esset magna. Similiter in die festo per quatuor horas laborare, esset materia gravis respectu omnium, & per vnum quadrantem levis: & respectu diei festi per vnam horam laborare, non est magna materia: & esset respectu illius, qui haberet præceptum vacandi per tres horas si per vnam laboraret. Sic in furto assignanda est materia magna respectu omnium, etiam ditissimorum, quia per illam graviter læduntur. Et nisi prohibita esset sub mortali, esset passim obvia repetitio, cum magna jactura illorum; & materia levis, etiam respectu pauperum, quia ex se parvum illis infert nocumentum; & media, quæ comparatione ad alios sit levis, & ad alios gravis.

Qualis quantitas pro furto gravi sit assignanda?

17 Igitur nobis videtur, quod respectu omnium, etiam Regum, erit gravis materia vnius aurei, cum dimidio, quia illius ablatio, etiam Regi affert notabile nocumentum, cùm per illam quantitatem posset vnum, vel duos milites alere; & si habet magnas divitias, habet etiam onera magna, & ardua Regum negotia, quibus semper obruuntur, & non nisi ingentibus sumptibus pertractantur. Terminus parvitatis respectu cuiuscumque erit vnius regalis cum dimidio, plus, minùsve, præciso alio extrinseco nocumento; quia si alijs temporibus, quibus res minùs valebant, & per vnum, vel duos regales poterant res plures comparari, arbitrati sunt plures Doctores, esse materiam parvam respectu omnium; his miseris temporibus, quibus res duplo magis valent, non erit magna quantitas assignata. Inter duos terminos assignatos materia media erit gravis, vel levis arbitrio prudentum, inspectis temporibus, locis, & personis, alijsque circumstantijs. Communiter autem in Hispania quatuor regales, plus, minùsve, reputantur materia gravis respectu hominis ordinarij, & mediocriter divitis, vt tenet Prado, Moure, Villalobos, Vega, Sanchez *lib.* 7. *Summ. cap.* 20. *num.* 3. *fine*, Peyrin. *tom.* 2. *de Prælat. quæst.* 3. *num.* 52. Lezan. *tom.* 3. verb. *Furtum, num.* 3. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 21. Hieronymus Garcia *in Politic. Regul. tract.* 4. *part.* 3. *diffic.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. & 6.

§. II.

Quomodo materiam parvam à pluribus auferre, vel ab vno, repetitis vicibus, sit grave peccatum?

Qui à pluribus modica aufert, peccat mortaliter, si accedat ad magnã quantitatem.

18 SI quis à pluribus, vel ab vno parva auferret animo prosequendi vsque ad magnam quantitatem, absque dubio mortaliter peccaret, saltem ob pravum animum materiam gravem auferendi, quidquid sit de ipso exteriori actu, an esset mortale peccatum, intenderet enim grave nocumentum proximo inferre. Et loquendo de his, qui à pluribus parva subtrahunt animo discedendi, omninò falsam judicamus sententiam illorum, qui eos à lethali liberant; sed dicendum est, eos peccare mortaliter; & si de facto ad magnam quantitatem accedant, illam restituere debent, vel eius dominis, si sint noti; vel saltem communitati illi, à qua abstulerunt: & si hoc fieri non

non potest, pauperibus, vel pijs operibus, vt diximus *cap.1.num.209.* Et ratio est, quia licèt vni, aut alteri parùm furans noceat, illi tamen communitati ex omnibus coalescenti multùm, & Reipublicæ plurimùm nocet, qui absque vllo titulo rem magnam sibi vult atrogari; & generi humano, volens sine labore ditescere, vt faciunt qui ponderibus, & mensuris justo minoribus vtuntur, de quibus dicitur *Proverb. 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et *Deuteron. 25. Non habebis in sacculo diversa pondera, maius, & minus, &c. Abominatur enim Deus eum, qui facit hoc.* Hæc enim ratio furandi, & rem suam augendi valde repugnat societati humanæ, & in omni Reipublica benè instituta semper fuit, & erit exosa, & tanquam res multùm nociva hominum societati prohibita. Hæc certa, & communia sunt inter Doctores, à quibus proinde referendis supersedemus.

Maior quãtitas requiritur ad furtum grave, quãdo à pluribus accipitur.

19 Qui autem à pluribus exigua simul accipit animo deveniendi ad magnam quantitatem, vnum solum peccatum moraliter continuatum committit, ac si vno actu eandem quantitatem ab vno furaretur. Si autem absque industria, & animo ditescendi à pluribus minuta acciperet, maior quantitas requireretur, vt esset grave peccatum, quàm si ab vno duntaxat caperet: quia illi parum læduntur, nec ita curant restitutionem rerum minutarum, quæ absque animo ascendendi ad magnam quantitatem eripiuntur, vt docent Lessius *lib.2.cap.12.dub.6.num.47.* Bonac. *disp.2.quæst.8.punct.1.num.9.* Sanchez *lib.7.Summæ, cap.21.num.15.* Lugo *disp.16. sect.3.num.51.* Trullench *lib.7.cap.5.dub.4.num.6.* Villalobos *tract.13.diffic.4.num.4.* Layman *sect.5. tract.3.part.1.cap.1.num.4.* Ideòque maior quantitas requiritur ad mortale, si apluribus minuta auferantur, quàm si ab vno; & maior si ab vno repetitis vicibus, quàm si vno actu tota auferretur, quia tunc non ita damnificatur. Vnde asserunt Lessius *num.46.* Sanchez *num.10.* Lugo *num.47.* Bonacin. *num.9.* Trullenc. *num.5.* Villalobos *diffic.3.num.3.* dùplò maiorem quantitatem requiri ad mortale, quando quis minutis furtis accedit ad magna præter intentionem ditescendi, quàm si simul, si magnum inter vnam, & alteram intercedat temporis intervallum; & hoc etiamsi sit respectu vnius: quia minùs ægrè homines ferunt sibi casu minima auferri; & longo intervallo, quàm simul, & semel magna quantitate privari. Addit Layman, Lugo, Bonacina, & Toletus *lib.5.cap.16. fine*, Rebellus *lib.3. quæst.15. sect.5.n.44.* quòd si quis à diversis personis, & in diversis negotijs modica surriperet, per quæ temporis intervallo magno accederet ad magnam qaantitatem, sed hoc absque animo neutiquam magnam quantitatem auferendi, sed casu, & accidentaliter, non peccaret mortaliter; quia illæ acceptiones modo dicto censentur interruptæ, & sic non vniuntur moraliter ad constituendam gravem materiam pro mortali. Idem propter eandem rationem sentiendum est, si quis ab vno plura modica acciperet eodem modo. Quod valde probabile dicit Trullench. *lib.7.cap.5.dub.4.num.2.* cum alijs ab ipso citatis. Addit N.Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in suo Direct. tract.3. di.p.4. sect.4. à num.157. vsque ad 265.* citans Dianam, Salazar, Toletum, Vidal, & alios, quòd si inter vnum, & aliud furtum intercedat spatium 15.dierum, & res furata consumpta est, non peccaret mortaliter, nec teneretur ad restitutionem, qui sic furaretur, etiamsi voluntariè retineat totam illam summam absque intentione restituendi: quia non continuantur illa furta parva ad vnum grave constituendum.

¶ Consequentèr ad ea, quæ diximus *num.* 18. non approbamus, imò reijcimus eorum doctrinam, asserentium modica surripere, quamvis ad quantitatem magnam deveniatur, non esse lethale peccatum, ac proinde non teneri ad restitutionem. At modò adversus istam opinionem stat Innoc.XI. qui quidem suo decreto damnat, vt scandalosam, &c. Propos.38. sic decentem: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Igitur, & nos, conformitèr ad dictum decretum, dicimus, quòd si materiæ parvæ, sive ab vno, sive à pluribus, sive cum animo, vel sine illo ad quantitatem magnam deveniendi, quando ad gravem pervenitur, esse peccatum mortale; ac proinde teneri ad illius restitutionem: nam moraliter vniuntur ad grave nocumentum proximo inferendum, & hoc sufficit ad culpam gravem, & vt ad restitutionem teneatur. Quæ quantitas, & qua continuatione, gravem materiam constituat? & quomodo facienda sit restitutio? ex dictis, & dicendis constabit.

Quid si minuta accipiat animo deveniendi ad magnã?

20 Præcisa autem intentione, & animo accipiendi rem gravem, quæ, vt diximus, semper est mortalis, si quis minutatim plura susciperet, statim ac accedit ad quantitatem magnam, peccat mortaliter, nisi ex inadvertentia excusetur: quia iam incipit retinere rem alienam in notabili quantitate. Quod docent communiter Doctores, quos capite sequenti, loquendo de furtis Religiosorum, *num.53.* dabimus, vbi hæc res ex professo examinabitur. Sed inter illos est magna controversia, an qui vltimam accipit quantitatem, per quam completur magna, peccet mortaliter, non solùm, quia sic incipit retinere injustè rem notabilem alienam, sed quia illud vltimum conjunctum cum alijs accepit; & sic non solùm retentione, sed acceptione peccet: & est discrimen, quòd injusta acceptio est formalitèr, & propriè furtum, non ita injusta detentio, vt diximus *num.2.* Et in sententia asserenti, quod non peccat accipiendo, si animum restituendi haberet data oportunitate, etiamsi impotens esset ad restituendum, non peccaret gravitèr illud vltimum accipiendo: quia non peccaret acceptione, vt supponit: nec etiam detentione, siquidem qui animum habet, data opportunitate, restituendi, non peccat per injustam detentionem, cùm impotens est, vel non occurrit opportunitas. In sententia verò asserenti, peccare ipsa acceptione, si impotens esset ad restitutionem, peccaret accipiendo vltimam quantitatem, etiamsi propositum haberet restituendi, data opportunitate. Quamvis etiam in hac sententia non peccaret graviter accipiendo vltimum, qui potens est restituere, si animum habeat quamprimùm restituendi; quia furari cum intentione statim, vel citò reddendi, non videtur grave, cùm brevis illa detentio parùm domino officiat, vt docent Lugo, Sanchez, Molina, Rebell. Granad. Diana infrà citandi.

Sententia asserens nõ peccare in vltima acceptione, qua accepti o est, qui parva acciẽs pervenit ad magnam quantitatem.

21 Igitur prima sententia tenet, eum, qui accipit vltimam parvam quantitatem, per quam completur magna (v.g. si magna quantitas sunt quatuor regales, qui, postquàm iam accepit tres, surripit vnum) non peccare ipsa acceptione vltimi, sed per hoc quod iam incipit injustè detinere rem in magna quantitate. Vnde si animum habeat retinendi, ob hanc injustam detentionem peccare, non verò præ-

cisè per acceptionem illius vltimæ quantitatis. Ratio illius est, quia licèt tunc damnum incipiat esse notabilis pretij, hoc non infertur per vltimum furtum, sed per hoc, & præcedentia, quorum vnumquodque solùm erat veniale: & non est ratio quarè vltimum sit mortale, cùm sit materiæ parvæ, & non alia. Nam quòd materia aliorum præcesserit, non facit, quòd hoc vltimum, quod versatur circa materiam levem, ex se dicatur inferre nocumentum in materia gravi: quemadmodum, qui post furtum grave levem materiam ab eodem suscipit, non peccat mortalitèr, licèt hæc materia sit magna ex conjunctione cum præcedenti, quia ex se est levis; & sic actus circa illam est solùm venialis. Ita Granados, *1.2.controv.6.tract.2.disp.12.sect.5.num.51.* Dicastillo *lib.2.tract.2.disp.9.num.50.* quamvis *num.54.* adhæreat contrariæ; Sanchez *lib.7. Moral. cap.21.num.8.& 9.* Lessius *lib.2.cap.12. dub.6. num.42.* Navarr. *cap.17.num.39.* Layman *sect.5. tract.3.part.1.cap.1.num.5.* Trullench *lib.7.cap.5. dub.4.num.3.* Diana *2.part.tract.6.Miscel.resol.25.*

In vltima acceptione peccat gravitèr, qui plura furtiola cõmisserat.

22 Tenenda autem est sententia asserens, peccare mortalitèr per illam vltimam acceptationem, si quando complevit notabilem quantitatem, memor fuit præteritæ acceptæ, quam nondum restituit. (Si enim iam restituerat aliam quantitatem præcedentem, quam abstulerat, nullus asserit peccare mortalitèr per levem novam acceptionem, cùm hæc non inferat vllo modo grave damnum in tali casu.) Probatur primò, quia licèt hæc materia de novo furata sit secundùm se levis; relata tamen ad præcedentes, & ipsis juncta, est gravis, & complet notabile damnum: ergo non solùm detentio, sed ipsa acceptio est mortalis: vti in jejunio, qui post leves comestiones aliquid in parva materia comedit, qua completur notabilis quantitas, peccat mortalitèr: non quia præcedentes retinet, sed quia complet magnam quantitatem. Et in die festo; qui post aliquas leves occupationes, aliam suscipit, etiam levem, quæ cum alijs facit gravem materiam, peccat, quando vltimam exercet. Et ratio omnium est, quia ille gravitèr violat legem, qui facit quòd à parte rei ponatur id, quod gravitèr lex prohibet, vt facit, qui post alia furtiola novum addit, quo materia gravis furata ponitur. ¶ Secundò, quia secundum aliam, & omnium ferè opinionem, qui post furtiola addit aliud, tenetur sub mortali solùm restituere illud vltimum, quo completur materia gravis, v.g. furatus es tres regales, modo furaris vnum, quo materia gravis completur, solùm teneris vnum restituere sub mortali; quia, illo restituto, solùm remanet materia levis, quæ non obligat gravitèr (sic expressè ex contrarijs Lessius, Dicastillo, & Granados, & ex nostris Lugo, Bonacina, Soto, & alij) ergo retentio vnius, quamvis secundùm se sit levis, vt tamen illud vnum cum antecedentibus continuatur, sufficit ad materiam gravem in ordine ad retentionem: ergo similitèr ad acceptionem, quamvis acceptio vnius secundùm se sit levis, secundùm quòd illud vnum cum præcedentibus continuatur, sufficit, vt sit acceptio materiæ gravis. Sic Tapia *lib.5.quæst.9.art.4. num.2.* Palaus *de Peccat.tract.2.disp.2.punct.9.§.4.num.4.* Covarr. *lib.1.Variar.cap.3.num.12.* Villalobos *tom.2.tract.13.diffic.3. numer.5.* Petrus Navarra *lib.3.cap.1.num.53.* Ledesma *2.part. tract.8. cap.21. post secundam conclusionem, dub.3.* Lugo *disp.16.sect.3.num.38.* Bonacin. *de restit.disp.2. quæst.8.punct.2.num.2.*

Non peccat mortalitèr, qui post furtũ magnum commissum, postea parum accipiat.

23 Argumentum contrariæ sententiæ manet iam solutum. Sed circa id quod addit, an nimirum peccet mortalitèr, qui, postquam furtum grave commisit, aliquid de novo accipit ab eodem in parva quantitate? est etiam dubium inter Doctores. Sed nos brevitèr dicimus, quòd si illud novum furtum, saltem repetitum, accedit ad magnam quantitatem, erit novum peccatum mortale, & si discontinuatum sit à præcedenti, erit distinctum moralitèr in confessione explicandum. At si quod furatus est antecedentèr, habeat animum restituendi, non erit mortale novum furtiolum, propter ea, quæ statim dicemus. Si autem habeat animum retinendi, erit illa voluntas peccatum mortale: novum autem furtum, quod modò in materia levi facit, erit veniale, & auget malitiam præcedentis; non mortale, quia post completum primum peccatum incipit alia series furtorum levium: & istud non vnitur cum antecedentibus ratione intentionis, quia supponimus non oriri ex intentione accipiendi rem gravem; nec ratione materiæ: quia iam per precedentia furta facta est gravis; & modò incipit nova series, quæ, vsquedum accedat ad magnam quantitatem, non constituit peccatum mortale; & quando accedit, constituit diversum à præcedenti, ac si essent duo furta materiæ gravis. Aliàs dicendum foret, quod postquam quis furatus est mille aureos, si posteà ab eodem furaretur vnum assem, peccaret mortalitèr, quod est durissimum. Sic Tapia *suprà art.4.num.3.* Diana *1.part. tract.3.Miscel.resol.43.* Lessius *suprà num.44.* Licèt alij teneant oppositum.

§. III.

Vtrùm, quando plures per minuta furta grave damnum inferunt vni, eorum singuli mortalitèr peccent, & ad restitutionem teneantur?

Casus quæstionis proponitur.

24 CAsus est frequentissimus, vt quando plures ab eiusdem vinea vnum, aut duos racemos carpunt, & ab eodem viridiario singuli bina accipiunt poma, talitèr quòd ex omnibus grave damnum domino consurgat. Et quidem si ex communi consensu, sese invicem hortantes, & adjuvantes, omnes conveniant ad malum, haud dubium est, omnes gravitèr peccare, & ad restitutionem teneri, modo quo diximus *cap.1.huius tract. numer.147.* quia omnes causæ sunt illius damni, & non est cur vnus teneatur, & non alius, restituere, & sic omnes tenentur. An in solidum? diximus *loco citato.* Et ideò, licèt singuli exiguam quantitatem acceperint, tenentur eam restituere, nisi per aliorum restitutionem iam pars remanens sit exigua: quia tunc non tenentur illi eam restituere, sicut si illam solùm ab initio caperent. ¶ E contra vero, si contingat in casu dicto, quòd vnus, nec alium moveat, nec alterius damni sit conscius, sed casu vnum bottum, vel alium comedat, & similitèr alius, ex quibus omibus magna quantitas ablata consurgat; nullus illorum peccat gravitèr, aut tenetur restituere; quia nemo eorum per se causa est notabilis damni, nec alium ad maleficium movet, nec scit ab altero esse perpetratum; ideòque per inde se habent singuli, ac si ipsi solùm separatim modicam acciperent quantitatem. Hæc communia sunt apud Doctores.

Gravis

Qui nescit ab alijs dānum factum Petro, etiam si parum ab eo accipiat, non peccat mortaliter.

25 Gravis igitur quæstio in præsenti in eo consistit, quando vnus non est causa furti alterius, sed advertit, quòd ex suo, & alterius furto damnum considerabile evenit domino; an tunc peccet mortaliter parva furripiendo, & teneatur restituere? Et licèt ab aliquibus rarò casum contingere dicatur; nos dicimus frequentissimè evenire. Pone, te videre plures à longè, qui de vinea aliquid accipiunt absque tuo consensu, & concursu: accedis ad locum, vnum, vel alterum botrum accipis, casus est quæsiti. Transiens per vineam, eam plenam racemis vidisti, & posteà revertens semivacuam reperis ante vindemiam; & sic prudenter judicas devastatam esse à transeuntibus, & tu vnum, vel alterum recemum carpis, ecce casum de quo loquimur. Audis alios se jactare, quod à viridario alieno poma acceperunt, ita vt ex omnibus magna quantitas consurgat; accipis tu posteà ex illo vnum, vel alterum: casus est, de quo loquimur, & (vt alios prætereamus) ponam frequentissimum. Vides vineam, aut viridiarium ante viam communem expositum incursioni transeuntium, vnde colligere potes prudenter à pluribus aliquid decerptum; eritne mortale peccatum, & restitutioni obnoxium, te vnum, vel alterum botrum, aut pomum ex illis capere?

Sententia asserens peccare mortaliter, qui parum accipit ab eo, à quo alij iam acceperunt.

26 Prima sententia est affirmativa, & probatur primò, quia si advertas fieri magnum damnum per minuta furta à pluribus; & fureris, cooperaris, & auxilium ad illud notabile damnum præbes: ergo peccas gravitèr, & teneris ad restitutionem tuæ partis, donec res retenta non fuerit notabilis pretij. ¶ Secundò, quia per tuum furtum es causa, quòd damnum, quod alioquin magnum non erat, fiat notabile, vt si alios scias vsque ad tria suscepisse, & tu suscipias vnum, quo modo damnum vt quatuor, quod esset magnum, consurgeret: ergo peccas gravitèr, & teneris restituere, cùm sis causa notabilis damni. ¶ Tertiò, quia omnes, qui hoc modo damnum dederunt, possunt sub pœna excommunicationis compelli, vt restituant suam partem, vt omnes concedunt, & meritò: quia, cùm quis suam vineam vastatam videat, potest ab Episcopo adipisci, vt sub pœna excommunicationis cogat devastatores restituere, cùm adsit gravis causa talis excommunicationis ferendæ; & tunc, si non restituas, incurris, excommunicationem: ergo peccasti mortaliter accipiendo, & modò retinendo peccas, quia excommunicatio non nisi ob grave crimen incurritur. ¶ Quartò, quia si tu, furripiendo pauca, non peccares, nec teneris restituere, nec ille pauca furripiendo, nec ille, &c. Vnde fieret, vt quis magnum damnum accipiat, & spolietur omnibus fructibus, nemine gravitèr peccante, vel ad restitutionem obligato manente: quod videtur magnum inconveniens. Quarè hanc sententiam tuetur Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 5. *n.* 4. Covarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 12. Petrus Navarra *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 48. Tapia *tom.* 2. *lib.* 5. *quæst.* 9. *art.* 5. Corduba *in Summa, quæst.* 7. *punct.* 1. Bonac. *de Restit. disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 6. & 7. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 10. *num.* 249. Rebellus 1. *part. lib.* 3. *quæst.* 15. *sect.* 5. *num.* 41. Vazquez 1. 2. *disp.* 146. *cap.* 2. *num.* 5. & 6. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 3.

Nimis stricta est præcedens sententia.

27 Sed hæc sententia nimis stricta est, & pluribus scrupulis obnoxia; aliàs, cum sciamus passim à Rege plura modica, vel gravia furripi, nos peccaremus gravitèr, vel vnum assem ex eius bonis accipientes, quod est durissimum. Et Religiosi, qui in magna domo sunt, cum videant alios modica ex communi penu accipere, si ipsi vel vnum pomum ex communitate caperent, gravitèr peccarent: quo quid durius? Si videres alium damnum notabile Petro intulisse, & tu inferres levissimum, gravitèr delinqueres; Si videres famam alterius à pluribus morderi, & tu levem de illo culpam proferres, peccares gravitèr; quia in omnibus illis concurris ad alterius damnum grave, quod ex omnibus coalescit, & es cum alijs concausa illius. Imò graviùs infinitè peccares furripiendo vnum, quàm alius quinque accipiendo, si materia gravis esset vt sex; quia ille solùm levitèr, tu gravitèr delinqueres; nam per tuum actum es causa, quòd damnum, quod alioqui non erat magnum, notabile fiat. Quod videtur ab omni ratione alienum.

Non peccat mortaliter, qui parvum ab eo furripit, à quo alij acceperant.

28 Dicendum est itaque, te non peccare gravitèr, nec teneri restituere, si, post furta magna, aut parva aliorum, tu modicum accepisti, etiamsi aliorum furta non ignores, si illos non movisti ad furripiendum. Et ratio est, quia ex tua parte modicum damnum intulisti, & sic ex hac parte solum peccas venialitèr: aliàs non es causa quòd alij furentur: ergo per furtum illorum non aggravatur tuum, nec fit magnum de levi: sicut is, qui scit alios furari à Rege, & furatur levitèr, non mortaliter peccat, si non est causa, quòd alij furentur. Et licèt talis magno damno cooperetur, cooperatur tamen in modica parte; & præter illius intentionem est, quòd pars ab eo furata cum alijs conjungatur, vt ex omnibus magna quantitas coalescat. Vnde in totum damnum consentire non dicitur, sed potius illi displicet, quòd magnum damnum inferatur. Et ideò hanc sententiam tuentur Sanchez *lib.* 7. *Decal. cap.* 21. *num.* 22. Trullench *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 8. *num.* 51. Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 55. Salas 1. 2. *tr.* 13. *disp.* 16. *sect.* 27. *n.* 92. Malder. *in præsenti, tr.* 4. *cap.* 1. *dub.* 5. *casu* 3. Soto *lib.* 4. *de Iustit. quæst.* 7. *art.* 4. *column.* 6. Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 9. *num.* 285. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *num.* 79.

Solvuntur contraria fundamenta.

29 Ad primum argumentū contrarium constat ex dictis. ¶ Ad secundum dicimus, illum, qui post aliorum furtiola parū accipit, nō esse formaliter causam damni notabilis, sed modici; & hoc modo complere damnum notabile ab alio causatum, non est notabiliter lædere: siquidem quòd cum alijs compleat præter intentionem, & per accidens (quia accidit, quòd alij priùs sustulerint) non est causa, vt illi totum damnum imputetur, sed illud solùm, in quo delinquit. Sicut si alij Petro minutatim darent vsque ad 99. & tu posteà vnum dares, quo 100. compleres, nō esses formaliter causa, vt dicatur centum illi dedita fuisse: quia compleviſti centum, modicū duntaxat impertiēdo. Similiter in nostro casu. ¶ Ad tertium dicimus, quòd licèt excōmunicatio non liget nisi mortaliter peccantem, potest tamē ex justa causa imponi præceptum sub excōmunicatione ob rem, quæ aliàs non erat gravis; & tunc, non obtemperando, peccaret mortaliter: & sic excommunicationem incurreret, non quia accepit, vel retinuit absolutè; sed quia ex suppositione præcepti sub excommunicatione adhùc retinet. ¶ Ad quartum tandem fatendum est in pluribus casibus contingere grave alterius damnum, quin nullus peccet mortaliter, aut teneatur restituere sub mortali; vt si modicè à pluribus fama alterius esset imminuta: & ex omnibus consurgeret infamia considerabilis: & in nostro casu, si vnus nesciret ab alio esse parvum furtum factum Petro, & medi-

modicum acciperet, ex quo grave damnum compleretur. Quomodò (vt diximus *num.*24.) omnes asserunt, non teneri restituere, & sic nullum esse illud inconveniens asserunt Sanchez *num.* 22. Lessius *num.*55. Lugo *num.*80.

PUNCTUM III.

Quæ necessitas possit excusare à furto, vel rapina acceptionem rei alienæ?

Quid sit necessitas extrema? Quid gravis?

30 DE hac re agit D. Thom. 2.2.*q.66. art.*7. Sed pro intelligentia notandum est, triplicem necessitatem ab Authoribus assignari; aliam extremam, aliam gravem, aliam communem. Extremam necessitatem patiuntur illi, qui omninò necessarijs carent ad victum, & sustentationem, ratione cuius periculum vitæ, vel gravis infirmitatis timent probabiliter, vel alio modo vitæ jacturam pertimescunt, vel etiam amittendi membrum, vel sensum, quia horum privatio reducitur ad homicidium. Hanc D. Thomas *loco citat.* vrgentem necessitatem appellat. Gravem necessitatem illi patiuntur, qui ad suum statum carent necessarijs; & sic periculum habent amittendi suum honorem, vel cadendi à suo decenti statu, vel incurrendæ alicuius calamitatis, nimirum infamiæ, captivitatis, carceris, aut alterius gravis mali; vel patiendi longam infirmitatem, magnam famem, nuditatem, & similes afflictiones. Etiam censetur gravis necessitas periculum peccandi ex fragilitate, vt cùm mater præ indigentia filias vult prostituere. Etiam periculum honoris amittendi gravis censetur necsitas, vitam abbreviandi, vel si cogatur miseram, & abjectam vitam ducere præ alijs suæ conditionis. Necessitas communis est, quam pauperes, & abjectæ conditionis hominis passim patiuntur. Et loquendo de hac vltima necessitate, omnes asserunt, furtum esse, & mortale, rem alienam, invito domino, in magna quantitate accipere. De alijs duabus necessitatibus duplici §§. agemus.

§. I.

Quomodo in extrema necessitate licitum sit rem alterius coram, vel in occulto rapere?

In extrema necessitate licitũ est alienna furtipere.

31 IGitur, loquendo de extrema necessitate, communis est omnium sententia, licitum esse ex alienis rapere, vt suæ quisque valeat necessitati subvenire, sive manifestè, sivè occultè: & tunc nec erit furtum, aut rapina, cùm dominus omninò censeatur irrationabiliter invitus. Sic D. Thomas, *quæst. 66. art.*7. & cum eo omnes: quia in extrema necessitate omnia sunt communia. Cuius rationem axiomatis communis, & assertionis, sic reddit Angelicus Præceptor. Etenim ante divisionem rerum jure gentium introductam, omnia erant communia, & à natura omnia instituta, vt ex eis quisque ad necessaria vitæ acciperet; ad hoc enim condita sunt à Deo, vt hominum vitæ conservationi inservirent; posteà ad evitandas lites, & ob alias rationes, de quibus egimus *tract. præced. cap.*2. *punct.*1. introducta est divisio rerum, & singulis appropriatio illarum jure gentium. Hæc autem divisio iniqua foret, nisi ea tacita conditione facta esset, vt in extrema necessitate omnia ad statum communem redirent, vt cuilibet maneret integrum ad vsurpandum, vel accipiendum ea, quibus extremè indigeret: quia jus positivum juri naturali nequit derogare: cùm ergo ex jure naturæ omnes jus haberent ad vtendum rebus creatis, prout necessarium fuerit suæ conservationi, quia ad hoc condita sunt à Deo, jus gentium divisionem rerum concedens, debuit illud jus indemne conservare, & sic sub conditione dicta divisionem introducere.

Ampliationes, & restrictiones doctrinæ præcedentis.

32 Addit D. Thomas *in solution ad* 3. (& est commune Doctorum) quod in casu similis necessitatis proximi, potest vnusquisque, qui aliundè non habet vnde illi occurrere possit malienũ accipere, vt indigenti subveniat: quia debemus proximos sicut nos ipsos diligere. ¶ Addunt denique Doctores, quòd si in extrema necessitate alienum velles accipere, & dominus impediret, & te vi expellere vellet, posses illum, vt injustum tui juris invasorem, aggredi: &, si alia via non posses ab illo protegi, illum occidere. ¶ Sed limitant primò, quando alius est in eadem necessitate constitutus, tunc enim non posses rem alterius licitè capere; quia in pari casu, & necessitate melior est conditio possidentis. ¶ Limitant secundò, quòd non posses rem alterius, illo inscio, capere, si spem haberes, quòd petendo posses eam ab illo adipisci (nisi esset persona, quam mendicare deceret;) & si aliter auferas, non requisito domino, agis contra debitum ordinem, & peccas. Sed te non peccare mortaliter, hunc ordinem non servando, præciso scandalo, eo quòd solùm est inordinatio in modo (quia sive dominus neget, sive concedat, potes accipere) meritò asserunt Lugo *disp.*16. *sect.*7. *num.* 140. Layman *lib.*3. *sect.*5. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.*7. Lessius *lib.*2. *cap.*12. *dub.*12. *num.*66. Trull. *lib.* 7. *cap.*5. *dub.*6. *num.*3. ¶ An verò possis cedere juri tuo, & te mori permittere, ne alienam rem accipias, cõstat ex dictis *cap.*2. *punct.*2. §.2. vbi diximus, ex motivo honesto virtutis posse quẽque se occidere indirectè, seu permittere, quod ab ingruente necessitate occidatur; & in præsenti ob vitandum scandalum, perturbationem, vel alterius grave damnum, licitè poterit cedere juri suo. Sed si motivum honestum non subesset, id non posset facere, cùm ex jure naturæ vitam teneatur conservare.

Teneri ex justitia subvenire extremè indigẽti, dicunt aliqui.

33 Sed inquires primò, vtrum non solùm ex misericordia, & charitate, verùm etiam ex justitia teneatur succurrere extremè indigenti, qui non est eius Superior, cui ex officio alterius mortem, vel grave damnum vitare incumbit; sed alius quilibet proximus, qui non est in eadem necessitate constitutus; ita quòd si mors, vel aliud damnum ex sua omissione eveniat, ipsi sit ad restitutionem imputandum? Affirmat prima sententia. Tùm, quia si alius impediat, quominus extreme indigens suam rem auferat, peccat contra justitiam, & sic ex justitia tenetur eum non impedire; sed injustitia impediendi oritur ex obligatione justitiæ ad dandum: ergo, &c. Tùm etiam, quia nemo potest licitè vsurpare, quod alius non ex justitia, sed ex alia virtute tenetur dare: vt si alius ex voto, vel pœnitentia tenetur mihi centum dare, illa extra casum necessitatis extremæ non possem accipere, illo inscio, & invito; sed in casu huius necessitatis possem hoc modo rem alterius capere: ergo ille non solùm ex charitate, & misericordia tenetur mihi succurre-

currere, sed ex justitia: & sic erit causa injusta non succurrendo damni sequuti, & ad restitutionem tenebitur. Fr. Ioann. Martinez à Prado *tom. 2. cap. 22. quæst. 4. num. 5.* Aragon, 2. 2. *quæst. 32. art. 5. & quæst. 66. art. 7.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 1. cap. 1. num. 7.* Et non ob id (dicit hæc sententia) transacta necessitate (si nullum damnum sequitur) teneretur restituere, quod in illa tenebatur dare, quia hoc debitum solùm durat durante necessitate.

Non tenetis ex justitia succurrere extremè indigenti.

34 Secunda, & probabilior sententia negat: ex justitia teneri damnum dare, sed solùm ex charitate, vel misericordia, quamvis ex justitia teneatur non impedire. Et, omissis aliorum rationibus, vtramque partem sic probamus, & simul contraria fundamenta dissolvimus: quia necessitas non dat dominium rei indigenti, sed dat illi jus ad rem, nimirum vt habeat jus rem apprehendendi, & si apprehendat, fiat sua. Et est quod dixit D. Thomas, *quæst. 66. art. 7. ad 2. quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit, ad sustentandam propriam vitam*: quemadmodum respectu rerum communium non habet dominium ante apprehensionem; habet tamen jus ad eas apprehendendas, & illis apprehensis, fiunt suæ: ergo per hoc, quòd dominus non det egenti, quod habet, nullum jus illius violat. Si tamen eum ab acceptione impediat, agit contra jus, quod habet apprehendendi; sicut qui impediret alium injustè ab apprehensione rerum communium, ageret contra jus, quod habet illas apprenhendendi, hoc ipso, quòd sint communes: ergo alius, non dando, non agit contra justitiam, agit verò impediendo: quia hoc ipso, quòd communia sunt, potest capere, & habet jus ad illud, non quia alius ex justitia, vel ex misericordia, aut alio titulo teneatur dare; sed quia fecit necessitas, quòd sit commune. Hanc sententiam tuentur Coninchus *de Charit. disp. 27. dub. 7. num. 104.* Bañez 2. 2. *tom. 2. quæst. 66. art. 7. §. Circa tertiam concluf. & tom. 1. quæst. 32. art. 3. dub. 2.* Lugo *disp. 16. sect. 7. num. 142.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 25.* Suarez *de Charit. disp. 7. sect. 6. numer. 2.* Sanchez *lib. 1. consil. cap. 5. dub. 5. num. 61.* Vazquez *de Eleemos. dub. 5. num. 38.*

Teneatur ne restituere, transacta necessitate, qui in extrema alienum accepit?

35 Inquires secundò, an qui tempore necessitatis extremæ rem alterius accepit, & consumpsit, teneatur illam restituere, transeunte necessitate? Et quidem, si res in propria specie duret, nulli dubium est, fore restituendam: quia solùm ab alio accipi potuit ad subveniendum necessitati; & sic, si solùm rei vsu indiguit, ablata necessitate, debet restituere rem ipsam, quam accepit. Sed casus loquitur, quando ad conservandam vitam equo alieno indigebas, qui fugiendo corruit: vel si rebus vsu consumptibilibus indigebas, quas in necessitate assumpsisti. Negant probabiliter aliqui; quia tempore necessitatis communis omnia sunt communia, non solùm quoad vsum, sed quoad proprietatem, si res erat vsu consumptibilis. Ita Sotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. §. Ad argumenta.* Bañez *tom. 1. in 2. 2. q. 32. art. 8. ad 3.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 7. §. Secus.* Dicastillo *lib. 2. tract. 2. disp. 9. num. 269.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 1. cap. 1. n. 7.* Petrus Navarr. *lib. 4. cap. 4. num. 24.* ¶ Sed resolutio huius quæstionis pendet ex illa celebri difficultate, quæ *tract. de Charitate* exagitatur; an teneatur quilibet extremè indigenti ex misericordia eleemosinam dare, an mutuari possit, & alius id, quo indiget, in mutuum recipere? Qui hoc secundum asserunt, dicunt, quòd, transeunte necessitate, tenetur domino solvere. Qui primum asserunt, asserunt etiam non teneri. De quo videndus est Sanchez *lib. 1. Consil. cap. 5. dub. 5. num. 52.* Lessius *lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 11.* Bañez *quæst. 32. art. 6. dub. 3.* Dicastillo *lib. 2. tract. 2. disp. 9. num. 220.* Lugo *disp. 16. sect. 7. num. 162.*

§. II.

Sitne licitum aliena accipere, invito domino, in gravi necessitate?

Sententia asserens in gravioribus necessitatibus licere aliena furripere.

36 DUplex datur circa hoc quæsitum celebris sententia. Prima asserit, quòd in gravioribus necessitatibus, etiamsi extremæ non sint, vt in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, & similibus, licitum erit ab opulentis superflua accipere. Probatur primò, quia in gravi necessitate existenti tenetur dives de superfluis suo statui succurrere: sicut existenti in extrema quilibet tenetur de non necessarijs sibi ad vitæ conservationem subsidium dare: ergo, cum ipse dare teneatur, alius poterit accipere; quia tunc non erit rationabiliter invitus quoad acceptionem, quia cùm ipse ex charitate obligatus sit ad largiendum, erit immeritò invitus, si, eo non largiente, clam auferatur; quamvis quoad modum invitus sit rationabiliter, quia alius petere poterat, & non furripere; sed hoc honestari potest aliquo respectu verecundiæ, vel timoris repulsam patiendi. ¶ Secundò, quia sicut divisio rerum jure gentium est introducta sub illa conditione, vt in extrema necessitate superflua ad naturam, quamvis necessaria ad statum, essent communia, & aliter non potuit fieri; ita censendum est factam fuisse, vt in gravi necessitate superflua etiam ad statum essent communia: ergo sicut potest in extrema necessitate indigens aliena rapere non necessaria ad naturam, poterit gravi laborans necessitate superflua ad status divitis sibi applicare. Ita Navarr. *cap. 17. num. 5.* Petrus Navarr. *lib. 3. cap. 1. num. 375.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 71.* Serra 2. 2. *quæst. 62. art. 6.* Trullench *lib. 7. cap. 5. dub. 6. num. 6.* Sylvester, verb. *Furtum, q. 5. dict. 2.* Angelus, *eodem verbo, §. 37.* Sà, *eodem, num. 1.* Medina, & Malderus, quos refert, & sequitur Diana 1. *part. tract. 2. Miscel. resol. 29.* & probabilem judicat Layman, & non improbabilem Bonacina infrà citandi. Sed, his non obstantibus, sequens, & nostra sentent. tenenda est.

Non licet citra extremam necessitatē aliena furripere.

37 Igitur verisima est sententia negans. Et probatur primò ex cap. *Si quis fortè, de furtis*, vbi ita habetur: *Si quis per necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat per hebdomadas tres.* Quod explicat D. Thomas, *quæst. 66. art. 7. ad 1.* dicens: *Quòd Decretalis illa loquitur in casu in quo non est vrgens necessitas.* Et nomine vrgentis necessitatis toto illo articulo nominat D. Thom. extremam: ergo citra extremam necessitatem erit dignum pœnitentia, ac proinde peccatum, aliena invito domino accipere. ¶ Secundò probatur ratione D. Thom, quia citra extremam necessitatem cùm multi vbique sint gravem necessitatem patientes, committitur domini arbitrio, vt quibus voluerit, succurrat: & quamvis superflua expendere inter egenos teneatur, non inter illos, qui sibi offeruntur, sed inter eos, quos ipse eligere voluerit: ergo injustum patitur, & quoad modum, & quoad rem,

rem, si ab aliquo, ipso invito, vel insscio, surripiantur; quia ab ipso tollitur jus, quos voluerit eligendi. ¶ Tertiò, quia contraria sententia iam omni probabilitate est denudata ab Innocent. XI. qui quidem ex 65. Propos. quas damnavit, 36. hæc tenebat: *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Igitur quamvis olim ista sententia multos Patronos habuerit, modò nostram libentiori animo, quàm antea; vt omninò sequendam, amplectimur. ¶ Quartò, quia in necessitate gravi non sunt omnia communia, sicut in extrema, nec sub tali conditione facta est divisio rerum; aliàs pluribus furtis aditus aperiretur: nam multi sibi persuaderent, vel fingerent se constitutos in gravi necessitate, quo pax, & tranquillitas reipublicæ turbaretur: ergo quamvis alius teneatur dare ex misericordia, nemo poterit furripere; quia solùm quando bona sunt communia, vt in extrema necessitate, licitum est auferre quod alius ex charitate, vel misericordia tenetur dare. Per quod patet ad contraria fundamenta. Et hanc sententiam tenent Ledesma, *tom. 2. tract. 28. cap. 21. concl. 3. diffic. 13.* Salon 2.2. *quæst. 66. art. 7. concl. 2.* Caietanus, *ibi.* Martinez à Prado *tom. 2. cap. 22. quæst. 4. num. 7.* Soto *lib. 5. quæst. 7. art. 4.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 10. punct. 5.* Sayrus *lib. 9. cap. 14. dub. 7.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 1. num. 8.* Villalobos *tract. 13. diffic. 11. num. 2.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. cap. 20. num. 276.* Bonacina *disp. 2. de restit. quæst. 8. punct. 3. num. 5.* Sed licèt in gravi necessitate constitutus non possit auferre, potest retinere ablatum, vel quomodolibet debitum, & solutionem differre, nisi creditor in eadem existat necessitate, vt patet ex dictis *cap. 1. num. 266.*

Quædam circa dicta adnotatio.

38 Sed hìc adnotare duximus, esse graves necessitates, de quibus loquuti sumus, illas, quæ licèt afferant carentiam alicuius magni boni, non est tamen ex his, quæ voluit natura omnibus communia esse: vt si sit in morali periculo cadendi ab statu nobili, vel amittendi famam doctrinæ, nobilitatis, &c. amittendi dignitatem, magistratum, officium, quæ possidet: quæ bona, vt constat, à natura omnibus communia non sunt. Aliæ sunt necessitates gravissimæ, quæ vel afferunt morale periculum incidendi in extremam necessitatem, vt morbus, qui affert periculum mortis probabile; vel carentiam eorum bonorum trahunt, quæ voluit natura esse communia omnibus hominibus; putà periculum incidendi in captivitatem, quæ privat libertate, quam natura omnibus dedit: incurrendi gravissimam infamiam positivam, amissa bona existimatione, quam homines naturalitèr habent: & idem de morbo non lethali, sed quod perpetuam, vel longam sanitatis affert carentiam, quia sanitas etiam est de bonis, quæ natura omnibus dedit. Et in his necessitatibus poterit indigens, sibi ex alienis providere per media non exquisita, & extraordinaria. Tùm, quia si quis, vt ab hostibus fugiat, à quibus timet captivitatem, equo alieno indigeret, nemo negaret, posse eum, insscio domino, vsurpare sibi, tametsi nec equum, aut pretium eius posset postea restituere. Et idem est, si esset necessariam ad gravissimam infamiam positivam fugiendam, quæ plusquam ipsa captivitas æstimatur. Et idem de morbo perpetuo, aut similibus, propter eandem rationem. Tùm etiam, quia dictæ sunt extremæ, aut quasi extremæ necessitates, & in moralibus quasi extremæ necessitates extremis æquiparantur. Necessitas quippe gravis tantam habet latitudinem, vt in suo suptemo gradu æquiparetur extremæ, & verificatur, quòd est vrgens necessitas: & sic idem dicendum est de illa, ac de extrema necessitate, vt rectè docet Lugo *disp. 16. sect. 7. num. 154.* Lorca, Navarr. Sotus, & Caietanus, quos citat, & in hoc sensu explicat doctissimus Magister Fr. Ioan. Martinez à Prado *tom. 1. cap. 13. quæst. 5. à num. 3.* & *tom. 2. cap. 22. quæst. 4. à num. 9.*

Sententia Bañez recensetur, & quid tenendum sit, explicatur.

39 Sed inquires, an cui esset dedecus magnum mendicare, posset sibi de alienis necessaria accipere absque peccato furti? Affirmativam sententiam indicat Bañez, 2.2. *tom. 1. quæst. 32. art. 7. dub. vltim. circa ad 1.* & clariùs *tom. 2. quæst. 62. art. 3. dub. vlt. & art. 8. dub. 2. & quæst. 66. art. 7.* (cuius sententiam sequitur Serra *quæst. 66. art. 7. fine,*) vbi duo dicit Bañez. Primum, periculum amittendi honorem sufficientem non esse necessitatem, vt aliquis aliena surripiat absque peccato; aliàs quilibet vir honoratus posset aliena accipere, ne honorem suum perderet; quod est falsum: quia hæc bona temporalia non ordinantur per se ad honorem hominis; sed ad vitæ sustentationem. Vnde licèt sit licitum ea accipere clam in periculo amittendæ vitæ, non in periculo amittendi honorem. Asserit secundò, quòd in tali casu licitum erit homini, cui esset valde inhonestum mendicare, occultè aliena surripere animo restituendi, si alitèr non potest sibi succurrere. Et ratio, inquit, huius asserti est communis pietas hominum erga huiusmodi indigentes. Idem asserit Bonacina de puella in periculo amittendi pudorem constituta ob inopiam. ¶ Cæterùm nos cum Magistro Soto, *lib. 5. quæst. 5. art. 4. §. Quid autem*, quem refert, & sequitur Prado *suprà num. 12.* in vtroque casu illicitam esse acceptionem judicamus, & juxta dicta in duabus sententijs suprà relatis hunc casum esse resolvendum: quia (vt diximus initio huius puncti) periculum amittendi honorem, vel pudicitiam, gravis necessitas judicatur, non extrema. Maximè, quia istæ non sunt de illis gravibus necessitatibus, in quibus diximus *num. præc.* licere de alienis sibi provideri: nam de amissione honoris iam ibidem diximus: de pudicitiæ jactura magis constat, quia nulla necessitas cogere potest mulierem, vt turpitudinem committat, cùm potiùs perire debeat, quàm delinquere. Ideòque nos contrarium dicimus, modo quo iam cum Innoc. XI. *suprà num. 37.* tenuimus.

PUNCTUM IV.

De Furtis domesticorum.

QVia filius est veluti pars ipsius parentis: vxor est quodammodò vnum cum viro: servi, & famuli sunt aliquid dominorum, est de illis specialis ratio circa ipsorum furta, propterèaque speciali Puncto declaranda. Quod claritatis gratiâ diversis paragraphis peragemus,

§. I.

§. I.

De servorum, & famulorum Furtis.

Qui accipit, invito domino, solùm quoad modum, non peccat mortaliter.

40 NOn agimus in præsenti de furtis, quæ à famulis fiunt in compensationem justi stipendij: nam quibus casibus, & conditionibus licita sit compensatio, egimus *cap.* 1. *toto puncto* 19. vbi specialiter de famulis *num.* 315. (ibique in fine num. Propos. ab Innoc. XI. damnatam reperies) modò de furtis eorum duntaxat discurremus. Sed pro illis, & pro omnibus statuenda est regula generalis, quam suprà tetigimus, & tradit Caietan. *in Sum.* verb. *Furtum, not. ab.* 2. Navar. *cap.* 17. *n.* 138. quos in hac parte vniversi Theologi sequuntur; videlicèt, eum tantùm peccare venialiter, qui occultè accipit ab eo, cui non displicet acceptio, sed modus accipiendi; eo quòd acceptio rei quoad substantiam non est contra voluntatem domini, sed modus tantùm accipiendi; & sic dominus non est de substantia, sed de modo invitus; vnde non displicet ei, quòd res tollatur, sed quòd absque licentia expressa, & in occulto tollatur. Quod colligi potest ex conditione domini, & rei natura, nam si talis esset naturæ, quæ à domino petita non negaretur, in nullo erit furtum (saltem grave) sive in famulo, filio, aut extraneo. At si talis esset naturæ res, vel dominus talis conditionis, vt petitus negaret, & hoc rationabiliter, in omnibus furtum est acceptio rei: quia tunc non solum est invitus dominus de modo, sed etiam de substantia.

Famulus de comestibilibus furripiès non peccat mortaliter.

41 Quo supposito dicimus, quòd si famulus clam furripiat esculenta, & poculenta à se edenda, vel bibenda, & ex his, quæ solent famuli, & ancillæ edere, tametsi ad notabilem quantitatem sensim perveniat, non erit regulariter peccatum mortale: quia domini non censentur inviti de substantia receptionis, sed de modo: & ideò, si peterentur, concederetur. Si verò illa famulus sumeret ad compotationes, ludos, meretricia, vel ad vendendum, vel extrahendum; pro materiæ quantitate peccaret, & teneretur restituere: quia tunc dominus censetur quoad substantiam rationabiliter invitus, & non concederet, si peteretur. Idem dicendum est, si esculenta, & poculenta essent extraordinaria, aut delicatiora, quæ dominus sibi reservaverat. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 13. *diff.* 10. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 8. *n.* 48. Tapia *lib.* 5. *q.* 6. *art.* 5. *num.* 16. Trullench *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 4. *n.* 6. Diana 7. *part. tract.* 7. *resol.* 28.

Quæ sint notanda circa famulorum furtum?

42 De alijs verò rebus, nimirum pecunijs, aut pretio æstimabilibus, peccat peccato furti, & mortaliter, si in illa quantitate accipiat, quæ in extraneis sufficiens esset ad mortale. Quia nulla ratio est eum excusans, si suum debitum stipendium accipiat. Quomodo autem peccet famulus videns alios domesticos, vel extraneos res domini surripere, & tacens, diximus *cap.* 1. *n.* 134. (Sed plus requiri in illis, vt furtum grave sit, quam in extraneis) asserit Lugo *disp.* 16. *sed* 4. §. 2. *n.* 78. (Domini enim sciunt, attenta fragilitate humana, non posse ita fideliter ab his administrari res domesticas, quæ ipsis committuntur, vt aliquid non adhæreat manibus contrectantium. Sicut qui conducit operarios in vineam, supponit pro certo vvas ab ijs comedendas vsque ad saturitatem; nec posse bovi trituranti os alligare.) Sed hæc, vt diximus, intelligenda sunt, attenta condirione dominorum, quorum aliqui tenaciores sunt, alij liberaliores, & contenti sunt, quòd modo communi, inspecta fragilitate hominum, inserviantur. (Monendi tamen sunt mihi hoc loco prò his, & similibus casibus Confessarij) inquit optimè Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 8. *n.* 50. (vt non facilè in furtis etiam minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent; sed pro conditione, & capacitate personarum semper aliquam restitutionem injungant, quæ fiat, vel reddendo rem eandem, si extat; vel eiusdem speciei, vel pretium rei, vel compensando majori obsequio, quàm ex contractu teneatur: vel, si creditoribus non possunt, conferendo tantundem in pauperes. Hac enim ratione, cùm non impunè transeunt, magis ab huiusmodi peccatis absterrentur, quàm alijs pœnitentiolis; alioquin fiunt ad huiusmodi furtiola faciliores, & ad majora gradum faciunt.)

§. II.

De Furtis filiorum respectu Parentum, & Parentum respectu filiorum.

Superius explicata recensentur.

43 REcolenda sunt, quæ diximus *tract.* 12. *de Iustit. & Domin. cap.* 2. *punct.* 10. *à num.* 129. agentes de dominio filiorum-familiàs sub patria potestate existentium; vbi explicuimus, quæ bona sint castrensia, quæ quasi castrensia, adventitia, & profectitia. Et de castrensibus, aut quasi castrensibus habet filius, adhuc sub patria potestate constitutus, proprietatem, & administrationem; ideòque de illis disponere poterit, prout libuerit, de quibus proinde non est sermo præsens. De adventitijs est filius dominus proprietarius, sed illorum vsusfructus, & administratio residet in parentes. De profectitijs, tàm proprietatem, quàm administrationem habet pater. De istis bonis ergo, & de alijs, quorum pater est dominus, loquimur in præsenti.

Peccat filius qui notabilè furripit à patre quantitatem.

44 Igitur filius, qui notabilem summam ex bonis paternis accipit absque eius licentia, quorum dominium, vel vsusfructus est apud patrem, peccat mortaliter: ob generalem rationem, quia rem alienam accipit invito domino; licèt enim succedat parenti, nullum jus habet in eius bonis, dum vivit, nisi quod ex illis ali debeat. Et sic dicitur Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Quibus verbis sufficienter innuitur esse peccatum mortale talem acceptionem: quod omnes asserunt. Vnde illa parenti tenetur restituere; si non possit, tenetur post mortem, accepta in partitionem cum alijs fratribus adducere, nisi debitum fuerit à patre condonatum, & ex his, quæ ex testamento potest ei relinquere. (Licèt enim non valeant donationes purè liberales parentum ad filios, morte tamen confirmantur, sicut donationes inter conjuges, vt rectè asserit Villalobos *tract.* 13. *difficult.* 6. *numer.* 9.) vel nisi constet alios filios tantundem expendisse ex bonis paternis. Vel denique nisi putaret, patrem condonaturum, si rogarerur, vt docent Lugo *disp.* 16. *sect.* 4. *n.* 77. Trullench *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 7. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 13. *n.* 78. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *n.* 180. Bonacin. *disp.* 2. *q.* 10. *punct.* 1. *n.* 4. Sed neque peccaret, nec teneretur restituere, si aliter à patre non potest res necessarias accipere secun-

tundùm suum statum ad victum, vestitum, &c. quia jus habet, vt à patre sustentetur. Leg. *Si quis à liberis, §. Ibidem, ff. de Liberis agnoscendis.* Sed notandum est, quòd si pater impetret excommunicationem contra res suas furantes, vel non restituentes, non comprehendit filios, aut vxorem: si illas accepissent: quia non censetur personas adeò conjunctas, nisi exprimat, velle cum tanto rigore obligare, vt diximus *tract.* 10. *de Censur. cap.* 4. *n.* 9. Et modò tenent Villalob. *n.* 14. Bonac. *n.* 9. Sot. *lib.* 5. *q.* 3. *art.* 1. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 8.

Quibus ex capitibus filius à mortali excusetur?

45 Excusatur verò filius à dicto furto, vel si pater ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus filij vsurpet, quia potest compensari ex alijs; vel si solùm pater esset invitus quoad modum, non quoad substantiam, eo quòd similia soleat dare; vel, si peteretur, concederet; vel si esset irrationabiliter invitus, vt acciperet illa, quæ more aliorum suæ conditionis expensurus est in licitis, ac honestis recreationibus: & multò magis, si ad dandam eleemosynam acciperet in gravi necessitate. Ac tandem, si filius gerat negotia patris, potest, deductis expensis, quæ pater facit in illo alendo, pro suo labore, & industria tantundem accipere, quantum daretur extraneo, si animum non habeat gratis id faciendi, sed ob reverentiam paternam non protestari se lucrari velle; nisi constet parentem illa negotia per se facturum, aut inventurum alium, qui gratis, aut minori pretio faciat. Bonac. *n.* 8. Trullench. *n.* 11. Less. *n.* 81. Villalob. *num.* 4.

Quæ quantitas in filijs sufficiat ad mortale?

46 Sed non eadem quantitas est sufficiens ad mortale in furtis filiorum, ac extraneorum, sed maior requiritur. Illa igitur erit notabilis quantitas ad hunc effectum, quæ prudentis arbitrio, inspectis conditione status, ætate, divitijs, & alijs circumstantijs, talis judicetur. Vndè duos, vel tres aureos à patre divite accipere, non esse mortale, secus autem à paupere, vel mœchanico, docent Trullench. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 7. *n.* 1. Bonacin. *disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 13. *n.* 76. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *dip.* 9. *n.* 183. Addit Lugo *disp.* 16. *sect.* 4. *n.* 76. filium parentis habentis 1500. aureos annuos, posse absque mortali accipere 20. vel 30. in anno. Bañ. verò 2. 2. *q.* 66. *art.* 6. *§. Secundum documentum*, dicit, in filio ex parente prædivite minus 50. aureis non esse mortale. Quod in filio Principis tolerari posse, non in omnibus alijs, ait Lug. ¶ Sed non potest certa regula pro omnibus præscribi. Pendet enim ex pluribus circumstantijs, ex statu, facultatibus parentum, vsu ad quem accipitur, pluralitate filiorum, eorum ætate; ex genio patris, maiori affectu erga filium; quas ponderet circumstantias Confessarius, vt nec facilè scrupulum peccati, & laqueum, aut offendiculum inijciat filio; nec laxet multùm habenas ad furandum notabiliter de bonis paternis.

Quomodò peccent parentes accipiētes bona filiorum?

47 Parentes de bonis filiorum, qui dominium habent illorum, & administrationem, vt sunt bona castrensia, vel quasi castrensia, in debito modo, in notabili quantitate sibi, vel alijs accipientes, peccant mortaliter, & tenentur restituere: ob generalem regulam, quia rem alienam, invito domino, capiunt. Et hoc verùm est, etiamsi filij rogati concederent, vel videntes non contradicant: quia sæpè isti timore reverentiali non audent parentibus contradicere, & sæpè nec ipsi possunt illa concedere parentibus: vt sunt bona ex fructibus beneficij, quæ debent expendi in eleemosinas pauperum, quantitate, & modo *tract. præced. cap.* 2. *n.* 141. assignatis. ¶ Similiter parentes de suis etiam bonis, dum vivunt, non possunt prodiga effusione præjudicare filijs, nec donare vltra quantitatem jure permissam; relinqui ex testamento: quia filij legitimi sunt hæredes necessarij parentum, & habent jus succedendi in eorum bonis: ergo non licet ea dilapidare, aut cum prodigalitate effundere. Tapia *lib.* 5. *q.* 9. *art.* 7. *n.* 4. Villalob. *tract.* 13. *diff.* 7. *n.* 2.

§. III.

De Furtis vxoris respectu viri, & viri respectu vxoris.

Bona, quę inter conjugatos repertiũtur, recensentur.

48 PRæmittendum est, quatuor esse genera bonorum inter conjugatos. Alia, quæ sunt propria viri privativè, vt sunt omnia, quæ ante matrimonium habebat. Alia, in quibus proprietatem non habet, nec dominium, sed administrationem, vt sunt bona dotalia, quorum dominium: & proprietas est apud vxorem, & administratio, durante matrimonio, pertinet ad virum. Alia, quæ fiunt propria ipsius vxoris, & quoad administrationem, & quoad proprietatem, vt sunt bona paraphernalia; & dicuntur talia communiter, quæ vxori hæreditate, legato, vel donatione eveniunt; vel quæ proprio labore, & singulari industria ipsa acquirit; itaque horum jure communi vxor habet administrationem, ac dominium, vsusfructus autem computatur inter bona lucrativa (vulgò, *bienes gananciales*) quæ sunt communia inter illos.

Quæ sint bona paraphernalia?

49 Quamvis aliud detur genus bonorum paraphernalium, illa nimirùm, quæ vxor præter dotem reservavit ad suos vsus, leg. *Si ergò, §. Dotis*: & horum adhuc in regno Castellæ vxor habet administrationem, vt docet Sanch. *consil. tom.* 1. *cap.* 6. *dub.* 5. *n.* 21. Tap. *lib.* 5. *q.* 9. *art.* 7. *n.* 13. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 8. *n.* 12. Et ad hæc reducuntur ea bona, quæ à viro vxori determinantur pro sumptibus extraordinarijs, & voluntarijs, vt solet fieri in hispania inter Magnates, qui suis vxoribus assignant partem bonorum pro ipsarum camera. Horum igitur bonorum, quorum ipsa est administratrix, & domina, potest pro libito disponere, & expendere; nec de illis est præsens quæstio, sed de alijs enumeratis, & etiam de bonis communibus, vt sunt ea, quæ lucrantur sponsi durante matrimonio: & jure hispano, quæ quomodolibet lucrantur sponsi, communia sunt, sive ea lucretur solus vir, sive sola vxor, sive ea lucrentur de bonis patrimonialibus viri, sive de dotalibus vxoris, sive per legatum, hæreditatem, &c. *leg.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *Novæ Recopil.*

Vxor de bonis mariti accipiens, restituere tenetur.

50 Igitur omnium sententia est, vxorem aliquid in notabili quantitate accipientem, inscio, & invito marito, de bonis ipsius viri proprijs, vel de bonis communibus (vulgò, *gananciales*) vel etiam de bonis dotalibus, ac de paraphernis, in locis, vbi illorum administratio est apud maritum, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, etiamsi ad eleemosinas accipiat, etiamsi animo restituendi illa post tempus notabile, vel post mortem adducendi ad partitionem cum hæredibus mariti. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. & omnes. Et ratio Sancti Doctoris est, quia, durante matrimonio, horum prædictorum habet vir, vel dominium, & administrationem

nem in toto, vel in parte, vel generalem administrationem: ergò per notabilis quantitatis ablationem patitur grave damnum, & consequenter talis ablatio est furtum obligans ad restitutionem. Verum est, majorem requiri quantitatem ad mortale in huiusmodi furtis, vt diximus de filijs, cum quibus in hac parte vxores conveniunt.

Objectio, & solutio illius

51 Et si objicias, quòd etiam tutor habet administrationem pupilli; & tamen quia pupillus habet eorum dominium, & proprietatem, non committeret furtum, nec obligaretur ad restitutionem, si ex proprijs in notabili parte surriperet: ergò nec vxor accipiens de bonis dotalibus, quorum est domina, & maritus administrator. ¶ Respondetur esse disparem rationem, quia tutor solùm in commodum pupilli habet administrationem bonorum ipsius; & sic solum de illis disponere potest, prout expediens ipsi judicaverit. Vir autem habet generalem administrationem omnium bonorum, etiam in suum commodum, ad sublevanda onera matrimonij, ad quod subsidium dos assignatur ipsi: vndè de ipsis disponere potest prout, vtrique conjugi fuerit expediens, integra manente dote. Cùm ergò privetur tali commodo per notabilem ablationem prædictorum bonorum, patitur grave detrimentum, & erit furtum talis ablatio, obligans ad restitutionem.

Casus excipiuntur doctrinæ præcedentis.

52 Excipiuntur autem aliqui casus ab Authoribus, in quibus licitum est vxori, vel ad minùs non erit mortale, bona prædicta, etiam in notabili quantitate, accipere; de quibus agit Sanch. *consil.* 1. *p. lib.* 5. *cap.* 5. *dub.* 5. *à n.* 3. Tapia *lib.* 5. *q.* 9. *art.* 6. *à n.* 10. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. *à num.* 84. Villalob. *tract.* 13. *diff.* 8. *à n.* 2. Bonac. *disp.* 2. *q.* 10. *punct.* 1. *à n.* 3. Trullench *lib.* 7. *cap.* 5. *à n.* 9. Primus est, quando vxor dominium habet, & administrationem bonorum, vt in locis, de quibus hoc habet in paraphernis, & in Castella in bonis *n.* 49. enumeratis. Secundus, si accipiat ad donationes non omninò liberales, sed remuneratorias: quia tales vt solutiones debitorum computantur. Tertius, potest dare ad impediendum damnum mariti, vel temporale, vt Abigail, 1. *Reg.* 25. vel spirituale, eleemosynas faciendo, missas celebrari faciendo, pia loca sublevando, ne Deus ob peccata maritum puniat, vel vt convertatur, vt à magno periculo liberetur: quia sic vtilissimè negotium illius gerit. Quartus, potest accipere pro rebus familiæ, & sibi necessarijs pro victu, vestitu, medicamentis; maximè si in hoc sit negligens maritus: & etiam pro solvendis debitis ipso invito: quia est irrationabiliter talis. Quintus, quando maritus est amens, fatuus, vel absens: quia tunc ipsa est administratrix, nisi aliter à Magistratu, vel à marito fuerit provisum. Sextus, si adsit mariti expressus, vel tacitus consensus; quando scilicèt facilè concederet, si peteretur, vt constare potest ex circumstantijs amoris, & liberalitatis; quo modo communiter in his excusantur vxores. Septimus, si, etiam si invito viro, accipiat ad dandam eleemosinam extremè, aut gravitèr indigenti: quia in extrema quisque tenetur ex eo, quod supersit naturæ; in gravi ex eo, quod supersit statui.

Alij casus in quibus vxor non tenetur restituere.

53 Octavus, potest vxor donationes, & eleemosynas facere secundùm consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum, arbitrio prudentum attenta consuetudine, qualitate personæ, loci, divitiarum, &c. & accipere ex his ad ludendum, aut alias honestas recreationes, secundùm conditionem sui status; & hoc, etiamsi maritus vetet, quia judicandum est vetare excessum. Si verò etiam rem ipsam intendat prohibere, irrationabiliter faciet; & sic vxor ex hoc quòd accipiat illa, non peccabit: quia non accipit invito viro rationabiliter. ¶ Nonus, potest abscondere, & de bonis viri auferre, si maritus sit dissipator, rem communem distrahens in compotationes, largas donationes, & mulieres: quia hoc est melius servare, & marito consulere. ¶ Decimus, si timeat se non posse post mortem mariti (quia lites fortè exorientur) commodè medietatem lucri, & totam dotem recuperare, potest vti compensatione, occultè accipiendo, vt sibi, & filijs consulat: quia ipsa est domina dotis, & medietatis bonorum, & inter creditores privilegiata. Sed quidquid abscondit, debet adducere in partitionem, & annumerare cum hæredibus mariti. ¶ Vndecimus, potest ex bonis communibus, vel ex sua dote subtrahere, vt det patri, vel matri, vel filijs ex alio marito indigentibus, secundùm suum statum, tametsi repugnet maritus: quia jure naturæ tenetur eis succurrere, & maritus consentire. Et idem de fratribus, & sororibus mulieris, si eodem modo egeant: quia sicut teneretur maritus jure naturæ fratribus suis subvenire, ita & vxor. Et constat ex leg. *Mutus* 73. *§.* 1. *ff. de Iure Dotium.* Hæc omnia apud præcitatos Authores, & alios obvia reperies, ob idque ab eorum citatione in singulis abstinuimus.

Maritus bona expendes inutiliter vxoris, tenetur restituere.

54 Maritus mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem, si accipiat, sibi, vel alteri in magna quantitate de bonis paraphernis vxoris, de quibus diximus *n.* 49. ipsam habere dominium, & administrationem in nostro regno Castellæ. Et similiter si dotem, aut bona lucrativa (vulgò *ganancias*) in magna quantitate disipet: quia de dotalibus solùm habet ipse administrationem; ideòque erit infidelis administrator ea dissipando, cùm solùm sit vsufructuarius, qui fructibus rei frui potest, salva manente, & integra eorum substantia, vt diximus *tract. præced. cap.* 2. *num.* 20. Et de lucratorijs solum est dominus medietatis: & quamvis illa variabilia sint vsque ad finem matrimonij, & ideò ea alienare, & exponere possit quoad lucrum, & amissionem, *leg.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *Novæ Recopil.* & ex eis necessaria ad statum insumere: at quod post mortem supersit, est dividendum inter coniuges, & sic tenetur hæc non dissipare, aut certo periculo exponere; & poterit vxor huiusmodi bona à marito dilapidata accipere occultè ex alijs ipsius, per modum compensationis, servatis illius regulis. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 87. Sanch. *lib.* 1. *Consil. cap.* 7. *dub.* 7. *n.* 3. Covarr. *lib.* 3. *Variar. cap.* 19. *n.* 2. Tapia *lib.* 5. *q.* 9. *art.* 7. *n.* 6. Villalob. *tract.* 13. *diff.* 9. *n.* 3.

Maritus, invita vxore, non potest bona communia exponere ludo.

55 Hinc oritur quæstio, an possit maritus bona lucratoria ludo exponere, & si perdat, damnum sit commune, sicut & lucrum? Et quidem, loquendo de dotalibus, & paraphernis, certum est non licere ei ea ludo exponere, & perdita tenetur ex suis bonis restituere: & si non possit, lucrans tenetur reddere, vt rectè probat Tannerus 2. 2. *disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 6. *num.* 130. Thomas Hurtad. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 9. *resolut.* 92. *num.* 936. De alijs ergò communibus est quæstio. Et ea posse lucro exponere (nisi fortè ordinariò amitteret, & nollet vxor consentire, quia videt rem suam dissipari, & manifesto periculo exponi) docet Trullench. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 8. *num.* 17. Lessius *num.* 88. Thomas Hurtado *num.* 935. Petrus Navar. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 115. Quia est contractus fortuitus, & lucrum vtrimque possi-

possibile: & sicut communia debent esse lucra, ita, & dispendia. ¶ Sed non posse hæc maritum, invita vxore, in magna quantitate ludo exponere, sed peccare mortaliter, & teneri amissa restituere, docent meritò Gregor. Lop. *lib.* 13. *tit.* 10. *p.* 5. verb. *Ganancias*, Villalob. *tract.* 13. *diff.* 9. *n.* 3. Tapia *lib.* 5. *q.* 9. *art.* 7. *n.* 7. Quia licèt sit ludus contractus vtriusque lucrativus, experientia teste, vix vllum lucrum ex ludo reportatur, quin potius lusores videmus tandem evadere perditos. Et ideò in contractu societatis ægrè ferret socius, quòd pecunia communis ad lucra deputata ludo exponeretur. Et sic in leg. *Adeò*, §. *penult. ff. Pro Socio*, in contractu societatis eodem modo computatur id, quod in alea, aut in adulterio perdidit socius.

CAPUT VI.

De Restitutione faciendà à Religiosis ob violationem voti paupertatis.

Ratio huius capitis aperitur.

QUamvis ea, quæ hoc capite dicemus, præcipuè ad tractatum *de Statu Religioso* pertineant; sed quia etiam concernunt materiam restitutionis, ab aliquibus hoc loco pertractãtur: ideò nos illorum sequemur vestigia. Licèt enim alia prętermittamus, quæ in præsentiarum solent disputari, videnda apud Authores graves, qui de illis agunt (nec enim omnia possunt ab omnibus percurri, & à nobis plura relinquenda sunt ob brevitatem) cæterùm, quia præcipuè in hoc Cursu Religiosos instruere nitimur, doctrinam adeò illis germanam ommitere nefas duximus. Timemus namque, an tempus supperet, vt alibi de hac materia tractemus. Vndè sicut *tract. præc.* agentes de dominio, *punct. vlt.* quid ad dominium Religiosorum pertineat, brevi calamo declaravimus: sic modò reliqua ad votum paupertatis pertinentia, aliquantulum laxiori, quia materia id deposcit, percurremus, vt ex ibidem dictis, & ex modo dicendis, materia hæc de paupertate religiosa completa maneat. Et cum de religiosa paupertate agemus, quod præstabimus hoc eodem Cursu, *tom.* 4. *tract.* 15. *cap.* 6. *punct.* 1. & 2. lectorem ad hunc locum remittemus.

Dicta alibi recensentur.

Sed, vt dicenda in hoc capite melius capiantur, recolenda sunt quæ diximus *tract. præced. cap.* 2. *punct.* 12. *per sex §§.* vbi egimus de dominio, cuius sunt incapaces Religiosi in particulari: & ibidem etiam declaravimus, quarum rerum dominium possint habere, & de eis ad libitum disponere? Quomodo in communi sunt aliquæ Religiones capaces dominij, aliæ incapaces? Et inter has, quod discrimen detur? Cui acquirat Religiosus, quidquid acquirit, sive subditus, sive Prælatus, sive Beneficiarius sit, sive Episcopus, sive apostata, sive legitimè ejectus? Quomodo sit incapax testamentum faciendi, vel de rebus ad vsum sibi concessis quomodolibèt post mortem disponendi? Quæ Religiones sint capaces in hæreditate succedendi, vel adeundi legata: quæ verò vtriusque rei incapaces existant? Et alia, quæ ad statum paupertatis religiosæ in communi pertinent. Modò solum quæ ad particulares obligationes Religiosorum circa paupertatis votum spectant, attingemus. Sequemur methodum in toto hoc tractatu observatam, vt prius de modis, quibus contra votum paupertatis delinquitur; discutiamus; posteà de restitutione ob violationem talis voti exhibenda discutremus. Igitur Caput hoc continet 9. Puncta.

Punct. I. *ALiqua circa Religiosorum furta, & paupertatis votum communia recensentur.* num. 1.

Punct. II. *Quomodo Religiosus nihil accipere, aut retinere possit nomine proprio, & absque legitima licentia?* num. 11.

Punct. III. *Quomodo Religiosus sit transgressor voti paupertatis, & committat injustitiam aliqua donando, & expendendo absque Superioris facultate?* numer. 21.

Punct. IV. *Res pretio æstimabiles commodare, mutuare, permutare, vendere, aliove modo distrahere absque Prælati licentia, est contra votum paupertatis.* num. 32.

Punct. V. *Quæ materiæ quantitas requiratur, sive in pecunijs, sive in rebus comestibilibus, vt Religiosus absque licentia illas expendens, peccet contra votum mortaliter?* num. 43.

Punct. VI. *De licentia Superioris, quæ requiritur, vt in acceptionibus, vel donationibus paupertatis votum non violetur?* num. 59.

§. I. *Quotuplex sit licentia, & quænam illarum sufficiat?* num. 60.

§. II. *Quas conditiones debeat habere licentia, vt à transgressis ne paupertatis voti excuset?* num. 74.

Punct. VII. *Quam obligationem habeat Prælatus circa votum paupertatis? Et quam quantitatem possit expendere, aut dare licentiam subditis ad illam expendendam?* num. 88.

Punct. VIII. *Quomodo Religiosi possint aliqua ludo exponere?* num. 93.

Punct. IX. *De obligatione restituendi, quam habet Religiosus sine licentia donans, aut alio modo expendens, & qui ab eo recipit?* num. 99.

PUN-

PUNCTUM I.

Aliqua circa Religiosorum Furta, & paupertatis votum communia recensentur.

Furti reus est Religiosus, qui aliquid sine licentia expedit.

1 PRiusquam particulares casus decidamus, in quibus potest votum paupertatis infringi, libuit generalia quædam præmittere, vt sic faciliùs ad particularia descendamus. Igitur præmittendum est, Religiosum professum furti reum existere, si aliquid ex communi penu Monasterij subtraxerit ad suum vsum, absque licentia tacita, vel expressa Superioris; vel si quid ex bonis sibi ad vsum concessis absque simili licentia distraxerit, ita vt teneatur restituere quidquid modo dicto acceperit, vel distribuerit: quia rem alienam, vel vsum illius sine voluntate domini accipit, vel expendit. In quo decepti sunt plures ignari Religiosi, qui putant omnia bona Monasterij eo sensu communia esse, quod vnusquisque possit ex illis, quod sibi fuerit conveniens, accipere pro suo arbitratu. Sunt equidem omnia bona Monasterij communia, quia ex illis singulis sunt distribuenda, quæ necessaria sunt pro cuiuslibet indigentia: at huiusmodi distributio non est facienda à particularibus, sed ab eo, qui absolutam habet administrationem bonorum Conventus, qualis est Superior. Quare qui absque illius placitu sibi aliquid ex bonis communibus arrogat, peccat mortaliter, & tenetur restituere.

Plura, quæ Religioso, ex paupertatis voto prohibeantur.

2 Deinde, quia religiosa paupertas ex diametro dominio opponitur: & de ratione dominij est, vt dominus rei liberam habeat facultatem illam vsurpandi pro suo libito absque alterius injuria, eaque liberè vtatur independenter à voluntate alterius; obligatio paupertatis operatur, & quòd. Religiosus nullam habeat facultatem disponendi de vlla re proprio arbitratu, & quòd ea vti non possit independenter à voluntate Superioris: & sic paratus debet esse à se abdicare vsum bonorum sibi permissorum, quoties Superior voluerit, aliàs vsum illum esse proprietarium convincitur, ac independentem à Superiore: quod importat vsurpationem dominij contrariam voto paupertatis. Ita Less. *lib.2.cap.4.n.* 32. Petrus Navar. *lib.3.de Restit.cap.1.p.3.dub.1.n.* 179. Pelliz. *tr.4.cap.2.sect.3.n.* 228. Lezan. *tom.* 1. *cap.6.n.*27. Vnde non potest aliquid habere, possidere, vel eo vti tanquam proprio, id est, affectu retinendi jure suo, seu independenter à voluntate Superioris, & paratus debet esse exui omni possessione, & vsu omni momento, quo Superior jusserit; quia non potest hæc retinere, nisi cum dependentia ab eius voluntate. Nec potest quidquam abscondere, vt illud dispositioni lib[illegible]e Superioris subducat: quia hoc semper judicatum est continere culpam proprietatis, cap. *Super quodam* 4. cap. *Cùm ad Monast.6.de statu Monachorum.* Nec potest ab externis, vel domesticis quidquam accipere absque Superioris consensu: quia sicut non potest sine illius licentia quidquam retinere, ita nec acquirere, dict. cap. *Cùm ad Monast. §. Si quidquam alicui.* Nec potest quidquam commodato, aut mutuo dare alteri absque Superioris facultate ex ijs, quæ ipsi permissa sunt ad vsum: quia ipse est solùm vsuarius, habens nudum vsum facti, vt diximus *tr.12.c.2.n.21.* vsuarius autem non potest alteri vsum rei concedere: hoc enim proprium est vsufructuarij, non vsuarij, vt *ibidem* diximus.

Religiosis, quibus de necessarijs non provi detur, licet de bonis Monasterij sibi succurrere.

3 Sed rogabis primò, an si Prælatus, vel quia non potest, vel quia malitiosè vult, subditis necessaria ad victum, vestitum, curationem, iter, &c. deneget, secundùm conditionem cuiuslibet, & secundùm consuetudinem in illa Religione receptam, possit ipse subditus, absque peccato contra votum, sibi necessaria clam accipere, vel à secularibus data, vel etiam ex bonis ipsius Conventus accepta, & illis absque licentia vti, vt suæ necessitati subveniat? Respondetur affirmativè. Tùm, quia in tali casu censetur Superior irrationabiliter invitus, & subditus jure suo vtitur, quod sibi natura concessit ad occurrendum suæ indigentiæ. Tùm etiam, quia non aliter censetur votum emisisse paupertatis, nisi juxta præscriptum in Religione, & secundùm vsum, & consuetudinem illius. Tùm denique, quia, licèt Prælatus deneget, licentia à Religione ipsi tacitè conceditur, cùm præcipiat Prælatis, vt omnibus secundùm suam necessitatem provideant: in quo tacitè subditis concedit ad sibi providendum licentiam, quando Superior negligit hoc facere, vel certè non potest. Sic N. Fr. Anton. à Spiritu Sanct. *in suo Director.tr.3.disp.6.sect.2.n.*131. Bonac. *de Rest.disp.2.q.*10.*punct.3.n.*4. Trullench *lib.7.in Decal. cap.*5. *dub.9.n.*4. Pellizar. *tract.4.cap.2.sect.4.n.*268. & 270. Sanch. *in Decal.lib.7.cap.*19.*num.*54. Tambur. *de Iure Abbat. disp.*22.*quæst.*3. *n.*4. Palaus *tract.* 16. *de Statu Religioso, disp.*3.*punct.*23.*num.* 10. Hieronym. Garc. *in Polit.Regul.tract.*4.*part.*3.*diffi.*5.*dub.*1.*n.*10. & *dub.*2.*n.*2. ¶ Quod etiam pro nostris Religiosis verum censemus. Sed hoc non facilitèr, sed quando defectus esset valde notabilis: quia (vt dicitur in nostris constitutionibus 1.*part.cap.*16.*n.* 3.) recolere debent nostri Religiosi se pauperes esse, pauperumque esse modicis esse contentos, & necessarijs sæpe carere, defectumque æquanimiter tolerare; nec enim divites possunt omnia pro votis habere.

Tenetur Prælatus dare subditis necessaria.

4 Ex quo sequitur, peccare mortaliter Superiorem illum, qui est talis respectu Communitatis observantioris, in qua ex constitutionibus, vel ex consuetudine Religionis omnia necessaria regularibus tribuuntur quoad victum, & vestitum, pro itinere, & infirmitate, & etiam libros pro suo officio, & ministerio necessarios, hæc non tribuentem, subditisque dantem occasionem, quòd indecenter, & maximo cum Religionis dedecore hæc sibi quæritent, si hoc non faciat, quia necessitatibus pressus illis succurrere non potest; sed vel quia de hoc negligit, vel quia eleemosinas extendit, vel quia in superfluum domus ædificium annuos redditus Conventus expendit, vel in paramenta ecclesiæ non necessaria, vel quia plures personas sustentat, quàm possint sustentari. Hic ergo Prælatus mortaliter delinquit, & est in malo statu, dans occasionem, vt observantiæ rigor omittatur, & abusus indecentes introducantur. Alvar. *t.2.de Vita Spir.lib.*5.*p.*1.*c.*14. Bass. *in Flor.Theol.*verb. *Paupertas Religiosa, n.*13. Sylvest. verb. *Religio 6.q.*7.*fine*, Sanch. *lib.7.in Decal. cap.*23.*num.6.* Thomas Hurtado *tom.2.tract.*8.*cap.* 8.*num.*856. ¶ Vnde jure optimo monet Cardinalis Lugo *tom.*1.*disput.*3.*sect.*8.*numer.* 188. Prælatos omnes, quòd in his, quæ spectant ad victum, & vestitum Religiosorum magis inclinentur ad liberalitatem, quàm ad parsimoniam, cùm verissimum sit illud Bernardi pronuntiatum: *Vbi non est abun-*

abundantia, non est observantia; quia maximum est periculum relaxationis, si Communitas non provideat abundanter subditis intra limites paupertatis religiosæ; nam singuli illicò sibi providere procurant, & sub specie necessitatis, etiam delicias, & commoditates superfluas quærere. Vnde non debet Prælatus excogitare omnes artes, & modos excusandi sumptus; sed cum ingenua quadam solertia debet ita modum observare, vt neque ob negligentiam, & incuriam fiant sumptus superflui: nec ita huic rei debet attendere, vt tota eius cura in hoc videatur apponi; sed debet esse sicut prudens paterfamilias, qui nec parsimoniam, nec prodigalitatem affectat.

Quomodo Religiosus, peccãdo cõtra paupertatem, peccet contra justitiam?

5 Rogabis secundò, an semper Religiosus peccans contra paupertatem, peccet etiam peccato furti contra justitiam? & è contra, an semper ac peccat peccato furti contra justitiam, peccet etiam contra votum paupertatis, ita vt eius actus duplicem malitiam habeat, & sacrilegij, & injustitiæ, in confessione detegendam? Respondetur, quòd quoties Regularis absque legitima licentia res Monasterij, vel a sæcularibus absolutè donatas recipit, retinet, vel expendit, & furtum committit, & contra votum operatur; quia semper res Monasterij, invito domino, & independenter à voluntate Superioris suscipit, vel vtitur. (Res enim, quæ Religioso absolutè à sæcularibus donantur, Monasterio acquiruntur, vt diximus *tract. præced. cap. 2. n.* 205.) At si sæcularis pecunias mihi concederet, non absolutè, sed sibi retinendo dominium, & mihi vsum concedendo: & ego illis vterer absque licentia, agerem contra votum paupertatis, vsum independenter mihi assumens; non contra justitiam, quia nulli facio injuriam. Sayrus *lib. 9. Thesaur. cap. 16. num. 21.* Sanch. *lib. 7. Decal. cap. 19. n. 55. & 20. n. 7.* Fr. Hieron. Garc. *in Pol. Reg. tract. 4. par. 3. diff. 4. dub. 1. n. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 80.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 10. n. 4.* ¶ Et contra verò, posse non esse contra votum paupertatis actum, qui est contra justitiam in Religioso, asserit Sanch. *cap. 20. n. 15.* & Suar. *t. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. n. 10.* vt si à sæculari aliquid suretis, non tibi, sed Monasterio tradendum; si ex licentia Superioris rem alienam tibi surripias, vel detineas; quia tunc, etsi contra justitiam operieris, rem alienam, invito domino, auferendo, non contra votum, cùm adsit Superioris licentia. Sed certè, cùm Prælatus eam dare ad talem actum non possit, illegitima est talis licentia, & perinde ac si non esset. Vnde & furtum in illo casu, & sacrilegium committis. Nec excusaris, quòd tibi rem non velis, sed Monasterio; quia votum, non solùm obligat, ne rem tibi indebitè retinere velis; sed ne illa vtaris absque legitima licentia. Dominium enim, & vsum rei vt propriæ prohibet: vnde in illo vsu applicationis rei Monasterio absque legitima licentia, contra votum operaris, sicut ageres contra illud, si rem à Petro acciperes, non tibi, sed Paulo tradendam. Garcia *n. 8.* Less. *n. 79.* Palaus *n. 4.* Lug. *tom. 1. disp. 3. n. 130.*

Quę proprietas exigatur ad pœnas luẽdas contra proprietarios impositas?

6 Rogabis tertiò, quæ pœnæ sint in jure assignatæ contra Religiosos proprietarios? Pro quo suppone, quòd licèt, in rigore loquendo, omnis qui contra votum paupertatis operatur, proprietarius dici possit, sive quia res pro suo arbitrio expendit, sive quia rebus Monasterij, sine debita licentia Prælati vtitur, quia se gerit, vt dominus, & de rebus, vt proprijs, disponit; quod est proprie proprietarium. At in ordine ad pœnas in jure stabilitas solùm dicitur proprietarius, qui est convictus res apud se habere absque licentia Superioris; vt si crumena plena nummorum, aut alia res pretiosa in cubiculo eius reperiatur, & eam ad suos vsus absque licentia vlla probetur habere. Et ideò hunc solum proprietarium incurrere pœnas juris, docent N. Lezan. *tom. 1. cap. 6. n. 5.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. sect. 243.* Sanch. *lib. 7. Decalog. cap. 20. n. 13.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 24. n. 3.* Vnde de his proprietarijs dicitur in constitutionibus nostris *1. p. cap. 6. n. 10. Si quis de pessimo proprietatis vitio in re gravi fuerit convictus, juxta dispositionem Concilij Tridentini, activa, & passiva voce careat; & insuper in carcerem detrudatur juxta gravitatem delicti; in quam pœnam nulla cadat dispensatio.* Verum est, quòd quoties in constitutionibus nostris, vel alterius Religionis, aliud quidpiam prohibetur sub pœna proprietariorum, talis pœna illos comprehendit, qui contra tales dispositiones agunt; tametsi non sint de his, quæ jure communi sub pœnis proprietariorum comprehenduntur.

Tres pœnæ in jure assignatæ contra proprietarios recensentur.

7 Igitur, prætermissis pœnis, quæ ex particularibus institutis contra proprietarios in singulis Religionibus assignantur; & illis, quæ à Clement. VIII. in Bulla *de Largitione munerum*, de qua posteà, jure communi tres pœnæ contra huiusmodi vitij reos assignantur. Prima habetur in Trident. *sess. 25. cap. 2. de Reg.* & est privatio vocis activæ, & passivæ per biennium, & quod puniantur secundùm suas constitutiones. Sed talis pœna non incurritur, nisi post Iudicis sententiam, vt illa verba indicant: *Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit.* Secunda, quòd Religiosus habens proprium, expellatur à Monasterio, cap. *Cum ad Monasterium, de statu Monach.* Sed hoc jus iam revocatum est, vel correctum per decreta Vrbani VIII. edita 21. Septembris anno 1624. vbi, loquendo de ejectis, & apostatis, §. 2. ita dicit. *Ad hæc vt in posterum à Religione nullus legitimè professus eijci possit, nisi sit verè incorrigibilis.* Tertia est, vt si tempore mortis propriam quis habere pecuniam reperiatur, non possit in loco sacro sepeliri, cap. *Monachi, de statu Monach.* vbi decernitur, sepeliendum in sterquilinio; & quidem cum pecunia per eum possessa, cap. *Cùm ad Monasterium, eod. tit.* sed non cum totali, sed cum parte, vt Sanch. *cap. 20. n. 11.* Palaus *pun. 24. n. 1.* Laym. *lib. 4. tract. 5. cap. 7. n. 22.* & si proprietarius in loco sacro sepultus sit, extrahi debet, & abijci, si absque magno scandalo fieri possit. Cap. *Cùm super quodam, eod. tit.*

Quomodo jura privant proprietarium ecclesiastica sepultura?

8 Sed pro hac vltima pœna optimè notat Rodrig. *tom. 3. q. reg. q. 56. art. 1.* Port. *de Dub. Reg. dub. sepultura, n. 11.* Pelliz. *tr. 41. cap. 2. n. 245.* quòd jura non privant Religiosum inventum cum crumena ecclesiasticâ sepultura, nisi priùs monitus noluerit eam dimittere, & nisi nullo modo purgari possit, quòd ex tacita licentia, quòd in de situm, aliove modo sine fractione voti habuerit: imò constare debet, quòd impœnitens, & obstinatus decesserit. Quod his temporibus rarò continget, vt docet Sanch. *cap. 20. n. 13.* Lezan. *c. 6. n. 59.* Dian. *1. p. tr. 4. res. 23. & 4. p. tr. 4. res. 23.* Hieron. Garc. *tr. 4. par. 3. diffic. 5. dub. 13. n. 3.* Qui benè notat *num. 5.* quòd licèt Prælati Regulares ante patratum delictum non possint dispensare, quominus dictæ pœnæ incurrantur, quia hoc est eis in dictis juribus prohibitum; semel tamen incursis illis pœnis, in eis dispensare ex causa

cauſa legitima poſſunt; quia talis diſpenſatio reſervata non eſt in dictis decretis.

Clementina de largitione munerũ, explicatur.

9 Sed præter dicta jura aliud datur ſtrictius, & rigoroſius, non ſolum contra prædictos proprietarios, ſed contra quoſcumque Religioſos vtriuſque ſexus, qui munera quomodolibet donant, acclpiunt, aliàve contra paupertatis votum operantur, & eſt Bulla Clement. VIII. expedita anno 1594. quæ incipit: *Religioſæ Congregationes*, cum titulo, *de Largitione munerum vtriuſque ſexus Regularibus interdicta.* Vbi omnibus Regularibus vtriuſque ſexus, etiam Prælatis, etiam Provincialibus, & Generalibus, & etiam ipſis Monaſterijs, & Religionibus, omnis, & quæcumque largitio, & miſsio munerum penitùs interdicitur, etiam ex fructibus, redditibus, contributionibus, aut quibuſvis ſubſidijs, etiam à parentibus, vel extraneis donatis; & ſolùm Prælatis de conſenſu Conventus leviora eſculenta, aut poculenta mitti permittitur, ſeu ad devotionem munuſcula pertinentia: *Sed huiuſmodi miſsiones munerum ipſis Religioſis vtriuſque ſexus, non ſolùm per ſe, ſed etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohibitas, declaramus.* Et alia ſtrictiora ibi ponuntur, quæ omnia, præter pœnas proprietariorum in jure communi aſsignatas, præcipiuntur ſub pœna privationis officij, beneficij, dignitatis, ipſo facto incurrenda, & inhabilitatis ad alia; & quòd habeatur talia agens vt fur, & ſimoniacus, præcipitur: & privatur voce activa, & paſsiva, nulla expectata Iudicis ſententia. Quæ conſtitutio poſteà ab Vrbano VIII. alia Bulla, quæ incipit: *Super à Sacra Congregatione pro declaranda, & confirmanda conſtitutione Clement. VIII.* confirmata, & roborata eſt, vt refert Lezana *tom. 1. cap. 6. n. 55. & cap. 18. n. 78.*

Non eſt acceptata vſu, & conſuetudine, prædicta, clementina.

10 Veruntamen dictæ conſtitutiones Clement. VIII. & Vrbani VIII. vel receptæ non ſunt, ſaltem in Hiſpania; vel ſi quando fuerunt receptæ, iam diſſuetudine ſunt infirmatæ, prævalente contra illas oppoſita conſuetudine. Quod conſtat, tum ex praxi communi; vix enim alicubi obſervantur, quæ in Clementina ſtrictiſsimè præcipiuntur. Tum etiam, quia in dicta conſtitutione Clementis VIII. jubetur, quòd quotannis in ſingulis Conventibus Religioſorum legatur, ſcribatur in libris actuum communitatis; quod nullibi obſervatum reperies. Vnde talem Bullam non fuiſſe in Hiſpania receptam, vel, ſi recepta fuit aliquando, per diſſuetudinem vim amiſiſſe, docet Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. n. 24. 100. & 105.* Bonacin *in Appendice de Larg. mun. diſp. 3. punct. 5. n. 3.* Lezan. *locis citatis.* Hieron. Garcia *in Politic. Reg. tract. 4. part. 3. diffic. 2. dub. 4. n. 7.* Et pro alijs nationibus Peyrinis *tom. de Relig. Subdit. q. 2. de Paup. cap. 2. §. 6.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. n. 14.* Megala, Homobon. & alijs, quos refert, & ſequitur Dian. *1. part. tract. 6. reſol. 1.* Tannerus *2. 2. diſp. 6. quæſt. 3. dub. 4. n. 107.* Caramuel *in Regul. D. Benedicti diſp. 58. n. 829.* Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 8. cap. 8. n. 912.* Vidal *Inquiſ. Vnic. de Paupertate, num. 94. & 97.* Quem refert, & ſequitur N. Fr. Antonius à Spiritu Sancto Luſitanus, *in ſuo Direct. Reg. tract. 3. diſp. 4. ſect. 4. n. 233.* Et idem dicunt Garcia, Vidal, & Fr. Antonius à Spiritu Sancto, de conſtitutione Vrbani VIII. quia cùm novum jus non condat, ſed reformet antiquum, vt conſtitutio confirmativa, & declarativa illius Clement. VIII. non plus obligat, quàm illa; & cum illa non obliget per non vſum, & diſſuetudinem, neque hæc obligabit; de qua adhuc dubitant fuiſſe expedi-

tam, Lezana, & Garcia, *locis citatis.* Quare de hac duplici conſtitutione mentionem non faciemus in ſequentibus punctis, & independenter ab illis caſus reſolvemus, in quibus multoties aliter eſſet dicendum, ſecundum tenorem prædictarum conſtitutionum.

PUNCTUM II.

Quomodo Religioſus nihil accipere, aut retinere poſsit nomine proprio, & abſque legitima licentia?

Quas res poteſt Religioſus dare, & reſtituere, ſine licentia?

11 TRes ſunt præcipuè actiones, quæ Religioſis per votum paupertatis prohibentur exerceri abſque licentia Prælati, nimirum accipere, & retinere, donare, & mutuare, commodare, commutare, &c. De prima agemus hoc puncto, & de reliquis duplici ſequenti. Quomodo autem accipere, & detinere poſsit res ſpirituales, vt reliquias, Agnus Dei, manuſcripta, & alia hniuſmodi, independenter à licentia Prælati, diximus *tract. præced. c. 2. à num. 193.* Modò agimus de rebus temporalibus pretio æſtimabilibus.

Religioſus aliquid contra licentiam accipiẽs, peccat mortaliter.

12 Igitur peccat mortaliter Religioſus contra votum paupertatis (niſi ob licentiam tacitam, vel expreſſam excuſetur, vel ob parvitatem materiæ, vel vrgentem neceſsitatem) qui aliquid recipit, vel retinet animo illud occultandi, vel ex bonis Monaſterij, vel etiam ab extraneis, adhuc manente dominio apud illos, & vſu independente apud ipſum (imò, ſi abſolute donetur, etiam peccare contra juſtitiam, diximus *n. 5.*) Patet reſolutio ex pluribus textibus juris canonici, cap. *Cum ad Monaſt.* cap. *Monachi, de ſtatu Monach.* cap. *Non dicatis 12. q. 2.* Trident. *ſeſſ. 5. de Reg. cap. 2.* Et ratio eſt, quia ex vi votis paupertatis privatur Religioſus omni dominio, & vſu libero, & independenti, hoc eſt, abſque licentia ſui Prælati, & independenter ad illa. Vnde ſi à Monaſterio quidquam accipiat, furtum committit; quia licèt dominium ipſius rei maneat apud Monaſterium, accipit tamen vſum illius, invito domino; quod eſt furtum, vt diximus. Si donatum recipiat ab extraneis, peccat contra votum; quia nomine proprio vtitur re aliena pretio æſtimabili, tametſi dominium maneat apud extraneum. Nec enim votum ſolùm privat Religioſum rerum dominio, ſed præcipuè vſu independenti. Imò potiùs eſt contra votum vſus liber rerum, quàm earum dominium, & proprietas, vt bene aſſerit Azor, & Garcia infrà citandi: quia magis diſtrahit vſus, quàm dominium. Vnde rectè dixit Theodoric. Cancellar. Pariſienſ. *tract. de Pecul. Religioſorum, cap. 7. Magis nocere Religioſo vſum ſine peculij proprietate, quàm proprietatem ſine vſu.* Quid enim intereſt, quòd pater proprietatem gladij à filio auferat furenti, ſi vſum illius concedat, quo ſe, vel alios jugulare poſſet? Vnde contra vſum independentem, & liberum, præcipuè militant textus allegati. Et eſſe directè contra votum paupertatis, docent omnes Theologi. Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 4. cap. 4.* Azor *lib. 12. cap. 9. §. 1.* Hieronym. Garc. *tract. 4 par. 3. diffic. 3. dub. 2. n. 2.* Lug. *diſp. 3. n. 154.* Villal. *tract. 25. diffic. 31. n. 1.* Fr. Ant. à Spir. Sanct. *tr. 3. diſp. 6. ſect. 2. n. 134.* Sanc. *lib. 7. Decal. c. 19. n. 46.* Leſſ. *lib. 2. c. 41. dub. 9. n. 79.* Pal. *tract. 16. diſſp. 3. punct. 23. n. 4.* Pelliz. *tract. 4. cap. 2. n. 214.*

Et

Quid, si Religiosus vsũ aliquarũ rerũ accipiat, dominio manente, apud amicum?

13 Ex quo manet obiter decisa illa difficultas, an si quis libros magni valoris, vel aliam rem pretiosam, vel etiam pecunias ab amico recipiat ea conditione, vt illarum dominium apud amicum maneat, vsus verò earum perpetuus sit apud Religiosum, peccet mortaliter contra votum, supposita materiæ gravitate? (Hoc dicimus, quia si ad vsum tantum temporaneum res dictas accipiat, sive ab officina communi, sive ab extraneis, alia quæstio est, de qua agemus, *punct.* 5. tractantes de parvitate materiæ contra votum, quæ excusat à culpa gravi.) Igitur ad quæsitum respondet prima sententia, posse Religiosum absque violatione gravi voti paupertatis, absque beneplacito Prælati, in illo casu re illa vti, alijs donare, & in his, quæ sibi placuerint, consumere: quia in tali casu Religiosus non vtitur illa re, vt propria, sed est merus sæcularis minister: & cùm aliàs nullum inferat Monasterio nocumentum, cùm illius rem non consumat, non videtur Prælatus, quoad substantiam illius vsus graviter invitus, sed solùm quoad modum; quia nimirum clam, & ipso inconsulto exercetur. Sic N. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract.3.disp.6.sect.5.num.271.* Sousa *in explicatione Bullæ Clementis VIII. §. 3. num. 74. fine, & §.4.n.78.* Caramuel *in Regul. D. Benedicti, disp.6. resol. 7. num. 883. & in Theol. fundam. quæst. 31. num. 10.* Vnde, suppositâ hac sententia, inquit Diana *1. part. tractat. 6. resol. 10.* (Ex his haberent Confessarij principium satis amplum ad tollendos scrupulos, & adhibenda multa remedia in casibus occurrentibus. Nam si Monialis, seu Religiosus de illis pecunijs, seu donis non recipiat dominium, sed illud apud dantem consanguineum, seu amicum relinquat, tunc potest sine vllo scrupulo de illis rebus disponere; se enim haberet in hoc casu tanquam minister consanguinei, cuius est illa pecunia.) Sed hæc sententia illi nimis laxa videtur, & nobis.

Contra paupertatis votum peccat, qui modo dicto aliquid accipit.

14 Quare dicendum est, peccare contra votum paupertatis Religiosum in illo casu, & gravitèr, juxta gravitatem materiæ: quia (vt probavimus, *n.12.*) non solùm prohibetur ei habere dominium rerum independens, sed etiam vsum: sed in casu nostro Religiosus illa vtitur re independenter à licentia Prælati: ergo est proprietarius non minùs, ac si talem ex bonis Monasterij ad suum vsum reciperet absque licentia Superioris expressa, vel tacita; quia etiam tunc non accipit dominium rei, cùm hoc maneat apud Monasterium, sed vsum: sed quia illum habet absque licentia Prælati, est vsus proprietarius, & contra votum. Imò si talis sententia admitteretur, nunquam Religiosus peccaret contra votum, res à sæcularibus absque licentia accipiendo; quia nunquam ipse recipit dominium, cuius est incapax, sed vsum: & dominium, vel manet apud dantem, vt in casu de quo loquimur, vel apud Monasterium, si absolutè res à Religioso accipiatur: & minùs censeretur invitus Prælatus per hoc, quòd rem acciperet absolutè, quia sic Monasterium illius dominium haberet, quàm si acciperet modo, quo loquimur, cum dominium maneat apud alium. Quare peccare contra votum in casu dicto, docent Diana, *ibi, & 7. part. tract. 11. resol. 18.* Lugo *disp. 3. sect. 3. n. 50.* Sanch. *lib. 7. Decal. cap. 19. n. 49.* Lesius *lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 28.* Palaus *tr. 16. disp. 3. punct. 21. n. 4.* Pelliz. *tr. 4. cap. 2. n. 303.*

Quibus casibus Religiosus aliquid accipiens, contra votum paupertatis non peccat?

15 Sed non peccaret Religiosus contra votum, si res ab alio oblatas nolit accipere, sed donanti manifestet, se eius nomine alijs daturum: quia tunc ipse non donat, sed, illo, quasi ministro, & instrumento, alius est, qui pecunijs vtitur, & donationem facit, vt tenet Sanchez *cap. 19. cit. num. 74.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 15. num. 16.* Palaus *punct. 22. num. 4.* Diana *1. part. tract. 6. resol. 29. & 3. part. tract. 2. resol. 65.* ¶ Deinde non peccat contra votum, si rem absque licentia à sæculari accipiat, vt Superiori tradat; quia in hoc frequenter consentit Prælatus. Nec etiam si aliquid exigat ab alio, non animo recipiendi, nisi prius petita licentia, sed quia nollet frustrà petere, vult priùs animum alterius tentare, an velit dare: nec enim tunc vllum dominium, aut vsum accepit. Imò etiamsi rem ab alio donatam accipiat animo ea non vtendi, nisi petita priùs licentia; sed quia timet fore sibi Prælato immediato denegandam, vult à Superiore illam petere: vel certè expectare immediatum, qui proximè succedet, à quo sperat, quòd eam accipiat: quia in hoc nullum munus exercet proprietarij. Lugo *n. 151.* Pellizar. *num. 235.* Sanchez *n. 51.* Diana *1. part. tract. 6. resol. 42.* Addit Sanchez, quòd si dicto modo accipere sit contra regulam, aut constitutiones non obligantes ad culpam, nullum erit peccatum talem rem modo dicto detinere.

Religiosus rẽ accipiens ab amico, nõ peccat, si ea nõ vtatur absque licentia.

16 Hinc oritur quæstio, an sit contra votum, si Religiosus ab aliquo sæculari, amico, vel consanguineo petat absque licentia, vt pecunias, aut aliam rem pretio æstimabilem deponat, quasi in depositò, apud alium, vel apud ipsum Religiosum, maneute apud sæcularem dominio, & ille eas abscondat, & retineat, animo eis non vtendi antequam licentiam obtineat; sed vult commodè res ad manus habere, vt, cùm petierit licentiam, illis vti valeat? Respondetur negativè. Tùm, quia tales res solùm in custodiam recipit, vt opportuno tempore, petita licentia, ex eis suæ necessitati provideat. Tùm etiam, quia tunc nec dominium, nec vsum recipit independenter à Prælati voluntate: non dominium, quia supponimus manere apud sæcularem: non vsum, quia illis vti non vult, nisi licentia legitima obtenta. Tùm denique, quia non esse proprietarium, nec contra votum delinquere, colligitur, ex cap. *Exijt*, vers. *Cæterum*, & vers. *Ad majorem, de Verbor. significat. in 6.* & *Clement. Exivit*, vers. *Deinde, eodem titulo*, & tenent Lugo *disp. 3. sect. 8. num. 150.* Barthol. à Sancto Fausto *lib. 8. Thesaur. Relig. q. 115.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. q. 1.* vers. *At verò*, Pellizar. *tract. 4. cap. 2. sect. 3. n. 233. & 297.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 21. n. 6.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 8. cap. 11. n. 45.* Diana *1. part. tract. 3. resol. 42. & 43. & 3. part. tract. 2. resol. 65.* Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. num. 50.* citans D. Bonav. Ex illo addit id verum esse, etiamsi alius animo transferendi dominium donet, ipse verò non habeat accipiendi talem animum; quia, quandiu ipse non acceptat dominium, manet apud alium, & ab ipso res revocari potest. Et concludit: *At omnia hæc possunt esse contra regulæ præscriptum, & sunt contra paupertatis perfectionem.* Vnde non simpliciter, & gravitèr videtur docere, esse contra votum paupertatis. Et addit Pellizar. *num. 312.* quòd si generalis prohibitio in illa Religione daretur, ne quis pecunias occultè apud se retineret, regulariter non esset contra votum paupertatis eas modo dicto occultare. Sed de hoc infra *n. 65.*

Peccat Religiosus, si rẽ accipiat absque licentia.

17 Sed rogabis primò, an si quis pecunijs oblatis ab amicis, libros, vel aliàs res ad vsus emat, & palam in cubiculo cum alijs ex licentia habitis exponat, vt illas possit videre

Præ-

etiàm in cubiculo palàm exponat.

Prælatus, peccet contra votum paupertatis, & graviter, suppositâ materiæ gravitate? Negat prima sententia. Primò, quia omnia sic palam exposita possidens, voluntati, potestatique suorum Superiorum subijcit. Secundò, quia præsumitur Superioris licentia, qui, videndo tales res, eas non subtrahit. Tertiò, quia sibi non acquirit, sed Monasterio, ad quod præsumitur generalis licentia; & licèt vsum sibi applicet, regularitèr id non est mortale, cùm modicum judicetur. Sic Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 3. Ioan. Francisc. Suarez *in Enchirid. casuum conscientiæ, lib.* 3. *de Voto Paupertatis, fol.* 255. Villalobos *tract.* 35. *diffic.* 29. *num.* 7. Fr. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 137. Vidal. *titul. de Paupert. num.* 52. Machado *tom.* 2. *lib.* 5. *art.* 2. *tract.* 1. *docum.* 8. *num.* 4. Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.* 26. & 3. *part. tract.* 2. *resol.* 6. & 7. *part. tract.* 11. *resol.* 19. ¶ Sed contraria sententia amplectenda est, aliàs multùm rueret observantia paupertatis Religiosa; quia possent religiosi accipere passim ab amicis pecunias ad emenda quæcumque sibi placent, dummodo ea non occultarent, sed palam in cellis haberent; vt imagines, libros, scrinia, & alia huiusmodi. Deinde, quia, hoc ipso quòd Religiosus illas pecunias ab amico accipiat, dominium earum acquiritur Monasterio: ergo non potest ex eis aliquid emere absque licentia Prælati, cui bonorum Monasterij administratio incumbit; non secus ac si pecunias ex Communitate acciperet, vt sibi quod placet, emeret. Denique, quia cùm Superiorem lateat, an aliquid ex illis palam expositis, sit absque illius licentia habitum, non censetur dare licentiam, eo quòd palam expositum sit, cùm licentia ad penitùs incognita non extendatur. Sic Petrus Navarra *lib.* 3. *de Restit. cap.* 1. *part.* 3. *dub.* 1. *num.* 179. Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 56. Lugo *disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 153.

Peccat Religiosus, qui rē celat Superiori.

18 Rogabis secundò, an peccet Religiosus mortalitèr contra votum, si rem ex Superioris licentia acceptam celat artificiosè, ne à Superiore auferatur? Respondetur affirmativè, quia votum obligat nihil habere, etiam ad vsum, quod non sit ad nutum Superioris revocabile; & non solùm rem non recipere sine licentia, sed nec illam retinere: ille autem vult sine licentia retinere, impeditque revocationem, quando rem celat, ne auferatur. Peyrinis *de R. S. q.* 2. *cap.* 2. *§.* 1. vers. *Colligitur*, 4. Petrus Navarr. *num.* 159. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 25. & *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 79. Valentia 2. 2. *disput.* 10. *quæst.* 4. *punct.* 3. *colum.* 2. Rodriguez *tom.* 2. *Summ.* 131. *num.* 3. Pellizar. *supr. num.* 228. Lezana *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 27. Sanchez *cap.* 19. *num.* 60. Qui addit, non excusari Religiosum à mortali, quamvis paratum se esse dicat rem abdicare jubente Superiore. Sed oppositum tenet D. Bonavent. *in Opusc. Animæ, cap.* 2. *colum.* 2. *ad medium, vers.* 4. *Circa furtum.* vbi ait, tunc tantùm celare aliquid Superiori habere proprij rationem, quando Religiosus jussus virtute obedientiæ manifestare recusat. Addit Lessius, & Pellizar. adhuc Superiore jubente, non teneri Religiosum dimittere bona sibi concessa, nisi constet, alia ratione sibi ex communi penu consultum iri eius necessitatibus. Addit etiam Peyrinis, Religiosum non teneri obedire Superiori, si ei bona permissa auferat, vt sibi retineat.

Limitatio præcedentis doctrinæ.

19 At præcedens resolutio limitanda, vt non peccet Religiosus rem Superiori celans: non quia credit spoliandum, sed quia timet confusionem, ne Superior videat rem illam apud se habere: vel reprehendatur; quia ex præsumpta, & tacita licentia illam habet vel, si absque illa, ne vt proprietarius habeatur, paratus à se abdicare, vbi opportunitas fuerit, vel licentiam meliori modo, quo possit, petere: quia in his casibus non intervenit actus proprietatis, cùm sit Religiosus paratus rem illam à se abdicare ad nutum Superioris; & per illam occultationem solùm intendit fugere verecundiam, aut alia inconvenientia. Sanchez *à num.* 61. Peyrinis *quæst.* 2. *cap.* 2. *§.* 4. Fr. Anton. à Spiritu Sancto *tr.* 3. *disp.* 4. *num.* 126. & 128. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 128. &, alijs citatis, Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.* 31. Vnde infertur, non peccare mortalitèr Religiosum, qui post mensem extra Conventum iter acturus est, & in proprio cubiculo res paratas ad iter occultat, vel apud alium Religiosum, vel sæcularem; non quia timet, vt eas Prælatus auferat, sed ne ab alijs surripiantur.

Quæ inferantur ex dictis?

20 Infertur ex dictis primò, quòd si Religiosus paratus non est dimittere rem, quoties Superior jusserit, est in malo statu: quia habere rem, aut vsum illius independentem à Superiori importat vsurpationem dominij contrariam voto paupertatis: imò etiamsi paratus sit rem dimittere, tamen, si auferatur, querelas fundat, vel obmurmuret: quia tunc eas retinet, vel retinere vult absque voluntaria Prælati licentia. Sanchez *num.* 62. Rodriguez *quæst. regul. tom.* 3. *quæst.* 29. *art.* 12. *coroll.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 25. Quamquam, vt sit mortale, murmurationibus, & querelis resistere Superiori rem abstrahere volenti, debeant esse immoderatæ, & notabiliter excedentes, arbitrio prudentum, vt notavit Pellizar. *num.* 228. ¶ Infertur secundò, quòd si Religiosus rem habitam de licentia Prælati superioris occultet inferiori, ne fortè ipse ægrè ferat, & curet ei illam auferri per Prælatum superiorem, non peccat contra votum paupertatis; quia in hoc casu habet se Prælatus inferior sicut quilibet privatus, qui nequit revocare facultatem superioris. Fr. Antonius à Spiritu Santo *n.* 130. Lug. *n.* 156.

PUNCTUM III.

Quomodo Religiosus sit transgressor voti paupertatis, & committat injustitiam, aliqua donando, & expendendo absque Superioris facultate?

Donans sine licentia, contra votū paupertatis peccat.

21 SEcunda actio, quæ ex vi voti paupertatis Religiosis prohibetur, est, dare aliquid, & expendere sine licentia expressa, vel tacita Superioris. Vnde Religiosus aliquid in notabili quantitate donans, etiam ex his, quæ ad vsum sunt illi concessa, peccat mortalitèr: quia Religiosus est simplex vsuarius: vsuarius autem differt ab vsufructuario, quòd iste potest vsum rei sibi concessæ alteri concedere, vsuarius autem vti potest re sibi ad vsum concessa, non verò potest alteri dare, nedum ipsam rem distrahere, vt diximus *tract.* 12. *cap.* 2. *num.* 21. Et hinc est, quòd tàm Religiosus donans, quàm ab eo accipiens, tenetur talem rem restituere. Et quidem, si extet in propria specie, totam; si non extet, & bona fide consumpsit,

sit, id in quo ditior factus est, modo dicendo *punct. 9.* Sic Bonac. *disp. 2. quæst. 10. punct. 3. num. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 79.* Sylvest. v. *Religio 6. quæst. 7. dicto 2.* Sanchez *lib. 7. cap. 19. num. 64.* & omnes. ¶ Idem dicendum est de remissione, vt si mihi à parentibus, vel consanguineis, vel amicis deberetur talis quanticas danda quotannis, vel alio modo aliquid debitum esset ex justitia, quod non possem illis remittere absque legitima licentia: quia debiti remissio est quædam donatio, cap. *Veniens, de testibus*: donatio autem fieri non potest à Religioso sine licentia, cùm nihil habeat, aut ipsi debeatur, quod non sit Monasterij. Sic Alfonsus de Leone *de officio Confessoris, collat. 11. num. 260.* Pellizarius *tract. 4. cap. 2. sect. 3. num. 288.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. disp. 6. num. 212.* An verò debitum sibi ob artefactum, ob celebrationem missarum, ob conciones, possit remittere, vel has actiones exercere in obsequium amici, quem scit aliàs stipendia recipere, diximus *tract. præced. cap. 2. punct. vltim. num. 196.*

Potest Religiosus donata ab alio nō acceptare.

22 Cum hoc tamen stat, posse Religiosum recusare, quod ab alio sibi donatur, vel ne instituatur hæres, aut legatarius, avertere. Aliud enim est debitum remittere, aliud recusare gratiam, & beneficium. Primum facere non potest Religiosus sine licentia; quia debitum sibi, est debitum Monasterio, cuius juri cedere non potest. Vnde, mortuo testatore, non poterit recusare legatum, aut hæreditatem, cum à momento mortis statim acquirantur Monasterio hæreditatis capaci, & adiri possit talis hæreditas, vel legatum ab eo absque notitia Religiosi, cui relinquitur, & absque eius consensu. Imò etiamsi ipse post mortem testatoris, & antequam hæreditas adeatur, è vita decedat, vt diximus loco proximè citato, *n. 168.* At non tenetur Religiosus vi voti admittere beneficium, donum gratiosum, vel quod ipsi legatum relinquatur; sed hæc potest recusare, quia votum non obligat eum ad acquirendum, sed ad non alienandum, vel accipiendum; nec lucrari ex vi illius tenetur, sed non lucrari, non expendere absque licentia. Vnde non violatur votum, non accipiendo, sed magis roboratur, & perficitur. Lugo *disp. 3. num. 266.* Pellizar. *supra num. 230.* Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. num. 75.* Qui dicit, quòd si absque justa causa Religiosus donum gratiosum, aut legatum recuset, peccabit contra charitatem. Nam sicut qui impedit, ne alius mihi beneficium, vel eleemosinam conferat, absque justa causa, contra charitatem delinquit: ita qui recusat, vt hæc beneficia fiant Religioso: quia hoc ipso fiunt Monasterio, cuius impedit emolumentum. Sed meliùs id negat N. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num. 202.* Fragoso *2. part. lib. 11. disp. 24. §. 11. num. 18.* quia talia munera, dona, vel legata committuntur. vel relinquuntur, vt deserviant Religioso particulari de licentia Prælati, & non vt cedant in vtilitatem Monasterij: ergo nihil contra illud agit, qui talia accipere recusat.

Non peccat contra votū, qui volenti sibi dare aliquid, rogat, vt det amico

23 Ex quo sequitur resolutio illius casus frequentissimi apud Doctores; an videlicèt sit contra votum, si volenti mihi dare aliqua bona, rogem, vt det illa amico, vel consanguineo? Ad quod respondetur, quòd si Religiosus absolutè acceptavit, & gratias agens, roget vt suo nomine donet alteri, peccat contra votum; quia acceptatione acquirit illius rei dominium Monasterium: vnde re ipsa Religiosus donat per manum alterius, qui sibi donavit. At si non acceptet, sed alteri offerenti donum dicat: *Illo non indigeo, rogo te, vt des amico, vel pauperi*; non peccat vllo modo, quia solùm est intercessio, vt alius amico donet; & Religiosus, vt dicebamus *num præced.* non tenetur beneficium sibi oblatum acceptare. Villalob. *tract. 35. diffic. 32. num. 6.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Direct. Regul. tract. 3. disput. 4. sect. 3. num. 207.* Lugo *disp. 3. num. 166.* Trullench *lib. 7. in Decalog. cap. 5. dub. 9. n. 7.* Sanchez *lib. 6. de Matrim. disp. 4. num. 7.* & *in Decalog. lib. 7. cap. 19. num. 75.* Et idem dicendum est, si rem accipiat, non sibi, sed nomine dantis, pauperibus distribuendam, vel amicis, vt *num. 15.* dicebamus. ¶ Imò si offerenti rem exterius indicet sibi recipere, cum tamen non habeat talem animum sibi recipiendi, sed vt largiatur tertiæ personæ nomine amici dantis, non peccabit contra votum eam absque licentia alteri donando: quia tunc non accipit pecuniam vt propriam, licèt alius ita putet; nec eam donat vt propriam, sed eam accipit nomine amici distribuendam. Bassæus *in Florib. Theol.* verb. *Paupertas Religiosa, num. 14.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. n. 306. & 236.* Diana *1. part. tract. 6. resol. 29.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *n. 212.* citans Sanchez *cap. 30. n. 4.*

Potest Religiosus donationes remuneratorias facere.

24 Sed licèt Religiosus donationes gratiosas nequeat facere absque Superioris licentia, poterit tamen ex bonis sibi ad vsum concessis aliquas donationes facere remuneratorias, quia tales sunt quodammodò solutiones debiti. Licèt enim non solvant debitum ex justitia, solvunt tamen ex gratitudine. Villalob. *tract. 35. diffic. 32. num. 4.* Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. quæst. 27. art. 6.* Imò potestampliùs donare, quàm beneficium acceptum exigebat, vt dicemus *punct. 7. num. 92.*

Possunt Religiosi dare, & accipere, quæ in Religione vsu, & consuetudine sunt accepta.

25 Insuper possunt donare, & accipere Religiosi omnia, etsi sint in magna quantitate, quæ in Religione solent communiter dari, & accipi, videntibus, & non contradicentibus Prælatis, sive de bonis ipsis ad vsum applicatis, sive de bonis Conventus. Etenim hoc ipso, quòd Prælati videant, &, cùm possint, non prohibeant, censentur concedere licentiam. Quomodo excusantur moniales aliqua munuscula, & res magni valoris dantes, & accipientes in aliquibus Monasterijs, in quibus ea dare, & accipere est consuetudo. Fagundez *in Decalog. lib. 7. cap. 5. num. 11. & 12.* Pellizar. *à num. 378. & 383.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 23. num. 7.* Bassæus *suprà num. 2.* Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. num. 7.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num. 231. & 336.* Qui omnes asserunt, consuetudinem dandi, & accipiendi, inconsultis Prælatis, in aliquo Monasterio introductam, sufficere, vt excusetur Religiosos à violatione voti paupertatis; non quia consuetudo prævalere possit contra id, quod est ex jure divino, & naturali, vt est non dare, vel accipere Religiosos absque legitima licentia; sed quia talis consuetudo introducta, scientibus, & consentientibus Prælatis, censetur secum afferre tacitam, vel præsumptam licentiam Superiorum: vnde quia non est derogativa legis, sed interpretativa, voluntatis Superiorum, censetur introducta, si per decennium passim practicari à Religiosis timoratis videatur, non contradicentibus Superioribus, tametsi hoc tempus non sufficiat ad introducendam consuetudinem contra legem ecclesiasticam, vt diximus *tract. 11. de Legib. cap. 6. num. 17.*

Religiosos posse ex his, quæ sibi sub

26 Sed inquires primò, an quando aliquid sibi Religiosi subtrahunt ex his, quæ ad vsum ipsis tribuuntur, vt ad victum, vestitum, iter agen-

trahunt, donationes facere, sùt qui dicunt.

agendum; & parciùs vivendo aliqua conservant, possint inde eleemosinas, & alias donationes facere? Affirmant Valentia 2. 2. *disp.* 10. *quæst.* 4. *punct.* 3. *corollar.* 3. Rodriguez *quæst. reg. tom.* 3. *quæst.* 29. *art.* 10. *concl.* 3. Aragon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. Cenedo *de Paupert. Relig. dub.* 17. *num.* 9. Sylvester, Sarmiento, Turrecremata, quos refert, & sequitur Diana 1. *part. tract.* 3. *resol.* 19. & 28. Quia dicunt adesse ad hoc interpretativam, seu præsumptam Prælatorum licentiam: & quia in his rebus, quæ vsu consumuntur, non distinguuntur vsus, & dominium. Vnde cùm Religiosis detur vsus rerum prædictarum, etiam dominium conceditur; proindeque poterunt illis vti, prout libuerit. Hæc opinio, loquendo de propria pictantia, & alijs rebus, quæ vsu consumuntur, probabilis nobis videtur; quia, vt diximus *tract. præced. cap.* 2. *num.* 23. probabilis est opinio asserens, in his rebus vsum, & dominium non distingui; sed quia oppositum ibi diximus probabilius, & modò sic judicamus, aliter respondendum est ad quæsitum.

Verior est cõtraria sententia.

27 Dicimus ergo, quòd quando certa quantitas assignatur Religioso ad suam sustentationem, vel aliam necessitatem, ea conditione, vt Monasterium nihil ampliùs teneatur ei dare, nec ipse rationem reddere, sed vt suo damno, & commodo eam impendat; vel si ei non dantur necessaria, sed vel nihil, vel pars, & reliquum vt sibi quærat, relinquitur; tunc poterit ex his, quæ sibi subtrahit, facere donationes, vel eleemosinas. Et à fortiori hoc poterunt Religiosi extra Monasterium ex legitima licentia viventes, nec ab eo aliquid recipientes, sed de suo labore, industria, aut eleemosinis victum comparantes. Sed sive intra claustra commorentur, sive extra, si prædicto modo à Monasterio certa quantitas assignetur, quod inde subtraxerint, poterunt ad suum beneplacitum erogare.

28 At si Religiosis nulla quantitas assignetur, sed omnia necessaria pro victu, vestitu, & itinere ipsi concedantur, non poterunt quod inde subtraxerint, pro suo arbitratu distribuere. Et ratio primi est, quia licèt modo prædicto sibi subtrahentes acquirant Monasterio; cæterùm ea lege illa quantitas à Superioribus censetur assignari, vt si quid defuerit, quærant, vel parciùs vivendo sufferant; si quid subtraxerint, in vsus licitos, & honestos impendant. Quæ ratio cessat, quando Religiosis sine taxa omnia necessaria conferuntur. Vnde quidquid, parciùs vivendo, sibi subtrahunt, acquirunt Monasterio, & ipsi sunt meri vsuarij: vsuarius autem non potest vsum rei sibi concessæ alteri conferre, in quo differt ab vsufructuario: vnde non poterit, nec, sibi pictantiam subtrahendo, alteri dare absque Prælati licentia. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 100. & 101. Hieronym. Garcia *in Polit. Regular. tract.* 4. *part.* 3. *diffic.* 3. *num.* 7. Villalob. *tract.* 35. *diffic.* 32. *num.* 4. & 29. *num.* 220. Palaus *tract.* 16. *disp.* 3. *punct.* 22. *num.* 2. Abulens. *in cap.* 6. Matth. *q.* 6. vers. *Dicendum, quod si assignata.* Molina *tom.* 2. *de Iustit. disp.* 276. *col. antepenult.* vers. *Religiosus in Conventu.* Aragon 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *col.* 3. vers. *Ex quo sequitur tertia differentia.*

Quid nostri Religiosi teneantur facere in hac parte.

29 Ex quo fit, quòd cum nostris Religiosis absque vlla quota quidquid necessarium sit, concedatur, sive in domo, sive extra domum, vt habetur in nostris constitutionibus 1. *part. cap.* 11. *num.* 8. quidquid, parciùs vivendo, sibi subtraxerint, vel illis ob eleemosinas in itinere erogatas superfuerit, mox tradere Prælato tenentur, vt praxis perpetua fert Religionis. Verum est, quòd si aliquibus hoc modo non concederentur, possent sibi subtrahentes, donationes facere, sicut alij. Imò addunt Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 228. Fagundez 2. *part. lib.* 7. *Decalog. cap.* 5. *n.* 29. Religiosum iter agentem de licentia suorum Superiorum, posse recipere munera sibi ab aliquo donata pro expensis, etiamsi sint ampla; & quod supererit, dare, & consumere in licita, & honesta; quia id facere censetur esse de licentia tacita Prælati, nulli enim prudenti Prælato id displicere potest; & si displiceat, erit inordinata displicentia. Sed hæc nimis laxa nobis videntur.

Procuratores, & officiales, quid possint donare, & expendere.

30 Inquires secundò, an possint Religiosi ex bonis sibi ad vsum concessis, vel ex bonis Monasterij aliquas eleemosinas facere? Pro resolutione nota, triplex esse genus Regularium. Alij sunt Prælati: de his non loquimur modò, quia *punct.* 7. de illis ex professo agemus. Alij sunt Procuratores, Æconomi, & alij officiales Conventus. Alij sunt Religiosi privati, qui nec sunt Prælati, nec officium, aut aliquam administrationem rerum habent. Loquentes igitur de officialibus, dicimus eos non posse, vel eleemosinas facere, vel alias donationes vltra id, quod ipsis est à Prælatis commissum. Quarè peccant mortaliter, si vltra facultatem, quam habent, aliquid, inconsulto Prælato, etiam in pia opera expendunt; vel si sumptus extraordinarios faciant, etiam in commodum Conventus; vel emant, aut vendant res notabilis quantitatis, præter id, quod est ipsis commissum; nisi ex ignorantia, inadvertentia, bona fide, aut parvitate materiæ excusentur: (ex quibus capitibus fratres laici talia agentes solent excusari) quia ipsi non sunt domini, nec administratores absoluti bonorum Conventus; sed ex commissione, & quasi delegatione Prælati id habent dependenter ab eius voluntate: commissarius autem, vel delegatus, si excedat facultatem delegantis, agit nomine proprio, & vt dominus, quod est directè contra votum paupertatis. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Villalob. *tract.* 35. *diffi.* 32. *n.* 2. Hieronym. Garcia *tract.* 4. *p.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 9. *n.* 6. Sanchez *lib.* 7. *Decal. cap.* 19. *n.* 93. Azor *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 3. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 9. Palaus *tract.* 16. *disp.* 3. *punct.* 22. *n.* 3. Rodriguez *quæst. regul. tom.* 3. *q.* 20. *art.* 10. *concl.* 1. Fr. Anton. ab Spiritu Sancto *tr.* 3. *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 267. Pellizar. *tr.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 294. & 313.

Non potest Religiosus aliquas eleemosinas facere, nisi in aliquibus casibus.

31 Cæteri verò Religiosi nullas eleemosinas, aut donationes alias justas, & pias facere possunt absque tacita, vel expressa Superioris licentia, cap. *Cum ad Monasterium, de statu Monach.* cap. *Non dicatis,* 12. *quæst.* 1. Et si secus fecerint, tenentur expensas restituere, vt tenent omnes Doctores cum D. Thoma 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Et probat S. Doctor, eo quòd administratio bonorum Monasterij pertinet ad Superiorem; & sic ad ipsum spectat eleemosinas facere, vel bona Monasterij piè, & prudenter expendere. ¶ Sunt tamen aliqui casus, in quibus communiter ab Authoribus admittitur, posse Religiosos eleemosinas facere, non expectato Superioris consensu, eo quòd tacitus detur, & jure optimo præsumptus. Primus, si pauper sit in extrema necessitate; quia tunc tenetur Superior consentire, cùm omnia sint in eo casu communia. Secundus, si magnam necessitatem patiatur, nec pateat aditus ad Superiorem: quia tunc adest illius tacitus consensus, vt succurratur indigenti. D. Thomas in

in 4.dist.15.q.2.art.5. quæstiunc. 4. corp. Tertiùs, quando Religiosus ex legitima licentia Superioris extra Monasterium versatur causa vacandi literis, peregrinationis, & alicuius negotij, tunc poterit ex his, quæ sibi ad victum à Monasterio dantur, vel aliunde accipit, eleemosinas facere: quia ita habet consuetudo recepta, & ita decet fieri apud omnes, si sint moderatæ. Et tunc moderatæ censentur, quando eas largitur, quas alij peregrini honesti eiusdem Ordinis, & conditionis solent erogare: & in omnibus Religionibus vltra hoc sunt aliquæ donationes leves permissæ, si fiant consanguineis, amicis, benefactoribus, in signum gratitudinis, & beneficij recepti, vel in significationem debitæ amicitiæ, vel ad conciliandum eorum amorem in beneficium Religionis.

PUNCTUM IV.

Res pretio æstimabiles commodare, mutuare, permutare, vendere, aliove modo distrahere absque Prælati licentia, est contra votum paupertatis.

Non potest Religiosus commodare, aut permutare absque licentia.

32 NOn solùm per votum paupertatis prohibetur Religiosis aliquid dare, vel accipere absque legitima licentia; sed etiam res temporales commodare, mutuare, vendere, permutare, sive intra, sive extra Monasterium, etiam ex his rebus, quæ sibi ad vsum sunt applicatæ, vt omnes tenent Doctores. Et ratio est: tùm, quia isti actus sunt actus proprietarij, nisi enim dominus rei, non potest alius aliquo modo ex dictis illam distrahere. Tùm etiam, quia Religiosus est merè vsuarius, habens vsum facti, non juris, vt dicitur à Nicol. IV. in extravag. *Exijt de Paradyso.* Vsuarius autem non potest alteri permittere vsum rei concessæ, *§. 1. & 2. Instit. de vsu, & habit.* Sed in rebus parvi momenti, & crebriùs occurrentibus, omnes concedunt censeri datam tacitam licentiam ad illas actiones: quia in convictu humano alitèr absque multis scrupulis fieri non posset. Et vt conservetur amicitia inter Religiosos eiusdem, vel diversæ Religionis, quòd sibi invicem aliquem librum, vel rem non magni valoris mutuent, judicatur conveniens.

Quomodo possit Religiosus aliqua mutuare, aut commodare?

33 Et etiam in rebus magni valoris, quando res mutuatur, aut commodatur personæ, de qua certum est, quòd restituet intra, vel extra Monasterium, sive sint libri, sive vestes, sive pecuniæ: quia in commodato, non transfertur dominium, sed vsus; & vsus ad breve tempus res parva censetur, & sic non est rationabilitèr invitus Prælatus. Et licèt in mutuo dominium transferatur, quia mutuum nihil aliud est, quàm ex meo tuum: quia tamen est cum obligatione restitutionis, & in nostro casu cum certitudine, quòd restituet, nullum damnum considerabile patitur Monasterium. Vnde non est, cur Prælatus rationabilitèr quoad substantiam censeatur invitus. Ledesma *in Addition. ad Summ. tom. 2. cap. 4. dub. 2. fol. 97.* Peyrinis *de Relig. Subditis, tom. 1. cap. 2. q. 2. §. 5.* Fr. Anton. ab Spiritu Sancto *in Direct. tract. 3. disp. 4. sect. 5. n. 279.* Diana *1. part. tract. 6. resol. 37.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 22. num. 1.* Hieronym. Garcia *in Polit. Reg. tract. 4. p. 3. diffic. 3. dub. 2. n. 5.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. n. 281.* ¶ Sed crediderim limitandam esse hanc doctrinam, vt intelligatur de rebus ad vsum Religiosi concessis; non verò de rebus Monasterij, si res magni valoris essent per multum tempus mutuandæ, aut commodandæ; quia multum deteriorari poterunt, & frequentèr has res mutuare ægrè Superiores ferunt. Hæc videant, & attendant Religiosi, & non nisi magna cum circumspectione res Monasterij alijs commodare, vel mutuare pro suo arbitratu tententent. Sic Garcia *loc. cit.* Lugo *disp. 3. n. 157.* Tamburin. *de Iur. Abbat. disp. 22. q. 10. n. 3.* Fr. Ioan. de la Cruz *in Epitom. lib. 1. cap. 3. dub. 4.*

Non potest Religiosus mutuò, aut commodato aliquid recipere.

34 Sed sicut Religiosus absque licentia non potest mutuare, aut commodare; ita nec commodatò, aut mutuò aliquid recipere: quia per mutuum transfertur dominium, cuius sunt incapaces Religiosi; & accipitur cum onere restituendi, ad quod non tenetur Religio; nec ipse Religiosus acceptum exhibere potest absque licentia, & ideò nec sibi tale onus imponere absque illa. Per commodatum autem, etsi non transferatur dominium, transfertur vsus, qui est pretio æstimabilis, & in Religioso non potest dari independens. Cæterùm vt Religiosi aliquid mutuò accipiant, sufficit tacita licentia, & hæc præsumitur adesse, quando res est modica. Vel, etiam si gravis sit, est necessaria ad vsus, quibus Religio solet, & debet providere: & aliàs Prælatus est absens, vel non potest facilitèr adiri. Et tunc sicut Religio tenetur de his necessarijs providere Religiosis, ita etiam solvere, quod cum tali licentia ab ipsis est mutuò receptum. Et adhuc si non detur talis licentia, vt sit peccatum grave mutuò aliquid recipere, requiritur maior quantitas, quàm ad expendendum, vel donandum. Quare nisi excedat summam decem aureorum (quia illa quantitas non recipitur, nisi ad vsum per breve tempus) censetur materia levis. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. num. 44.* Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. num. 75.* Pellizar. *suprà num. 283.* Fr. Anton. à Spiritu Sancto *num. 281.* ¶ At verò, quia per commodatum non transfertur dominium, sed tantùm vsus; & accipere vsum ad breve tempus non censetur gravis materia, non peccabit mortalitèr Religiosus, etiam absque licentia res magni valoris accipiens commodatas, si ex tali commodato nullum damnum patiatur Monasterium. Et hoc etiamsi rem cum tali conditione commodatam acceperit, quòd ipse duntaxat illa vti posset, si aliàs paratus esset, Prælato id præcipiente, eam à se abdicare; quia adhuc liberum relinquitur Superiori illius vsum à subdito auferre. Pellizar. *num. 284.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num. 288.*

Donata sub conditione, si Prælatus consentiat, nō est cōtra votum.

35 Sed rogabis primò, an sit contra votum paupertatis rem donare, vendere, mutuare, vel alio modo alienare sub ea conditione, si Superior licentiam conferat, & aliter nihil factum sit? Negativè respondendum est, etiamsi res ementi, vel mutuò, aut commodatò recipienti tradatur; sed sub conditione vt reddenda sit, Prælato licentiam denegante, quia conditio nihil ponit in esse. Vnde illa alienatio non est absoluta, sed suspensa manet vsque ad eventum conditionis: & sic, illa non posita, est quasi non esset facta. Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. num. 69.* Lugo *disp. 3. num. 161.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. sect. 3. num. 219.* Hieronym. Garcia *tractat. 4. part. 3. diffic. 5. num. 13.*

Ro-

Posse Religiosum absque mortali res permutare, aliqui dicunt.

36 Rogabis secundò, an Religiosus peccet contra votum mortaliter, si cum extraneis res magni valoris ad vsum sibi concessas commutet, inconsulto Superiore, Monasterio hinc nullam jacturam patiente? Negat prima sententia, quæ dicit, posse Monachum cum sæcularibus vestes, libros, laminas commutare pro alijs rebus eiusdem valoris. Tùm, quia illa commutatio non videtur materia gravis, eo quòd semper Monasterium cum æquali valore permanet. Tùm etiam, quia ex vna parte nullum detrimentum patitur Monasterium: & ex alia illa commutatio non habet rationem distractionis, aut consumptionis, nec censetur Superior rationabiliter quoad substantiam invitus, & sic datur eius licentia tacita. Sic Layman *lib.4.tr.5.cap.7.n.4.* N. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract.3.disp.4.sect.5.n.* 304. Caramuel *in Regul. D. Benedicti, disp.* 65. *n.970.* Diana 1.*part.tr.6.resol.38.& 3.part.tr.2.resol.* 65. *& 7.part.tr.11.resol.21.* Et probabilem dicunt Ledesma *in Addition.ad Summam, tom.2.cap.4.dub.7. fol.99.* Ioann.de la Cruz *de Statu Religios.lib.1.cap. 2.dub.4.concl.* 2.

Peccatũ est mortale rem in magna quãtitate permutare absque licentia.

37 Secunda sententia (cui subscribimus) dicit esse peccatum mortale res magni valoris, & diversæ rationis, vt vestes pro libris, libros pro imaginibus, commutare, tametsi maior quantitas in his requiratur, quàm si venderentur, aut donarentur. Quia commutare est actus dominij, cùm transferat dominium rei ad alium: ideòque validè fieri nequit, nisi ab habente dominium rei, vel illius absolutam administrationem: & aliàs communiter censetur Superior graviter invitus, vt ipso non adito, Religiosus, vt dominus, disponat de re, cuius non habet nisi merum vsum. ¶ Et confirmatur hoc (per quod solvitur fundamentum contrarium) quia non sufficit, vt excusetur Religiosus à transgressione voti paupertatis, quòd Monasterium eiusdem rei, vel æquivalentis valoris dominium accipiat, si ipse illa vtatur independenter à Superioris consensu, aliàs etiam posset illam vendere: siquidem per hoc pretij æquivalentis dominium accipit Monasterium. Non recusant admittere sequelam aliqui ex adversarijs; sed immeritò, cùm nihil magis adversetur paupertati religiosæ, quàm rem vendere, Superiore inconsulto. Nec ibi datur tacita licentia (ad quam ipsi recurrunt) nam in rebus diversæ speciei, & rationis non censetur adesse, sed Prælatus quoad substantiam alienationis invitus judicatur. Aliàs quando non daretur talis licentia? Quando res distrahere, & alienare esset contra votum paupertatis? Nobiscum tenet Lugo *disput.3.num.* 157. Sanchez *lib.7.Decalog. cap. 19.numer.67.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesaur.Regul.lib.7. quæst.* 158. *numer.* 3. Pellizarius *tractat.4.cap.2.sect.3. numer.* 286. Peyrinis *de Relig.Subd.quæst.2.cap.2. §. 5.* At verò si commutatio fiat in rebus eiusdem rationis, vt liber pro libro, imago pro imagine, res videtur parvi momenti, ad quam tacitam adesse licentiam Prælati concedentis illas res ad vsum, meritò docent Lugo, Peyrinis, & Sanchez.

Aliquæ doctrinæ benigne circa donationes Religiosorũ recensentur.

38 Hinc alia dubitatio insurgit, an si talis commutatio rerum diversæ rationis fiat inter Religiosos eiusdem Conventus, sit peccatum mortale? Negare tenentur omnes primæ sententiæ Authores, si consequentèr loquantur; quia faciliùs præsumitur licentia ad dandum, commodandum, &c. cum Religioso eiusdem Conventus, quàm cum sæcularibus; & cum Religiosis eiusdem Ordinis, quàm alteriùs: quod omnes asserunt. Quarè prima sententia negat esset peccatum mortale contra paupertatem, si res, quamtumvis magni valoris, cum rebus Religiosorum eiusdem Conventus commutentur: quamvis esset contra regulam, & sic contra obedientiam, si in ea oppositum juberetur. Quia cùm dominium maneat intra Religionem, & solus concedatur vsus, licentiam tacitam adesse præsumitur. Sic Bordon. *tom.1.resol.43.num.* 75. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 297. Vidal. *Inquisition.vnic.de Paupertat.num.79.* Diana 7. *part. tract.11.resol.31.* Et à fortiori id tenentur asserere illi, qui dicunt posse, sine præjudicio voti paupertatis, Religiosos eiusdem Conventus sibi invicem quæcumque donare, inscio Prælato; vt libros, laminas, picturas, etiamsi valeant mille aureos: quia quidquid acquiritur, semper acquiritur Monasterio, & dominium remanet apud illud; cui parum interest, quòd lamina, vel liber sit in cubiculo huius, vel illius. Sic Machado *tom.2.lib.5.part.2. tract. 1. document.8.* Fagundez *de Præceptis Ecclesiast.tract.2.lib.8.cap.6. à num.* 4. Llamas *in Metaphysic. part. 4. cap. 9. §. 12.* Peyrinis *de Relig.Subd. quæst.2. cap. 2. §. 6.* Diana 7. *part. tract. 11. resolut. 20.* Caramuel *in Regul. D. Benedicti, disp. 64.numer. 665.* Qui etiam addit *numer.* 971. non esse contra paupertatem, & sic non obligare ad restitutionem, si quis rem, quantumvis pretiosam, è cubiculo alterius Religiosi eiusdem Conventus clanculùm acciperet ad sibi retinendum, & ea vtendum; quia dominium semper remanet apud eundem dominum: quamvis fateatur esse contra charitatem, si proximus multùm perturbaretur: & etiam contra justitiam, si damnum inde illi proveniret, aut si auferret manuscripta, quorum ipse dominium habet, vt diximus *tractat. præced. cap. 2. número 195.* & contra votum paupertatis, si animo illa occultandi Prælato accipiat, vel extra Monasterium donandi.

Impugnatur præcedens doctrina.

39 Sed hæc omnia nobis nimis laxa videntur: & ab hoc vltimo incipiendo, fatemur, dominium apud Monasterium manere; sed non solùm est furtum, & contra justitiam rem sub alterius dominio existentem clanculùm accipere, vt suam faciat; sed etiam vsum alteri debitum, vel applicatum, vt diximus *cap. præcedenti*, ex communi Doctorum sententia, *numer.* 2. explicantes diffinitionem furti: ideòque furtum esse diximus, qui rem suam alteri commodatam, locatam, vel appropriatam, ipso invito, clanculum acciperet. Cum ergo Religiosus, de quo loquimur, habeat rem sibi ad vsum legitimè applicatam, furtum committit alius: & sic contra votum operatur, illam invito ipso accipiendo; quia privat illum vsu sibi debito ex suppositione applicationis Prælati, & sibi arrogat indebitè vsum rei alienæ: & sic etiam ex hac parte operatur contra votum paupertatis. Vnde quamvis verum sit, maiorem quantitatem requiri, vt sit peccatum mortale, quando Religiosus donat, aut mutuat alteri Religioso eiusdem Conventus, vt dicemus puncto sequenti; tamen, vt sit peccatum mortale furti aliquid ab eo, ipso invito, surripere, eadem quantitas sufficit, ac si auferret illam ab extraneis, rectè docet Villalobos *tract. 35. diffic. 31.num.* 2.

Recẽsita sẽtentia quoad aliquas partes impugnatur.

40 Deinde quòd in prædicta sententia asseritur, nempe quòd possunt Religiosi eiusdem Conventus sibi invicem donare, res inter se commutare;

quia dominium semper remanet apud Monasterium, est contra id, quod dicitur in cap. *Monachi*, cap. *Cùm ad monasterium*, *de statu Monach.* cap. *Non dicatis*, 12. *quæst.* 2. quibus textibus præcipuè prohibetur Religiosis vsus rerum independens, vt probavimus *num.* 12. Et contra id, quod docet Nicolaus IV. extravag. *Exijt*: vbi docet Religiosum solùm esse merum vsuarium, & vsum facti habere: & (vt dictum est multoties) vsuarius potest vti re sibi concessa, non vero alteri concedere talem vsum, in quo differt ab vsufructuario: sed Religiosus, qui absque licentia Prælati alteri donat, vel cum eo rem permutat, vtitur vt proprietarius re sibi concessa, & suo nomine, vt dominus, non dependentèr ab alterius voluntate; & vsum alteri concedit sibi tantùm permissum, qui sunt actus proprietarij: ergo peccat contra votum paupertatis, & quidem graviter, supposita materiæ gravitate. Ita docent Villalobos *suprà num.* 1. Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 66. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 1. *§.* 6. Lugo *disp.* 3. *num.* 170. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *quæst.* 7. Garcia *tr.* 4. *part.* 3. *diffic.* 3. *num.* 6. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 273. Quamvis fateamur majorem quantitatem requiri, vt sit peccatum mortale aliquid dare, mutuare, permutare cum Religioso eiusdem Conventus, quàm cum extraneis: & quæ quantitas requiratur, dicemus *puncto sequenti*. Modò advertimus cum Bonacina *disput.* 2. *de Restitut. cap.* 10. *punct.* 3. *num.* 9. Trullench *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 5. *dub.* 9. *num.* 3. quòd ficut, vt aliquis peccet mortalitèr, vsurpando rem alienam ad aliquem vsum, quo vsu res non consumitur, animo restituendi illam post vsum, non est attendendus valor rei, sed valor talis vsus; ita proportionabilitèr in præsenti: & quoties diximus peccare Religiosum vsum rei sibi vsurpando, manente apud Monasterium dominio.

Non potest vnus Religiosus ab habente licentiam dandi, si sint sub diverso Prælato, recipere.

41 Sed pro complemento huius doctrinæ inquires, an si vnus Religiosus petat licentiam, vel in generali, ad donandum talem quantitatem, cui voluerit; vel in particulari, ad dandam illam tali Religioso (& idem est de commodato, & mutuo) hæc licentia sufficiat, vt alius sine prejudicio voti paupertatis rem illam accipiat, sine nova licentia accipiendi, si vterque sit subditus eiusdem Prælati? Si namque subditus eiusdem Prælati non sit vterque, indubitatum est, indigere recipientem nova licentia: quia hìc datur duplex impedimentum; alterum ex parte dantis, ne possit sine licentia dare; alterum ex parte recipientis, ne possit sine licentia accipere; & quando vterque subditus est diversi Prælati, non potest qui vnum aufert, alterum tollere, vt ex se constat. Loquimur ergò quando vterque eiusdem Prælati est subditus, an per hoc, quod vnus, vel in generali, vel in particulari habeat licentiam dandi, alter sine nova licentia possit accipere? Et idem judicium ferendum est vice versa, si vnus habeat licentiam accipiendi in generali, vel in particulari, an alter possit donare sine nova licentia ad dandum; quia eadem ratio currit in vtroque casu, vt consideranti constabit.

Si sub eodē Prælato duo existant, si vnus habet licentiā dandi, alter habet recipiendi.

42 Igitur ad quæsitum respondet prima sententia negativè, asseritque, recipientem nova indigere licentia, etiamsi sint subditi eiusdem Prælati; nisi ex indicijs constaret, Prælatum dantem licentiam vni ad expendendas pecunias in aliquos vsus honestos, velle alteri dare licentiam accipiendi: quia hìc datur duplex impedimentum; aliud ex parte dantis, aliud ex parte recipientis; & licèt Prælatus possit vtrumque tollere; potest tamen vnum tollere, & non aliud: & non censetur tollere ex parte vnius, per hoc quòd tollat ex parte alterius. Sicut Pontifex dispensans cum Petro habente votum castitatis, vt contrahat matrimonium cum qua voluerit, non censetur auferre à fœmina habente votum castitatis impedimentum, vt cum illo nubat; sed hæc nova dispensatione indiget, vt impedimentum ex parte ipsius tollatur. Ita Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 72. Bartholom. à Sancto Fausto *lib.* 8. *Thesaur. quæst.* 182. Alfonsus de Leoue apud Pellizar. *loco infrà citando.* ¶ Cæterùm licèt de rigore juris ex parte vtriusque licentia requiratur, vt probat argumentum Sanchez; tamen ex benigna interpretatione voluntatis Prælatorum oppositum tenendum est, & dicendum, quod per hoc quòd Prælatus det vni licentiam ad expendendum, & dandum, cui voluerit, censetur dare alteri licentiam ad recipiendum. Tùm, quia si dat licentiam, vt donet externis; multò magis censendum est, vt donet suis subditis; ac proinde vt isti recipiant, quia faciliùs conceditur hæc facultas, quàm illa; cùm minus detrimentum per hoc patiatur Monasterium. Tùm etiam, quia dare, & accipere sunt correlativa: ergo licentia dandi extenditur, vt alter recipiat: quia quod in vno correlativo statuitur, etiam in alio locum habet. Quemadmodum Episcopus dans licentiam subdito, vt ab alio Episcopo ordinetur, etiam dat alteri Episcopo facultatem, vt illi ordines impertiatur. Sic Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 65. citans Ioannem Franciscum Suarez, Pellizarius, *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 5. *numer.* 429. Lugo *disput.* 3. *num.* 169. affirmans ita sibi responsum esse à Reverendissimo admodum P. Mutio Vitelleſco eiusdem Societatis Generali.

PUNCTUM V.

Quæ materiæ quantitas requiratur, sive in pecunijs, sive in rebus comestibilibus, vt Religiosus absque licentia illas expendens, peccet contra votum mortalitèr?

Furta Religiosorū debēt computari vt furta filiorum familiàs.

43 EX Duplici capite excusari possunt à mortali Religiosi aliquid accipientes, retinentes, expendentes. Primò ob parvitatem materiæ. Secundò ob licentiam legitimam Prælati. De hoc secundo capite agemus *punct. sequenti*, modò de primo disputamus. Et loquimur priùs de quantitate requisita ad mortale in pecunijs, vel rebus vsu non consumptibilibus; posteà dicemus de rebus, quæ vsu consummuntur, vt sunt esculenta, & poculenta. Pro quo regulam hanc generalem statuimus; quæ licèt ab aliquibus non admittatur, à pluribus Doctoribus defenditur: nimirum furta Religiosorum, vt furta filiorum esse computanda; & ideo id quod in filijs est materia gravis, quando aliquid clanculum ex bonis parentum accipiunt; erit etiam in Religiosis, quando eodem modo ex bonis Monasterij aliquid accipiunt. Et ratio est, quia Superiores non debent credi magis inviti erga suos subditos quoad res furtivè acceptas, quam patres erga pro-

proprios filios: nec minùs liberales esse debent de patrimonio Christi, quod nec proprio labore, ac sudore acquisierunt, nec à suis parentibus hæreditarunt; quàm parentes de suo, quod vel jure hæreditario acceperunt à suis majoribus, vel ipsimet proprio sudore compararunt. Sic Sanchez *lib.7.Decalog.cap.21.num.31.* Rebellus *1.part.lib.3.quæst.15.sect.3.n.22.* Fagundez *lib.7.Decalog.cap.5.n.2.* Pellizar *tr.4.cap.2.sect.4.n.354.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract.3.disp.4.sect.4.n.187.* Ledesma *in Addition. ad Summam,tom.2.cap.4.dub.6.fol.95.* Cenedo *tr. de Paupert. Relig.dub.20.n.10.* Navar. cap. *Non dicatis 12.quæst.1.n.62.* Caramuel *in Regul. D.Benedicti, disp.63.n.944.tom.2.tr.35.diffic.31.n.2.* & alij.

Quædã circa doctrinã traditam notantur.

44 Sed circa hoc principium tria sunt advertenda. Primum,quòd si Prælati Regulares talia Religiosorum furta ægriùs ferunt, & severiùs puniunt, quàm patres, in quo se invitos ostendunt; non tamen sunt inviti quoad substantiam,sed quoad modũ; quia nimirum Religiosi expendunt, aut accipiunt, non petita licentia:sic accipientes contra votum paupertatis, & contra vitæ religiosæ institutum committunt peccatum (intra limites venialis) grave. Et si Prælatus in tali casu fuerit invitus quoad substantiam, irrationabilis est eius displicentia: quia non se gerit vt pater, quod certè facere debebat. Vnde Religiosus non ob id peccat mortalitèr contra votum paupertatis. Quemadmodum Doctores asserunt, filios non peccare mortalitèr surripiendo ex bonis parentum, quotiescumque quantitas ablata judicio prudentum non censetur notabilis: ita vt ij non possint esse rationabilitèr, & gravitèr inviti quoad substantiam. Sic præcitati Authores. ¶ Secundo advertimus, quòd licèt *cap.præced.à num.45.* loquentes de furtis filiorum majorem quantitatem designaverimus, quando parentes sunt ditissimi, aliam quando mediocritèr divites; quia tamen Monasteria regularitèr parum pecuniosa reperiuntur, facienda erit comparatio communitèr cum furtis filiorum respectu parentum, qui mediocritèr sunt divites. Et licèt Monasteria aliqua sint pauperiora, non ob id erit comparandum furtum Religiosorum cum furto filiorum parentum nimis pauperum; cùm Monasteria, tametsi indigentia, semper eleemosinis, & Religiosorum operibus plura recipiant, vt meritò comparari debeant cum furtis filiorum, quorum parentes habent mediocritatem bonorum temporalium; quamvis minor quantitas sufficiat ad mortale in Religiosis Conventuum pauperiorum, quàm illorum, qui ingentes redditus habent annuatim. ¶ Advertimus tertiò ex omnium sententia Doctorum, majorem quantitatem requiri, vt sit mortale donatio, & acceptio ex bonis à sæcularibus receptis, quàm ex bonis communibus; & adhuc major, si donatio fiat Religiosis eiusdem Conventus, quàm extraneis. Quæ omnia arbitrio prudentum pensanda sunt, cùm vix possit in singulis casibus quota determinata assignari.

Objectio illorũ, qui asserunt furta Religiosorũ non se habere, vt furta filiorum-familiàs.

45 Sed aliqui graves Doctores, qui nolunt admittere furta Religiosorum cum furtis filiorum esse comparanda, vt Lugo *disp.3.sect.8.numer.172.* Hieronym. Garcia *tractat.4.part.3.diffic.3.dub.1.* objiciunt, quòd Religiosi non se habent vt filij, sed vt partes Communitatis, ad quam pertinent illa bona: filij autem censentur quasi spe domini bonorum paternorum, in quibus proximè debent succedere; atque adeò benignius cum eis agitur, quia accipiunt quasi de suis,hoc est, de illis, quæ proximè futura sunt sua; at Religiosus nunquam potest succedere in bonis monasterij. Igitur illius furtum computandum non est sicut furtum filiorum. ¶ Respondetur, quòd licèt Religiosus nunquam habeat succedere in bonis Monasterij, & ex hac parte à filijs vincatur; tamen hoc ipso quòd sit pars communitatis, & quidquid laborat, & acquirit,Monasterio acquirat; & Prælatus non sit dominus bonorum, sicut pater, sed administrator rerum, quæ sunt illius Communitatis, ex hac parte superat filios familiàs, qui plurima bona sibi acquirunt, nec sunt actualitèr partes parentum, qui sunt domini: & ob hanc rationem etiam est benignius cum illis agendum, sicut propter illam agitur benigniùs cum filijs. Sicut licèt vxor non succedat in bonis mariti; quia tamen est pars adeò conjuncta cum ipso, vt simul cum eo curet bona communia augere, aut conservare, benigniùs agitur cum ea in hac materia; & sic furtum illius cum furtis filiorum comparatur in omnium sententia: sic philosophandum est in præsenti.

Quantitas ab aliquibus assignata pro furtis Religiosorũ gravibus.

46 Sed quia diximus, arbitrio prudentum pensandum esse, quæ sit materia notabilis in acceptionibus, vel donationibus Religiosorum; vt prudentes aliquam lucem accipiant ad cognoscendum, quæ materia possit censeri gravis, Doctorum gravissimorum placita recensebimus, vt ex illis, quod rationabilius judicetur, amplectamur. Lugo Cardin. asserit, quòd in Conventibus mediocribus sex argenteos accipere, aut dare ex bonis communibus erit mortale. Si ex destinatis ad vsum alicuius 7. aut 8. Id ipsum ponit Pellizarius pro Ordinibus paupertatis observantioribus. Pro alijs verò, in quibus minùs viget hæc observantia paupertatis, majorem ponit, sed nullam determinat. Ledesma *in Addition. ad Summ.tom.2.cap.4. dub.6.fol.95.* quem refert, & sequitur Cenedo *tract.de Paupert.Relig.dub.20. numer.10.* dicit esse materiam gravem bis in anno 8. vel 9. regales accipere. Rodriguez *in Summa tom.4.cap.128.num.27.* & *29.* Soto *lib.5.de Iustitia,quæst.3.art.3.ad 3.* & probabile dicit Aragon *2.2.quæst.66.articul.3.conclus.3.fol.mihi 286.* dicunt, non esse mortale,nisi ascendat ad duos aureos. Sed non explicant, quid intelligant nomine aurei; ideò sumendo valorem aurei in quantitate minima, qua in hispania accipi solet, quæ est 13. regalium,erunt 26. regales, præter pretium, & valorem, quæ solent extrinsecè habere: & prædicti Authores absolutè loquuntur, non distinguendo Ordinem, aut Monasterium. Sanchez verò *lib.7.in Decalog. cap.20.num.3.* & *6.* quem sequitur Palaus *tract.16.disp.3.punct.20. num.3.* Fragos. *2.part.lib.12. cap.24.§.12. num.16.* assignat pro materia gravi quatuor argenteos communitèr, & regulariter, quamvis major quantitas requiratur pro ditioribus conventibus: & adhuc maior, si res accepta sit ex vestibus, libris, & alijs huismodi nemini applicatis, quàm ex pecunijs; quia minùs dedecet ex illis,quàm ex istis aliquid accipere, inscio Prælato. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tr.3.disp.4.n.194.*

Eãdem doctrinã prosequimur.

47 Sed si ab extraneis aliquid recipiatur ad dandum, vel expendendum, adhuc major quantitas requiritur, vt sit mortale, vt inquit Suarez *tom.3.de Religione,lib.8.cap.15.* arbitrio viri prudentis. Valero Carthus. verb. *Munera, num.65.* assignat ex his 8. regales. Fr. Hieronym. Garcia *tractat.4.part.3.diffi.3.dub.2.num.3.* citans Leandrum de

de Murcia, Castrum Palaum, Dianam, & alios; assignat pro materia res valoris plusquam 60. argenteorum. ¶ Si tamen res donentur alteri Religioso eiusdem conventus, meritò asserit Suarez, *num.* 6. majorem requiri quantitatem ad culpam gravem, cùm res illa adhuc maneat intra monasterium: ideòque si ex rebus sibi ad vsum concessis vnus alteri donaret 10. aut 12. regales, non peccare mortaliter contra votum, asserit Coriolan. *de Casibus reservatis, part.* 2. *casu* 8. *num.* 6. Ledesma *vbi suprà*, extendit vsque ad 20. argenteos: Fr. Antonius à Spiritu Sancto, *num.* 195. si res ablata, vel donata non sint pecuniæ, sed res pretio æstimabilis, non esse mortale, si vnus alteri Religioso conferat librum, vel vestem valoris quinque aureorum, quia adhuc manet res illa intra dominium Conventus. Et sic parum læditur per hoc, quòd vsum sibi vsurpet, aut alteri donet, docent idem Emmanuel Rodriguez *in Summa*, 1. *part. cap.* 90. *num.* 11. *concl.* 1. Sanch. *cap.* 16. *n.* 66. Pellizar. *n.* 155. Lug. *n.* 176.

Eadem doctrina concluditur.

48 Ex his patet, non posse pro singulis personis, & casibus certam regulam assignari, cùm diversa quantitas requiratur, quando res Religiosis eiusdem Monasterij confertur, quàm extraneis: & adhuc respectu horum diversa, si res ex bonis Monasterij accipiatur, ac si accipiatur ab extraneis donantibus: & etiam ex bonis Monasterij diversa, si ex communi penu surripiatur, aut donetur, ac si donetur ex bonis ad vsum concessis: & etiam diversa denique, si à Conventu ditissimo surripiatur, ac si à paupere; & diversa in Religionibus strictioris pauperratis, ac in alijs. Vnde judicio prudentum, rebus vndecumque pensatis, judicandum est, quando major sufficiat ad mortale, quando minor. Ideoque pro nostris Religiosis certam quotam statuere difficillimum est. Ex dictis poterunt sibi prudenter consulere; quibus melius erit semper, & vbique regulas observare: quod inquit Fr. Ildefonsus Rodriguez, *tract.* 3. *cap.* 14. ibi: *El Religioso que trata de perfeccion, hase de poner en essas contingencias, y peligros? Si lo que recibiò, diò, ò guardò, llega à cantidad, que baste para ser pecado mortal, ò no? Pida licencia, y salga de escrupulos.*

Res à monasterio accipere ad vsum tẽporale, non est materia gravis.

49 Sed inquires primò, an sit materia gravis sufficiens ad mortale, sumere clanculum, aliquam rem ex loco publico, non ad vsum perpetuum, sed ad vsum temporalium; vt vnum, vel alterum librum ex bibliotheca communi, animo illum postea reddendi in locum suum? Affirmant Sanchez *cap.* 19. *num.* 57. Bonacina *de Restit. disp.* 2. *quæst.* 10. *punct.* 3. *num.* 5. Trullench *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 9. *num.* 5. Quia licèt dominium maneat in Communitate, accipitur vsus independens, qui est contra votum pauperratis. Quamvis moneant, non esse æstimandum, quid res ipsa valeat, vt quantitas gravis judicetur; sed quantum vsu æstimetur, qui est longè inferioris valoris. ¶ Sed ob hanc rationem nos dicimus, regulariter non esse mortale talem acceptionem, etiamsi accipiatur per multum tempus. Tùm, quia valor illius vsus regulariter non est tantæ quantitatis, vt sufficiat ad mortale in hac materia; cùm dixerimus, majorem valorem requiri ad mortale, quando res, & non pecunia accipitur: maiorem, quando solùm ad vsum temporalem: majorem, quando res manet apud Monasterium. Tùm etiam, quia tunc præsumitur interpretariva voluntas Prælati, & solùm censetur iste invitus quoad modum, non quoad substantiam. Villalobos *tract.* 35. *diffic.* 29. *num.* 8. Pellizarius *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 271. Bassæus *in Florib. de paupertat. Religiosa, num.* 4. Azor 1. *part. lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 3. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tr.* 3. *disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 147. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 2.

Limitatio præcedentis doctrinæ.

50 Dixi in resolutione præcedenti, non esse regulariter peccatum mortale: nam si liber sic occultè acceptus esset ex his, qui alijs sunt valdè necessarij, & eum occultasset per aliquot menses, alijs id gravissimè ferentibus, non poterit vsus ille excusari à mortali cum tanta Communitatis repugnantia. Sic, citato Lugo, N. Antonius à Spiritu Sancto, *num.* 147. Qui *num.* 148. hæc optimè addit: (Et idem à fortiori dicendum est de accipiente ex alterius cella librum ipsi à Prælato applicatum. Licèt enim regulariter non sit hoc peccatum mortale; aliquando tamen mortale erit, quando ex defectu libri illius graviter, & rationabiliter offenditur, qui eum habebat, ob damnum inde proveniens. Quod præsertim locum habet, quando ex alterius cella quis accipit manuscripta concionum, aut alterius generis, eaque sibi transcribit; est enim vsus illorum pretio æstimabilis ob singularitatem, quæ addit magnam æstimationem. Quare interdum non deesset, qui vsum illum, & facultatem transcribendi pretio fortasse 20. aut 30. aureorum emeret. Ita Lugo *de Iust. disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 154. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 326. Quæ omnia meritò sunt prohibita magnis pœnis apud nostrates, vt patet *ex* 1. *part. nostr. constitut. cap.* 9. *num.* 2. *& cap.* 7. *n.* 5.)

Proponitur quæstio, & explicatur.

51 Inquires secundò, an Religiosus paulatim ex bonis Conventus modica accipiens, dans, vel accipiens ab extraneis sine licentia, peccet mortaliter, & teneatur restituere, si ad notabilem deveniat quantitatem? Et non est dubium, an in ipsa vltima acceptione peccet ratione acceptionis, an ratione detentionis gravis quantitatis, vt *cap. præced. num.* 20. agentes de furto, similem quæstionem resolvimus; sed an absolutè peccet mortaliter, sive recipiendo, sive retinendo? Et loquimur in casu, quo præteritorum furtorum recordetur. Nam si non recordetur illorum, omnes asserunt non peccare in vltimo mortaliter. Ac tandem loquimur, casu quo furtiola præterita non fuerint restituta; vel ipsi tacitè, vel expresse non fuerit condonata, modo quo restitutio fieri debet à Religiosis, *Puncto nono* explicando: nam si iam præcedentia restituit, omnes asserunt, per vltimum furtum parvæ quantitatis non delinquere mortaliter: sicut, agentes de furtis sæcularium, diximus *cap. præced.*

Sententia asserens, non peccare Religiosũ parva accipientem, si perveniat ad magnã quãtitatem.

52 Igitur ad quæsitum prima sententia respondet, non peccare mortaliter Religiosum, nec ad restitutionem teneri, si cùm illa parva accipit, aut donat, non intendit vsque ad magnam quantitatem accipere, aut donare; sed postea advenit alia actio furandi, & aliud in parva quantitate, & postea aliud, & aliud eodem modo accipit, vel expendit: sive sint de bonis Monasterij, sive de acceptis à sæcularibus donantibus. Quod etiam in furtis parvæ quantitatis, quando ad grandem pervenitur, dicit evenire. Et probat, quia sicut multa peccata venialia nunquam possunt facere vnum mortale, quantumcumque simul sumpta: ita huiusmodi furtiola, nisi vniantur in voluntate ascendendi ad magnam quantitatem, quantumvis conjungantur, non excedunt limites peccati venialis. Ita Granad. 1. 2. *controvers.* 6. *tr.* 2. *disp.* 2. *(sect.* 5. *num.* 49. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 4. Navarr. *lib.* 3. *Consil. in prima edition. consil.*

conſil. 3. *de Statu Monach. num.* 27. licèt oppoſitum docuerit *in Manuali*, Lorca, Filliucius, Rodriguez, quos refert, & ſequitur, tanquam probabile, Diana 1. *part. tract.* 6. *reſol.* 34. ¶ Ex parte ſequitur hanc ſententiam Lugo Cardin. *diſp.* 3. *ſect.* 8. *numer.* 180. Vbi ſic aſſerit: (Ego exiſtimo, rarò contingere, quòd in Religioſo, qui non ex induſtria modica accipit, cum animo perveniendi ad aliquid magnum, perveniatur propter multa modica ad peccatum grave contra votum paupertatis. Quod quidem à poſteriori conſtat ex conſenſu Prælatorum, qui nunquam graviter contra eos offenduntur, vel graviter puniunt, vt proprietarios, eos, qui ita ſolent in modicis contra paupertatem deficere: nec Confeſſarij eos, qui ſæpe de defectibus levibus contra paupertatem ſe accuſant, vrgent tanquam de peccato gravi, propter illam culpam ſæpe repoſitam) Hæc Lugo. Quæ poſteà ex ſuis principijs ratione à priori probat, quàmvis aliquam limitationem adijciat: & vt probabilem tenet iſtam ſententiam, Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *ſect.* 4. quatenus oppoſitam, quam ipſe tenet, dicit eſſe probabiliorem.

Qui modica accipit, perveniendo ad quantitatē magnam, peccat mortaliter.

53 Secunda verò ſententia (cui nos adhæremus) dicit peccare mortaliter, & teneri reſtituere Religioſum, qui, modica furando, pervenit ad magnam quantitatem, ſive ſit accipiendo modica ab extraneis donantibus ſine licentia, ſive ex bonis Monaſterij communibus, vel ad vſum ſibi deputatis ſine licentia expendendo; ſicut diximus de furtis minimis, quando per illa pervenitur ad furtum magnæ quantitatis, *cap. præced. num.* 17. Et probatur ratione ibi poſita; quia licèt ex pluribus venialibus vnum mortale non coaleſcat; tamen in caſu noſtro illud vltimum furtum, vel illa vltima diſtributio non eſt peccatum veniale, ſed mortale: quia quantitas, quam attingit, quamvis levis ſecundùm ſe videatur; vt continuata tamen cum præcedentibus, eſt gravis. Ita, loquendo de furtis, tenent Soto, *lib.* 5. *de Iuſt. quæſt.* 3. *art.* 3. Rebell. 1. *par. lib.* 3. *q.* 11. *ſect.* 5. Sanch. *lib.* 1. *Decal. cap.* 4. *n.* 9. & 10. Reginal. *tom.* 2. *lib.* 23. *cap.* 1. *q.* 4. Et loquendo de Religioſis idem Sanch. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 21. *à n.* 30. Tambur. *tom.* 2. *de Iure Abbat. diſp.* 22. *q.* 8. *n.* 12. à Sanct. Fauſto *in Theſaur. Relig. lib.* 8. *q.* 189. *n.* 3. Garcia *in Politica Regul. tr.* 4. *par.* 3. *diffic.* 4. *dub.* 2. *n.* 3. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 10. *punct.* 3. *n.* 2. Villalob. 2. *p. tr.* 13. *diffic.* 3. ¶ Sed (vt diximus *loc. cit.*) maior quantitas requiritur in his furtiolis, vt vna grandis conſurgat, quam ſi ſimul tota furaretur; & adhuc maior, quando à diverſis perſonis, vel in actionibus diverſi generis; vt ſi alia eſſet datio, alia acceptio, &c. Quod tenent Leſsius *lib.* 2. *cap.* 12. *lib.* 8. *n.* 46. Sanch. *n.* 17. Rebellus *n.* 43. Diana 1. *part. tract.* 6. *reſol.* 34. §. *Dico tertiò.* Et licèt reſtituere teneatur, qui ſic indebite contra paupertatem operatur; non tamen graviter tenetur totam reſtituere quantitatem; ſed illam partem duntaxat, qua reſtituta, ceſſat notabilis quantitas ad mortale requiſita.

Datæ doctrinæ limitationes.

54 Sed aliqui præcedentem aſſertionem limitant, vt tunc dicta furtiola coaleſcere in vnum cenſeantur ſufficienter ad mortale, quando fiunt in eodem genere negotij, vel animo diteſcendi, vt vendentes, qui vtuntur menſuris, & ponderibus falſis; non verò ſi in diverſo rerum genere, aut diverſis negotijs, aut dolis, abſque animo diteſcendi. Sic Rebellus *n.* 44. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 8. *punct.* 2. *num.* 3. Tanner. 2. 2. *diſp.* 4. *q.* 6. *dub.* 9. *n.* 287. Quos refert, & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 6. *reſol.* 34. §. *Sed ſtando.* ¶ Sed hanc limitationem non admittimus cum Sanchez *num.* 16. quia licèt (vt diximus) maior quantitas in illis caſibus ad peccatum mortale requiratur; ſi tamen reipſa ad notabilem acceditur, parum intereſt, quòd ab vno, vel à pluribus, in vno genere negotij, vel in diverſis auferatur; cum ſemper maneat quantitas notabilis, & conjuncta cum alijs: & per iſtum reſpectum ad alias præcedentes acceptas datur in vltima peccatum grave, tametſi illæ factæ non ſint animo diteſcendi, vel perveniendi ad magnam quantitatem. ¶ Admittimus autem aliorum limitationem, qui aſſerunt tunc illas actiones contra votum paupertatis continuari, & in vnam gravem coaleſcere, quando non ſunt exercitæ magna interpollatione; quia, moraliter loquendo, per magnam interpollationem videntur diſcontinuari. Quæ autem longa interpollatio judicetur, inquit Sanchez *numer.* 10. cum alijs à ſe conſultis eſſe vnum annum intercedentem inter vnam, & alteram: at alij dicunt ſufficere, ſi ſpatium vnius menſis, vel dimidij. Sic Garcia *diffic.* 4. *dub.* 4. Diana *ſuprà*, §. *Dico tertiò.* Filliucius *tom.* 2. *tract.* 31. *cap.* 10. *num.* 244. Fr. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 4. *ſect.* 4. *numer.* 157. vbi aliquas contra hoc objectiones diſſolvit.

Religioſus à ſæcularibus eſculenta recipiens, non peccat contra votum.

55 Inquires tertiò, an qui paulatim comeſtibilia accipit abſque licencia, peccet mortaliter, & teneatur reſtituere, ſi perveniat ad notabilem quantitatem? Pro reſolutione tria ſupponimus. Primò, quòd ſi Religioſus aliqua eſculenta, vel poculenta à ſæcularibus donata recipiat, etiamſi ſint in magna quantitate, vel magni valoris, non peccat mortaliter contra votum paupertatis (Si hoc fuerit contra Regulam, Conſtitutiones, vel præceptum, peccabit graviùs, vel leviùs, ſecundùm quod illa obligant: & quidem contra obedientiam, non contra paupertatem; & ſic abſque obligatione reſtitutionis) quia præſumitur tacita licentia Prælati, & ipſe ſolùm invitus quoad modum, nimirum, quòd clam, ipſo inconſulto, accipiantur; non verò quoad ſubſtantiam ipſius receptionis: & licèt Prælatis hoc maximè diſpliceat, & meritò; non verò quia reputant illam materiam gravem in ordine ad paupertatem; ſed quia eſt gravis in ordine ad perfectionem religioſam. Ioann. de la Cruz *de Statu Relig. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 3. *concluſ.* 3. Lugo *diſp.* 3. *num.* 179. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Direct. tract.* 3. *diſp.* 4. *num.* 181.

Res comeſtibiles Monaſterij in magna quātitate accipere, eſt mortale.

56 Supponimus ſecundò, eſſe peccatum mortale contra paupertatem, res comeſtibiles ex Monaſterio in magna quantitate ſimul accipere: quia in hoc rationabiliter cenſetur quoad ſubſtantiam invitus Superior, cùm ex tali ſurreptione magnum patiatur detrimentum Monaſterium, quamvis maior quantitas requiratur in his rebus, vt ſit mortale. Quare Rodriguez *tom.* 4. *cap.* 118. *numer.* 27. & 29. dicit, non eſſe mortale, niſi ſint valoris duorum aureorum. Palacios *tract.* 16. *diſp.* 3. *punct.* 21. *num.* 2. affirmat ſufficere, & requiri valorem vnius aurei. Sed omnes in eo conveniunt, requiri maiorem quantitatem, quam ad hoc, vt violetur paupertas in alijs rebus. Vt teſtatur Lugo *ſect.* 8. *num.* 178. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 159. Sanch. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 21. *num.* 33. Sed inſpici debet an ſint eſculenta pretioſa, vt conſervæ, & alia facharo condita: nam tunc minor quantitas ſufficit, quàm ſi eſſent communia eſculenta; & eorum maior quantitas requiritur, quando adeſt illorum abun-

abundantia, & cùm in fundo Monasterij producuntur, quàm quando pecunijs emuntur, & adest illorum inopia, vti ex Sanchez, & Lugone docet Fr. Anton. à Spiritu Sancto *num.* 176.

Si res comestibiles Monasterij conserventur, est contra votum.

57 Supponimus tertiò, quòd si ex ordinarijs esculentis accipiatur aliquid paulatim, non ad vsum præsentaneum, vel ad idem prandium cum socio, sed vt reserventur, vt inde paulatim possit, qui surripit, accipere, quando voluerit, erit peccatum mortale contra votum paupertatis, si perveniatur ad materiam notabilem in his rebus sufficientem ad lethale, quando simul accipiuntur; quia tunc nulla præsumitur, etiam tacita, voluntas Prælati: nec currit ratio, quare id denegandum est, quando ad vsum præsentaneum accipiuntur, vt asserunt præcitati Authores. Idem dicendum est, si paulatim accipiantur ad dandum extraneis, & non ad vsum ipsius Religiosi, propter eandem rationem. Ac tandem idem dicendum est secundum sententiam communem, si dicta esculenta sint extraordinaria, vel ex his, quæ reservantur pro hospitibus, vel infirmis, vel ad aliquam Communitatis solemnem recreationem; quia par non est, vt propter gulam vnius, honesta recreatione Communitas privetur. Quæstio igitur est, an sit peccatum mortale paulatim ex comestibilibus ordinarijs aliquid absque licentia accipere de bonis Monasterij ad vsum præsentaneum ipsius Religiosi, si per hæc repetita furtiola perveniatur ad magnam quantitatem.

Esculenta Monasterij paulatim accipere, non est mortale.

58 Respondetur ad quæstionem, non esse mortale, modo dicto, repetitis vicibus aliqua comestibilia accipere, etiamsi perveniatur ad quantitatem aliàs sufficientem ad mortale; quia tunc censetur adesse tacita licentia Prælatorum; & ipsi solùm quoad modum, non quoad substantiam censentur inviti, ad minus non cum tanto rigore, vt obligare velint ad mortale; si hoc voluerint, erit irrationabilis talis voluntas. Etenim Prælatis, si prudenter, ac debitè procedant, non displicet talis acceptio, quà surreptio est, sed quà clandestina; quia ipsi vt parentes se gerere debent, & Religiosos, vt filios tractare. Familiare autem est filijs hæc clam à parentibus accipere; & parentes debent annuere, saltem quoad substantiam actionis, licèt ipsis displiceat, quòd fiat clam, & absque ipsorum expressa facultate. Ita Hieronym. Garcia *in Politica Reg. tract.* 4. *part.* 3. *diffic.* 4. *dub.* 2. *numer.* 2. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Direct. Regul. tractat.* 3. *disput.* 4. *sect.* 4. *numer.* 282. Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 20. *numer.* 30. & 31. Palaus, *tractat.* 16. *disput.* 3. *punct.* 21. *numer.* 2. Bonacin. *tract. de Larg. munerum, disp.* 1. *punct.* 5. *numer.* 7. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *numer.* 258. & 261. Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.* 35. Lugo *disput.* 3. *sect.* 8. *numer.* 168. Tanner. 2. 2. *disp.* 7. *quæst.* 3. *dub.* 4. *num.* 106. Quòd etiam asserunt, verum esse, tametsi animum accipiendi habeat hæc minima ad proprium vsum, pluribus, & repetitis vicibus; ita vt non dubitèt perveniendum ad magnam quantitatem; quia non excusamus eum à mortali ratione discontinuationis, sed ob præsumptam Superioris voluntatem. Vnde rectè addit Tanner. *loc. cit.* *Nullam Prælati severitatem huiusmodi acceptiones, quoad substantiam rei acceptæ, iniquas reddere posse.*

PUNCTUM VI.

De licentia Superioris, quæ requiritur, vt in acceptionibus, vel donationibus paupertatis votum non violetur.

Licentia nō est dispensatio legis, sed impletio.

59 PRæcipuum caput, vnde excusantur Religiosi à transgressione voti paupertatis, est licentia Superioris, qua semel legitime posita cum conditionibus, quas requirit, omninò liberat à peccato in hac materia; non quia ipsa licentia sit quædam voti dispensatio, vt quidam perperam asserunt. Dispensatio namque (vt diximus *tract.* 11. *de Leg. cap.* 5. *n.* 1.) est quædam legis relaxatio: & ideò dicitur vulnus legis, quia eam debilitat, & enervat, & ex parte tollit. Licentia verò in nostro casu (*vt ibidem n.* 7. diximus) non est vulnus legis, sed potiùs impletio illius. Non enim lex voti paupertatis prohibet, ne quid donetur, aut accipiatur; sed quod absque licencia non accipiatur, nec donetur. Quare si illa ponatur, ponitur quod lex requirit, vt acceptio, & donatio fiant modo debito. Duo igitur in præsenti nobis agenda sunt. Primò, quotuplex sit licentia? & quænam illarum sufficiat, vt datio, & acceptio fiant absque peccato? Secundò, quas conditiones requirat licentia ad hunc effectum? Quod duplici paragrapho explicabitur.

§. I.

Quotuplex sit licentia, & quænam illarum sufficiat?

Triplex licentia explicatur.

60 TRiplex potest considerari licentia, nimirum *expressa*; illa videlicèt, quæ verbo, vel scripto expresse concedit facultatem ad aliquid dandum, vel accipiendum: *tacita* quando nimirum hìc, & nunc præsumitur Prælatum id velle; vnde solet dici *præsumpta*, & *interpretativa*; quia præsumitur tunc adesse voluntatem Prælati, & ita rationabilitèr interpretatur, ad quam reducitur illa, quæ habetur ex epikeia: *virtualis*, & est illa, quæ in alia expressa continetur; vt si tibi ad iter agendum licentia concedatur, consequenter conceditur licentia ad omnia, quæ requiruntur ad tale iter; vel si officium aliquod tibi commendentur, habens annexam talem, vel talem actionem, donationem, acceptionem, distributionem, quæ ab habentibus tale officium in illa Religione solent exerceri, virtualiter conceditur licentia ad eas operandum. De licentia expressa, & etiam virtuali, indubitatum est sufficere in quacumque Religione ad excusandum à transgressione voti paupertatis. Quare solùm est difficultas circa licentiam tacitam; & maior, quando tacitam adesse licentiam censeatur?

Licet Religiosis vti tacita licentia.

61 Dicendum itaque est, quòd in Religionibus, in quibus non est præceptum, regula, aut lex præcipiens, vt nemo absque expressa licentia quidquam accipiat, aut donet, sufficit tacita licentia ad dandum, accipiendum, permutandum, &c. absque peccato mortali (multoties autem erit veniale; quia præsumitur, saltem quoad modum, Prælatus invitus.) Maximè si Superior adiri non po-

potest, & vrget occasio dandi: &, etiam si Superior possit adiri, quando rationabiliter Superiorem id velle præsumitur. Et probatur: tum, quia taciti, & expressi eadem est virtus, *cap. 2. de Rescriptis, leg. Cùm quid, de rebus creditis.* Tùm etiam; quia eo ipso, quòd quis ex tacita licentia Superioris operatur, non agit nomine proprio, sed alieno, & dependenter à voluntate Prælati. Tùm denique ex benigna interpretatione voti paupertatis, quod præsumi non debet extensum fuisse ad licentiam expressam, moralitèr impossibilem: & tunc solùm censetur invitus Prælatus, non quoad substantiam actionis, sed quoad modum; quia nimirum clanculùm, ipso non adito, exercetur. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Sanch. *lib.* 7. *Decal. cap.* 19. *num.* 4. & 5. Turrecremata, *cap. Non dicatis, art.* 8. *n.* 12. *q.* 1. D. Antonin. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 1. *§.* 11. *notabil* 2. Bañez 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *initio*, & ibi Aragon. *colum.* 3. Lugo *disput.* 3. *sect.* 7. *num.* 133. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *disput.* 4. *sect.* 6. *num.* 337. Diana, 1. *part. tract.* 6. *resol.* 31. Villalob. *tract.* 25. *diffic.* 29. *num.* 5. Palaus *tract.* 16. *disp.* 23. *dub.* 23. *num.* 6. & 7. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 5. *n.* 406. & 409. Fr. Hieronym. Garcia, *in Polit. regul. tract.* 4. *part.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 1. *num.* 2.

Quando, qui licentia præsumpta vtitur, postea tenetur Superiorem adire?

62 An verò, qui cum præsumpta Superioris licentia aliquid disposuit, teneatur postea referre Superiori, quod dispositum est cum illa? Dicimus, quòd si tota ratio præsumendi fuit, non posse commodè adiri Superiorem (vt multoties contingit) nec res accepta est consumpta; sed potest à Superiore emendari, tenetur, qui cum tali licentia operatus est, Superiorem adire, cùm potest; quia licentia solùm est præsumpta pro tempore, quo Superior consuli non potest: ergo eum non consulere, cùm iam potest, erit vti re vt propria: secus verò si res iam consumpta est, nec potest factum emendari, quia talis aditiò esset superflua. At si ratio præsumendi licentiam non fuit illa difficultas, vt si monialis præsumeret, Abbatissam concessuram, si peteret (si verè hoc sufficit ad intentum; de quo postea) non tenetur qui cum hac operatus est, Superiorem adire; quia si id facere licuit, inconsulto Superiore, absque mortali ante factam dispositionem, multò magis postea. Sic Pellizar. *n.* 216. Bonac. *de Largitione munerum punct.* 6. *n.* 28. Sanch. *supr. n.* 8. Lugo *n.* 178. Fr. Anton. à Spiritu Sanct. *n.* 360. Garc. *n.* 14. Fagundez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 22.

Sententia asserens posse vti tacita licentia sine fractione voti paupertatis, etiam si detur præceptum non vtendi illa.

63 Sed triplex restat difficultas decidenda. Prima, an in Religionibus, in quibus datur regula, constitutio, aut præceptum, ne quid sine licentia expressa detur, accipiatur, vel expendatur, erit peccatum mortale contra votum paupertatis rem in notabili quantitate dare, accipere, vel expendere solùm cum licentia tacita? Et dicimus, *contra votum paupertatis*: ac proinde cum obligatione restitutionis; quia indubitatum est, esse contra votum obedientiæ peccatum grave, vel leve, secundùm quod obligat illud mandatum: nam est de re justa, bono communi consentanea, & ad perfectam observationem paupertatis religiosæ multùm necessaria. Negat igitur prima sententia, esse in illo casu peccatum grave contra votum paupertatis agere ex licentia tacita, vel præsumpta. Ita sentire videtur Sanch. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *numer.* 50. 51. & 56. vbi adducit diversos casus, in quibus dare, retinere, vel accipere cùm tacita licētia contra constitutiones, aut regulam prohibentes tales actiones, dicit solùm esse peccatum, secundùm quod tales leges obligant. Favet etiam Palaus *tract.* 16. *disput.* 3. *part.* 23. *num.* 6. Saurez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 3. quatenus inde probant, ex tacita licentia operari non esse contra votum paupertatis; quia obligatio illius non extenditur, nec potest extendi ad petendam licentiam expressam: ergò obligatio petendi licentiam expressam, secundùm hos Authores, poterit esse ex obedientia; non verò ex voto paupertatis. Sed absolutè tenent hanc sententiam, Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 5. *num.* 436. & 444. Caramuel *in Regulam D. Benedicti, disp.* 55. *num.* 955. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *disp.* 4. *numer.* 72. 297. 301. & 342. Qui addit *num.* 302. (Quæ omnia tenenda sunt in memoria à nostris Religiosis, quibus *in* 1. *part. nostrar. constit. cap.* 7. *num.* 5. datur huiusmodi lex nihil dandi, recipiendi, commutandi, sine expressa licentia. Nam in casibus, in quibus diximus, vel dicemus, dari licentiam, tacitam, vel præsumptam Prælati, operando sine tali licentia expressa, delinquent contra hanc constitutionem; non tamen contra votum paupertatis.) Hæc ille. Sed fallitur asserendo, dari apud nos constitutionem prohibentem nihil dari, accipi, &c. sine expressa licentia; nam in loco, quem ipse citat, solùm habetur: *Ad paupertatem etiam spectat, nihil sine Superiorum licentia habere, possidere, dare, vel accipere, deponere, vel mutuare, vel cum alio permutare.* Quæ verissima sunt, & ex vi voti paupertatis ab omnibus observanda. Sed nec ibi, nec alibi verbum reperimus, quo expressa licentia ad has actiones in constitutionibus nostris exigatur. Sed quidquid sit de hoc.

Sententia proposita probatur.

64 Probatur prædicta sententia. Primò, quia ex vi voti paupertatis solùm obligantur Religiosi ad nihil dandum, accipiendum, &c. vt proprietarij, & domini, ac proinde vsu independenti à voluntate Prælati; sed hoc ipso, quòd detur licentia tacita, vel præsumpta, nihil efficitur ab inferiori nomine proprio, & vso independenti; sed magis dependenti à voluntate Superioris, quæ præsumitur: ergo quando datur lex, aut præceptum aliam licentiam petens, obligavit ex alio capite, non ex vi voti paupertatis. ¶ Secundò, quia obligatio voti paupertatis cum intentione vovēntis debet conformari: sed Religiosi voventes paupertatem, non intendunt se obligare hac extensione, vt ad accipiendum, dandum, &c. non sufficiat præsumpta licentia; sed tantùm, vt nihil fiat independentèr à voluntate Superioris; quia solùm intendunt se obligare ad id, quod ex natura sua petit votum; quod non ampliùs exigit, nisi quod nihil à vovente fiat nomine proprio, sed dependenter ab aliena voluntate. ¶ Et idem dicendum est, secundùm hanc sententiam, si in regula, aut constitutonibus dicatur: *Nihil ab amicis accipiatur*: *Nihil his, vel illis donetur*, vel Prælato præcipiat, ne ad hoc, vel illud licentiam conferat; quia quandiu lex non irritat talem licentiam, factum subsistet, & non erit contra votum paupertatis cum illa donare; sed contra obedientiam, secundùm quod illæ dispositiones obligant.

Quādo lex, aut præceptū non obligāt ad mortale?

65 Cæterum licèt hoc vltimum admittamus, quòd quando lex, aut superior Prælatus prohibet inferiori, ne talem licentiam impendat, adhuc illam dare, vel cum ea operari, non erit contra votum paupertatis; quia talis dispositio, cùm

sententiâ est vera, præcedens, & non aliter.

cùm non sit irritativa actus, nec ablativa potestatis Prælati, erit contra obedientiam secus agere, non contra votum paupertatis: quod solùm exigit, quòd fiat ex licencia obtenta à potente illam dare. Aliud esset, si lex diceret: *Omnem ad hoc auferimus potestatem*; quia iam non remanet facultas in inferiore ad illud. Et licèt cum prædicta sententia admittamus, quòd quando regula, aut constitutiones non obligant ad mortale, non erit peccatum grave contra votum paupertatis, in casu de quo loquimur, cum tacita licentia operari; secus verò si quoad istud punctum obligent sub mortali, vt invenitur in aliquibus Religionibus. Ratio huius est, quia non vtcumque Religiosus votum emittit paupertatis, sed secundùm quod in regula, & constitutionibus illius Ordinis habetur: ergo si in tali Ordine dantur constitutiones, aut regula, obligantes ad mortale, ne quid aliquis donet, vel accipiat sine licentia expressa, ex vi voti obligatur ad non exercendas has actiones, nisi cum illa. Si verò solùm obligent ad veniale, vel ad pœnam, eodem modo obligatur ex vi voti ad exercendum, quod per illas præcipitur. ¶ Et confirmatur hoc, quia non stat licentia tacita cum expressa contraria voluntate; sed quando datur lex prohibens, ne quid sine expressa licentia fiat, datur expressa voluntas in Superioribus contraria licentiæ tacitæ: ergo in illis ista non habet locum. Et ideò si exprimant Superiores, se velle ad vtendum expressa licentia obligare leviter, erit leviter, & quoad modum, contra illorum voluntatem, tacita vti. Si intendant obligare graviter, erit contra votum paupertatis peccatum grave. Ita Leander à Murcia, *quæst. 5. super cap. 6. Regulæ Seraph. n. 7.* Hieron. Garcia *in Polit. Regul. tract. 4. part. 2. difficult. 5. dub. 1. num. 2.* Ludovicus Lopez *1. part. instruct. cap. 156. vers. penult. & lib. 2. de contract. cap. 40. column. penult.* Emmanuel Rodriguez *tom. 2. summ. cap. 31. n. 7.* vers. *Lo catorce digo*: quos duos vltimos citat, & sequitur Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. num. 4.* vbi dicit, quòd quando datur præceptum Superioris in virtute obedientiæ (quod sanè est obligatorium sub mortali) ne liceat recipere, aut expendere aliquid absque expressa licentia, esset mortale ex sola tacita id facere; nisi in necessitate vrgente, si non esset recursus ad Superiorem longè distantem.

Taciturnitas Prælati, quãdo sufficiat pro licentia?

66 Secunda difficultas est, an sufficiat taciturnitas Prælati videntis Religiosum aliquid accipere, vel expendere, & non contradicentis? Respondetur, quòd si taciturnitas sit pura permissio, non excusat à culpa Religiosum; sicut non sufficit ad excusandos peccatores, quod Deus eorum peccata permittat. Et tunc est pura permissio (vt diximus in simili casu; agentes de dispensatione, *tract. 11. de Legib. cap. 5. num. 15.*) quando solùm dissimulat, & tacet præ timore Prælatus; quia timet domum perturbationibus, & querelis implendam, vel quia commodè contradicere non potest, eo quòd inde videat deteriora mala imminere. Textus in cap. *Hac ratione 3. quæst. 1.* ibi: *Hac ratione permittimus, quod nolentes indulgemus; quia pravam hominum voluntatem ad plenum prohibere non possumus: permittimus ergo fieri mala, ne fiant deteriora.* Si autem taciturnitas non sit pura permissio, sed approbatio quædam, est licentia tacita, & ratihabitio de præsenti, sufficiens vt liberet à culpa gravi: quia consentire videtur actui, qui cum possit resistere, tacet, cap. *Error*, cap. *Consentire, dist. 33.* Sic Lezana *tom. 1. cap. 6. num. 56.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. sect. 5. num. 417.* Villalob. *tract. 35. diffic. 29. n. 5.* Sanchez *cap. 19. num. 12.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 23. num. 7.* Garcia *tract. 4. part. 3. diffic. 5. n. 5.* Tamburin. *de jure Abbat. tom. 2. disput. 22. quæst. 8. num. 4.* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 80.*

Præsumens probabiliter, Prælatum licentiam concessurum, aliqui dicunt excusare à mortali.

67 Tertia, & gravior difficultas est, an sit licentia tacita excusans à transgressione voti paupertatis, quando Religiosus rem alienat, accipit, vel donat, inconsulto Superiore, credens prudenter, fore vt Superior daret licentiam, si peteretur, quamvis displiceat ei hic accipiendi, & alienandi modus? Affirmat prima sententia, & probatur primò; quia in tali casu Superior non est invitus quoad rem acceptam, & alienatam, sed solùm quoad modum alienandi, quod levis materia reputatur, & ad mortale insuficiens. ¶ Secundò, quia non est furti reus, qui credens dominum consensurum, rem clam accipit, leg. *Inter omnes 47. §. Rectè, ff. de furtis*, ibi: *Rectè dictum est, qui putavit se domini voluntatem attingere, non esse furem: quid enim dolo fecit, qui putat dominum consensurum fuisse?* Ergo similiter Religiosus non erit voti transgressor, si donet, aut accipiat, credens Prælatum, si peteretur, licentiam concessurum. Sic docent Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 8. cap. 11. num. 4. & 11.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. sect. 5. num. 407. & 408.* Petrus Navar. *lib. 3. cap. 1. punct. 3. dub. 1. n. 160.* Tanner. *2. 2. disp. 6. quæst. 3. dub. 4. n. 165.* Rodrig. *quæst. regul. tom. 3. quæst. 29. art. 10. conclus. 7. & art. 11. fine.* Caramuel *in Reg. D. Benedicti, disp. 54. n. 959.* Rebel. *1. par. lib. 3. q. 15. sect. 3. n. 14. & 22.* Diana *1. par. tract. 6. res. 31.* Ledesm. *2. tom. tract. 8. cap. 21. diffic. 7. dist. 2.* Fr. Anton. à Spiritu Sanct. *in Direct. tr. 3. disp. 4. sect. 6. n. 345.* Sayr. *lib. 9. cap. 12. n. 3.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 23. num. 8.* Caietan. verb. *Furtum, n. 2. ibi:* Armilla *n. 2.* Sà *n. 3.* Graffis *1. part. decis. lib. 3. cap. 5. n. 54.* Bassæus *in flor. Theol. Moral.* verb. *Paupertas Religiosa, num. 3.* Aragon. *2. 2. quæst. 66. art. 3. paulò post principium,* Fagund. *lib. 7. Decal. cap. 5. n. 16.* Rosella, verb. *Furtum, initio,* Ibi Angel. *n. 7.* Tabien. *n. 1.* & alij. Quorum aliqui moralem requirunt certitudinem: alij verò, & ferè omnes, sufficere dicunt probabilem, quæ ex justa credendi causa procedat; quia ad agendum in rebus moralibus prudenter, satis est judicium probabile. Ex citatis Authoribus aliqui solùm loquuntur de furtis, in quibus sufficere dicunt licentiam domini, modo dicto, præsumptam, nihil agentes de Religiosis; sed maior illorum pars etiam de Religiosis in particulari loquuntur.

Duplex advertentia sententiæ præcedentis.

68 Advertunt tamen primò, in acceptatione, & bonorum dispositione cum dicta licencia, semper committi peccatum veniale, quando Superior potest adiri, eo quod Superior, cùm possit consuli, ægrè rationabilitèr fert hanc clandestinam dispositionem, vtpotè dissonam, & adversam observantiæ regulari, & puritati paupertatis. Sed quia hæc contradictio (dicunt) solùm est de modo clandestino, non de ipsa acceptione, aut dispositione, non est mortale peccatum. ¶ Advertunt secundò, posse interpretari voluntatem Superioris in casu, de quo loquimur, & credi tacitam, aut præsumptam adesse licentiam, si videt alijs similibus in simili ocasione concedi: si sit vir gravis, & benemeritus, qui erat petiturus, cui nunquam solet negari: si sint res leviores,

res, aut ordinariæ; etiam ex genio Superioris, quia si facilis in concedendo, si suavis, dulcis, humanus, facilior est interpretandi locus: si particularem erga subditum habeat benevolentiam, & affectum; & etiam ex natura licentiæ, quia si est in vtilitatem Monasterij, quis non crederet concedendam?

Impugnatur prædicta sententia, & reijcitur.

69 Sed hæc sententia, prout iacet, meritò alijs Doctissimis viris displicet, vt eversiva funditùs totius observantiæ regularis in materia paupertatis, quia, illa admissa, numquam esset à Superioribus petenda licentia; sed quilibet posset pro suo arbitratu dare, & accipere, inscio Prælato: quod (vt constat) destruit omninò paupertatem religiosam, & eam in solo titulo relinquit. Et probatur ita sequi, quia quis non credet probabiliter Prælatum concessurum licentiam, si peteretur, ad accipiendam à sæcularibus quamlibet rem? Quis Religiosus gravis non crederet sibi concedendam licentiam justam, quam depoſceret? Sic posset absque illa è domo egredi, regulares observantias prætermittere, omnia, quæ vellet, accipere, & donare. Imò in quolibet alio frustra esset talis licentia petenda, saltem ad excusandum à mortali. Nam vel credis Prælatum illam concessurum, vel non? Si primum, frustra petis quia sufficit ad operandum, juxta hanc sententiam, quòd credas probabiliter Prælatum concessurum. Si non credis, eris insanus, si petas. Quis enim mentis compos peteret, quod crederet fore negandum? Et licet credas negandam esse licentiam à Prælato immediato, potes credere ob specialem rationem concedendam fore à Provinciali, vel Generali; & si ab his non credas te accepturum, potes probabiliter judicare illam adepturum, si peteres à Nuncio apostolico, vel à summo Pontifice. Quãdo hæc non contingent? Quando licentia Prælati esset necessaria? Certè nunquam, aut ferè nunquam: ergo solùm erit obligatio voti paupertatis observantia de nomine, nihil reipsa obligationis habens.

Non sufficit licentia conditionata, quòd Prælatus cõcederet si peteretur.

70 Quare sententiam contrariam meritò tenent Villalob. *tom. 2. tract. 35. diff. 29. n. 2.* Bonac. *de Restit. disp. 2. q. 10. punct. 3. n. 4.* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 79.* Crourers Minorita *in Regul. S. P. Francisci, cap. 7. lect. 14. fol. 613.* Hieronym. Garc. *tract. 4. p. 3. diff. 5. dub. 1. n. 7. & 8.* Sanch. *lib. 7. Decalog. cap. 19. n. 15.* Lugo *disp. 13. à num. 124.* Et ratio à priori est, quia quando valor actus dependet à licentia, hæc debet præcedere, & reipsa esse, & non sufficit ratihabitio de futuro, nec præsumptio consensus posteà præstandi: (secùs si esset licentia, non ad valorem actus, sed ad debitum ordinem, & decentiam requireretur, quia tunc illa spes sufficeret) sed licentia Prælati requiritur ad valorem actus dandi, vel accipiendi, vt omnes concedunt; cùm tales actus à Religioso exerciti validè non subsistant, nisi dependenter à voluntate Prælati: ergo non sufficit illa voluntas, & licentia conditionata, vt illos efficiat, quia illa non est, sed erit, si petatur: quemadmodum non sufficit, vt quis confessiones audiat, quòd Episcopus daret licentiam, si peteretur: vt nubat cum consanguinea, quòd Pontifex dispensaret, si peteretur: vt carnes in die Veneris comedat, vel in die festo laboret, quòd Superior, si adiretur, dispensationem impenderet. In his ergo casibus, quia voluntas Superioris requiritur ad valorem actus, non sufficit, quòd talis voluntas conditionata detur, sub conditione, si peteretur, sed debet talis conditio esse de facto posita, & facultas impetrata: ergo similiter in præsenti.

Limitationes præcedentis doctrinæ.

71 Admittunt autem Authores nostræ sententiæ, & nos, quòd si in Superiore præsumatur virtualis, seu actualis voluntas, deducta ex habituali, qua virtualiter vellet hìc, & nunc me absque licentia operari, sufficit talis voluntas præsumpta ad me liberandum à gravi peccato: & adesse censetur in his casibus. Primò, si Superior non sit notabiliter invitus quoad modum: quod contingit in rebus levibus, & ordinariè contingentibus: vel quando ita est affectus ab subditum, vt leviter duntaxat lædatur, quòd aliquid donet, vel accipiat, ipso inconsulto; ad quod libenter licentiam concederet. Secundò, quando facilitèr non potest adiri Superior, quia tunc præsumitur non solùm voliturum, sed de facto velle, quòd subditus, eo non adito, operetur. Tertiò, si datio, vel acceptio cedat in Conventus vtilitatem, quia cùm Superior debeat commodis incumbere Monasterij, meritò præsumitur velle quidquid cedit in eius emolumentum. Quarto, quando inferior ob verecundiam, timorem, vel aliam rationem sentit in petenda licentia magnam difficultatem, quam si peteret, proculdubiò acciperet; sed quia non vult fragilitatem suam, aut parvam mortificationem propalare, Superiorem adire recusat: quia tunc præsumitur ipsum velle ipsam substantiam actionis, tametsi aliquomodò ei modus displiceat.

Præcipua limitatio explicatur.

72 Quintò denique, quando in ipso non est expressa voluntas, qua velit etiam gravitèr prohibere modum clandestinum, accipiendi, & suum jus conservare, etiam circa ipsam substantiam: quia tunc licèt ex modo oriatur displicentia, redundat tamen in ipsam substantiam rei, quia hoc ipso quòd velit gravitèr prohibere ipsum modum, substantiæ rei cum illo modo sibi gravitèr displicet: licet enim licentia sit modus actionis, est in operationibus Regularis modus ita intrinsecus rei, vt illam quoad substantiam in ratione licitæ constituat. Vndè quando Prælatus vult totum suum jus retinere circa substantiam, non alitèr hoc faciet, nisi ipsum modum licentiæ gravitèr, & expressè prohibendo. Et hoc modo contingere regularitèr in omnibus Religionibus reformatis, credimus in rebus omnibus extraordinarijs, & quando facilè potest adiri Prælatus, nec datur speciale inconveniens, aut difficultas in aditione: quia cum debeat habere voluntatem, vt paupertas religiosa non relaxetur, sed cum vigore observantiæ vigeat, debet habere voluntatem omnia avertendi, quæ eam notabiliter enervant: vti esset, si locus relinqueretur, vt quilibet, non consulto Prælato, daret, vel acciperet in rebus non crebrò contingentibus, quando facilè potest adiri, nec est inconveniens in tali aditione. In rebus autem ordinarijs, & quando vel ex parte Prælati est difficilis accessus, vel ex parte subditi aliqua specialis difficultas in petendo, quia non multùm enervat observantiam paupertatis vti licentia dicta, tametsi invitus, quoad modum, censeatur Prælatus aliquando, non tamen gravitèr, ita vt prudenter velit retinere totum suum jus, etiam quoad substantiam.

Argumenta cõtraria solvuntur.

73 Ex his patet solutio ad contraria fundamenta. Nam ad primum constat ex modo dictis. Ad secundũ, dato quòd in furto admittatur sufficere (saltẽ ad extendendã materiã) illã domini præsumptam voluntatẽ, vt agentes de illo diximus, & agentes de restitutione

tione, sufficere, quòd præsumatur dominum condonaturum, si peteretur, vt excuset ab illa; tamen est dispar ratio quoad hoc in voto paupertatis: Quòd necessitas licentiæ in Religioso (inquit optimè Cardin. Lugo *disp. 3. sect. 7. num. 127.*) non est solùm ob debitum justitiæ, ad quod sufficere videtur talis licentia præsumpta, cùm eo ipso dominus non sit iam positivè invitus, vel repugnans: quæ repugnantia necessaria videtur ad furtum, quod est contrectatio rei alienæ invito domino. In Religioso autem necessitas licentiæ oritur ex voto, quo se obligavit ad non vtendum rebus temporalibus, nisi dependenter à Prælato, & ex eius præscripto. Dependentia autem significare videtur licentiam positivam, & actualem, saltem virtualem iam explicatam: non enim sufficit, quòd Prælatus non sit invitus, sed requiritur quòd actu velit, & influat in eum actum.

§. II.

Quas conditiones debeat habere licentia, vt à transgressione voti paupertatis excuset?

Licetia dolo, vi, aut fraude extorta, nulla est.

74 TRiplex requiritur in licentia conditio, vt à peccato contra votum paupertatis excusare valeat: quòd sit *voluntaria*, *legitima*, & *justa*. Et à priori incipiendo, ad nihil valet licentia dolo, fraude, aut metu extorta, si quoad rei substantiam sit aliquo ex his modis involuntaria. Idem est de illa, quæ precibus importunissimis adipiscitur, quando, illis cessantibus, non concederetur; sed illam Prælatus dat quasi victus precibus, & vt importunitatem repellat; secùs verò si posteà libenter annuat. Sanchez *lib. 7. cap. 19. num. 16.* Pellizar. *tractat. 4. cap. 2. num. 413.* & ob hanc circumstantiam non excusatur etiam à transgressione voti paupertatis Religiosus, qui quasi coactè licentiam accipit, eo quòd illum timeat Prælatus, cui si non concederetur, obmurmuraret notabiliter, magnasque funderet querelas, tanquam injuria affectus. Hæc enim non est licentia voluntaria, sed permissio coacta ad maius malum vitandum. Sanchez *num. 18.* Lugo *disp. 3. num. 129.* Lezana *cap. 6. num. 56.* Pellizar. *num. 413.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 5. num. 25.* Ac tandem dolo, & fraude est licentia extorta, ac proinde involuntaria, si petens taceat ea, quibus expressis, non solet concedi; aut falsò exprimat, quorum ratione licentia conceditur, aliàs non concedenda: quia tunc censetur licentia subreptitia; secùs si taceat, aut falsò exprimat, quibus solet, licèt difficilius, concedi. Sanchez *n. 17.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Direct. tract. 3. disputat. 6. n. 346.* Garcia *tract. 4. part. 3. difficult. 5. dub. 2. num. 1.* Palaus *tract. 16. dispur. 3. punct. 23. n. 1.* Suarez *tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 14.*

Quando nō sit dolosa, nec involūtaria licentia?

75 At verò non est dolosa licentia, quam accipit Religiosus, qui intendens magnam summam coacervare, & sciens à nullo Prælato sibi fore licentiam concedendam ad totam, ab vno petit licenciam ad vnam partem, nimirum à Priori; à Provinciali ad aliam, & ad aliam à Generali, ex his, quæ possunt ipsi dare, etiamsi nulli exprimat ab alio ad aliam partem obtinuisse licentiam: quia nullum decipit, sed vtitur jure suo postulando licentiam ab eo, qui potest concedere. Pellizar. *num. 414.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num. 348.* ¶ Nec similiter operatur ex involuntaria licentia Religiosus habens licentiam expendendi aliquam pecuniam in vsus determinatos, si in alios vsus eam expendat; quia tunc etiam quoad illos vsus, in quos expendit, præsumitur licentia tacita, saltem quoad substantiam alienationis, voluntaria; & solùm invita quoad modum. Nam, concessa semel licentia quoad vsus determinatos, censetur etiam concedi quoad alios æquivalentes, aut meliores. Lugo *disp. 3. num. 158.* Fagundez, quem refert, & sequitur Pellizar. *tract. 4. c. 2. n. 427.* Vidal, quem refert, & sequitur Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num. 352.* Et idem est de illo, qui habens licentiam ad emendam rem determinatam, v. g. libros, emit aliam rem æqualem, vel meliorem, propter eandem rationem.

Data doctrina, limitatur, & amplius explicatur.

76 Sed crediderim limitandam esse doctrinam proximè datam, quando constaret de mente Prælati nolentis licentiam dare, nisi ad illam rem determinatam; quia potest Prælatus dare licentiam ad vsus determinatos, qui cedunt in bonum Monasterij: v. g. ad emendos libros, vel imagines; & non concedere ad alios vsus fortè ex se meliores, vt ad dandam eleemosynam; quia hoc modo bono communi defraudatur, non illo. Quare videtur, quòd nisi detur aliæ licentia præsumpta, ex hoc quòd tibi licentia concedatur ad vsus determinatos, non censetur concedi ad vsus etiam meliores, nisi æquè cedant in bonum Monasterij. Sic Sanchez *lib. 7. cap. 19. num. 68.* Lugo *n. 183.* Peyrinis *de Relig. subdit. quæst. 2. cap. 2. §. 1. fine*, Suarez *tom. 3. lib. 8. cap. 15. quæst. 8.* Palaus *tract. 16. disp. 3. punct. 22. n. 2.* Garcia *tract. 4. part. 3. diffic. 3. dub. 2. num. 5. in medio.* Imò isti Auctores absolutè negant, posse Religiosum habentem licentiam expendendi pecuniam in determinatos vsus, v. g. ad emendum librum, in alios expendere. Sed ex eorum doctrina colligitur admittendam esse cum prædicta limitatione; quod absque vlla concedit Fr. Antonius à Spiritu Sancto *sect. 5. num. 308.* Ledesma, Cenedo, & Garcia relati. ¶ At qui habet licentiam generalem dandi, vel accipiendi, potest emere, & vendere: quia, nisi obstet specialis ratio, cui conceditur aliquid absolutè, meliùs conceditur sub conditione; sed vendere nihil aliud est, quam sub conditione pretij accipiendi rem dare, & emere sub conditione rei accipiendæ prætium impertiri: ergo, &c. Sic Lugo *disp. 3. num. 159.* Qui notat, eum, qui solùm habet licentiam dandi, non posse emere: quia hìc non solùm datur, sed accipitur, & non habet licentiam accipiendi: & qui solùm habet licentiam accipiendi non posse vendere: quia hìc non solùm accipitur, sed datur.

Qui Prælati immediati possint dare licentiam?

97 Secunda conditio licentiæ est, quòd sit *legitima*, hoc est, à legitimo Superiore concessa. Superior autem legitimus ad illam concedendam est, in primis Prælatus immediatus, qui habet bonorum Conventus administrationem, & ad quantitatē, quam ipse alienare potest, potest dare licentiam subdito, vt dicemus *punct. sequent.* vbi etiam explicabimus ad quam quantitatem possit dare facultatem, vel ipse accipere? Et hanc licentiam non solùm suis Cōventualibus dare potest, sed etiam hospitibus, quando est constitutio in Religione (vt est apud nos post 24. horas, quibus in Monasterio commorantur) vt hospites obedientiæ subsint Superioris illius Conventus, in quo reperiuntur. Secùs verò vbi

non

non est talis dispositio. Sicut Episcopus non potest cùm subditis alterius Diœcesis dispensare, quando in suo territorio hospitantur. Lugo *num.* 129. Pellizar. *num.* 421. Sanchez *num.* 41. Addit Pellizar. *num.* 422. quòd potest talis Religiosus recipere, & dare, tàm de licentia Prælati, in cuius domo manet hospes, quam sui proprij Conventus, si brevi tempore reversurus est in proprium Monasterium; quia in tali casu Religiosus habet duos Superiores cumulativè; nimirum illum ad quem brevi regressurus est, & eum, cui subest hospitio. Et similiter si aliquid ei datur in ipso itinere, potest illud recipere de licentia Superioris, sive quem habet loco domicilij, ad quem regressurus est; sive ad quem modò tendit, mutando domicilium. ¶ Deinde Abbatissa, quæ habet administrationem bonorum Conventus, potest suis Monialibus concedere licentiam, quam potest Prælatus suis subditis. Sanchez *cap.* 19. *num.* 43. Diana *1. part. tract. 6. resol.* 22. Palaus *punct.* 23. *n.* 11. Si tamẽ constitutionibus, consuetudine, aut præcepto Superioris non est ei coarctata talis licentia. ¶ Ac tandem ille, qui substituitur loco Prælati Monasterij per vnum diem naturalem absentis; quia est verè Prælatus, & præcipere potest in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto. Vnde ipse, sicut alij Prælati, expendere potest, & dare licentiam ad expendendum, & recipiendum. Lug. *n.* 129. Pelliz. *n.* 446. Fr. Anton. à Spiritu Sanct. *sect. 6. n.* 356.

Qui superiores Prælati possint licentiã cõcedere?

78 Præter Prælatos immediatos, possunt dare dictam licentiam Provinciales; & quidem maiorem, sicut maiorem habent dignitatem, etiam de bonis Monasterij. Sanchez *num.* 42. & etiam Generales, & ampliorem, quàm Provinciales, ob eandem rationem. Et etiam summus Pontifex, & eius Nuntius, qui sunt verè Prælati Religiosorum. Vnde posset Religiosus res retinere cum conditione, si aliquis ex dictis ei tribuat licentiam, etiamsi sciat ab immediato ei fore negandam, vt diximus suprà. Imò posse retinere rem animo petendi licentiam ab immediato successore, qui per breve tempus expectatur; vel animo scribendi ad superiorem, dummodò interim illa re non vtatur absque licentia, sed conservet, & detineat in deposito, tenet Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 355. Ac denique posse ab inferiore licentiam obtinere, etiamsi negata fuerit à superiore, & id non exprimat; quia tunc non intervenit dolus in substantia, sed accidentibus, tenet idem Author *n.* 349. Pellizar. *num.* 416.

Per amotionem concedentis, non spirat licentia.

79 Non expirat autem licentia per hoc, quòd expiret Prælatus, & alius loco illius subrogetur; nisi fuerit concessa ad certum tempus, & limitatos vsus; si enim absolutè concedatur, est perpetua: siquidem sunt gratiæ factæ à Superiore, quæ sunt perpetuæ, si absque limitatione fiant, vt diximus agentes de dispensatione, quæ non expirat expirante Superiore, qui eam concesit. *tr.* 11. *cap.* 5. *n.* 95. & modò tenet Sayr. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 7. Gutierrez *lib.* 2. *quæst. canon. cap.* 7. *n.* 7. Thomas Hurtado *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. *numer.* 851. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disp.* 28. *numer.* 85. An verò expiret licentia cessante causa, ob quam fuit concessa, vide quæ ibidem diximus *num.* 88. Licentia autem data ad aliquid particulare primo actu finitur; vt si habeas licentiam, hanc imaginem, hoc reliquiarium emendi; emisti, & illud donasti, vel perijt, non potest aliud emere, quia actus non operatur vltra intentionem agentis, leg. *Non omnes, ff. Si certum petatur*: secùs verò si licentia generalitèr, & indiffinitè daretur ad habendum reliquiarium; siquidem lex, quæ generalitèr loquitur, in materia præsertim favorabili, generalitèr est accipienda. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *disp.* 4. *sect.* 6. *num.* 362. Pellizar. *tract.* 2. *num.* 441.

Debet licentia esse justa, hoc est, ex justa causa concessa.

80 Tertia conditio licentiæ est, quòd sit *justa*, hoc est ex justa, & sufficienti causa petita, & concessa. Vnde peccaret Superior juxta gravitatem materiæ, si absque causa justa, & sufficienti licentiam concederet; quia non est dominus rerum Monasterij, sed administrator; non ad destructionem, sed ad ædificationem: & est imprudens administrator, qui absque causa, bona Monasterij distraheret, vt probat Sanchez *lib.* 7. *cap.* 19. Thomas Hurtad. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. *sect.* 9. *n.* 840.

81 Cæterùm hæc justa causa non requiritur, vt sit valida licentia; & ideò vt excusetur subditus à peccato contra votum paupertatis, proindeque vt non obligetur restituere, sufficit, vt donet, aut accipiat, obtenta licentia, etiam absque justa, & rationabili causa; quia Religiosus in tali casu non retinet, vel vtitur illa re, vt sua, & nomine proprio; sed dependenter à voluntate Prælati, estque paratus ad illam relinquendam, si ipse iusserit: quòd, & non amplius, requiritur ad excusandum votum paupertatis, vt constat ex cap. *Ad Monasterium, de Statu Monach.* Sic Sanchez *cap.* 19. *num.* 64. Suarez *tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 11. *à numer.* 14. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *num.* 217. Thomas Hurtado *num.* 847. Lugo *disp.* 3. *num.* 131. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 347. ¶ Vnde licèt peccet subditus petendo licentiam absque justa causa, ac vrgeat, & instet Prælatum pro ea, quipè cooperatur ad illius peccatum; ea tamen iam obtenta, nullo modo peccat, si cum ipsa aliquid faciat. Quemadmodùm diximus *tract.* 11. *de Legib. cap.* 5. *num.* 69. non peccare subditum, qui absque justa causa accipit à Prælato validam dispensationem, si, supposita ea, operetur contra legem; & in casu nostro tenent Hurtad. & Pellizar. Qui addunt, quòd si regula contrarium jusserit, peccabit contra illam subditus, non tamẽ contra votum paupertatis.

Licentia ad vsus vanos, & turpes cõcessa, est nulla.

82 Ex vi huius tertiæ conditionis, quòd licentia debet esse justa, & honesta, constat nullam esse omninò licentiam à Superiore concessam ad vsus illicitos, & inhonestos determinatè; & ideò, & Prælatus peccat illam dans, & subditus illa vtens, & tenetur restituere tàm ipse, quàm recipiens: & idem est de ipso Prælato expendente bona Monasterij, sive communia, sive ad particulares vsus sibi applicata, in vsus profanos, & inhonestos. Et ratio est: tùm, quia Prælatus non est dominus, sed administrator: non ad destructionem, sed ad ædificationem; vnde subditus perinde se habet, ac si talem licentiam non haberet. Tùm etiam, quia Prælatus sibi, & subditis potest licentiam concedere, juxta præscriptum Religionis: non autem est præsumendum velle Religionem, vt in actus vanos, turpes, & illicitos eius bona absumantur. Sic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 8. *ad* 1. Lesius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *n.* 71. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 168. *colum.* 3. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 21. Palaus *tract.* 16. *disp.* 3. *punct.* 23. *n.* 4. Hieronym. Garc. *tr.* 4. *part.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 1. *num.* 2. Fagundez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 3. *num.* 8. & est inter Doctores commune.

Quæ

Qui habet superflua ex licentia, quo modo peccet?

83 Quæritur verò, an Prælatus possit licentiam concedere ad habendas res superfluas, & subditus peccet, si ex licentia Prælati eas habeat? Et non loquimur de rebus superfluis vanis, sumptuosis, & extraordinarijs; quia de his idem judicium ferendum est, ac de rebus in vsus vanos, & turpes consumptis; sed rebus ordinarijs, & ad vsum frequenter concessis, si subditus vltra necessarias habeat: vt si sibi sufficerent 4. libri, & haberet 20. si vnus habitus, haberet quatuor: si duplex tunica, & 6. haberet. Respondetur, quòd, nisi res superfluæ sint in notabili excessu, non peccaret mortaliter subditus eas ex licentia expressa, vel tacita habendo, quia iam habet illas dependenter à voluntate Prælati; & aliàs esset valde difficile judicare, quando esset superfluum, & pluribus scrupulis expositum. Plures namque, res licèt simplicitèr non videantur necessariæ, sunt ad meliùs, & commodiùs officium exercendum convenientes: & si pro hoc tempore non sint, pro alio erunt necessaria. Si tamen, omnibus inspectis, res necessarias subditus retineret, peccaret contra decentiam status: & quidem gravitèr, si in magna, & notabili quantitate: & etiam ipse Prælatus ipsas permittens, & non auferens. Amplius autem permittendum est illi, qui sibi consulit ex sua industria, quàm qui ex bonis Monasterij; & illi, qui suis literis, ac studijs acquirit, prædicando, vel aliquam cathedram moderando, quàm alijs: & etiam illis qui suis studijs, & laboribus Religionem honorant. Hæc ferè omnia docent Villalob. *tom.2.tract. 25. diffic. 29. num. 11.* Sylvest. verb. *Religio 6. quæst.7.* Garcia *tract.4.part. 3. diffic. 4. numer. 5.* Palaus *punct.21. num. 3.* Azor 2. *part. lib. 12. cap.12. quæst.9.* Suarez *lib. 8. cap. 12.num. 4.* Ledesma *in Addition.ad summam,cap.4.diffic.11.pag. 61.* Pellizar. *tract.4.cap.2. num. 306.& 437.* Qui addit cum Alphonso deLeone,& sequitur Fr. Anton. à Spiritu Sancto *tr. 3. disp.4. n. 291.* non peccare contra votum Religiosum, qui ea superflua retinet & non vult dare ea alijs indigentibus,& petentibus, præciso Superioris præcepto; quamvis contra charitatem delinquat, sed regularitèr non mortaliter.

Asserens sententia, non peccare mortaliter cõtra votum, qui habens generalem licentiam expendendi ali quam summã, in vsus turpes expendit.

84 Sed gravis modò restat difficultas,an quando Prælatus concedit facultatem Religioso generalem ad expendendam aliquam summam in vsus, qui sibi placuerint, peccet contra votum paupertatis, & teneatur restituere, tàm ipse dans, quàm accipiens ab eo, si expendat eam vsibus vanis,illicitis, & inhonestis? Vt in ludis, donationibus ob turpem causam, in vestibus fericis, in sumptuosis convivijs, in canibus venaticis, equis generosis alendis, cum meretricibus, aut alijs modis illicitis, & inhonestis: & idem est de ipso Superiore, qui similem licentiam generalem sibi præberet, & posteà in vsus dictos expenderet.¶ Prima sententia est negativa: & probatur primò, quia licèt Religio invita sit in modo pecuniam expendendi, non tamen in distributione illius quoad substantiam; cùm concesserit licentiam generalem: & sic solùm est invita quoad modum, nimirum expendendi in vsus profanos; non verò quoad substantiam alienationis, cùm dederit facultatem alienandi. ¶ Secundò, quia Religiosus se habet vt filius-familiàs, vt supra *num. 43.* probavimus: at si filius-familiàs in vsus vanos, & turpes expendat id, ad quod habet generalem licentiam à patre; factum tenet, nec dans, aut recipiens tenetur restituere; ergo similitèr in nostro casu ¶ Tertiò, quia Religio potest licitè, & validè similem licentiam generalem præbere, non excludendo vsus illicitos. Potest validè, quia nullibi talis licentia irritatur, & annullatur; potest licitè, quia per hoc non concurrit ad malum vsum Religiosi, sed dat licentiam generalem; & suà malitià provenit, quòd illa generalis licentia ad vsus pravos applicetur. ¶ Et confirmatur, quia licèt non possit Prælatus ad vsus turpes determinatè licentiam concedere; potest tamen generalitèr illam impertiri ad vsus, qui Religioso placuerint; nec per hoc vsus turpes excluſi manent: sicut aliæ licentiæ, & dispensationes generales cum tali limitatione concedi non solent, vt facultas comedendi lacticinia tempore Quadragesimæ, non limitatur ad solam licitam comestionem, sed extenditur ad aliunde illicitam; vt si comedantur furtiva, vel sanitati contraria: facultas celebrandi in loco interdicto extenditur etiam ad celebrandum in peccato mortali; nam licèt sic celebrans aliunde peccet, non contra præceptum ecclesiæ, vel interdictum. Similiter ergo in nostro casu. Hanc sententiam tuentur Lugo *disp.3.sect.7.num. 135.* Bañez, 2.2.*q.62.art.5.dub.5.* Suarez *tom.3.de Relig.lib.8. cap.11. num.15.* Ludovic.Lopez *lib.2.de Contract. cap.40.*vers. *An autem Religiosus.* Thomas Hurtado *tract.8.cap.8. num.* 880. Medina *in Summa, lib.1.cap.14.§.29.* Salas *de Contract.tract.de ludo, disp.21.num. 42.* Angles *in Floribus de lud. propos.4.pagin.289.* Rebellus *part.2. lib. 12. quæst. 4. sect. 2. num. 6.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. sect. 5. num. 346.* & vt probabilem amplectuntur N. Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. disputat. 4. sect. 7. numer. 392.* Sayr. *lib. 11. cap. 12. num. 15.* Machado *tom. 2. lib. 5. part. 2. tract. 1. docum. 11. num. 3.* Diana 3. *part. tract. 2. resol. 98.& 65.& 3. part. tract. 9. resol. 12.& tract. 11. resol.22.*

Peccat contra votum, & tenetur restituere, qui in vsus vanos, & turpes res sibi concessas expendit.

85 Secunda sententia, quam probabiliorem judicamus, quam etiam suprà *cap.1. num.161.* amplexati sumus, asserit, peccare contra votum paupertatis Religiosum sic expendentem in vsus vanos, turpes, ac superfluos; & teneri restituere, tam ipsum dantem, quàm accipientem ab eo, modo *punct. 9.* dicendo, tametsi generalem licentiam habeat illam summam expendendi in vsus, quos voluerit: quæ concessio tacita sub conditione intelligenda est ad vsus licitos, & honestos. Et, omissis alijs probationibus probatur hac ratione, qua vtitur Nazar. *infrà citandus*: quia Religiosus,qui sui juris non est, non habet potestatem transferendi dominium in alium, nisi de licentia tacita, vel expressa sui Prælati: sed Superior in illa generali concessione non concedit tacitè, nec concedere potest, quòd subditus in vsus vanos, vel turpes aliquid expendat: ergo talis concessio facta est absque legitima licentia, & sic erit nulla, nullum transferens dominium: ergo peccat contra votum sic expendens, & tenetur restituere; & consequenter etiam qui ab eo accipit. ¶ Maior, & consequentiæ constant: minor, in qua est difficultas, probatur primò, quia Superior non potest concedere licentiam, etiam tacitam, nisi juxta præscriptum Religionis, & sanctorum canonum; sed sancti canones, & Religio solùm concedunt facultatem Prælatis dandi licentiam subditis in vsus licitos, & honestos: ergo illa generalis licentia ex intentione ecclesiæ, &

Reli-

Religionis ad vsus tantùm licitos, & honestos extenditur: & consequentèr ad inhonestos, & illicitos nulla datur licentia, etiam tacita. Secundò, quia si subditus expressam licentiam ad huiusmodi vsus peteret, absque dubio superior non concederet, nec concedere posset, vt diximus *num.* 82. & admittunt etiam aduersarij: ergo in generali illa licentia non conceditur tacitè ad hos vsus facultas. Patet *ex regul.* 81. *iuris in 6. In generali concessione non censentur ea esse concessa, quæ denegarentur, si essent in particulari proposita.* Tertiò, quia Prælatus non potest sibi expressè licentiam sumere expendendi in vsus inhonestos, vt diximus *num.* 82. ergò nec potest alijs licentiam tacitam ad hoc concedere; quia solùm potest alijs concedere, quod sibi potest assumere: & quidem expressè, cùm respectu sui ipsius non habeat locum licentiam interpretativa, vel tacita. Sic Navar. *opusc. de Statu, & oblig. Religios. dub.* 8. *pagin.* 100. & 101. Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *numer.* 30. & 32. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 78. Palaus *tract.* 16. *disp.* 3. *punct.* 23. *num.* 15. Petrus Navarra *lib.* 3. *de restitutione, cap.* 1. *dub.* 3. *numer.* 138. Sylvest. v. *Religio* 6. *quæstion.* 7. Bartholom. à Sancto Fausto *lib.* 8. *de Stat. Relig. quæstion.* 100. Sanctarellus *tractat. de Apostas. cap* 6. *dub.* 2. *numer.* 12. Dicastill. *lib.* 2. *de Iustit. tract.* 18. *disp.* 4. *num.* 43. & *lib.* 1. *tract.* 2. *disp.* 6. *numer.* 26.

Quomodo in dicto casu excutetur Religiosus dans à restitutione, & ab eo recipiens?

86 Excusabitur autem à restitutione recipiens modo dicto à Religioso, adhuc in ista sententia, ex aliquo accidenti; quia nimirum præsumi potest Religionem, facta alienatione, consentire, vt non restituat, seu debitum remittere: ne Religiosi, vel eiusdem Religionis honor periclitetur. Quod frequentèr evenire testatur Palaus cum Rebello, *locis citatis.* Sed ego non invenio, quarè id frequentèr eveniat, cùm restitutio fieri possit, & debeat absque tali detrimento. Secundò mulier v. g. quæ à Religioso ob turpem causam rem accepit, excusatur à restitutione, si Religiosus, qui habebat generalem licentiam expendendi, mutet animum, & illi vellit gratiosè donare, quæ turpitèr expendit: vel quia fœmina est pauper, vel ne se infamet, ne Religio damnum patiatur; quia iam in pios vsus expendit: & hoc verum est, non solùm si generalem dictam licentiam habuerit, sed etiam si determinatam ad vsus pios; quia talis vsus modo dicto pius est, & honestus. Imò etiam ab initio hac via excusari posset à transgressione voti paupertatis, si fœminæ non donaret ob pretium turpitudinis, vel ad alliciendum eius animum; sed, vel vt illius indigentiæ subveniret, vel vt obsequia, & benevolentiam sibi impensam remuneraret, vt probat Hurtado, *loco citato.* Si ex verò animo fiat.

Solvuntur fundamenta contraria.

87 Restat respondere ad contraria fundamenta. Ad primum constat ex dictis, Religionem esse invitam, tàm quoad modum, quam quoad substantiam, ac si facta esset distributio absque vlla licentia; quia licentia ad vsus turpes nunquam fuit nec expressè, nec tacitè data. ¶ Ad secundum respondetur, Religiosum se habere vt filium in his, in quibus Prælatus se potest habere vt pater; sed in nostro casu Prælatus se habere non potest vt pater, hic enim vere est dominus suorum bonorum: & sicut potest dare filio licentiam expressam ad expendendum in vsus turpes: ita potest dare tacitam in generali inclusam, nec datur aliunde, vnde talis licentia ad vsus honestos tantum coarctetur: quæ omnia in Prælato respectu Religiosorum non inveniuntur, vt ex dictis patet. ¶ Ad tertium dicimus, quòd hoc ipso, quod Prælatus non possit validè talem licentiam concedere, vt iam probauimus, non poterit licitè; sed semper illa generalis licentia, vt sit valida, & licita, cum dicta restrictione ad vsus licitos, & honestos tacitè intelligitur, aliter illicita esset, & invalida. ¶ Ad confirmationem dicimus esse disparem rationem: quia in alijs casibus ibi enumeratis, & similibus, licentia solùm se habet vt removens impedimentum, non vt influens positivè ad actum: auferetur autem impedimentum, quod erat, ne talis actio fieret, relinquendo subditum liberum ab illa obligatione: quod autem ipse hac libertate abutatur, provenit aliunde, & ex sua malitia. At licentia in Religiosis, vt diximus suprà ex doctrina Lugonis, *num.* 73. cuius est hæc confirmatio, se habet vt influens positivè; & sic solùm ad licitos, & honestos vsus extendi iudicatur. Præterquam quòd in alijs casibus non adest principium, vnde potestas concedentis coarctetur; sicut in nostro casu adesse diximus ex intentione Religionis, & dispositione sacrorum canonum.

PUNCTUM VII.

Quam obligationem habeat Prælatus circa votum paupertatis, & quam quantitatem possit expendere, aut dare licentiam subditis ad illam expendendam?

Ad superflua, & vana, nec licentiam dare, nec sibi Prælatus potest sumere.

88 PRælatus regularis cùm non minùs voto paupertatis adstringatur, quàm alij Religiosi, idcò nec alijs dare licentiam, nec sibi assumere ad superflua potest. Et per superflua intelligimus omnia, quæ nec ad suos vsus, nec ad Conventus debitam prouisionem, ac decentem administrationem sunt necessaria. Quarè nec in vsus pravos potest aliqua expendere, sive ex bonis sui peculij, sive ex bonis Monasterij, & tenebitur restituere tàm ipse, quàm accipiens ab eo. Nec in opera pia potest notabilem quantitatem ex bonis communibus Monasterij expendere; quia non est illorum dominus, sed administrator. Vnde, exceptis his, quæ in commodum Monasterij insumit, ea omnia, & non ampliùs expendere potest, ad quæ expendenda potest suis subditis dare facultatem, & sibi assumere ad expendendum ex bonis Monasterij licentiam, quam alijs concedere potest. Vt docet Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 39. Lugo *disp.* 3. *num.* 129. & nomine Prælati in hac parte intelliguntur omnes illi, de quibus *à num.* 77. diximus.

In vsus Monasterij quæ Prælatus expendere potest?

89 Prælatus verò immediatus, cui incumbit administratio bonorum Monasterij, substituitur loco totius Communitatis, vt id faciat, expendat, commutet, emat, vendat, &c. quæ Communitas faceret, si prudentèr se gereret: vnde omnia dare, & expendere potest, quæ in commodum, decentiam, & splendorem Communitatis cedunt, dummodò terminos status religiosi non excedat. Potest, & debet facere eleemosinas de bonis Communitatis plu-

res, vel pauciores pro maiori, vel minori necessitatum occurrentia. Imò tenetur ex bonis superfluis Monasterij eleemosinas facere, & licitè potest omnia superflua illius inter pauperes distribuere, vt constat ex cap. *Quia in tua*, 12. *quæst.* 1. cap. *Aurum*, 12. *quæst.* 2. & tenent Peyrin. *de Relig. subd. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 8. *in princ.* Gaspar Hurtado *tract. de Charitat. disp.* 5. *diffic.* 14. Vazq. *in opusc. de Eleemosin. cap.* 4. *num.* 1. Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 2. *punct.* 13. *num.* 9. & est communis. Quia bona Monasterij pauperibus sunt hypothecata; & ideò debet inter illos distribui, quod Monasterio superfluum fuerit. Fateor esse probabilem opinionem illorum, qui asserunt, quòd licèt Prælatus possit omnia superflua Monasterij in eleemosinas expendere, & teneri ad sic expendendam aliquam illorum partem; non tamen teneri omnia superflua sic distribuere, quia poterit aliqua reservare ad Conventus redditus augendos, ad cultum divinum decentiùs exornandum, & ad alia, quæ licèt non sint necessaria, sunt tamen convenientia, vt numerus Religiosorum possit augeri. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 12. & *tract.* 12. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 13. Diana *part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 33. Peyrinis *de Prælato, quæst.* 1. *cap.* 5. *num.* 57. Tamburin. *tom.* 2. *disputatione* 22. *quæst.* 14. Fr. Hieronym. Garcia *tract.* 4. *part.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 9. *num.* 2.

Quam summam potest Prælatus expendere extra Religionem?

90 Imò non solùm potest Prælatus ex superfluis Monasterij eleemosinas facere, sed etiam ex necessarijs, prout vsus, & consuetudo Religionis permiserit, & necessitates occurrentes postulaverint: & ad hoc multoties teneri, saltem quando ex superfluis non habet, asserunt omnes. Imò asserit Lugo *disp.* 3. *num.* 186. contingere posse, vt iuxta regulas prudentiæ valeat Prælatus dare pauperibus omnes, aut ferè omnes redditus sui Conventus, & mendicare ad suorum alimenta. Nam, attenta perfectione status, & obligatione dandi exemplum in hac materia, quam habent Religiosi, hoc non excederet terminos religiosæ prudentiæ. Hoc tamen alij meritò non admittunt. Sed meliùs esse asserunt legibus, & consuetudinibus suæ Religionis conformari: nam ipse dominus non est illorum bonorum, sed dispensator, quæ iuxta præscriptum Ordinis administrare debet. Suarez *lib.* 8. *tom.* 3. *cap.* 15. *num.* 10. Palaus *tract.* 16. *disputatione* 3. *punct.* 22. *num.* 3. Garcia *dub.* 6. *num.* 4. In nostris autem constitutionibus 3. *part. cap.* 14. *numer.* 1. sic habetur: *Declaramus, Priorem, præterquam in sumptibus pro victu, & vestitu Religiosorum, ære alieno solvendo, & Officinis Conventus de necessarijs providendis, toto triennio, absque clavariorum scientia, & in vtilitatem Conventus, vltra centum, & quinquaginta aureos, quos ducatos vocant; & eorum assensu vltra trecentos impendere non posse: sumptus autem prædictam quantitatem superantes non nisi de consensu Conventus fiant.* ¶ Circa quam constitutionem adverto primò, quòd cùm in Conventibus nostrorum Eremorum Clavarij non dentur, iuxta dispositionem constitutionis 3. *part. cap.* 9. §. 7. *num.* 3. ea omnia, quæ in alijs Conventibus expendere possunt Prælati de consensu clavariorum, poterunt in Eremis per seipsos; quia ipsis in solidum concedit Religio, vt facere possint, hoc ipso quòd Clavarios auferat, quòd alijs Prælatis, quibus Clavarios adiunxit, de scientia, & consensu illorum indulsit. ¶ Adverto secundò, quòd cùm in dicta constitutione concedatur facultas dictam summam expendendi in vtilitatem Conventus, non poterunt ea expendere in alios vsus, qui nullo modo cedunt in vtilitatem Monasterij; ideòque illa amicis, aut consanguineis non poterunt dare. Sed quia eleemosina semper in splendorem, & decentiam Conventus, ac proinde in ipsius vtilitatem cedere solet, possunt illam summam in pias eleemosinas distribuere, vti recepta est, & intellecta communiter inter nos dicta constitutio: & in illa summa non intrant eleemosinæ quotidie, vel frequenter occurrentes, quæ apud nos fiunt.

Quam quantitatem possit donare Prælatus?

91 Possunt etiam ex gratitudine, & in remunerationem obsequiorum, & ad conciliandos benefactores, aliquas donationes facere, non ad ostentationem liberalitatis, vel vt consanguineis, vel amicis benefaciant, nisi alias pauperes essent; vel ob suum privatum respectum, quia in ordine ad hæc solùm expendere possunt, quod alij ex eorum licentia possunt expendere. Sed hinc oritur implexa difficultas; ad quam quantitatem se extendere possit Prælati facultas, vt ipse expendat, vel alijs det licentiam expendendi in pios, & licitos vsus? Et loquimur de donationibus liberalibus, nam de remuneratorijs postea dicemus. Cordub. *in Summa, quæst.* 54. *dub. vltim. dict.* 1. duodecim ducata pro singulis annis assignat. Alij, quos refert, & sequitur Azor 1. *part. lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 4. posse per singulos menses, duos, vel tres aureos admittunt. Alij singulis annis ad duodecim, vel quindecim aureos extendunt. Fagundez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 9. *num.* 3. in ditissimis Monasterijs (illis videlicèt, quæ habent quindecim millia ducatorum annuatim) concedit posse ter in anno de redditibus Monasterij 20. vel 30. aureos expendere. Sed melius dicendum est cum Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 42. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 13. quòd quantitas, de qua hìc agimus, non nisi prudentis arbitrio diffiniri debet, attentis opibus Monasterij, dignitate Prælati, vicibus occurrentibus, earumque numero, qualitate personarum, quibus donandum est, abundantia, aut penuria regionis, Ordinis consuetudine, & alijs similibus. Adverto tamen cum Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 439. Fagundez *loco citato*, quòd possunt Superiores simul, & copulatim donare, quæ divisim danda erant, cum prudentia tamẽ, & consilio, ne damnũ Religiosis fiat, aut paupertatis perfectio labefactetur. Provincialibus verò liberalior est manus concedenda, vtpote qui habent digniorem prælaturam; & adhuc Generalibus extensior, vt notarunt Sanchez, Suarez, Pellizar. *loc. cit.*

Quas remuneratorias donationes possint Prælati facere?

92 Præter hoc possunt donationes remuneratorias, seu antidotales facere; quia talis donatio non est propriè, & strictè donatio, sed quædam quasi debiti solutio, vt colligitur ex leg. *Atticius Regulus, ff. de Donationibus.* Datur enim remuneratoria donatio ad beneficium, & obsequium solvendum, quo aliquis de nobis est benemeritus: & sic non gratis, & liberalitèr donatur. Et ideò eas facere Prælatos posse, & dare licentiam subditis ad illas, docet Lugo *disput.* 3. *num.* 186. Sanchez *cap.* 19. *numer.* 90. Villalobos *tract.* 35. *diffic.* 32. *numer.* 4. Bonacina, Peyrinis, & alij, quos citat, & sequitur Diana 1. *part. tract.* 6. *resolut.* 15. ¶ Sed quia docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 166. *artic.* 6. gratitudinis legem postula-

ſulare ſemper plus reddere, quàm ſit acceptum; ideò Prælati, & alij de eorum licentia poſſunt donatione remuneratoria expendere, non ſolùm quantum ſatis eſt ad ſatisfaciendum obſequijs, ſed aliquid vltra, nimirum exceſſum in quarta parte: vt ſi beneficium, vel munus acceptum valeat duodecim, dare vſque ad 16. Vt probabilitèr docet Sanchez *de Matrimon. lib. 6. diſp. 9.* Cenedo *de Paupert. Relig. dub. 17. num. 13.* Barboſa, & Navarr. quos refert, & ſequitur Diana *ſuprà, reſol. 16.* Vnde refert, quòd ſi famuli pro certo ſalario inſerviunt in Monaſterio cum magna fidelitate, vltra ſalarium juſtum poteſt donari eis à Prælatis aliquid amplius; quia non eſt propriè donatio, ſed beneficij remuneratio.

PUNCTUM VIII.

Quomodo Religioſi poſsint aliqua ludo exponere?

Non poteſt Religioſus notabilem quantitatem ludo exponere.

93 QUia diximus punctis præcedentibus, non poſſe Religioſos in ſuperflua, & vana aliqua expendere, nec ad hoc Prælatos licentiam dare, venit nobis agendum de ludis Religioſorum, vt hæc materia maneat, quantum fieri poteſt, completa. Et quidem non poſſe Religioſum abſque licentia Prælati ea ludo exponere, etiam ex proprio peculio, quæ aliàs non poſſet donare magis, minuſve, omnium eſt concors ſententia: quia non eſt illorum bonorum dominus: vnde ſi quid perdiderit, tenetur reſtituere, ſicut ea, quæ abſque licentia expendit, & ſimiliter lucrans ab eo: quod commune eſt reſpectu omnium, qui lucrantur ab his, qui non poſſunt bona ludo exponere: vt minor, filius familiàs, vxor. Et ita in noſtro caſu tenent Sanchez *lib. 7. Decal. cap. 10. num. 67.* Lezana *tom. 1. cap. 6. num. 51.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Director. tract. 3. diſp. 6. ſect. 5. num. 393.* & omnes. An verò ſi habeat licentiam generalem expendendi aliquam ſummam in vſus, quos voluerit, peccet cõtra votum paupertatis eam ludo exponendo, ita vt ipſe, & lucrans teneatur reſtituere? Diximus *num. 85.* Sed modò quadruplex difficultas eſt nobis decidenda.

Aliquas pecunias in parva quantitate poſſunt ludo exponere Religioſi.

94 Prima difficultas eſt, an poſsint Religioſi aliquam modicam quantitatem ludo licito exponere, ſine eo quòd ipſi amittentes, vel lucrantes ab eis teneantur reſtituere? Reſpondetur affirmativè. Tùm, quia cenſetur tacita licentia Prælatorum, cùm poſſit ex illa in licitos, & honeſtos vſus aliqua expendere; & delectatio, aut recreato ex ludo licito, & honeſto, honeſta, & licita eſt. Tùm etiam, quia Religioſi ſe habent vt filij; & filijs à parentibus conceditur juxta qualitatem perſonæ aliqua ludo exponere. Vnde ex his, quæ ſibi ad vſum ſunt conceſſa, vel quæ ab alijs accipiunt, vel ex deſtinatis ad ſuum victum, poſſunt, parcè vivendo, aliqua ſubtrahere, vt ludo exponant. Villalobos *tract. 28. diffic. 5. num. 9.* Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 8. cap. 8. numer. 862.* Azor *tom. 3. lib. 5. cap. 26. quæſt. 8.* Sanchez *lib. 7. cap. 19. num. 79.* Molina *tom. 2. diſput. 520. num. 1.* Diana 7. *part. tract. 9. reſolut. 14.* Lugo *diſput. 3. ſect. 7. num. 144.* Leſsius *lib. 2. cap. 18. num. 83. & cap. 41. num. 73.* ¶ Quam verò quantitatem determinatam poſsit exponere? Aliqui dicunt poſſe 4. vel 5. aureos pro centum quotannis ſibi ad vſum conceſsis. Alij poſſe omnia illa, quæ poſſunt liberalitèr donari. Sed hoc meliùs relinquendum eſt arbitrio prudentis viri, conſiderata Religione ludentis, quantitate peculij conceſsi, perſona, & eius dignitate, alijſque circumſtantijs occurrentibus.

Qui ludi ſint prohibiti ſpecialitèr Religionibus reformatis?

95 Diximus in reſolutione, *ſi ludus ſit licitus*: nam ſi prohibitus ſit, vel à jure, vel à regula, vel à conſtitutionibus, vel à Superiore, vel ſit eſcandalo ſus, non licet ludere, nec parvam, nec magnam quantitatem; quia ex ludis illicitis non poteſt accipi licita, & honeſta recreatio: nec ad illos poſſunt Prælati licentiam concedere, vt eſt communis ſententia. Sunt autem ex jure ludi prohibiti ludus alearum, & taxillorum (per quos intelliguntur omnes ludi fortuiti, in quibus res permittitur caſui, & fortunæ. *Cap. Epiſcopus, diſtinct. 35.* Trident. *ſeſſ. 22. de reform. cap. 2.* Quamvis poſsint Religioſi, etiam abſque culpa veniali, ex juſta cauſa, v. g. ad recreandum ſocium, & ſeipſos, ludere chartis luſorijs aliquam modicam pecuniam, in illis Religionibus, in quibus iam ſunt huiuſmodi ludi vſu, & conſuetudine permiſsi, præciſo ſcandalo, & in contrarium præcepto. Peyrinis *de Relig. ſubd. quæſt. 2. cap. 2. §. 7.* Dicaſtillo *de Iuſtitia, lib. 2. tract. 18. diſp. 2. dub. 2. num. 22.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Direct. Regula. tract. 3. diſp. 6. num. 323.* ¶ At in Religionibus reformatis, vt Societatis, Capuccinorum, noſtra, & ſimilibus, erit peccatum mortale ludus alearum, taxillorum, & chartarum cum pecuniæ expoſitione: & viam aperire in his Religionibus talibus ludis, quocumque prætextu, erit peccatum lethale, non ſolùm quia in eorum conſtitutionibus ſint tales ludi prohibiti, vt apud nos 4. *part. conſtitut. cap. 4. §. 1. num. 1.* ſed propter ſcandalum, quod præberetur alijs Religioſis, huiuſcemodi ludis viam aperiendo, hucuſque nec viſis, nec auditis in talibus Religionibus. Et ſic Prælati mortalitèr peccarent, ſi ex quacumque cauſa tales ludos permitterent. Lugo *diſp. 31. ſect. 1. num. 12.* Diana 7. *part. tract. 9. reſol. 4.* Dicaſtillo *num. 21.* Bordon. *tom. 1. reſol. 33. n. 5.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto, *loco citato à num. 324.*

Non poteſt Superior validè concedere licentiam ad exponendam ludo notabilem quantitatem.

96 Secunda difficultas eſt: An poſsit Superior validè (licèt non licitè) licentiam ſubdito præbere (& conſequentèr eam ſibi aſſumere) vt magnam pecuniæ quantitatem ludo exponat, ita vt lucrans non teneatur reſtituere, nec ipſe, ſi amittat? Affirmat prima ſententia, quia licèt Superior in mala illa adminiſtratione peccet (quidem mortalitèr, & ſubditus illa vtens licentia:) at licentia ad contractum, qui ex ſe poteſt vtilitatem adducere Conventui, valida eſt, ſicut ad alios contractus. Si tamen contingat Monaſterium gravitèr lædi, dabitur ei reſtitutio in integrum, ſicut in alijs contractibus. Sic Salas *de Contractu ludi, dub. 21. numer. 4.* Leſsius *lib. 2. cap. 26. dub. 5. num. 36.* Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 8. cap. 9. num. 866.* Amicus *tom. 5. de Iuſtitia, diſp. 28. ſect. 4. numer. 35.* ¶ Sed tenenda eſt ſententia ſecunda, quæ dicit, invalidam eſſe talem licentiam, & debere reſtitui pecuniam eo ludo partam, quatenus moderatam, & honeſtam quantitatem excedit. Quia quamvis ludus ſit contractus oneroſus, eſt tamen indecens Religioſis, quando eſt in magna quantitate, nec continetur intra limites honeſtæ recreationis illorum; ſed Superioribus in generali adminiſtratione bonorum, quam habent, non cenſetur con-

concessa licentia contractuum huiusmodi ineundorum; quia censentur semper indecentes, & prodigi, & illorum proprij, qui sunt domini absoluti rerum, quas proinde possunt pro libito prodigere : ergò, &c. Ita Ledesma 2. *tom. tract.* 31. *cap.* 1. *part.* 10. *conclus.*..vers. *Lo que toca Religiosos.* Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 8. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 28. *diffic.* 5. *num.* 9. Dicastillo *lib.* 2. *de Iust. tract.* 18. *disp.* 4. *dub.* 6. *num.* 38.

Quomodo Religiosus possit in ludo lucrari vltra id, quod potest perdere.

97 Tertia difficultas est, an Religiosus, qui non potest, nisi v.g. 5. perdere, teneatur restituere, si in vnoquoque ludi jactu 20. lucretur? Respondetur, quòd si quinque solùm exponat, & simul à quatuor totidem eodem lucretur jactu, & postea lucrata eodem ludo moraliter non interrupto diversis jactibus, vel eodem exponat, potest lucrum postmodùm habitum retinere; quia satis est ad singulorum ludorum lucra capessenda, vt possit eandem quantitatem in singulis ludis expositam perdere, quia in hoc ludi servatur æqualitas. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 5. *quæst.* 8. *notabilit.* 3. Bañez 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. Rebellus *part.* 2. *lib.* 12. *quæst.* 4. *sect.* 1. *num.* 5. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 33. At si ludus moraliter interrumpatur, non poterit, quod lucratus est exponere; alioqui qui ab eo ea lucraretur, teneretur restituere: quia iam illa bona lucrata sunt Monasterij; & ipse, si eodem jactu totidem lucretur ab vno, quando excedit quantitatem, quam ipse perdere potest, vt dicemus difficultate sequenti ¶ Tunc autem censetur moraliter interrumpi ludus, si loco illorum, qui perdiderunt, alij omninò diversi succedant, vel in diverso tempore ludus fiat. Si tamen vnus loco alterius in eodem ludo succedat, vel altera die cum eisdem ludat eodem ludi genere; licet stando in rigore juris non possit Religiosus exponere, quod iam lucratus est, quia acquisita sunt Monasterio; tamen ob vrbanitatem, & humanitatem, & quia par est, quod Monasterium, quod lucrum reportavit, exponatur etiam incommodo, quando id petit vrbanitas, & decentia : ideò licet Religioso modo dicto lucrata exponere; vt de filijs familias, in quibus eadem ratio currit, docet Sanchez *lib.* 7. *Consil. cap.* 8. *dub.* 8. *numer.* 2. & de Religiosis Lugo *disputat.* 3. *sect.* 7. *num.* 145. Villalobos *tract.* 28. *difficult.* 5. *num.* 14. & 15. & de omnibus, qui sine licentia perdere non possunt, Rebellus *part.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 4. & tunc omnia lucrari poterit, quæ post lucrata iam potest perdere.

Si lucretur Religiosus vltra id, quod potest perdere, teneatur restituere.

98 Quarta difficultas est, an si Religiosus aliquid absque licentia ludo exponeret, vel maiorem quantitatem illa, ad quam licentiam habebat, teneatur restituere quantitatem lucratam vno jactu suprà illam, quam poterat perdere? Et quidem si cum eo ludat, qui sciebat ipsum non posse totidem perdere, certum est non teneri lucrata restituere : quia scienti, & volenti non fit injuria. Loquimur ergo, quando cum eo qui hoc nesciebat, vel bona fide putabat illum posse ea perdere, ludit. Negat prima sententia : quia contractus à Religioso absque licentia Prælati celebratus, postea sustineri potest à Prælato, & præsumendum est ita fieri, quatenus in eius vtilitatem cedit : sicut contractus pupilli non valet, ex qua parte in eius damnum cedit; & valet ex qua parte in eius commodum cedit. Ita, vt probabile, tenet Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *disput.* *num.* 396. Pellizarius *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 225. & tenent absolutè illi Authores, quos citat Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 85. quam opinionem ipse probabilem dicit. ¶ Sed dicendum est, teneri in illo casu Religiosum lucrata restituere vltra id, quod perdere poterat; quia de ratione contractus ludi est, quòd vterque sit æqualis conditionis in periculo lucrandi, & amittendi; nec debet talis contractus ex parte vnius claudicare, & non alterius. Et tunc verum est, posse à Prælato acceptari contractum, quando in suum commodum cedit; quando illius effectus dependet, & est quasi in suspenso, vt si ludus finitus non esset. Et idem est in alijs contractibus pupillorum, & minorum, qui acceptari possunt ab eorum Tutoribus, & Curatoribus, quãdo cedunt in eorum commodum, si effectus contractus adhuc dependet, & est quasi in suspenso. At nullus contractus ex vna parte claudicans acceptari potest ab alia, quando iam est finitus, & lucrum reportatum ex parte vnius absque periculo amittendi ex parte alterius. Vnde in casu nostro teneri Religiosum restituere, tenent Sanchez *cap.* 19. *num.* 86. Lugo *disp.* 3. *sect.* 7. *num.* 146. Villalobos *tract.* 18. *diffic.* 5. *num.* 13. Lessius *lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 5. *num.* 32. & 38. Petrus de Ledesma *tom.* 2. *tract. vltim. cap.* 2. *concluſ.* 8.

PUNCTUM IX.

De obligatione restituendi, quam habet Religiosus sine licentia donans, aut alio modo expendens, & qui ab eo recipit?

Quando Religiosus expendens, & ab eo recipiens teneatur restituere?

99 EX dictis *toto hoc cap.* constat, recipientem à Religioso, qui absque tacita, vel expressa licentia dedit aliquid in notabili quantitate, teneri restituere; & quidem totum, si extet: & etiam si non extet, si mala fide consumpsit; & si bona, id in quo factus est ditior, vt est communis doctrina pro recipientibus aliquid bona, vel mala fide ex alienis; quia verè hic ex alienis recipit, nimirum ex bonis, quæ erant Monasterij, datis ab eo, qui facultatem donandi non habebat. Si autem per contractum oneroſum recepit, nimirum per emptionem, aut venditionem, nihil tenetur restituere, si fuit æqualis vtriusque contractus, cùm tantundem dederit, ac accepit, vt notavit Trullench *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 5. *dub.* 9. *num.* 5. sed illa, quæ recepit per donationem gratiosam. Et primo loco tenetur hic recipiens rem illam restituere, quia in eius commodum facta fuit donatio; & in eius defectum Religiosus, qui non potest ex suo peculio illam rem restituere Monasterio, nisi prius admonito eo, qui recepit, & in eius defectum, vti ex Bonacina notavit Pellizarius *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 128. quia peculium Religiosi est bonum Monasterij; & debet fieri restitutio, non ex bonis creditoris; sed eo modo, quo ille in suis minus detrimentum patiatur. Quarè poterit Religiosus se, & accipientem ab onere restitutionis liberare, si quantitatem illam, quam dedit, petat ab amico, & eam conferat Monasterio; quia sic Conventus nullum detrimentum patitur, & talem petitionem potest facere, inscio Prælato; quia tunc præsumitur volun-

voluntas rationabilis illius, cum ſibi convenientior modo reſtitutio fiat. Vti docet Suarez *tom. 3. cap. 8. lib. 11. num. 4.*

Quando Religioſus aliquid indebitè expendens teneatur reſtituere?

100 Religioſus verò, qui abſque debita licentia ex bonis Monaſterij aliquid expendit in notabili quantitate, tenetur illud reſtituere, expendendo in vtilitatem Conventus tantum ex bonis ſibi ad vſum conceſsis, ſaltem vſque dum perveniat ad quantitatem illam, quæ ex ſe gravis non eſſet, & ad mortale ſufficiens: quia verè commiſit furtum, rem alienam, invito domino, expendendo. Quare, licet in rigore reſtitutio ab eo facienda non ſit propriè talis (quia reſtitutio proprie accepta debet eſſe ex bonis proprijs, & Religioſus nihil proprium habet, nec poteſt habere) ſed quia poteſt libere de aliquibus redditibus, de aliqua ſumma, vel ſupellectili ſibi applicata diſponere ex licentia Prælati; poteſt, & debet illa ſe privare, ſeu eius vſu, qui eſt pretio æſtimabilis, & cum à ſe abdicare, vt debitam faciat reſtitutionem meliori modo, quo poteſt. Et idem dicendum eſt de his, quæ abſque licentia de bonis Monaſterij ſibi ad vſum applicabit, quæ debet ipſi Monaſterio reddere; quia licèt dominium ſemper apud illud remaneat, accipere vſum rei alienæ, domino invito, furtum eſt, obligans ad reſtitutionem. Villalob. *tract. 35. diffic. 31. n. 1.* Bonac. *diſp. 2. quæſt. 10. de Reſtit. punct. 3. n. 7.* Trullench *lib. 7. Decalog. cap. 5. dub. 9. n. 5.* Petrus Navarr. *lib. 3. cap. 1. n. 204.* Fagund. *lib. 7. in Decalog. cap. 5. n. 35.* Sanch. *cap. 19. cit. n. 112.*

Qui nõ curat cuſtodire res ſibi conceſſas ad vſum, tenetur reſtituere.

101 Tenetur ſimiliter Religioſus, cui cura incumbit cuſtodiendi, diſpenſandi, vel adminiſtrandi bona Monaſterij, ſi ex ſua culpa lata pereant, vel deteriorentur, ac ſi dolo ea deſtrueret; quia culpa lata dolo æquiparatur, vt diximus *cap. 1.* & modò tenet Pellizar. *tract. 4. cap. 2. num. 327.* Leſsius *lib. 2. cap. 41. num. 78. §. 10.* Ex quod deducitur, quòd Religioſus non obſervans res ad particulares vſus ſibi conceſſas, ſed negligentèr, & minùs accuratè eas tractans, ita vt ex ſua culpa pereant, vel deteriorentur, peccat contra votum paupertatis, & tenetur reſtituere iuxta gravitatem materiæ: ſicut vſuarius, qui precariò vtitur, culpam latam vitare tenetur, & ſub hac obligatione precariò accipit, vt reſtituat, ſi quid ſua culpa deterius ſe habet, aut perijt: vt diximus *tract. præced. cap. 2.* & modò tenet Lugo *diſput. 3. num. 169.* Sanch. *cap. 19. num. 115.* Pellizar. *numer. 229.* Leſsius *loco proximè citato.*

Quibus caſibus excuſetur à reſtitutione Religioſus?

102 Cæterùm, qui legitimam habet licentiam generalem aliquid expendendi in his, quæ ſibi libuerint, an teneatur reſtituere, & qui ab eo recipiunt, ſi in vſus turpes, ac vanos expendat, conſtat ex dictis *num. 84.* eſſe reſpondendum iuxta duplicem ſententiam ibi aſsignatam. In caſibus autem, in quibus diximus ob parvitatem materiæ ſubditum excuſari à tranſgreſsione voti *tot. punct. 5.* etiam à reſtitutione excuſatur; quia obligatio reſtituendi ob actionem injuſtam, non niſi ex culpa gravi provenit: & quia injuria tunc illata non eſt adeò gravis, vt præſumi poſsit Prælatum velle obligare ad reſtitutionem, quod eſt velle illam remittere: & ſic nec accipiens à Religioſo, nec ipſe tenetur reſtituere, ſaltem ſub mortali. Sanch. *cap. 21. num. 30.* Pellizar. *num. 328.* Dian. *2. part. tract. 6. reſol. 35.* Deinde, quoties diximus *hoc cap.* ſubditum alienare poſſe, vendere, aut expendere ex licentia tacita, præſumpta, aut interpretativa, & quando ſolùm diſplicuiſſet Prælato quoad modum, non quoad ſubſtantiam, ceſſat obligatio reſtitutionis, tàm in Religioſo dante, quàm in iaccipiente; quia ceſſavit culpa, ſaltem mortalis, contra votum, ſine qua talis obligatio nõ conſurgit. Sanchez *lib. 7. cap. 19. num. 13.* Pellizar. *num. 324.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in Direct. tract. 3. diſp. 4. ſect. 7. num. 371.* Ac denique, quoties Religioſus bona fide conſumpſit bona Monaſterij, putans ſibi licere, non tenetur reſtituere, ſi res non extet, niſi in quo factus eſt ditior; eo quòd vbi non intervenit culpa mortalis, non eſt obligatio gravis reſtitutionis. Imò nec levis ſecundum aliquos id probabiliter aſſerentes, vt diximus *cap. 1.* quia obligatio de materia gravi non poteſt eſſe levis.

Qui non habet peculium, non tenetur reſtituere, ſibi ad vſum cõceſſa ſubtrahendo.

103 Sed inquires primò, an Religioſus, qui non habet proprium peculium, vel annuos redditus, vt in reformatis Religionibus reperitur, in quibus omnes de communi vivunt, teneatur, vel magis laborare, vel ex cibo, potu, & alijs ſibi ad vſum conceſsis ſubtrahere aliqua minùs neceſſaria, vel aliunde ab amicis procurare bona, ex quibus debitam faciat reſtitutionem? Affirmant ſatis probabiliter Villalob. *tract. 35. diffic. 31. num. 1.* Bonac. *diſp. 2. quæſt. 10. punct. 3. num. 7.* Lugo *diſput. 3. num. 168.* Sed non minùs probabile judicamus, non teneri: quia Religioſus reſpectu Prælati ſe habet in hac materiâ, vt filius reſpectu patris: ergo ſicut præſumitur prudenter parentes nolle obligare filios cum tanto incommodo, idem de benignitate Prælatorum eſt præſumendum. Quarè tales Religioſi ſolùm tenebuntur rem, ſi extet, reſtituere, vel monere eum, cui dederunt, vt reſtituat: quod ſi nolit, aut non poſsit, ipſi ad reſtituendum, tanquam impotentes, à tali obligatione excuſati manebunt. Fagundez *lib. 7. Decalog. cap. 5. num. 35.* Alfonſ. de Leone *collat. 11. numer. 292.* Pellizar. *tract. 4. cap. 2. ſect. 4. num. 321.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *ſuprà num. 383.*

Qui Religioſo eiuſdem Conventus donat, nõ tenetur reſtituere.

104 Inquires ſecundò, an ſi Religioſus ex his, quæ ſibi ad vſum ſunt conceſſa, vel quæ cum licentia diſtrahere poteſt, donet alteri Religioſo eiuſdem Conventus, ille teneatur reſtituere? Reſpondetur, quòd ſi dans habebat licentiam illa bona expendendi, non tenetur accipiens ea reſtituere. Tùm, quia, vt diximus ſuprà, quando vnus habet licentiam dandi, alius eiuſdem Prælati ſubditus licentiam habet recipiendi. Tùm etiam, quia minùs Monaſterium lædituir, ſi res, quæ aliàs legitimè donari poterat, detur ſubditis, quàm extraneis. Ac ſi ille, qui dedit, licentiam non habebat dandi, ſed vtendi illa re, & alteri donet (& ſupponimus eſſe ptetioſam) adhuc non tenetur reſtituere; quia licet peccet contra votum dando, quia vtitur illa re independenter; tamen non lædi Monaſterium, cùm res maneat ſub eius dominio, aſſerit Pellizar. *num. 337.* citans Dianam *7. part. tr. 11. reſol. 20.* Sed ibi nihil Diana de hoc dicit. Limitat autem Pellizar. niſi accipiens extra Monaſterium rem illam diſtrahat, vel in alios illicitos vſus inſumat; quia tunc, & ipſe, & qui illi dedit (inquit) tenetur reſtituere. De ipſo, qui inſumpſit, non eſt dubium: de illo, qui dedit, probat; quia qui eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati: vnde qui dedit, quia fuit cauſa, quod alius haberet vnde indebitè inſumeret, eſt etiam cauſa damni cauſati. Sed certè inefficax eſt argumentum; aliàs ſæcularis, qui daret Religioſo viginti aureos, eſſet cauſa mali, quod occaſione illorum Religioſus fecit. Tunc autem qui eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, quando cauſa illa eſt per ſe cauſa effectus, nulla libera cauſa interpoſita: niſi fortè dans ſciret alium abuſurum re donata; quia tunc

tunc est causa moralis effectus: sicut qui daret gladium ei, quem scit illo abusurum ad interfectionem innocentis.

Quibus modis obligatio restitutionis cessat?

105 Inquires tertiò, quibus modis cesset obligatio restitutionis in Religioso? Respondetur, in primis cessare ex remissione Superioris expressa, vel præsumpta, facta ex justa causa, si esset res, de qua Superior posset dispensare; quia familiare est ex remissione creditoris in omnibus debitis cessare obligationem restitutionis: at in nostro casu Superior, qui vices Communitatis gerit, est creditor: ergo, &c. Et potest adesse causa justa condonandi, licèt ab initio non adesset causa justa expendendi. Vndè licet ipse Superior ab initio id turpiter expendisset, posset, interveniente justa causa, remittere sibimetipsi, & accipienti obligationem restituendi, vt inquit Lugo *disp. 3. num. 168.* Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num. 388.* Sanchez *lib. 7. disp. 19. num. 109. fine.* ¶ Cessat etiam talis obligatio, si Religiosus alias habens onus restituendi, curaret, vt amicus sæcularis summam, quam erat daturus gratiosè Monasterio, mutato animo, eam tribuat in restitutionem à Religioso debitam; vt sic à tali onere liberetur: qui potest ex justa causa Religiosus procurare, vt sibi detur in suum commodum, quod erat Monasterio donandum, & hic justa causa intervenit talis actionis, vt nimirum à tali onere conscientiæ liberetur. Fagund. *præcept. 2. Eccles. lib. 8. cap. 6. num. 19.* Pellizar. *num. 330.* Fr. Antonius à Spiritu Sanct. *num. 386.*

Potest restitutio fieri ab acciente Religioso donanti tenendo.

106 Inquires vltimò, cui teneatur restituere ille, qui indebitè rem à Religioso accipit? Teneburne Monasterio reddere? An satisfaciat, si Religioso reddat, à quo accepit? Respondetur, quòd si timeat Religiosum contra voluntatem Prælati rem illam iterum abusurum, debet Monasterio, quod est dominus rei, non ipsi, reddere. Præciso autem tali timore, satisfacit suæ obligationi, si Religioso restituat rem, à quo illam accepit; quia non tenetur rem in meliorem statum reducere, sed in eo ponere, in quo invenit. Et hoc maximè, si res donata sit ex his, quæ Religioso sunt deputatæ ad vsum; quia in hoc nullam injuriam facit Monasterio. Sanchez *cap. 19. num. 110.* Molina *tom. 2. disputatione 520. numer. 1.* Rebellus *1. part. lib. 2. quæst. 11. section. 2. numer. 9.* Pellizarius *numer. 341.* Diana *3. part. tract. 2. resolut. 98. & 7. part. tract. 9. resolut. 15.* Villalobos *tract. 25. diffic. 32. numer. 4.* ¶ At verò quando Religiosus absque licentia aliquid ab externo accepit, si Prælatus ratam habeat talem donationem, debet Monasterio, cui quæsitum est illius dominium, restituere. Si verò Superior nolit illam ratificare, debet, si extet, rem ei reddere, qui dedit, apud quem dominium illius adhuc persistit: & si mala fide eam consumpsit, ex suo peculio tenetur æquivalens reddere externo, qui dedit; sed hoc ex Prælati licentia, & non aliter; quam ille dare non tenetur, quia illud peculium est bonum Monasterij, quod cogi non potest ob delictum, vel Pactum Religiosi sine facultate initum, vt solvat aliquid, vti diximus *tract. præcid. cap. 2. num. 211.* & modò tenent Sanchez *cap. 19. num. 110.* Pellizar. *num. 345.* Rebellus *1. part. lib. 2. quæst. 11. sect. 2. num. 9.* Villalobos, & Diana *locis citatis.*

TRA-

TRACTATUS XIV.

DE CONTRACTIBUS.

PROOEMIUM.

POSTQUAM iam egimus de justitia in communi, & eius effectibus, & de actu præcipuo justitiæ commutativæ, qui est restitutio; restat, vt agamus de materia præcipua, circa quam justitia versatur, & est etiam actus eius exterior, vti sunt contractus, commutationes, & pacta. Sed cùm sint tot contractus passim inter homines occurrentes, de omnibus in particulari agere, esset in longissimum abire; ideò aliquos præcipuos eligemus, quorum notitia est magis Confessarijs necessaria, quos instruere nitimur. Plura, quæ circa contractus (maximè in communi acceptos) dicenda erant, *tom.* 2. huius Cursus, *tract.* 9. *de Matrim.* à nobis decisa sunt, agentes de illo contractu ob connexionem doctrinæ; ideòque multoties ad loca, in quibus de illis egimus, remittemus Lectorem, vt (quantum fieri potest) prolixitatem, aut repetitionem evitemus.

CAPUT I.

De Contractibus, & Pactis in genere, vel in communi.

CAPUT hoc octo Puncta continent, quæ brevitèr percurremus, explicando materiam propositam, agentes de ijs, quibus perficiuntur contractus, & de defectibus, quibus invalidantur, tàm ex parte rei, quam personarum contrahentium.

Punct. I. *QVid, & quotuplex sit contractus? Quomodo perficiatur, & obliget?* num. 1.

Punct. II. *An metus gravis incussus ad extorquendum contractum, eum irritum reddat?* num. 8.

Punct. III. *An contractus, cui dolus causam dedit, sit firmus, & validus?* n. 17.

Punct. IV. *De contractu inito sub conditione, quomodo obliget, aut absolutus fiat?* num. 23.

Punct. V. *Qui possint validè, & licitè contrahere?* num. 32.

§. I. *Qui jure naturæ, vel positivo, sint habiles, vel inhabiles ad contrahendum?* num. 33.

§. II. *Quomodo minor, pupillus, & filiusfamilias possint, vel non, contrahere?* num. 38.

Punct. VI. *Vtrùm contractus sine solemnitate juris factis obliget in conscientia?* num. 49.

Punct. VII. *An contractus jure naturæ, vel positivo nullus juramento firmetur?* num. 54.

§. I. *Quando juramentum contractui adjectum sit validum, licet contractum non confirmet?* num. 57.

§. II. *Quando juramentum, contractum irritum, & nullum, ratum & firmum reddat?* num. 66.

Punct. VIII. *Quid sit restitutio in integrum? & quibus hoc beneficium restitutionis concedatur?* num. 74.

PUNCTUM I.

Quid, & quodtuplex sit contractus? Quomodo perficiatur, & obliget?

In quo differant pactum, & contractus?

1 QUamvis pactum, & contractus soleant ab aliquibus confundi, verè tamen discriminantur, & se habent sicut superior, & inferior: omnis enim contractus est pactum; sed non omne pactum est contractus. Contractus siquidem proprius, & absolutus in vtroque contrahente generat obligationem. Pactum autem (quod à pace dicitur, quia pacem generat, vt inquit D. Isidorus relatus in cap. *Pactum, de verbor. signific.*) solùm ex parte vnius illam producit, quamvis semper consensum reciprocum efflagitet. Vnde donatio, aut promissio ante acceptationem non sunt pacta, quæ obligationem inducant, vt rectè docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 1. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 19. *diffic.* 1. *num.* 4. & 5. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 1. sequuta tamen acceptatione, tàm donatio, quàm promissio in donante, & promittente obligationem inducunt: in isto ad dandam rem promissam, in illo ad non repetendam donatam. Sicut mutuum, quod est contractus perfectus ex parte mutuatarij, & mutuantis, ponit obligationem: in isto, ne statim repetat mutuatum: in illo, vt debito tempore mutuatum solvat.

Diffinitio contractus perfecti, & imperfecti.

2 Vnde bifariam à Iuristis accipitur contractus in genere. Alius est absolutus, proprius, & perfectus: ille nimirum, qui vtramque partem obligatam relinquit, vt in venditione, conductione, mutuo, &c. & diffinitur ab Vlpiano in leg. *Labeo*, 2. *ff. de verb. ac rer. signific.* Contractus est *Vltro, citroque obligatio*; id est, actus justitiæ commutativæ vtrinque obligans. Quod non sic intelligendum est, quasi contractus sit ipsa obligatio formalitèr: quia obligatio est effectus contractus in contrahentibus productus; & ita non est obligatio, sed causa obligationis, seu signum externum, quo homines exprimunt mentem suam, & sese vicissim alter alteri obligant, & jura commutant. Vnde Sotus *lib.* 6. *quæst.* 2. *art.* 1. ita hunc contractum perfectum diffinivit, quod est *Conventio inter duos, ex qua vtrinque obligatio nascitur.* Alius est semicontractus, seu contractus latè sumptus, & cum pacto coincidit, comprehenditque omnes cotractus gratuitos, & alios, in quibus solùm ex parte vnius datur obligatio, vt in promissione, donatione, depósito, pignorato, & huiusmodi, qui etiam dicuntur contractus *leg.* 2. *ff. Si certum petatur*, leg. *Contractus*, 16. C. *de fide instrumēt.* & pactum, seu contractus talis hoc modo diffinitur, quòd est *Conventio duorum, obligationem saltem in alterutro pariens.*

Contractus innominati, & nominati recensentur.

3 Igitur contractus perfecti, & absoluti primò dividuntur in *nominatos*, & *innominatos*. Innominati dicuntur, qui solùm sortiuntur nomen generium contractus, vel aliud nomen, quod non denotet specialem speciem; quia qui non habet nomen significans proprlam speciem contractus, non habet proprium sui nomen, ideòque non facit propriè contractum nominatum. Horum quatuor species assignantur in leg. *Naturali, ff. de præscriptione verborum*: *Do, vt des*; *Do, vt facias*: *Facio, vt des*; *Facio, vt facias*. Vt si quis mihi det bovem, vt illi equum conferam, est contractus *do, vt des*: si det bovem, vt in suo fundo laborem, est *do, vt facias*: si illi operas meas applicem, vt ipse mihi conferat hæreditatem, est *facio, vt des*: & si ego illi operas locem, vt ipse intercedat pro me, apud Regem, vel me edoceat, est *facio, vt facias*. Ex quo patet hos contractus cum *commutatione* genericè sumpta coincidere: & sic illam inter contractus innominatos esse computandam. ¶ Alij sunt nominati, qui specificam rationem contractus significante nomine funguntur. Quorum aliqui plurimas enumerant species, quæ omnes ad septem reduci possunt: *Emptio*, & *venditio, mutuum, permutatio* specificè accepta, *cambium, commodatum, locatum*, & *conductum*, *emphyteusis*, & *feudum*. Ratio huius sufficientiæ est hæc: in quibusdam namque contractibus transfertur dominium rei, in alijs vsusfructus, in alijs vsus rei. In quibus transfertur dominiū: vel est ex gratia; & tunc non est verè, & propriè contractus: vt in donatione, legato, &c. vel non est ex gratia; & tunc dantur tres priores, *emptio*, & *venditio, mutuum, cambium*: ad quos contractus *societatis*, & *assecurationis* reducuntur. Si solùm vsusfructus transferatur pro pretio, aut pensione temporali, aut perpetua; est contractus *emphytensis* (ad quem *feudum* reducitur) in quo dominium directum remanet apud priorem dominum, & vtile apud emphyteutam. Si solùm vsus; vel datur vsus rei non consumptibilis sine pretio; & est *commodatum*, vel vsu vnius rei pro vsu alterius, & est *permutatio*. Si res ad vsum pro aliquo pretio (quod hispanè dicitur *alquilar*) est *locatum*, seu *conductum*.

Aliæ divisiones contractus proponuntur.

4 Rursus dividitur contractus in *explicitum*, seu *formalem*; & *implicitum*, seu *virtualem*. Primus est, in quo duo verbis, vel signis exprimentibus consensum in idem conveniunt. Secundus, in quo solùm implicitè conveniunt absque vlla expressa pactione; vt Tutor, Curator, & alij, qui officium, mandatum, vel negotium gerunt. Qui enim aliquod officium accipit, eo ipso se obligat erga alterum; & alter obligatur erga illum, iuxta leges, & consuetudinem receptam: & hic non est propriè contractus, sed quasi contractus. ¶ Deinde dividitur in *lucrativum*, & *onerosum*, ille est, in quo nihil rependitur, vt promissio, donatio, commodatum, testamentum, legatum: hic, in quo aliquid loco eius, quod datur, debet reddi, vel præstari; vt emptio, venditio, &c. ¶ Deinde contractus, seu pactum dividitur in *nudum*, & *vestitum*. *Nudum* pactum est, quod omni firmamento caret, & in meris finibus conventionis consistit; vt contractus innominatus, antequam ex altera parte impleatur, vel juramentum accedat; & qui re perficiuntur (de quibus statim) antequam tradatur. *Vestitum* est, quod aliquid addit, vnde jure civili, vel canonico robur obtinet. Vt si contractus sit ex altera parte impletus: si accedat formula stipulationis, nimirum, quia altero interrogante, alius respondeat, videlicet: *Emis pallium? Emo: Spondes centum? Spondeo.* Et omnes contractus nominati, qui solo consensu perficiuntur, de quibus iam agemus: & si contractus innominatus fiat instrumento publico. Et est discrimen inter pactum nudum, & vestitum; quòd ex nudo regulariter non conceditur actio in foro externo, licèt aliquando ex privilegio concedatur, benè tamen ex vestito. Alias divisiones pacti ab Auctoribus recensitas prætermittimus, quia magis pro foro externo deserviunt.

Sed

Quatuor modi, quibus perficitur cō tractus.

5 Sed modo inquires, primò quot modis contractus perficiantur? Et loquimur de substantiali perfectione quoad substantiam contractus, quando nimirùm omnia necessaria apponuntur, vt secundùm suam speciem subsistat; non autem quæritur de his, quæ accidentaliter illum perficiunt; nam sic traditione rei omnis contractus perficitur. Vndè emptio, aut venditio perfectæ sunt, quando res tradita est, & pretium solutum. Sed hæc non est perfectio intrinseca, sed finis effectus, ob quem fit contractus: nam quoad substantialia sunt perfecti tales contractus simul ac inter emptorem, & venditorem convenitur de pretio. ¶ Igitur quatuor modis contractus substantialiter perfici communiter docent Doctores: nimirùm *consensu* quomodocumque expresso; *verbis*, seu sub determinata forma verborum; *scriptura*; *rei traditione*. Illi solo consensu quomodolibet expresso consumantur (nisi aliud jure cautum fuerit) qui mutuam conventionem contrahentium significant; vt emptio, venditio, locatio. §. *vnic.* Institut. *de oblig. ex consensu.* Vndè si in illis partes conveniant de scriptura, aliove instrumento conficiendo, postquam facti sunt, hæc ad probationem, non ad constitutionem deservit. *Leg.* 5. Cod. *de transact.* leg. *Cum res*, Cod. *de probation.* ¶ Alij sunt, qui verba determinata exigunt, vt in *stipulatione*: nimirùm cum, vno interrogante, *Spondes mihi dare centum?* alter respondet: *Spondeo. Dabis mihi equum? Dabo. Leg.* 5. §. *Stipulatio, ff. de verbor. obligat. leg.* 1. §. *Verbis, ff. de actionib. & obligation.* Sed licet jure antiquo talis forma verborum esset requisita; jure tamen novo quælibet verba exprimentia vtriusque contrahentis voluntatem, sufficiunt, §. 1. Instit. *De verbor. oblig. leg.* 2. *tit.* 11. *lib.* 5. *Nov. Recop.* ¶ Illi contractus perficiuntur scriptura, in quibus contrahentes suspendunt consensum, quousque per scripturam exprimatur: & tunc suspendere censentur; quando ab initio conveniunt de scriptura conficienda. Leg. *Contract.* C. *de fide instrument.* ¶ Qui traditione rei perficiuntur, non censentur celebrati ante rei traditionem; sed dicuntur pacta nuda: nec pariunt vllam obligationem, nisi ex aliquo juris privilegio. Et illi traditione perficiuntur, qui rem ipsam, vēl traditionem eius significant; vt inquit Bartolus in leg. *Iuris gentium, in principio, ff. de pactis*: vt donatio, depositum, mutuum, commodatum, pignus: hi namque perfecti non sunt, quousque res donetur, depositetur, &c. Hæc omnia Molin. *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 254. Rebell. 1. *p. lib.* 1. *q.* 3. *n.* 21. Palaus, *tom.* 7. *tract.* 32. *disp.* 1. *punct.* 1. *à num.* 3. Tapia *lib.* 5. *q.* 11. *art.* 2. *n.* 1. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 2. *n.* 7. Lugo *disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 26. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 29. *diff.* 3.

Quando, & quomodo cōtractus inducat obligationem?

6 Inquires secundò, quando, & quomodo inducat contractus obligationem? Respondetur, quòd in contractibus, qui perficiuntur partium reciproco consensu, vt promissio, emptio, locatio, alter sine alterius consensu resilire non potest, sed pacto stare tenetur, hoc ipso, quod perfectus sit. Leg. *Iuris gentium, ff. De pactis*, leg. *Sicut*, Cod. *de action. & obligation. cap.* 1. *de pactis, leg. regia* 2. *titul.* 16. *lib.* 5. *Nov. Recopil.* Quia ex perfectione horum contractuum, civilis, & naturalis obligatio nascitur, quæ non dissolvitur, nisi per easdem causas, per quas generatur. At contractus, qui scriptura perficiuntur, non obligant ante illam; sed, ea confecta, non possunt contrahentes sine mutuo consensu resilire. Idem dicendum est de alijs contractibus, qui rei traditione perficiuntur, quòd antequam res tradatur potest alteruter resilire, non postea. Cæterùm, quia regula obligationis est intentio contrahentium, maximè quando est in contractu explicata, leg. *Non omnis, ff. De rebus creditis*; si aliter conveniant expressè contrahentes, illorum intentioni est standum; & etiam consuetudini, aut legi municipali loci. Vndè esse oblgationem standi contractui jam firmato, non solùm *antidoralem*, seu *antidoram*, qua quis tenetur ex liberalitate, gratitudine, vel vrbanitate esse gratus benefactori, sed naturalem, ac proinde in conscientia, & hoc ex justitia rigorosa commutativa inducente obligationem restitutionis, tenent communiter Doctores. Less. *lib.* 1. *cap.* 17. *dub.* 4. *n.* 19. Tap. *supr. n.* 4. Trullench. *dub.* 2. *n.* 3. *& dub.* 3. *n.* 2. Pal. *punct.* 3. *n.* 10. Lug. *n.* 55. Villalob. *diff.* 4. Rebel. *n.* 12. *& 22.* Fr. Ioan. Martin. à Prad. *tom.* 2. *cap.* 16. *q.* 2. *n.* 1.

Qui solū extrinsecis signis absque animo contraheret, validum contractum non efficeret.

7 Inquires tertiò: An si quis externa daret signa contractus, absque animo tamen contrahendi, hoc sufficeret ad perficiendum verum contractum, obligationem in conscientia inducentem? Respondetur, quod licèt aliqui Neoterici id affirment: Communis tamen sententia negat: quia id, cuius dominium habeo, per me amittere non possum sine mei voluntate, nec in alterum transferre: & constat in contractu matrimonij, cuius consensus à nulla potestate potest suppleri, vt diximus *tract.* 9. *cap.* 6. *n.* 2. Imò nec ab ipso Deo fieri posset, vt matrimonium absque contrahentium consensu fiat in ratione contractus, diximus ibi *num.* 10. Et constat in alijs sacramentis, quæ absque consensu ministri ea conficientis, perfici non possunt. Et sic in diffinitione contractus ponitur, quòd sit *conventio duarum voluntatum*: seu obligatio ex contrahentium voluntate descendens: ergo quamvis quis per verba, aut signa ostendat se velle contrahere; si tamen animum contrahendi non habet, ex vi contractus non manebit obligatus, nisi aliunde ex alio capite talem subeat obligationem. Ita Sanch. *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 9. *n.* 3. *& lib.* 2. *disp.* 25. *n.* 1. Lugo *disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 45. Sylvest. verb. *Pactum, q.* 4. Prado *cap.* 16. *q.* 2. *n.* 7. An verò maneret obligatus, qui animum quidem contrahendi haberet, sed non se obligandi? Diximus *dict. tract. de Matrim. cap.* 1. *n.* 25.

PUNCTUM II.

An metus gravis incussus ad extorquendum contractum, eum irritum reddat jure naturæ, aut positivo.

Quot modis metus contingat?

8 PLura, quæ circa istud punctum dicenda erant, iam à nobis discussa sunt *tract.* 9. *de Matrimon. cap.* 9. *per totum.* Vndè quæ ibidem dicta sunt, breviter recensebimus, alia addentes, quæ huius loci necessaria esse judicavimus. Supponendum itaque est, metum alium esse gravem, seu cadentem in virum constantem; alium levem. Quæ autem ad metum gravem requirantur, ibidem *n.* 18. latè peregimus: vbi etiam *à n.* 27. explicuimus, an debeat malum, quod timetur, absolutè solùm considerari ad metum gravem, an verò etiam respectivè? Et diximus respectivè esse pensandum. Et malum, quod in se, vel respectu vnius consideratum esset leve, posse esse respectu alterius gra-

grave. Et *n.* 30. diximus, an, & quando metus reverentialis gravis judicetur? Et an preces importunæ, vel blanditiæ sufficiant ad metum gravem, & quando? diximus *n.* 34.

De metu ab intrinseco, vel extrinseco causato.

9 Et iste metus gravis aliquando est ab intrinseco, vt ab infirmitate, naufragio, incendio, alijsve, causis naturalibus incussus: & dicitur esse ab intrinseco, quia sibi patiens illum imponit talem obligationem, seu eligit illam à se, vt à tali periculo liberetur: aliquando ab extrinseco, vt à causa libera cogente. Et hic potest esse, vel justè incussus, vel injustè. Et iterum potest esse appositum, vel ad extorquendum contractum: sed vel ad alium effectum; eligitur contractus, vt malum illud evitetur. Exempla horum, & maior explicatio videri poterunt *cap. 9. cit. à n.* 40. Vbi etiam latè probavimus, non reddere nullum, & irritum matrimonium, ac proindè nec alium quemlibet contractum, jure naturæ, aut positivo, metum gravem ab intrinseco ortum, sive ab infirmitate, sive à tempestate, sive ab alijs causis naturalibus; nec metum gravem juste à causa libera incussum: nec si injustè incutiatur, sed non apponitur ad extorquendum contractum, sed ad alios effectus, etsi contractus eligatur ad evadendum illud malum. Quare solùm remanet difficultas, quando metus, inspectis omnibus, est gravis, & à causa libera injustè incussus ad extorquendum contractum, an illum reddat irritum, & inanem? Et supponimus, metum patientem verè, & ex animo apponere consensum, licèt metu gravi extortum. Si enim solùm extrinsecè ostenderet se velle contrahere ad evadendum malum, quod timet; verè tamen, & ex animo non vult, contractum irritum, & nullum maneret, vt diximus *num.* 7.

Sententia asserès nullos esse contractus gravi metu initos.

10 Igitur circa quæsitum datur duplex gravissima sententia, vtraque satis probabilis. Prima asserit, jure naturæ, aut positivo esse nullos tales contractus, quibus metus gravis causam, modo explicato, dedit; sive contractus sint onerosi, sive gratuiti. Et probatur primò, quia nihil tàm contrarium consensui requisito ad contractum, quam metus, leg. *Nihil consensus, ff. De regul. jur.* quia locum non habet consensus, vbi metus, vel coactio intercedit. Cap. *Cum locum, de sponsal.* ¶ Secundò, quia si quis metu cogatur aliquid promittere, non peccat posteà rem promissam non tradendo: ergo non habebat obligationem tradendi illam: ergo ille contractus fuit nullus: si enim esset verus, obligationem in promittente, saltem naturalem, pareret. ¶ Tertiò, quia in leg. *Qui in carcerem 22. ff. De eo, quod metus causa*, sic dicitur: *Qui in carcerem quem detrusit, vt aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.* ¶ Quartò, quia si talis contractus validus esset, rei traditæ transferret dominium, quia per contractum validum, sequuta rei traditione, transfertur dominium: hoc autem est falsum: quod probatur, tùm ex leg. *Metum autem præsentem 9. §. Volenti, & §. Licet, ff. De eo, quod metus causa.* vbi conceditur actio ei, qui metum passus est, non solùm in personam, sed etiam in rem: & redditur hæc ratio: *Quia res in bonis eius est, qui vim passus est.* Tùm etiam, quia si inferens metum, dominium acquireret, si antiquiores creditores, vel privilegiatos haberet, tales præferendi essent in re illa ipsi, qui coactus metu rem tradidit; sed consequens est falsum, & contra omnes: ergo, &c. Ita Sotus *de Iustit. lib.* 8. *q.* 1. *art.* 7. *ad* 3. Molin. *tom.* 2. *disp.* 326. *ad* 2. Sylvest. Ioan. de Medin. Adrian. quos refert, & sequitur Rebel. 2. *p. lib.* 5. *q.* 5. *n.* 15. Malder. *de Iust. tract.* 5. *cap.* 1. *dub.* 3. *q.* 2. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 19. *diff.* 5. *n.* 13. & 14. Et quoad contractus solùm gratiosos, Turrian. *disp.* 55. *dub.* 5. *n.* 1. Aragon, & Azor, quos refert, & sequitur Basil. Pont. *lib.* 4. *de Matrim. cap.* 6. *n.* 4.

Verior est sententia dicens, vàlidos esse contractus metu gravi celebratos.

11 Secunda verò sententia (cui subscribimus) dicit esse validos omnes contractus (exceptis his, quos infrà dabimus ex speciali juris dispositione) tàm lucrativos, quàm onerosos; tàm jure naturæ inspecto, quàm positivo: etiam metu gravi injusto extortos. Et quidem non esse irritos jure naturæ, probatur, quia metus non tollit voluntarium simpliciter, & absolutum, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 6. sed ad valorem contractus ex natura rei solùm requiritur voluntarium simpliciter, & absolutum; & ideò non excusat à peccato mortali, quod sine voluntario simpliciter tali committitur: ergo ex natura rei non manent irriti tales contractus. Quod adhuc probari potest rationibus, quibus *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 9. *n.* 7. probavimus, matrimonium ex jure naturæ non esse nullum, quando metu gravi contrahitur; vbi plures Auctores pro ista parte dedimus: & consequenter nec alij contractus erunt nulli ex jure naturæ. ¶ Quod autem nec jure positivo id habeant, probatur. Tùm, quia in jure datur actio, & exceptio in metum patiente adversus incussorem, quæ dicitur *metus causa*, §. 1. Instit. *De exceptionib.* leg. *Si metus causa, ff. De acquirenda hæreditate*, leg. 1. *de eo quod metus causa*, leg. *Final. de his quæ vi.* Et Iudicibus, quod tales contractus rescindant, præcipitur *cap.* 2. *de his, quæ vi*, leg. *Si mulier* 21. §. *Si metu coactus* 2. *ff. De eo, quod metus causa*: ergo hæc jura supponunt validum esse talem contractum. Tùm etiam, quia in jure consensus metu extortus est verus consensus, leg. *Si mulier*, citata: substantia autem contractus consistit in consensu, & voluntate contrahentium, ex eodem jure in leg. *Obligat. substantia 2. ff. De eo, quod metus causa*: ergo, &c. Atque ita docent Magister Serra, 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *dub.* 1. §. *De metu*, Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16. *dub.* 4. *n.* 2. Lugo *disp.* 22. *sect.* 7. *n.* 115. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *n.* 35. Sanch. *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 8. *n.* 4. Ioan. Martin. à Prad. *tom.* 2. *cap.* 26. *q.* 2. *n.* 22. Fr. Petr. à Tap. *tom.* 2. *suæ Caten. lib.* 5. *q.* 15. *art.* 3. *n.* 3. Dicastill. *tom.* 2. *de Iustit. lib.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 6. *n.* 98.

Aliqui contractus excipiuntur, qui metu gravi celebrati, nulli sunt.

12 Excipiuntur autem aliqui contractus, qui sunt jure positivo nulli, hoc ipso quòd metu gravi initi. Primus, matrimonium, vt probavimus *hoc tract. cap.* 9. *n.* 2. Et idem de contractu sponsalium esse dicendum, constat ex ibidem dictis *cap.* 1. *n.* 62. Secundus, professio religiosa, *ex cap.* 1. *de his, quæ vi.* Tertius, dotis promissio, vel solutio, leg. *Si mulier*, §. *Si dos. ff. De eo, quod met. caus.* Quartus, electio Prælati, cap. *Periculum*, §. *Cæterùm, de election. in* 6. Quintus, authoritas tutorum extorta per metum, *leg.* 1. §. *vltim. ff. De auctorit. tutor.* Sextus, promissio, vel traditio rerum ecclesiasticarum, cap. *Pervenit, de Iur. jurand.* Septimus, in quibuscumque votis, etiamsi vovens habeat animum se obligandi, nisi posteà, excusso metu, ratificet, vt ex communi sententia probat Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap.* 3. *à num.* 11. Lugo suprà, *num.* 122. Rebellus, 2. *part. lib.* 2. *quæst.* 5. *num.* 9. Octavus, jurisdictio, aut prorogatio eius ex injusto metu extorta est nulla, *leg.* 2. *ff. De Iudæis.* Sed de hac est aliquod dubium inter Auctores. Similiter de absolutione ab excommu-

munícatione, de renuntiatione beneficij, de donatione, de quibus videri poterunt Lug. *disp.* 22. *sect.* 7. *à n.* 124. Less. *cap.* 17. *dub.* 6. *à num.* 37. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 2. *§.* 3. *à n.* 3.

Licet nō sit irritus contractus metu celebratus, est irritabilis.

13 Cæterùm quamvis jure naturæ, aut positivo non sit contractus ex metu initus nullus; est tamen irritabilis ex parte eius, qui metum patitur, cui datur etiam actio in foro externo, vt adversus metum incutientem agat, vt diximus *n.* 11. & iste tenetur rem tradere ex petitione alterius, vel Iudicis sententia, sive lucratorius sit contractus, sive onerosus: quia incutiens metum gravem injustum infert gravem injuriam alteri: ergo quamvis validus sit contractus, ratione illius injuriæ teneretur incutiens metum alteri rem, quam accipit, tradere: & ideò licèt dominium eius acquirat, est revocabilitèr ad nutum eius, qui injuriam patitur, vt tenet D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. & ibi Caietan. Sylvest. verb. *Metus*, *§.* 9. & 12. Sanch. *de Matrim. lib.* 4. *disput.* 9. *n.* 4. Sot. *lib.* 4. *q.* 1. *art.* 7. *ad* 3. Tap. *lib.* 5. *q.* 15. *art.* 3. *n.* 6. & est communis. Vndè quòd talis contractus sit validus, minimè patrocinatur metum incutienti, & solùm deservit, tùm, vt contractus subsistat, volente eo, qui metum est passus (quod secùs esset, si invalidus esset: nam cùm ex contractu nullo nulla obligatio consurgat, posset etiam metum incutiens ab eo resilire, nisi aliunde per accidens impediretur.) Tùm etiam, vt si metum patiens, juramento contractum confirmet, maneat firmus, & irrevocabilis (nisi etiam metu esset ipsum juramentum extortum) vt dicemus infrà. At si nullus esset contractus, non firmaretur juramento, quia non firmatur illo, nisi quod ab initio aliquem valorem obtinuit.

Contractus ex metu levi initus est rescindibilis

14 Et si inquiras primò, an contractus sit rescindibilis ad nutum metum patientis, si ex metu levi sit extortus? Et non loquimur de matrimonio, quod nullo modo rescindibile est, si semel est validè contractum; vti est matrimonium ex metu levi initum. Et idem est de professione religiosa, quæ est ex natura sua irrescindibilis. Respondetur affirmativè, vt de sponsalibus diximus *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 1. *n.* 60. & de omnibus alijs contractibus *cap.* 9. *n.* 30. ex Palao, Cornej. & Sanch. Quamvis ad evitandas frequentes lites non detur actio pro foro externo metum levem patienti, leg. *Nec timorem* 7. *ff. De eo, quod metus causa.* Ratio est, quia metus levis infert injuriam, cùm cogat ad præstandum consensum medio injusto: ergo in quolibet contractu infert obligationem in foro conscientiæ illud rescindendi, & restituendi; aliàs commodum ex injuria, & damno alterius incutiens injustè metum reportaret. Sic Tap. *sup. art.* 3. *n.* 7. Molin. *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 267. *fin.* Less. *dub.* 6. *n.* 46. Dicast. *supr. n.* 110. Trullench. *n.* 7. Rebell. *de Oblig. just.* 2. *p. lib.* 1. *q.* 5. *n.* 9.

Etiamsi res transeat ad alium possessorem, potest repeti ab eo qui metum est passus.

15 Si inquiras secundò: An si, facto iam contractu ex metu injustò dante illi causam, res transeat bona fide ad alium possessorem, possit, qui metum est passus, eam exigere ab illo, qui nullo modo fuit causa metus; & hic tradere illam teneatur? Respondetur affirmativè ex leg. *Si cum exception. §. Prædius, ff. De eo, quod metus causa.* Quia res illo vitio metu affecta transit cum suo vitio ad alium possessorem. Et hoc præcipuè currit in prima sententia asserente, irritum esse talem contractum, quia dominium rei, in tali sententia, is, qui metum patitur, non amittit. Vndè poterit, si velit, incipere actionem contra illum tertium possessorem, qui, si contractu onerolo eam habuit, poterit postea contra venditorem agere, qui tenebitur de evictione, ac si rem alienam vendidisset. Sylvest. verb. *Restitutio* 2. *dict.* 7. Sanch. *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 8. *n.* 7. & *disput.* 9. *n.* 6. Lug. *disp.* 22. *sect.* 7. *n.* 168. Dicast. *n.* 111. ¶ Sed hìc nota cum Sanch. Less. & Dicast. parum referre, vt contractus rescindatur modo dicto, an ab altero contrahentium, an ab alio tertio metus incutiatur? Quia res metu acquisita semper transit eo vitio affecta in quemcumque possessorem. Et ideò in leg. *Item si cum exception.* 14. §. *In hac actione* 3. *ff. De eo, quod metus causa*, dicitur: *In hac actione non quæritur, vtrùm is, qui convenitur, an alius, metum fecit? Sufficit enim hoc dicere, metum sibi illatum, sive vim.*

Cōtraria fūdamēta dissolvuntur.

16 Ex dictis patet solutio ad fundamenta contrariæ sententiæ *n.* 10. adducta. Ad primum enim dicimus, quòd metus est contrarius consensui omninò libero, non verò simplicitèr, & absolutè tali; quamvis secundum quid involuntarius sit, cum metu gravi extorquetur: & ideò sufficit ad peccatum mortale, quamvis secundum quid excusèt gravitatem peccati. ¶ Ad secundum respondetur, quòd licèt metum patiens obligationem habeat rem tradendi ex vi contractus; quia tamen potest contractum rescindere, cum voluerit, poterit pro suo arbitratu obligationem elidere, seque ab illa de facili liberare: & sic absolutè dicitur eam obligationem non habere, quia valde debilis est, & ad nutum revocabilis. ¶ Ad tertium similitèr respondetur, in illa lege contractus illos nullius esse momenti dici, quia propter metum gravem carceris illatum, volente illo, qui ex metu contraxit, aut promisit, irritandi erant; & sic solvendi sunt alij textus, qui adduci solent, asserentes tales contractus ex metu factos esse nullius valoris, & momenti; quia nimirum sunt de facili rescindibiles ab eo, qui metum patitur. ¶ Ad quartum neganda est minor; & ad primam probationem dicendum, in eo sensu in tali lege dici rem in bonis metum passi esse, quia potest illam recuperare; & sic habet in rem actionem vtilem, sicut dicitur in leg. *Nemo, ff. De in integrum restitut. Neminem excluſum à re, ad quam recuperandam actio ei à Prætore conceditur, & offertur.* Ad secundam probationem neganda est sequela, quia cùm per restitutionem metus passi resolvatur omne jus, quod in illa re habebat metum incutiens, consequens est, creditores illius nullum jus habere ad illam: quia eorum jus in illius jure erat fundatum: *Et, resoluto jure datoris, resolvitur acceptatoris*, leg. *Si ex duobus, §. Sed & Marcellus, ff. De in diem adiectione.*

PUNCTUM III.

An contractus, cui dolus causam dedit, sit firmus, & validus?

Dolus bonus, & malus qualitèr sint?

17 PRo intelligentia huius difficultatis, de qua plura diximus *tract.* 9. *de Matrim. tot. cap.* 10. præmittendum est primò; dolum esse in duplici differentia: nam alius est bonus, & dicitur *solertia*; estque pars prudentiæ, vt inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 118. *art.* 8. Quem ex Philosopho ita diffinit: Dolus, seu solentia est *Habitus ad inveniendum de repente id, quod congruit.* Alius est malus, de quo modo agimus. Quem Labeo diffinit, cuius diffinitionem approbat Vlpian. *leg.* 1. *§. Dolum, ff. De*

ff.De dolo malo: quod est *calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita.* Sed sub hac forma accipienda est hæc diffinitio, quod *calliditas* est in animo, vt si qui vendit, scit rem esse alienam, alterive obligatam, vel alio vitio affectam, & tacet: *Fallacia* est in verbis, rem aliter, ac est in se, proponendo, & perfectam esse asserendo, quæ est vitiosa: *Machinatio* fit verbis artificialibus ad decipiendum ordinatis. Vndè pro dolo in præsenti intelligimus quamcumque fraudem in contractu inventam, sive casu fiat, sive ex industria, & proposito: & si ex parte eius, qui emit, detur fraus ob ignorantiam rei, quia illam perfectam putabat, quæ reipsa esset vitiosa, dicitur contractus ex errore factus, tametsi ex parte vendentis dolus non intercedat, quia ipse illam etiam absque vitio putabat: *Dolus* autem propriè dicitur, quando calliditas, & fallacia est ex parte vendentis, qui sciens vitium rei dissimulat: & quia dolus, & error æquo passu currunt ad tollendum liberum consensum, quod dictum fuerit de vno, de alio accipiendum est.

Quot modis dolus, aut error cõtingat?

18 Secundò supponendum est, dolum, vel errorem posse esse, & circa substantiam rei, & circa accidentia illius. Circa substantiam est dolus, vt si asinum pro equo emas; & in matrimonio, si cum Maria, putans te cum Ioanna contrahere, contrahas. Sicut Iacob contraxit cum Lia, putans se cum Rachel matrimonium inire. Circa accidentia, si rem quidem velles emere, sed non tanto pretio: & in matrimonio, si contrahas cum currupta, quam putabas virginem; vel cum paupere, quam divitem judicabas. Rursus potest esse dolus, aut error *concomitans*, & *incidens*, & non dans causam contractui, quia æquè liberè, & libentèr contrahæres, etiamsi veritatem agnoscerès: & *antecedens*, dansque causam contractui: qui si detegeretur, non celebraretur à te contractus. Et potest vel à contrahente procedere, vel ab alio tertio, vel ab eo, qui deceptus est, qui sua ignorantia absque alterius malitia erravit. Quibus suppositis.

Dolus circa substantiam irritat contractú, etiãsi non det causam illi.

19 Asserendum est primò, quòd si dolus, vel error sit circa substantiam rei, à quocumque fiat, reddit ex natura rei contractum nullum, & irritum: eo quod absolutè, & simplicitèr deficit consensus ex natura rei ad contractum requisitus: & sic latè probavimus *tract.9.de Matrim.cap.*10.*n.* 4. matrimonium ex errore circa substantiam personæ contractum, nedum ex jure positivo, sed ex natura rei esse nullum; & idem *n.* 8. diximus de reliquis contractibus, ex D. Thom. *in Addit. ad 3.p.q.*51.*art.*2.*ad* 7. Vnde si quis vitrum venderet, putans esse gemmam; vel torquem aureum, qui posteà argenteus esse, & deauratus reperitur, tenetur rescindere contractum, vel pretium reddere in conscientia, in quo alium decepit, etiamsi sit infra dimidium. Vel è contra, si emat aurum, putans esse argentum, tenetur vel rem reddere, vel pretium æquivalens, ad arbitrium eius, qui rem vendidit. Ita communitèr Doctores, Malder. *tract.* 5.*de Iustit.cap.*1.*dub.*3. *quæsit.* 1. Prado *cap.*16.*q.*2.*n.*9. Trullench. *lib.*7.*cap.*16.*dub.* 3.*n.*2. Less. *lib.*2.*cap.*17.*dub.* 5.*n.* 27. Villalob. *tract.* 19. *diff.*6.*n.*7. Bonac. *disp.*3.*de Contract.q.*1.*punct.*2.§. 1.*n.*2. ¶ Et hoc verum est, etiamsi dolus, aut error non det causam contractui, sed sit solùm concomitans, & incidens; vt si nullo modo inducat ad eum, sed adhuc sine illo fieret: quia semper deficit actualis consensus ad contractum requisitus, & solùm tunc datur habitualis: non tamen est actualitèr, & positivè voluntarius; cùm nihil sit volitum, quin præcognitum: vt loco citato diximus *n* 7. & tenent Trullench.*n.*2. Bonac.*n.*2. Sanch. Coninch. Avetsa, Cornej. Rebell. adducti *loc.cit.*

Si dolus sit incidens, & nõ dans causam, non irritat contractum, si non sit circa substantiam.

20 Asserendum est secundò, quòd si dolus sit circa qualitatem rei, & non antecedens, seu dans causam contractui, sed incidens, & concomitans, vt si, quãvis rei qualitatem sciret, adhuc emeret, licèt non tanto pretio, validus persistit contractus: quia iam adest consensus simplicitèr in contractum; iste namque vere consentit in emptionem istus rei, licèt circa pretium decipiatur, vel circa accidentia illius. Vt si equum emeret mille aureis, putans eum esse fortem, & strenuum; sed æquè eum emeret, si debilem, & pigrum sciret, sed non tanto pretio: nec enim requiritur, quòd omnes qualitates rei norit, aut in omnes consentiat, ad valorem contractus: vti ex communi sententia diximus *tract.9.de Matrim.cap.* 9.*n.*9. & tenent Malder. supr. Villalob. *n.* 4. Trullench.*n.*3. Less.*n.*28. Soto *lib.*6.*de Iustit.q.*3. *art.*2. Tap.*lib.*5.*q.*15. *art.*4. *n.* 4. Vnde validus persistit contractus, etiamsi deceptio sit vltra dimidium pretij: quia dolus solùm est causa maioris pretij, non contractus. ¶ Benè verum est, quòd si vltra dimidium aliquis sit deceptus, contractus potest rescindi ex voluntate eius, qui dolum patitur: vel, ipso nolente contractum rescindere, debet à deceptore ad æqualitatem contractus reduci. Cap. *Cum delicti, de Emption. & Vendition.* leg. *Si quis affirmaverit, ff. de Dolo.* Et in tali casu datur actio in foro externo repetendi, si vltra dimidium est deceptus; non verò si infra dimidium, ad evitandas lites: licèt in foro conscientiæ, etiamsi deceptio fuerit infra dimidium, restitui debeat æquivalens: quia hæc respicit, vt injuria dolo facta decepto compensetur; ideòque obligat ad omnem excessum. Molina *tom.*2. *disp.* 352. *conc.*4. Covar. *Regul.possessor,*2.*part.*§.7.*n.*6. Trullench. *supr.n.*3. Villalob. *num.* 6. Tapia *n.* 5. Less. *num.* 28. Sanchez *lib.* 1.*de Matrimon. disput.* 64. *num.* 6.

Etiamsi dolus det causam contractui, si est circa qualitates, nõ vitiat illum.

21 Asserendum est tertiò, quòd si dolus circa qualitatem causam dederit contractui, etsi probabile sit illum reddere irritum, & inanem; probabilius tamen est, ipsum validum, & ratum relinquere, vt de matrimonio latè probavimus *tract.* 9. *cap.* 10. *num.* 14. Et de alijs contractibus ibi *num.* 18. & tenent in præsenti Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16.*dub.*3.*n.*5. Malder. *tract.* 5. *cap.* 1. *dub.* 3. Lesius *lib.* 2.*cap.* 17. *n.* 29. Prado *cap.* 26. *quæst.* 2.*num.*13. Lugo *disp.* 22.*sect.* 6. *numer.* 73. Serra *quæst.*77. *art.*1.*dub.* 1. *fol.* 660. Escobar de Mendoza *lib.*10.*sect.*2.*problem.*21. *num.*210. Et ratio est, quam dedimus *loco citato*, quia nec sunt irriti jure naturæ, nec positivo:, non jure naturæ, quia dolus non versatur circa substantiam contractus, sed solùm circa causam contrahendi, quæ est extrinseca, & accessoria rei; & sit remanet actus simplicitèr voluntarius, & solùm secundum quid involuntarius: sicut qui occidit amicum, quem falsò putavit inimicum; cuius actus quoad substantiam est voluntarius, & solùm quoad circunstantiam involantarius. ¶ Deinde, quia quod attinet ad tollendam scientiam, vel minuendum voluntarium, est differentia per accidens, quòd deceptio ab aliquo tertio distincto à contrahentibus proveniat, vel quod quis decipiatur à seipso, vel ab alio contrahente; sed quando deceptio

ceptio non est quoad substantiam, & facta est ab alio tertio, vel à seipso decipitur, validus est contractus: ergò etiam quando ab alio contrahente, quando solùm est circa qualitatem, vel accidentia, non circa substantiam. ¶ Quòd autem nec jure positivo talis contractus irritetur, constat ex leg. *Si dolo* 5. Cod. *de rescindenda venditione*. Et quia quando metus dat causam contractui, non est omninò irritus, vt diximus *n.* 11. sed in jure metus, & dolus censentur pares, leg. *Si dolo ff. De inutilibus stipulat.* cap. *Cùm contingant* 28. *de Iure jurand.* Nec aliqua datur lex, quæ oppositum convincat, nam solùm dicuntur in aliquibus juribus irriti, nullius momenti, & roboris tales contractus, quia deceptor ex eis nihil solidi juris acquirit, nisi alter ratificet illos. Vndè validus est contractus, si quis equum emeret, putans esse fortem, & strenuum, & postea debilem, vel pigrum reperiat, etiamsi non emisset, si talia nosset; vel ex errore fortitudinis motus sit ad illum emendum: quia est deceptio non circa substantiam, sed circa accidentia. Sicut validum est matrimonium contractum cum corrupta, aut paupere, quam divitem, aut virginem putabat, etiamsi ab illis qualitatibus motus sit ad contrahendum.

Contractus ex dolo factus rescindi potest à decepto.

22 Asserendum est quartò: quòd si contractus, dolo, aut errore dante causam circa qualitatem, initus, sit ex natura sua rescindibilis, & dissolubilis, rescindi potest ab eo, qui deceptus est; &, eo contractum rescindente, tenetur alter rem reddere: & si causa fuerit doli tenetur de damnis sequutis: ad quæ etiam compensanda tenetur alius tertius, si causa fuerit deceptionis. Quòd autem rescindi possit pro libito decepti, etiamsi ab eo error proficiscatur, patet ex his, quæ diximus *tract. 9. de Matrim. cap. 2. n. 87.* circa contractum sponsalium, cui non tenetur stare, qui aliquid cognoscit de novo subesse, quod si à principio nosset, non contraheret, tametsi validus esset talis contractus inducens impedimentum publicæ honestatis. Quæ ratio æquè in alijs contractibus, qui rescindi possunt, currit. De omnibus ergo asserendum est, pro libito decepti esse rescindibiles, etiamsi à seipso decipiatur: præcipuè autem esse tales contractus irritandos jure hispano, constat *ex leg. 57. tit. 5. p. 5.* Et sic conclusionem nostram tenent Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 64. n. 5.* Trullench. *lib. 7. cap. 16. dub. 3. n. 6.* Bonacin. *disp. 3. q. 1. punct. 2. §. 1. n. 4.* Villalob. *tract. 16. diff. 6. n. 12.* Less. *lib. 2. cap. 17. dub. 5. n. 29. & 33.* Diximus *si ex natura sua sit rescindibilis*, propter matrimonium, & professionem, quæ semel validè facta non possunt rescindi, quia sunt contractus ex sua natura indissolubiles. ¶ Decipiens verò, vel ille ex parte cuius error fuit causa contractus (& idem est de metu) non potest resilire à contractu, altero stare illi volente; nisi fuerit error circa substantiam, nam tunc recedere potest, satisfactis damnis alteri ex contractu provenientibus: quia in isto casu contractus fuit nullus, ac proindè nullam obligationem generavit. At quando fuit dolus circa accidentia, contractus fuit validus, & non est ex parte illius causa justa recedendi, altero contractum ratificante: vt tàm pro matrimonio, quàm pro alijs contractibus diximus *tract. 9. cap. 9. num.* 12. Et constat exemplo manifesto: si Petrus contraheret sponsalia cum Maria, quam nobilem, aut divitem cogitabat, si comperiat pauperem esse, & ignobilem: & nihilominus velit stare contractui, quæ ratio esse posset, vt illa pro libito possit resilire? Et ita tenet Sylvest. verb. *Matrim. 8. q. 2. §. Novum*, Lugo *disp. 22. sect. 6. n. 77. & 78.* Less. *lib. 2. cap. 17. dub. 5. n. 29. & 31.*

PUNCTUM IV.

De contractu inito sub conditione, quomodo obliget, aut absolutus fiat?

Diversitas quoad hoc inter matrimonium, & alios contractus.

23 QUæ circa hanc materiam dicenda erant, latè à nobis discussa sunt *tract. 9. de Matrim. cap. 7. per tot.* Vnde quoties ibidem diximus matrimonium esse validum, vel invalidum jure naturæ, sub hac, vel illa conditione contractum, idem dicendum est de alijs contractibus: quia quod habet matrimonium in ratione contractus juræ naturæ, est commune omnibus contractibus; quamvis aliquæ sint conditiones, quæ matrimonium validum, & absolutum relinquunt (& idem est de vltimis voluntatibus) jure positivo; quæ tamen alios contractus irritos faciunt, eo quòd in favorem matrimonij (cuius favor magnus est) à jure dispositum est, aliquas conditiones reijciendas esse, & pro adiectis non habendas: quod in alijs contractibus non ita favorabilibus non invenitur, sed sub illis contractus celebrari censetur, & conditioni assensum alligari; quæ cùm impleri non possint, vel absolutè, vel absque peccato, relinquunt contractum nullum: & huiusmodi sunt conditiones impossibiles, & turpes, vt ibidem *punct. 3. & 6.* declaravimus. Conditiones verò, quæ sunt contra substantiam contractus, tàm matrimonium, quàm alios contractus, omninò irritos faciunt, vt *eodem cap. n. 86. & 91.* probavimus, quia qui alligat suum consensum conditioni substantiæ contractus contrariæ, verè contrahere non vult: vt qui vellet contrahere sub conditione, vt obligatus non maneat: qui profiteri in Religione sub conditione, vt dominium rerum acquirat: qui matrimonium celebrare, si prolem vxor suscipere evitet. Quibus suppositis, dicta in illo loco breviter recensebimus, & ea præsenti materiæ applicabimus.

Quot conditiones adijci possunt contractibus?

24 Et in primis, præmittenda est diversitas conditionum de futuro, quæ possunt apponi contractui. Et dicimus *de futuro*, quia conditiones de præsenti, aut de præterito, non sunt veræ conditiones, nec contractum faciunt conditionatum: quia illum non suspendunt, vsque ad adventum conditionis, sed faciunt contractum absolutum, validum, si conditio vere est, vel fuit; & invalidum, si oppositum contingat, vt ibidem probavimus *n.* 8. Aliæ ergo sunt conditiones necessariæ, vel ex natura rei, vt *Si cras sol oriatur*; vel ex suppositione divini decreti noti contrahentibus, vt *Si Antichristus futurus est.* Aliæ generales, quæ omnibus insunt contractibus, vt *Si vixerimus, si tu consenseris.* Aliæ impossibiles; & hæ aliæ sunt tales ex natura rei, vt *Contrabo tecum, si digito cœlum attigeris*: aliæ ex jure positivo, vt *Contrabo tecum, si pupillo absque licentia Tutoris licet contrahere*: aliæ ex ipso facto, vt si cum paupere loquens dicas, *contrabo tecum, si mille dederis libras*: aliæ denique ex suppositione, vt si loquens cum corrupta dicas, *Contrabo tecum, si virgo es*: vel *contrabo tecum, si pater tuus vivit*, qui mortuus erat. Aliæ sunt conditiones contingentes, &

harum

harum quædam honestæ, quæ absque peccato possunt impleri: aliæ turpes, quæ non possunt impleri sine peccato.

Conditiones necessariæ nó suspendunt contractum, sed statim perficiunt.

25 Igitur conditiones necessariæ ab intrinseco non suspendunt contractum, sed eum purum, & absolutum relinquunt, & habentur pro impletis; ac proindè statim ac aliquis contrahit, dicendo, *Contrabo tecum, si cras sol oriatur*, contractus perficitur, non expectato rei eventu: & quando quis apponit conditionem, quam certò scit esse eventuram, perinde est, ac si absolutè, & simpliciter, & sine conditione contraheret. Vt colligitur ex leg. *Pupillus 9. ff. De novat.* leg. *Impossibilis 7. ff. De verbor. obligat.* & probavimus ibi *n.* 13. ex D. Thom. & pluribus alijs Authoribus; & in præsenti tenet Lugo *disp. 17. sect. 3. n. 336.* Sed hoc intelligendum est (vt ibidem notavimus) si accipiantur in vi conditionum, non vt designationes, & determinationes temporis, pro quo aliquis vult contractum valere, & illum suspendere vsque ad eventum conditionis; vt si dicat: *Contrabo tecum, si cras sol oriturus est*: id est, pro tempore, quo cras sol oriatur. Et similitèr contractum suspendunt (vt ibidem *n.* 10. diximus) si non essent vt necessariæ cognitæ à contrahentibus: quia quando ab illis non cognoscuntur vt necessariæ, respectu illorum se habent vt contingentes. Et ideò idem de illis judicium ferendum est, ac de reliquis conditionibus contingentibus. Idem, quod diximus de conditionibus necessarijs ab intrinseco, sentiendum est de illis, quæ ex suppositione decreti divini sunt tales, & eodem modo, quo diximus de præcedentibus, vt ibidem *n.* 16. probavimus.

Conditiones generales cõ tractum purum relinquunt.

26 Conditiones autem generales, quæ omnibus contractibus insunt, vt *si vixerimus, si tu consenseris*, non suspendunt contractum, sed ex tunc purum eum relinquunt; si sumantur eo modo, quo contractibus insunt, quia tales conditiones se habent ac si non essent, ibi *n.* 17. Si autem alitèr ac insunt, contractibus apponantur, illos conditionatos reddunt, vt si dicas: *Contrabo tecum, si manifestetur, aut probetur, te consensum præbuisse*: vt ex leg. *Si ita legatum 48. ff. De legat.* ibidem probavimus. Quid verò sentiendum sit de ista conditione: *Contrabo tecum, si Deus velit*? ibidem *n.* 18. explicuimus. Idem sentiendum est de conditionibus ipsi contractui intrinsecis, quòd non suspendunt eum, si eo modo, quo insunt, adijciantur: vt si dicas: *Contrabo tecum, si non es consanguinea*: vt ibi *num.* 19. diximus.

Conditiones impossibiles, & turpes à cõtractu matrimonij, & vltimis voluntatibus reijciuntur.

27 Conditiones impossibiles, quæ vt tales cognoscuntur à contrahentibus, irritum reddunt quemcumque contractum, etiam matrimonij, si seriò, & ex animo tali conditioni contrahens consensum alligavit: quia cùm alitèr non velit, nisi post eventum conditionis, quam cognoscit impossibilem, planè probatur, eum non vele contrahere, ibi *n.* 22. At quando non constat de intentione contrahentis volentis suum alligare consensum conditioni pro foro externo, & interno, tantum reijciuntur tales conditiones à matrimonio, & vltimis voluntatibus, ex speciali dispositione juris, & habentur pro non adiectis: & sic illa pura, & absoluta relinquunt, vt de matrimonio, ex cap. *Final. de condition. appos.* probavimus *n.* 23. Vbi etiam explicuimus, quomodo ecclesia præsumere possit contractum illum esse validum, qui alioquin potiùs erat judicandus irritus: & de vltimis voluntatibus diximus *n.* 32. pro vtroque foro reijciendas esse tales conditiones, & validas manere vltimas dispositiones, ac si tales conditiones non essent appositæ, quia potuit respublica facere, quòd per vltimam voluntatem invalidam sine testatoris consensu transferretur dominium, ac si de facto non essent adiectæ. Vt habetur leg. *Obtinuit, ff. De condition. & demonstrat. leg.* 1. leg. *Si quis ita instit.* & alijs *ff. Eodem tit. §. Impossibilis*, Instit. *De hæred. & leg. regia 3. tit. 4. p. 6.* ¶ Idem quod diximus de conditionibus impossibilibus, intelligendum est de turpibus conditionibus, quòd à contractu matrimonij, & vltimis voluntatibus reijciuntur, & habentur pro non adiectis, vt constat ex juribus citatis, vt loco adducto *à n.* 100. probavimus. Et etiam reijciendas esse ab sponsalibus similes conditiones turpes, & impossibiles, diximus *à num.* 105. & ideò si quis contrahat sponsalia cum Maria sub conditione, vt sibi sui corporis copiam faciat; & non constet de intentione, qua vult suum consensum huic conditioni turpi alligare, diximus ibi judicandum esse, eum absolute sponsalia contraxisse, ac si talis conditio non esset apposita.

Conditiones impossibiles, & turpes cæteros vitiant contractus.

28 At conditiones turpes, & impossibiles, sive ex natura rei, sive ex suppositione, sive physicè, sive moralitèr, quia videlicet apponi non possunt absque peccato, adiectæ reliquis contractibus, præter enumeratos (nisi constet de oppositа voluntate contrahentium, qua eas ex joco, & non ex animo apponunt) eos in vtroque foro nullos, & irritos relinquunt, vt ibidem *n.* 28. probavimus, & constat ex leg. *Non solùm 31. ff. De actionib. & obligat.* leg. *Impossibile, ff. De verb. obligat. §. Si Impossibilis*, Instit. *De inutilibus stipulationib. leg. 3. regia, tit. 4. p. 6.* & ratio in illis apponitur: quia qui contrahit sub conditione aliqua, sub ea consentire censetur; sed consensus sub conditione impossibili, nullus est, quia non est absolutus, cùm sit sub conditione, nec conditionatus, cùm non suspenpat, vsque ad eventum rei, quia nemo debet expectare eventum impossibilem; & idem est de turpibus conditionibus, quia etiam esset expectare eventum impossibilem, cùm id possimus, quod jure possumus. Ita Lug. *disp.* 17. *sect.* 13. *n.* 368. Dicast. *lib.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *n.* 211. Bonac. *disp.* 3. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 10.

Contractus sub cõditione contingẽti suspenditur vsque ad evẽtũ illius.

29 Contractus sub conditione contingenti de futuro licita, & honesta, vt *Contrabo tecum, si pro me apud regem intercedas; si talem, vel talem rem conferas*: non efficit statim contractum, sed eum suspendit vsque ad eventum conditionis: quia vsque tunc non habet animum contrahens transferendi dominium, vt ex D. Thom. diximus *loc. cit. n.* 52. & habetur expresè cap. *De illis*, cap. *Super eo*, cap. *Final. de condition. appos.* Ea enim est natura conditionis, vt suspendat contractum sub tali conditione initum, leg. *Si stipulatus, de verbor. obligation.* Sed hoc intelligendum est de conditionibus ante contractum, vel in ipso contractu appositis; non de illis, quæ post ipsum ab aliquo contrahente vellent apponi. At si ex mutuo consensu apponantur, etiam post initum contractum possunt obligationem illius suspendere (loquendo de contractibus, qui ex mutuo consensu possunt dissolvi) quia sicut possunt ipsi ex mutuo consensu illum rescindere, ita conditiones apponere, sub quibus, & non aliter teneantur stare illi. Quod secus accidit in matrimonio: quod sicut nequit mutuo consensu dissolvi; ita semel eo contracto, nequeunt apponi conditiones à contrahentibus, à quibus dependeat eius obligatio,

gatio, vt ibidem diximus. ¶ Semel autem sub conditione celebrato contractu, nulla pars potest resilire, altera invita, vsque ad eventum conditionis: quia sicut ex contractu absoluto sequitur absoluta obligatio, & in re; ita ex conditionato obligatio in spe, hoc est, in eventum conditionis: vt ibi, pluribus citatis Authoribus, *n.* 54. diximus. Nisi tamen justa causa superveniat, quæ si ab initio cognosceretur, non celebraretur contractus.

Contractus cõditionatus statim ac cõditio impletur, fit absolutus.

30 An verò contractus celebratus sub conditione de futuro contingenti statim fiat perfectus, purus, & absolutus, ac conditio impletur, sine novo consensu contrahentium, supposito quòd consensus prior conditionatus virtualiter duret, quia retractatus non est? Dicimus, quòd licet probabilissima sit opinio, quæ asserit deberi novum consensum de præsenti apponi post eventum conditionis, & aliter contractum non perfici, vt diximus *n.* 63. 64. & 65. verior tamen est sententia, quæ dicit, non requiri novum consensum; sed, manente virtualiter præcedente, eo ipso quòd conditio impletur, perficitur contractus, & fit absolutus, & purus, vt de matrimonio diximus *n.* 66. & de reliquis, *n.* 69. & de omnibus constat ex leg. *Hæc venditio* 7. *ff. de Contrahenda emption.* leg. *Potior* 11. *ff. Qui potior.* & præter ibi citatos docent hanc sententiam Lug. *de Iust. tom.* 2. *disp.* 17. *sect.* 13. *n.* 336. Bonac. *tom.* 3. *de Contractibus, disp.* 1. *punct.* 4. *n.* 10. & *de Matrim. q.* 2. *punct.* 1. *n.* 20. Dicastill. *de Iust. tom.* 2. *lib.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *n.* 248. Coninch. *de Matrim. disp.* 29. *dub.* 1. *num.* 11. ¶ Et hoc scilicèt quòd statim ac in re ponitur conditio, contractus perficitur sine novo illorum consensu; (contra nonnullos) verum censemus, etiamsi impletio conditionis à contrahentibus ignoretur: vt diximus ibi, *n.* 67. & habetur *§. Conditio*, Instit. *de Verborum oblig.* leg. Instit. *ff. de Condict. & demonstrat.* leg. *Cùm ad præsens. ff. Si certum petatur.* Quia qui contrahit sub illa conditione, non alligat suum consensum notitiæ, sed rei: nisi fortè expressè paciscatur de notitia rei: vt si dicat: *Contraho tecum, si mihi constet patrem tuum consentire.*

Modus contractui adjectus illũ non suspendit.

31 Sed hæc, quæ diximus, intelligenda sunt de conditionibus, quæ, vt tales, adijciuntur contractibus. At potest conditio adijci, non vt conditio, sed vt modus: & est tanquam onus, quod alteri imponitur: & explicatur, non per *si*, sed per *vt*: vt si dicas, *Contraho tecum, vt honorem conferas. Vt me edoceas.* Et tunc si modus fuerit de re licita non suspenditur contractus, sed statim perficitur, & remanet obligatio adimpletionis illius: vt si dicas, *Contraho tecum, vt me edoceas*: contractus statim fit, sed alius tenetur edocere. At si conditio fuerit turpis, & inhonesta; contractus statim fit, & obligatio minimè remanet, sed reijcitur, vt probavimus dicto loco *num.* 5. Et hoc sive alter habeat animum adimplendi illam conditionem, sive non. Et ratio est, quia modus appositus contractui non eum suspendit vsque ad executionem (Supponit enim iam modus consensum, quia suo consensu vult vna pars obligare alteram ad illud onus.) Sed solùm imponit obligationem suo tempore adimplendam, vt habetur ex leg. *Cùm ab eo, ff. de Contrahenda emptione*: ergo si alius admittat consensum, etsi animum non habeat apponendi modum, vel postea eum non apponat, semper contractus iam factus persistit: vt, pluribus citatis, ibidem ostendimus.

*** ***)(?§?)(*** ***

PUNCTUM V.

Qui possint validè, & licitè contrahere?

Diversæ obligationes recensentur.

32 PRæmittendum est pro dicendorum intelligentia, triplicem esse obligationem, *naturalem*, *civilem*, & *honorariam*, quæ dicitur *antidora*. *Naturalis* obligatio in contractibus oritur ex justitia, & in conscientia obligat sub peccato mortali. *Civilis* est obligatio pro foro externo, producens actionem, & exceptionem in altero ex contrahentibus adversus obligatum; & in vtroque, si vterque obligatus sit. *Honoraria*, quæ latè dicitur naturalis, & obligat tantùm ex fidelitate, & ex veritate, qua homines honorarij suum verbum implere procurant: quæ licèt sub mortali non obliget, est tamen propria hominum boni nominis, quæ frequenter in simplici verbo hominum reperitur, quo aliquid promittunt, sed nolunt, sibi obligationem imponere: & ideò si juramentum ab eis postuletur, nolunt jurare; sed dicunt se adimpleturos sub fide ab ipsis data, vulgò, *en fee de la palabra de hombres de bien.* In quo apparet, ipsos obligatos sub mortali nolle remanere. Hæ obligationes aliquando simul in eodem reperiuntur, vt in contractibus onerosis à personis habilibus celebratis liberè, & spontaneè; aliquãdo verò separantur. In præsenti autem non agimus de obligatione honoraria, sed de civili, & naturali; & præcipuè de ista, quæ magis ad nostrum pertinet institutum: & quærimus, qui possint valide, & licitè contrahere, ita vt obligationem civilem, aut naturalem subeant. Et non agimus de matrimonij contractu, aut de sponsalibus, de quibus suo tractatu egimus; nec de vltimis voluntatibus, de quibus infrà capitè vltimo huius tractatus sermo erit; sed de alijs contractibus.

§. I.

Qui jure naturæ, vel positivo sint habiles, vel inhabiles ad contrahendum?

Qui possint jure naturæ contrahere?

33 SIt generalis regula ab omnibus admissa, neminem vsu rationis carentem, habilem esse ad contrahendum; vel non habentem suorum bonorum liberam, & absolutam administrationem: omnem verò illum, qui habet vsum rationis, & liberam, ac absolutam suorum bonorum administrationem, posse contractum celebrare, nisi sit speciali jure prohibitus. Ratio primæ partis regulæ ea est: quia contractus est pactum humanum, quo alter alteri se obligat, & alterum sibi obligat modo humano: ergo fieri non potest à carente vsu rationis, vt à furioso frenetico, dormiente, ebrio, insano, &c. Ratio secundæ partis est; quia contractus ex bonis fit ad transferendum dominium in alterum; nemo autem in alterum transferre potest bonorum dominium, nisi qui illorum liberam administrationem habet: è contra verò, qui talem habuerit, & aliàs vsum rationis, jure naturæ habilis est ad contrahendum, nisi jure aliquo positivo prohibeatur. Videndum est ergo modò, qui sint illi, qui ex jure positivo ad contrahendum sint inhabiles, ¶ Et non loquimur de Religiosis, qui etiam

etiam jure naturæ inhabiles sunt ad contrahendum sine licentia Prælati, cùm dominium non habeant, nec administrationem bonorum: nec de vxoribus, de quibus iam diximus *tract. præced. cap. 5. n. 50.* contrahere non posse absque consensu mariti, nisi fortè de bonis paraphernalibus in locis, vbi illorum habent liberam administrationem, quia cæterorum administratio, etiam dotalium, est apud maritum: nec de marito ipso respectu bonorum dotalium, quorum licèt habeat administrationem, ea tamen alienare non potest, sicut nec maioratus bona vinculata: omnes enim isti excluſi sunt ratione secundæ partis regulæ, quia nimirum non habent omninò absolutam, & liberam bonorum administrationem.

Prodigus incapax est ad contrahendum.

34 Igitur in primis jure positivo inhabilis est ad contractus celebrandos prodigus: ille nimirùm, qui indiscretè, vanè, & inconsulte suum patrimonium devastat, cui, causa cognita, bonorum suorum administrationem potest Iudex justè interdicere, & ei Curatorem assignare, *ex leg. 1. & sequent. ff. de Curatore furioso, prodigo, &c. §. Item prodigus*, Institut. *Quibus non est permissum facere testamentum, leg. 5. regia, tit. 11. p. 5.* Quia prodigus juris fictione comparatur furioso, & mente capto, leg. *Is qui*, §. *Fin. ff. de Tutorib. & Curatorib.* &c. sicque illorum contractus nullam obligationem inducit, etiamsi juramento firmetur, quia juramentum non purgat defectum judicij, cuius causa prodigo interdicitur contractus. Vt inquit Anton. Gom. *tom. 2. var. resol. cap. 14. num. 32.* Palaus *de Iustit. commut. disp. 1. punct. 1. §. 2. n. 2.* Covar. cap. *Quamvis pactum*, 2. *p. §. 3. n. 8.* ¶ Sed non est inhabilis ad contrahendum, antequam per Iudicis sententiam ipsi sit interdicta suorum bonorum administratio, vt Gomezius inquit *n. 31.* quia jure solùm dicunt privandum administratione, & ipsi Curatorem adhibendum; non verò ipso facto esse privatum, & habetur *leg. regia 5. tit. 11. p. 5.* & ibi Gregor. Lopez. Vnde rectè inquit citatus Antonius Gomez, prodigum citandum esse, vt talis interdictio illi fiat, quia agitur de eius præjudicio, & honore, ex generali regula leg. *Nam ita dicens, ff. de Adoptionib.* ¶ Cæterùm hoc ipso, quòd per sententiam Iudicis declaratus sit prodigus, quamvis illi non esset interdicta bonorum administratio, nec Tutor assignatus, non potest obligari, nec civiliter, nec naturaliter. Vt tenent Villalobos *tract. 19. diff. 9. num. 3.* Sylvest. verb. *Donatio 1. quæst. 1.* Fr. Petrus à Tapia *tom. 2. suæ Catenæ, lib. 5. quæst. 15. art. 6. num. 2.* Quamvis oppositum satis probabiliter doceat Castro Palaus suprà, *§. 2 num. 11.* eo quòd interdictio distinctum quid sit à declaratione prodigi facta: nec ex tali declaratione ipso jure sequitur, sed sequenda decernitur.

Servi quomodo possint contrahere?

35 Servi, quandiù in eo statu sunt, quamvis civiliter obligari non possint, benè tamen naturaliter: ideoque, si promittant, implere tenetur promissionem, si absque domini præjudicio id facere possunt. Vt habetur expressè leg. *Quod attinet, ff. de Regul. Iuris.* Quare, licet actione civili cogi non possint, stare promissis, tenentur in conscientia, quatenus absque præjudicio domini id possunt præstare. ¶ Servus item cum domino potest contrahere, ita vt ex vi illius contractus servo dominus obligetur, saltem obligatione naturali, & ex justitia; cum praxi receptæ sint tales conventiones, & pacta, quibus non obstat servitus: quia dominus cum illo contrahens censetur cedere juri servitutis. Rebell. *de Obligat. Iust. 2. p. lib. 1. q. 8. n. 68.* Palaus §. *3. n. 2.* Lugo *tom. 2. de Iustit. disp. 22. sect. 10. p. 280.*

Princeps contrahere potest, non tutor, aut curator.

36 Princeps supremus contrahere potest cum subditis, & eis obligatus manebit naturaliter. Vt omnes asserunt. Verius tamen est, non manere obligatum civiliter; cùm à nemine possit cogi, aut judicari. Sed potest à Iudice declarari Principem obligatum esse ex contractu ad aliquid præstandum: quæ aliquo modo potest appellari obligatio plusquàm naturalis. Vt inquit Lug. *n. 28.* Villalob. *n. 8.* ¶ Tutor, aut Curator nequeunt, durante cura, aut tutela, cum minore, aut pupillo contrahere. Leg. *Non licèt*, leg. *Si emptione, de contrahenda emptione.* Et licèt jure communi permissa sit conventio inter illos, si palam, & bona fide fiat; jure autem regni Castellæ, *leg. 4. tit. 9. p. 5. leg. 23. tit. 1. lib. 5. Novæ Recopil.* nec his conditionibus permittitur, sed omninò quælibet emptio (*Emptionis* nomine omnis contractus est intelligendus, juxta leg. *Statu liberi à cæteris, §. Quantus*, & ibi Gloss. *ff. de Statu liber. & tradit.*) rerum pupilli, & minoris, per se, vel per interpositas personas Curatori, aut Tutori interdicitur

Alij, qui cõtrahere nequeunt.

37 Exequutores testamentorum non possunt emptione, aut alio contractu, res sui defuncti accipere, nisi authoritate Iudicis, vel coexequutori. Et generaliter omnes negotiorum gestores nequeunt emere, aut alio contractu habere res, circa quas negotiantur. Leg. *Non licet*, leg. *Si emptione, ff. de Contrahenda emption.* Et Advocatus nequit à suo cliente, lite durante, rem emere, aliove contractu accipere. Leg. *Quisquis*, Cod. *de postulando.* Neque Medicus à suo infirmo durante infirmitate. Leg. *Medicus, ff. de Variis, & extraord. cognition.*

---

§. II.

Quomodo minor, pupillus, & filius-familiàs possint, vel non, contrahere?

Plura nomina explicantur obvia in hoc puncto.

38 CIrca enumeratos in titulo est specialis difficultas; & ideò de illis singulariter agemus. Sed pro terminorum intelligentia notandum est, *Tutorem* eum dici, qui pupillo ad curam, & custodiam ipsius, & bonorum administrationem assignatur: *Curatorem*, qui minori simili modo adjicitur. Dicitur autem *minor* jure communi, qui 25. annos nondum implevit: *maior* deinceps. *Pupillus*, qui pubertatem nactus non est, quæ in viris 14. anno habetur, & in fœminis 12. *Proximus pubertati* dicitur in viris à 10. anno vsque ad 14. & in fœminis à 9. & dimidio vsque ad 12. *Infans* dicitur ante septimum annum, & inter septimum, & nonum annum in fœminis, vel in viris decimum, dicitur non proximus pubertati. *Filius-familiàs* ille dicitur, qui est sub patria potestate, antequam emancipetur. Quid autem sit hæc patria potestas, & quomodo hæc emancipatio fiat, diximus *tract. 12. cap. 2. n. 124.* Res mobiles, quæ *servando servari possunt*, illæ dicuntur, quæ plusquam triennium possunt conservari, vt aurum, argentum, gemmæ, servi. *Quæ servando servari non possunt*, quæ per triennium servari non valent. Vt constat ex Glossa, *leg. unica*, Cod. *Si adversus vsucapionem.* Quibus suppositis.

39 Tàm minor, quàm pupillus, & filius-familiàs, si sint doli capaces, etiamsi proximi non sint

Quomodo minor, & pupillus possint contrahere?

sint pubertati, obligari possunt naturaliter hominibus per promissionem, aut aliud pactum; dummodò sit de bonis, quorum ipsi habent administrationem absolutam, vt sunt illa, quæ à parentibus, vel tutoribus ipsis dantur ad libitum expendenda, juxta qualitatem personæ; & quæ expendere possunt absque tutoris, vel parentis facultate, vt sunt bona castrensia, aut quasi castrensia, quia horum liberam habent administrationem: & sicut possunt naturaliter obligari Deo per votum, si sint doli capaces; ita etiam obligari hominibus in his, quæ non præjudicant parentibus, aut tutoribus. Et solùm pro alienandis alijs rebus requiritur authoritas tutoris, aut curatoris, aut etiam sententia Iudicis, vt asserit Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 8. num. 62.* Palaus *de Iustit. disput. 1. punct. 4. §. 4. num. 10.* Tapia *lib. 5. quæst. 15. art. 7. num. 2.* Villalob. *tract. 19. diffic. 10. numer. 3.* Poterit tamen, si læsus fuerit, vti beneficio restitutionis in integrum, vt dicemus *punct. 8.* & poterit pater, aut tutor ante pubertatem tales conventiones rescindere, sicut possunt eorum vota irritare. Undè, quando Iuristæ dicunt, hos non posse, nec civiliter, nec naturaliter obligari, nisi proximi sint pubertati, hoc est: quia secundùm præsumptionem juris, non habent sufficientem vsum rationis in minori ætate, vt inquit Gregor. Lopez *in leg. 9. titul. 1. part. 7.* Igitur de alijs bonis in posterum loquemur.

Requiritur sententia Iudicis, vt minor, aut pupillus in rebus immobilibus possint contrahere?

40 Minor, vel pupillus, sive habeant, sive non tutorem, & curatorem, rerum immobilium, vel mobilium, quæ *servando servari possunt*, alienationem facere non possunt, vel obligari civiliter, vel naturaliter absque auctoritate Iudicis, & ex justa causa (nimirum ratione solutionis debitorum, vel alendi ipsum, &c.) Undè quævis alienatio ab ipsis facta, est omninò irrita, & nulla absque Iudicis interventu, etiamsi ex licentia curatoris, aut tutoris faciant, quando illum habent: quia, vltra eorum voluntatem, authoritas Iudicis requiritur ad valorem contractus, vt habetur leg. *Lex quæ tutores 22. C. de administration. tutorum*, leg. *Non solùm 4. C. de prædijs minorum*, leg. *Regia 18. tit. 16. part. 6.* & tenent omnes Doctores. Undè minor nullam obligationem civilem, vel naturalem implendi habet, quæ de his bonis promisit: & si impleat, potest rem suam repetere absque *beneficio restitutionis in integrum*: quia hoc beneficium habet locum, quando validus fuit contractus, vel saltem obligatus naturaliter mansit; & tenetur alius datum restituere; & si nolit, poterit minor jure compensationis vti. ¶ Sed circa alia bona mobilia minor, si curatore careat, obligari poterit naturaliter, & civiliter, tametsi *beneficio restitutionis in integrum* vti possit, si lædatur. At pupillus, etsi pubertati proximus sit, nequit civiliter obligari: quia ei interdicta est administratio bonorum: poterit tamen in suum commodum alium sibi obligare: *§. Pupillus, instit. de inutil. stipulationibus*, vt docent Tapia *lib. 5. quæst. 15. art. 7. num. 4.* Dicastillo *lib. 2. tract. 3. disput. 1. numer. 177.* Villalob. *tract. 19. diffic. 10. numer. 4.* Palaus *disp. 1. punct. 4. §. 5. numer. 6.* Molina *tom. 1. disp. 224. vers. Si immobiles.* Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 28. num. 6. & 27.*

In rebus mobilibus cum curatoris, aut tutoris consensu possunt contrahere, non sine illo.

41 Minor, aut pupillus habentes curatorem, aut tutorem, illius auctoritate in rebus mobilibus, quæ *servando servari non possunt*, possunt contrahere, & obligati manent civiliter, & naturaliter; sed absque illa nequeunt contrahere; si autem contrahant, saltem civiliter, non obligantur. Undè alijs obligari nequeunt, licet alios sibi obligare possint: quia liberam non habent bonorum administrationem. Possunt tamen inire contractus, quatenus cedunt in suum commodum: quia secundum hanc rationem possunt alios sibi obligare: vt expresè habetur Instit. *de auctorit. tutorum, initio*, leg. *Pupillus, de acquirendo rerum dominio*: quia hoc privilegium introductum est in favorem illius teneræ ætatis: & quod in favorem alicuius conceditur, non debet in damnum illius converti, vel ei obesse: leg. *Non eo minus, C. de procuratorib.* Undè contractus in favorem illius teneræ ætatis dicitur claudicare: nisi tamen contrahat cum minore, aut pupillo, qui eodem gaudet privilegio: vt docent Sanchez *lib. 6. de Matrim. disp. 28. num. 9.* Bonacin. *disp. 3. quæst. 1. punct. 5. num. 5.* Dicastill. *supr. numer. 280.* Tapia *num. 3.* Palaus *§. 5. num. 3.* Lessius *lib. 2. capit. 17. dub. 8. num. 61.* Qui benè ait, quod is, qui contrahit cum minore, etsi non possit resilire à contractu; potest tamen non implere illum, nisi minor ante procuret consensum curatoris, vel decretum Iudicis, quando est necessarium: vel nisi jure jurando confirmet contractum. Et etiam hoc privilegio gaudent (nimirum quod alios obligent, cum tamen non maneant obligati) qui minorum privilegio funguntur, vt sunt ecclesiæ, quarum si bona alienentur absque debita solemnitate, illæ non manent obligatæ, quamvis alios sibi obligent. Probabile tamen est, in casu dicto, in quo irritus est contractus, alterum, re adhuc integra, non teneri impleri contractum, nisi per sententiam cogatur: vt inquit Lessius de omnibus contractibus irritis *num. 32. & 62. fine.*

Quibus casibus nō obligentur, etiā naturaliter, pupillus, & minor sine consensu curatoris, & tutoris contrahentes?

42 Sed difficultas gravis est in hac parte: An minor, aut pupillus, si contrahant sine auctoritate tutoris, aut curatoris in his, quæ sine illa nequeunt contrahere, licèt civiliter non maneant obligati stare contractui, vt diximus, maneant tamen naturaliter, & in conscientia obligati. In quo suqponimus, pupillum, qui non est pubertati proximus, nec naturaliter in dicto casu manere obligatum, vti ex sententia communi tradit Sanchez *lib. 6. de Matrimon. disput. 38. n. 24.* Lugo *disp. 22. sect. 10. numer. 286.* Loquimur ergo de pupillo proximo pubertati, contrahente cum extraneis: nam si cum ipso tutore contrahat, nullo modo obligari est certum (& idem est de minore respectu curatoris) quia lex positivè resistit huiusmodi contractui: leg. *Non licet, C. de contrahend. emption. leg. Pupillus 5. ff. de auctoritate tutoris.* Et loquimur de rebus mobilibus, quæ auctoritate tutoris, vel curatoris absque Iudicis interventu possunt alienari: nam loquendo de illis, quæ diximus *numer. 40.* indigere auctoritate Iudicis ad alienationem, certum est absque illa nullo modo pupillum, aut minorem manere obligatum: quia jus tales conventiones omninò irritat, & annullat, eisque positivè resistit: leg. *Si ad resolvendum 7.* leg. *Si quidem, leg. Si minor 15.* Cod. *de prædijs minor.* Ac denique contractum quemcumque ludi pecunia credita, à minore, vel filio familiàs factum, jure regni Castellæ esse omninò irritum, sive fiat tutoris auctoritate, sive non constat ex leg. *22. tit. 11. lib. 5. Recopil.* & tenent Molina *tract. 2. disp. 261. §. In Regno Castellæ*, Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 38. n. 24.* Palaus *disp. 1. punct. 4. §. 3. num. 6.*

Quid ex dictis infertur?

43 Undè in his contractibus potest absque peccato minor non implere contractum, & si implevit, rem suam repetere absque beneficio resti-

restitutionis in integrum : quia hoc solùm est necessarium, quando contractus validus exiſtit, saltem quoad obligationem naturalem inducendam: & maior, qui contraxit, tenetur ante sententiam rem acceptam restituere, volente minore, aut eius curatore; si tamen minor pretium reddat, quod accepit : & si nolit, poterit maior jure compensationis, aut retentionis per modum pignoris rem retinere, quousque minor pretium, quod debebat reddere, reddat. ¶ Loquimur ergo in præsenti de reliquis contractibus, præter enumeratos. Et quia datur duplex sententia, vtraque satis probabilis, in sententia illorum, qui asserunt pupillum, aut minorem non manere obligatum adhùc naturalitèr, idem sentiendum est, ac modò diximus de alijs contractibus omninò nullis, quod scilicèt potest minor repetere datum, & accipiens tenetur in conscientia reddere. At in sententia asserente, talem contractum manere validum, saltem quoad obligationem naturalem, non poterit minor repetere rem, nisi vtendo beneficio restitutionis, nec alius ante sententiam Iudicis reddere tenebitur, vti docent Auctores vtriusque sententiæ.

Sententia asserens contractum minoris esse omninò nullum.

44 Igitur prima sententia asserit, omnem contractum à pupillo, vel minore celebratum (ex his, qui requirunt tutoris, aut curatoris consensum) absque eorum auctoritate, esse omninò nullum; atque adeò minorem non manere, adhùc naturaliter, obligatum: & ideò ante omnem sententiam posse rem traditam repetere, & alium teneri illam restituere. Et probatur primò, quia plures leges proclamãt contractum illum esse nullum, & pupillum non posse obligari: leg. *Obligari 9. ff. de auctoritat. tutor.* leg. 1. Cod. *de inutilib. ſtipulationib.* leg. *Si curatorem*, Cod. *de in integrum reſtitut. Inſtituta de auctoritate tutorum, in princip.* Imò aliquæ sunt leges, quæ expressè negant obligationem naturalem : leg. *Pupillus* 58. *ff. de action. & obligat.* leg. *Quod pupillus* 41. *ff. de conditione indebiti*: ergo, &c. ¶ Secundò, quia minor habens curatorem, æquiparatur prodigo, cui interdicta est administratio bonorum, leg. *Certi condictio 9. §. Quoniam ff. ſi certum petatur*, leg. *Si curatorem*, Cod. *de in integr. reſtit.* Imò etiam pupillus contrahens sine auctoritate tutoris, comparatur furioso, leg. *Interdum* 29. *ff. de conditione indebitis*; sed nec contractus prodigi, nec furiosi inducunt obligationem naturalem, vt diximus *num.* 33. & 34. ergo nec contractus pupilli, aut minoris. ¶ Tertiò, quia si pupillus, aut minor jure naturæ tenerentur stare contractui, deberent solvere, vel dare quod promittunt; nec enim alitèr stare contractui obligari videntur, nisi obligationem habendo in conscientia solvendi, aut dandi, quod contraxerunt; sed non teneri solvere, quod promittunt, docent ex Auctoribus contrariæ sententiæ Lugo, Sanchez, Trullench. Reginaldus, Diana, locis infrà citandis : ergo non manent obligati naturalitèr. ¶ Quartò, quia si obligati manerent naturalitèr, non possent, si alius nollet rem traditam restituere, vti compensatione occulta, quando absque magno incommodo non possunt beneficio restitutionis à Iudice illam obtinere : quia si ipsi tenentur jure naturæ stare contractui, non est vnde possint tali compensatione vti : sed posse in dicto casu compensatione vti, tenet Diana 2. *part. tractat.* 5. *miscel. resolution.* 44. Trullench. *libr.* 7. *cap.* 16. *dub.* 6. *numer.* 6. Lugo *disput.* 22. *section.* 10. *dub.* 297. qui etiam sunt contrariæ sententiæ : ergo, &c. Sententiam hoc numero propositam tenent Bonacina *disput.* 3. *de contract. quæst.* 1. *punct.* 5. *numer.* 6. *fine.* Covarr. *cap. Quamvis pactum*, 2. *part.* §. 4. *numer.* 5. 6. & 7. Bañez 2. 2. *quæst.* 35. *art.* 7. *circ. ſolut. ad* 2. D. Thom. Rodriguez 1. *part. cap.* 189. *num.* 1. & 3. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *num.* 283. & alij quos refert Sanchez *lib.* 6. *de Matrim. disp.* 38. *num.* 20. *in fine*, & Diana 2. *part. tract.* 5. *miscel. resol.* 44. qui eam probabilem dicunt.

45 Verior nihilominus est secunda sententia affirmans, dari talem obligationem naturalem in pupillo, & minore absque auctoritate tutoris, & curatoris contrahentibus : ac proinde accipientem ab ipsis, non teneri ante sententiam Iudicis rem ab eis acceptam restituere. Et probatur primò, quia obligatio naturalis oritur ex libero consensu, perficiente contractum, leg. *Stichum, §. Naturali. ff. de ſolut.* sed pupillus proximus pubertati, & minor 25. est capax sufficienter ad contrahendum: ergo, &c. ¶ Secundò probatur, quia pluribus textibus habetur, pupillum talem obligationem naturalem contrahere, etiam cum operatur absque auctoritate tutoris; & ideò illam contrahere ex mutuo accepto, dicitur leg. *Pupillus* 21. *ff. ad legem falcidiam*, & obligari naturaliter, si absque tutoris auctoritate promisit, leg. 1. *ff. de novation.* & de alijs contractibus, leg. *Cum illud, §.* 1. *ff. quando dies legat. cedat.* ¶ Tertiò, principaliter probatur, quia, vt docet communis sententia, fideiussor non obligatur, principali nullo modo obligato, leg. *Cum lex* 46. *de fideiuſſoribus*, leg. *Naturaliter, ff. de conditionibus indebiti* : quia deficiente principali obligatione, non valet accessoria, regul. *cum principalis, ff. de regul. jur.* & sic, vt fideiussor teneatur, requiritur vt principalis, saltem naturaliter, obligetur; sed fideiussor minoris obligatur civiliter, & naturaliter, vt fert communis sententia, leg. *Finali, de Iur. jurando*, leg. *Marcellus* 25. *ff. de fideiuſſoribus*, leg. *Regia* 25. *tit.* 4. *part.* 3. ergo saltem naturali obligatione ipse minor adstringitur. Sic Sanchez *lib.* 6. *de Matrim. disp.* 38. *num.* 21. Rebellus 2. *part. lib.* 1. *quæst.* 8. *sect.* 2. *n.* 27. Palaus *disp.* 1. *punct.* 4. *§.* 3. *num.* 9. *fin.* Reginald. *lib.* 25. *num.* 249. Lugo *disp.* 22. *sect.* 10. *num.* 288. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 8. *n.* 61. Navar. *lib.* 4. *consil.* 39. *num.* 11. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16. *dub.* 6. *numer.* 5. Filliuc. *tract.* 33. *cap.* 3. *quæst.* 4. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 7. Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 11. *numer.* 10. Diana 2. *part. tract.* 5. *miscel. resol.* 44.

Obligari naturaliter minorem contrahentẽ est dicendum.

46 Ad primum contrariæ sententiæ, dicimus, quod cum minor beneficio juris civilis possit talem obligationem elidere, vtendo privilegio *reſtitutionis in integrum*, dicitur in textibus illis, & alijs, contractu non obligari absque curatoris consensu, quia scilicèt non efficacitèr, sicut maior obligatur; & quia tutor, aut curator possunt pro suo arbitratu contractum rescindere, quia ipsis administratio commissa est bonorum pupillorum, & minorum. ¶ Ad secundum patet ex modo dictis, pupillum, & minorem comparari cum prodigo, & furioso, quia omnibus curator assignatur, omnes beneficio restitutionis possunt obligationem impletam elidere, omnium contractus potest curator rescindere; & sic inefficacitèr dicuntur omnes obligari. At prodigus jure civili, & furiosus jure civili, & naturali sunt inhabiles ad contrahendum sine auctoritate tutoris; & sic illorum fideiussor nullo modo manet obligatus. Minor autem, aut pupillus habiles sunt ad contrahendam obligationem naturalem, vt constat ex secundo argumento; & sic eorum fide-

Primum, & secũdum argumentum dissolvitur.

fideiussores civiliter, & naturaliter obligantur, vt diximus argumento tertio.

Alia duo argumenta solvuntur.

47 Ad tertium respondetur, quod licèt probabile sit, quod docent Auctores ibi adducti, & ex contrarijs Covar. Dicastillo, & Bonacina, quia cui datur actio ad repetendum, eidem datur exceptio ad retinendum, *regul.* 75. *juris in* 6. & cum minor posit, si dederit, statim repetere, habebit jus exceptionis, vt retineat, quia inutiliter à creditore peteretur, quod statim restitui debet, *regula dolo* 59. *de regul. juris in* 6. ¶ Melius tamen teneri reddere, docent Lessius, & Palaus locis citatis, & Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 5. *dub.* 8. Quia aliter in intelligibile esset, quomodo minor contractu naturaliter obligetur, si non tenetur reddere, quod contraxit: & cum hoc benè stat, habere actionem repetendi Iudicis auctoritate, non verò absque illa: & solùm, qui statim posset repetere sua auctoritate, frustra reddere teneretur; nec habet adversus alium actionem, nisi post rem solutam, vnde ante illam non est ipsi licita exceptio. ¶ Ad quartum dicimus, Authores ibi citatos ideò concedere, posse minorem vti compensatione, si rem dederit creditori, quia dicunt, posse se conformare alteri opinioni probabili, secundum quam non obligatur ipse naturaliter, & sic alius tenetur in conscientia acceptum restituere. Quod nos non admittimus. Tùm, quia nemo potest vti compensatione occulta cum sola opinione probabili debiti, vt diximus *tract. præcedent. capit.* 1. *punct.* 19. *§.* 3. *numer.* 319. Tùm etiam, quia solùm potest minor recuperare rem suam per restitutionem à Iudice concessam, leg. *Si curatorem*, *Cod. de in integr. restit.* qua restitutione non concessa, adversarius nihil debet, quod possit per compensationem ab ipso accipi; nisi per injustam resistentiam adversarij non posset rem in judicio obtinere; tunc enim poterit compensari, quia tunc adversarius est debitor certus ex injuria.

Quomodo filij-familiàs possunt contrahere?

48 Restat, vt agamus de filijs familiàs: & dicimus, hos posse contrahere de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, & manere civiliter, ac naturaliter obligatos, quia eorum liberam administrationem habent, nisi sint impuberes, nec proximi pubertati: quia tunc non possunt de illis disponere, aut testari: leg. *vlt. C. de testam. milit.* ¶ Ex alijs autem bonis, quorum non habent liberam administrationem contrahere non possunt. Ex consensu tamen patris validè possunt alienare bona adventitia, vel profectitia, leg. *vltim. §. Filijs autem, Cod. de bonis, quæ liberis*, nisi immobilia sint, aut mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt: quia tunc præter consensum patris requiritur Iudicis sententia, vt diximus de minoribus: & habetur leg. *Non solùm*, *leg. Ob æs alienum, Cod. de prædijs minorum.* ¶ Sufficit autem tacita licentia patris, vt possit ex his bonis contrahere, quando nimirum habet ab eo tacitè liberam administrationem: vel quia à patre accipit bona expendenda suo arbitratu, vel quia pater longè abest, vel quia à patre est expositus negotiationi, tunc enim potest bona adventitia, & profectitia obligare. ¶ Denique obligari potest filius sine consensu patris contractu innominato, *facio, vt facias*; vel, *facio, vt des*; & tunc obligatur saltem naturaliter, dummodò non sit in præjudicium patris, vel alterius, *§. Item inutilis*, *Instit. de inutilibus stipulation.* Unde potest suas operas artificiales alteri locare, seque obligare ad servandum: quia filius non debet patri operas artificiales, sed obsequiales, honoris, & reverentiæ, nisi cum eo vivat, & ab eo recipiat alimenta, leg. *penult. ff. de obseq.*

PUNCTUM VI.

Utrùm contractus sine solemnitate juris factus obliget in conscientia?

Quid agendum sit in præsentiâ

49 IN præsenti non loquimur de accidentali solemnitate, sed de substantiali: accidentalis namque solemnitas, si deficiat, irritum non relinquit contractum, cum absque perfectione accidentali res semper subsistere possit, vti in matrimonio cernitur, cui si deficiant proclamationes, aliæve accidentales solemnitates, adhuc validum subsistit, quamvis illicitè absque solemnitate accidentali fiat: quia lege non irritante, sed prohibente, ne fiat absque illis, cavetur. Unde non loquimur de contractibus prohibitis fieri à lege, nisi lex simul sit irritativa illorum, quia, vt diximus *tract.* 11. *de legibus*, *cap.* 2. *num.* 90. non est idem aliquid esse lege prohibitum, ac esse nullum; sed plura sunt, quæ lege prohibentur, quæ tamen facta tenent, vt matrimonium contractum ab habente votum simplex castitatis prohibitum est; factum tamen, remanet validum. Quæstio igitur est: An contractus absque solemnitate substantiali à lege assignata pro valore illius celebratus, sit irritus in foro conscientiæ ante sententiam Iudicis illum irritantem, vel saltem inanem esse declarantem: vt in testamentis, alienationibus rerum ecclesiæ, vel in alienationibus rerum immobilium minorum absque licentia curatorum, & authoritate Iudicis, & similibus, ita vt, qui recepit, teneatur in conscientia restituere. Unde loquimur de alijs contractibus præter matrimonium, & professionem, de quibus esse nullius roboris, si absque solemnitate substantiali fiant, nullus ambigit: cum enim sint contractus perfecti, & irrevocabiles, & magnam præseferentes difficultatem, noluit ecclesia, quod validè fiant, nisi cum solemnitate ab ipsa assignata, vt sic maturo judicio, & consilio absque omni vi, & fraude celebrentur, vti de matrimonio contracto absque præsentia Parochi, & testium latè probavimus in eius tract. *cap.* 8. *punct.* 8.

Sententia asserens valere contractum non solemnem.

50 Circa præsentem casum duplicem retulimus sententiam *tractat.* 11. *de legibus*, *capit.* 2. *punct.* 4. *numer.* 84. *& punct.* 5. *num.* 94. & præcipuè *numer.* 105. quarum vtraque probabilis est. Prima asserit, validum manere contractum in foro conscientiæ absque solemnitate debita contractum. Et probatur primò, quia leges fundatæ in præsumptione doli, aut fallaciæ non obligant in conscientia, deficiente dolo, & fallacia, vt diximus *tract.* 11. *de legibus*, *cap.* 2. *num.* 78. sed ita sunt leges, quæ contractus irritant absque solemnitate juris celebratos: ergo, &c. ¶ Secundò, quia, deficiente fine legis, deficit ipsa lex, & non obligat; sed finis harum legum est vitare omnem fraudem, aut dolum: ergò, si illa non dentur, manebunt contractus, ac si non essent lege prohibiti. ¶ Tertiò, quia id, quod est de lege naturæ, legibus positivis humanis non variatur; sed est de lege naturæ, quod ea, quorum domini sumus, in alios transferre possimus pro nostra vo-

luntate: ergo in foro conscientiæ, vt dominium tranferatur validè, alia solemnitas necessaria non est, quàm externa expressio voluntatis domini. ¶ Quartò, quia testamentum ad pias causas, etiam absque solemnitate juris celebratum, valet: ergo idem de alijs contractibus dicendum est. Atque ita docent Sot. *lib.4.de justit.quæst.5.art.3.* Regin. *lib.25. num.105.* Bañez *2.2.quæst.62.de domin.disp.5. art.4.* Ledesma *tom.2.Summ.tract.8.cap.3.fol.227.* Prado *cap.26.quæst.5.numer.10.* Serra *2.2.quæst.66. articul.2.conclus.2.fol.407.* Sanchez *lib.4.consil. capit.1.dub.14.numer.5.& 6.* Filliucius *tom.2. tract. 34.capit.7.num.150.& tom.1.Catenæ, lib.4.quæst. 13.art.3.numer.6.& tom.2.lib.5.quæst.21.artic.4. numer.3.* & probabilem dicunt Lugo, & Lessius infrà citandi, & probabilissimam Fr. Martinus à Sanct. Ioseph *de testam.tract.8.n.4.& 6.*

Contractum sine solemnitate initâ, nullum esse ostenditur.

51 Sed consequentèr ad ea, quæ locis citatis diximus, tenenda nobis est secunda sententia, quæ dicit omninò invalidos esse dictos contractus, etiam in foro conscientiæ absque solemnitate in jure assignata. Quam sententiam ibi probavimus. Tùm, quia leges, quæ assignant solemnitatem substantialem actus, eam vt formam ipsius actus assignant; sed actus sine forma substistere non potest: ergo, &c. Tùm etiam, quia istæ leges non fundantur in præsumptione doli, sed periculi; sed leges fundatæ in præsumptione periculi fraudis, aut doli semper obligant, etiam deficiente dolo, aut fraude de facto, vt ibidem probavimus. Unde finis harum legum est vitare periculum doli, aut fraudis, non ipsas fraudes tantùm: & quia periculum semper remanet, semper persistit finis legis, saltem inadæquatus, & consequentèr ipsarum legum obligatio, vt eodem tract. *de legibus, cap.2. à num.82.* diximus. Nec sunt leges pœnales, quæ requirunt iudicis sententiam, vt obligent, sed in commodum reipublicæ ordinatæ. Unde sententiam iudicis expectare non est necesse, vt sortiantur suum effectum, qui est facere nullum contractum. Quod quidem fieri posse ab ecclesia, & republica, constat in contractu matrimonij absque Parocho, & testibus celebrato, quod nullum sit ab ecclesia. Tùm, quia ipsi contrahentes possunt aliquas conditiones in contractibus apponere, quibus deficientibus, non maneant obligati, aut contractus validi: ergo id fieri ab ecclesia, & republica potest in commodum commune. Nec ob id aliquid contra jus naturale fit; sed quod jus naturale concedit, aut permittit, ordinatur, vt debito, & congruentiori modo in particulari fiat, vt plura evitentur inconvenientia: non ergò contractus validi persistunt, si fiant absque debita solemnitate. Ita docent Covarr. *capit. Cum esses, de testament.& regul.peccatum, part.2.§. 4.num.7.* Lessius *lib.2.cap.19.dub.3.num.35.* Bonacin. *disp.3.quæst.1.punct.3.num.2.* Dicastillo *lib.2. tract.3.disp.1.dub.7.n.124.* Lug. *disp.22.sect.9.numer.252.* Vazquez *de testament.cap.3.dub.1.num.4. & 12.disp.164.cap.3.num.36.* Suarez *lib.5.de legib. cap.24.num.4.* Salas *de legib. disp.16.sect.4.* Palaus *tract.3.disp.7.punct.7.& 9.* Trullench. *lib.7.cap.18. dub.8.n.3.* Aragon *2.2.fol.160. conclus.2.* Salon *de just.tom.1.quæst.5.art.4.fol.157.* Bauny *tom.3.lib. 1.tract.1. quæst.6.assert.2.& 4.* & problematicè vtramque partem defendunt Villalob. *tom.2.tract. 30.diffic.8.* Diana *1.part.tract.8.resol.75.*

Quid ex dictis sententijs sequatur?

52 Cùm ergo vtraque dicta sententia probabilis sit, qui primam sequi vellet, poterit si hæres, aut legatarius instituatur testamenti minùs solemnis, hæreditatem, vel legatum procurare, & si adipiscatur, retinere: & idem est de alijs contractibus. Et, sequendo nostram sententiam, poterit hæres ab intestato non dare hæreditatem, aut legatum testamenti minus solemnis: quia secundum illam invalidum manet testamentum, etiam in foro conscientiæ: ideòque succedit hæres ab intestato, ac si confectum non esset. Sed quia probabiliorem duximus hanc sententiam, poterit dictus hæres vti occulta compensatione, si legatarius, aut hæres institutus aliqua via legatum, aut hæreditatem adierit: quia (vt diximus *tract.13.cap.1.punct.19.§.3.*) datur locus compensationi, quando est probabilior sententia, quod sibi talia bona debentur. Sed hoc non poterit hæres, aut legatarius facere, si hæres ab intestato nolit reddere, quod in testamento minùs solemni relictum est, etiamsi se conformare velit alteri opinioni, nisi eam judicet probabiliorem: quia ex eo quod sit probabile aliquid deberi, locus compensationi non datur, vt ibidem *§.3.num.319.* probavimus. Sed adhuc posse, vtramque sequendo opinionem solùm vt probabilem, tenent Villalob. & Lessius.

53 Ad contraria fundamenta, constat ex dictis *num.51.* ad tria priora. Ad vltimum dicimus, non ideò testamentum ad pias causas esse validum, licèt solemnitatem communem non servet, quia testamentum sine solemnitate confectum sit validum; cum etiam in foro externo tale testamentum observetur; sed quia solemnitas ex jure requisita, nimirum quod sit cum tot testibus, & subscriptione tabellionis, non requiritur in testamento pro pijs causis; quin potius minor ab eo assignatur, si tamen illa minor solemnitas, quàm jus pro pijs causis efflagitat, qualis qualis fuerit, non observaretur, etiam testamentum maneret nullum: quia absque forma, quæ vita est rei, actus non subsistit.

Solvuntur cõtraria fundamenta.

PUNCTUM VII.

An contractus jure naturæ, vel positivo nullus, juramento firmetur?

54 SUpponendum est primò, duplicitèr posse intelligi contractum juramento firmari: vel quia talis contractus validus erat, sed ad nutum contrahentis, vel alterius revocabilis, vt de contractibus minorum, & de illis, qui, metu gravi dãte causam, fiunt, diximus; & per juramentum fiunt efficaces, & sic minimè revocabiles. Vel quia contractus jure ipso nullus erat, sed addito juramento firmatur, vt validus fiat. Neutrum tamen horum habet ex jure naturæ juramentum, sed solùm ex jure positivo humano, vt supponunt Suarez *lib.2.de juram.capit.28.n.3.* Sanch. *lib.3.Decal.cap.12.n.3.* & ex parte Lugo *disp.22.sect.8.num.198.* Et ideò refert Sanch. plures Juristas asserentes antiquiori jure contractus juramento non firmari.

Bifariam cõ firmatur cõtractus juramento.

55 Secundò est supponendum, aliud esse juramentum esse validum, & manere jurantem ratione illius ob Dei honorem, & reverentiam obligatum illud observandi; aliud confirmare contractum. Quando enim est validum, sed non confirmat contractum: quia Deum vt testem adducit, & debet verum facere, quod promittit, obligat illud observare; sed nullum jus acquiritur alteri; & relaxari potest

Quid, sit juramentũ esse validum, & confirmare contractum?

potest absque præjudicio tertij, & contractum sicut antea reliquit validum, vel invalidum, nullumque ei robur addit. Unde, relaxato juramento, potest contra contrahentem sicut antea agere; sed si relaxationem non obtineat, quia vi juramenti obligatur ex religione, erit perjurus, si non adimpleat, quod promisit; non verò erit injustus contra proximum: & si non vult illius petere relaxationem, in momento, quo solvit, adimplet juramentum, potestque repetere, quod dedit, nisi etiam non repetere juraverit. At si confirmet juramentum contractum, manet contractus irrevocabilis ratione juramenti, & jurans obligatus, ne dum ex religione, sed ex justitia, observandi illud, nec potest relaxationem obtinere: & si obtineat ex gravi causa, adhuc manet contractus firmus, nec potest repeti datum: & solùm deservit talis relaxatio, vt possit agere in judicio circa valorem contractus.

Differimen inter duas rationes assignatas.

56 Ex quo sequitur duplex discrimen inter ista juramenta. Primum, quod juramentum validum confirmans contractum non potest relaxari, nisi ex vrgenti, & extraordinaria causa, etiam à summo Pontifice: quia cederet in præjudicium tertij, propter jus acquisitum, ob quod habet actionem in foro externo contra jurantem. At si non confirmet contractum, licèt validum maneat, relaxari potest: quia ex hoc nullum jus, vel actio acquiritur contra jurantem. Secundum, quod quando juramentum confirmat contractum, transfertur obligatio ad hæredes: quia eam fecit realem erga proximum: at si non confirmet, non transit, quia vel solùm est personalis, vel realis erga Deum, vt docet Soto *lib.* 2. *quæst.* 8. *artic.* 2. Bonacin. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 9. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16. *dub.* 6. *num.* 9. & 11. Sanchez *lib.* 3. *Decalog. cap.* 12. *à num.* 50. Lugo *disp.* 22. *sect.* 8. *à num.* 190. Unde si quis vsuras solvere vsurario juraverit, hæres illius non tenetur eas solvere: quia solùm erat obligatio ratione juramenti apud Deum, quod non confirmavit contractum: & qui juravit, potest obtinere relaxationem: quia vsurarius nullum jus, vel actionem acquisivit ratione juramenti; & si solverit, poterit statim repetere, vt iam diximus. ¶ Modò duo nobis examinanda sunt. Primum, quando juramentum validum maneat, adjunctum contractui, sive eum confirmet, vel non? Secundum, quando juramentum, quod contractui adjicitur, eum firmum, & irrevocabilem faciat? quod duobus paragraphis præstabimus.

§. I.

Quando juramentum contractui adjectum sit validum, licèt contractum non confirmet?

Juramẽtum, quod potest sine peccato impleri, est validum.

57 SIt generalis regula, quod si juramentum promissorium (de hoc enim toto hoc puncto agimus) adjectum contractui non potest impleri absque peccato, etiam veniali, non manet validum, ac proinde non indiget relaxatione. Si autem sine illo potest impleri, & sine præjudicio tertij, ordinariè manet validum, tametsi contractum non confirmet. Et loquimur de juramento facto homini: quia si soli Deo fiat, debet res promissa esse bona, & honesta: aliàs à Deo non acceptatur. Ita communiter Doctores, Lugo *disp.* 22. *sect.* 8. *num.* 194. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16. *dub.* 5. *numer.* 2. Rebellus 2. *part. lib.* 5. *quæst.* 9. *num.* 2. Villalobos *tract.* 19. *diffic.* 12. *num.* 4. & 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 7. *n.* 50. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 1. *n.* 3. & habetur expressè vtraque pars assertionis in cap. *Cum contingat, de Iur. jur.* vbi dicitur: *Servari debere huiusmodi juramenta* (quæ super contractu aliàs nullo fiunt, de his enim loquitur Pontifex) *sine vi, & dolo, sponte præstita, cum in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergunt in dispendium salutis æternæ.* Idem habetur cap. 2. *de pactis in 6.* Et quidem tunc validum manere juramentum, probatur: quia honor, & reverentia divinæ maiestatis petunt, vt verum efficiamus, quod promisimus, si absque peccato possumus; ne Deum in testem falsitatis adducamus: & sic ex hac obligatione erga Deum implere tenemur, quod promisimus, quamvis solutum repetere liceat, & relaxationem juramenti obtinere.

Si absque peccato nequit impleri juramentum, non obligat.

58 Quod autem sit invalidum juramentum, si impleri non possit absque peccato, constat ex textibus modò adductis, in quibus solùm dicitur juramento teneri, si absque præjudicio salutis æternæ potest observari: ergo è contrà, si non potest observari absque tali præjudicio, nullam obligationem parit juramentum. Tùm, quia juramentum non est vinculum iniquitatis: esset autem, si obligaret observari, quod sine peccato non potest fieri. Nemo denique ad peccatum obligari potest, & ideò in regul. *Non est juris in* 6. dicitur: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Et intelligitur de bonis moribus naturalibus, qui faciunt bonum virum, proindèque, quod fieri non potest sine peccato. At si juramentum solùm sit contra bonos mores civiles, qui faciunt bonos cives, obligavit: vt de juramento solvendi vsuras inquit Sanchez *lib.* 1. *Decal. disp.* 2. *num.* 1. Villalob. *tract.* 19. *diffic.* 12. *num.* 4. Lessius *num.* 50. Dicitur autem contra bonos mores civiles, quod licèt in se non sit peccatum, est tamen contra bonum regimen reipublicæ. At si res sit prohibita, quia est contra bonum publicum, etsi juramentum accedat promissioni, non obligat: quia iam impleri non potest sine peccato. Ut si Clericus jurasset se coram Iudice laico compariturum, privilegioque fori renuntiaturum: *quia non potest, jus publicum pacto privatorum tolli*: cap. *Si diligenti, de foro competenti*, cap. *Apostolicam, de Regular.* leg. *Ius publicum, ff. de pactis.* Unde tale juramentum Clerici nullum esse, minimèque observandum, omnes tenent Doctores.

Aliqui casus in quibusnõ obligat juramentũ, etiã si impleri possit absque peccato.

59 Diximus in proposita assertione, juramentum, quod sine peccato impleri potest, ordinariè esse validum, & obligatorium: quia excipiuntur aliqui casus, in quibus tale juramentum non obligat, etiamsi impleri possit absque peccato. Primus est, quando jus non solùm irritat contractum, sed juramentum additum illi; vt renuntiatio, & dispositio novitij etiam jurata, facta sine licentia Episcopi, vel eius Vicarij intra duos menses proximos ante professionem, quam irritat Concilium Tridentinum, *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* Et statuit, vt etiam non valeat, nisi professione sequuta. Secundus est, quando juramentum factum est in favorem tertij, & ille non acceptavit, vel alius pro eo; vel si non validè acceptavit: quia cum juramentum sit accessorium actui, supra quem cadit, sequitur naturam illius: accessorium enim sequitur naturam principalis:

lis: leg. vltim. Cod. *de non numerata pecunia*: & ob id quando actus, vel ex natura sua, vel ex consuetudine, vel ex juris dispositione, vel ex intentione agentis imbibit aliquam conditionem, sub illa juramentum factum censetur; sed promissio facta homini, sive absenti, sive præsenti, non obligat ex natura sua, nisi ab ipso, vel ab alio nomine illius, validè acceptetur; & semper censetur fieri sub hac conditione: tenendum est ergo hanc promissionem ante acceptationē non obligare, etiamsi juretur, posseque proinde revocari pro libito promittentis: vt docent Sanch. *lib.* 1. *de Matrimon. disp.* 7. *num.* 24. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 7. *num.* 52. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16. *numer.* 3. Bonacin. *disputat.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 6. Addunt Bonacina, & Trullench. talem promissionem revocari posse ante acceptationem, etiamsi promittens juraverit se illam non revocaturum: nam mens jurantis censetur, vt velit non revocare, postquam promissio fuerit acceptata, & cum præjudicio alterius; nisi tamen aliud constet de intentione ipsius. ¶ Aliud est si dicta promissio esset in modum voti facta Deo de re honesta, & meliori, quæ ad maius robur firmaretur juramento: vt si jurares te non lusurum, te in religionem ingressurum: quia tunc licèt non acceptetur ab homine, acceptatur à Deo, & ei placet, vt impleatur; nullamque imbibit conditionem, & sic ex tunc obligat in conscientia virtute religionis juramenti: vt docent prædicti Auctores.

Iuramētum dolo extortum, nec est validū, nec cōfirmat cōtractum.

60 Sed difficultas gravis in præsenti est: An juramentum additum contractui, sed ex metu gravi, vel ex dolo extortum; licèt non confirmet contractum, maneat validum; & in conscientia obliget ad adimplendum promissum: vt si latroni minanti mortem, nisi ei centum sub juramento promittas, sub juramento totidem promisisti: an tenearis virtute juramenti promissa adimplere? Et supponimus verè te consensum jurandi, & te obligandi habuisse: nam absque illo minimè manere te obligatum, iam diximus. Aliqui Auctores indifferenter loquuntur de dolo, & de metu; & videntes juramentum metu extortum probabilius esse validum; idem de illo, quod dolo, aut errore fit, sentiunt, & dicunt tale juramentum, etiam dolo, aut errore emissum (& loquimur de dolo circa substantiam rei) esse validum: quia promissio Deo facta est adimplenda, si fine peccato impleri potest, vt ex cap. *Debitores*, *de Iur. jurando*, diximus. Sic Lugo *disp.* 22. *sect.* 8. *numer.* 195. Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 28. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16. *dub.* 5. *num.* 2. & 4. Bonacin. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 7. §. *Verum*. Qui omnes absolutè asserunt, juramentum dolo, vel metu extortum validum esse, licèt non confirmet contractum: & pro se citant Lessium, qui manifestè oppositum docet: & meritò asserit juramentum dolo, aut errore extortum omninò invalidum esse, nec indigere relaxatione. Tùm, quia omnis promissio standi contractui habet jure gentium tacitam conditionem, nisi deprehendero me deceptum: ergo etiam juramentum sub illa conditione censetur emissum. Tùm etiam, quia secundum communem sententiam jurans non obligatur ad ea, quæ si cogitasset, excluisset, aut nollet comprehendere: & solùm obligatur si res in eodem statu permanserit, & notabiliter immutata non sit. Tùm denique, quia juramentum non obligat extra mentem, & intentionem jurantis, cap. *Veniens*, *de Iure jurand.* sed intentio jurantis in nostro casu non est se obligare, eius namque mens tacitè repugnat: quia si sciret rem, in qua fallitur, nollet contrahere, aut jurare. Unde esse nullum tale juramentum, docet ex communi sententia Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 51. & *cap.* 42. *num.* 34. Sanchez *lib.* 4. *de Matrimon. disp.* 20. *numer.* 3. Navarr. *cap.* 12. *num.* 13. Sylvest. *verb. Iuramentum* 4. *quæst.* 4. D. Antonin. *part.* 2. *titul.* 10. *capit.* 6. §. *Quintus casus*. ¶ Difficultas ergò est, an validum sit juramentum metu gravi extortum, licèt non confirmet contractum? Circa quod datur duplex sententia, vtraque satis probabilis.

Sententia asserens iuramentum metu extortum non esse validum.

61 Prima sententia asserit, nullum esse tale juramentum, ac proindè posse licitè non impleri absque relaxatione. Et probatur primò, quia in cap. *Cum contingat*, *de Iure jur.* dicitur, servari debere huiusmodi juramenta, quæ supra contractum validum cadunt, *si sine vi, & dolo præstita sint*: ergo è contra, si cum vi, aut dolo sint emissa, servari non debent. Maximè, quia ibi Pontifex vim, & dolum æquiparat: sed juramentum dolo extortum nullum est, vt diximus *num. præced.* ergò etiam extortum vi, aut metu. Idem habetur cap. 2. *de Iur. jurando in 6. cap.* 2. *de pact. eodem lib.* Probatur secundò ex authentica, *Sacramenta puberum*, *C. si adversus venditionem*, vbi sic dicitur: *Per vim autem, vel metum extorta* (sacramenta) *etiam à maioribus, maximè ne querimoniam commissorum maleficiorum faciant, nullius esse momenti jubemus.* Ubi Iustinianus Imperator vult, omnia juramenta metu extorta, esse nullius momenti. ¶ Tertiò, quia tali juramento deest consensus; nihil enim tam contrarium consensui, quàm vis, aut metus, vt dicitur leg. *Nihil consensui*, *ff. de regul. jur.* ¶ Quartò, quia votum metu gravi extortum non obligat, vt ferè omnes tenent: ergo nec juramentum. ¶ Quintò, quia promissio supra quam cadit hoc juramentum, est irrita, vel saltem arbitrio promittentis revocabilis: ergo etiam juramentum illi appositum: nam juramentum sequitur naturam actus, supra quem cadit. ¶ Sextò, quia promissio metu extorta, ac proindè jurata eodem metu, habet hanc tacitam conditionem, *nisi ob injuriam illatam revocavero*, *aut obligationem eliserò*: ergò ratione istius conditionis poterit juramenti vis elidi, & non impleri. Ita tenet Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 7. *quæst.* 2. Sylvest. *Iuramentum* 4. *quæst.* 8. Greg. Lopez *ad legem final.* Gloss. *Que la fizo*, *tit.* 11. *part.* 6. Angelus *verb. Iuramentum* 5. *num.* 10. D. Antonin. 2. *p. tit.* 10. *cap.* 6. §. *Quintus casus*. Panormit. in cap. *Cum contingat* 28. *num.* 3. *de jure jur.* Alciatus *in dict. cap. notab.* 3. & alij, quos refert Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 20. *num.* 3. qui eam dicit probabilem: & in praxi observari apud Iudices sæculares, asserit Covarrub. *lib.* 1. *variar. cap.* 4. *num.* 7.

Validū est, & obligatorium iuramentum metu extortū.

62 Probabilius tamen est, tale juramentum esse validum, obligareque ad eius impletionem, quamvis metum incutiens nullum jus acquirat; & sic peti possit illius relaxatio, vel adimpleri instantanea solutione, & statim repeti datum. Excipe illos contractus, qui ob publicam vtilitatem reprobantur à jure, si cum metu gravi fiant, qui quidē sunt omninò invalidi, & juramentum cadens super illos, vt est matrimonium, & professio; inter quos etiam computantur sponsalia, vt probavimus *tract.* 9. *de Matrimon. cap.* 1. *numer.* 62. Probatur primò, tale juramentum validum esse, ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 3. vbi sic dicit:

Iurā-

Iuramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio: vna quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, quod ei promissio non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm iuramentum violare. Potest tamen repetere in judicio, quod solvit. ¶ Secundò ex cap. *Debitores, de Iur. jurando*: vbi dicitur eum, qui juramento ex metu promisit solvere vsuras, teneri juramentum adimplere: & cap. *Verum, eodem titulo*, dicitur eos, qui inviti juramento se adstrinxerunt, esse absolvendos, ita enim consueviſſe facere romanos Pontifices. Et cap. *Si verò, eodem titulo*, de illo, qui gravissimo metu compulsus fuerat renuntiare beneficio, quam renuntiationem juraverat, dicitur debere petere absolutionem juramenti: *Quia non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Unde hæc regula generalis in jure passim habetur, juramentum scilicet esse servandum, si absque dispēdio salutis æternæ potest observari: cap. *Cum contingat, de Iur. jur. cap. 2. eodem titul. in 6. cap. 2. de pactis, eodem lib.* ¶ Tertiò ratione, quam tangit D. Thom. *loc. cit.* quia jure naturæ tenemur efficere, vt verum sit, quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus: quia istud est magna in tantam maiestatem injuria, quam ne committamus, ante subire mortem debemus. Sic præter D. Thom. Caietan. ibi, Soto *lib. 8. de justit. quæst. 1. art. 7.* Bonac. *disp. 3. quæst. 1. punct. 1. n. 7. §. Verum*, Dian. 4. *part. tract. 4. resol. 28.* Villalob. *tract. 19. diffic. 12. n. 8.* Trullench. *lib. 6. cap. 16. dub. 5. n. 2. & 4.* Lugo *disp. 22. sect. 8. n. 195.* Lesius *lib. 2. cap. 17. n. 51. & cap. 42. dub. 6.* Sanchez *lib. 4. de Matrim. disp. 20. num. 4.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 11. à num. 14.* Covar. *lib. 1. variar. cap. 4. num. 7.* & alij.

Primum argumenti contrarium dissolvitur.

65 Restat contrarijs fundamentis satisfacere. Ad primum dicimus, quod in illis canonibus solùm asseritur, quæ sine vi, & dolo jurantur, omninò esse observanda, ita vt non detur locus relaxationi juramenti; cùm in tali casu, de quo loquuntur, confirmet juramentum contractum, & sic jus, & actio alteri acquiratur per illud; & consequentèr omninò esse observanda, ita vt repeti non possint, quæ ob talem contractum juratum largiuntur. Ex quo solùm sequitur, non esse observanda cum eo rigore, quæ vi, aut dolo jurata sunt: & ita fit, cùm possit juramentū relaxari de facili, vel instantanea solutione impleri: & posteà repeti donatum: non autem volunt absque relaxatione non obligare juramentum, cùm in juribus à nobis citatis dicatur, debere absolvi ab eo, qui contra illud operari voluerit; vel obligatum esse ob reverentiam, & honorem Dei ad eius impletionem; cùm sit maxima recepta passim in canonibus à nobis adductis, juramentum debere observari, si absque præjudicio salutis æternæ potest impleri. Et in duabus conditionibus dictis dolus, & metus æquiparantur in jure; nimirum quod juramentum vtroque modo factum possit relaxari: & quod datum est virtute illius, possit repeti. At quia dolus omninò tollit voluntarium, quia nihil volitum est, quod non est præcognitum; ideò juramentum dolo, aut errore extortum est omninò invalidum: quia est simplicitèr involuntarium. Sed quia metus voluntarium simplicitèr non adimit, relinquit voluntarium juramentum, & consequentèr validum; quamvis ratione injuriæ acceptæ possit eius obligatio modis dictis elidi; & sic non est firma, & efficax talis obligatio.

Cæterà adversariorum solvuntur argumenta.

64 Ad secundum respondetur, authenticam illam non esse receptam ab ecclesia, ne via sternatur perjurijs; vel expresè esse revocatam, cap. *Verum* 15. *cap. Si verò* 8. *de Iure jurando, cap. 2. de pactis in 6.* vbi juramentum servandum esse asseritur, quando non vergit in detrimentum salutis æternæ. Nisi mavis dicere, in illa authentica solùm haberi nullius esse momenti juramenta gravi metu extorta: quia de facili possunt relaxari, vel instantanea solutione impleri, & posteà repeti donatum: & sic parvi, vel nullius momenti illorum obligatio in jure æstimatur. ¶ Ad tertium dicendum, quod licèt juramentum metu extortum non afferat consensum omninò liberum; affert tamen simplicitèr liberum, & voluntarium: quod sufficit, vt juramentum validum persistat: vt de contractibus metu celebratis diximus *hoc cap. num. 11.* ¶ Ad quartum dicimus, diversam esse rationem in voto, & juramento: nam in voto solum attenditur, quod res promissa sit Deo grata, ab eoque acceptata; & ipsi gratum non est, nec ab ipso acceptatur, nisi quod bonum, & honestum est; imò quod melius absque vlla coactione liberè, & spontaneè promissum: in juramento autem attenditur, ne Deus falsitatis testis constituatur. Unde semper obligat, quoties absque peccato potest adimpleri, sive res sit bona aliàs, sive indifferens. ¶ Ad quintum dicendum, juramentum sequi conditiones contractus, cui adhæret, quas ex natura rei, vel ex consuetudine, jurevè aliquo positivo habet; præter hoc quod est esse nullum, aut revocabilem: nam potiùs ipsum facit multoties validum, & irrevocabilem contractum, qui aliàs esset nullus, & rescindibilis: & sic in hoc quod est proprium illius, vt distincti ab actu, cui adhæret, non sequitur conditionem illius: nam sæpè accessorium sequitur conditiones principalis, præter illam, quæ est propria vtriusque, per quam adinvicem discernuntur. ¶ Ad sextum fatemur, quod si talem conditionem cogitavit, & saltem mente adjunxit, dum juravit; non obligari juramento: quia poterat ratione injuriæ, quam patitur, talem restrictionem facere. Cæterùm si de ea non cogitavit, sed juravit absolutè, adstringitur juramento: quia istud ideò exigitur, vt talis conditio, quæ aliàs jure naturæ inerat promissioni sic injustè extortæ, excludatur, & promissor non possit vti jure, quod alioqui habebat ratione illius conditionis.

Quis possit valida juramenta confirmantia cōtractum relaxare?

65 Sed in fine huius §. notandum est, omnia juramenta valida, sed quæ non firmant contractum, posse ab Episcopo relaxari, vel ab habente jurisdictionem quasi Episcopalem, vt inquit Sylvester *verb. Iuramentum 4. quæst. 7.* Covarr. *1. variar. cap. 4. num. 5.* Lugo *supr. num. 241.* Villalob. *num. 15.* Trullench. *num. 4.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 32. num. 15.* & hoc licèt juramentum iam violatum sit ex parte: quia scil. transijt tempus pro eius impletione requisitum, quia licèt peccaverit suo tempore non implendo, alter tamen nullum jus acquisivit. Sanchez *numer. 16.* Villalobos *supra numer. 16.* Qui benè addit cum Ledesma *de Matrimon. quæst. 47. art. 3. dub. 3. circa 3. argumentum*, & idem docet Lugo *num. 190.* quod quicumque possunt commutare, vel relaxare juramenta, quæ non vergunt in damnum tertij, possunt ista, de quibus

bus loquimur, quæ verè non ſunt in aliorum præjudicium, qui nullum jus acquiſivere: & ſi nolit relaxationem impetrare, poteſt à Iudice, vel eccleſiaſtico, vel ſæculari (ſi non fuerit de re ſpirituali) impetrare, vt impellat creditorem ad remittendam obligationem juramenti. Imò ipſe Iudex ex officio id poteſt: quia alius nullum jus habet, & cum jurans poſsit repetere, poteſt etiam alium cogere, vt juramentum remittat. Villalob. *num.* 18. Covar. *loc. cit. & cap. Quamvis pactum* 2. *part.* §. 3. *num.* 2. Molina *tom.* 1. *diſp.* 149. *verſ. Aliud accipe.*

§. II.

Quando juramentum contractum irritum, & nullam, ratum, aut firmum reddat?

Quando juramento firmatur contractus?

66 TRiplex circa quæſitum generalis regula eſt aſsignanda, vt cognoſcatur, quando juramentum confirmet contractus nullos, vel validos ad nutum revocabiles, faciatque firmos, & irrevocabiles. Prima ſit, quod quoties contractus à jure irritatur, vel irritabilis, & reſcindibilis redditur, in odium creditoris, non firmatur juramento: nec ſimiliter quando ob bonum commune per ſe, & directè ſimili modo irritatur: at ſi ſolum à jure fiat reſcindibilis in commodum particulare eius, qui juravit, contractus aliàs reſcindibilis redditur irrevocabilis, inducitque obligationem juſtitiæ in eo, qui juravit. Probatur quoad omnes partes hæc regula (quæ communis eſt quoad omnes Doctores) & ſimul exemplis explicatur. Et prima pars hac ratione: quia ſi in odium creditoris jus contractum reſcindit, ab eo omnem actionem, & jus adimit adverſus jurantem: ergo non manet contractus firmus. Licèt juramentum ſit implendum, ſi licitè poſſumus: quia ſemper tenemur Deum non adducere in teſtem mendacij, quoties id fieri poteſt abſque præjudicio ſalutis æternæ. Vt qui latroni juravit centum dare, vel vſurario ſolvere vſuras, vel quodcumque alteri ex metu gravi promiſit ſub juramento. In his enim contractibus ſervandum eſt juramentũ ob reverẽtiam, & honorem divinæ maieſtatis: ſed quia ob injuriam illatam, in odium creditoris reprobantur, adhuc poſt juramentum manent revocabilis, vel nulli.

Quando contractus ob bonum publicum irritatur, non firmatur juramento.

67 Secunda pars conſtat ex dictis *n.* 58. quia quando contractus ob vtilitatem publicam reprobatur, licitè impleri non poteſt: quia nullus particularis renuntiare poteſt privilegio ob bonum publicum conceſſo, eo quod non poteſt jus publicum pacto privatorum tolli, cap. *Diligenti, de foro competenti*; vt juramentum Clerici, qui renuntians foro ſuo promittit ſe comparere coram Iudice ſæculari: juramentum autem non eſt vinculum iniquitatis. Unde hoc juramentum etiam eſt invalidum, vt loco citato diximus, ſicut & juramentum metu extortum appoſitum matrimonio metu contracto, vel ſponſalibus ſimiliter metu contractis; talia enim ſponſalia, & matrimonia eſſe prohibita ob favorem publicum, eo quod odia, lites, & pugnæ, quibus reſpublica perturbatur, ex illis ſequerentur; ac proinde juramentum accidens, non ſolùm non confirmare illa, ſed eſſe invalida, diximus in eius tractatu. Iuramentum etiam, quo quis cogitur jurare profeſsionem, aut alia vota metu extorta: talé enim juramentum eſt etiam invalidum, eo quod tale votum prohibitum ſit ob favorem publicum. Denique juramentum, quo Clericus confirmat donationem factam concubinæ, quod invalidum eſt: quia hæc donatio prohibita eſt in favorem publicæ vtilitatis, & honeſtatis, vt probat Covarr. cap. *Quamvis pactum, part.* 2. §. 1. *num.* 12. Et idem eſt de juramento militis, quo confirmat donationem à ſe factam meretrici, ob eandem cauſam, vt colligunt plures Doctores ex leg. *Miles* 41. §. *Mulier, ff. de teſtament. militis.*

Iuramẽtum appoſitũ cõtractui irritato in favorem jurantis confirmat illum.

68 Tertia verò pars regulæ, nimirum quod ſi juramentum apponatur contractui in favorem jurantis irritabili, confirmat ipſum contractum, probatur: quia quiſque renuntiare poteſt ei, quod in ſuum commodum eſt introductum; & juramentum ſequitur naturam actus conſiderati ſecundum primordialem ſuam naturam, præciſo jure poſitivo, quo variabilis, vel nullus redditur, vt iam diximus. Cum ergo contractus ille ex ſe validus ſit, & invariabilis, & ſolùm fiat variabilis jure poſitivo in favorem jurantis; cum poſsit huic cedere favori, adhæret juramentum illi ſecundùm ſe conſiderato, præciſo privilegio juris poſitivo, & ſic remanet firmus talis contractus: vt in donationibus exceſsivis factis abſque inſinuatione (hoc eſt, non declarando coram Iudice voluntatem ſuam eſſe talia donare, & cum ſubſcriptione tabellionis, de quo infrà) quæ juramento firmantur. Idem de donationibus inter patrem, & filium familias, inter maritum, & vxorem, & donationes rerum, quæ fiunt à minoribus abſque conſenſu curatoris, quæ omnia juramẽto firmantur: ex autentica. *ſacramenta puberum, Cod. ſi adverſus venditionẽ.* Idem de renuntiatione, quam filia facit hæreditatis patris, contenta dote, quando nubet, quæ firmatur juramento, vt tenet Abbas, Immola, & alij in cap. *Cum contingat, de Iure jur.* Idem dicendum eſt de alienatione fundi dotalis facta à marito de cõſenſu vxoris, ſi juramento vxoris de non contraveniendo firmetur, cap. *Cum contingat*, citato.

Iuramẽtum non firmat contractũ ex natura ſua irritum.

69 Sit ſecunda regula, quod ſi contractus ex ſua natura ſit irritus, vel irritabilis, juramento non firmatur; ſed validum eſt juramentum, ſi ſit de re licita. Ratio huius ſecundi conſtat ex multoties dictis: quia juramentum impleri debet, ſi abſque peccato poteſt. Ratio primi eſt, quia juramentum ſequitur naturam contractus, cui adhæret, ſecundum ſuam primordialem rationem, & naturam propriam, quam habet, illique adhæret vt acceſſorium. Undè ſi contractus ipſe ex ſua natura, independentèr à jure poſitivo, irritus ſit, aut irritabilis, illius naturæ conformatur juramentum, & ſic non firmat illum, aut reddit validum. Sic Leſsius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 7. *n.* 56. Villalob. *tr.* 19. *diffic.* 12. *n.* 14. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 16. *dub.* 5. *n.* 14. Lugo *diſp.* 22. *ſect.* 8. *n.* 203. & 205. Bonac. *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *n.* 7. Unde ſi quis juret non revocare teſtamentum, illud implere tenetur, aliàs eſſet perjurus; ſed teſtamentum non confirmatur juramento: quia vſque ad mortem eſt ex ſua natura revocabile. Si quis juret non revocare promiſsionem factam abſenti, antequam acceptetur, non firmatur juramento talis promiſsio: quia ex natura ſua promiſsio eſt revocabilis ante acceptationem: & ideò ſi ante illam revocetur, alius nullum jus adverſus jurantem acquirit.

Iuramẽtum additum cõtractui, qui

70 Sit tertia regula, quando actus talis eſt, vt ipſe, vel promiſsio illius ratificandi, vel non revocandi, inducat obligationem naturalem, con-

habet obligationē naturalem, illum confirmat.

confirmatur juramento, etiamsi aliàs jure civili sit irritus, vel irritabilis, nisi vis, aut fraus intercesserit. Si verò vel fraus, aut metus detur, aut aliàs nulla ex contractu obligatio naturalis consurgat, juramentum non confirmat contractum, licèt aliàs sit validum, & adimplendum ob divinæ maiestatis reverentiam. Duplicem partem habet hæc regula. Prima, quæ est communior inter Doctores, nimirùm juramentum adjunctum contractui, qui ex jure positivo est irritus, vel irritabilis, si inducat obligationem naturalem (vt de contractu minorum absque consensu curatoris diximus *n.*39.& 45.) confirmare probatur, quia contractum, solùm erant revocabiles tales contractus, quatenus lex dabat actionem ad illorum rescisionem petendam; sed jura negant huiusmodi actionem adhibito juramento, & dicunt esse inviolabiliter servandos, cap.*Cùm contingat, de Iur.Iurand.cap.2.eod.tit.in 6.cap.Quamvis pactum, de pactis eodem lib.* ergo juramentum, auferens ommnia remedia juris confirmat tales contractus. Sic Lug. *disp.*32.*sect.*8.*n.* 202. Sanch. *lib.*3. *Decal. cap.*12.*n.*5.Suar.*lib.*2. *de Iurament. cap.* 29. *à n.* 3. Less.*lib.*2.*cap.*17.*n.*56.Trullench.*lib.*7. *cap.* 16.*n.*5. ¶ Similitèr, licèt contractus sit omninò irritus, & nullam obligationem pariat, potest promissio non revocandi naturalem inducere obligationem, cùm talis promissio non sit irrita jure: & sic si accedat juramentum, confirmat illum. Vnde ille contractus sine injuria nequit revocari; quia promissio non revocandi jus tribuit alteri, vt non revocetur contractus.

Quæ sint pacta, quæ juramento firmantur?

71 Ex quo fit, omnes contractus, de quibus datur in jure potestas illos rescindendi, firmari juramento, fierique irrescindibiles; vt sunt omnia pacta nuda, & contractus minorum de re mobili sine auctoritate tutorum; donatio inter patrem, & filium non emancipatum; inter virum, & vxorem, licèt alioqui invalida sit, *per tot.tit. ff.de C. de donatione inter virum, & vxorem*: promissio solvendi, vel non repetendi, quod credito, vel ludo vetito ludens amiserit; quamvis de isto casu verius sit oppositum, cùm nulla detur obligatio naturalis ea solvendi, vt dicemus *cap.*4.*n.*62. saltem jure Castellæ: fideiussio mulieris facta instrumento publico: si enim sine illo, & juris solemnitate fiat, non inducit obligationem naturalem, & sic non firmatur juramento: quamvis alioqui mulier non posset esse fideiussor, *per totum titulum ff. & C.ad Velleianum.* Renuntiatio successionis in paterna hæreditate firmatur juramento, *capit.*2.*de pactis in 6.* Promissio instituendi hunc hæredem, non revocandi testamentum, solvendive centum in pœnam, si testamentum revocaverit; quamvis enim ipsum testamentum per juramentum non firmetur; vt diximus *n.*69. promissio tamen non revocandi juramento firmatur. Etiam donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum firmatur juramento, quamvis alioqui sit jure revocabilis. An verò promissio pœnæ sponsalibus adjectæ, quæ prohibita est in cap.*Gemma, de sponsal.* firmetur juramento? Negativè respondimus *tr.*9.*de matrim.c.*1. *n.*100. Imò tale juramentum invalidum esse, quia versatur circa rem prohibitam ob bonum publicum; tametsi oppositum sit probabile, vt ibidem diximus.

Quãdo cõtractus nullam induxit obligationem, non firmatur juramento.

72 Secundam partem dictæ regulæ, nimirùm quod si contractus aliàs nullam obligationem, etiam naturalem, inducebat, non confirmatur juramento, docent Less.& Suar. *loc.cit.* quamvis oppositum teneant Sanch.& Lug. qui dicunt, omnes contractus, qui jure positivo solùm sunt irriti, etiamsi, suppósito tali jure irritante illos, nullam inducant obligationem naturalem, confirmari juramento. Sed Lug. sibi est contrarius, quia *sect.*10.*n.* 283. nostram sententiam manifestè tenet, cùm inde probet contractus pupilli inducere obligationem naturalem, quia confirmantur juramento: & nihil juramento firmatur, quod ante illud aliquam obligationem; saltem naturalem, non haberet. Quæ est ratio nostræ conclusionis, sic propósita: quia quando nulla prorsus subest obligatio, non habet locum confirmatio illius: non enim confirmatur, aut revocatur, nisi quod vim habet, vel debilem, vel infirmam: ergò juramento non firmatur contractus, qui ante illud nullam obligationem, saltem naturalem, inducebat. Maximè, quia in altera parte nullum jus est, cùm nulla detur ex parte alterius obligatio; sed quando nullum datur in altera parte jus, nulli fit injuria, si contractus rescindatur: ergò, relaxato vinculo juramenti, rescindi potest talis contractus, & sic non confirmatur illo juramento: quamvis, quia sine peccato servari potest tale juramentum, ob obligationem religionis servandum sit, ob divinum honorem, & reverentiam.

Quid ex dicta regula sequatur?

73 Ex ista secunda parte regulæ sequitur, contractus rerum immobilium minorum, aut pupillorum absque auctoritate Iudicis celebratos non firmari juramento: nec contractus prodigi, cui est assignatus tutor absque licencia illius: nec reliquos contractus, qui non observant solemnitatem substantialem assignatã in jure: quia cum omnes isti sint jure ipso irriti, & non inducant obligationem, etiam naturalem, & in conscientia, non possunt juramento firmari: nec omnes illi, in quibus fideiussor non obligatur etiam civilitèr, quia, vt diximus *n.*45.fideiussor civilitèr obligatur, quando principalis manet saltem naturaliter obligatus: nec omnis promissio de re prohibita, vel quæ non est in potestate promittentis. Denique illæ promissiones, de quibus est probabile, non inducere obligationem naturalem, vt contractus metu extortus, contractus minorum sine curatorum licentia, de quibus diximus *n.* 10.& 44. probabile etiam est non confirmari juramento: & ideò quia probabile est, donationem omnium bonorum præsentium, & futurorum, promissionem instituendi hunc hæredem, promissionem non revocandi testamentum non esse validas, nec inducere obligationem naturalem; probabile etiam est non firmari juramento, & sic posse tale juramentum absque præjudicio alterius relaxari.

PUNCTUM VIII.

Quid sit restitutio in integrum? Et quibus hoc beneficium restitutionis concedatur?

Quãdo restitutio in integrũ locũ habeat, & quousque duret?

74 REstitutio in integrum est *Prioris status redintegratio*, vt inquit *Sylvester, verb. Restitutio, initio*, & locum habet quando contractus fuit quidem ratus mero jure, & secundum communem juris formam, sed in favorem læsi in irritum revocatur auctoritate Iudicis, & sic propriè locum non habet, quando ab initio contractus fuit nullus. Hoc beneficium præcipuè concessum est minoribus, si antequam 25. annos compleverint, dãmnum acceperint in aliquo con-

contractu, non satis prudenter, aut circumspectè facto, *leg.* 3. *& 5. C. de in integr. rest. min.* quod verum est, tametsi contractus iste factus sit de auctoritate tutoris, aut curatoris, vel etiam Iudicis, *ex leg.* 1. *& seqq. ff. de minor. & ff. de in integ. rest.* quia illorum auctoritas facit quidem contractum ratum; non tamen tollit beneficium restitutionis in integrum. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 4. *disp.* 1. *dub.* 16. *n.* 344. *&* 359. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *punct. vlt. n.* 13. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9. *n.* 63. Potest autem hæc restitutio fieri, vel rescindendo contractum, vel quod alius reddat prætium faciendo, in quo læsus fuit minor, etiamsi sit infra dimidium. Durat autem hoc beneficium restitutionis adversus omnes contractus, in quibus læsus fuit minor, si celebrati sunt ante 25. annum expletum, quatuor annis post dictos viginti quinque annos: & sic vsque ad 29. *leg. final. C. de tempor. in integr. rest.*

Debet minor ex vi contractus laedi, vt restituatur.

75 Itaque vt beneficium restitutionis in integrum locum habeat, debet minor esse læsus ex vi contractus in aliqua notabili quantitate. Si enim vel prudenter, vel rectè factus fuit contractus, vel in parva quantitate fuit læsus, non habet locum dictum privilegium, quia pro læsione levi, quæ in jure pro nihilo reputatur, non conceditur restitutio, *leg. Scio, ff. de rest. in integr.* Parvitas autem, aut levitas non solùm absolutè, sed etiam respectivè ad totam quantitatem, de qua agitur, pensanda est: & hæc læsio non solùm debet expectari in damno emergente, sed etiam in lucro cessante. ¶ Imò ex vi contractus debet hæc læsio provenire, vt locus detur restitutioni, non si aliunde per accidens; quod arbitrio prudentum pensandum est; sed tunc prudenter judicatur ex vi contractus damnum provenire, quando eum contractum minor celebravit, ex quo nullam potest reportare vtilitatem, sed solùm damnum. ¶ Nec ex eo læsus censendus, quod, re ipsius vendita, præsentet se alius, qui plus offerat, vt inquit Less. *n.* 69. Villalob. *tract.* 19. *diff.* 11. *n.* 8. Quia si justo pretio vendita, est, & eo loco, & pretio, quo prudens venderet, non potest petere beneficium restitutionis, *leg. Verum* 11 *ff. de min.* sed tunc potest dari, quando vendita est, vel infrà justum pretium, vel non debito tempore, aut indebitis circumstantijs. ¶ Sed, etiam si modo dicto læsus fuerit minor ex vi contractus, non est licita occulta compensatio, quia lex solùm concedit hanc recuperationem mediante Iudicis sententia, *leg. Si curatorem* 3. *C. de in integr. restit. minor.* nisi tamè clarè constet de injusta læsione, quia tunc, servatis regulis compensationis, posse fieri, rectè docet Dicastill. *n.* 365. Bonac. *n.* 19. Sanch. *lib.* 6. *de matrim. disp.* 38. *n.* 32.

Casus recensentur, quibus potest minor restitui.

76 Quibus suppositis, inquires primò, quibus in casibus possit minor vti beneficio restitutionis in integrum? Respondetur, quod in multis casibus. Primo, si ex venditione læsus est, quia nimirùm rem minoris justo vendidit, etiam infrà dimidium, poterit tunc agere ad recuperandum justum pretium; & si oporteat rem non vendere, poterit ad eam recuperandam contra quemcumque possessorem agere, vt inquit Anton. Gomez *tract.* 2. *cap.* 14. *num.* 7. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9. *n.* 36. ¶ Secundò si læsus est in mutuo accepto, quia nimirùm pecuniam, quam mutuo recepit, amisit, aut inutiliter consumpsit, potest restitui, & solùm solvere id, in quo factus est locupletior. Quod advertere deberent omnes, qui cum minoribus mutuo contrahunt, non adhibito fideiussore, qui se exponunt periculo amittendi, quod mutuantur, vt advertit Tapia *lib.* 5. *q.* 16. *art.* 8. *n.* 2. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 11. *n.* 2. Less. *loc. citat.* ¶ Tertiò si debitor pecunias debitas illi solvat, non interveniente auctoritate tutoris, vel curatoris; tunc enim solutio nulla est civiliter; & sic solvens liber non manet, nisi pecunia in specie duret, vel in æquivalenti, vel sit conversa in vtilitatem minoris. Verum quia solutio valida fuit naturaliter, non tenetur debitor in conscientia iterum solvere, nisi post sententiam Iudicis, vt inquit Bonac. *num.* 9. Villalob. *n.* 5. Dicastill. *n.* 357. Si verò authoritate curatoris facta fuit solutio, manet liber debitor. At potest minor, si res deperdita, vel inutiliter consumpta fuit, vti beneficio restiturionis; & tunc debitor habebit actionem adversus curatorem, cuius auctoritate fuit facta solutio. Cæterùm si compulsus fuit Iudicis auctoritate solvere, liber perfectè manet, nec locus datur beneficio restitutionis. Tapia *n.* 3. Villalob. *n.* 2, Less. *n.* 63. ¶ Quartò si contractu gratuito sit notabiliter læsus, vt si donavit rem magni valoris; sed non censetur læsus, & sic non datur locus restitutioni, si ex rationabili causa donatio facta est, quia tunc prudenter, & secundum rectam rationem fuit exhibita, vt si facta fuit propter obsequia ab altero accepta, quæ decet remunerari, & propter nuptias, sponsalitia largitate, considerata qualitate personarum, & consuetudine regionis, *leg.* 1. *C. si adversus donationem.* Lessius, Villalob. Dicastillo, & Tapia, *locis citat.* ¶ Quintò, si læsus est in quasi contractu, vel quia lucrosam hæreditatem repudiavit, vel quia acceptavit damnosam: vel si læsus est in electione, eligendo deteriorem partem, vt videre licet apud Auctores citatos.

Plures casus, quibus minor non potest vti beneficio restitutionis.

77 Inquires secundò, in quibus casibus non possit minor vti beneficio restitutionis? Respondetur, quòd in multis casibus. Primò, si contractum prudenter celebravit, eo modo, quo prudens quilibet celebrasset, quia tunc non est læsus ex vi contractus, sed aliunde: vt si equum debito pretio emit, non potest restitui, etiamsi equus postea moriatur. Si contractum inijt, ex quo æqualiter exponit se periculo perdendi, & lucrandi, quia tunc prudenter celebratur contractus, & sic beneficio vti non potest restitutionis, vt ex leg. *Verum*, *§. Secundum*, *ff de minorib.* probat Sanchez *lib.* 6. *de matrimon. disput.* 38. *num.* 41. Thuscus *tom.* 7. *concluf.* 288. Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct. vltim. num.* 3. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 16. *numer.* 345. ¶ Secundò, si contractum in minore ætate celebratum factus iam maior ratificat, *leg.* 1. *&* 2. *C. si maior factus ratum habuerit.* Vel, etiam si in minori ætate, contractum juramento firmavit: ex authentica, *sacramenta puberum*, *Cod. si adversus venditionem*, quia contractus firmatus juramento fit instar maioris, vt docent Tapia *suprà*, *num.* 4. Bonacina *num.* 3. *§. Quintò*, Dicastillo *num.* 348. Villalobos *numer.* 4. Malderus *tract.* 5. *cap.* 1. *dub.* 3. *fine.* At si vi, aut dolo coactus fuit juramentum adhibere, ob injustitiam, quam passus fuit, potest obtinere relaxationem juramenti, & tunc fungi beneficio restitutionis, quia per juramentum vi, aut dolo extortum non confirmatur contractus. Idem dicendum est, si impubes juravit, quia judicium infirmum censetur in illa parte: & sic impubertas sufficiens est causa relaxationis juramenti, sicut metus, aut dolus,

vt

vt inquit Covar. cap. *Quamvis pactum, de pactis, p.* 3. §. 1. *n.* 4. Sed in hoc casu impubertatis posse à tutore irritari juramentum, ex cap. *Pueri* 22. *q.* 5. probat Less. *lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 61. Imò etiam à curatore tota ætate minoris posse tale juramentum irritari, docet Villalob. *tract.* 34. *diff.* 19. *n.* 10. ¶ Tertiò si fecit renuntiationem bonorum ante professionem, iuxta formam Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. *de Regular.* non potest deinceps restitutionem petere, quia civiliter, hoc est fictione juris, fuit mortuus, *leg. Deo nobis, Cod. de Episcop. & Cler.*

Qui fructus percepti in hac restitutione cõprehendantur?

78 Inquires tertiò, vtrùm in hac restitutione in integrum comprehendantur fructus percepti ex re à minore vendita, vel donata? Respondetur, quod si res alienata fuit contractu gratioso, aut donatione, &c. restitui debent omnes fructus, deductis expensis in illis colligendis, vt omnes Doctores tenent, quia tunc læsus fuit, non solum in alienatione rei, sed etiam fructuum. At si res alienata fuit contractu oneroso, nimirùm venditione, justo pretio recepto; tunc restitui fructus non debent. Tùm, quia non censetur læsus in alienatione horum fructuum, quia sicut emptor ex re fructus percipit, sic vendens poterat ex pretio fructus percipere: & suæ adscribat negligentiæ, si eos percipere prætermittit. Tùm etiam, quia quando res justo pretio venditur, solùm censetur damnosus contractus minori, quia expediebat rem illam non alienare, non ratione fructuum, qui per aliquot annos possent percipi, cùm pretium, vt supponimus, æquivalens illis acceperit: ergò solùm poterit repeti res ipsa in restitutione, non verò fructus illius, vt docent Molin. *tom.* 2. *disp.* 575. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *n.* 364. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 10. *n.* 71. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *punct. vlt. n.* 18. licet alij oppositum satis probabiliter teneant.

Minor tuta conscientia potest vti beneficio restitutionis.

79 Inquires quartò, an possit tuta conscientia minor, cui solutio legitimè facta est, vti beneficio restitutionis, & iterum repetere illam? Respondetur affirmativè, quia aliter leges concedentes hoc beneficium non essent justæ, cùm peccata foverent, si actionem darent minori adversus alios, qua licitè vti non posset: sunt autem justæ, quia cedunt in bonum commune, vt fraudes, & damna evitentur, quibus illa ætas exposita est; & sic ob periculum fraudis, & erroris meritò introductæ sunt: & quia non fraudem ipsam præsumunt, sed eius periculum, quod semper adest, semper in suo robore persistunt, etiãsi nulla fraus de facto detur. Vnde privilegio illarum potest vti minor, vt in integrum restituatur ei ex contractu, deperditum, juxta dicta *à num.* 76. Tapia *lib.* 5. *q.* 16. *art.* 8. *n.* 5. Villalob. *tract.* 19. *diff.* 11. *num.* 5. Rebellus 2. *part. lib.* 1. *q.* 8 *sect.* 5. *n.* 55.

Diversi enumerantur, quibus hoc beneficium restitutionis potest competere.

80 Inquires quintò, quibus (præterminores) concedatur hoc beneficium restitutionis in integrum? Respondetur, quod in primis conceditur hoc privilegium ecclesijs, & alijs pijs locis vt Monasterijs, Hospitalibus, &c. Quæ sicut minores possunt restitui post quatuor annos à celebratione contractus in casibus, in quibus diximus minores posse modo dicto restitui, servata proportione, *cap.* 1. & 2. *de restitutione in integrum in* 6. Sed si enormiter ecclesia læsa sit ex contractu; amplius quàm quadriennium conceditur, vt docet Covar. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 66. Villalob. *num.* 7. Dicastillo *tract.* 3. *disp.* 1. *num.* 363. Qui rectè notant, hoc privilegium non convenire ecclesiasticis particularibus in suis privatis contractibus, quos private nomine faciunt. ¶ Deinde reipublicæ, & cuivis oppido convenit hoc privilegium, *leg.* 4. *C. quibus ex causis maiores*, &c. & similter supremis Principibus quoad bona Principatus alienata, quia talia bona ad rempublicam pertinent. ¶ Præterea convenit etiam Vniversitati studiorum, juxta Panormitan. *cap.* 1. *de in integr. restit.* Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *punct. vltim. n.* 24. Malder. *tract.* 5. *cap.* 1. *dub.* 3. *fine.* ¶ Interdum etiam conceditur rudibus, vt rusticis, & mulieribus, vt inquit Less. *n.* 67. Villalob. *n.* 7. Bonacin. *n.* 25. Tapia *lib.* 5. *q.* 16. *art.* 8. *n.* 7. ¶ Ac denique militibus tempore, quo sunt in bello, & absentibus causa reipublicæ, *Titulo de re militari, per totum.* Sed his non conceditur restitutio quantum ad contractus, quos per seipsos celebrant, sed quoad præscriptionem, ne procedit contra illos. Sic Molin. *tom.* 2. *disp.* 574. §. *Militi.* Tapia *n.* 7. Villalob. *n.* 7. Dicastill. *n.* 377.

CAPUT II.

De contractu emptionis, & venditionis.

EMptio, & venditio correlativa sunt, ita vna sine alia nequat reperiri, nec vna absque alia contractum efficiat; sed vtraque vt pars essentialis adintegrat contractum emptionis, & venditionis, de quibus hoc Capite agemus, quod duodecim continet Puncta.

Punct. I. *De emptionis, & venditionis contractu, quomodo perficiatur? & quas conditiones requirat?* num. 1.

Punct. II. *Quando rei dominium per venditionem acquiratur? Cuius periculo pereat? & cuius sint fructus illius?* num 5.

§. I. *An post pefectam venditionem statim emptor rei dominium acquirat?* numer. 6.

§. II. *Cuius periculo res vendita pereat nondum emptori tradita?* num. 10.

§. III. *Ad quem pertineant fructus rei venditæ antequam dissolvatur contractus?* num. 14.

§. IV. *Ad quem pertineant fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractus dissolvitur?* numer. 21.

Punct. III. *Qui possint emere, & vendere? & quæ res sint materia huius contractus?* num. 26.

Punct.

Punct. IV. *Vtrum sit illicita negotiatio, quæ emendo, & vendendo fit, saltem aliquibus personis?* num. 34.
§. I. *Clericis, & Religiosis prohibita est negotiatio emendo, & vendendo rigorosè sumpta?* num. 35.
§. II. *Quibus in casibus negotiatio per emptionem, & venditionem sit omnibus illicita?* num. 43.
Punct. V. *An omnia monopolia sint illicita, & contra justitiam?* num. 51.
Punct. VI. *Vtrum venditio cum pacto retrovendendi, vel emptio cum pacto retroemendi licita sit?* num. 59.
Punct. VII. *Vtrum emptiones, & venditiones reciprocæ eiusdem rei diverso pretio, quæ vulgò* mohatras, *vel* varatas *dicuntur, licitè possint exerceri.* num. 67.
Punct. VIII. *Vtrum illi, quibus aliquid traditur ad vendendum, qui vulgò dicuntur* los corredores, *possint sibi aliquid ex pretio retinere; si pluris vendant rem, quàm eis à domino fuit præscriptum.* num. 71.
Punct. IX. *Vtrum excedere pretia justa rerum in venditionibus, & emptionibus sit peccatum contra justitiam obligans proinde ad restitutionem?* num. 77.
§. I. *Pretia justa rerum excedere, vel minuere, est contra justitiam obnoxium restitutioni.* num. 81.
§. II. *De pretio naturali, seu vulgari, vnde sumatur? Et quibus ex capitibus crescere, vel decrescere communiter contingat?* num. 97.
§. III. *De valore rerum legitimo, seu de illo, qui à publica potestate meta indivisibili taxatur.* num. 110.
Punct. X. *De lege taxativa pretij frumenti, quæ in Hispaniæ regnis reperitur.* mer. 120.
§. I. *Aliquæ difficultates pro praxi necessariæ dissolvuntur circa taxationem frumenti.* num. 122.
§. II. *An lex taxativa tritici obliget in annis magnæ sterilitatis alicuius provinciæ?* num. 131.
§. III. *De taxa panis, quando in farina, vel iam coctus venditioni exponitur.* num. 136.
Punct. XI. *Vtrum liceat vendere carius ob dilatam solutionem? Vel vilius emere ob solutionem rei traditioni anticipatam?* num. 139.
§. I. *Res ad creditum vendita carius vendi non potest, sed aliquibus titulis, & conditionibus solet talis venditio honestari.* num. 140.
§. II. *Vtrum illas res, quæ frequentèr emi solent anticipata solutione, liceat minoris emere, quàm aliàs sit justum pretium? Vel è contra carius liceat vendere res, quæ frequentèr vendi solent ad creditum ob solutionem dilatam?* num. 148.
§. III. *Vtrum debita, seu credita, vel chirographa, vulgò*, las letras, ò libranças, *possint minoris emi, quam continent per hoc, quod solutio illarum anticipetur?* num. 155.
Punct. XII. *Vtrum vitium rei venditæ teneatur venditor emptori detegere, vel è contra emptor teneatur bonitatem rei emptæ venditori manifestam facere?* numer. 162.
§. I. *Si defectus rei vendendæ in damnum, vel periculum emptoris cedat, omninò detegendus sit à venditore sub onere restitutionis.* num. 163.
§. II. *Quomodo teneatur venditor defectus circa substantiam, circa quantitatem, & qualitatem rei vendendæ detegere?* num. 170.

PUNCTUM I.

De venditionis, & emptionis contractu, quomodo perficiatur? & quas conditiones requirat?

1 VArias huius contractus diffinitiones Authores assignant, quia, vt inquit Cardinalis Lugo, facilius conciptur, quàm explicatur. Nobis sic diffiniendus est, prout ex emptione, & venditione coalescit: *Contractus, in quo de merce pro pretio determinato, & de pretio pro merce determinata paciscitur, duorumque consensu* Diffinitio proponitur: & materia ac forma huius contractus explicatur.

ſenſu completur nimirùm vendentis, & dantis rem pro pretio, & ementis ac dantis pretium pro re. Nomine mercis, ſeu rei veniunt omnes res mobiles, & immobiles, actiones, & jura, quæ pecunia æſtimari, & compenſari ſolent: & nomine pretij ipſum numiſma, quod pretium eſt omnium rerum. Pro quo nota ex D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. originem huius contractus ortum habuiſſe à permutatione rerum primitus vſitata, quando homines non habebant pecunia, & ſic vnam rem pro alia permutabant: & qui triticum habebat, cum alio, qui habebat lanam, aut vinum, permutationem faciebat, vt ſic vtriuſque occurreretur neceſsitati. Sed quia talis modus contrahendi erat humano convictui non parum incommodus, aut difficilis, quia non ſemper vnus rem habebat, qua indigebat alius; & ſi habebat, pretium vtriuſque, & æſtimationem demetiri non erat facile, inventum fuit numiſma, quo commodius poſſent convivere, & quærere neceſſaria pro nummis, qui æquivalent omnibus rebus, & dantur in pretium pro eis. ¶ Vnde ad iſtum contractum vt materia requiritur, & pecunia, quæ ex parte ementis dicitur pretium; & res, ſeu merces, quæ ex parte vendentis exhibentur; ſi enim pecunia pro pecunia, aut res pro re daretur, non eſſet venditio, ſed permutatio, mutuum, aut cambium. At ſi pro merce partim res, partim pecunia offeratur, ex prævalenti erit venditio, vel permutatio, in ordine ad tributum, vel gabellam ſolvendam; ita vt ſi maior pars pecuniæ fuerit, erit venditio: ſi maioris æſtimationis res, quæ cum pecunia datur, permutatio, *leg. Quidquid. §. final. ff. de acquirendo rerum dominio.* Quod ſi ſint paris valoris, vel ferè paris, cenſebitur talis contractus, qualem ipſi contrahentes intenderint. Lugo *diſp. 26. ſect. 1. num 6.* Molina *diſp. 336. fine.* Palaus *diſp. 5. punct. 1. num. 1.* Villalob. *tract. 21. diff. 1. n. 4.* Bonac. *diſp. 3. q. 2. punct. 1. n. 7.* Leſsius *lib. 2. cap. 21. dub. 1. n. 2.*

Vt validus ſit contractus venditionis, debet determinari pretium.

2 Dicitur autem in diffinitione, quod ſit *pro pretio determinato*, quia vt contractus venditionis ſecundum ſubſtantiam perficiatur, & validus exiſtat, certum, & determinatum pretium debet aſsignari, *§. Prætium, Inſtit. de emption. & vendition. leg. Regia 1. & 9. tit. 1. part. 5.* Vndè ſi remittatur pretium emptoris voluntati, vt det, quod ſibi placuerit, nullus erit talis contractus, *leg. Quod ſæpè, ff. de contrahenda emption.* Sed ſi alterius tertiæ perſonæ judicio remittatur, vt pretium, quod ipſe decreverit, detur, valet ex tunc contractus, *leg. vltim. C. de contrahend. emption.* quamvis abſolutus non erit, vſque dum à tali tertia perſona pretium aſsignetur: & eo aſsignato, perficitur, & fit purus; & ex tunc gabella debetur. Debet igitur, vel determinatum pretium aſsignari, vel judicio tertiæ perſonæ determinatio remitti, vt venditio valida ſubſiſtat; ita vt recedere nulli parti ſine alterius conſenſu liceat. Leſſ. *lib. 3. cap. 12. dub. 1. n. 3.* Bonacin. *diſp. 3. q. 2. punct. 1. n. 6.* Villalob. *tract. 21. diff. 1. n. 7.* Palaus *diſp. 5. punct. 1. n. 2.* Molin. *diſp. 336. §. Vt emptio.* Quod ſi res juſto pretio vendatur, non determinando aliquid, communis tenet ſententia, non valere ob pretij incertitudinem. Sed Palaus *n. 4.* aſſerit validum eſſe, quia ſi remittendo alterius judicio pretium, validus contractus ſubſiſtit, quanto magis ſi Iudicis arbitrio ſe conferat venditor? Verius dicendum eſt, quod ſi pretium ſit lege taxatum, tunc perfici venditionem, quia iam cenſetur determinatum. Secus verò ſi taxatum non ſit, quia tunc cum communi ſententia tenendum eſt, non perfici ob pretij incertitudinem. Quod ſi res vendita ſit ſub pretio aſsignando judicio prudentum, perfici venditionem, aſſerit Dicaſt. *tract. 9. diſp. 1. n. 20. ex leg. 12. tit. 13. part. 5.*

Etiam merces determinatæ eſſe debent ad valorem huius contractus.

3 Dicitur etiam in diffinitione, quod ſit *pretium pro merce determinata*: quia ſicut determinatio pretij requiritur, ſic determinatio rei vendendæ in genere, vel in ſpecie. Vnde non erit perfecta venditio; vel quoad effectum contrahendi debitum gabellæ, vel non reſiliendi, fructus percipiendi, & aliorum, quæ ad perfectam venditionem ſequuntur, ſi res indeterminata ſit: vt ſi ex multis vendatur vnum, nullo in particulari aliqua ratione aſsignato, *leg. 1. ff. de periculo, & commodo rei venditæ, leg. 24. & 25. tit. 5. p. 5.* Sufficit autem ſi ſit talis res determinata, etiamſi ignoretur qualis, aut quanta ſit. Vt quando ſolùm emitur res in ſpe; tunc enim ſaltem ſpes eſt determinata, licèt non ſit res illa, quæ emitur. Qua ratione poteſt emi jactus retis in flumen pro capiendis piſcibus. Item, quod capietur ex venatione: hæc enim ſunt prætio æſtimabilia, ſicut & fructus agrorum, & partus pecorum. Dicaſtill. *n. 6.* Bonac. *punct. 2. n. 4.* Lug. *diſp. 26. ſect. 3. n. 15.* & tunc pretium debetur, etiamſi nihil capiatur, niſi aliunde de mente contrahentium conſtet, *leg. Nec emptio, ff. de contrahenda empt.* Si tamen piſcator, aut venator in cauſa eſſet, vt piſces, vel animalia non caperentur, teneretur emptori de intereſſe: argumento textus in leg. *Si jactum, ff. de act. empt.*

Ante traditionē rei, vel pretij iſte contractus perficitur.

4 Denique in diffinitione dicitur, quod *conſenſu vtriuſque perficitur*, loquendo de perfectione ſubſtantiali: nam venditio eſt de illis contractibus, qui quoad ſubſtantiam, & inducendam obligationem non recedendi, perficiuntur ſolo conſenſu contrahentium ſignis externis explicato, vt diximus *cap. præced.* & hoc licet res, aut pretium non tradatur: quamvis dominium non transferatur, niſi illis traditis, vt *punct. ſeq.* dicemus. Vnde fit, quod poſtquam emptio, & venditio completæ ſunt vtriuſque libero conſenſu, nullus contrahentium poteſt recedere à contractu. Et quia talis contractus ſolo conſenſu perficitur, poteſt fieri inter abſentes per nuntium, vel epiſtolam. Et quia traditio rei non eſt de eſſentia huius contractus, ſi gabella, aut tributum ſolvendum eſt propter, illum debetur ei gabellatio, qui tunc eſt, ab inſtanti, quo perficitur, etiamſi res non tradatur, aut pretium illius, vt benè docent Villalob. *tract. 21. diff. 1. n. 3.* Palus *diſp. 5. punct. 1. n. 1.* Fr. Ioan. Martin. à Prad. *cap. 27. q. 1. n. 5.* Bonac. *de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 1. n. 5.* Dicaſtill. *lib. 2. tract. 9. diſp. 1. num. 25.* Leſsius *lib. 2. cap. 21. n. 1. §. Porrò, & num. 3.* Lugo *diſp. 26. ſect. 2. num. 5.* Tametſi oppoſitum teneant aliqui non improbabiliter, qui putant, non deberi gabellam: niſi re tradita, quia tunc dicunt perfici contractum, & non antea. Sic Thuſcus *tom. 4. §. Gabella, concluſ. 5. num. 32.* Vazquez *cap. 2. de reſtitutione, §. 2. dub. 6. num. 27.* Petr. Navar. *lib. 3. de reſtitut. cap. 1. punct. 3. dub. 9.* Verum eſt, quod ſi conventum ſit inter contrahentes ante ipſam venditionem de conficienda ſcriptura, non perficitur contractus; ac proindè nec gabella pro illo debetur, vſque dum ſcriptura conficiatur, vt diximus *loc. cit. n. 5.* quia tunc non datur conſenſus abſolutus, ſed conditionalis, vſque ad confectionem ſcripturæ.

Et

Quid de venditione sub conditione celebrata sentiendum sit?

5 Et idem est de alijs conditionabilibus venditionibus, quæ non perficiuntur, vsque dum conditio impleatur. Vel si ipsi contrahentes paciscerentur, non perfici contractum, nisi re tradita, aut pretio. Impleta tamen conditione, contractus remanet perfectus, & fictione juris retrotrahitur ad tempus, pro quo fuit celebratus, ac si tunc temporis consensus fuisset absolutus, vt ex leg. *Cui balneum, §. Amplius, leg. Potior* 11. *ff. qui potiores in pignor.* ostendunt Rebel. 2. *p. lib.* 1. *q.* 3. *sect.* 1. Azor 3. *p. lib.* 8. *cap.* 26. Molin. *disp.* 337. *n.* 5. Dicastill. suprà, *n.* 23 Less. *n.* 3. modo contrahentes, & res ipsæ tempore celebrati contractus habiles essent ad illum; & modo conditio non esset potestativa, sed casualis, vt dicemus puncto sequenti, vbi vtramque explicabimus. ¶ Vnde sequitur, gabellas, quæ solvendæ essent ex emptione, aut venditione antea celebratis; persolvendas esse priori gabellario, cui debebantur, quando primò initus fuit contractus, & modo, quo tunc currebant; non verò successori, si ante conditionis eventum mutati sunt gabellarij. Less. *loc. cit.* Molin. *n.* 10. Dicastil. *n.* 26. Antonius Gomez 2. *variar. cap.* 12. *n.* 30.

PUNCTUM II.

Quando rei dominium per venditionem acquiratur? Cuius periculo pereat? & cuius sint fructus illius?

HÆc omnia in hoc Puncto coniungimus ob connexionem doctrinæ, quam habent; sed diversis paragraphis explicanda sunt à nobis, vt clarius, & distinctius procedamus.

§. I.

An post perfectam venditionem statim emptor rei dominium acquirat?

Ante traditionem rei dominium per emptionem non transfertur.

6 PEr solam venditionem, ante traditionem rei transferri dominium rei ad emptorem in conscientia, dixit Petrus Navar. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 218. & *cap.* 2. *dub.* 13. *num.* 13. Sed oppositum, & meritò, tenet communis sententia, asserens sine traditione; etiam perfecta venditione, dominium rei non transferri: *§. Vtique, Institut. de emption. & vendition.* ibi: *Quinondum emptori tradidit rem, ad huc ipse dominus est.* Idem habetur *§. Per traditionem*, & tribus sequentibus, *Instit. de rerum divisione, leg. Traditionibus, C. de pactis*, ibi: *Traditionibus, & vsucapionibus dominia rerum transferuntur.* Et ratio est, quia emptor ante traditionem ex natura huius contractus solùm habet jus ad rem, vt scilicèt illi tradatur, non verò jus in re; & sic illa obligatio non est ipsius rei, sed venditoris. Vnde si venditor ante traditionem alteri secundò vendat, & tradat, secundus emptor comparat dominium illius, & non tenetur eam tradere priori emptori, vt expressè habetur leg. *Quoties, C. de rei venditione, leg.* 50. *Regia, tit.* 5. *p.* 5. Vnde per solam venditionem, non sequuta traditione, etiamsi pretium solutum sit, non acquiri rei dominium, tenent Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *vers. Cæterum, & disp.* 3. *vers. Illud hoc loc.* Anton. Gom. 1. *variar. cap.* 2. *n.* 1. & *tom.* 2. *cap.* 15. *ad finem.* Covar. alijs citatis 2. *variar. cap.* 19. *n.* 1. Angel. *verb. Dominium sine*, & *verb. Emptio* *n.* 2. Sylvest. *verb. Emptio, n.* 2. & *verb. Dominium, num.* 4.

Quomodo ante solutionem pretij possit, vel non dominiũ trãsferri?

7 Imò etiamsi venditio perfecta sit quoad substãtiam, & res tradita emptori, non transfertur in eum dominium illius, quousque solvat pretium, vel alio modo satisfaciat venditori, nimirùm vel offerendo pretium, vel dando fideiussorem, aut pignus, nisi qui vendit, illi fidat, & pretium pro soluto habeat. Quolibet autem ex his existentibus, cum rei traditione dominium illius in emptorem transfertur. Si autem emptor rem secum ferat, promittendo se statim soluturum pretium, vel post talem terminum, & non faciat, rei dominium non acquiritur, vt habetur §. *Vendite, Instit. de rerum divisione.* Et si eam emptor alienaverit, potest repeti à venditore, vbicumque inventa fuerit: quia per venditionem, non soluto pretio, aut fide data de illo, venditor non amisit rei dominium, & res vbicumque est, domino competit, ab eoque potest recuperari. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 1. *n.* 10. Bonacin. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 1. Azor. 3. *p. lib.* 8. *cap.* 26. *quæsit.* 3. Molin. *tom.* 1. *disp.* 338. *vers. Quoad* 2. Quare, non sequuta vtrinque traditione, nimirùm pretij ex parte emptoris, & rei ex parte venditoris; censetur adhuc incompletus contractus, quia licèt secundum substantiam completus sit, non tamen habet vltimum suum complementum, ad quod contrahentes pervenire intendunt. Vnde fit, quod si emptioni, aut venditioni pœna aliqua apponatur, intelligenda est de actibus per traditionem completis, nisi expressè Legislator aliud intendat, vt inquit Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *n.* 1. *§.* 1. *Porrò.*

Cui tradenda est res duobus vẽdita?

8 Ex his deducitur resolutio illius quæstionis, cui nimirùm debeatur res, quæ in solidum fuit duobus vendita emptoribus? Ad quod dicimus cum communi sententia, quod si res nulli tradita est, debetur priori emptori, qui sicut fuit prior tempore, est potior in jure: & quia res illa non potuit vendi secundo emptori sine injuria prioris: huic ergò tradenda est. Si autem vni priori solùm erat vendita, & iam tradita secundo, debita est huic secundo, *leg. Quoties* 15. *Cod. de rei venditione, leg. Traditionibus* 20. *Cod. de pactis*, quia prior per venditionem solùm acquisivit jus ad rem, non verò dominium rei. At secundus emptor per traditionem jus in re acquisivit, eiusque dominium; vnde est potior in jure, & sic alteri præferendus, vt docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 20. *n.* 121. Cavar. *lib.* 2. *variar. cap.* 19. *n.* 1. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 16. *art.* 19. *num.* 3. Malder. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 14.

9 Sed datur huius doctrinæ exceptio casu, quo posterior emptor habeat ex jure privilegium, vt res empta sine traditione transeat in eius dominium: vt quando aliquid venditur ecclesijs, locis pijs, & civitatibus, iuxta leg. *final. Cod. de sacrosanct. eccles.* quia tunc tradenda est tali emptori privilegiato, etiamsi priori tradita esset; quia non potuit dominium acquirere, & sic debet restitui ei, qui ex prædictis privilegiatis priùs emerat, solo celebrato contractu, vt tenent prædicti Authores. Idemque dicendum est de emptoribus, quibus in securitatem contractus res fuit hypothecata: quia qui habet pignus, est simplici creditori præferendus, maximè in ipso pignore. Vnde quamvis alij tradatur, hic non poterit eius dominium

nium comparare: vt tenent Covavar. *n.* 7. Malder. & Leſſ. *loc. cit.*

Doctrinæ præcedentis exceptiones.

10 Verum eſt, quod ſi aliquis ex dictis emptoribus privilegiatis, vel ſecundus emptor, cui res tradita fuit, mala fide procedant, quia conſcij prioris contractus rem emerant, prior emptor poterit ab illis rem evincere, tanquam in fraudem ipſius alienatam, etiamſi illis tradita fuerit: & ſic, nullo ſuffragante privilegio, priori emptori eſt reddenda, vt communiter docent Doctores cum Gloſſa, cap. *Si tibi abſenti, n. 6.* ſponte tamen tradere illam priori non tenentur, vt docet Leſſ. illo dub. 20. *n.* 142. niſi fortè induxerint venditorem, vt eam illis venderet. Tunc enim cauſæ ſunt injuſtæ damni, quod prior emptor per illam venditionem incurrit. Quando verò emptor privilegiatus, vel alius, cui res fuit tradita, conſcius non fuit prioris emptionis, non poterit evinci ab eo, niſi prior emptor titulum oneroſum habeat, & ſecundus ſolùm per donationem rem poſsideat, quia tunc prior poterit rem evincere, tametſi poſterior venditor inſcius fuerit prioris contractus, leg. *Ignoti 5. C. de revocandis, his, quæ in fraudem creditorum*, & tenet Covar. *n.* 5. Cæterùm donatarius non tenebitur rem ſua ſponte tradere, ſed ſolùm ſi emptor illam intra tempus à jure conſtitutum exegerit, vt docet Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 19.

§. II.

Cuius periculo res vendita pereat nondum emptori tradita?

Quid ſit venditio ad corpus, & ad menſuram.

11 LOquimur in caſu quo venditio ita perfecta eſt quoad ſubſtantiam, vt non ſit liberum partibus à contractu recedere. Et loquimur etiam, quando res non eſt tradita emptori; ſi enim illi tradita iam fuerit, ipſi emptori perire, etiamſi pretium nondum ſit ſolutum, ſed habitum pro ſoluto, omnes tenent ex leg. *Quod ſi, ff. de periculo, & commodo rei venditæ*: quia tunc verè acquirit dominium rei, & res domino perit, deterioratur, & melioratur. ¶ Sed pro intelligentia eorum, quæ dicenda ſunt, prænotare libuit, rem venditam poſſe eſſe in ſpecie determinatam, vt loquuntur Iuriſtæ, ſeu in individuo, vt dicunt Theologi, vt hic equus, hoc dolium vini: vel poſſe eſſe indeterminatam in ſpecie, & ſolùm in genere determinatam, quæ abſolutè dicitur indeterminata, vt tot menſuræ tritici, tot oves de grege. Rurſus res determinata poteſt vendi ad corpus, vel ad menſuram. *Ad corpus* dicitur vendi, quando corpus ſenſibus objicitur, & eſt quando aliquid determinatum venditur totum vnico pretio, vt ſi venditor dicat: *Vendo tibi meum prædium mille aureis, aut hoc dolium vini quinquaginta argenteis. Ad menſuram* dicitur vendi, quando res non venditur vnico pretio, ſed pro vnaquaque menſura pretium aſsignatur, vt ſi dicat: *Vendo tibi horreum tritici quadraginta argenteis pro ſingulis menſuris: vendo tibi prædium quinquaginta iugerum quinque aureis pro ſingulis iugeribus.* Quibus ſuppoſitis.

Si res ſit indeterminata, vel vendita ad mẽſuram periculum eſt

12 Dicendum eſt ſecundò, quod ſi res vendita ſit in genere, & non in ſpecie determinata, vel ſi determinata eſt, eſt vendita, non *ad corpus*, ſed *ad menſuram*; tunc perit venditori, leg. *Quod ſæpe*, §. *In his, ff. de contrahenda emptione*, niſi emptor fuerit in mora, ne tempore conſtituto res ſit dimenſa, quia tunc perit ipſi, iuxta leg. *Lectos, ff. de periculo, & commodo.* At quando perit res empta in genere, venditori perit, emptore retinente jus non in aliquod determinatum individuum, ſed in genus, quòd perire non poteſt, iuxta tritum proverbium, *genus perire non valet*, leg. *Incendium, C. ſi certum petatur.* Vnde ſi venditori totus grex periret, ex quo intendebat oves venditas ſumere, deberet nihilominus numerum, quem vendidit indeterminatè, aliunde præbere, niſi in pactum deduceret, quod ex iſto grege decem traderet, quia ſi grex pereat, ſufficiet reddere pretium. Ratio autem quare res indeterminatè vendita, & vendita *ad menſuram* pereat venditori, & non emptori, eà eſt, quia non cenſetur res abſolutè vendi, ſed ſub tacita conditione, vt dicitur in dicta leg. *Quod ſæpè. Si res quæ indeterminatè venditur, tradatur, ſi menſuretur.* Cum ergò rei venditæ ſub conditione pendenti periculum ſit ſub venditore, illi perit, ſi pereat ante traditionem, vel menſurationem. Sic Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 97. Sylveſt. *verb. Emptio, n.* 3. Covar. *pract. quæſt. cap.* 3. *n.* 7. Malder. *ſupr. §. Si vendita*, Bonac. *n.* 5. Ex quo fit, quod ſi à Petro emas dolium vini *ad corpus*, dicendo: *Emo tot nummis hoc dolium*: ſi effundatur, tibi perit. At ſi *ad menſuram* emas, dicendo: *Emo hoc dolium tribus aureis pro ſingulis menſuris*; ſi ante menſurationem effundatur, perit Petro, qui tibi vendidit.

apud venditorem.

Periculum præcedentis rei quoad melioratio nem, vel deteriora tionem, eſt apud emptorem.

13 Sed advertendum eſt, quod licet periculum rei indeterminatæ, & venditæ *ad menſuram*, pertineat ad venditorem quoad ſubſtantiam; periculum tamen pretij, & valoris rei ſpectat ad emptorem, ita vt ſi fiat interim melior, aut deterior abſque culpa venditoris, commodum, vel incommodum pertineat ad emptorem. Vnde ſi tempore traditionis, aut menſurationis res in pretio decrevit, cenſetur decreviſſe in damnum emptoris, quia venditor ſolùm ſe obligavit ad tradendam rem talis ſpeciei; & emptor rem emit, prout erit tempore traditionis, exponens ſe fortuitis eventibus, & periculo patiendi incommodum, & percipiendi commodum. Sic Sylveſt. Covar. Leſſ. Bonac. *loc. cit.* Reginald. *lib.* 25. *n.* 351. & colligitur ex cap. *Naviganti, de vſuris.*

§. III.

Ad quem pertineant fructus rei venditæ, antequam diſſolvatur contractus?

Fructus pendentes pertinẽt ad emptorem.

14 TErtium, quod in hoc puncto tetigimus, eſt circa fructus rei venditæ, ad quem pertineant, ad emptorem, vel venditorem? Et poſſumus loqui de fructibus rei venditæ, quando contractus non diſſolvitur, de quibus hoc §. agimus, acturi in ſequenti de illis, quando diſſolvitur contractus. Et adhùc non loquimur de fructibus pendentibus, qui ſunt affixi arboribus. Hos enim quoad valorem, quem tunc habent, quando res venditur, pertinere ad emptorem, indubitatum eſt. Et conſtat ex leg. *Iulianus, §. Si fructibus, ff. de action. empt.* Sunt enim fructus pendentes partes rei emptæ; & ſic vno, eodemque pretio cum re ipſa cenſentur emi. Quare ſi vinea vendita eſſet ante vindemiam, & venditor fructus colligeret, teneretur tantùm de pretio detrahere, quantum conſtitutum eſt pro fructibus. Diximus *quoad valorem, quem tunc habent*; quia non cenſetur fructus pars rei emptæ, ſi ſecundum valorem conſiderentur, qui creſcendo

ipſis

ipsis accedit. Vnde si emas vineam, cùm primùm floret, valor florum ad te pertinet tanquam pars rei emptæ, non sic incrementum, quod crescendo capit: hoc enim est effectus, & fructus rei emptæ, non verò pars eius. Loquimur ergò de fructibus futuris, & antequam res emptori tradatur, & solvatur ab ipso pretium. Si enim res traditur, & solvitur pretium, nulli dubium est fructus eius pertinere ad emptorem, qui dominium illius acquisivit.

Quando pretium est solutū, vel habitū pro tali, fructus rei pertinēt ad emptorem.

15 Sed adhuc post traditionem rei ante pretij solutionem possumus bifariam loqui. Vel enim quamvis pretium non sit solutum, habitum tamen est vt solutum à venditore, vel oblatum ab emptore; vel habita est fides de pretio, & concessa solutio emptori à venditore: quomodo diximus *num.* 7. emptorem dominium rei acquirere, & hoc modo fructus pertinere ad emptorem tenet communis sententia, quia res domino fructificat; sed emptor est dominus rei in tali casu: ergò fructus pertinent ad ipsum: nec tenetur de interesse pro pretio non soluto (nisi aliter fortè conventum sit inter contrahentes, vt nimirùm venditor in se suscipiat rei periculum, & fructus, vel interesse illorum sint illius, quia tunc standum est contractui) & si venditor sit in mora rei tradendæ, tenetur emptori ad omne interesse, quod ex re erat percepturus; vt si res deterior est facta, vel minoris pretij, interim dum apud venditorem fuit, quàm si habuisset opportunè, & cum lucro alienasset, vel non esset apud eum reddita deterior, quia horum venditor est causa ex injusta rei detentione. Difficultas ergò est, quando pretium non est solutum, nec oblatum, nec habitum pro soluto, aut data fides de illo; sed emptor promisit illud statim solvere, vel saltem post talem terminum, & non solvit, ad quem fructus rei pertineat? Duplex est sententia, vtraque satis probabilis.

Sententia asserēs fructus rei, nō soluto pretio, pertinere ad venditorem.

18 Prima asserit in tali casu fructus pertinere ad venditorem, quia quælibet res domino fructificat; sed quando pretium non est solutum, nec habitum pro soluto, venditor non amittit dominium rei suæ, vt diximus §. 1. nec transtulit illud in emptorem, idque ex culpa emptoris, qui pretium non solvit: ergò fructus rei ad venditorem spectant. Nec enim est æquum, vt privet se venditor fructibus rei suæ, quandiù emptor nec pretium solvit, nec fidem de illo exhibet, & hoc ex sua culpa. Sic Rebel. *lib. 9. q. 17. sect. 1. num. 5.* Bonac. *disp. 3. q. 1. punct. 7. §. 1. num. 4.* & probabile reputat Less. infrà citandus, *num. 103.* & Malderus, quem posteà dabimus. Specialiter hanc sententiam defendit Covar. *lib. 3. variar. cap. 4. num. 1.* qui affirmat, fructus post venditionem natos deberi venditori, donec emptor in re pretium solverit, non solum in casu, de quo loquimur hoc numero, sed etiam in casu, de quo *num. præcedent.* ex communi sententia loquuti sumus. Et probat ex leg. *Curabit 5. C. de actionibus empti*, & ex leg. *Iulianus 13. §. Ex vendito, ff. eod. tit.* vbi statuitur emptorem, qui percepit fructus rei, debere interesse illorum cum vsuris venditori reddere, donec pretium solvat, *licèt nulla mora interceserit*, scilicet solutionis: *Nam cum re emptor fruatur, æquissimum est cum vsuris pretium dependere*: quod intelligitur à jurispertis, non de vsuris lucratorijs, quæ illicitæ sunt; sed compensatorijs fructuum, quos venditor percipere debuisset.

17 Sed ab hoc vltimo incipiendo, communis, vt diximus, sententia asserit; quod dum non est emptor in mora solutionis, fructus pertinent ad ipsum, qui est dominus illius rei, nec posse debitorem pro pretio non soluto accipere vsuras, aut aliquod interesse, nec fructus ipsius rei: id enim est vsura palliata, quia venditor non recipit illos fructus rei, quæ est alterius ratione lucri cessantis, vt Covar. fatetur, quia etiamsi nullum cessaret lucrum, eos acciperet: ergò solùm ob dilationem pretij. Cùm ergò dilatio censenda sit quædam mutuatio, sequitur illos fructus, vel interesse, vel vsuras solùm ratione mutui accipere; & sic auctum esse vsurarium, vetitum jure canonico, & naturali. Quapropter quod concessum est prædictis legibus, revocatum est jure canonico; loquuntur enim de vsuris pretij absolutè, quod est contra jus naturale; non de vsuris compensatorijs fructuum: alioquin leges non dicerent esse solvendas vsuras pretij, sed esse fructus compensandos, vel fructos pertinere ad venditorem; & non semper essent eædem vsuræ solvendæ, sicut non semper sunt ijdem fructus, cùm tamen ibi eadem semper vsuras (nimirùm *semisses*, id est, in quibus solvebantur sex in centum) solvendas fore dicatur: igitur revocatæ sunt tales leges, vt juri naturæ contrariæ, vtpotè vsuras lucratorias, nedum compensatorias concedentes. Imò etiamsi essent compensatoriæ pro fructibus, sunt meritò reprobatæ, quia cùm non recipiat eas venditor ex re aliena ratione lucri cessantis (vt supponimus) nec ratione alicuius periculi, quod in se suscipiat, cùm totum periculum rei, & eius melliorationis, & deteriorationis sit penès emptorem; sequitur solùm recipere illas ratione mutui, aut dilationis pretij rei concessæ, quod est iniquum. Si autem venditor in se suscipiat periculum rei, vel tantundem incommodi patiatur, quantum alius commodi ex fruitione fructuum, potest in pactum deducere, vt recipiat fructus, donec pretium solvatur; & proinde poterit emptori fructus illos pro certa pensione relinquere, quæ vsuræ nomine vocari potest: & sic verificari potest, quod *in leg.* illa *Iulianus*, asseritur, *Cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum vsuris pretium dependere.*

Impugnatur vltimum, quod dicit præcedens sententia.

18 Imò etiamsi emptor sit in mora, nec solvat pretium, aut det fidem de illo, asserit, & meritò, secunda sententia, fructus à tempore, quo perfectus fuit contractus ex re provenientes, pervenire ad illum, non ad venditorem, nisi aliter sit expressè conventum; & tunc rei periculum erit apud venditorem: quia licèt ex tunc emptor non sit dominus rei, vt diximus; tamen juxta æquitatem naturalem, qui ex re incommodum sentit, debet & commodum sentire; sed emptor à perfectione contractus in se suscipit periculum rei, quando venditæ est *ad corpus*; & melliorationem, vel deteriorationem illius, ita vt si pereat, illi pereat; vel si fiat deterior, & vilioris pretij; vt dicebamus *num.* 11. & 13. ergò æquum est, quod in se recipiat commodum, & fructus rei. Quare licet res, si pereat, domino pereat, attamen sicut, vt diximus *n.* 11. ex jure positivo relictum est contractui venditionis (qui ex se habebat dominium quoad omnia transferre, nisi positivo jure impediretur) vt transferat dominium, etiam non soluto pretio, quoad hoc quod est, quod periculum rei sit penès emptorem, ita etiam vt ipsi fructificet, vt æquitas, & æqualitas naturalis observetur: quare esse fructus emptoris in omni casu post perfectam venditionem quoad substantiam, etiam non soluto pretio, tenent Lessius *lib. 2. cap. 21. numer. 109.* Tapia, *lib.*

Fructus rei etiam non soluto pretio, aut oblato, pertinent ad emptorem.

lib.5.quæſt.16.art.15.num. 1. Petrus Navarr. *lib.3. cap.2.num.* 157. Malderus *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 15. Sylveſter *verb.Vſura* 2.*quæſt.*11.

Neq; tenẽt cõtrahentes cõvenire, vt vẽditor fruatur fructibus, donec emptor ſolvat.

19 Ex quo ſequitur illius caſus reſolutio, an ſcilicèt poſsint contrahentes inter ſe convenire abſque peccato vſuræ, vt emptor fructus rei, vel intereſſe illorum det venditori, donec pretium ſolvat? Affirmat Covarr. 3. *variar.cap.* 4. *à num.*1. Bonac. *diſput.* 3.*quæſt.*2.*punct.*7.*§.*1.*num.*5. Angelus *verb. Emptio,num.*5. Molina *diſp.* 368. *num.* 9. quia cùm venditor non teneatur rem vendere cum ſuo incommodo, poteſt deducere in pactum, vt emptor interim ſolvat ſibi intereſſe pro fructibus, quibus privatur, vel ipſos. Vnde inquit hæc ſententia,quod poteſt vendens domum juſto pretio, paciſci de pretio locationis exigendo, donec pretium domus, ſolvatur. ¶ Verior autem eſt ſententia aſſerens, tale pactum abſque labe vſuræ exerceri non poſſe; quia, qui conceſſa dilatione ad ſolvendum, fructus rei, vel intereſſe vellet percipere, nihil aliud eſſet, quàm ex mutuo ſupra ſortem aliquid accipere, cùm dilatio ſolutionis,& mutuatio æquiparentur, Sic Malderus, Sylveſter, Leſsius,*locis citatis.* Et Vazquez *de redditibus,cap.*2.*§.*1.*dub.*4.*nam.* 12. Niſi tanto minoris res fuerit vendita, & in tempus certum fructus venditori reſerventur. Tunc enim venditor virtute redimit fructus. Vel niſi ratione dilationis damnum aliquod patiatur, aut lucrum amittat; quia ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis poterit vltra ſortem fructus rei, vel intereſſe aliquod accipere, cum proportione ad damnum quod patitur, aut lucrum quod amittit.

Vſuratius eſt contractus, quo quis mutuũ tradit, vt alius rem ad vſum conferat.

20 Vnde fit vſurarium eſſe iſtum contractum, quo quis tradit pecuniam alteri, vt ſibi aliam rem tradat ad vſum; vt ſi mille aureos mutuet Petro, vt Petrus illi domum conferat ad habitandum, relicta vtrique contrahenti facultate repetendi rem ſuam, vel pecuniam; quia tunc ex mutuo lucrum acciperet, & ſupra ſortem, niſi tali caſu ratione lucri ceſſantis excuſetur, vel ratione pacti retrovendendi (ſervatis conditionibus ad iſtum pactum requiſitis, de quibus *punct.*6.dicemus) vt ſi mihi domum venderet, & ego illi pecunias darem cum pacto, vt quoties reddiderit pecunias, vendam illi iterum domum. ¶ Sed dices: poſſum dare domum Petro, vt ipſe mihi ad vſum fundum largiatur cum pacto, vt vtrique ſit liberum rem ſuam repetere, quoties voluerit: ergo ſimiliter poſſum dare pecunias Petro, vt ille mihi domum donet ad vtendum, cum pacto, vt liberum ſit vtrique rem ſuam repetere. ¶ Reſpondetur, aliud eſſe de pacto mutui, ac de alijs: ſolùm pro mutuo, quo pecunia creditur, prohibitum eſt lucrum, non pro permutatione aliarum rerum; quia tradendo aliam rem cenſetur eam locare, aut vendere, & ſic inter ſe poſſunt percipere.

§. IV.

Ad quem pertineant fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractus diſſolvitur.

Quot modis cõtingat contractum diſſolvi?

21 QUatuor modis poteſt contractus diſſolvi. Primò, ſi celebratus fuit, vel cum pacto adiectionis in diem, ſic: *Vendo tibi domum hac lege, vt ſi intra annum melio-*

rem conditionem alius obtulerit, domus ſit inempta. Vel cum pacto legis commiſſoriæ, ſic: *Vendo tibi domum,vt intra annum pretium ſolvas; alioqui domus inempta erit, & nullus contractus.* Et vterque iſte contractus poteſt, vel verbis directis celebrari, quando nimirum verba oſtendunt contractum fore nullum ipſo facto, vt in exemplis appoſitis: vel verbis obliquis, & indirectis, quibus oſtenditur contractum irritandum eſſe in poſterum, vt ſi dicat: *Vendo tibi domum hac lege, vt ſi meliorem conditionem alius obtulerit, vel ſi pretium non ſolvas, intra annum, contractus diſſolvatur, ſeu ex tunc ſit diſſolutus.* Secundò poteſt reſcindi venditio, ſi celebretur cum pacto retrovendendi, vt: *Do tibi pecunias, vt mihi domum vendas ea lege, vt quoties pecunias reddas, domum tibi iterum vendam.* Tertiò, ſi pœniteat prioris contractus, & mutuo conſenſu reſcindatur, & alius de novo celebretur. Quartò, ſi venditio facta fuit ſub conditione, & conditio non impleatur, quo modo manet contractus nullus.

Quando fructus medij temporis ad venditorem pertineat?

22 Quo ſuppoſito, dicimus, quod ſi venditio fuit celebrata cum pacto adiectionis in diem, vel legis commiſſoriæ verbis directis, diſſertè contractum ipſo facto eſſe nullum explicantibus, hi fructus medij temporis pertinent ad venditorem, vt habetur leg. *Item quod dictum eſt, ff. de in diem adiectione,* leg. *Si fundus, ff. de lege commiſſoria*: talis namque eſt conditio venditionis his pactis celebrata, vt ex vi pacti ſic diſſolvatur, ac ſi celebrata non eſſet, & diſſolutio retrotrahatur ad tempus, quo pactum celebratum eſt. Vnde ſicut fructus pertinerent ad venditorem, ſi venditio celebrata non eſſet; ſic in noſtro caſu, alioqui non ſe haberet venditio, ac ſi non eſſet celebrata. Et radix fortè eſt, quia talis venditio non fuit abſoluta, ſed ſub illa conditione: quarè ſuſpenſa fuit vſque ad eventum illius, & ſic fructus ſunt domini illo tempore, quo non fuit perfecta conditio. Et hinc oritur, quod ſi verbis obliquis dicti contractus celebrentur, fructus medij temporis ſint apud emptorem, quia tunc abſolute fuit celebratus, & ſolùm diſſolvitur ex tempore, quo melior conditio offeratur, vel pretium non ſolvatur. Ita Leſsius *lib.* 2. *cap.*21. *dub.* 15. *num.* 124. Bonacina *diſput.* 3.*quæſt.*2.*punct.* 7.*§.*2.*num.* 3. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 16.*art.*16.*num.*3. & 6. Malderus *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 15. *quæſit.*2. *verſ. Si ex pacto.*

Quando fructus medij temporis pertineant ad emptorem?

23 Si cum pacto retrovendendi contractus reſcindatur, fructus medij temporis, qui ſunt producti à tempore venditionis vſque ad tempus redemptionis, pertinent ad emptorem. Qui verò ex tempore retrovenditionis colliguntur, ſunt primi venditoris, *leg.* 2. Cod. *de pactis inter emptorem, & venditorem.* Ratio eſt, quia à tempore venditionis vſque ad redemptionem, emptor eſt dominus rei, deinceps primus venditor; ſed res domino fructificat; ergo, &c. Atque idem dicendum eſt, ſi venditio diſſolvatur mutuo conſenſu, eo quod pœniteat prioris contractus, & alter de novo celebretur, quod fructus pertinent ad emptorem vſque ad reſciſsionem, qui eſt dominus rei; deinceps ad venditorem, ad cuius dominium res ipſa redit, & idem eſt, ſi reſcindatur, iuxta leg. 2. *de reſcindenda venditione*, quia videlicèt emptor deceptus eſt vltra dimidium juſti pretij, licèt enim emptio fuerit injuſta, quia tamen valida fuit cum poteſtate transferendi dominium toto tempore, quo contractus ſubſiſtit, vſque dum reſcindatur, fructus rei pertinent ad emptorem; illo

illo verò reſciſſo, ad venditorem, quamvis emptor teneatur defectum pretij ſupplere, quantum intererat venditori ipſum non fuiſſe deceptum. Sic præcitati Auctores.

Quid de cõtractu celebrato ſub cõditione ſentiẽdum ſit?

24 Denique ſi contracta fuit venditio ſub conditione, ea non impleta, fructus medij temporis pertinent ad venditorem; ſi verò impleatur conditio, pertinent ad emptorem, vt: *Vendo tibi agrum, ſi intra menſem centum dederis: vendo equum, ſi tu mihi bovem vendideris.* Ratio primi eſt, quia non impleta conditione venditio fuit nulla, non enim datur conſenſus, niſi dependenter ab illa: & ſic res manet ſub dominio venditoris, qui non tranſtulit dominium ante conditionis eventum; ſed res domino fructificat: ergo, &c. Et hoc licèt ſit res tradita emptori; quia hic per traditionem non acquirit dominium abſolutum, ſed conditionatum. Et idem eſt de alijs contractibus, qui jure, vel natura ſunt nulli, per quos non transfertur dominium rei in alium, & ſic fructus rei pertinent ad primum poſſeſſorem. Ratio ſecundi eſt, quia contractus celebratus ſub conditione, ea impleta, retrotrahitur ad diem, in quo fuit celebratus, ac ſi tunc purus, & abſolutus fuiſſet, vt diximus *num.* 22. ſed ſi à primo die fuiſſet venditio pura, & abſoluta, fructus rei pertinerent ad emptorem, vt diximus *num.* 18. ergo, impleta conditione, fructus percepti à tempore, quo facta fuit venditio, pertinent ad emptorem. Sic Molina *diſput.* 379. Bonacina *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 2. *n.* 12. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 16. *art.* 16. *n.* 6. Malderus *tract.* 5 *cap.* 2. *dub.* 5. *fine.* Leſsius *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 128. Anton. Gomez *tom.* 2. *cap.* 2. *n.* 30.

Diſcrimen inter conditionẽ caſualem, & potestativam.

25 Sed dicta *num. præced.* videlicèt, quod, impleta conditione, retrotrahatur contractus ad diem venditionis, intelligenda ſunt de conditione *caſuali*, non de *poteſtativa*: nam per conditionis *poteſtativæ* impletionem non retrotrahitur contractus, niſi alia ſit mens contrahentium, quæ maximè in foro conſcientiæ eſt ſpectanda, vti ex Bartol. leg. *Si is, qui pro emptore, in quæſt.* 5. *num.* 44. *& ſeqq.* & de vſucapionibus, docent Leſsius, Malderus, & Anton. Gomez. Dicitur, autem *caſualis* conditio, cuius impletio non eſt vllo modo in poteſtate eius, cui imponitur, ſed pendet ab eventu fortuito, vt *ſi naves hoc anno ex india venerint. Poteſtativa*, cuius impletio eſt in poteſtate eius, cui imponitur, vt *ſi dederis, ſi hoc, vel illud feceris.* Vnde in venditione facta ſub hac conditione, quia non retrotrahitur contractus, fructus rei à tempore venditionis vſque ad conditionis eventum pertinent ad venditorem, qui toto illo tempore fuit dominus illius. Ratio autem, quarè in conditione non *poteſtativa* retrotrahitur contractus, ſicut in *caſuali*, eſt, quia qui imponit iſtam conditionem, intendit movere emptorem ad celerem adimpletionem illius, & ſic non debet retrotractio fieri, adimpleta conditione; ſed tunc primun debet incipere contractus, ac ſi tunc primò celebratus fuiſſet; alioquin non excitaretur emptor ad conditionem implendam, cùm perinde eſſet, ſive citiùs, ſive tardius adimpleretur, cùm æquè ad initium contractus obligatio retrotraheretur. Quæ ratio ceſſat, quando conditio contractui appoſita eſt *caſualis*, vt ex ſe conſtat.

PUNCTUM III.

Qui poſsint emere, & vendere? & quæ res ſint materia huius contractus?

Generalis regula de his, qui nõ poſſunt emere, vel vendere.

26 Circa primam partem quæſiti ſit generalis regula, quod omnes illi, qui poſſunt validè, vel licitè contractum celebrare, poſſunt ſimilitèr licitè, vel validè emere, aut vendere, de quibus *cap. præced. punct.* 5. diximus: & illi, quos *ibi* diximus, non poſſe contrahere, nec poſſunt iſtum inire contractum. Vnde executores teſtamentorum non poſſunt res defuncti emere. Nec tutores, aut curatores res pupillorum, aut minorum. Inſuper Iudices, & eorum officiales, ac miniſtri in loco ſuæ juriſdictionis non poſſunt emere per ſe, vel per interpoſitam perſonam præter neceſſaria ad vſum quotidianum, vt cibum, veſtitum, &c. leg. *Aufertur, §. Quod à Præſide, ff. de jure fiſci*, leg. *Præſidis, ff. ſi certum petatur*, iuncta leg. vnica, Cod. *de contractibus Iudicum*, leg. *Non licet*, leg. *Qui in officij, ff. de contrahenda emptione.* ¶ In regno autem caſtellæ ſub gravibus pœnis omnibus interdicitur aliquid emere ab omnibus famulis, vel famulabus, dum actu ſerviunt, à quibus non licet iuxta eam legem emere omnia, quæ ſpectant ad cibum, hordeum, fœnum, & paleas, ligna pro foco, neque alia, quæ ſpectant ad vſum, & ſupellectilem domeſticam. Et præcipitur, quod contra eum, qui à dictis emunt, procedatur tanquam furti complicem, & occultatorem, *lib.* 1. *tit.* 22. *lib.* 6. *Novæ Collect.* Videatur Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 2. *n.* 6.

Nemo invitus poteſt cogi, vt rem ſuam vẽdat.

27 Sed inquires, an poſsit aliquis invitus cogi vendere rem ſuam? Reſpondetur, quod regulariter non poteſt; poterit tamen ex juſta cauſa à publica poteſtate, quando id in bonum publicum cedit. Vnde à Principe cogi poteſt dominus, vt vendat domum ſuam, vel prædium juſto prætio, ſi neceſſariæ ſint ad fabricandam eccleſiam, monaſterium, hoſpitale, palatium Principis, ad viam publicam, leg. *Si locus, ff. quemadmodum ſervitus ammittatur*, leg. *Si quis ſepulchrum, ff. de relig. & ſumpt. fun.* Et tempore neceſsitatis poteſt quilibet cogi, etiam à Iudice ordinario, vt ſi habeat frumentum, vendat, & nè alij plus emant, quàm neceſſarium, ne alijs deficiat, *leg.* 1. *§. Cura carnis. ff. de officio Præfecti vrbis.* An verò tempore famis poſsint clerici à Magiſtratibus cogi, vt frumentum vendant, diximus *tom.* 2. *huius curſus, tract.* 8. *de ordine, cap.* 7. *n.* 17.

Quæ generaliter vendi poſſunt?

28 Circa ſecundam partem puncti ſit etiam generalis regula, quod omnia vendi poſſunt, quorum quis habet dominium, & liberam adminiſtrationem, quæ pretio æſtimantur; niſi adſit ſpecialis prohibitio, vel circumſtantia, quæ venditionem reddat invalidam, aut illicitam: & ſic omnia jura, omnes actiones, omnes res materiales (res autem ſpirituales, vel quæ ſunt ſpiritualibus annexæ, vt beneficia, jus patronatus, &c. non poſſe vendi, dicemus, cùm de ſimonia agemus.) Poſſunt etiam vendi omnia bona præſentia, & futura, tametſi omnia donari non poſſint, ne quis maneat inteſtatus. Cæterùm per hoc, quod omnia vendat, inteſtatus non relinquitur; cùm poſsit de pretio, quod pro illis accipit, teſtari. Palaus, *diſp.* 5. *punct.* 18. *n.* 1. Lugo *diſp.* 26. *ſect.* 2. *n.* 13. ¶ Poteſt etiam hæres vendere totam hæreditatem, vel partem illius, morte ſequuta teſtatoris, non antea:

tæ: nam ſi antea vendiderit, nulla erit venditio,quia contraria bonis moribus; & ne eſſet occaſiò machinationis mortis illius, cuius emitur hæreditas, prohibita eſt, *lib.* 1. *ff. de hæredit. vel action. vend.* & præter nullitatem contractus venditor talis hæreditatis, nondum per mortem delatæ, illa privatur (intellige poſt ſententiam Iudicis) & applicatur fiſco, *leg.* 2. *in fine, ff. de his, quibus vt indignis.* At ſi ille, de cuius hæreditate agitur, conſcius ſit venditionis, & cònſentiat,valet,& licet, leg. *vltim.* Cod. *de pactis*, leg. *Ex eo*, Cod. *de inutil. ſtipulationibus.* ¶ Denique res publica, vt forum, platea, &c. vendi non poteſt à privata perſona, etiamſi venditio referatur in tempus, quo hæc bona erunt perſonæ privatæ, leg. *Sed celſus*, C. *de contrahenda emptione.* Poſſunt tamen à republica, vel à Rege, aut à Principe habente earum rerum dominium vendi, ſicut ab eo vendi poſſunt vrbes, aut caſtella, modò hoc fiat abſque notabili reipublicæ detrimento. Covarr. cap. *Quamvis pactum, de pactis in 6. part.* 2. §. 2. ¶ Quid autem poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei facere debeat rem alienam vendens, aut emens, diximus *tract. præced. cap.* 1. *toto punct.* 3. Sed nunc circa iſtud duplex reſtat difficultas.

Regularitèr, quæ alienis pecunijs emũtur, ſunt emptoris.

29 Prima difficultas eſt, an ea, quæ emuntur pecunijs alienis, fiant emptoris, aut eius, cuius ſunt pecuniæ? Reſpondetur, quod ſi emptor ſuo nomine emat, regularitèr earum rerum dominium acquirit, ſuaque facit, vt habetur leg. *Si ex ea*, C. *de rei venditione*, vt docet Rebel. *lib.* 12. *quæſt.* 4. *num.* 12. Silveſter *verb. Emptio, num.* 22. & alij, quos referunt, & ſequuntur Bonac. *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 29. Dicaſtill. *lib.* 2. *tr.* 9. *diſp.* 1. *n.* 52. Aliquando autem non fiunt emptoris, ſed illius, cuius ſunt pecuniæ, vt advertunt prædicti Auctores cum Azor 3. *p. lib.* 5. *cap.* 12. & *lib.* 8. *cap.* 27. vt ſunt ea, quæ emuntur pecunijs eccleſiæ, pupilli, minoris, aut militis, quæ tranſeunt in dominium illius, cuius ſunt pecuniæ.

Quando res aliena vendi tur, nõ tranſfertur eius dominiũ in emptorem.

30 Secunda difficultas eſt, an venditio rei alienæ ſit valida? Reſpondetur, validam eſſe talem venditionem, vt habetur leg. *Rem alienam*, 28. leg. *Si emptione*, 33. §. *Item ſi & emptor*, *ff. de contrahenda emptione.* Non autem eſt valida quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem, benè autem quoad translationem dominij pecuniæ in venditorem. Ratio primi eſt, quia venditor non poteſt plus juris in emptorem transferre, quam ipſe habebat; ſed ipſe non eſt dominus rei alienæ: ergo transferre nequit illius dominium. Vnde ſemper poteſt dominus ſuam rem vendicare, vbicumque invenerit eam; quia adhuc rei ſuæ dominium retinet, niſi legitimo tempore à poſſeſſore bonæ fidei fuerit præſcriptum, vt teſtatur Sanchez *lib.* 2. *Summæ*, *cap.* 23. *num.* 25. Reginald. *lib.* 25. *num.* 254. Dicaſtillo *lib.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 1. *num.* 46. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 162. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 20. *punct.* 4. & eſt communis.

Pretium rei alienæ vendi tæ transfertur in venditorem.

31 Quod verò pretij dominium transferatur in venditorem, probatur. Tùm, quia juribus citatis, validam eſſe venditionem, aſſeritur; ſed non quoad translationem dominij rei in emptorem: ergo ſaltem quoad translationem pecuniæ in venditorem. Tùm etiam, quia emptor eſt dominus pecuniæ: ergo transferre poteſt, ſi velit, dominium illius: nam ideò non poteſt venditor rei transferre dominium, quia illius non eſt dominus. Vnde cùm fur mihi ignoranti rem alienam vendit, dominium pecuniæ acquirit, ſed tenetur de evictione, & ad reſtituenda damna mihi inde provenientia, & quantum mei intereſt, non fuiſſe rem factam meam: quia per injuſtam deceptionem, horum fuit cauſa. Si autem bona fide vendat, pretium non tenetur reſtituere, niſi in quo factus eſt ditior; nec damnum, aut intereſſe reſarcire, eo quod non fuit horum cauſa per injuſtam actionem. Nec de evictione tenetur, imò nec ad hæc eſt obligatus, etiamſi mala fide procedat, ſi ego ſciens, & volens rem alienam ab eo emi: quia ſcienti, & volenti non fit injuria, ob quam venditor teneatur de evictione, aut ad reſarcienda damna ſequuta, leg. *In emptione*, §. *Etiamſi emptor*, *ff. de contrahenda emptione*, Reginald. *num.* 294. Dicaſtill. *n.* 49. Leſsius *dub.* 17. *n.* 153. Lugo *diſp.* 26. *ſect.* 2. *num.* 18. Bonac. *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *n.* 23. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 18. *n.* 11.

Res, quæ ad pravũ vſum ſunt determinatæ, nõ poſſunt licitè vendi.

32 Sed rogabis in fine huius puncti, quomodo poſsint licitè vendi res, quæ ad pravum vſum deſervire poſſunt? vt venenum, fucus mulierum, idolum, &c. Reſpondetur, quod ſi res ſint ex ſe determinatæ ad malum effectum, ita vt cadere non poſsint ſub bono vſu, aut indifferenti, vt venenum, maleficium, annuli, quibus dæmonia ſunt alligata, ſigilla aſtronomica, libelli infamatorij, & ſimilia, peccatum mortiferum eſt ea vendere; eſſet quippe alterius peccato cooperari, cùm res non niſi ad malum deſervire poſsint. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4. Sed venditio eſt valida, & pretium retineri poteſt, imò poſt traditionem rei exigi à venditore, ſi res ei non reſtituatur, vt inquit Lugo *diſp.* 26. *ſect.* 2. *n.* 19. Benè verum eſt, quod ſi iſtæ res admixtæ alijs rebus poſsint humanis vſibus inſervire, vt ſunt venena, ex quibus conficitur medicamentum, vendi poſſunt illis perſonis, quas non conſtat his rebus abuſuras, vt tenet Sanchez *in Summa*, *llb.* 1. *cap.* 7. *n.* 17. Bonacina *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *n.* 11. Idem dicimus de alijs rebus, quæ indifferentes ſunt ad bonum, & malum vſum, vt chartæ luſoriæ, aleæ, arma offenſiva, fucus, & ornatus fœminarum, quæ licitè vendi poſſunt, cùm poſsint emptores eis benè vti; & ſi malè eis vtantur, imputabitur ad peccatum ipſis, non venditori, qui præſumere non debet alium abuſurum ipſis; nec ipſi incumbit examinare, quo fine ab alijs emantur. Ita D. Thomas *loco citato*, & cum eo omnes.

Quomodo peccet, vel nõ, vendens res indifferentes illi, quem abſurũ ipſis noſcit.

33 At ſi venditor veroſimilitèr credat rebus modò dictis indifferentibus emptorem abuſurum, peccaret eas illi vendendo; quia illius peccato cooperaretur, niſi ex juſta, & rationabili cauſa ad talem venditionem moveatur, vt ſi abſque damno ſui non poſſet à venditione recedere; tunc enim non peccaret eas vendendo; quia emptor poteſt eis rebus indifferentibus benè vti, & venditor habens rationabilem cauſam vtitur jure ſuo. Vnde malus vſus alterius eſt præter intentionem venditoris, tametſi veroſimilitèr credat, alium tali re abuſurum: nam ipſe in re indifferenti ſuum commodum intendit, & vti jure ſuo. Sic Rebellus 2. *part. lib.* 9. *quæſt.* 16. *num.* 30. Sylveſter *verb. Ars*, *num.* 5. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 16. *art.* 2. *num.* 4. Bonac. *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 3. Vnde locans domum meretrici ignotæ non peccat, quia ex ſe non præbet occaſionem meretricandi, ſecus ſi eius impudicitia nota ſit. Qui petit mutuam pecuniam ab vſurario parato dare ſub vſuris, non peccat, ſi ex juſta cauſa procedat: nam, etiamſi participet cum eo in datione, & acceptione, mutuatario non eſt mala, nec imputatur ei ad peccatum. Nec ſimilitèr peccat, qui idolum vendit gen-

gentili ex justa causa, vel qui agnum judæo, ad immolandum. Hæc enim ex se indifferentia sunt, cùm idolum ad ornatum domus, & delectationem possit deservire; & agnus ad alios vsus, præterquam ad sacrificium. Bonac. *num.* 13. & 14. Sylvester *verb. Infidelitas, quæst.* 4. Rebellus, 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 8. *sect.* 4. *num.* 30. Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 5. *fine.*

PUNCTUM IV.

Vtrùm sit illicita negotiatio, quæ emendo, & vendendo fit, saltem aliquibus personis?

Triplex genus negotiationis declaratur.

34 TRiplex solet negotiatio numerari, quæ fit per emptionem, & venditionem. Prima est, qua emitur necessarium, & superfluum venditur. Hæc est omnibus naturalis, & licita, ac laudabilis, de qua intelligitur illud Proverb. vltim. *Vidit, quia bona est negotiatio eius. Et hæc* (inquit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *articul.* 4.) *non est propria negotiatio, nec pertinet ad negotiatores; sed magis ad œconomicos, & politicos, qui habent providere, vel domui, vel civitati de necessarijs ad vitam.* Alia est, qua aliquid emitur, vt per industriam, vel artem melioratum, aut immutatum cariùs vendatur: vt qui emit argentum, vel stannum, vt inde vasa conficiat, & vendat; qui emit animalia, vt postèà saginata cariùs vendat: lanas, vt vestes ad vendendum conficiat. Et nec ista est propriè negotiatio alicui prohibita, vt inquit D. Thomas suprà *ad* 1. & Chrysost. relatus in cap. *Ejiciens*, 88. *dist.* 1. Tertia est negotiatio propria, & rigorosa, quæ est propria mercatorum, à qua negotiatores dicuntur, & potest sic describi: quod est, *qua rem aliquam comparamus eo animo, vt integram, & non mutatam vendendo lucremur.* Vt colligitur ex D. Thoma, & Chrisost. *locis citatis*: & omnes admittunt. Et nomine emptionis etiam permutatio venit; quia etiam barbari permutatione negotiantur, & campsores non vendendo, sed permutando pecuniam pro pecunia. Duo igitur nobis explicanda sunt. Primum, quibus talis negotiatio sit prohibita? Secundum, quomodo dicta negotiatio vitietur in his, quibus est licita?

§. I.

Clericis, & religiosis prohibita est negotiatio, emendo, & vendendo, rigorosè sumpta.

Negotiatio propria non est intrinsecè mala, sed indifferens.

35 NOn esse ex natura rei illicitam, & pravam negotiationem, etiam rigorosam, quo aliquid emitur, vt immutatum cariùs vendatur; quamvis turpitudinis speciem præseferat, ostendit D. Thomas, 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *citato*; sed esse indifferentem, & ideo ex fine, propter quem fit, vitiari, vel bonam fieri. Vnde & potest fieri cum peccato mortali, & cum veniali, & absque vllo peccato, sed laudabilitèr, & justè. Si enim in lucro vltimus illius finis constituatur (quod fit frequentèr, quandoquidem propter illud non recusant negotiatores perjuria, fraudes, & injustitias committere) peccatum erit mortale: Ecclesiastici 27. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium emptionis, & venditionis angustiabitur peccatum.* Quo sensu explicat D. Thomas *in solutione ad* 1. verba D. Chrysost. *loco citato*, dicentis: *Ejiciens Dominus ementes, & vendentes de templo significatur, quod mercator nunquam potest Deo placere: & ideò nullus Christianus debet esse mercator.* Intelligitur enim de mercatoribus, qui in lucro finem vltimum constituunt, & perjurijs, injustitijs, ac fraudibus quæstum faciunt: & sic explicanda sunt alia loca Sanctorum Patrum, & sacrorum canonum, in quibus videtur christianis huiusmodi negotiationem prohiberi. Et potest esse peccatum veniale, vt si quis propter lucrum præcisè negotietur, paratus tamen illud prætermittere potiùs quàm legem divinam violare. Et potest esse laudabilis, & virtuosa, si fiat à persona habili, vt suæ necessitati, ac familiæ provideat, vt alios à mendicitate sublevet, & vt respublica rebus omnibus abundet, & quovis tempore sit facilis in ea rerum inventio: quod nisi per dictam negotiationem difficultèr fieri posset. Vnde dixit D. Augustinus relatus à D. Thoma in argumento *Sed contra*, explicans illud Psalm. 70. *Quoniam non cognovi literaturam*, vbi alij vertunt, *negotiationem*) *introibo in potentias Domini.* (*Negotiator* avidus acquirendi pro damno blasphemat, pro pretijs rerum mentitur, & peierat; sed hæc vitia hominis sunt, non artis, quæ sine his vitijs agi potest.) Licitum ergo est per dictam negotiationem lucrum quærere, illudque accipere, vtpotè debitum ob industriam, ob mercium asportationem, ob varietatem locorum, & temporum, in quibus pretium variatur: vel quia intra terminos pretij justi potest quis in infimo pretio emere, & in summo vendere.

Ecclesiasticis, & religiosis prohibita est negotiatio.

36 Sed quia talis negotiatio deservit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit, inquit D. Thomas, *loco citato*: *Et multum* periculosa est, pluribusque obnoxia peccatis, perjurij, fraudum, injustitiæ, & alijs. Ecclesiast. 26. *Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt: difficilè eximitur negotians à negligentia* (vtique ad salutem pertinentium, vt explicant Doctores communitèr) *& non justificabitur caupo à peccatis.* Et quia valde indecorum est, clericos, & religiosos lucris capiendis incumbere, quod mirè occupat animum, & à spiritualibus avocat: *Nam qui volunt divites fieri* (inquit Apostolus, 1. *ad Timoth.* 6.) *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines, in interitum, & perditionem.* Ideò merito ab ecclesia prohibita est clericis, omnibusque religiosis negotiatio rigorosa, de qua loquimur, sub gravibus pœnis, cap. *Consequens*, 88. *dist.* cap. *finali, de vita & honestate Clericorum*, cap. *Secundum, ne clerici, vel monachi*, cap. *Sed neque, dist.* 88. *Clementin.* 1. *de vita, & honestate clericorum*, cap. *Placuit*, 21. *quæst.* 3. cap. *Canonum*, 14. *quæst.* 4. Pœnæ autem, quæ ibi imponuntur negotiantibus, est excommunicatio, & suspensio; quas, & alias pœnas innovavit Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. Et etiam imponitur in cap. vltim. *de vita, & honestate clericorum*; vt perseverantes in negotiatione, post trinam monitionem ammittant clericale privilegium immunitatis à tributis.

Quomodo intelligatur dicta pœ-

37 Sed circa dictas pœnas primò notandum est, excommunicationem, & suspensionem ibi assignatam non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, & ideò

næ; & qui comprehendantur sub illis.

& ideò non incurri, nisi post sententiam Iudicis, vt docet Molina *tom. 2. tract. 2. disp.* 342. Lugo *disput.* 23. *sect.* 3. *numer.* 23. Villalobos *tract.* 21. *diffi.* 36 *numer.* 1. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 16. *articul.* 9. *numer.* 1. Trullench *lib.* 7. *Decalog. cap.* 21. *dub.* 9. *numer.* 6. ¶ Secundò notandum est, quod clerici, si ter admoniti, à negotiatione non desistant, privantur immunitate à vectigalibus, ex bonis quasi patrimonialibus, donec desistant. Ex bonis autem, ex quibus negotiantur, privantur sine monitione. Ex bonis autem ecclesiæ nequidem post monitionem, vt diximus *tom. 2. tract.* 8. *de Ordine, cap.* 7. *à numer.* 40. Retinent autem privilegium fori, & Canonis: *Si quis suadente*, vt omnes asserunt. ¶ Tertiò sub hac prohibitione, & pœnis eius comprehendi omnes clericos in sacris constitutos, & etiam in minoribus, si beneficiati sint, vt tenet probabilior sententia; & omnes religiosos, etiam nullo ordine insignitos, quamvis probabile sit clericum sæcularem solùm minoribus Ordinibus initiatum; etiamsi beneficium habeat, non comprehendi in dictis juribus, vt docet Trullench *suprà numer.* 7. Diana 1. *part. tract. de Contract. resol.* 73. Molina *tom.* 2. *tractat.* 2. *disp.* 342. *num.* 2. ¶ Quartò omnes, qui sub dictis prohibitionibus comprehenduntur, peccare mortaliter negotiando, vt tenet communis sententia; quia sunt leges justæ de re gravissima, & sub gravibus pœnis impositæ, & ita non possunt non sub mortali obligare. ¶ Vltimo, quod clericus negotiator, licèt graviter peccet contra dictas prohibitiones, non tamen contra justitiam, nec in illis fit inhabilis ad dominium lucri accipiendum. Vnde non teneri ad restitutionem eorum, quæ absque injustitia, aut fraude lucratur, recte docet cum Sylvestro Villalobos *suprà num.* 5. Tapia *num.* 5.

Clericus, qui semel, aut iterum negotiatur, non peccat mortaliter.

38 Sed rogabis primò, an peccet mortaliter clericus, aut monachus, qui semel, aut iterum negotiatur? Respondetur, quod secluso scandalo, & nisi negotiatio esset nimis turpis, vel in magna quantitate, non peccaret mortaliter, si bis, aut ter negotiationem exerceret: quia jura relata loquuntur de clerico exercente negotiationem, sive insistente, negotiationeque victum comparente, quod non verificatur, si vno, vel altero actu negotietur; vt si semel, aut iterum libros, cruces, reliquiaria, & similia occultè emat, vt cariùs vendat. Sic Malderus, *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 4. §. *Notandum.* Villalobos *tract.* 21. *difficult.* 3. *numer.* 3 Turrianus *disp.* 59. *dub.* 2. *num.* 4. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 1. *quæst.* 8. *numer.* 20. Diana *tom.* 1. *de Contract. resolut.* 72. Lugo *disp.* 26. *sect.* 3. *num.* 24. Trullench *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 7. *num.* 9. Lesius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 4. Quatenus dicit, peccatum esse mortale, si multùm negotiationi det operam. Imò Caietanus *in Summ. verb. Clericus*, Michael de Palao *de contract. lib.* 2. *cap.* 10. Rodriguez *in Summa, lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. dicunt, non esse mortale frequentèr negotiari, si id absque scandalo fiat, & sit negotiatio non turpis, nisi monitio præcedat. Sed hoc minimè admittendum est, cùm talis negotiatio sit gravitèr prohibita, etiam ante monitionem: & hæc solùm requiratur in jure, vt pœnæ amplius aggraventur.

Ob necessitatem negotiari non est prohibitum ecclesiasticis, sed ob lucrum.

39 Rogabis secundò, an licitum sit clericis, aut religiosis dictam negotiationem exercere, ob vrgentem necessitatem, cui aliter non possunt occurrere? Affirmativè respondent communiter Doctores, colligentes illud ex cap. *Dilecti, de decimis*, cap. *Pervenit, dist.* 86. & ex Concilio Elibertino, *cap.* 19. Et quia leges ecclesiasticæ non obligant occurrente necessitate proportionata, vt patet in lege jejunij, auditionis sacri, &c. Sic Villalobos *tract.* 21. *diffic.* 3. *n.* 7. Tapia *lib.* 5. *q.* 16. *art.* 9. *n.* 7. Trullench *lib.* 7. *Decal. cap.* 21. *dub.* 9. *n.* 7. Lesius *suprà n.* 6. Molina *disp.* 342. §. *Tertiò observandum.* Navarrus, Sa, Zerola, Salas, quos refert, & sequitur Lugo *disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 37. Vnde infert, posse religiosos, qui in brasilica attendunt ad conversionem infidelium, & qui rebus multis ex Hispania ad suam sustentationem indigent, nec pecunias ibi habent, quas mittant in Hispaniam, pro rebus illis emendis, mittere merces alias, quarum ibi copia est, vt ex earum pretio in Hispania comparent sibi necessaria.

Per interpositam personam licitum est ecclesiasticis negotiari.

40 Rogabis tertiò, an clericus, vel monachus possint per alios negotiari, qui totam industriam præstent: vt si dent pecuniam mercatori, vt ipse negotietur cum alijs suis pecunijs, & lucrum inter illos partiatur? Affirmativè respondendum est, quia jura loquuntur de negotiatione per se ipsum: id enim est, quod distractionem, & indecentiam secum affert; non de eo, qui totam curam alteri relinquit, & ipse nullo modo se ingerit. Sic Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 342. §. *Vtrum autem.* Lesius, *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *n.* 6. Rebellus *lib.* 9 *quæst. vltim. sect.* 2. Villalobos *suprà num.* 6. Trullench *num.* 7. Malderus, *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 4. *concluf.* 4. §. *Quinto.* Filliucius, *num.* 25. Turrianus *disp.* 59. *dub.* 2. *numer.* 3. Lugo *num.* 36. & alijs relatis, Diana 1. *part. de contract. resol.* 72. Horum aliqui nec veniale esse peccatum dicunt: alij melius esse veniale asserunt, nisi ex iusta causa id faciat, pro se, suorumve sustentatione, compulsus necessitate; quia indecens, & indecorum est statui ecclesiastico, præcipuè si non tota cura laico relinquatur; sed sibi aliquam retineat solicitando, dirigendo, instruendo, & quasi superintendendo, quia iam per se ipsum aliqualitèr negotiatur. Imò (addit bene Lugo) tanta potest esse hæc superintendentia, vt perveniret ad culpam mortalem; quia perinde esset, ac si per famulum negotiaretur: quod est in rigore negotiari per se ipsum, oppositum legibus ecclesiasticis.

Quibus in casibus possint negotiari ecclesiastici?

41 Rogabis vltimo, an omnis negotiatio, nedum rigorosa, de qua diximus *num.* 34. sit prohibita personis ecclesiasticis? Respondetur negativè, sed solùm illam, qua animo lucrandi aliquid emitur, vt cariùs vendatur, re manente immutata, vel quæ cum ista habeat magnam affinitatem. Quarè licet clerico triticum emere vili pretio ad vendendum posteà amicis, vel alijs eodem pretio; quia tunc non intendit lucrum, sed amicis benefacere. Potest etiam emere, quæ mutata posteà cariùs vendat; quia reprobata negotiatio est re prorsus immutata, cap. *Eijciens, dist.* 82. & sic possunt ecclesiastici fructus ex proprijs fundis, quos per operarios conductos colunt, vendere, vel etiam agriculturam per se ipsos exercere, vt fructus vendant: possunt materiam emere ad facienda artefacta posteà vendenda, vt lanam, vt pannos conficiant; ferrum, vt cultellos; colores, vt picturas; pallas, vt sportas, vt eas vendant, & inde alimenta percipiant: id quod fecere antiqui monachi, & Paulus omnium Magister, qui, cum Episcopus esset, scænofactoriam artem exercebat, ad se, suosque alendos. Possunt animalia emere, quæ pascuis suorum prædiorum alantur, vt posteà saginata, & sic mutata vendantur; hoc enim nihil aliud est, quàm pascua sua vendere, & fructus suorum agrorum. Possunt etiam greges habere, vt lac, lanam, fœtus-

fœtusque vendant. Possuntque quodcumque genus rei, quam noverint sua arte meliorandam, emere, vt illam in melius mutatam cariùs, & cum lucro vendant.

Alij casus enumerantur, in quibus possunt, vel non negotiari ecclesiastici.

42 Non tamen possunt ecclesiastici alienos agros, vel similes res fructiferas conducere, vt fructus vendant, & ita quæstum faciant (nisi ob necessitatem id faciant) quia hoc, licèt non sit negotiatio rigorosa, est valde simile illi, & prohibitum specialiter *in Concil. Carthag. 1. & 4.* quæ referuntur *cap. 1. 21. quæst. 3.* Sic Tapia *lib. 5. quæst. 16. art. 9. n. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 6.* Villalobos *diffic. 3. n. 7.* Malderus *suprà concluf. 4. §. Tertio.* Lugo *disput. 26. sect. 3. num. 29.* At non est prohibita negotiatio, si emat fundum cum fructibus iam maturis, & illos vendat, quia verè vendit fructus sui agri. Filliucius *num. 23.* Molina *disp. 342. §. Illud etiam.* Vèl si cariùs vendat, quod ad proprios vsus emerat; vel quia non eget, vel quia opportunitas occurrit cariùs vendendi: quia negotiatio est emere animo cariùs vendendi, & cum lucro; non vtcumque emere, & cariùs vendere, vt diximus *num. 34.* Vnde licet venderet carius, quæ habebat, vt posteà viliùs emeret, vt si fructus sui agri cariùs venderet, animo posteà ad suos vsus viliùs emendi, non esset negotiatio prohibita: quod enim prohibitum est, est emere viliùs, vt cariùs vendat; non vendere cariùs, vt vilius emat. Malderus *concluf. 4. §. Quinto.* Lugo *num. 32.* Sed non licet emere vvas, vt per famulos conductos vinum vendendum faciat; vel lanas, vt per operarios conductos pannum conficiant vendendum; quia licèt non sit negotiatio stricta, multùm verò ad illam accedit. Molina *supra §. Secundum est.* Malderus *§. Secundo.* Lugo *num. 34.* & idem dicunt esse, si ex lana suarum ovium pannum faciant per operatios conductos ad vendendum. Et addit Molina non licere iumenta emere, vt posteà lucri gratia ea locet. Sed id displicet Lugo, quia potest propria prædia, & iumenta locare: & postquam emit, iumenta iam sua facit; neque est ratio, cur iumenta emere animo locandi non possit, & possit domum emere animo locandi. Verum est, primum esse magis indecens, & indecorum, quæ indecentia non ita apparet in secundo.

§. II.

Quibus in casibus negotiatio per emptionem, & venditionem sit omnibus illicita?

Plura capita recensentur, ex quibus vitietur negotiatio.

43 QUamvis negotiatio, etiam strictè sumpta, alijs præter ecclesiasticas personas illicita non sit, sed indefferens, vt diximus *n. 35.* potest tamen ex pluribus capitibus vitiari, & peccatum esse. Plura enumerant communiter Doctores. Primò ratione finis, vt si fiat propter solum lucrum, quo modo erit veniale. Secundò ratione modi, quo exercetur multis interpositis fraudibus, mendacijs, juramentis, monopolijs, & similibus iniquitatibus. Tertio ratione materiæ, vt si res non vendibilis vendatur, vt sunt res sacræ; vel si vendibilis ex se sit, prohibetur tamen aliqua justa lege, putà ne frumentum vendatur extra regnum. Sic etiam prohibetur, ne arma, ferrum, & alia, quæ in septima excommunicatione cœnæ continentur, infidelibus vendantur. Sic etiam prohibitum est vendere, etiam fidelibus, vasa sacra integra, secùs si iam fracta, quia sanctitatem amiserunt. Quartò ratione temporis, vt si fiat in die festo: hoc autem solùm erit peccatum veniale, & nullum, vbi est consuetudo negotiandi in festis, vt solet fieri in nundinis. Quintò ratione loci, vt si fiat in loco sacro. Quo casu si res vendendæ ad templum adducantur, erit mortale; & sic Dominus flagello eiecit de templo ementes, & vendentes, ne domus orationis domus fieret negotiationis. At in ecclesia negotiari solo verbo, aut scripto, rebus ipsis absentibus, veniale tantum est, nisi ex eo officia divina aliquando impediantur. Si verò quis ibi secreto librum aliquem venderet, nullum esset peccatum, quia nulla ferè est irreverentia. Hæc ferè communia sunt, sed modò est nobis triplex difficultas resolvenda.

Regulariter non licet magnam copiam mercium emere ad vendendum.

44 Prima est, an sit licitum negotiatoribus emere magnam copiam mercium, vt posteà minutatim vendant, & inde maius lucrum accipiant? Et non loquimur de illa negotiatione, quam habent mercatores res in magna quantitate emendi, antequam in vrbem invehantur, vt posteà cum lucro vendant, hoc enim licitum esse, omnes docent; sed de illa negotiatione, qua populum paratum sibi necessaria emere præveniunt, & in magna quantitate merces accipiunt, quod nostro idiomate dicitur, *Atravessar las mercadurias.* Respondetur, illicitam esse talem negotiationem regulariter, & teneri mercatores arbitrio prudentum cæteris emptoribus, & reipublicæ, quibus in hoc faciunt injustitiam, damnum restituere. Et ratio est, quia per talem negotiationem faciunt pretia rerum nimis crescere: multò enim cariùs res emuntur à populo, quando vnus, vel alter earum copiam suscipit revendendam, quàm si tales merces à pluribus in publico repræsentarentur: & sic sua industria huiusmodi negotiatores damnificant rempublicam, & cives: & sic pretium, quo ipsi vendunt, non est existimandum vt licitum, sed potiùs vt impedimentum justi pretij, quod aliàs secundum communem fori æstimationem curreret. Ita Bañez *2. 2. quæst. 77. art. 4. dub. 2. concl. 1.* Trullench *lib. 7. cap. 24. dub. 8. n. 4.* Soto *lib. 6. de iustit. quæst. 2. art. 2.* Villalob. *tract. 11. diffic. 15. num. 2.* Tapia *tom. 2.* Catenæ, *lib. 5. quæst. 16. art. 10. n. 3.* Sylvester *verb. emptio, quæst. 10.* Quidquid in oppositum dicant Molina *disp. 355. §. Quid de hac re,* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. vltim. n. 151.* Palaus *disp. 5. punct. 34. n. 6.* Diana *1. part. tract. 4. resol. 27.* Dicastill. *tract. 9. disp. 2. num. 262.*

Limitationes præcedentis doctrinæ.

45 Diximus regulariter, esse illicitam talem negotiationem; quia si mercatores illi posteà revenderent reipublicæ tales merces (quod quidem rarissime accidit) communi pretio, quo venderent alij negotiatores de longè illas asportantes, licita esset. Vel si esset de mercibus non necessarijs ad vitæ sustentationem, vel ad communem statum reipublicæ; vt psitaci, simiæ, multi ornatus mulierum, prætiosæ gemmæ, equi generosi, accipitres, &c. quia tunc vnusquisque emere potest quantam velit copiam harum rerum, inde namque non damnificatur respublica; sed loquuti sumus de necessarijs ad vitam, victum, vestitum hominum, & alijs, quæ licèt necessaria non sint, communiter illis cives vtuntur. Et adhuc de istis, si cives emerint iam sibi necessaria, & convenientia, licitum, & conveniens erit, vt mercatores emant magnam copiam, vt postea minutatim cum moderato lucro eas revendant; quia ex hoc non incommodum, sed potiùs commo-

modum reipublicæ obvenit, vt huiusmodi merces sint in promptu pro peregrinis, pauperibus, & alijs civibus, qui non potuerunt suo tempore emere, vt docet Bonacin. *concl.* 2. Tapia, Villalobos, Trullench, *locis citatis.* Qui addunt, pertinere ad Prætorem ordinare, ne tales negotiatores præveniant cives paratos ad emendum: ideòque aliquibus locis meritò à Gubernatoribus assignatur hora revenditoribus, vulgò *à las regatonas*, antequam emere non possint: & eis pretium assignare, ne postea, dum vendunt minutatim, plus nimio pretium adaugeant.

Negotiatores possunt carius vendere, si ex officio negotientur.

46 Secunda difficultas est, an qui sunt negotiatores ex officio, licitè possint carius vendere, quàm emunt, & quam alij, qui hoc ex officio non habent? Affirmativè respondendum est cum Caietano 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. Bonacin. *ibi, dub.* 3. *concl.* 2. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 16. *art.* 10. *num.* 1. Sylvester, *verb. Emptio, num.* 10. Quia cùm tales negotiatores sint vtiles, & necessarij reipublicæ (expedit namque ei in promptu habere merces civibus convenientes) & aliàs frustra, & absque lucro negotiari non debeant, poterunt carius, quàm emunt, res vendere, & quàm alij, qui hoc commodum reipublicæ non afferunt, dummodò justum pretium non excedant, & iustum judicandum est pretium, quod secundum communem vsum fori inter ipsos negotiatores, & rempublicam æstimatur; non secundum laborem, & industriam alicuius negotiatoris particularis: & dummodò tales merces non vendant, facto monopolio, & conspiratione inter ipsos, constituendo pretium fixum, quo vendant, & non minori: & intelligitur assertio tàm de minutatim, quàm in magna quantitate vendentibus cum pretio justo, vt diximus. Maximè autem id verificatur in obligatis reipublicæ ad vendendum aliquod genus mercium, quia illa obligatio est pretio æstimabilis; exponunt enim se multis periculis propter commodum reipublicæ, vt tradunt præcitati Authores. Sed his obligatis, non solet remiti suo arbitrio pretium mercium, quin potius in introitu officij, & suæ obligationis convenitur cum eis de pretio.

Non debent tales negotiatores carius vẽdere, quia sibi maiori exiãt pretio.

47 Nulli autem ex his possunt pluris vendere merces, quàm ipsæ valent (nisi aliter conventum sit cum republica) in loco, in quo venduntur: nec sufficit allegare, quod eas cariùs emerunt, vel fecerunt sumptus, seu expensas in illis asportandis, vel servandis, omnia enim hæc sunt extrinseca valori rei. Sæpe namque contingit, quod pretium rerum venalium vilescat, postquam isti negotiatores asportaverunt merces suas; vel quia est paucitas emptorum, vel magna copia mercium, quæ aliunde supervenerunt: & tunc constat iniquum esse, quod huiusmodi negotiatores vendant merces suas, etiam ipso pretio, quo emerunt: tunc enim justum pretium est, quod currit iuxta communem æstimationem fori, quod quidem tunc erit multò vilius, quàm pretium, quo ipsi emerunt: quapropter nihil pro sua industria, & labore possunt capere, vt docet Bañez, 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *dub.* 3. *concl.* 1. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 16. *art.* 4. *num.* 6. Qui monet in hoc maximè periclitari huiusmodi negotiatores, qui vendere conantur, quanto possunt pretio, & ad hoc obloqui solent, & peierare. Quod cautè advertant Confessarij ad examinandam, & exonerandam eorum conscientiam in foro pœnitentiæ.

Iure naturæ prohibita est frumenti emptio ad emendi frumentum, quando minus valet, ad illud revendendũ.

48 Tertia difficultas est, an licita sit negotiatio postea carius vendendum? Respondetur, tàm iure naturæ, quàm positivo esse illicitam, & injustam talem negotiationem. Iure quidem naturæ, quando magna copia emitur, & supprimitur, vt postea cariori pretio vendatur, quia hi notabile damnum reipublicæ, & pauperibus faciunt, alijsque civibus, qui impediuntur emere res adeò necessarias tempore, quo minus valent. Nam tales negotiatores, cùm sint communiter divites, alios præveniunt, magnam copiam congerunt, horrea adimplent, quo triticum in pretio crescit, vel non invenitur; vt postea ab eis cariùs ematur; & sic reipublicæ locustæ, & dissipatores sunt, à qua proinde juste cogi possunt, vt vendant minùs iusto pretio postea, quando magis valet frumentum, juxta leg. 2. *§. Cum in eadem, ff. ad legem Rhodiam.* Sic Tapia *tom.* 2. *Cathe. lib.* 5. *q.* 16. *art.* 4. *num.* 16. Medina, *Codic. de restitut. quæst.* 36. *vers. Sequitur amplius.* Trullench *lib.* 7. *dub.* 18. *cap.* 21. *num.* 4. Navarrus *cap.* 23. *num.* 91. Soto *lib.* 6. *quæst.* 2. *art.* 2. Villalobos *tract.* 21. *diffi.* 21. *num.* 1. Ideòque sicut damnificarunt rempublicam, & alios, qui cariùs emerunt, omnibus boni viri arbitrio satisfacere tenentur. Quidquid dicat in oppositum Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub. vltim. num.* 151. Palaus *disput.* 5. *punct.* 34. *num.* 6. Molina *disp.* 145. Diana 1. *part. tract.* 8. *resol.* 27.

Iure positivo prohibita est dicta negotiatio.

49 Quod autem talis negotiatio sit jure positivo prohibita, probatur ex cap. *Quicumque*, 14. *quæst.* 4. vbi dicitur, *turpe lucrum.* Specialiter autem prohibita est jure regni castellæ, leg. 19. *tit.* 11. *lib.* 5. *Recopilat.* vbi sic dicitur: *Ninguna persona, de qualquier calidad, y condicion que sea, no sea osſado de comprar, ni compre trigo, cebada, havena, ni centeno, en poca, ni en mucha cantidad, para lo tornar à revender, so pena de que el que lo comprare, y fiziere contra lo susodicho, pierda todo el pan, que assi comprare, y se reparta en quatro partes, &c. y demàs desto, por la primera vez sea desterrado del lugar donde viviere, por seis meses; y por la segunda, por vn año; y por la tercera vez, por tres años.* Et infrà dicitur: *Que le puedan comprar los recueros, y traginеros, y otras personas, que tienen por trato de llevar mercadurias de vnas partes à otras. Mas que sean obligados à venderlo luego que lo huvieren comprado, à los Pueblos donde lo llevan, de suerte, que no entroxen, ni enſillen, ni guarden para lo revender.* Et postea leg. 24. *eodem titulo*, per quandam pragmaticam Matriti editam à Catholico Principe Philippo II. anno 1578. extenditur hæc prohibitio, vt non possint emi modo dicto, *las garrovas, y yervas.*

Omnes dictæ leges obligant.

50 Cum ergo prædictæ leges generales sint, neminemque excludant, etiam ecclesiasticos comprehendunt, cùm hæc obligatio ipsos non dedeceat, nec libertatem ecclesiasticam diminuat, sed potiùs foveat; ideò in hac parte exempti non sunt: & sic sicuti alijs legibus civilibus quoad vim directivam (non quoad coactivam, & sic non quoad pœnas) sunt subjecti, & in conscientia obligati, vt diximus *tra.* 8. *de ordine, cap.* 7. *n.* 14. ita istis, vt tradit Saleed. *in addit. ad practic. crimin. cap.* 55. Azeb. *dict.* leg. 19. *tit.* 11. *n.* 1. Excipiunt dicti Authores publicum depositarium, qui praxi recepta ad subveniendum publicæ necessitati dicta semina mense augusti emit, tempore necessitatis revendenda cum aliquo moderato lucro. Azeb. *n.* 4. Mexia *in pragmat. panis, concl.* 2. *gloss.* 1. *n.* 53. Qui etiam *n.* 178. excipit divitem, qui tempore vrgentis necessitatis hæc grana emeret, postmodum inter suos cives revendenda moderato lucro ab eis petito; quia non tàm lucri acquirendi causa emit,

quàm subveniendi necessitati. Sed rectè advertit Azebedo *num.* 2. cautè in hac parte procedendum esse, ne sub prætextu pietatis cupiditas inducatur, & elidatur legis dispositio. At verò sub dictis legibus minimè comprehenditur, qui in sustentationem suæ familiæ emit, & postmodùm ex aliquo casu contingenti revendit cariùs ac emerat, iuxta dicta *numer.* 42. Hæc enim negotiatio non est illicita, vt tradit D. Thomas, 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *ad* 2. *Quia non quicumque cariùs vendit aliquid, quàm emerat, negotiatur; sed solùm qui ad hoc emit, vt cariùs vendat.* In foro autem externo juramento vendentis standum est, vt inquit Mexia *num.* 127. nisi fortè circumstantiæ occurrentes contrariam præsumptionem inducant. De alijs modis negotiandi, quibus venditio, & emptio vitiari solent, sequentibus punctis dicemus.

PUNCTUM V.

An omnia monopolia sint illicita, & contra justitiam?

Quot monopolia numerentur.

51 MOnopolium (quod nomen græcum est, & vnius venditionem sonat) est plurium in vnum conspiratio; quando nimirum, plures conveniunt de non vendenda, vel emenda merce aliqua, nisi tali pretio, vel illo, quod ipsi pro libito assignãt. Tunc enim isti monopolæ dicuntur, quia ratione conspirationis, vel se habent vt vnus emptor, vel vt vnus venditor. Quatuor autem solent assignari genera monopoliorum, ad quæ alia, de quibus postea agemus, reducuntur. Primum est, quando vnus, duo, vel tres coemunt merces omnes, aut maiorem partem, vt ipsi solùm postea eas vendant magno pretio, inducentes hac via notabilem rerum inopiam, & raritatem: de quo genere monopoliorum egimus *punct. præced. num.* 44. Secundum est, quando obtinetur à Principe privilegium, vel à republica, vt nemo, nisi ipse, possit aliquas merces advehere, & vendere; quod vulgo dicitur: *Tener estanco de alguna cosa.* Tertium est, quando aliqui impediunt, ne merces in civitatem invehantur, vt ipsi solùm merces ab ipsis emptas, vel suis prædijs desumptas cariùs vendant, cum detrimento ementium, & reipublicæ. Quartum, quando mercatores inter se conveniunt de mercibus vendendis determinato pretio ab ipsis constituto, & non alio: vel è converso emptores conveniunt de re tanti emenda, & non amplius. Et quod dictum fuerit de venditoribus hoc quarto modo monopolij, idem sentiendum est de emptoribus, & è converso, eodem modo monopolij, quod advertimus, ne istam doctrinam repetamus, & implicemus.

Monopolium ex privilegio justum est.

52 Igitur à secundo genere monopoliorum incipientes, praxis ipsa, & communis Doctorum sententia tenet, licitum esse monopolium, quando quis ex justa causa à republica vel Principe, privilegium obtinet, vt ipse, & non alius talis generis merces vendat. Si tamen esset absque justa causa tale privilegium concessum, injustum esset, nec eo licitè posset venditor vti, cùm esset in præiudicium aliorum venditorum, qui possent illas merces vendere; & etiam emptorum, qui coguntur ab illo solo emere, & fortè carius, quàm aliàs essent empturi. Cæterum justam adesse causam tale privilegium concedendi, præsumendum est, nisi de opposito constet. Quæ autem justæ causæ ad hoc judicentur, videndum est apud Authores infrà citandos, qui omnes asserunt, oportere tunc prætium monopolæ taxari à Principe, vel republica, maximè in rebus vitæ necessarijs, vt in pane, carne, vino, oleo, panno, lino, &c. nec illius arbitrio relinquendum esse. At in alijs, quæ non sunt necessariæ ad vitam, sed ad luxum, voluptatem, ostentationem, vt sunt picturæ, varia genera tapetum, alea, chartæ lusoriæ, oloserica, &c. faciliùs illis relinqui potest illarum æstimationem, secundum quod prudenter, & bona fide judicaverint valere, non secundùm totum, quod vendere illas possint, propter ea, quæ infrà dicemus, cùm nemo emere illas res cogatur, vt docent Laym. *lib.* 3. *Summæ, sect.* 5. *tr.* 4. *n.* 17. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 18. *n.* 3. Villalob. *tr.* 21. *diffic.* 17. *n.* 2. Navarrus *cap.* 23. *n.* 92. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 21. *n.* 148. Salas *tract. de emptione, & venditione, dub.* 38. Palaus *disp.* 5. *punct.* 24. *num.* 2. Hoc modo justificantur privilegia, quæ Principes concedunt Authoribus librorum, typographis, & bibliopolis, vt nullus, nisi illi, libros vendant; & monopolia, quæ fiunt à dominis locorum concedentibus, vt tantùm vnicus, vel duo tabernarij, &c. in suis locis vendant.

Quæ monopolia sint injusta.

53 Circa tertium genus monopolij, omnes asserunt esse illicitum, & contra justitiam, obligarique ad restitutionem si quis vi, dolo, aut fraude impediat, ne merces in civitatem invehantur, vt ipse suas faciliùs, & cariùs vendat: quia sunt causa iniusta damni reipublicæ, & civium, qui habent jus, ne per vim, aut fraudem impediatur eis abundantia mercium sponte advenientium, & commodius pretium illarum. Vnde Rectores, seu Senatores civitatum, vulgò *Corregidores*, *ò Regidores*, non possunt licitè impedire accessum tritici, vini, aut aliarum rerum, quæ sunt ad victum necessariæ, vt ipsi carnes, aut alias res vendant suas (nisi fortè ex ingressu exterorum fieret, vt vicini nullatenus venderent suas, & hoc vergeret in præiudicium boni communis, quia tunc vi impedire possunt, ne exteri merces introducant, donec vicini suas commodè vendant.) At si quis absque vi, aut dolo, sed solùm precibus, aut negotiatione impediret, ne copia mercium inveheretur in civitatem, vt ipse suas commodiùs venderet, non peccaret contra justitiam (imò nec contra charitatem, si ex justa causa suum lucrum intenderet intra latitudinem justi pretij. Sicut qui precibus impediret, ne alius, paratus legatum mihi relinquere, relinquat: bono namque suo consulit, & damnum emptoribus proveniens, quod maiori pretio emant, per accidens est: quia cives jus non habent, ne venditores precibus à venditione removeantur, nisi ad summum cum merces sunt iam in civitatem invectæ, & emptioni sub tali pretio expositæ. Petrus Navarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 2. *dub.* 9. Castro Palao *disput.* 5. *punct.* 24. *num.* 8. Lugo *disp.* 23. *sect.* 13. *num.* 179. Bonac. *de contractibus, disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 5. *n.* 8. Villalobos *tract.* 21. *diffic.* 17. *n.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 153. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 38. *circa finem*, Trullench *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 8. *n.* 9. Di- castillo *lib.* 2. *tract.* 9. *disp.* 3. *dub.* 10. *n.* 183. Diana 1. *part. tract.* 8. *resol.* 27.

Quæ sint certa apud Doctores circa monopolia?

54 Circa vltimum genus monopoliorum, quando nimirum, vel plures venditores conveniunt, vt non nisi tali pretio merces vendant, vel plures emptores, vt non nisi pretio taxato eorum arbitrio emant, duo sunt certa apud Doctores, & de alijs duobus est dubium inter illos.

Pri-

Primò certum est, illicitam esse talem conventionem: est enim jure positivo prohibita, *leg. Vnica, C. de monopol.* sub pœna proscriptionis omnium bonorum, & perpetui exilij. Etiam est prohibita jure Regio Castellæ, *leg. 2. tit. 7. p. 5. & leg. 2. tit. 4. lib. 5. Novæ Collect.* Quia frequenter ad hoc conveniunt monopolæ, vt supra justum pretium vendant, vel vt infra justum emant, & alij à negotiatione, venditione, & lucro impediantur. Secundò, quod si ad hoc conveniant venditores, vt res suprà justum pretium vendant (quod quidem frequentissimè fit) vel emptores, vt infra justum emant, peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur (primo quidem loco, qui accipiunt pretium, alij, qui cum illo conspirarunt, pro rata, in defectum illius) illius, in quo excesserunt justum pretium, quia rem supra justum pretium vendere est contra justitiam, & ipsi absque vllo titulo tale incrementum capiunt.

Sententia asserens peccare contra justitiam monopolas intra latitudinem justi pretij conspirantes.

55 Quare prima difficultas est, an non solùm sit illicitum monopolium, sed etiam contra justitiam, quando venditores conveniunt de non vendendis mercibus, nisi in pretio summo, intra latitudinem tamen justi pretij (idem est de emptoribus, si conveniant in non emenda merce, nisi in pretio infimo, intra latitudinem tamen justi pretij) & intelligitur de pretio illo summo, quo, secluso eo monopolio, merces illæ venderentur: nam pretium justum non debet sumi de statu ab ipso monopolio introducto, sed de illo, quod, eo secluso, merces haberent. Affirmat prima sententia peccare contra justitiam monopolam in illo casu, & teneri ad restitutionē emptoribus, quanti creditur minoris empturos, si talis conspiratio non fieret. Ratio illius est, quia per tale monopolium cives, qui alias in infimo, aut medio pretio emerent merces, coguntur in summo illas emere, impediunturque à monopolis, ne in infimo, aut commodiori pretio emant, & hoc per actionem lege reprobatam, qualis est talis conventio; & sic per injustitiam, cum cives habeant jus justitiæ, ne quis medijs iniquis, & illicitis cogat eos cariori emere pretio, quàm aliàs essent empturi, & ne impediantur minori intra latitudinem justi pretij. Sic Dicastill. *supr. n.* 145. Palaus *n.* 4. Salas *dub. citat.* 38. Laym. *supr. §. vlt. circa finem.* Sot. *lib. 6. de justit. q. 2. art. 3.* Rebel. *2. p. lib. 9. q. 7. num.* 5.

Si absque fraude, aut vi monopolæ conspirant intra latitudinem justi pretij, non est injustitia.

56 Secunda (cui subscribimus) sententia asserit, quod nisi monopolæ vi, aut fraude impedirent, vt alij minus venderent, non peccant contra justitiam, nec obligantur ad restitutionem, si conspiratio est de vendendis mercibus intra latitudinem justi pretij, quamvis sit in summo, & rigoroso. Hæc doctrina colligitur ex his, quæ diximus *tract. præc. cap. 1. n. 98.* quod si quis averteret alium à collatione indebiti beneficij, quod paratus erat conferre amico, precibus, absque vi, aut fraude, non peccat contra justitiam: nec tenetur ad restitutionem. Hinc igitur ratio sumitur, quia venditores jus habebant ad vendendas merces in pretio summo intra latitudinem justi; & est gratia, liberalitèrque id faciunt, si minus vendant, vnde si quis persuaderet eis (absque vi, aut fraude) ne merces venderent minori pretio, quàm rigoroso justo, nulli faceret injustitiam: hoc, & non amplius faciunt monopolæ se invicem exhortantes, & convenientes, ne quis eorum merces vendat minori pretio justo rigoroso: ergò non peccant contra justitiam. Vnde licèt talis conventio sit illicita, quia prohibita, non tamen quia injuriosa; & sic obligationem restitutionis non inducit. Quo solutum manet contrarium argumentum. Sic Tapia *lib. 5. q. 16. art. 11. n. 3.* Reginald. *lib. 25. à n. 328.* Trullench. *lib. 7. cap. 21. dub. 8. n. 7.* Bañez *2. 2. q. 77. art. 1. dub. 1. §. Nihilominus, fol. 537.* Aragon, quem refert, & sequitur Villalob. *tract. 21. diff. 17. n. 4.* Lug. *disp. 16. sect. 13. n. 173.* Less. *lib. 2. cap. 21. n. 145.* Petr. Navar. *lib. 3. de restit. cap. 2. dub. 9. n.* 85. ¶ Conveniunt autem omnes vtriusque sententiæ Authores in tali casu, licitum esse emptoribus ad redimendam suam vexationem adversus monopolas dictos, monopolium facere, convenientes de non emendis mercibus, nisi pretio tali, dummodo conveniant in quodam justo pretio, tametsi infimo, quale posset æstimari à viris probis, si nullum existeret monopolium.

Non peccāt qui, impositio monopolio, merces currente pretio vēdunt.

57 Secunda difficultas est, an, semel facto monopolio à mercatoribus, ratione cuius introductum est pretium, quod aliàs esset injustum, si aliquis alius non particeps monopolij suas merces venderet illo pretio iam incurrente, peccaret contra justitiam, & teneretur restituere? Affirmat Rebell. *loc. cit. & lib. 11. q. 12. n. 3.* Tapia *n.* 8. Dicastill. *n.* 158. quia pretium illud verè est injustum, & ex injustitia introductum: ergò non solùm impostores peccant contra justitiam vendendo tali pretio, quod omnes asserunt; sed etiam quicumque alij. ¶ Verior autem est sententia negans peccare tales venditores, etiam si non ignorent incrementum pretij ortum habuisse ex injusta conventione, quia iam istud pretium est commune, currens, & vulgare. Quod autem adductum sit ex injustitia aliorum, mihi per accidens est, quia res vendendo pretio currenti, communi, & vulgari, justo pretio vendo, quia justum pretium fori apud omnes judicatur, quod iam communitèr currit, vndecumque hoc proveniat. Sic Medina, *Cod. de restitut. q. 36. fine*, Trullench. *supr. n.* 4. Reginald. *tom. 2. lib. 25. cap. 22. n. 230.* Bonacin. *de contract. disp. 3. punct. 5. n. 11.* Diana *1. part. tract. 8. resol. 24.*

Alia monopolia prohibita recēsentur.

58 Ad istud vltimum genus monopolij reducuntur alia, quæ sunt, sicut illud, illicita, vt monopolium, quo artifices invicem pacisc untur, ne opus ab aliquo ipsorum inchoatum, alter perficiat, quæ conventio cedit in reipublicæ, & civium damnum; & ideò meritò reprobata est, citata, leg. *Vnic.* Cod. *de monopol.* & leg. *Regia 2. titul. 7. part. 5.* Et idem est, si conveniant de locatione suarum operarum certo pretio. Est etiam monopolium injustum, quando aliqui rumorem falsum spargunt, vel litteras confingunt affirmantes, naves mercium submersas esse; & sic pretium earundem augent; vel monetæ valorem deponi, vt similitèr omnia venalia carius vendant; vel vendens sub hasta, hoc est *à pregones, ò en almoneda*, qui apponit fictos licitatores, qui plus offerant, vt cæteri emptores ascendant, & ipse carius vendat. Omnes isti, qui cum fraude procedunt, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem: & idem est de emptoribus, qui vi, aut fraude avocant alios ab augendo pretio sub hasta intra latitudinem justi, qui injustè faciunt. At si quis absque vi, aut fraude, sed solùm precibus rogaret alios, ne in publica licitatione plus certa quantitate offerant, vt ipse justo pretio infimo subhastionis rem obtinere possit, non peccat contra justitiam, nec alio modo, quia justum pretium offert, licèt infimum; nec alios per vim, aut fraudem avocat à maiori licitatione. Tapia

lib.

lib.5.q.16.art.11.n.7. Trullench. *lib.7.cap.21.dub.* 18.*n.2.* Palaus *disp.5. punct.* 24. *n.* 5. Petr. Navar. *lib.3.cap.2. dub.9.n.86.* Reginald. *supr. n.329.* Less. *n.* 147. Dicastill. *n.198.*

PUNCTUM VI.

Vtrum venditio cum pacto retrovendendi, vel emptio cum pacto retroemendi, licita sit?

Quot modis fiat venditio cum pacto retrovendendi?

59 HÆc venditio pacto retrovendendi, vel retroemendi emptio, seu redimendi, potest fieri, vel in favorem venditoris, vel in favorem emptoris, vel in favorem vtriusque. Tunc fit in favorem venditoris, quando onus imponitur emptori: vt *Vendo tibi hunc equum cum pacto, vt quando ego voluerim, vel tempore à me assignando, illum mihi revendas.* Et tunc sicut res venditur cum onere, minus valet, quàm valeret secundum se, & si absque onere venderetur, quia illud onus est pretio æstimabile: vnde inferiori pretio debet vendi, ac si absque vllo onere venderetur, vt justo pretio vendatur, quia res magis valent liberæ, quàm valeant subjectæ. Tunc in favorem emptoris fit, quando gravamen, seu onus imponitur venditori, vt *Emo à te equum cum pacto, vt quando ego voluerim, vel tempore à me præfixo, illum à me redimas*, & tunc magis valet illa res, & cariùs debet emi, vt ematur justo pretio: siquidem venditor præter rem, quam vendit, subit gravamen iterum redimendi ad beneplacitum emptoris: & sic debet pensari, non solùm valor rei secundum se, sed habita ratione gravaminis, quod imponitur venditori. Et ideò aliqui dicunt rem, quæ venditur in favorem venditoris cum pacto retrovendendi minùs valere in tertia parte, vel magis in tertia parte valere, si in favorem emptoris cum pacto retroemendi. Alij in quarta parte, alij melius arbitrio prudentis, inspectis circumstantijs, id remittunt. Tunc denique pactum in favorem vtriusque celebratur, quando vtrique libertas relinquitur, vt contractum rescindere possit, & dissolvere, si voluerit: & tunc res minus valet, ac si apponeretur in favorem solius ementis, & magis valet, ac si apponeretur in favorem solius vendentis, ita vt si in favorem solius venditoris valeret viginti, & in favorem emptoris triginta; si in favorem vtriusque, valet vigintiquinque. Sic Less. *lib.2.cap.21.dub.* 14. Medin. *Cod. de rebus per vsur. acquis.q.*15. Covar. 3. *variar. cap. 9. à n.* 1. Bonac. *de contract. disp.3.q.2.punct.3.à n.*1. & est commune. Quo supposito.

Licita est venditio cum pacto retrovendendi, licitis servatis conditionibus.

60 Asserendum est, esse licitam venditionem cum pacto retrovendendi in favorem venditoris, & retroemendi in favorem emptoris, & etiam vtriusque, si debitis conditionibus infra assignandis fiat. Est communis sententia, & colligitur ex leg. *Si fundum, quod tu te, C. de pactis inter emptor. & vendit.* & ex Levitic. 25. Vbi Dominus præcepit, vt omnes terræ populi Israel sub conditione redemptionis venderentur. Et ex praxi communi in censibus, qui cum pacto implicito redemptionis venduntur. Nec est ratio, quare venditio cum gravamine retrovenditionis in favorem venditoris sit licita; & non emptio cum onere redemptionis impositio venditori, ac proinde quando fit in favorem vtriusque. Et ratio omnium est, quia hic apponitur pretium justum, vt supponimus: si quidem si fiat cum pacto retrovendendi in favorem venditoris, potest onus emptoris compensari diminutione pretij: & si in favorem emptoris augendo pretium modo dicto; & si in favorem vtriusque, illud juxta regulam datam designando: ergò si fiat bona fide animo emendi, & vendendi, quamvis postea redimendi, non est vnde condemnetur talis contractus. Sic Mald. *tract.5.cap.* 2. *dub.*16. Villalob. *tract.*21. *diff.*18.*n.*2. *&* 9. Bonac. *disp.3.q.2.punct.3.n.*2.6. *&* 7. Pal. *tract.*32. *disp.*5. *punct.*31.*§.*1.*n.*1. Covar. 3. *variar. cap.*8.*n.*2. *&* 3. Tapia *lib.*5.*q.*16.*art.*14. Less. *lib.*2.*cap.* 21. *dub.* 14. *n.* 13. Petr. Navar. *lib.3.cap.*2. *dub.*10. Sylvest. *verb. Vsura, n.*15. Gabella autem solvenda est pro prima venditione, non pro secunda, vt probat Villalob. *n.*10. *&* *tract.*8. *diff.*17. *num.* 6.

Ampliatur dicta conclusio.

61 Sed notant Bonac. *n.* 12. *&* 16. Malder. *concl.*3. Sylvest. Petr. Navar. Villalob. locis citatis, dictam conclusionem locum habere, etiamsi res vendita cum pacto revenditionis in favorem venditoris locetur venditori, & hoc in pactum deducatur (nisi fortè celebretur ad paliandam vsuram, & maiora onera imponantur venditori, eidemque conductori, quàm postulet natura contractus) nam si ego tibi vendo domum cum pacto, vt illam mihi revendas, & interim loces, duplex intervenit contractus, & vterque justus; alter venditionis, de quo diximus; alter locationis, quia domum iam à te emptam potes locare cui volueris, & sic eam mihi locare poteris. ¶ Cæterùm, quia in contractu redemptionis in favorem emptoris manifestè datur vsura palliata, cùm res, quæ perire non potest, vt vinea, hortus, domus, emitur cum pacto redemptionis: ideò meritò illicitam esse talem pactionem, docent Tapia *n.*5. Villalob. *n.* 10. Pone, Petrum à me vineam emere mille aureis, quos dedit cum pacto, vt quando ipse voluerit, ego eam redimam. Colligit ipse fructus ex ea, & postea vult, vt illis mille aureis vineam redimam, committit palliatam vsuram, quia nihil aliud est, quam velle fructus vineæ meæ percipere pro mille aureis, quos mutuavit; & sic pro mutuo vult lucrum reportare, quod speciem magnam vsuræ præsefert, nisi tantum de pretio in redemptione minuatur, quantum valent fructus; vel initio contractus cariori vinea vendatur pretio, pro spe fructus percipiendi ab emptore.

Prima conditio, vt licita sit venditio cum pacto retrovendendi.

62 Prima igitur conditio, vt justa sit talis conventio, est, quod non fiat in fraudem vsuriam, quia tunc est vsura palliata. Vsura namque palliata dicitur, quando sub alio contractu celatur: & tunc datur in præsenti, quando ab vsurario fieret animo magis mutuandi, quàm emendi, aut vendendi. Emit à te vsurarius domum mille aureis cum pacto, vt post annum tanti redimas, interim locat eam tibi, vel alijs, centum aureis: ecce ad lucrandum hos centum aureos, illos mille quasi mutuatos dat; & sic non tam animo emendi, quàm lucrandi. Requiritur ergò bona fides animo emendi, & vendendi, quia non perficitur contractus emptionis, nisi consensu vtriusque, & animo cum celebrandi. Et tunc adesse bona fides præsumitur, quando vel qui emit hoc facit, quia sufficientes pecunias non habet ad aliquid emendum, nisi cum tali gravamine, vel si res precibus venditoris emitur ab emptore, quia alias nollet eam emere, vel ipse emere vellet, sed qui vendit, non vult alienare eam, nisi cum illo onere. Tapia *num.* 3. Bonacin.

num.

n. 8. Villalob. *num.* 4. Reginald. *lib.* 25. *num.* 248. *fol.* 491.

Secunda conditio ad justificationem huius contractus.

63 Secunda conditio est, vt justum sit pretium habita ratione gravaminis. Quælibet enim venditio, & emptio, non servato justo pretio, iniqua est, vt infra videbimus. Nec justum servaretur pretium, si res, quæ secundùm se valeret 20. venderetur eodem pretio cum pacto retrovendendi: siquidem res minús valet cum illo gravamine, quàm secundùm se valeret: & magis quando gravamen imponitur venditori in favorem emptoris cum pacto redemptionis. Vnde tantùm pretij minuendum est, si in favorem venditoris celebretur, vel augendum, si in favorem emptoris, vt servetur æqualitas, & justitia pretij, considerato onere emptori, vel venditori imposito: & pro ratione diuturnioris, vel brevioris temporis, quod præfinitur ad redemptionem, vel retrovenditionem, debet augeri, vel minui pretium, quia juxta maius, vel minus gravamen, quod imponitur, debet dari auctuarium, vt omnes asserunt.

Tertia conditio eiusdem rei.

64 Tertia conditio, vt non possit paciscí, quod res postmodum pluris vendatur, cum possit tunc minus valere; nec vt minori pretio, cùm possit plus, valere; sed quod justo pretio vendatur, vel ematur, prout res valuerit tempore redemptionis, aut revenditionis. Posse tamen tunc vendi cum pacto, vt eodem pretio posteà vendatur, vel tunc emi, vt eodem pretio posteà redimatur, asserunt Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *lib.* 14. *n.* 115. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 18. *num.* 5. Bonac. *supr. num.* 14. Quia id nihil aliud est, quàm vendere cum pacto, vt tali tempore dissolvatur contractus. Sed displicet nobis, quia quando res venditur in favorem venditoris cum pacto retrovendendi, minùs valet res, quia emptori datur cum onere, & gravamine. At quando revenditur ab emptore priori venditori, tantùm valet, quantum secundum se æstimatur; cùm nullum onus imponatur emptori; & è converso quando in favorem emptoris, quomodo diximus plus valere rem, quia onus imponitur venditori: ergò non potest redimi, aut revendi eodem pretio, quando absque onere datur, ac cùm emitur, aut venditur cum illo: nisi incrementum, vel decrementum pretij intra latitudinem justi contineatur, vt si res, quæ valebat 9. in infimo pretio, vendatur cum pacto redemptionis 12. quod esset summum, conventione facta, vt venditor redimat pretio 12. quod intra latitudinem justi pretij continetur.

Quarta, & quinta eiusdem materiæ conditio.

64 Quarta conditio est, quod non trahatur in pactum, vt periculum, aut commodum rei venditæ sit apud venditorem; nisi tantùm augeatur, vel minuatur pretij, quantum tale periculum potest æstimari, quia ex natura contractus venditionis est, vt damnum, & commodum rei sit penès emptorem, leg. *Illud. ff. de periculo, & commodo rei venditæ*: & ideò fructus rei illius medij temporis, vt diximus *n.* 23. pertinent ad emptorem, modo locata non sit venditori, qui ratione locationis eos tunc percipere valeret. ¶ Quinta conditio, vt servetur identitas rei venditæ, vt si vacua vendatur, vacua revendatur; si cum fructibus ematur, cum fructibus redimatur; nam si quis emeret vineas post vindemiam, vel segetes post messem, pacto vt revendâtur intra annum, quando fortè sunt cum fructibus, injustitiam faceret, quia res cum fructibus pluris æstimatur, quàm sine illis, nisi pretium augeret in revenditione, vel minueret in prima venditione, quantum spes fructus æstimabatur.

Potest repetere à tertio rem, qui cum pacto retrovendendi illam dedit.

66 Sed inquires, vtrum si Petrus vendat equum Paulo cum pacto, vt post annum Paulus revendat eundem equum Petro, & Paulus vendidit illum Francisco, Petrus actionem habeat adversus Franciscum, vt possit equum ab eo repetere? Affirmat Covar. *3. variar. cap.* 8. *vers. Hinc apparet*, citans Paulum de Castro, & Guidonem, & probabile dicunt Less. *supr. n.* 121. Villalob. *n.* 8. licèt oppositum teneant; nimirùm non habere actionem primum venditorem, adversus secundum emptorem: quod etiam docent Bonacin. *n.* 9. Malder. §. *Existimo*. Eo quod tunc non datur actio realis contra rem, quæ venditur, sed personalis contra primum emptorem, qui pactum fecit, virtute cuius tenebitur solvere damna, quæ venditori eveniunt, aut interesse, quod amittit, eo quod illi sua res non retrovendatur. ¶ Nos verò asserimus cum hac secunda sententia, habere Petrum actionem adversus Paulum, à quo potest damna, & interesse repetere; nisi à Francisco res illi revendatur, & etiam adversus Franciscum cum prima sententia, quia hic non solùm datur actio personalis, sed etiam realis in rem, quæ illo onere affecta vbique existit. Et ratio est, quia Petrus non solùm habet actionem personalem adversus Paulum, sed etiam realem: & ideò si moriatur post pactum retrovendendi in suum favorem, possunt hæredes eius rem petere, & redimere, vt cum Molina, & Thusco docet Bonacin. *n.* 17. & Palaus *disp.* 5. *punct.* 30. §. 7. *num.* 1. ergò non erat actio merè personalis activè: ergò nec passivè in alio erat tantùm personalis. Sicut ergò, si moreretur emptor, actio eius transiret ad successorem, ita, si venditor, obligatio eius ad successorem transiret: & sic non erat merè personalis, quia actio personalis activè, vel passivè respectu rei non transit ad particularem successorem, vt constat ex leg. *final.* §. *final. ff. de contrahend. emption.*

PUNCTUM VII.

Vtrum emptiones, & venditiones reciprocæ eiusdem rei diverso pretio, quæ vulgò mohatras, *vel* varatas *dicuntur, sint licitæ?*

Quando contingant mohatræ?

67 CONtingit multoties aliquem indigere pecunijs, quas mutuatas nequit reperire, accedit ad mercatorem, emit ab eo merces creditò maiori pretio, & statim eas vendit, vel ipsi, vel alteri pretio viliori. Hæc *mohatra* dicitur, quæ totics apud mercatores, non sine dispendio conscientiæ vsitatur. Et hoc præcipuè invenitur in aurificibus, vulgò, *los Plateros*, qui vasa aurea, vel argentea vendunt rigoroso pretio, habita ratione operum, & industriæ, (*con las hechuras*) & ea pretio posteà quod valent, non habita ratione laboris, & industriæ, emunt, sed solius auri, & argenti: & ideò vas, quod cum labore 100. valet, totidem vendent credita pecunia, & postea numerata pecunia emunt 80. quia pondus auri, vel argenti, non habita ratione operum, amplius non valet. Quæritur ergò an hic contractus sit vsurarius, & illicitus?

68 Certè relegandus esset omninò talis contractus à republica: tùm ob periculum injustitiæ plus

A republica omnes mohatræ deberent relegari.

plus justo vendendi, cùm vendatur etiam necessitas illius, qui emit; & minùs justo emendi, cùm videant mercatores, alium ex necessitate vendere. Tùm etiam, quia per illum vsuræ passim palliantur. Tùm denique, quia pauperes agricolæ multoties coguntur á mercatoribus, qui fortasse illas non habent, res in summo emere credita pecunia; & posteà illis vendere infimo pretio pecunia numerata, quo eorum possibilitas, & substantia attenuatur, & nobiles divites inutilibus debitis gravantur, ita vt in pauperiem deveniant, & fideiussores perdant: & sic vix datur respublica benè instituta, in qua prohibitus non sit talis contractus. Nam in Lusitania prohibiti sunt sub gravibus pœnis, 4. *p. leg. Extravagant. tit.* 10. *leg.* 2. vt testatur Molin. *tom.* 2. *disp.* 310. Et in Castella, *leg.* 29. *tit.* 4 *leg.* 3. *Novæ Collect. & leg.* 22. *tit.* 15. *lib.* 5. Cæterùm, quia leges istæ, saltem in nostro Regno solùm obligant sub peccato mortali, quando talis venditio fit supra justum pretium, vel emptio infra illud (quomodo est etiam contra justitiam ex natura rei cum obligatione restitutionis) vt docent Gutier. *dict. leg.* 19. *cap.* 39. *n. vlt.* Acebed. *leg.* 22. *tit.* 11. *lib.* 5. *Compil. n. vlt.* Salas *tract. de emption. & vendit. dub.* 37. *fin.* Palaus *disp.* 5. *punct.* 23. *n.* 4.

Quomodo cõtingat mohatras justum pretium non excedere?

69 Relinquitur locus disputationi, an peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem, qui tales mohatras committunt, si justi pretij latitudinem non excedant? Vt si res vendant in summo pretio credita pecunia intra latitudinem justi, & posteà emant pecunia numerata in infimo pretio, etiam intra latitudinem justi? Vt si pretium summum justum rei esset 100. & infimum 80. an esset peccatum contra justitiam rem illam centum vendere, & posteà emere 80. Et quidem si id fiat cum pacto implicito, vel explicito retrovendendi, omnes asserunt esse palliatam vsuram, & contra justitiam, obligantem ad restitutionem, quia reipsa nihil aliud est, quàm velle mutuare 80. cum pacto, vt alius teneatur solvere 100. & sic 20. supra sortem accipere. Quæstio igitur est, quando absque pacto implicito, vel explicito fit: vt si vendidisti bona fide mercem Petro in pretio summo justo, credita pecunia, qui vult alteri eam vendere pecunia numerata in infimo, & casus occurrit tibi, & rogas, vt tibi vendat sicut alteri potest vendere. Quæritur ergò, an tuta conscientia eam emere possis, vel alius, cui emptor tali precio cupit vendere? Et loquimur præciso scandalo, aut periculo infamiæ, quæ ex notitia talium contractuum solet frequentèr evenire; cùm vulgò huiusmodi venditores, & emptores, vt vsuratij, & latrones habeantur, quia præsumitur plures injustitias committere; sed tunc esset peccatum si cum scandalo, aut periculo infamiæ talia facerent, sed non contra justitiam (si semel contractus contra illam non est) proindeque non obnoxium restitutioni, vt omnes dicunt.

Nõ sunt illicitæ mohatræ, quæ justum pretiũ non excedunt.

70 Dicendum itaque est, licitum esse talem contractum, si fiat absque fraude, vel pacto explicito, vel implicito de retrovendendo, si non excedatur justum pretium, vel supremum in vendendo, vel infimum in emendo, vtpotè si res credita pecunia vendatur in summo pretio justo Petro, qui statim eandem rem alteri, vel ipsi venditori revendit in infimo pretio justo, numerata pecunia. Ratio est, quia hìc nulli fit injustitia, nam prima venditio justa est, etiamsi sit in summo pretio justo, quia mercator potest in summo pretio intra latitudinem justi suas merces vendere, maximè credita pecunia. Secunda venditio est etiam justa, quia absque injustitia potest merces emi in infimo pretio intra latitudinem justi, maximè quando à venditore rogatur, & merces offertur, quo modo non parum vilescit: ergò non est vndè talis contractus sit injustus, nec quando res venditur in summo, nec quando emitur in infimo; etiamsi à primo venditore ematur, quia sicut alius emere potest, cur non ille? Nam hinc commodum potiùs, quàm incommodum evenit revendenti: cùm vel sic excusetur à quærendo alio, qui talem rem illo pretio emere velit. Sic Tolet. *lib.* 5. *cap.* 31. *n.* 30. Riginald. *lib.* 25. *n.* 296. Salas *tract. de emption. dub.* 27. Palaus *disp.* 5. *punct.* 33. *n.* 4. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 19. *à n.* 3. Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 16. *n.* 130. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 170. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 20. & est communis. ¶ Signanter diximus initio huius *num. si fiat absque fraude, &c.* Nam si fit cum fraude, vel pacto implicito, vel explicito, nullatenus potest tolerari; vt constat ex decreto SS. Pontif. Inoc. XI. damnatis Propos. 40. modo dicto sic tenentem: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.*

PUNCTUM VIII.

Vtrum illi, quibus aliquid traditur vendendum; qui vulgò dicuntur, los corredores, *possint sibi aliquid ex pretio retinere, si pluris vendant rem, quàm eis à domino fuit præscriptum?*

Quæ sint certa in hac materia?

71 SUpponimus, quod si rem supra justum pretium vendant, id, in quo excedunt justum pretium, tenentur, non domino rei, sed emptori reddere, quia in eo peccavere contra justitiam adversus emptorem. Supponimus etiam, quod si res sit sua industria meliorata, & ob id altiori pretio eam vendant, quàm à domino fuit præscriptum, illud incrementum, vtpotè, suæ industriæ fructum, possunt sibi arrogare. Et si dominus committeret rem vendendam in hac civitate, & internuntius ille, facta morali diligentia, non inveniret nisi 20. & in alium locum translata inveniret 30. (intra latitudinem justi pretij) illa decem, quæ supersunt, potest sibi reservare, vt fructus suæ industriæ: sunt enim habita extra diligentiam sibi injunctam. Ac denique supponimus, quod si expresse, vel tacitè cum domino conveniret ille interventor, vt sibi acciperet id, in quo vltra pretium præfixum venderet, posset illud sibi reservare. Expresse quidem talis conventio datur, vt si dicat dominus tanti rem vende, & si amplius vendideris, tuum erit. Et tacitè censetur cum eo convenire, si dominus, illi, qui non est suus famulus, committeret venditionem, nullo stipendio pro labore, & industria assignato, quia reputatur in stipendium assignari, quod vltra pretium præfixum invenerit, nisi excedat diligentiam & laborem, vt tenet Graffis 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 26. Palaus *disp.* 4. *punct.* 16. *numer.* 1.

Salas

Salas *de contract. emption. cap.* 45. *n.* 4. Petr. de Ledesm. 2. *p. sum. tract.* 8. *cap.* 31. *concl.* 17. *diff.* 2. Præcisis igitur his casibus.

Non potest internuntius excessu pretij assignati sibi acquirere.

72 Asserendum est internuntium, cui res vendenda tradita fuit à domino, vt tanti venderetur, pretio designato, non posse incrementum pretij sibi assumere, si fortè pluris rem vendiderit, sed debere domino totum reddere. Ratio est, quia nullum titulum habet, vt tale incrementum sibi arroget: non rationi rei, quæ sua non erat; nec ratione industriæ, aut laboris, quia vel stipendium pro eo recepit, vel tenebatur absque illo rem vendere, si erat in domini famulatu, vel si sponte se obtulit, & absque pretio munus internuntij suscepit; nec quia dominus pretium designavit, quia, nisi oppositum expressè, vel tacitè innuerit, designari pretiũ solùm censetur, ne res viliori pretio vendatur, non vt maiori, si fortè occasio se obtulerit: est ergò auctuarium domino reddendum. Sic Malder. *tract.* 5. *p.* 2. *dub.* 6. Sylvester *empt. q.* 24. Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 19. *num.* 138. Tap. *lib.* 5. *q.* 16. *art.* 18. *n.* 1. Palaus *de justit. disp.* 4. *punct.* 16. *n.* 2. Angel. *emptio* 10. *§.* 23. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 20. *n.* 1.

Resolvitur quidam casus, de quo interrogatus fui.

73 Hinc venit resolutio cuiusdam casus, de quo hoc anno fui consultus, quem modò proponam, quia multoties in praxi occurret. Eques quidam pijssimus huius civitatis salmantinæ œconomum habebat in villa quadam sua, qui triticum colligebat, quod ex redditibus annuis equiti competebat. Præcepit dominus villico, vt juxta taxam mille fanecas tritici venderet, quando communi pretio plusquam decem argenteis supra taxam currebat. Ille, vt villicus iniquitatis, frumentum pretio currenti vendidit, & domino reddidit pretium, quod juxta taxam illi correspondebat: Requisivit à me, an posset incrementum, quo triticum vendidit sibi retinere, vel domino teneretur restituere? Respondi, & modò respondeo, nec sibi posse retinere, nec domino restituere; sed illis, quibus supra taxam triticum vendidit. Sibi quidem retinere non poterat, quia nullum ad hoc titulum habebat, cum esset famulus, cui ratione famulatus conveniebat domino obtemperare, & triticum suo nomine, quando ipse juberet, vendere. Sed exiguum est salarium, quod recipio, aiebat ille, meoque labore valde inferius. Circa hoc vide, quæ diximus *tract. præc. cap.* 1. *n.* 315. Et permitto pro nunc, posse illum in compensationem, quia justum stipendium non accipit, aliquid de bonis domini occultè recipere (cum limitationibus tamen *loc. cit. à n.* 316. datis) & non in tanta quantitate. Si justum stipendium erant 500. argentei, & recipis serve nequam 300. accipe 200. & tolle quòd tuum est, & vade; sed plusquam decem millia recipere, ab omni est æquitate alienum. Reclamat ille, quia suæ industriæ. & diligentiæ adscisci debet, quod tanti venderetur triticum, aliàs infimo pretio vendendum. Bone Deus! Quis tibi hanc industriam iniunxit, nullius cedens in commodum, sed pauperum in detrimentum, cum potius deberes justa domini adimplere, à tali abstinendo industria, vel industriam deberes apponere in inquirendis pauperibus, & illis, quibus consentaneum erat, juxta taxam triticum vendere, cum supra taxam passim venderetur? Sed in hoc, quod est supra taxam vendere, cum communiter sic venderetur, quæ industria, aut diligentia apposita est pretio æstimabilis, & tam excessivo pretio? Illud igitur incrementum penitùs debes restituere.

Resolutio eiusdem casus concluditur.

74 Sed non domino: & præscindendo pro nunc ab illa quæstione de qua infra *hoc cap. punct.* 10. an supra taxam posit triticum justè vendi tempore sterilitatis, & inopiæ, & permitto potuisse equitem supra taxam triticum vendere; sed hoc ipso, quod sciens triticum communiter vendi supra taxam, præcepit famulo, vt juxta taxam venderet: vel voluit cedere illi juri, quod sibi sterilitas temporum, & Auctorum opinio concedebat, sequique tutiorem, & iussis Principum obedire, legitimumque omni tempore pretium observare: vel voluit, vt erat pijssimus, hoc beneficium quasi in eleemosynam vassallis impendere, alijsve, qui tale triticum juxta taxam emebant, quando erat inopia, & sterilitas maxima. Et sic illud auctuarium, quo pluris à famulo fuit venditum ex justitia debebatur emptoribus, qui licèt absolutè jus non haberent, vt sibi tanti triticum venderetur; ex suppositione tamen voluntatis illius domini, jus ad rem habebant, vt illis supra taxam triticum non venderetur. Sicuti enim diximus *tract.* 12. *cap.* 1. *à n.* 30. quod hoc ipso, quod aliquis suo famulo mille dederit distribuenda pauperibus, vel inter personas talis conditionis, ille, nedum ex justitia distributiva, sed etiam ex commutativa teneretur inter illos illa centum distribuere; & aliter faciens, teneretur illis restituere, qui jus habebant ad rem ex suppositione designationis domini, & voluntatis eius famulo iniunctæ. Sic accidit in nostro casu.

Potest internuntius rem sibi emere.

75 Redeamus ad nostrum huius puncti intentum, & sciendum est, quod si dominus internuntio præscriberet pretium medium, posset ipse interventor (præciso alio jure positivo) rem sibi emere illo pretio, & posteà in supremo pretio intra latitudinem justi vendere, incrementum sibi retinendo, cum domino non faciat injustitiam, cui pretium datur, quod præfixit, & sicut alius potest illo emere, etiam ipse internuntius. Nec alijs, quibus vendidit in summo, cum sit intra latitudinem justi pretij. Tenetur tamen adhibere diligentiam inquirendi, an reperiatur aliquis, qui vltra pretium infimum, vel medium velit rem emere, qua posita, si non se offerant, nisi qui in infimo pretio velint rem emere, potest illam sibi in tali pretio emere, & si posteà casu alius se offerat, qui eam ab ipso emat in summo, incrementum illud sibi reservare, quia iam vendit, quod suum erat per emptionem. Malder. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 19. *num.* 139. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 20. *num.* 3. ¶ Dixi, *præciso alio jure positivo*, quia extat lex 14. *tit.* 12. *lib.* 5. *Novæ Recopil.* qua prohibetur his interventoribus per se, vel per interpositam personam rem emere, sibi commissam vendendam, quia in hoc plures fraudes, & injustitiæ multoties perpetrantur. Verum est, quod si non se offerant alij, qui plus dent, non erit contra justitiam rem illam sibi emere pretio illo infimo, quod inveniri potuit. Imò nec contra istam legem peccabit, quia lex hæc in præsumptione fraudis fundatur, quæ non datur in tali casu. Et lex fundata in falsa præsumptione, hac deficiente, non obligat, diximus *tract.* 11. *de leg. cap.* 2. *n.* 78. & in præsenti casu docet Villalob. *supr.* Tap. *lib.* 5. *q.* 16 *art.* 18. *num.* 3.

Quæ dicta sunt de venditione, etiã de emptione sunt accipienda.

76 Idem, quod dicimus de venditione, vice versa tenendum est de emptione: quod si roges Petro, vt tuo nomine emat equum mille aureis, si ille emat octingentis, non poterit ducentos sibi retinere, sed tibi restituere debet, quia ille emit

emit, vt tui negotij gestor, & tuo nomine, non suo, & tu pretium assignasti, nisi constet de opposita intentione, vt terminum magnitudinis, ideſt, vt non supra illud pretium equus emeretur, nisi fortè internuntius aliquam industriam indebitam apposuerit, ob quam illa quantitas fuit lucrata. Palaus *disp.* 4. *punct.* 16. *n.* 3. Molina *disp.* 363. *circa finem.* Salas *de emptione, dub.* 45. *n.* 6. Ex quo benè inferunt, non posse sartores, quibus merces committitur emenda ad conficiendum vestem, sibi retinere aliquid, quo vilius emerunt, sub prætextu, quod possent carius emere ab alijs mercatoribus: ipsis namque incumbit moralem diligentiam adhibere, vt vilius emant, nec possunt tale pretium retinere prætextu lucri cessantis, quod amittunt ab opere cessando, quod interim facere poterant, dum in hac emptione occupantur: quia hanc diligentiam ipsi gratis offerunt exhibendam, vt vestis conficienda committatur ipsis potius, quàm alijs. At si, facta diligentia, non inveniant sartores mercatorem, qui minoris, quam 40. panni vlnam concedat, & mercator amicus octo, aut decem à pretio diminuat, vt ipsi sibi retineant, in gratiam quòd ad ipsum accesserunt empturi, & vt postmodum semper accedant, malè facient ea retinendo, & infidelitèr suum munus obeundo: illa tamen absque injustitia retinere poterunt, vtpotè à mercatore donata, vt docet Trullench. *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 3. *n.* 8. Dian. 1. *p. tract.* 8. *resol.* 36. Filliuc. *tract.* 35. *cap.* 6. *n.* 149.

PUNCTUM IX.

Vtrum excedere pretia justa rerum in venditionibus, & emptionibus, sit peccatum contra justitiam, obligans ad restitutionem?

Non debet pretium rei ex perfectione eius physica accipi.

77 QUia secundùm D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. sumptum ex Philos. 1. *Politic. cap.* 1. & 6. emptio, & venditio jure gentium introducta est in communem vtilitatem, & commodum ementis, & vendentis, dum vnus indiget merce alterius, & iste pecunijs, seu pretio ementis indiget, propterea meritò docet *art.* 2. *seq. ad* 3. ex D. Augustin. *lib.* 11. *de Civit. Dei, cap.* 16. pretia rerum sumenda non esse ex physico valore illarum, attentis præcisè naturis rerum secundùm se: *Cum quandoque pluris vendatur vnus equus, quam vnus servus*; sed secundum valorem moralem, secundùm quod deserviunt vtilitati humanæ, & ad vsus illius: *Non enim appretiantur secundùm dignitatem naturæ ipsorum* (inquit Sanctus Doctor. 5. *Ethic. lect.* 9. *lit.* C.) *alioqui mus, quod est animal sensibile, maioris pretij esset, quàm vna margarita, quæ est res inanimata; sed rebus pretia imponuntur secundum quod homines indigent eis ad suum vsum.* Et rationem huius reddit optimè Sotus *lib.* 6. *de justit. q.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. quia cùm mundus, & ea, quæ in eo continentur, propter hominem facta sint, tanti civili æstimatione res valent, quanti hominibus inserviunt; ac per consequens pretium rerum non secundum earum naturam æstimandum est, sed quatenus in vsus veniunt humanos.

Duplex acceptio pretij.

78 Quo jacto fundamento, aliud statuendum est ex eodem Philos. 5. *Ethic. cap.* 7. & D. Thom. ibi, *lect.* 12. *lit. A.* nimirùm hoc pretium politicum, seu morale bifariam accipi. Aliud enim est pretium justum *legitimum*, seu illud, quod per legem Principis est assignatum, vel taxatum per publicam potestatem, seu ab eo, qui à republica potestatem habet assignandi pretia rerum, qui nostro idiomate dicuntur, *los Fieles*: & hoc pretium in indivisibili consistere, tenent omnes Doctores; ita vt nec vnius oboli accessio sit licita, sed erit mortale, vel veniale, juxta quantitatem materiæ, illud augere, vel minuere, obnoxiumque restitutioni, vt dicemus *infra*. ¶ Aliud est pretium justum *naturale*, illud nimirùm, quod juxta rectam rationem justum judicatur, pensatis omnibus circunstantijs rei, quæ venditur, temporis, loci, modi, quo venditur, & personæ, à qua venditur, de quibus dicemus infrà; & hoc dicitur justum *vulgare*, quia est, quod communi hominum æstimatione currit: & hoc justum vulgare, seu naturale, non consistit in indivisibili, sed habet quandam latitudinem, quia non assignatur ab aliquo principio fixo, & stabili, vti *legitimum* per legem, & superiorem; sed per arbitrium, & communem hominum æstimationem: & cùm à pluribus taxetur, non omnes in idem conveniunt, sed ab aliquibus plus augetur, ab alijs minuitur; & hinc fit, quod eadem res, quæ hìc viginti argenteis justè venditur, ibi viginti duobus justè vendatur.

Quomodo dividitur pretium in infimum medium, & supremum?

79 Et hinc provenit illa communis doctrina, quam tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *ad* 1. nimirùm pretium *vulgare* in indivisibili non consistere; sed vt inquit Caietan. *ibi*, quem omnes in hac parte sequuntur, dividitur in *pium, moderatum, & rigorosum*: seu vt alij dicunt, in *infimum, medium, & supremum.* Infimum est, infrà quod justè non potest res emi. Supremum, suprà quod justè non potest vendi. Medium attenditur penès latitudinem illam, quæ datur inter vnum, & alterum. Et hinc, inquit Caietanus, multæ quæstiones solvuntur ex eodem pretio eiusdem rei in eodem loco; cùm videamus ab vno 12. ab alio 14. ab alio 16. rem emi, & ab omnibus justè, quo sensu dicitur in leg. *In causa* 17. *§. Idem Pomponius, ff. de minoribus: In pretio emptionis, & venditionis naturalitèr licet contrahentibus se circumvenire*, seu se decipere (non deceptione propriè accepta, quæ fit per fraudem, & dolum; sed de alia, qua dicitur decipi, qui minùs emere potest, & pluris emit) nimirùm intra latitudinem justi pretij, vt omnes Doctores, tàm Theologi, quàm Iuristæ, explicant. Et hinc provenit (prosequitur Caietanus) quod vnus emat 10. & statim vendat 12. absque læsione conscientiæ, quia emit pretio infimo, & vendit supremo intra latitudinem justi pretij. En hinc etiam fit, concludit, vt vnus vendat danti nunc pretium pro 10. qui non vult vendere soluturo ad annum, nisi pro 12. quia potest numerata pecunia vendere in infimo pretio, & credita in supremo, intra justi pretij latitudinem.

Quæ latitudo possit inter ista pretia assignari?

80 Difficilè autem est assignare quanta sit hæc latitudo justi pretij, & potius taxanda est hominum prudenti judicio, rebus omnibus hinc inde concurrentibus pensatis, quàm certa meta statuenda. Regulariter autem admittenda est illa doctrina, quam tradit Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 10. Trull. *in Decal. lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 2. *n.* 5. Illust. D. D. Fr. Pet. à Tap. *tom.* 2. *suæ caten. lib.* 5. *q.* 16. *art.* 2. *n.* 4. Reverend. admodum P. M. Fr. Ioan. Martin. à Prad. *tom.* 2. *cap.* 27. *q.* 1. *n.* 32. Eminentiss. Card. Lug. *tom.* 2. *disp.* 26. *n.* 59. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 1. Rebell. *part.* 2. *lib.*

lib. 9. q. 1. sect. 3. n. 3. videlicèt, quod si res fuerit vilior, minorem habebit latitudinem, si pretiosior, maiorem. Vnde si pretium rei medium sit 10. infimum erit 9. supremum 11. & erit duorum latitudo. Si res pretiosa valeat in pretio medio 100. infimum erit 95. supremum 105. & sic habebit latitudinem 10. In rebus autem, quæ rarius inveniuntur, multo maior inæqualitas potest assignari: nam eadem domus, aut villa, quæ nunc venditur vinginti mille, post vnum annum solet vendi duodecim, vel quatuordecim mille. ¶ Quibus sic iactis fundamentis, tria in hoc puncto nobis agenda sunt. Primum, & principale, quod quærit titulus, an sit contra justitiam excedere pretia rerum, carius vendendo, vel vilius emendo, quàm justum est. Secundò agemus de pretio justo naturali, vndè sumatur: quot modis augeatur, vel varietur. Tertiò de pretio justo legitimo, à quibus assignetur; quando, & quomodo obliget, & cætera, quæ ad illud pertinent. Quod diversis §§. præstabimus.

§. I.

Pretia justa rerum excedere, vel minuere, est contra justitiam obnoxium restitutioni.

Quatuor Div. Thomæ assertiones.

81 DIvus Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *in corpore*, quatuor dicit circa hanc materiam, quæ ab omnibus ferè admittuntur, quæ libuit proponere, vt fundamenta cæterorum, quæ hoc puncto dicemus. ¶ Primum dicit, quod si quis per fraudem aliquid plus justo pretio vendiderit, iniquitèr operatur, quia in damnum ipsius proximum decipit. ¶ Secundum, etiam secluſa fraude, esse illicitum, & injustum carius rem vendere, vel vilius emere, quàm valet. Et probat, quia emptio, & venditio est introducta pro communi vtilitate vtriusque, tàm dantis, quàm accipientis; sed quod in commune commodum est introductum, non debet esse magis in gravamen vnius, quàm alterius: debet ergò secundum æqualitatem rei constitui contractus: ergò debet dari æqualitas inter pretium datum ex parte ementis, & rem traditam ex parte vendentis: & quælibet inæqualitas exorbitat à vera justitia: est ergò contra illam, vel rem vilius emere, quàm valet, vel carius vendere, quam est justum pretium illius. ¶ Tertium asserit, quod per accidens potest vendi plus, quàm res valet secundùm se, licèt non vendatur plus, quàm valet habenti, vt in casu, quo vnus multùm indiget habere rem illam, & lædituꝛ, si illa careat: tunc enim pretium, non solùm debet assignari, inspecta natura rei, sed habita etiam ratione illius damni, & incommodi, quod alius patitur, privando se tali re ob vtilitatem alterius. ¶ Quartum dicit, quod si Petrus multum iuvetur ex re, quam à Paulo emit; Paulus verò, qui vendit, carendo illa, non damnificatur, non debet vendere talem rem supra pretium, quod ex se habet, & cariùs ob vtilitatem, quam emens ex tali re accipit, quia vtilitas, quæ alteri accrescit, non provenit ex venditione, sed ex conditione ementis: nullus autem debet vendere aliquid, quod non est suum, licèt possit ei vendere damnum, quod patitur. Circa has quatuor conclusiones D. Thom. quæ certissimæ sunt, & communitèr à Doctoribus receptæ, aliqua adnotabimus.

82 Prima igitur conclusio est lumine naturali nota: nam si venditor fallacijs, & deceptionibus extorquet vltra justum pretium, latro est, qui clam surripit, quod non est suum. Verùm est hic duplex quæstio resolvenda. Prima, an quando aliquis contrahentium decipit alium intra latitudinem justi pretij, teneatur restituere id, in quo decipit? v. g. contrahunt duo, & inter se conveniunt de infimo, vel medio pretio: poteritne vendens absque injustitia occultè accipere supremum, decipiendo alium, vel in numeratione pecuniæ, vel aliquid de re subtrahendo? Et è contra conveniunt in pretio supremo, aut medio: poteritne emens decipere eodem modo venditorem, vt trahat eum ad infimum pretium, sine eo quod peccet contra justitiam, & teneatur restituere? Affirmat Ioan. de Medin. *Cod. de restitut. q.* 34. *§. Tertium dictum.* & Petr. de Navarra *in prima editione*, licèt in secunda oppositum teneat: & ideò pro nostra parte eum adducemus. Et probatur primò ex illo, quod dicitur in leg. *In causa* 17. *§. Idem Pomponius*, *ff. de minoribus*: nimirùm, licitum esse ementes, & vendentes se invicem decipere; quod omnes intelligunt intra latitudinem justi pretij, vt diximus *n.* 79. Secundò, quia vendens dat rem valentem totum illud pretium: ergò totum est justum: ergò licèt peccet contra fidelitatem, quia non servat conventionem, non tamen contra justitiam.

Sententia asserès decipientem alium intra latitudinem justi pretij, non teneri restituere.

83 Sed hæc sententia est improbabilis, vtpotè quæ fallacijs, mendacijs, injustitijs viam sternit. Vndè licèt ante conventionem possint se decipere contrahentes lato modo, vnus trahendo alium ad supremum pretium, & alius è converso tradendo ad infimum, semel conventione facta, verbis contractus standum est indivisibilitèr, quia hic modus est contrahendi inter homines: quarè sicut non possunt contrahentes recedere à contractu facta conventione, tametsi ante illam possent: ita non potest venditor (& idem est de emptore) recedere à pretio conventionis, licèt posset ente illum maius exigere. Et ratio est, quia tota illa latitudo pretij justa erat, secundùm se considerata, vel in ordine ad voluntatem contrahentium ante conventionem; sed, conventione iam facta, non ita. Poterunt itaque in toto illo pretio convenire, & quilibet jure suo vti: semel autem facta conventione, nullus eorum habet jus, nisi ad id, in quo conventum est. Sic Malderus 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 1. *concl.* 2. *fine.* Petr. Navar. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 2. *n.* 17. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 21. *diff.* 6. *n.* 2. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 9. *disp.* 2. *num.* 140.

Improbabilis est relata sententia.

84 Secunda quæstio est, vtrum venditores, qui mendacijs, aut perjurijs affirmant rem sibi tanti stetisse, vel tanto pretio alijs vendidisse, vt pertrahant emptorem ad pretium supremum, & rigorosum, peccent contra justitiam cum onere restitutionis; & idem est de emptoribus, qui mendacijs affirmant rem tanti emisse, vel alios tanti eam sibi offerre, vt pertrahant venditorem ad infimum pretium? Respondetur, regulariter non peccare, nisi peccato mendatij, aut perjurij, non verò contra justitiam: quia hæc sunt communia mendacia vendentium, & ementium, & homines communitèr norunt hæc esse stratagemata negotiatorum, quibus fidem non præstant: & si fidem incautè præstent, sibi imputent, qui faciles sunt ad credendum. Sic Trullench. *lib.* 7. *De calog. cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 7. Rebell. 2. *p. lib.* 9. *q.* 7. *num.* 8. *ad finem.* Bonac. *disp.* 3. *de contract. q.* 2. *punct.* 4. *num.* 31. licet hic Auctor quandam limitationem adhi-

Regulariter qui mendacijs cogunt rem emi intra latitudinem justi, non peccant contra justitiam.

adhibeat, quam meritò non admittit Trullench.

Qui decipit injusto pretio, etiã infra dimidium, tenetur restituere.

85 Secunda conclusio D. Thom. nimirùm etiam citra fraudem esse peccatum injustitiæ aliquid vltra justum pretium in venditione accipere, vel aliquid infra in emptione dare, est communissima inter Doctores: in eo enim omnis justitia, huius contractus sita est, quod servetur æqualitas inter rem, & pretium, quam æqualitatem violare semper est injustitia. Licèt enim aliquando ex diversis capitibus pretium crescat, vt posteà videbimus; illud tamen incrementum cum illis circumstantijs iam est justum, vltra hoc justum, injustitia est aliquid accipere, sive credita, sive numerata pecunia res ematur, vt suo loco dicemus. Et hoc verum judicamus (contra nonnulos Iuristas oppositum sentientes) etiamsi deceptio sit infra dimidium justi pretij (loquendo de foro conscientiæ, & de obligatione restitutionis) vt si res valens in vigoroso pretio 100. vendas 148. quomodo decipis infra dimidium justi pretij, vel econtra: Si res valens in infimo pretio 40. emas 21. quomodo infra dimidium justi pretij in emptione decipis. Quia ibi est inæqualitas in illo dato, & accepto: ergò est injustitia: ergò est reducenda per restitutionem ad æqualitatem: nam illud, quod excedit, non censetur liberalitèr donatum; sed quatenus debitum est titulo emptionis, & venditionis, nempè vt justum pretium, vel vt æquivalens pro pretio oblato. Ita D. Thom. *in solutione ad* 1. *illius art.* Salon. *ibi, controv.* 17. Bañ. *ibi, dub.* 3. Lugo *disp.* 16. *sect.* 6. *n.* 81. Palaus *tract.* 32. *disp.* 15. *punct.* 17. *§.* 2. *n.* 3. Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *n.* 21. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 5. *n.* 1. Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 4. *n.* 11. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 4. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 21. *diff.* 6. *n.* 2. Malder. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 2. *concl.* 2. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 6. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 8. *disp.* 2. *num.* 130.

Triplex objectio contra dicta.

86 Sed objiciunt aliqui ex Iuristis contra prædictam communem sententiam. Primò, quod in leg. *Re mandata*, C. *mandati*, dicitur *vnusquisque sit arbiter in suis rebus*: ergò poterit eas vendere, quo pretio voluerit. Sed hoc non est ad rem: nam ibi solum dicitur vnumquemque arbitrum esse in suis rebus, vt de illis disponere possit, vel dando, vel vendendo, vel retinendo. At, supposito quod velit vendere, non est arbitèr in assignando pretio: quod non ex vnius, vel alterius judicio; sed ex communi hominum æstimatione pensandum est. Secundò objiciunt, quod in leg. *In causa* 17. §. *Idem Pomponius*, *ff. de minorib.* dicitur, vendentes, & ementes se posse circumvenire. Ad hoc autem iam dictum est legem illam esse intelligendam intra latitudinem justi pretij. Et si aliud voluit Iurisconsultus, contra jus naturæ erravit. Tertiò objiciunt, quod *in leg.* 1. *ff. ad Trebellianum*, leg. *Si servus ff. de cõditione furtiva*, dicitur *tantum res valet, quantum vendi potest.* Sed dicimus, vel esse sermonem intra latitudinem justi pretij: vel si extra illam intelligatur, loquitur de aliquibus venditionibus, in quibus non est assignatum justum pretium, aut per legem, aut per communem æstimationem fori. Vel denique loquitur de venditione, quæ fit in subhastatione, in qua, vt posteà dicemus, tantum res valet, quantum vendi potest.

Alia objectio, & eius solutio.

87 Denique objiciunt, quia quod fit legis autoritate, justè fit; nec enim præsumendum est leges velle injustitias fovere: sed in jure negatur actio læso in venditione infra dimidium (& idem est de læso in emptione) & præcipitur Iudicibus, vt sententiam proferant in favorem eius, qui infra dimidium justi pretij solùm decipit, & ne cogant illum, aut rescindere contractum, aut excessum solvere, & solùm datur actio decepto supra dimidium, vel in dimidio, & tunc solùm sententia proferenda est in favorem læsi, ita vt lædenti detur optio: vt vel contractum rescindat, vel eum reducat ad æqualitatem; & hoc non solùm jure civili, sed etiam canonico. Iure quidem civili *in leg.* 2. leg. *Si voluntate*, Cod. *de rescindenda emption. leg.* 65. *tit.* 5. *p.* 5. Et jure canonico, cap. *Cum dilecti*, cap. *Cum causa*, *de emption. & vendit.* ergò videtur his legibus approbari contractum, in quo solum datur deceptio in emptione, & venditione infra dimidium justi pretij, & solùm reprobari illum, in quo est deceptio in medio, aut supra medium. ¶ Respondetur his legibus minimè talem contractum approbari, sed permitti; &, ne lites multiplicentur, negant actionem læso infra dimidiũ in foro exteriori; præcipiuntque, ne contractus à Iudice rescindatur in foro externo, quia non esset vllus ferè firmus, & totus orbis iurgijs, & litibus esset plenus; sed non ob id contractum licitum faciunt, in quo datur aliqua deceptio, etiam infra dimidium, sed eum in sua natura relinquunt. Quare in foro conscientiæ, coram Deo, sicut ex natura sua est injustus, ita obligationem ponit restitutionis. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *ad* 1. Sed advertit Villalob. *n.* 5. cum Ledesm. 2. *p. tract.* 8. *cap.* 32. *post* 7. *concl.* quod, non obstantibus dictis legibus, si pretium rei taxatum sit à republica, qui deciperet etiam infra dimidium, cogeretur in foro externo solvere id, in quo decepit, vel rescindere contractum, quia iam cessant supradicta inconvenientia, cum pretium legitimum in indivisibili consistat.

Ampliatur dicta resolutio.

88 Sed hic nota, prædictam conclusionem D. Thom. locum habere etiamsi pars læsa, & lædens ignoraverint pretium, sed bona fide tanti valere judicaverint, igitur, postquam deceptionem noverit decipiens, tenetur restituere, vel excessum, si extet, vel id, in quo factus est ditior, juxta regulas generales de eo, qui bona fide rem alterius accipit, de quibus diximus *tr. præc. c.* 1. *punct.* 3. *à n.* 11. (nisi tempus ad præscriptionem requisitum bona fide durante præterierit) quia ignorantia venditoris non tollit injustitiam contractus, & quod alius læsus maneat defraudatus in suis bonis. Dicastill. *num.* 291. Medin. Cod. *de restit. q.* 33. *§. Tertia propositio*, Lugo *n.* 81. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 6. *n.* 20. Bañ. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *dub.* 4. Sed notant hi duo vltimi, quod si tam emens, quàm vendens, pretium ignoraverint, & scientes se ignorare, nihilominùs tanti conveniant, validus manet contractus absque vlla obligatione restitutionis, etiamsi postomodum aliquis eorum appareat læsus, etiam in dimidio: quia vterque sorti se committendo contraxit, quod communitèr dicimus, *à Dios, y à la ventura*: & sic se exposuit tàm damno, quàm lucro: vndè vterque excessum condonare, si fortè posteà appareat, & suo juri cedere, censetur.

Tertia D. Thom. conclusio probatur, & explicatur.

89 Tertia item conclusio D. Thomæ est certissima; nimirùm posse venditorem plus accipere pretij, quam res merebatur secundum se, si in ea vendenda privetur aliquo commodo, & vtilitate, vel carendo illa aliquod subeat incommodum: quia hoc non est rem vendere supra justum pretium, quia non venditur res nudè sumpta, sed vt vestita illo lucro cessante, & damno emergenti venditori, quod est pretio æstimabile, & cum vtilitas talis rei teneat se ex parte venditoris, est sub domi-

dominio eius; & sic illa vendere potest, secundum quod prudenter æstimatur. Ita Bañez 2.2. *quæst.* 77.*art.*1.*dub.*2.Salon ibi,*controv.*7.Prado *cap.*27. *quæst.*1.*num.*27.Soto *lib.*3.*de justit.quæst.*3. *art.*1. *concl.*3.Tapia *tom.*2.*lib.*5.*quæst.*16. *art.* 6. *num.*1. Malderus *tract.*5.*cap.*2.*dub.* 2. *concl.* 3. Trullench *lib.*7.*cap.*20.*dub.*6.*num.*4.Lugo *disput.* 26. *sect.*7. *num.*89.Lessius *lib.*2.*cap.*21.*num.* 26. Villalobos *tract.*21.*diffic.*6.*num.*16.Bonacina *disput.*3.*quæst.* 2.*punct.*4.*num.*28. & idem est de quolibet alio lucro cessante, vel damno emergenti; vt si vel rem esset reservaturus pro tempore, quo pluris esset vendenda, vel periculo exponitur,vt rei pretium deperdatur.Et hoc verùm est, licèt à Principe sit lege taxatum pretium; quia Princeps constituit pretium super re ipsa secundum se, non habita ratione damni subsequentis, vel lucri cessantis, vt benè docent Salon,& Trullench. Sed debet venditor in dictis casibus causam manifestare emptori, cur rem illi pluris vendat, quam secundum se valet; quia nimirum privatur suo commodo,vel lucro,eam à se abdicando, vel exponitur alicui periculo: quia fortè aliùs nollet illud incommodum redimere, & rem illo vestitam emere, vt rectè docet Lessius *num.*26. Lugo *num.*89.Soto,Tapia,& Prado,*locis citatis.* Addunt insuper Bañez,& Trullench *dub.*3.*num.*7. nostram, & D. Thomæ conclusionem procedere, quando emptor solicitat venditorem, vt vendat, quod aliàs non erat venditurus; nam si vltrò se offerat ad vendendum, non potest quidquam ex justitia exigere pro suo damno emergenti, cùm emptor non sit illius incommodi causa: & ideò ex justitia cogi non potest, vt avertat incommoda venditoris aliunde provenientia.

Ratione affectus aliquid potest pretium augere.

90 An verò ratione affectus, quo quis ad rem afficitur,pluris possit eam vendere,quàm secùndum se mereatur? Negat Tapia *suprà n.*2. quia non ob id res est magis æstimabilis, aut commodum aliquod importat emptori. Sed immeritò: nam hac ratione nec etiam posset pluris rem vendere ob lucrum cessans, aut damnum emergens;quia non ob id est magis commoda emptori:non igitur attendendum est, an sit magis commoda emptori, vt res pluris vendatur, vt dicemus 4.*concluf.* sed an vendatur cum maiori damno,aut incommodo venditoris; & an ille privetur aliqua delectatione, gustu,aut affectu:talis namque privatio est pretio æstimabilis, & sic ob eam meritò potest res crescere in pretio. Vt si sit equus mansuetissimus, & mitissimus,ratione cuius magni à suo domino æstimetur; si sit gemma rara, statua valde antiqua, domus á maioribus accepta, ob quas qualitates dominus his rebus sit affectus, quis neget posse plus pretij petere; quàm illæ secundùm se merebantur, si à suo domino non tanti æstimarentur? Sic Villalob.Bonac. Lessius, Lugo, Malder.Trullench, *locis citat.* Sed non ob id debet pro libito pretium rei emptæ crescere; sed quanti rationabiliter ille affectus æstimari poterat: & non tanti, quanti ipse ex particulari affectu eam æstimabat.

Quarta D. Thomæ cõclusio explicatur, & probatur.

91 Denique quarta conclusio D.Thomæ,videlicet, non posse venditorem plus pretij accipere, quàm res secundum se merebatur secundùm pretium legitimum, aut vulgare ratione vtilitatis, & commodi, quam affert ipsi emptori,est inter Doctores receptissima; quia vtilitas, & commodum emptoris, non cadit sub dominio venditoris: ergò non est res pretio æstimabilis, quæ ab eo vendi possit: nec ideò plus res valet, quia magis vtilis sit emptori; aliàs quo pretio possent emi medicinæ, quæ sunt necessariæ ad salutem? *Ille autem*(addit D.Thomas) *qui ex re alterius accepta multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad eius honestatem,&c.*Ita Bañez ibi, *dub.* 2.*fine.*Villalobos *tract.*21.*diffi.*6. *num.* 17. Bonacina, *disp.*3.*quæst.*2.*punct.*4.*num.* 27. Petrus Navarr.*cap.*2.*dub.*5.*casu* 3. Tapia *lib.*5.*quæst.* 16.*art.* 6.*num.*2.Prado *cap.* 27. *quæst.* 1. *num.* 34. & est communis.

Sententia asserens, res non necessarias vendi posse quantum vendi possint.

92 Sed modò rogabis primò, an res, quæ ad vsum vitæ humanæ non sunt necessariæ,nec ad communem hominum convictum, vt sunt accipitres, pretiosi equi,gemmæ extraordinariæ, picturæ singulares, aves Indicæ, & similia, quæ nec habent pretium determinatum vulgari æstimatione, nec lege positiva taxatum;vendi, vel emi possint carius, aut vilius, quantum inter se contrahentes convenerint? Idem est de locatione operum non necessariorum, an pro ipsis quodlibet pretium quantumvis excessivum exigi possit? v.g. pro vsu mulieris, pro cantu, pro saltatione, &c. Duplex datur sententia, vtraque probabilis. Prima asserit,posse tanti venditorem res illas vendere,quanti emptor sciens, & volens voluerit dare, etiamsi sit pretium excessivum; & è contra in emptione posse emi infra pretium infimum justum, etiamsi in magno excessu; & de his rebus verificari, vt sonat,illud axioma: *Tantum valet res, quantum vendi potest,leg.*1.*ff.ad Senatus Consult. leg.Si quis vxori,ff.de furtis,* & illud: *Quisque in rebus suis est moderator, & arbiter*, leg. *In re mandata,*21.*C.mandati.* Et ratio est. Tùm, quia hoc ipso quod istæ res nec vulgare, nec legitimum pretium habeant, illud censetur justum, de quo partes inter se convenerint. Tùm etiam, quia cùm non sint necessariæ vitæ humanæ, si quis velit eas emere, sponte censetur velle dare, quod alter exigit,& excessum gratis condonare. Sic Soto *lib.* 6. *quæst.* 2. *art.*3.*fine.*Bañez 2.2.*q.*77.*art.*1.*initio, §. Quanta differ.* Salon ibi, *controv.*5.& 4. Serra ibi, *dub.* 2. *fine.*Reginald. *lib.*25.*num.*189. Rodriguez *in Summa,verb.Venditio,cap.*77.*concl.*2.Aragon, Toletus, Petrus Navarr. Valentia, quos refert, & sequitur Barthol.à S.Fausto *disp.*6.*quæst.*12. & alij, quos refert, & sequitur Diana 1.*part.tract.*8.*resol.*56.

Verior est cõtraria sententia.

93 Secunda sententia rectius docet, non posse tales res vendi, quanti vendi possint, sed secundum æstimationem communem intelligentium, qua judicant, inspectis omnibus circumstantijs,raritatis,pretiositatis, valoris intrinseci rei, & alijs, tanti valere. Ideoque si supra id,quod periti illius artis,vel communiter prudentes talem rem æstimant, pretium acciperet excessivum, illud restituere teneretur. Primò, quia quælibet res debet vendi justo pretio, quod,inspectis omnibus, judicetur æquale cum illa: justum autem pretium rerum, quæ non habent illud per legem taxatum, vel vulgari fori æstimatione, est, quod tale prudentium judicio, omnibus inspectis circumstantijs,judicatur.Secundò, quia vt sit justum pretium,debet esse prudens judicium,quo tanti valere estimetur; sed nemo potest prudenter judicare rem esse tanti valoris, eo solum quod venditor eam tanti possit vendere: ergo, &c. Tertiò, quia alioquin venditor posset rem illam, quam centum valere judicabat,mille vendere,si videret Principem aliquem ea delectari, eamque velle emere quocumque pretio.Sic Caietan.2.2.*q.*77.*art.*1.*§. Quantum ad secundum.* Ledesma *tom.*2.*Summ. tract.* 8. *cap.*

32. *concl.5.in diffinit.circa tertiam regulam*, Malderus 2.2.*tract.* 5.*cap.* 2.*dub.* 1. Prado *cap.* 27. *quæst.*1.*§.*4.*num.*22.Lugo *disp.*22.*num.*47. Bonacina *disp.*3.*quæst.*2.*punct.*4.*num.*25. Trullench *lib.* 7.*cap.*20.*dub.*2.*num.*12. Villalob. *tom.*2.*tract.* 21. *diffic.*5.*num.*10. Palaus *tract.* 32. *disp.*5. *punct.* 3. *num.*3.Lessius *lib.*2.*cap.* 21.*dub.*3. Quamvis,vt benè advertit Villalob. in his rebus habeat pretium magnam latitudinem, cum visum sit taxari picturam à pluribus peritis illius artis 500. aureis, pro qua non darentur 100. si venderetur; sed pretium debet taxari vt hìc,& nunc vendenda, cum omnibus circumstantijs concurrentibus.

Quid advertendum sit circa dicta?

94 Sed adverterunt rectè Palaus *num.*4. Lugo *n.*48.Prado *num.*26. Bonacina *num.* 5. quod sæpè apud aliquas nationes res vilissimæ magni communitèr æstimantur, vt apud Iapones,& Æthiopes,apud quos specula,cultelli, &c. magni habentur, ideòque justè pecuniæ in magna quantitate pro eis accipiuntur apud illos: quia communis æstimatio apud illos dat valorem, & prudentèr res vilis auro emitur,quæ ab alijs communitèr pretiosa æstimatur: est enim honorificum res habere pretiosas,vel quæ vt pretiosæ ab omnibus habentur: & sic pretium justum vulgare apud illos est illud, in quo tales res communiter æstimantur. Et sic confitentur Doctores vtriusque opinionis, quod si tanta esset etiam apud nos rei extraordinariæ æstimatio, quòd excessivo pretio judicaretur digna; illo justè vendi posset: quia illud est pretium justum, in quo communitèr apud homines res æstimatur.¶ Ex dictis constat ad fundamenta contraria: nec enim est justum pretium, quod venditor exigit pro suo arbitratu, nec censetur emptorem excessum condonare: quia illud non dat gratis, sed vt pretium rei,nec excessus condonatio arbitranda est, nisi dentur signa evidentia talis condonationis, vt dicemus postea; aliàs numquam venditor supra justum pretium rem vendens teneretur restituere: cum facilè posset talem obligationem elidere, dicendo, emptorem liberè emendo excessum condonasse.

Res, quæ venduntur sub hasta, possunt vèdi quàti inveniri potest.

95 Rogabis secundò: vtrum res,quæ in subhastatione publica venditur, vulgò,*en publica almoneda,ò a pregones*; seu in actionibus, aut licitationibus publicis,possint tanti emi,vel vendi,quantum carius vendi possint, vel vilius possint emi? Respondetur, quod res, quæ sub hasta voce præconis venduntur, vel privatim per proxenetas, vulgò, *corredores*, discurrentes per vicos, vendi licitè possunt, quantum absque fraude, & dolo vendi possunt: ideòque illud est justum pretium huius extraordinarij fori, in quo vendi res potest (nisi alias lege sit pretium taxatum: nam in his, quæ habent pretium legitimum, illud, & non amplius erit justum, etiam si sub hasta vendantur. Quarè triticum v.g. non licet supra taxam vendere, vel in subhastatione, vel in publica licitatione, vel per proxenetas) etiam si duplo vendatur suprà quam valet, vel infra ematur, nec ob id rescindi potest contractus iuxta *legem* 2.*C.de rescindenda venditione*, nisi lege fuerit pretium taxatum, quia tunc datur actio in toto externo læso supra dimidium. Quarè excessus, in quo carius venditur res, quam valet pretio vulgari, vel vilius venditur, censetur ab emptoribus, & venditoribus condonari. Ratio est, quia potestas publica tacita quadam lege censetur illud pro justo pretio illius extraordinarij fori æstimare, quod in publico emptorum concursu tanquam in quodam examine probatum fuerit, citra omnem fraudem,& dolum. Sic Bañez 2. 1. *quæst.* 77.*art.*1. Serra ibi,*dub.*3.*concluf.*2.Malderus *tract.* 5.*cap.*5.*dub.*2.*concluf.*3.Tapia *tom.*2.*Catenæ*, *lib.* 3.*quæst.*16.*art.*6.*num.*7.Dicastillo *lib.* 2. *tract.*9. *disp.*2.*num.*50.Lugo *disputat.*26.*sect.* 4. *num.*45. Villalob.*tom.*2.*tract.*21.*diffic.*5.*num.* 9. Bonacina *disp.*3.*quæst.*2.*punct.*4. *num.* 21. Trullench *lib.*7. *cap.*20.*dub.*3.*num.*1.& 2.& *dub.*6.*num.*9. Diana 1.*part.tract.*8.*resol.*55.& 4.*part.tract.*4. *resol.* 17. & 9.*part.trct.*8.*resol.*57. Idem est, quando locantur redditus beneficiorum, comendatarum, maioratus, &c. in publica licitatione: tunc enim citra fraudem pretio posibili emi, aut vendi possunt, quo res licitantur: quia ad hunc modum vendendi veniunt plures emptores, & licitatores, qui per favorem solent pretium augere, vulgo, *pujar*; vnde res fit æstimabilior, & pretiosior. Aliquando pauci concurrunt, ob quod res in pretio descendit.

Fraudes, quæ in venditione sub hasta repe-riuntur.

96 Diximus,citra fraudem in his casibus tantum res valere, quantum vendi potest: quia solent plures fraudes in his modis vendendi intervenire, quas,qui committunt, tenentur restituere id, in quo supra justum, vel infra justum pretium rem emerunt, vel vendiderunt, donec ad justum pretium perveniatur. Fraudes autem, quæ solent accidere,hæ sunt. Si venditor celet occultos rei defectus: si fictos aliquos emptores immittat, simulantes emere, vt carius res vendatur: si data industria cursores,seu proxenetæ merces vendendas proponant tempore, quo paucos emptores concurrere sciunt, vt rem vilius vendant, cui volunt, vt solent facere iniqui tutores, & testamentarij. Si emptores inter se monopolium faciant,& conspirent,ne vllus, nisi hoc vel illud,pretium offerat, ob idque res vilius venditur. Vel si immittant emptores aliquos, qui simulatè pretium exiguum offerant, statimque desistant. Si minis,aut precibus valde importunis prohibeat emptor, ne vllus alius rem illam emat, aut pro illa pretium offerat. At si absque vi, aut dolo aliquis rogaret amicum, vel amicos in publica licitatione, ne plus darent certa quadam quantitate, vt ipse justo pretio, infimo tamen, aut mediocri,rem habeat juxta illum forum: vel cum velit officium emere, roget alios emptores, ne velint plus dare, quod in vectigalium, aut aliorum proventuum licitatione solet evenire, minimè peccaret, vt diximus supra: quia iste caritatem non inducit, sed vtitur industria, & diligentia, vt res justo pretio detur,& ne nimis per licitatorum fervorem augeatur. Sic Bonacina *supra punct.* 5. *num.*10. Petrus Navarr.*lib.*3.*cap.*2.*num.*84.& 85. Reginaldus *tom.*2.*lib.*25.*cap.*22. *num.* 379. Villal. *tom.*2.*tract.*21. *diffic.*17.*n.*4.Diana 1.*part. tract.* 8.*resol.*76.& alij, quos dedimus loco citato.

§. II.

De pretio naturali seu vulgari. Vnde sumatur? Et quibus capitibus crescere, vel decrescere soleat?

Duplicitèr pretium accipitur.

97 CUm tota justitia emptionis, & venditionis in adæquatione pretij cum re vendita, vel empta consistat, ideò ipsius pretij notitia ad illius perfectam cognitionem est omninò necessaria: & quia *supra*, pretium in *naturale*,

rale,& *legitimum* dividimus: modo de naturali, seu vulgari agemus acturi §. *seq.* de legitimo. Igitur pretium *vulgare* illud dicitur, quod lege taxatum non est, sed communi hominum æstimatione constitutum:& est illud, quo res communiter solet vendi, aut emi. Et quia hominum æstimatio vix potest in vnum gradum convenire; ideò latitudinem infimi, & medij, & rigorosi hoc pretium habere supra diximus. Cæterum talis latitudo non semper eadem fixa persistit,sed variari potest pluribus circumstantijs rerum, temporum,locorum,personarum, de quibus hoc §. agemus. Posito iam pretio currenti, & communi hominum æstimatione hic, & nunc taxato, non potest quis vltra supremum illius absque injustitia quidquam vendere, nec emere infra infimum, sive indigenis vendat,sive extraneis. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 30. Malderus 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 2. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 9. *disp.* 2. *num.* 31. Nisi fortè lege constitutum sit, vt civibus non vendatur, nisi tanti:quia tunc licebit pluris vendere peregrinis,intra latitudinem tamen justi pretij, quod,præcisa illa lege,merces illa omnibus inspectis haberet.

Habenda est ratio tẽporis, quo res vendita traditur.

98 Sed inquires primò: cuius temporis, & loci habenda sit ratio ad designanda pretia rerum? Respondetur, quod, quatenus attinet ad tempus illius, habenda ratio est, quo, vel res traditur emptori, vel periculum est pro illo. Vnde si res præsens vendatur, habenda est ratio temporis præsentis. Si futura, vt fructus venturi, per se loquendo, pretium assignandum est, quod creditur futurum tempore traditionis, vel per ordinem ad illud: quia tunc res habet vtilitatem,& valorem,quando existit,cap. *In Civitate*,cap. *Naviganti*, *de vsuris*. Vnde qui emeret triticum mense Ianuario pretio tunc currente, tradendum postea mense Augusto, quo credebatur plus valiturum, injustitiam committeret, & teneretur restituere: debebat enim emere, vel pretio, quo triticum credebatur valiturum tempore Augusti, vel per ordinem ad illud. Sic Medina, *C. de restit. quæst.* 38. *casu* 5. §. *Quid clarius*,& §. *Colloraria*. Dicastill. *suprà num.* 105. & 109. Lugo *disp.* 26. *sect.* 7. *num.* 109. Soto *lib.* 6. *quæst.* 4. *art.* 2. *concl.* 1.

Habenda est ratio loci, in quo est res vendenda.

99 Quantum attinet verò ad locum, habenda est ratio illius loci, in quo est res,quæ venditur, non illius, in quo sunt contrahentes. Et sic, qui haberet rem Salmanticæ valens 50. non posset Matriti existens 100. vendere, etiam si ibi asportata totidem valeret: quia,vt habeat illud pretium res, ad Matritum trahenda est, in quo & periculum, & expensas habebit. Et ratio est,quia res,in loco in quo est, habet vtilitatem, & commodum: ergo etiam valorem, vel lege taxatum, vel communi æstimatione constitutum. Sic Villalobos *tract.* 22. *diffic.* 6. *numer.* 14. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. *num.* 6. Medina *suprà vers. Aliud dubium*, Soto *lib.* 6. *de justit. quæst.* 12. *art.* 2. Dicastill. *num.* 110. Petrus Navarra *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. & alij. Si tamen rem illuc portaturus erat, vbi plus valebat,poterit pretium illius loci petere, deductis expensis, & æstimatione periculi, vel si res existens in loco, quo vilius valebat, venderetur pretio huius loci, quo pluris valet, & se obligaret venditor suis expensis ad rem trahendam salvam, & integram in hunc locum periculo integro in se suscepto. Ex dictis *hoc num.* infertur, res alias pretiosas posse parvi emi in loco, in quo communiter parvi æstimantur: & sic licite Hispanos commutasse apud Indos aurum pro speculis, tintinnabulis, & similibus; quam vis ob aliam rationem posse tales commutationes justificari, diximus *num.* 94.

Quædam, quæ ex dictis sequũtur, inferuntur.

100 Ex dictis sequitur,mercatores,qui ex longinquis terris merces in hunc locum asportaverunt, debere illas vendere pretio currente in illo loco, vel lege taxato, vel communi æstimatione præfixo, etiamsi in illis trahendis magnas expensas, labores, & pericula subierint, etiam si alias pluris emerint, quam hìc venduntur, nec horum habenda est ratio, nec si in via spoliati sunt à latronibus; aut navem mercibus onustam in navigatione perdiderunt, possunt hæc compensare, pluris alias merces vendendo. In quo falluntur, aut falli se fingunt mercatores, qui pluris res vendere nituntur, eo quod sibi tanti stetisse dicant, tot expensas consumpsisse in illis asportandis,& conservandis,tot amisisse, &c. horum, vt diximus,habenda non est ratio; sed res vendenda pretio currenti hoc loco,quo venditur:quia non debet in vno, eodemque loco, & tempore res ab vno mercatore carius vendi, quia sibi tanti stat, & ab alio minus. Nec si ille mercator absque vllis expensis, aut periculis mercem ad hunc locum traheret, vellet rem illam viliori pretio vendere, quàm erat pretium vulgare, aut legitimum illius loci: suæ ergo fortunæ adscribat, quod rem cariùs emerit, quod tot damna subierit, quæ non tenetur emens compensare. Ea enim est conditiò mercatorum, vt sicut possunt lucrari exiguis, vel nullis expensis in rebus factis, sic possint perdere in magnis, & extraordinarijs. Vnde dixit D. Thom. *opusc.* 67. *fine*: *Non potest quis in venditionem pannorum recompensare expensas, quas incautè, & imprudentèr fecit.* Vnde accidere potest, quod quis vilius vendat rem, quàm emerat, & injustitiam committat: quia ob copiam mercium concurrentium, ob paucitatem emptorum, vel alias rationes potest multùm in hoc loco pretium vulgare mercium decrescere. Illo igitur pretio res debent vendi à mercatoribus, quod fuerit lege, vel æstimatione fori taxatum in loco,in quo venduntur, sive pluris emerint, sive non; sive multùm, sive nihil lucrentur; sive extraordinarias expensas incautè, vel prudentèr adhibuerint, sive non, vt tenent Tapia *lib.* 5. *quæst.* 16. *art.* 6. *num.* 2. Prado *cap.* 27. *quæst.* 1. *num.* 38. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 14. *n.* 29. Lugo *disp.* 26. *sect.* 4. *nnm.* 43. Palaus *disp.* 5. *punct.* 2. *n.* 3. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. *num.* 7. & *dub.* 3. *num.* 7. & *dub.* 6. *num.* 5. Malderus *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 2. *concluf.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 29. Covarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 3. *num.* 3. At si non fuerit præfixum in illo loco, in quo res venduntur,pretium legitimum, vel vulgare, cùm primò imponitur, potest haberi ratio expensarum, & laborum etiam extraordinariorum in illo taxando(exclusis expensis ratione infortunij,vel per ignorantiam factis.) Cæterùm si iam taxatum erat, quia in constituendo tali pretio pensatæ iam sunt expensæ, & labores,quæ ordinariè fiunt,illi est standum:& si ab eo extraordinariæ factæ sunt, illius erit infortunium.

Mercatores cariùs vendere possunt, quàm qui nõ sunt tales.

101 Inquires secundò, quibus modis crescere, vel decrescere possit vulgare pretium? Respondetur esse plures casus, in quibus licitum est rem pluris vendere, quàm per seipsam alioquin valeret, quando fixum pretium taxatum lege positiva non habet. De aliquibus hactenus diximus, duplicem ideò tantùm modò tangemus. Primus est ratione officij. Quare mercatores paulò pluris res vendere possunt, quàm alij, qui

casu rem habent, aut vendunt: & ideò solet dici, quod res in manu mercatoris pluris æstimatur quàm in manu militis, vel illius, qui fortuitò illam obtinet, & vendit. Et ratio est, quia pretio est æstimabile, quod operas suas in rebus conquirendis, asportandis, conservandis impendant, & alias occupationes, & lucrandi rationes relinquant: horum igitur habenda est ratio, & alicuius moderati lucri (eo quod mercatores inde vivant) ad assignandum pretium justum vulgare pro eis: quod est communis sententia. ¶ Sed non ob id mercatores pluris vendere possunt, quam vel lege taxatum est, vel communi æstimatione fori inter illos præscriptum, quia in taxatione habita iam est ratio officij mercandi. Fateor, quod si alij idem pretium exigant, quod solent mercatores pro tali re postulare, si res sit æquè bona, nullam injustitiam committent: quia emptori nullam injuriam faciunt, cum possint rem vendere pretio currenti: & licet dicatur, rem minùs valere in manibus eius, qui non est mercator ex officio, quàm in manibus mercatoris, hoc non est, quia res hic, & nunc pluris valeat; sed quia fortuiti venditores nolunt, vel nesciunt expectare opportunitatem, & vltrò emptoribus eam offerunt, & merces vltrò oblatæ vilescunt. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 24. Lugo *disp.* 26. *sect.* 7. *num.* 88. Salas *de emption. & vendit. dub.* 29. *n.* 1. & 2. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 3. *num.* 3. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 21. *diffic.* 6. *numer.* 16. Malderus *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 2. *concluf.* 3. §. *Novus*. Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 30.

Pretium crescit ex multitudine emptorum.

102 Secundus casus est, quando plures emptores concurrunt, vel est penuria mercium: tunc enim pluris res vendi possunt, quàm alioqui venderentur, si pecuniarum esset raritas, & mercium abundantia, aut pauci emptores concurrerent (dummodò legis taxa, si talis fuerit, observetur, & vsus communis fori, seu pretium vulgare pro tunc currens; & quod copia, vel inopia accidat ex vario temporis successu, non ex iniqua conspiratione.) Et ratio est, quia id pluris æstimatur, quod à pluribus quæritur; & quod difficiliùs, & minori copia invenitur. Et hæc est ratio, quarè pretia rerum multoties repente augescunt in nundinis, & alijs mercatis: quia nimirum supervenit repente magna copia emptorum, qui sunt avidi, & cupidi ad emendum, &, illis abeuntibus, ad priorem statum redeunt. ¶ Et è contra ob copiam mercium, & inopiam pecuniarum, aut paucitatem emptorum pretia rerum multùm decrescunt, vt in fine nundinarum: nam cùm in aliquo loco, aut tempore homines non indigent, aut non vtuntur rebus aliquibus, aut nequeunt illas emere propter penuriam pecuniæ, vilescunt notabilitèr, vt tenet communis omnium sententia.

Ex modo emendi, vel vendendi, possūt pretia decrescere.

103 Inquires tertiò, quibus modis accidere possit, vt pretia rerum decrescant? Respondetur, quod etiam multis modis id contingit: de aliquibus iam diximus numeris præcedentibus, alios modò numerabimus. Primò potest minoris res emi, quam aliàs valeret, si emptori parum est vtilis, & in gratiã venditoris eam emit, aliàs non empturus: quia in manibus offerentis res minoris est valoris, & quodammodò vilescit, maximè si parum commoda emptoribus existat. Et è contra pluris etiam vendere licet, quando in gratiam eius, qui emit, vẽditur, quod aliàs non esset vendendum. Tùm, quia rogatu, & ad instantiam alterius res venditur. Tum etiam, quia est prætio æstimabile te abdicare re, qua nolles. ¶ Et hinc fit ratione modi vendendi posse pretia rerum decrescere, vt si venditor roget emptores; nam merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte, vt inquit Caietan. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 3. *num.* 5. Lessius *suprà num.* 33. quia quando venditor rogat, perinde est, ac si esset illius rei abundantia. Et hinc fit, quod quæ voce præconis, vel per proxenetas per vicos discurrentes venduntur, viliùs emantur.

Quando in venditione, vel emptione donatio præsumatur?

104 Secundò decrescit pretium, sive legitimum, sive naturale, ratione donationis, & remissionis, de quo non est dubium: quia per hoc, quod quis vendat alteri, vel emat ab eo, non tollitur, quod possit aliquid ei gratiosè donare, vel remittere: & sic possit venditor, viliùs rem vendendo, emptori condonare quod supereſt, & emptor cariùs emendo, venditori excessum remittere. Cæterùm huiusmodi condonatio, & remissio raro in emptionibus, & venditionibus præsumitur, nisi detur vrgens ratio eas præsumendi. Vndè non censetur condonare emptor, qui nimis affectus ad rem, eam emit, vel si ignorantia justi pretij, vel necessitas emendi, aut vendendi intervenit; sed, præcisa hac ignorantia, aut necessitate, inter amicos, consanguineos faciliùs præsumi potest condonatio; inter extraneos verò nunquam, nisi detur vrgentissima ratio, vel evidens signum talis donationis: quia semper in pretium rei emptæ dari præsumitur, vt rectè inquit Caietan. *supra*. Lessius *num.* 37. Malderus *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 2. *concl.* 3. Villalob. *tr.* 21. *diffic.* 6. *n.* 19. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 6. *n.* 9. Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 14. *num.* 9. Quamvis Menochius *lib.* 2. *de arbitr. casu* 88. *fine*, quem refert, & sequitur Palaus *disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 2. dicant, quod si, nulla interveniente necessitate, venditor pretium diminueret, vel emptor augeret, donatio est præsumenda, nisi ex ignorantia id efficerent.

Ratione necessitatis vendentis, non decrescit pretium.

105 Tertiò aliqui dicunt, ratione necessitatis venditoris, quia nimirum ex necessitate venditor diminuit rei pretium: quia necessitas facit, quod res vltroneè offerantur, quo modo pro tertia, vel etiam dimidia parte vilescunt. Sic Diana 1. *p. tr.* 8. *resol.* 23. & dicit non esse improbabile Trullench *n.* 9. *citato*. Sed nos sub hac distinctione respondemus; vel enim necessitas est communis rem vendendi, & sic indubitatum est, pretium illius vilescere, cùm arguat abundantiam rerum, penuriam pecuniæ, & paucitatem emptorum, juxta dicta *num.* 102. Vel est alicuius particularis necessitas, quæ cogit eum ad vendendum: sic iniquum erit, nisi alia ratione ex dictis vilescat res, præcisè ob necessitatem, qua res venditur, eam viliùs emere, vel cariùs vendere, si ex necessitate privata res ematur: aliàs cariùs esset res vendenda pauperibus, qui semper ex necessitate emunt: vel vilius esset emenda ab illis, qui indigentia coacti eam vendunt. Quod sanè est injustum, & impium. Cæterùm si dives rogatus, rem, qua non indigebat, emat à paupere in suum commodum, & gratiam, sic potest minuere de pretio, ob dicta *n.* 103. Sic frequenter divites solent pauperum operas viliùs conducere: quia ab ipsis rogati, vt illis cibum præbeant, & in illorum gratiam, absque necessitate ex parte sui eas locant. Sic Petrus Navarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 20. Reginald. *lib.* 25. *n.* 273. Dicastill. *tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 44. Bonac. *disp.* 3. *de contract. q.* 2. *n.* 28.

Casus quæstionis explicatur.

106 Inquires quartò: An possit mercator merces currenti pretio vendere, si sciat brevi tempore copiam mercium superventuram, ob quam rationem viliores reddentur, & dignæ minori pretio; vel è cõ-

tra

tra emens posit viliùs emere, sciens brevi tempore pretia rerum fore ascendenda, vel ob multitudinem emptorum, vel ob abundantiam pecuniæ superventuram? Casus est, cum quis literas accipit, quibus cognoscit magnam quantitatem mercium in hunc locum superventuram, vel scit iam esse in illo, sed suppressam, & brevi in lucem proferendam, quo aliæ merces in pretio multùm descendent: poteritne vendere pretio tunc currente, antequam descendat ob abundantiam superventuram, vel in publicum manifestandam? Et quod dictum fuerit de venditore, sentiendum est de emptore, proportione servata, quando scit brevi tempore merces in pretio ascendendas. Casus est frequentissimus: & his annis, in quibus variatio monetæ toties evenit, multoties accidit. Nam multi scientes à Magistratibus, vel alijs vijs monetam ascendendam, vel descendendam (vulgò, *rebaxar*) fore brevi tempore, eam cum alijs commutarunt, vel merces cum illa emerunt, vel debita reddiderunt, habita ratione pretij, quod tunc habebat, non quod postea habitura esset. Idem esset, si quis sciret taxam alicuius mercis, v. g. frumenti, à Principe impositam, brevi tempore descensuram: quia iam scit legem à Principe latam, sed non publicatam, de illa minuenda. Quæritur, an his casibus possit rem vendere pretio currenti, non habita ratione de illo, quod brevi tempore habitura est? Duplex datur sententia, vtraque probabilis.

Sententia asserens, non posse pretio currentirem vendere, qui scit citò descensuram.

107 Prima est negativa, & pro ea arguitur primò: quia in casu dicto merces reipsa, & verè minùs valent, licèt hoc non sciatur ab omnibus: ergò ab illo, à quo scitur, tanti vendi non possunt. ¶ Secundò, quia emptor mercium, quarum valor statim minuendus est, involuntariè, & per errorem emere censetur: si conscius namque esset diminutionis futuræ, contractum non celebraret: ergo est nullus talis contractus, vtpote ex errore dante illi causam proveniens. ¶ Tertiò, valor justus rerum sumitur ex prudenti æstimatione hominum, habita ratione de omnibus circumstantijs præteritis, præsentibus, & futuris occurrentibus: sed in præsenti, quod tanti vendantur merces, non provenit ex prudenti judicio, sed ex errore: si enim superventura circumstantia sciretur, aliter pretium assignaretur: ergò non est justum pretium, quo ille vendit, qui de tali circumstantia habet notitiam. ¶ Quartò, quia qui sciret mercem brevi corrumpendam, v. g. equum brevi moriturum; vinum, quod vendit, brevi in acetum convertendum, teneretur defectum exponere, vel saltem de pretio minuere, quanti illud periculum æstimatur propter damnum de proximo imminens emptori: ergo similiter in nostro casu. Ita Rodrig. 2. *part. Summæ, cap.* 81. *n.* 10. Conrad. *de contract. quæst.* 62. & 63. Medina *de restit. quæst.* 13. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 11. *art.* 3. *ad* 6. & probabilem dicit Palaus infra pro nobis adducendus.

Verius est, posse pretio currenterem vendere dicto casu.

108 Asserendum est nihilominus cum secunda sententia, quod, si absque fraude id fiat, licitum est rem vendere in illo casu pretio currenti (si enim fraus, aut dolus interveniat, quis dubitare posset esse talem venditionem injustam: vt si mendacijs alliciat alium ad emendum, vel injusto medio est causa damni emptori; vel si subornaret aliquos, qui emptoribus persuaderent, pretium brevi augendum.) Est conclusio D. Thomæ 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *ad* 4. & colligitur ex *Genes.* 41. vbi Ioseph sciens sterilitatem futuram, ob quam frumenti valor erat augendus, pretio currenti ingentem illius copiam emit, & reclusit. Ratio D. Thomæ hæc est, quia venditor potest rem vendere secundùm valorem, quem habet, vel ex communi existimatione, vel ex lege de præsenti, quidquid sit de eo quod habitura est (valor namque rei non variatur ob privatam alicuius notitiam, sed ex communi existimatione habetur, si sit valor vulgaris; & si legitimus, non variatur ex lege lata à Principe antequam promulgetur.) Sed statui præsenti quid accidentale, & extrinsecum est, quod res sit ampliùs valitura, si hoc communitèr ignoratur: ergo justè vendit, qui pretio de præsenti currenti vendit, nec tenetur cum suo incommodo manifestare, quod scit, etiamsi interrogetur, etiamsi cedat in alterius detrimentum. S. Doctorem sequuntur Caietan. *ibi*, & Bañez *dub.* 4. Sotus *lib.* 6. *quæst.* 3. *art.* 2. *ad* 3. Solon *art.* 3. *controv.* 3. Malderus 2. 2. *tr.* 5. *cap.* 2. *dub.* 3. Diana 1. *p. tr.* 8. *resol.* 40. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 12. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 7. *n.* 1. Palaus *disp.* 5. *punct.* 15. *n.* 3. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 21. *diffic.* 14. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. *n.* 40. Covar. *regul. peccatum, part.* 2. §. 4. *n.* 5. & 6. Rebell. 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 6. Petrus Navarr. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 8. ¶ Interdum autem posset esse contra charitatem; vt si ingentem copiam vni venderet, qui inde grave damnum incurreret. Sed regulariter non erit, quia potest quis suis rebus consulere, etiamsi per accidens inde damnum proximo veniat. Et ideò dixit D. Thomas *abundantioris esse virtutis, si pretium minuat.* Vnde si venditor rem manifestando in idem damnum incideret, posset non manifestare, etiamsi alius res in magna quantitate emens, magnum damnum acciperet: quia vtitur jure suo, & non tenetur cum æquali, aut ferè æquali nocumento, alterius damno occurrere. Vt docent Lessius, Bonacin. Trullench, Salon, *locis citatis.*

Contrariæ argumenta solvuntur.

109 Ad primum contrariæ sententiæ argumentum constet ex dictis, pretium rei non minui ex alicuius particulari æstimatione, sed ex communi. ¶ Ad secundum respondetur, non esse errorem circa substantiam rei, sed circa qualitatem, & accidentia; & talem errorem non reddere invalidum contractum, diximus *cap. præced. n.* 21. ¶ Ad tertium, quod tunc datur prudens existimatio, quando accipitur secundum circumstantias; quas omnes de illa prudenter agnoscunt, & quod non est necesse habere rationem de illis, quæ accidentaliter evenire possunt, tanquam si iam essent præsentes. ¶ Ad quartum neganda est consequentia, quia aliud est loqui de intrinseco defectu, seu qui provenit ab ipsa re, quæ venditur; hic est, quem tenetur venditor revelare: aliud de extrinseco, qui provenit vel ex nova lege superventura, aut ex multitudine mercium, aut ex paucitate emptorum. Hunc non tenetur revelare venditor, sed res potest vendere secundùm quod lege, aut communi æstimatione valet, si absque illa fraude procedat.

§. III.

De valore rerum legitimo; seu de illo, qui à publica potestate taxatur.

Pretium legitimum quodnam est?

110 PRetium legitimum diximus suprà esse, quod vel ex lege, vel ex determinatione superioris est assignatum; sive hoc fiat à Principe lege communi, sive à Magistratibus alicuius oppidi, sive à particularibus, qui à republica habent authoritatem, vt pretia rerum taxent, quos communitèr appellamus, *Fieles*: qui attentè pensare debent intrinsecum rei valorem,

occurrentes circumstantias, abundantiam rerum, vel inopiam, multitudinem, vel paucitatem emptorum, expensas, & labores in mercibus asportandis, & quod aliquod lucrum moderatum venditoribus relinquatur, vt sit justum pretium taxatum ab ipsis; aliter enim injusta esset lex, vel taxa. Cæterùm, vt fert communis Doctorum sententia, semper præsumitur justa, donec constiterit de oppositò: quia in dubio justitiæ legis, vel statuti parendum est superiori, vt diximus *tract.* 11. *de legibus, cap.* 2. *numer.* 115. At si contineat talis taxa errorem manifestum, non obligat; vt si res eiusdem valoris eodem loco, & tempore, alia cariori, alia viliori pretio taxaretur: vel si superior malè instructus est de circumstantijs, si crassa ignorantia rem esse taxatam constet; si spe munerum, vel odio venditorum superior procedat, vt vilius, vel carius pretium assignet: tunc, relicto legitimo pretio, poterit res vendi vulgari, & currenti. Lugo *disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 38. Malderus *tract.* 5. *cap.* 1. *dub.* 1. *§. Quæres.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 2. *n.* 11. Tapia *lib.* 5. *q.* 16. *art.* 3. *n.* 2. Aragon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 21. *diffic.* 5. *num.* 2. & 3.

Obligat in conscientia lex taxativa pretij.

111 Esse verò in republica, & Principibus potestatem justa rerum pretia determinandi, probat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 57. *art.* 2. *in corp.* & *ad* 2. tùm ex Philosopho. Tùm etiam, quia ad superiores pertinet bono communi invigilare fraudes tollendo, & injustitias, & rerum valorem æquis legibus determinando: ipsi namque negotiatores avaritia, vel cupiditate multoties impediuntur, ne justa, & æquali æstimatione determinent rerum pretia. ¶ Ex quo fit, posse legem humanam justum pretium taxare rebus, etiam variabilibus, & præcipuè si sint necessariæ ad vsum communem; cui taxationi standum est secundum justiciam commutativam indivisibiliter, ita vt taxam transgredi sit ex genere suo gravis culpa cum onere restituendi excessum, etiamsi lex aliam ponat pœnam. In qua doctrina omnes debent convenire, vt rectè docent D. Thom. *supra*, & 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 1. *ad* 3. Sotus *lib.* 6. *de justit. quæst.* 2. *art.* 3. *concluf.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 10. & 12. Petrus Navarra *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 1. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 9. *disp.* 2. *num.* 1. & 12. Bañez 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *dub.* 2. *docum.* 2. Prado *cap.* 27. *quæst.* 2. *num.* 4. Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 6. *num.* 6. Palaus *tom.* 7. *tract.* 32. *disp.* 5. *num.* 4. Tapia *tom.* 1. *quæst.* 14. *art.* 2. *num.* 2. & *art.* 3. *num.* 3. Lugo *tom.* 2. *disp.* 26. *sect.* 5. *num.* 56. & 60. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 5. *num.* 2. Sanch. *lib.* 1. *consil. cap.* 7. *dub.* 4. *à num.* 11. Quia ad publicam potestatem spectat, omnibus expensis circumstantijs, pro bono communi pretia rebus taxare, maximè vitæ necessarijs; cum ad potestatem publicam pertineat communi vtilitati consulere: ergò lege humana communi potest justè taxari pretium indivisibile, quod excedi nequeat sine injustitia: quia, semel taxatione posita, justum pretium est, quod à Principe, vel republica est taxatum, omnisque excessus est restitutionis obnoxius.

Objectio, & soluio illius.

112 Sed objicies quod lex taxativa pretij, vt justa sit, debet adæquari valori naturali, quem res habet secundum se; quoniam intrinsecus, & naturalis valor est norma, & regula pretij ac valoris artificialis humana lege præfixi: ergò lex humana non erit justa, si rei variabili in valore secundùm se, præfixum assignet pretium. Contingere namque potest, quod res lege humana taxata 10. aliquando valeat 20. & tunc lex humana videtur à lege naturali discordare, à qua omnis valor intrinsecus rei ortum ducit: ergò lex taxans vniversalitèr pretium fixum rei variabilis in valore, non videtur justa. ¶ Respondetur, quod licet res aliquando pluris valeat ex privato judicio contrahentium: non ob id lex illa minori pretio taxans (quia id expedit bono communi) discordat à lege naturali, licèt hoc fiat cum detrimento privato particularis. Etenim naturalis valor rei venalis vsualis, ac reipublicæ necessariæ, non solùm determinandus est ex ipsa re ex parte subjecti, ac necessitatis, & æstimationis privatæ, sed ex fine ad quem ordinatur, qui est bonum commune. Vnde si huic fini expediat mitigare valorem, quem aliàs ex conditione mercatorum haberet; tunc hoc pretium mitigatum, erit pretium intrinsecum, & naturale huius rei in ordine ad bonum commune. Et quia huic bono multoties expedit fixum esse pretium, vt fraudes, & injustitiæ evitentur, illud erit semper pretium naturale, & justum, quod lege est præfixum; tametsi ex diversis rationibus nunc crescat secundùm se, vel in hominum æstimatione, nunc decrescat: nisi ita cresceret, aut decresceret notabilitèr, & communitèr, vt expediens esset bono communi, quod taxa illa tolleretur.

Sitne cõveniens, omnium rerũ pretia taxarij?

113 Hìc latè disputant aliqui, vtrum conveniens sit rerum pretia taxari? Vtrinque Authores, vtrinque rationes, & difficultates gravissimæ extant; sed quia, vt rectè docet Cardin. Lugo *disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 50. quæstio hæc magis spectat ad politicos, quàm ad Theologos, eam prætermittimus. Videatur Navarr. *in Manuali, cap.* 23. *num.* 88. Quì non esse expediens, probat validissimis rationibus. Quem sequuntur Rebellus *de justitia, part.* 2. *lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 1. *num.* 5. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 21. *diffic.* 9. *num.* 3. Thomas Mercad. *lib.* 2. *de contract. cap.* 6. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 4. Alij per oppositum expedire bono communi, quod pretia rerum venalium à Principibus, & Magistratibus taxentur, tenent: decem Authores refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 6. *resol.* 60. Quod etiam tenet Ludov. Lop. *lib.* 1. *de contract. cap.* 13. *§. Secundùm quod pretia*, & ante illos Sotus *lib.* 6. *de justit. quæst.* 2. *art.* 3. *concl.* 3. quod non minùs rationibus probant vrgentissimis. ¶ Sed certè si leges custodirentur, & ad hoc Magistratus invigilarent, negari non posset melius esse rerum pretia esse determinata, quàm illa arbitrio mercatorum relinquere: quia, vt inquit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 1. *ad* 2. *ex Philosoph. Rhetor. cap.* 1. melius est omnia ordinari lege, quàm particularium arbitrio commiti. Sed quia sæpè contingit, leges positivas non custodiri vendentium malitia, & Iudicum negligentia, meritò dubitari posset vtrùm in praxi, ad evitanda peccata, & fraudes, & ad hoc vt res magis moderato pretio vendantur, expediat, vt relinquatur determinatio pretij ipsis circumstantijs occurrentibus. Videatur circa hoc illustrissimus hispalensis Antistes *tom.* 1. *suæ Catenæ, lib.* 4. *quæst.* 14. *art.* 1. & *tom.* 2. *q.* 16. *art.* 6. *n.* 15. Marquez *in Gubern. Christ. lib.* 1. *cap.* 17. *§.* 2. *fol.* 101. & alij, quos refert Solorzan. *emblem.* 66. *n.* 2. & *tom.* 2. *de Indiar. gubern. lib.* 4. *cap.* 12. Sed omnes in eo conveniunt, quod semel pro aliqua re, assignato pretio à republica, illud est justum, quod præterire nefas est, & injustitia; quia præsumendum est, nisi constet de oppositò, superiorem circumstantias debitas perpendisse, quando tale pretium designavit.

114 Tribus autem modis contingere solet, pretium à republica esse designatum; vel in com-

Quibus modis à republica pretiũ taxetur.

commodum emptoris, vel in commodum venditoris, vel in vtriusque commodum. In commodum emptoris fit frequentiùs, cùm pretium versus magnitudinem assignatur, vltra quod non liceat ascendere, licet descendere licitum sit; vt quando mercatoribus pretium pannorum, & fructuum assignatur; & in taxa frumenti reperitur: & hoc pretium solùm consistit in indivisibili penes magnitudinem. Aliud assignatur in gratiam venditorum; quando nimirum ponitur pretium, infra quòd non liceat rem vendere, vt in censibus redimilibus, in quibus olim pro vno, vt minimum, 14. debebant dari, *lib.* 5. *tit.* 15. *lib.* 6. *Recopil.* Posteà regijs pragmaticis auctum est, vt pro vno non daretur minùs viginti. In favorem vtriusque tunc assignatur, quando in indivisibili omninò constituitur; ita vt nec pluris, nec paucioris vendatur, aut ematur: vt in taxa vini, carnis, &c. Si autem ex proprio beneplacito venditor rem viliùs vendat; id quod detrahitur justi pretij, cedere emptori, eique condonare censetur. Cæterùm si pretium in favorem emptorum sit præfixum penes magnitudinem, potest emptor minùs emere; & si in favorem venditorum penes parvitatem, potest venditor pluris vendere. Imò si res illa minùs valeret, quàm erat taxatum in favorem emptorum, non poterat justè venditor pretio taxato eam vendere; quia quod in favorem emptorum est introductum, non debet in illorum dispendium cedere; & illud pretium solùm est præfixum, vt non supra illud ascendatur, non vt descendatur, si valor rei vulgaris, & communis ita exigat; vt dicemus ampliùs puncto sequenti, agentes de taxa tritici in particulari, vbi Authores pro hac parte dabimus.

Debet varia si lex taxativa secúdum variationem circunstantiarum.

115 Quamvis lex à Principe imposita non debeat defacili mutari, ob idque leges taxantes pretia rerum non debeant, quacumque interveniente mutatione, circa ipsas res alterari; at si notabilitèr circumstantiæ mutantur, vt in rerum penurijs communibus, debet taxa rerum mutari; & si in hoc sit Princeps notabilitèr negligens, incipit lex esse injusta, & consequentèr non obligat in conscientia. Quarè si lex tempore abundantiæ taxavit pretium, & non mutavit tempore inopiæ, vel è contra, non tenetur vendens pretium legitimum observare, sed potest pretio vulgari, & currenti suas merces vendere, quia non est credibile velle Principem eam legem durare cum notabili mutatione rerum. Sic Trullench, *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. *num.* 8. Petrus Navarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controvers.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 2. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 9. *disp.* 2. *num.* 17. Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 5. *num.* 3. & *diffic.* 6. *num.* 8. Reginald. *lib.* 25. *num.* 270.

Quãdo censeatur lex taxativa derogata?

116 Quando omnes, aut maior pars reipublicæ non servant taxam lege præscriptam, sciente Principe, & non puniente, cùm posset absque incommodo obstare, vel punire, cessat obligatio legis; quia cùm Princeps taceat, aut dissimulet, cum possit obstare, legem abrogare, aut in ea dispensare censetur: vel saltem per oppositam consuetudinem tollitur, si tempus sufficiens pro illa introducenda prætereat, justa dicta *tract.* 11. *de legibus*, *cap.* 6. *num.* 15. Secus si, ob vitanda graviora mala, transgressionem sustineret impunitam, quia in eo casu non voluntariè consentit; vel si puniret transgressores, vel si Princeps cum aliquibus solùm justè, vel injustè dissimularet; quia tunc solum cum illis dispensare censetur, quæ dispensatio legem non abrogaret. Bonacin. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 9. Trullench *num.* 9. Salon *controv.* 16. Reginald. *num.* 284. Dicastill. *num.* 17. Gutierrez *lib.* 2. *pract. qq. quæst.* 180. *num.* 12. Rebellus *lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 3. *num.* 15. Palaus *disp.* 5. *punct.* 8. §. 8. *num.* 9. Villalobos *tract.* 21. *diffic.* 6. *num.* 7. Qui duo vltimi benè advertunt, ex permissione Magistratuum, vel Rectorum Civitatis, qui à Rege specialem facultatem dispensandi non habent in lege à Principe lata, vt in taxa tritici (quam non censetur communitèr habere) non excusatur ab injustitia venditio vltra taxam, quia ipsis concessum non est legem Principis abrogare, dispensare, aut mutare posse. Imò si ipsi absque justa causa vendítionem supra taxam permittant, peccant mortalitèr, & tenentur restituere; quia ex vi muneris, & officij tenentur hæc damna evitare.

Etiã ecclesiastici adstringuntur lege taxativa.

117 Legibus, seu statutis taxantibus pretia rerum, omnes adstringuntur, etiam ecclesiastici, & Religiosi, vt probavimus *tract.* 8. *de Ordine*, *cap.* 7. *num.* 14. Vbi diximus vi directiva, id est, in conscientia, adstringi ecclesiasticos legibus civilibus, quæ illorum immunitati non contradicunt, vt ista, de qua loquimur. Vnde triticum v. g. juxta taxam debent, quemadmodum alij, vendere. An verò peccent mortalitèr secus faciendo, & teneantur restituere? Negare videtur Bonacin. Salas, & alij, quos refert, & non impugnat Diana 1. *part. tr.* 10. *res.* 12. & 7. *part. tract.* 10. *res.* 2. quia ipsi indirectè obligantur legibus civilibus, sicuti Princeps suis legibus solùm indirectè adstringitur. Sed Princeps non peccat mortalitèr contra suas leges agendo, vt diximus *tract.* 11. *de Legib. cap.* 3. *num.* 42. ergo nec ecclesiastici agendo contra leges civiles; quod probabile esse, diximus *loco ex tract.* 8. *de Ordine citato.*

Peccant mortalitèr ecclesiastici, qui legem taxativã transgrediũtur.

118 Sed quidquid, sit dùm de alijs legibus civilibus, quæritur an obligentur illis sub peccato mortali ecclesiastici: in quo datur probabilitas pro vtraque parte: at in legibus civilibus taxantibus pretia rerum, improbabile judicamus, non obligari ecclesiasticos sub peccato mortali, & cum onere restitutionis; quia ecclesiastici jure naturæ tenentur servare verum, & justum pretium rerum venalium communitèr apud homines currens; sed hoc ipso, quod lege politica pretium, v. g. frumento taxetur, illud est verum, & justum pretium currens: ergo illud ex lege naturali tenentur observare. Quarè licèt Princeps non adstringatur suis legibus directè, & sic non peccet mortalitèr agendo contra illas; attamen, semel ab ipso taxato pretio rerum, pretium illud tenetur sub peccato mortali, & onere restitutionis observare in suis venditionibus, vel emptionibus, vt rectè docet Bañez 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *ad* 2. Prado *cap.* 27. *quæst.* 2. *num.* 25. Tapia *tom.* 2. *lib.* 4. *quæst.* 15. *art.* 5. quia durante, illa pragmatica, pretium ab illa taxatum, est pretium verum, & justum: ergo licet alijs legibus civilibus non adstringerentur ecclesiastici sub peccato mortali, & onere restitionis, benè tamen istis, de quibus loquimur. Sic Bañez *dub.* 2. *docum.* 3. *fol.* 541. Tapia, *quæst.* 14. *art.* 5. Prado *num.* 23. Lugo *disp.* 26. *sect.* 5. *num.* 77. Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 6. *num.* 12. Palaus *disput.* 5. *punct.* 16. *n.* 5. Rodriguez 2. *p. cap.* 79. *concl.* 5. Salon 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controv.* 10. Dicastill. *supra num.* 16. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. *n.* 3.

Quid sit posteà decidẽdum?

116 Aliquæ difficultates poterant hic excitari circa legem taxantem pretia rerum; sed illas commodiùs puncto sequenti resolvemus, agentes de speciali illa, ac celebri in Hispania taxativa lege

lege frumenti. Sed quidquid de illa dixerimus, proportione ſervata, applicandum eſt pro alijs legibus aliarum rerum taxativis, ſicut quæ hoc §. diximus, etiam huic ſpeciali legi debita proportione ſunt applicanda. Sed quia circa illam celebris eſt inter Doctores hiſpanos controverſia, propterea ſpeciali puncto placuit de illa pertractare.

PUNCTUM X.

De lege taxativa pretij frumenti, quæ in hiſpania reperitur.

Leges Caſtellæ circa taxam tritici.

120 PLures leges circa hanc materiam editæ ſunt à Catholicis, & pijſsimis Regibus hiſpaniæ, vt videre eſt *toto tit.* 25. *lib.* 5. *Recopil. Hiſpaniæ legum*, vbi ab anno 1558. vſque ad annum 1632. ſæpius edita, & confirmata eſt Pragmatica his regnis huius legis taxativæ frumenti, mutatis mutandis, augendo pretium iuxta varietatem, & exigentiam temporum, & perſonarum, excipiendo ſemper aliquas provincias natura ſua ſteriles, & montuoſas, atque maritimas; interdum excepti ſunt agricolæ, quos excipit ab hac lege Philippus III. Rex noſter exiſtens Eboræ, anno 1619. & concedens eis, vt pretio currente, quo poſſent, triticum venderent. Et has leges eſſe juſtiſsimas, obligareque ad culpam gravem, & reſtitutionem exceſſus, etiam eccleſiaſticos, conſtat ex dictis *punct. præced.* Et ideò declaratum fuit anno 1571. lege ſuper hoc edita à Philipo II. quæ eſt 4. *tit.* 25. *lib.* 5. *Recopil.* prædictam taxam obligare in conſcientia, & ad culpam, præter pœnas ibi aſsignatas. Et leg. 2. & 3. *eod. tit.* & *lib.* dicitur, quod compellantur eccleſiaſtici eodem pretio vendere ſicut laici.

Prædictæ leges ſunt juſtiſsimæ.

121 Dubitare autem de harum legum juſtitia, multùm temerarium judicamus, cùm tot annorum curriculo, tot ſapientiſsimorum virorum ſupremi Senatus catholici hiſpaniarum Regis judicio ſanctæ ſint, repetitæ, & confirmatæ, attentis diu omnibus circunſtantijs pro bono communi. Ratio pro illis eſt efficax, quia, exigente bono communi, in Principe eſt poteſtas ſanciendi legem bono communi conſentaneam, etiam cum incommodo privato aliquorum particularium, vt omnes vno ore Doctores dicunt; ſed communis vtilitas exigit, vt pretium frumenti, tàm neceſſarij ad vitam humanam, non nimis augeatur: ſi autem non præfigatur ei pretium invariabile penes augmentum, nimis illius pretium creſceret, ob magnam eius neceſsitatem: juſta igitur eſt lex taxativa pretij fixi, etiamſi ipſum frumentum interdum haberet maiorem valorem naturalem ex conventione partium, & ob id patiatur aliquod detrimentum dominus frumenti, propter bonum publicum commune. Hoc tenent Authores, quos *num.* 111. dedimus. Nec contra illud eſt difficultas alicuius momenti, præter illam, quam *num.* 112. diſſolvimus. ¶ His jactis fundamentis, tria nobis agenda ſunt in hoc puncto. Primò ſpeciales difficultates diſſolvemus, quæ in praxi obſervationis huius legis ſolent occurrere. Secundò videbimus, an anno ſteritatis communis obliget hæc lex taxativa frumenti. Tertiò de taxa panis cocti, & in farina vendendi pertractabimus.

§. I.

Aliquæ difficultates pro praxi neceſſariæ diſſolvuntur circa taxationem frumenti.

Si pretium vulgare ſit inferius, nõ licet triticum ſecundum taxam vendere.

122 PRima igitur difficultas eſt, an, ſi ſecundùm pretium vulgare minùs valeat triticum ob abundantiam alicuius anni, licitum ſit illud vendere pretio per taxam aſsignato excedenti ſupremum, quod, præciſa illa lege, valeret? Reſpondetur, minimè licere, ſed debere reſtitui, ſi ſupra rigoroſum iſtud aliquid accipiatur; quia illud pretium aſsignatum eſt vt terminus magnitudinis, quem tranſgredi non licet aſcendendo. Hoc autem non tollit, quod deſcendi poſsit, & debeat, ſi res aliàs ita poſtulaverit: nam infra tale pretium relinquitur aſſignandum juxta circumſtantias occurrentes, ſecundùm fori communem æſtimationem: ergo non licet illuc vſque in pretio pertingere, quando communis fori æſtimatio inferius pretium aſsignavit: aliàs, lex, quæ in favorem emptorum fuit impoſita, eſſet in illorum diſpendium. Sic communiter Doctores, Ledeſma 2. *part. tr.* 8. *cap.* 32. *concl.* 7. *dub.* 19. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 6. *num.* 2. Prado *cap.* 27. *quæſt.* 2. *n.* 8. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. *num.* 8. & *dub.* 5. *n.* 1. Salon 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. *contr.* 11. Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 6. *num.* 13. Lugo *diſp.* 26. *ſect.* 5. *num.* 57. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 14. Malderus 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 1. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 2. *n.* 6.

Sententia aſſerens, nõ obligare dictam legẽ, ſi infra infimum vulgare pretium aſsignet.

123 Secunda difficultas eſt, an è contra debeat obſervari lex taxæ frumenti, ſi pretium taxatum ſit infra infimum naturale, & vulgare, quod juſtum eſſet, lege illa non exiſtente? Vt ſi pretium vulgare tritici ſupremum hoc anno eſſet 30. medium 26. infimum 20. an debeat ſervari taxa 18. quod pretium eſt infra infimum vulgare, quod præciſa tali lege eſſet juſtum? Negat prima ſententia, quam tenet Molina *diſp.* 364. & 365. Rebellus 2. *part. diſp.* 26. *ſect.* 5. *num.* 52. Vega, *verb. Trigo, caſu* 1. Navarra *cap.* 28. *num.* 86. Angles, Mexia, Ioannes de Medina, quos refert Palaus *tract.* 32. *diſp.* 5. *punct.* 4. *num.* 3. Qui *num.* 5. ferè huic ſententiæ ſubſcribit. Quia lex humana debet conformari cum juſto pretio naturali, ſaltem intra omnem illius latitudinem; alioqui lex humana à naturali diſcordabit, cùm exorbiter in tali caſu à tota latitudine vulgaris pretij, & æſtimationis vulgaris valoris naturalis: & ſic non erit juſta talis lex, vtpotè naturali æquitati contraria. Ad hoc argumentum petet ex dictis *num.* 112.

Verius eſt pretium taxæ debere obſervari, etiamſi ſit infra vulgare infimum.

124 Aſſerendum itaque eſt, etiam in tali caſu legitimam taxam obligare, cuius rationem dedimus *num.* 111. quia Princeps taxando rerum pretium, non ſe habet vt declarans pretium naturale, quod res ex ſe habet, ſed magis ſtatuit, & determinat pretium naturale, & vulgare illius, prout judicat eſſe expediens ſuo regno, & bono communi; ſed expediens eſt bono communi fixum, & ſtabile pretium, ſupra quod non liceat aſcendere in re adeò neceſſaria vitæ humanæ, ne venditores rapti cupiditate, videntes indigentiam hominum, pretium ad nubes pro ſuo arbitratu aſcendant: ergo tale pretium eſt juſtum, & naturale illius frumenti, ſuppoſita tali taxa; tametſi aliquorum particularium, qui triticum habent vendendum, cedat in detrimentum. Sic Tapia *tom.* 1. *lib.* 4. *q.* 14. *art.* 3. & *tom.* 2. *lib.*

*lib.5.q.16.art.4.n.3.*Soto *in 4.dist.25.q.vlt.art.vlt. concl.4.* Prad.*cap.27.q.2.n.* 4. Gutier. *lib.* 2. *pract. qq.quæst.* 180. *à n.*8.Sanch. *lib.*1. *consil.cap.7. dub.* 4.*n.*14. Villalob. *tom.* 2. *tract.*21.*diff.9.n.* 4. Ledesma 2.*p.tract.*8.*cap.* 32. *diff.* 11. Covarr. 2. *variar. cap.*3.*n.*5.Less. *lib.*2.*cap.*21.*dub.*2.*n.*14. Ioan. Salas *tract.de empt.disp.6.concl.* 2. ¶ Verum est, quod cùm lex taxat pretium tritici, vel alterius rei ob justas causas infra naturale, & vulgare justum, quod haberet, sublata lege positiva, non erit excessus gravis obnoxius restitutioni, quod esset in furto, aut si excederet pretium naturale, aut legitimum, quod cum vulgari esset omninò conforme: quia cùm pretium sic taxatur, finis legis non est æqualitas justitiæ indivisibilis, sed succurrere necessitatibus pauperum, & communibus, licet sit cum aliquo detrimento venditorum: in ordine autem ad talem finem non reputatur gravis quilibet excessus supra taxam, sed ille qui prudentum judicio notabiliter lædit bonum commune, aut pauperum, secundum moralem æstimationem. Sic Trullench *lib.*7.*Decalog. cap.*20.*dub.* 5.*n.*2.Lug.*tom.*2.*disp.*26.*n.*78.Tapia *tom.*1.*lib.*4.*q.* 15.*art.*6.*n.*3.

Quomodo possit triticũ cum alijs rebus commutari?

125 Tertia difficultas est, an vendens triticum secundum taxam possit imponere onus ementi, vt ei vendat hordeum, vinum, &c. eodem pretio: quod est quærere, an possit commutare tale triticum cum alia re, quæ reipsa plus valeat; quàm sit id, in quo est triticum taxatum? Respondetur, quod si res illa secundùm suum valorem vulgarem non excedat taxam tritici; vel licet excedat secundùm vulgare pretium; non secundum legitimum, bene potest vnum commutari cum alio cùm in hoc nulla detur injustitia: nam si pretium vulgare excedat res illa, sed non legitimum, etiam triticum excedit pretium vulgare, sed non legitimum: & sicut cogitur vendens triticum, vt secundùm legem vendat, quamvis præcisa illa plus valeret; ita potest cogi vendens oleum, vinum, hordeum, vt secundum taxam vendat, etiamsi præcisa illa, illæ res plus valeant: & nolle vendere suum triticum, quo indiget alius, nisi sibi vendat oleum, aut domum, qua ipse indiget, nulla est injustitia: & sic nec vendere pretio taxæ, vt alius etiam legitimo pretio sibi rem vendat. ¶ At si res, in quas triticum commutatur, aut cambiatur, pluris valeant secundum legitimum pretium, vel, si non habeant taxam, secundùm vulgare, in fraudem legis erit tale onus imponere, aut triticum cum illa re commutare: & sic peccabit mortaliter, cum onere restituendi excessum sic obligans: nam lex prohibens triticum pluris vendi, quàm 18. regalibus, etiam prohibet illud commutare in rem amplius valentem: nam secundum vulgare axioma, *oro es lo que oro vale.* Et jura, quæ in venditionibus pretium assignant, debent intelligi etiam de commutationibus, aut cambijs, argumento leg. *Et, ff. de statu liber.* leg.1.Cod.*de rescindenda venditione.* Vbi communiter Doctores has leges de commutationibus, & cambijs etiam intelligunt, tametsi de solis venditionibus loquantur. Vndè non posse fieri talem permutationem, nec tale onus imponi, docent Villalob. *tract.*21.*diff.* 6. *n.* 6. Salas *tract. de empt. dub.* 10. Gutierr. *pract.quæst.lib.*2.*q.*181. *n.*4.Palaus *disput.* 5.*punct.*7.*n.*2.Lugo *disp.*26.*n.*64.Bañez 2.2.*quæst.* 77.*art.*1.*dub.*2.*post respons. ad argumenta*, §. *Sed iam*, Tapia *tom.*2. *suæ catenæ*, *cap.* 5. *q.* 16. *art.* 4. *num.* 4.

126 Quarta difficultas est, an saltem vendens triticum pretio taxæ, possit petere, & onus imponere ementi, vt sibi solvat pretium aurea pecunia, vel argentea? Videtur affirmativè respondendum, quia per hoc nullam ei facit injustitiam: quia nec excedit pretium justum, & legitimum, cùm lex solùm dicat vendendum esse triticum 18. argenteis: quod autem isti solvi debeat pecunia ærea, argentea, vel aurea, de hoc nihil asserit, sed indifferenter loquitur, & sic non videtur justum excedere pretium, qui in moneta vna, vel altera emptorem solvere cogit; nec quia onus pretio æstimabile supra pretium justum imponit cogens eum ad solvendum illa specie pecuniæ, quia hoc onus justè imponere potest, si non excedit pretium legitimum. Sicut, licèt sit pretio æstimabile, quod alius mihi vendat merces, quibus indigeo, possum nolle vendere ei meum triticum cum pretio legitimo, nisi mihi suas mercess velit vendere justo pretio. ¶ Nihilominùs negativè respondet Palaus *tom.*7.*art.*32.*disp.*5.*punct.*7. *num.* 3. Prado *tom.* 2.*cap.*27.*q.*2.*n.* 35. Qui asserunt, quod, supposita obligatione legis taxæ, & quod moneta argentea pluris æstimetur, quam ærea (vt nostro tempore contingit, in quo pro octo argenteis specie argentea dantur viginti regales numis æreis) non potest vendi triticum sub illa obligatione. Tùm, quia esset onus pretio æstimabile supra justum pretium imponere: quod est injustum. Et aliud est loqui de onere operis gratuiti, de quo loquitur argumentum; aliud de onere operis onerosi, vt est istud, & propriè dicitur onus, quod est iniquum addere justo pretio. Tùm etiam, quia pretium taxatum est in favorem ementis, vt non cogatur solvere, nisi quod communi æstimatione valet 18. regales. Si autem solvendum sibi esset moneta argentea, deberet solvere plusquam 40. regales monetæ vulgaris.

Non potest vendens triticum iuxta taxam petere solutionẽ in auro, vel argento.

127 Hæc certè sententia est tenenda, sed prima non est omninò condemnanda. Tùm, quia non minùs communis est hodie in hispania pro solvendis rebus maioris momenti moneta argentea, quàm ærea: nam licèt hæc communior sit pro rebus exiguis, pro rebus autem maioris ponderis illa non minùs communiter vsitatur: & sic non videtur excedere pretium taxæ, qui hac, vel illa communi moneta sibi solvendum procurat, cùm lex nullam determinet. Tùm etiam, quia si moneta argentea ob eius multitudinem decreviisset in valore, & creviisset ærea ob eius raritatem, ita vt pro octo regalibus æneis 12. argentei darentur, nullus diceret non posse vendi triticum 18. regalibus æneis, tametsi illa taxa sit in favorem emptorum imposita, quia in lege nulla est determinata species pecuniæ: ergò idem in nostro casu. Tùm, & maximè, quia quod modo pecunia argentea plusquam ærea æstimetur, non est ob valorem illius, sed ob vilitatem istius: non est, quia argentum plus crevit in valore ob raritatem, cùm modo plus sit argentei in hispania, quam olim, cum pecunia ærea, & argentea æqualiter currebant. Provenit ergò ob vilitatem pecuniæ æreæ, quia sic multiplicata est, sic toties mutata, & mutationi exposita, sic adulterata, sic denique in magna multitudine à diversis provincijs in hispaniam asportata, vt vilis vndequaque facta sit. Vndè sicut argentea non datur, nisi in duplici, & maiori pretio; sic merces omnes cum illa comparatæ plusquam in duplo pretio ascenderunt: quod non ita contingit, si pecunia argentea emantur. Cùm ergò finis illius legis taxativę tritici sit, vt possint empto-

Aliqua proponuntur, & quæ non videtur improbabilis contraria sententia.

emptores commodè illo pretio triticum invenire, quod sufficiens fuerit, vt venditor illo eodem pretio res alias sibi necessarias possit comparare, non videtur loqui de pretio in illa moneta vulgari, quæ ob multitudinem & alias rationes adeò viluit, vt per eam omnes res duplo, quàm valeant in moneta secura, comparentur; sed de illa moneta, in qua sicut pretio legitimo triticum venditur, aliæ res possint emi legitimo pretio. Hæc certè videntur non improbabilem relinquere primam sententiam. Sed nos secundæ adhæremus.

Si merces sint notabiliter meliores, possunt supra taxam vendi.

128 Quinta difficultas est, an triticum purum, & melius, quodque notabilitèr illud excedit, quod solet communitèr juxta taxam vendi, vendi possit aliquo pretio supra taxam? Et idem est de alijs mercibus, lege, ad æstimationem communi taxatis, an electiores, & meliores possint altiori pretio vendi, quàm illæ, quæ inferiores sunt intra eandem speciem, communitèr venduntur? Ad quod, licèt Salas *dub.* 13. *circa finem*, Palaus *punct.* 7. *n.* 3. Dicastill. *disp.* 2. *n.* 13. negent, posse vendi supra taxam, quia lex illa de omnibus rebus eiusdem speciei loquitur; & si vna, quia melior, potest pluris vendi, quilibet suam rem meliorem esse diceret, & sic de facili lex taxativa pretij frustraretur. ¶ Veruntamen difficile est, legem justam esse, & omnes res, tàm optimas, quàm mediocres, & infimas eodem pretio taxare. Si enim vinum vnius anni, & mediocre 5. venditur, cur eodem pretio vinum generosum, & trium annorum vendi deberet? Si boves 50. argenteis taxantur, & aliquis adduceret bovem duplo meliorem illis, qui communitèr venduntur; cur eodem pretio illum vendere teneretur? Et sic videmus, quod licèt pisces sint eiusdem speciei, qui minores sunt, vilius taxantur, & carius maiores, quia meliores. Dicendum itaque est, quod sicut triticum (vel aliæ merces) imperfectum, paleis admixtum, à muribus corrosum, non potest pretio taxæ vendi, sed debet de illo pretio detrahi, quantum illa imperfectio æstimatur. Sic si triticum quis proponeret notabilitèr excedens in bonitate aliud quod, pretio taxæ communitèr venditur, potest plus pro illo accipere, quanti illa melioratio æstimatur. Si autem non esset excessus notabilis, sed modicus, non poterit illud supra taxam vendere, quia æquum non est pretium taxæ de facili mutare: & idem est de alijs mercibus, quæ lege, vel statuto, aut communi æstimatione pretium habent. Villalobos *tract.* 21. *diff.* 6. *n.* 9. Lugo *disp.* 26. *sect.* 5. *n.* 65. Molina *disp.* 364. §. *Posito taxationis*, Reginald. *lib.* 25. *cap.* 16. *sect.* 3. *n.* 284. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 21. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 4. *n.* 88. Trellench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. *num.* 10. Diana 1. *p. tract.* 8. *resol.* 52.

Vinum aqua mixtum non potest vendi pretio taxato pro vinis.

129 Sexta, & vltima difficultas est, an possint ex industria mundo tritico, & optimo alia inutilia, & inferiora misceri, & pretio taxato vendi? Et non loquimur in casu, quo ex tali mixtione resultaret aliud triticum inferius illo, quod communitèr tali pretio venditur, quia tunc est apud omnes certissimum, non posse illo pretio vendi, quo communitèr aliud triticum venditur; sed detrahendum esse de pretio pro ratione illius defectus. Sed est quæstio, quando propter talem mixtionem res non sit deterior; sed quia erat antea purior, & perfectior, per illam mixtionem reducitur ad statum æqualitatis cum alijs, quæ communitèr pretio taxato venduntur. Et idem est de alijs mercibus, vt si in vino optimo, & generoso misceatur mustum, vel aliud vinum deterius, quod non relinquat illud inferioris conditionis ac alia, quæ pretio taxato venduntur, an possint eodem pretio taxato vendi? Et quia rarò accidere potest, quod vinum aqua mixtum non reddatur deterioris conditionis, ac alia pura, quæ absque tali mixtione venduntur; ideò rarò erit licitum vinum aqua mixtum eodem pretio vendere, quia licèt vinum sit generosum, multum tamen patitur ob eam mixtionem, & ad plures effectus minùs vtile esse solet; ideòque qui misceret 10. amphoris vini puri vnam aquæ, illud minùs pretij detrahere deberet in venditione. At si consuetudo alicubi vigeret admiscendi parum aquæ vino, quando conficitur, quia id periti necessarium judicant ad perfectionem talis vini, non esset illa mixtura peregrina, nec ob id detrahendum esset aliquid de pretio, vt inquit Lugo *disput.* 26. *sect.* 5. *num.* 68. Loquimur ergò nos de alijs mercibus, & etiam de vino alteri vino inferiori admixto: non verò quod aqua miscetur; quamvis aliqui ex Auctoribus citandis de illo etiam loquantur, si, per hoc quod aqua miscetur non deterioratur.

Si merces sit æquè bona, etiamsi mixta sit, potest pretio taxato vendi.

130 Ad quæsitum ergò respondendum est affirmativè, si triticum æquè bonum persistat, ac illud quod communitèr venditur pretio taxato, etiamsi per industriam non vendatur purum, vt ex area venit; sed alio tritico, alijsve seminibus inferioribus admixtum: quia venditor nullam injuriam per talem mixtionem infert emptori, cùm det ei triticum æquè bonum, ac quilibet alius: & sicut ille poterat illo pretio triticum vendere, si ex area illis paleis, vel seminibus mixtum asportasset, quia adhuc cum illa mixtione est æquè bonum ac alia, quæ tali pretio venduntur, idem etiam ex industria facere potest, quia per hoc, quod ex industria, talibus triticum misceatur, non redditur deterius, aut minùs vtile emptori. Vndè sicut ipse venditor poterat supra pretium taxatum aliquid amplius accipere ob maiorem perfectionem sui tritici: sic potest talem perfectionem ab eo auferre, & illud relinquere in æqualitate cum alijs, & sic æquali etiam pretio vendere. Ita Sot. *lib.* 6. *de Iustit. q.* 3. *art.* 2. Lugo *disput.* 26. *sect.* 5. *n.* 67. & 68. Serra 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. *concl.* 2. Prado *cap.* 27. *q.* 2. *n.* 31. Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 11. *num.* 83. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 17. & alij, quos refert, & sequitur Diana 1. *part. tract.* 8. *resolut.* 51.

§. II.

An lex taxativa tritici obliget in annis magnæ sterilitas alicuius provinciæ?

Status quæstionis proponitur.

131 Quæritur de annis sterilitatis magnæ alicuius provinciæ, qualis hoc anno fuit apud Bacæos, apud quos nec fuit tertia pars frumenti, quæ solet colligi in mediocribus annis. Si enim non sit magna sterilitas, sed modica; nec in tota aliqua provincia, sed in eius aliqua parte, non videtur dubium hanc legem obligare, vbi est in suo robore, nec consuetudine contraria abrogata, quia tunc non est magna penuria, & est periculum excedendi in pretio cum detrimento boni communis, quod est finis illius legis; & si in hoc casu illa lex non obligat, omninò frustranea, & inutilis esset; nam in fertili, & abun-

abundanti anno pretium frumenti multò minùs taxa venditur: in ſterili eſt quæſtio an obliget: ergò ſi in mediocribus annis, vel ſterilibus pro parte aliqua, & non pro tota provincia non obligat in conſcientia, fruſtra eſt talis lex, cùm numquam detur caſus, quo obligare poſsit. Pro annis igitur magnæ ſterilitatis totius provinciæ quæſtio procedit. Et etiam cenſetur totius provinciæ inopia, quando licèt in ea fuerit collectio tritici in abundatia, in proximis provincijs fuit magna inopia, vt hoc anno contigit, quo in tota terra ditionis ſalmantinæ fuit abundantia magna frumenti. Sed quia cæteræ provinciæ illi adhærentes habuerunt illius magnam inopiam, crevit in pretio vſque ad *36.* pro ſingulis fanecis; tùm propter multitudinem emptorum, tùm propter proviſionem exercituum inde factam, tùm, quia extracta fuit magna copia ad curiam regalem, aliaſque civitates providendas.

Sententia aſſerens non obligare legè taxæ tritici annis ſterilibus.

132 Igitur circa quæſitum duplex graviſsima ſententia datur, vtraque probabilis, & tuta in conſcientia. Prima aſſerit, præſumendum eſſe, Principem nolle in talibus annis ſuam legem obligare, & ſi velit, eſſe irrationabilem voluntatem, proindeque legem injuſtam, & ſic nullatenus pro illis annis obligare. Et probatur primò, quia leges dantur ad id, quod frequenter, & communiter contingit: ergò non eſt præſumendum, latam eſſe legem pro caſu extraordinario & rarò contingenti: & ſic præſumendum eſt ex tacita Principis voluntate, pro ſimilibus annis legem taxæ ceſſare. ¶ Secundò, quia, mutatis notabilitèr circumſtantijs, debet mutari lex taxativa rerum: & ſi in hoc Princeps negligens fuerit, incipit lex eſſe injuſta, & non obligans, vt diximus *numer.* 115. ſed in anno ſterili valdè variantur circumſtantiæ, quæ non occurrunt in anno abundanti, vel mediocri: ergò pro illo debet lex illa alterari, vt ſit juſta: ergò non erit talis, ſi pro omnibus annis eadem imponatur. Vndè ſicut non eſſet juſta taxa, ſi pro hoc anno illud pretium aſsignaretur, quia generalitèr illo anno plus valet: ita non eſſet juſta, ſi pro omnibus annis ſub illo pretio eſſet taxa præfixa. ¶ Tertiò, quia pragmaticæ auxerunt pretium tritici ſecundum varietatem, & exigentiam temporum, & à 12. vſque ad 14. aſcenderunt, & tandem vſque ad 18. quatenus videbatur creſcere valor pro bono totius reipublicæ: ergò credendum eſt, nolle Regem in anno communis ſterilitatis illam ſuam legem cum robore permanere. ¶ Quartò, quia in anno ſterili, non ſolùm in vno, vel altero, ſed in omnibus ſunt maiores expenſæ factæ in colendis agris, ſolvendis operarijs, fructibus colligendis, quàm eſt pretium taxæ correſpondens: ergò valor intrinſecus crevit in illo anno multum ſuprà taxam, & ſic non ſolùm cederet illa taxa in detrimentum vnius, vel alterius, ſed omnium habentium triticum: & ſic juſta eſſe non poteſt lex, quæ in commune cedit detrimentum. Nec valet dicere, hoc detrimentum compenſari in annis abundantibus: nam in illis non venditur triticum prætio taxæ; imò nec vendi poteſt, vt diximus *numer.* 112. & ſic non datur locus tali compenſationi. Sic Ioan. Medin. *quæſt.* 37. *ad* 2. & apertius *quæſt.* 31. *§. Prædictis tamen*, Villalobos *tract.* 21. *diff.* 11. *numer.* 3. Rodrig. *in ſum. cap.* 29. *concl.* 4. Bonac. *diſput.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *numer.* 7. Molin. *tom.* 2. *tract.* 2. *diſput.* 364. *numer.* 7. Rebell. *part.* 2. *lib.* 9. *q.* 2. *ſect.* 3. *numer.* 14. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 5. *n.* 1. Navarra *in ſum. cap.* 22. *num.* 88. Ioann. Henriq. *ſect.* 10. *quæſt.* 30. Covarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 3. *n.* 5. Diana 1. *p. tract.* 8. *reſol.* 70. Angles, & Mexia, quos refert Palaus *diſput.* 5. *punct.* 4. *n.* 6. Quos ipſe, licèt non videatur ſequi *num.* 7. at *n.* 8. apertè ſequitur, & alij, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 1. *conſil. cap.* 7. *dub.* 5. *num.* 11. Quamvis ibi addita ſit eius operibus quædam limitatio, quæ non eſt ipſius Sanch. vt probat Lugo, & Prado, *locis infra citandis.*

Eligimus ſẽtentiam aſſerẽtem, tempore ſterilitatis obligare taxam tritici.

133 Secunda ſententia eſt affirmativa: & probatur primò, quia Legislatores, viſis omnibus inconvenientibus hinc inde concurrentibus, & habita ratione eorum, quæ non in vno, & altero anno contingunt, generalitèr loquuti ſunt, & taxam abſolutè fixam ſtatuerunt, quia ita expedire bono communi judicarunt, ne creſcat valor frumenti in immenſum, & pereant pauperes: ergò cenſendum eſt, velle pro omnibus annis roborem habere, juſtamque eſſe pro illis: quia quando non conſtat de injuſtitia (qualitèr in præſenti non conſtat, cùm totum dubium ſit circa illam) obediendum eſt legi taxativæ, vt diximus *num.* 110. ¶ Secundò, quia taxa tritici, hordei, & avenæ, de qua fit ſermo leg. 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *Recopil.* quæ eſt nunc durans, impoſita fuit tempore ſterilitatis, vt probat Caſtr. *lib.* 2. *de leg. Pœnal. cap.* 12. Et ex ipſo tenore legis conſtat, in qua Magiſtratibus cavetur, vt obligent omnes, tàm ſæculares, quàm eccleſiaſticos, frumentum illo pretio vendere: quod ſuperfluum eſſet, niſi pro tempore ſterili eſſet impoſita: ergò obligat etiam annis ſterilibus. ¶ Per quod manent ſoluta contraria fundamenta. Si namque taxa eſſet impoſita tempore abundantiæ, vel indifferentèr pro omni tempore, aliquam vim haberent ad probandum, Principis voluntatem non eſſe, vt pro annis ſterilibus talis lex obligaret; ſed talis interpretatio ceſſat, cùm Princeps anno ſterili eam ſanciverit; & ſic vult etiam tempore inopiæ frumenti obligare. Et talem voluntatem eſſe juſtam conſtat, quia ſine taxa tunc vendere, eſt nimium gravare pauperes, quia non habent quo emant panem, ſine quo non poſſunt vivere. Et ſic non pauci vſque ad extremam, vel quaſi extremam neceſsitatem pervenerunt. Et aliundè pauperes agricolæ, qui magnas expenſas, & labores ponunt in colendis agris, & colligendis fructibus, iam novis legibus poſſunt vendere pretio vulgari currente, abſque obligatione taxæ: ergò, prout nunc iacent tales leges, juſtæ ſunt, & obligant in conſcientia, etiam in anno ſterili. Ita Ledeſm. 2. *p. ſum. tract.* 8. *cap.* 31. *diff.* 20. citans Bañ. & Orellan. & dicens, eſſe communem Thomiſtarum. Prad. *tom.* 2. *cap.* 27. *q.* 2. *n.* 14. Tapia *tom.* 1. *caten. cap.* 5. *q.* 16. *art.* 4. *n.* 4. Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. p.* 1. *præc.* 7. *q.* 3. *dub.* 3. *concl.* 1. Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controv.* 2. Serra *ibi, dub.* 2. *fol.* 670. Barthol. à Sanct. Fauſt. *diſp.* 6. *quæſt.* 5. Petr. Navarr. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 2. Azor 3. *p. lib.* 8. *cap.* 22. *q.* 7. Baſil. Pont. *var. diſp.* 1. *p. q.* 1. *ſchol. cap.* 7. *in fin.* & alij apud ipſos: huic ſententiæ ſubſcribimus, ſed cum limitationes ſequentibus.

Duæ limitationes propponuntur prædictæ ſententiæ.

134 Prima eſt, quam ponit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus hiſpalenſis Tapia, *loco citato*, *numer.* 4. his verbis. (*In magna* ſterilitate talia inconvenientia, & circumſtantiæ poſſunt occurrere contra bonum publicum, & egenorum, ſi ſervetur taxa legis, vt per interpretationem legis, ſeu epikeiam licitum ſit excedere taxam legis. Hoc eſt certum, quia lex, quæ pro bono communi inſtituta eſt, non debet contra illud militare: & in hoc caſu credo procedere viros doctos, & timoratos,

ratos, si aliquando excesserint taxam legis; & in eo existimo Gubernatores civitatum, imò & Legislatores permittere eiusmodi excessum propter bonum publicum. Nec sufficit id permittere agricolis, quando ex hoc non satis occurritur inconvenientibus, & nocumento publico. Quando autem eveniet hic casus, non cadit sub regulis doctrinæ: ad prudentes enim spectat hoc dijudicare, cùm occurrerit.) Hactenus Sapientissimus, & Religiosissimus Præsul. ¶ Secundam limitationem sumimus ex eodem Auctore, *tom.2 suæ catenæ, lib.5.q.16.art.4.n.13.* vbi sic ait: (*Quod si* in aliquo regno, vel provincia maior pars incolarum omnium statuum excedit publicè pretium taxæ per aliquot annos sufficientes ad consuetudinem introducendam, cum scientia, & patientia Principis, & Gubernatorum, censebitur derogata taxa pro illa provincia, ex justa regula consuetudinis.) Has regulas nos *hoc tom. tract. 11. cap. 6. à n. 15.* tradidimus. Id ipsum docet Salon. quem refert, & sequitur Trullench *lib.7.cap.20.dub.5.n.6.* An verò in præsenti concurrant omnes conditiones consuetudinis sufficientes ad derogandam legem? Videat doctus illas *loc. cit.* ponderando, & conferendo cum his, quæ modo in praxi eveniunt. Nos enim propterea multoties diximus in his disputationibus: *Si lex taxativa tritici in suo vigore persistat.*

Alia limitatio notatu digna.

135 Vltima limitatio deducenda est ex eodem Sapientissimo Præsule Tapia *loco proximè citat. num.* 14. vbi inquirit, an si abrogata non esset taxa, & à fere omnibus non observaretur, pauci timorati tenerentur eam observare? Et negativæ parti adhæret, quia durum valdè esset quod ferè omnes alicuius provinciæ excedant hordei, & tritici taxam, & quod pauci timorati teneantur servare illam, vendendo secundum illam triticum, quando cum ipsis non servatur, si emant; durissimumque videtur, quod pondus legis cadat super vnum, vel alterum timoratum, cæteris jugum excutientibus publicè, & impunè. Præterquamquòd observantia aliquorum nullum, aut ferè nullum affert bono communi commodum, aut pauperibus, quin potiùs multoties damnum, eo quod negotiatores, & avari emunt ab his timoratis pretio taxæ, & vendunt pro maximo, quod illi timorati mitiùs venderent: & sic cum his inconvenientibus non tenentur illa lege, parati eam observare, quando talia cessent. Et id maximè vrget, quando Principes, & Gubernatores advertunt, vel tenentur advertere hanc deformitatem, & non adhibent remedium, vt generalitèr observetur taxa, vel abrogetur, vt servetur subditis æqualitas in jugo ferendo, sicut esset injusta taxa, si imponeretur vni, & non alijs, nulla ad id causa existente. Sed circa hoc vide quæ diximus *punct. præc. n.115.*

§. III.

De taxa panis, quando in farina, vel iam coctus venditur.

Taxa in frumẽto in grano, censetur eadem in farina.

136 COmmunis tenet sententia Doctorum, quod taxato tritico, etiam censetur taxata farina, quæ ex illo fit, additis farinæ pretio expensis molendi, & servato illius pondere correspondente fanecæ tritici: aliter enim lex taxativa tritici non sortiretur effectum, nec cupiditati venditorum esset occursum, aut communi totius populi provisum vtilitati: quia in fraudem legis molere possent triticum, & postea vendere pro libito. Ita docent Molin. *tom.2.disp.364.§. Si triticum*, Ledesm. *2.p.sum.tract.8.cap.32.* Salon. *2.2.q.77.art.1. controv.15.* Trullench *lib.7.cap.20.dub.5.n.3.* Villalobos *tom.2.tract.21.diffic.9.n.1.* Tapia *tom.2. lib. 5.q.16.art.4.n.2.* Idem est sentiendum, quando non habet pretium taxatum per legem triticum, sed solùm vulgari pretio est vendendum; quod pretium illud vulgare, quod est pro tritico in grano, est pro illo in farina, deductis expensis molendi.

Etiã taxato tritico panis coctus cẽsetur taxatus.

137 Idem, quod diximus de pane in grano, vel farina, sentiendum est de pane cocto; quod nimirùm, taxato tritico, manet taxatus panis coctus, qui ex eo procedit, cum moderato lucro pro panificis: & consideratis expensis conficiendi panem ex tritico: quod excedere erit contra justitiam in fraudem taxæ justi pretij frumenti, & sic restitutioni obnoxium. Rodrig. *2.p.sum.cap.59.n.2.* Trullench *n.5.* Tapia *supr.art.5.n.1.* Villalob. *diff.10.num.2.* qui ait, pretium panis respondens tritico, sic compensari debere à panificis, quod si faneca tritici valet 18. regales, duæ libræ panis cocti valeant 18. matarapetinos. ¶ Alij verò dicunt, deberi talem panem taxari à justitia, consideratis expensis, & moderato lucro, habito respectu ad valorem tritici: vtrumque potest deduci ex pragmaticis anni 1558. & 1571. contentis *leg.1. & leg.4. tit.25. lib.5. Recompil.* quas leges obtenari jubetur *leg.21. tit.26. lib.8. Recompil.* Et in hac sententia ex justitia tenentur Gubernatores assignare pretium panis cocti, vt eis in dictis pragmaticis imperatur; &, si non faciunt, peccant mortalitèr, & restituere damna sequuta tenentur, quia ex officio incumbit ipsis damna civium avertere, & leges justas executioni mandare; nisi in aliquo casu permittant ex justa causa, vt panem coctum quisque vendat, quo pretio potuerit, vt panis abundantèr evehatur, & in publicum vendatatur, ne tota gens pereat.

Quibus prohibitum est panẽ coctũ vendere?

138 Sed advertendum est, quod in pragmaticis anni 1568. & 1571. quarum fit mentio *leg.4.5. & 10. tit.25. lib.5. Recompil.* prohibitur ecclesiasticis omnibus, & nobilibus, ac divitibus, quod per se, vel interpositam personam panem coctum vendant: & cùm sint leges justæ, obligant in conscientia, & gravitèr, si materia fuerit gravis, vt docet Palaus *disp.5.punct.9.n.2.* Salon. *2.2.q.77. art.1. controv.5.* Tapia *tom.2.cap.5.q.16.art.5.n.2.* Villalob. *diff.10. citat.n.3.* & sic tantùm panificis panem vendere permittitur, qui habent ex officio, vel ad summum his, quos non dedecet assumere hoc officium; vt extendunt Tapia, & Villalob. cum Ledesm. *tom.2.tract. 8.cap.32. diff.26.* Sed quamvis ecclesiastici, aut divites, vendendo panem coctum, peccent contra istas leges, & sic contra obedientiam, non tamen peccant contra justitiam. Quare restituere, quod lucrati fuerunt, non tenentur. Ledesma, Tapia, Palaus, & Villalob. *loc. cit.* Imò nec peccant clerici, dum panes, qui superfluunt ex sibi oblatis, vendunt eodem pretio justo, quo ab alijs panis coctus venditur, quia hoc non cedit in fraudem legis; nec æquum esset obligare eos, vt abijcerent panes oblatos, quibus non indigent. Ita præcitati Auctores.

PUN-

PUNCTUM XI.

Vtrum liceat vendere carius ob dilatam ſolutionem, vel vilius emere ob ſolutionem anticipatam?

In quo ſenſu procedat præſens dubium.

139 QUæſtio præſens, quæ maximè neceſſaria eſt pro iſto contractu cognoſcendo, non procedit quando quis carius vendit, vel vilius emit ob dilatam, vel anticipatam ſolutionem intra latitudinem juſti pretij; id enim certiſsimum eſt, poſſe carius vendi ad creditum, quàm pecunia numerata: vt ſi merces poterant vendi pretio infimo 16. & medio 18. & rigoroſo 20. poſſunt viginti vendi ad creditum, etiamſi minus per numeratam pecuniam vendantur: & poſſunt emi 16. pecunia anticipata, quamvis pretio 18. aut 20. quando res ipſa traditur, eſſet emenda. Loquimur ergò extra latitudinem pretij juſti, an ſit ſufficiens ratio honeſtandi venditionem ſupra omne pretium juſtum, quod res vendatur ad creditum. Et quidquid dixerimus de venditione ad creditum, cenſendum eſt vice verſa de emptione ſolutione anticipata, quia hic etiam differtur traditio rei, & pecunia anticipatur: ſicut ibi pecunia differtur, & res de preſenti traditur; & hoc præ oculis toto hoc puncto habendum, ne multoties illud repetamus.

§. I.

Res ad creditum vendita carius vendi non poteſt, ſed aliquibus titulis, aut conditionibus ſolet talis venditio honeſtari.

Carius rem vendere ob dilatam ſolutionē, eſt vſura.

140 IN vno conveniunt omnes Doctores, eſſe nimirùm vſuram palliatam, ac proindè omninò illicitam, & contra juſtitiam, venditionem, in qua res ob id carius præcisè venditur, quia ſolutio creditur, & illius conceditur dilatio, vt habetur cap. *Conſuluit*, cap. *In civitate*, cap. *Naviganti, de vſuris.* Omnes Doctores adducere, qui hoc dicunt, ſupervacaneum erit, cùm vniverſi in eo conſpiraverint. Vnum pro omnibus ſufficiat D. Thomam referre, qui 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 7. id luculentèr docet, & rationem reddit his verbis: *Ad ſeptimum dicendum, quod ſi aliquis carius velit venderè res ſuas, quàm ſit juſtum pretium, vt de pecunia ſolvenda emptorem expectet, manifeſtè vſura committitur, quia huiuſmodi expectatio pretij ſolvendi habet rationem mutui. Vnde quidquid vltra juſtum pretium pro huiuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem vſuræ. Similitèr etiam, ſi quis emptor velit rem emere vilius; quàm ſit juſtum pretium, eo quod pecuniam ante ſolvit, quàm poſſit res ei tradi, eſt peccatum vſuræ, quia etiam iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretium eſt, quod diminuitur de juſto pretio rei emptæ.* Quamvis hæc certiſsima ſint, plures tamen ſolent tituli apponi, ratione quorum talis venditio ſolet excuſari, quos modò examinandos ſuſcepimus.

Ob lucrum ceſſans, & dānū emer-

141 Primus titulus eſt ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis; quem omninò ſufficientem eſſe ad excuſandam talem venditionem, ſervatis omnibus conditionibus neceſſarijs (quas *cap. ſeq.* agentes de mutuo, & vſura enumerabimus) omnibus eſt notum. Cùm enim aliquod pretium, vel lucrum ob ipſum mutuum licitum ſit accipere, & in pactum deducere ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, etiam ob id licitum erit aliquid maioris pretij accipere, quàm aliàs eſſet juſtum, ob damnum, quod ex dilatione ſolutionis venditor timet; vel ob lucrum, & commodum quod amittit; ſed debet monere emptorem in tali caſu (vt admonent plures Authores) ſe carius illi vendere, quàm res meretur ob illud incommodum quod patitur, aut lucrum quod credit amiſſurum, quia fortè alius nollet eius incommoda emere. Obſervandum eſt tamen attentè à confeſſarijs, an iſte titulus ſit fictitius? Multi enim ex negotiatoribus dicunt, quod poterant ipſi pecunia præſenti amplius negotiari, vel amplius lucrari. Hæc enim excuſatio nulla eſt, quando ipſe negotiator habet tantam copiam mercium, quod partim oportet vendere ad creditum, partim numerata pecunia. Vel etiam habet tantam copiam pecuniæ, quod non erat impenſurus totam in negotiationibus ſuis, ſed ſemper ſervat aliquid in depoſito, vt docet rectè Bañez 2. 2. *quæſt.* 77. *articul.* 4. *dub.* 5. *fine*, Villalobos *tom.* 2. *tract.* 21. *difficult.* 7. *numer.* 5. Qui addit *numer.* 6. quod mercatores frequentèr in hoc deficiunt, cùm ſe excuſant ratione lucri ceſſantis, quia non monent, vt juſtum erat, de illo emptorem. Et etiam, quia ſi res attentè conſideretur, rarò contingit hoc lucrum ceſſans in noſtro caſu, quia ſi pecunia numerata venderent, non tantam copiam mercium diſtraherent: & ſic, quod aliàs lucraturi eſſent, lucrantur pecunia credita, vendendo intra pretium juſtum, quo pecunia numerata venderent; & ſufficit quod vendant in pretio rigoroſo juſto ad creditum, quod aliàs mediocri, & fortè infimo pretio eſſent venditurі.

Etiam ob expenſas faciē das carius poteſt res vendi.

242 Ad iſtum titulum reducitur alius, ob quem communitèr pluris venduntur res ad creditum; nimirùm ratione expenſarum, quas facturus eſſet creditor in recuperando pretio, quod credidit. Ob quem omnes aſſerunt, poſſe pretium augere, qui vendit dilata ſolutione, quia illæ expenſæ faciendæ, ſunt novum damnum emergens ipſi venditori; vt ſi abſens eſſet emptor, vel dubiæ fidei, cui creditur pecunia, ratione cuius non niſi cum labore, & expenſis poſſet venditor pretium ſuæ mercis recuperare; ob hanc rationem augere poteſt pretium ſupra juſtum, quanti talis labor, & expenſæ arbitrio prudentum æſtimantur. Sic Bañez *ſupr. articul.* 4. *dub.* 6. *concl.* 1. Soto *de Iuſtit. lib.* 6. *quæſt.* 4. *articul.* 1. *ad* 2. Serra 2. 2. *quæſt.* 71. *articul.* 1. *dub.* 4. *concl.* 2. *fine*, Prado *tom.* 2. *cap.* 28. *quæſt.* 3. §. 3. *numer.* 16. Malderus 2. 2. *tractat.* 5. *cap.* 2. *dub.* 11. Barthol. à Sanct. Fauſto *diſput.* 6. *quæſt.* 26. Bonacina *diſput.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *numer.* 18. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 8. Sed amonet Magiſter Serra, quod venditor de his monere debet emptorem, quia fortè nollet emere cum illo onere; in conſiderationem enim periculorum, moleſtiarum, & aliorum laborum, eſt quaſi novus contractus, & ideò novus conſenſus erit pro eo requirendus. Advertit etiam Sotus, §. *Supereſt*, quod vbi omni procul fraude bonis conjecturis timentur expenſæ, nulla eſt iniquitas de expenſis, & laboribus pactum cum illo onere, conſtitutumque pretium recipere, etiamſi nullus labor, nulla moleſtia, nullæve expenſæ poſtea de facto dentur: nam etiamſi eſſes

plura

plura expensurus, non posses amplius recipere, quàm fuit conventione firmatum. Addit Malderus, §. *Eadem est ratio*, cum Medin. Cod. *de restit. quæst.* 38. *cauſ.* 4. quod ſi tempore ſolutionis culpa emptoris inveniantur expenſæ excreviſſe vltra id, quod erat in pactum deductum, tenebitur emptor in conſcientia hoc ſupplere, cuius fuit culpabilis, & injuſta cauſa.

Sententia affirmans ratione periculi non posse carius res vendi.

143 Dubium autem eſt in præſenti, an ratione periculi amittendi pecuniam in toto, vel in parte, licitum ſit carius vendere ſolutione credita? Duplex datur ſententia. Prima negativa, quæ primò probatur ex cap. *Naviganti*, *de vſuris*, vbi ſic dicitur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod ſuſcepit in ſe periculum, recepturus aliquid vltrà ſortem, vſurarius cenſendus eſt.* ¶ Secundò, quia licet illud periculum ſit pretio æſtimabile; non ſequitur eſſe tali modo vendibile. Tùm, quia venditor ſua ſponte in illud ſe conjicit periculum, quia non invitus vendit: & ſi videt ſuas merces toto non diſtrahi, non vendat credito, vel aliam cautionem accipiat. Tùm etiam, quia venditor non alitèr poteſt eum liberare ab illo metu, quàm ſolvendo mercis pretium, cui idcircò, dum ſolvit, ſatisfacit. Si enim ab initio, non habita ratione de tali periculo, merces currenti pretio venderet, & poſteà metus non accipiendi pretium inſurgeret, non aliter alius illum excutere poſſet, niſi ſolvendo: ergò hoc ipſo quod poſteà ſolvat, eum à periculo liberat, & vndequaque ſatisfacit. Ob hoc, & alias rationes tuentur iſtam ſententiam Ludovic. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 37. *concl.* 4. Fr. Ioan. à S. Thom. *in* 7. *præceptum, in explicatione Doctr. Chriſt.* D. Anton. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 8. §. 2. Prado *tom.* 2. *cap.* 27. *quæſt.* 3. §. 2. *numer.* 10. Soto *lib.* 6. *de Iuſtit. quæſt.* 4. *art.* 1. *ad* 1. Bañ. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 4. *dub.* 6. *concl.* 2. Azor *p.* 3. *lib.* 8. *cap.* 8. *q.* 7. Rebel. *part.* 2. *lib.* 9. *q.* 12. *num.* 1. Navarr. *cap.* 23. *n.* 81. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 10. *diſp.* 2. *num.* 250.

Verius eſt poſſe rē carius vēdi ratione periculi in ſortis recuperatione.

144 Secunda ſententia eſt affirmativa, quæ eſt probabilior; & dicit, quod aſcendere poteſt venditor in pretio vſque ad æſtimationem aſſecurationis, quam illi debet de ſolutione emptor, dummodò periculum verum ſit, & non falſæ inixum præſumptioni, & moneat emptorem ſe ob illam cauſam carius vendere, ob rationem, quam multoties tetigimus. Huius ſententiæ primum fundamentum eſt, quia ſe tali periculo exponere, eſt pretio æſtimabile; & ideò omnes tuentur, quod ſi venditor peteret ab emptore fideiuſſorem, fideiuſſor poſſet pro aſſecuratione pecuniæ pretium exigere: & ſimiliter ſi alius tertius ſolicitaret venditorem, vt venderet ad creditum homini malæ fidei, licitum eſſet venditori exigere ab illo ſolicitatore aliquid pretij, eo quod tali homini ad creditum vendit: ergò: ſi ipſe creditor in ſe ſuſcipiat periculum, poterit pro aſſecuratione accipere novum pretium. ¶ Secundum, quia venditor licitè poteſt deducere in pactum damnum emergens; ſed ex tali venditione emergit ſibi damnum, eo quod manet in periculo, & metu amittendi bona ſua: ergò hac ratione amplius exigere poteſt. ¶ Tertium, quia mille aurei verè expoſiti periculo, minus æſtimantur à viris prudentibus, & ſic jus ad illos poteſt emi minori pretio, vt omnes aſſerunt: ergò per illos non poſſunt emi, quæ per eos, periculo excluſo, emerentur: & ſic quod venditor aliquid amplius exigat, vtitur jure ſuo, vt juſto pretio ſuas res diſtrahat. Atque ita docet Sylveſter *vſur.* 1. *q.* 15. Malder. *tract.* 15. *cap.* 2. *dub.* 11. Serra 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *dub.* 4. *concl.* 3. Medin. Cod. *de reſtit. q.* 38. *cauſ.* 3. & 4. Salon *art.* 2. *contr.* 26. Barthol. à Sanct. Fauſt. *diſp.* 6. *q.* 25. Valent. *diſp.* 5. *q.* 10. *punct.* 2. *concl.* 4. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 54. & *cap.* 23. *n.* 43. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 7. *n.* 9. Lugo *diſput.* 25. *ſect.* 6. *n.* 81. Palaus *diſput.* 5. *punct.* 12. *n.* 6. Diana 1. *part. tract.* 8. *reſol.* 57. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 11. *n.* 105. & *cap.* 3. *n.* 342. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 8. *n.* 4. Bonac. *diſp.* 3. *de contract. q.* 2. *punct.* 4. *n.* 18. Et hoc verum eſt, licèt poſteà nullum ſubeſſe periculum appareat; ſed prudenter timeri potuit, quando fuit facta conventio, vt dicebamus de expenſis *num.* 142.

Solvitur cōtrarium fundamentum.

145 Fundamentum contrarium nullam habet vim, vt ex dictis conſtat. Solus ille textus ex cap. *Naviganti*, habet aliquam difficultatem. Diverſas apud Authores dictos illius ſolutiones reperies. Vnam eligimus, quam aptiorem judicamus, nimirùm Pontificem ibi ſolùm decernere præſumendos eſſe in foro externo vſurarios tales contractus; & ideò non dixit vſurarios eſſe, ſed *vſurarium cenſendum eſſe.* Eo quod tali titulo multæ vſuræ palliantur, cùm multi illis ſolis mutuare vellent, qui pecunias trajectitias peterent cum contractu aſſecurationis, vbi fortè nullum periculum verum ſubeſſet: & ſæpe mutuatarius non habebat animum traijciendi pecunias, ſed ad obtinendum mutuum id dicebat, & pretium exceſsivum pro eis mutuandis cum tali aſſecuratione accipiebatur: quas fraudes evitare cupiens Pontifex, juſsit, vt in foro externo habeantur pro vſurarijs tales contractus, quandiù de illorum juſtificatione non conſtiterit.

Quid, ſi merces amplius valituras, tēpore traditionis credatur?

146 Secundum dubium hìc ſolet ventilari, an liceat minus emere anticipata ſolutione: ſi tempore traditionis merces minus valituræ creduntur? Vel è contra, an liceat carius vendere expectata ſolutione, ſi tempore traditionis pretij merces plus credantur valituræ? Ad quod reſpondemus (omiſſa ſententia Caietani, & aliorum, qui dicunt, id licitum eſſe abſque vlla diſtinctione) quod licitum eſt res vilius emere anticipata ſolutione, & carius ſimiliter vendere ſolutione credita, ſi venditor res erat ſervaturus ad tempus, quo plus eſſent valituræ, ſecus verò deficiente iſta conditione. Quarè licitum eſt triticum menſe Ianuario, v.g. emere ſolutione anticipata, tradendum menſe Auguſti, non pretio currente menſe Ianuario, ſed quod creditur habiturum menſe Auguſti: & ſimiliter carius vendere vinum tradendum menſe Decembri ob dilatam ſolutionem ad menſem Maij, ſi venditor ad illud tempus erat vinum, aut triticum reſervaturus, & non alitèr. Reſolutio conſtat ex his, quæ diximus ſupra. Deinde probatur primo ex cap. *Naviganti*, *de vſuris*, vbi ſic dicit Pontifex: *Qui dat decem ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur; quæ licèt tunc plus valeant, vtrum plus, vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc vſurarius reputari. Ratione huius dubij etiam excuſatur, qui pannos, grana, vinum, oleum, vel alias merces vendit, vt amplius quàm tunc valeant, in certo tempore recipiat pro eiſdem; ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

Ratio præcedētis doctrinæ.

147 Ratio quarè liceat vilius emere rem, quæ tunc magis valet, ſi tradenda eſt tempore, quo erit valitura minus, eſt, quia cum res propter commodum, & vtilitatem ematur, ſolùm æſtima-

tur

tur ſecundùm pretium quod habet tempore, quo traditur, quia tunc ſolùm eſt vtilis, & commoda, non tempore quo contractus ſolo conſenſu perficitur: & ſic licitum erit eam emere anticipata ſolutione, non pretio quod habet, quando ſolutio fit, ſed quod habitura eſt, quando tradenda eſt. Vndè iniquum erit emere viliori pretio ob anticipatam ſolutionem rem, quæ pluris eſſet valitura tempore, quo tradenda decernitur. ¶ Ratio autem, quarè poſsit res carius vendi credita ſolutione, ſi res erat ſervanda tempore, quo eſſet tanti valitura, eſt, quia tunc non debet æſtimari pretium ſecundùm præſens tempus, ſed ſecundùm tempus, quo erat ſuas merces diſtracturus; aliàs damnum emergens pateretur venditor, à quo ſe poteſt, augendo pretium, incolumem ſervare. Sed debet deducere expenſas faciendas ad ſervandam rem ad illud tempus, & quanti æſtimatur periculum interim eam amittendi; & debet monere emptorem, ſe vſque ad illud tempus ſervaturum decreviſſe, vt decernat, ſi velit hoc emere damnum, quod ſibi emergit. Ratio denique cur non poſſet carius vendere, ſi non decreverat rem ſervare vendendam tempore, quo eſt carius valitura, eſt, quia ſi venditor non erat ſervaturus merces, nihil ei refert, quantum poſtmodum eſſet valitura; atque adeò nec damnum illi emergit, nec lucrum ceſſat. Quarè ratione illius, nihil niſi pretium, quod de præſenti currit, percipere poteſt. Quæ omnia docent Prado *cap.27.q.3.§.4.n.19.* Bañ. 2.2. *q.77.art.4.dub.7.&* 8. Malder. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 11. *concl.*2. à Sanct. Fauſt. *diſp.6.q.37.* Serra *q.77.art.* 1. *dub.*4. *concl.*3. Soto *lib.6.de Iuſtit.q.4.art.2. concl.* 1. Salon 2.2. *q.*78. *art.*2. Tapia *tom.2.lib.*5. *q.*16. *art.* 2. Trullench *lib.*7. *cap.*5. *dub.*8. *n.*7. Covarrub. *lib.* 2. *variar.cap.*3. *n.*6. Villalob. *tract.*21. *diff.* 7. *n.*3. *&* 10. Dicaſtill. *lib.*2. *tract.*9. *diſp.*11. *dub.*6. *n.*61. Lugo *diſp.*26. *ſect.*7. *n.*104.

§. II.

Vtrùm illas res, quæ frequentèr emi ſolent anticipata ſolutione, liceat minoris emere, quàm aliàs ſit juſtum pretium? Vel è contra carius vendere res, quæ frequentèr vendi ſolent ad creditum ob ſolutionem dilatam?

Caſus tituli explicantur.

148 DUplex eſt caſus, quem attingit titulus, vterque frequentiſsimus, maximè inter mercatores, qui coniunctim magnam quantitatem emunt, vel vendunt. Vnus caſus eſt de illis rebus, quæ iam ex communi praxi, & conſuetudine ſolent ad creditum vendi, quia alitèr commodè vix vnquam vendi poſſunt: vt quando ex India naves adveniunt multis mercibus pannorum, tapetum, gemmarum, aromatum, &c. onuſtæ; quæ ſi vendi deberent numerata pecunia, vix daretur, qui eas emeret, niſi multo tempore expectato, & cum magno incommodo venditorum; & ſic ex communi conſuetudine illius fori ſolent vendi ad creditum, tametſi aliquæ vendantur ſoluta de præſenti pecunia, qua de præſenti indigent mercatores. Et idem eſt, quando res pretioſæ in magna quantitate ad nundinas portantur. Quæritur ergò, an poſsint plus vendi dilata ſolutione, quàm de præſenti venduntur pecunia credita? Alius caſus eſt, quando res emuntur magni momenti, quæ plures expenſas requirunt, vt ad perfectionem deveniant, ad quas expenſas faciendas ſolent anticipatè venditores ſolutionem petere? Et quæritur, an ob talem anticipationem poſsint vilius emi, quàm valituræ ſunt tempore traditionis, vt in venditione lanarum contingit; & ideò circa illarum venditionem movent Auctores iſtud dubium. Quod idem eſt in alijs rebus ſimilibus.

Duo, quæ certa ſunt apud Authores.

149 Et circa vtrumque dubium duo eſſe indubitata apud Authores, judicamus, ad quæ multi paſſim concurrunt, vt hinc inde rationes congerant; cum tamen de illis non ſit controverſia. Primum eſt, poſſe juſtificari dictos contractus ratione lucri ceſſantis ex pecunia emptorum, quia toto illo tempore, quo anticipant ſolutionem lanarum, potuiſſent emptores lucrari per cambia, vel ratione damni emergentis, vel periculi, cui ſe exponunt, vt vel non recipiant ſuo tempore lanam emptam, vel non talem, qualem venditores offerunt. Qui tituli abſque dubio poſſunt, vel in totum, vel in parte facere licitum, vt aliquid de pretio currenti tempore traditionis detrahant. Quarè dubium eſt, his præciſis titulis, vtrum ob ſolum illum modum communem emendi illas merces anticipata ſolutione, liceat eas minori pretio emere? Secundum, quod vt certum ſuppoſimus, eſt, quod ſi quis multas merces ſimul emat, poteſt eas minori pretio emere, quàm eſt pretium currens, quando minutatim venduntur, quia qui ſic emit, vulgò, *de por junto*, venditorem à multis curis, & operis liberat, & ab onere quærendi emptores; expeditumque reddit, vt poſsit alijs operis lucrari. Et econtra licitum eſt carius res vendere, quando minutatim diſtrahuntur, quàm ſi in magna multitudine ſimul vendantur, quia ille prior modus plures moleſtias frequentèr venditori affert, ob quas meritò maius pretium in eo modo vendendi eſt introductum. Sic Lugo *diſp.26. ſect.* 4. *n.* 24. Tapia *tom.2.lib.*5. *q.*16. *art.6.n.6.* Reginald. *lib.*25. *n.*282. Petr. Navarr. *lib.*3. *cap.*2. *n.*42. Bonac. *diſp.*3. *q.* 2. *punct.*4. *n.*21. Leſſ. *lib.*2. *cap.*21. *n.*38. Quod eſt inter Doctores commune. Sed hoc verum eſt, ſive fiat ad creditum, ſive numerata pecunia, ſive cum anticipatione ſolutionis, ſive non. Quare dubium præſens eſt, an ſi res in magna quantitate vendantur ad creditum, poſsint carius vendi, quàm venderentur in illa quantitate, ſi numerata pecunia venderentur?

Proponitur cõtraria ſententia.

150 Et ab hoc ſecundo caſu incipiendo, qui eſt primus, quem propoſuimus *numer.* 148. prima ſententia dicit, eſſe vſuram, injuſtumque contractum, rem carius in illo caſu vendere ob dilatam ſolutionem, quàm venderetur numerata pecunia. Et probatur primò, quia illud maius incrementum pretij præcisè exigitur ob dilationem ſolutionis: quod eſt vſura, non enim eſt vndè hoc incrementum honeſtari poſsit: nam ſi ideò nautæ, vel in nundinis res diſtrahunt venditores creditò, quia alitèr non poſſent, niſi multo tempore, eas vendere, vendant eas pretio currente; aliquid enim amplius ſupra pretium juſtum ob ſuum commodum reportare non debent, & pretium juſtum eſt, quod præſenti pecunia (attenta multitudine, aut paucitate mercium, ac mercatorum, & alijs circumſtantijs) æſtimatur, & currit. Secundò, nam ſi venditio ad creditum maiori pretio eſt juſta: ergò emptio minori pretio numerata pecunia erit injuſta: nam quod numeretur, aut credatur pecunia, non facit

cre-

crescere, vel decrescere rem, nisi precisè ob dilationem aliquid amplius exigatur; sed emptio modo dicto est justa: ergò venditio erit injusta. Sic Navar. *cap.* 23. *num.* 82. Gutier. *canonic. quæst. cap.* 39. *num.* 41. Valent. 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 2. §. 8. *concl.* 6. Garc. *lib.* 1. *de contract. cap.* 24. Medin. Cod. *de rest. quæst.* 38. *causa* 1. & *caus.* 6. §. *Ad quartum*, Cordub. *quæst.* 84. *opinion.* 2. Barthol. à Sanct. Faust. *disput.* 6. q. 24. *n.* 4. Rocasull 3. *p. praxis, præcep.* 7. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 81.

Sententia affirmativa est amplectenda.

151 Sed tenenda est sententia affirmativa, quia pretia non imponuntur rebus, aut ex numerata pecunia, aut ex credita; sed ex modo, quo venduntur ex communi hominum æstimatione: ex hac enim communi æstimatione in quolibet modo vendendi accipiendum est justum pretium, proindèque sicut hominum communis æstimatio facere potest, vt in modo vendendi communi talium rerum, tanti vendantur pecunia numerata; etiam facere potest, vt in communi modo vendendi tanti res æstimentur pecunia credita: & sic faciet, quod sit justum pecunia credita, quod injustum esset pecunia numerata. Sed in his rebus, de quibus loquimur, iam ex modo vendendi, & communi omnium æstimatione introductum est, vt carius vendantur pecunia credita, quia ex vna parte plures conveniunt emptores, expectata pecunia, ob quam rationem res crescit in pretio; & ex alia pauciſsimi, vel nulli essent emptores, qui eas merces in ea quantitate emant pecunia præsenti, qua credito venduntur; & ex paucitate mercatorum merx vilescit: ergò stat, quod sit justum pretium in minori quantitate numerata pecunia; & sit maius etiam justum, si carius vendantur ad creditum in tali modo vendendi, dummodò non excedatur pretium, quo ad creditum solent tales res communitèr vendi. Sic Serra 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *dub.* 4. *concl.* 4. Bañez *ibi, art.* 4. *dub.* 9. Rebell. 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 14. *num.* 14. Villalob. *tract.* 21. *difficult.* 7. *numer.* 11. Soto *lib.* 6. *de Iustitia, quæst.* 4. *articul.* 1. *ad* 4. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 8. *numer.* 11. Lugo *disput.* 26. *sect.* 7. §. 2. Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 7. *dub.* 15. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 6. *disput.* 5. Palaus *tract.* 32. *disput.* 5. *punct.* 12. *numer.* 10. Diana 1. *part. tractat.* 8. *resolut.* 21. & 10. *part. tractat.* 12. *resolut.* 28.

Circa venditionē lanarum prima sententia proponitur.

152 Secundus casus, qui specialitèr controvertitur, est circa venditionem lanarum in hispania vsitatissimam, quæ frequentèr fieri solet emendo vilius lanas anticipata solutione, quàm valent tempore quo traduntur: & quæritur, an sit licitus iste contractus? Duplex datur item sententia, vtraque satis probabilis. Prima asserit, esse illicitum, & probatur sic. Quia ex omnium sententia illicitum est, & vsurarium rem vilius emere, quam secundùm se meretur præcisè ob anticipatam solutionem, quia hoc esset ob mutuum lucrum reportare; sed quod lanæ emantur mense Ianuario 20. tradendæ mense Maio, quo valent 30. est emere viliori pretio præcisè ob anticipatam solutionem, quia pretium ob necessitatem pastorum, vel dominorum, qui indigent anticipata illa pecunia ad solvendas herbas, cæteroſque operarios, & ministros satisfaciendos, anticipatur, & sic illud lucrum duntaxat ob anticipationem solutionis reportatur: ergò, &c. ¶ Quod magis roboratur, quia lanæ illæ non emuntur vilius anticipata pecunia, quatenus sunt in potentia, vel quatenus in eo imperfecto statu, in quo solent esse fruges ante maturitatem, si quidem ipsi emptores non subeunt periculum; sed emuntur lanæ secundum eum statum consideratæ, in quo erunt tempore traditionis, & receptionis earum: ergò, vt justum sit pretium, quo emuntur, taxandum est juxta æstimationem, quam habent in illo tempore, quo traduntur: ergò si aliquid huius detrahitur, precisè est ob anticipatam solutionem: quod est vsurarium. ¶ Confirmatur hoc, quia si emptio lanarum in pretio inferiori, anticipata solutione, justificata esset, pari ratione licitum esset emere minori pretio quoscumque fructus terræ ab agricolis indigentibus pecunia; & ideò petentibus, vt ab ipsis emantur viliori pretio, quàm sint fructus valituri tempore traditionis: quod est falsum, aliàs omnis emptio, anticipata solutione facta, esset licita in inferiori pretio justo, quod omnes negant. Vndè hanc sententiam tenet D. Thomas, vel Author illius opusculi 67. ad Fratrem Iacobum Viterbiensem, qui est inter eius opera, *casu* 1. & 2. Prado *disput.* 27. *quæst.* 3. §. 5. *numer.* 35. Bañ. 2. 2. *quæst.* 77. *articul.* 4. *dub.* 1. *concluſ.* 1. & 2. Ioann. à Cruc. *in* 7. *præcept. quæst.* 5. *dub.* 7. *fine*, Ioann. de Medina *de restit. quæst.* 38. *cauſ.* 6. alter Medin. *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 23. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 21. *difficult.* 7. *numer.* 13. *fin.* Garc. 1. *de contract. cap.* 24. Rocasull *lib.* 3. *de* 7. *præcept. Decalog. cap.* 5. *num.* 161. Azor *part.* 3. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 2. Gutier. *canonic. quæst. cap.* 39. *numer.* 43. & 44. Petrus Navar. *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 12. *à numer.* 136. Valentia. *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 2. §. 3. Rebellus *part.* 2. *lib.* 9. *quæst.* 11. *numer.* 9. Mercatus *lib.* 3. *de contract. cap.* 9. Navar. *cap.* 23. *numer.* 82. Quæ sententia est probabiliſsima, ſecurior, & omninò consulenda.

Probabile est non esse vsurā vilius emere lanas ob anticipatā solutionē.

153 Probabilis autem est sententia affirmans, non esse illicitum talem contractum. Nec est omninò condemnanda praxis tàm continua in hiſpania; & duriſsimum est condemnare multitudinem talium negotiatorum, qui emunt mense octobris, vel novembris 30. aureis, v. g. lanam, quæ mense maij, quo est tradenda, valet 40. ob anticipatam solutionem, qua indigent domini ad solvenda pascua, aliasque expensas faciendas: & ideò merces istæ lanarum habent ex natura sua, quod sumptus pascendi greges ex ipsa lana nutrienda colligantur. Vndè pretium justum lanarum debet æstimari, & judicari pro tempore solutionis pastus, quando lanæ venduntur anticipata solutione. Qui modus emendi etiam permittitur in vsu, & emptione piscaturæ marinæ anticipata solutione, eo quod piscatura non posset servari, nisi iam essent certi emptores, & solviſsent aliquod pretium pro expensis piscatorum. Et idem esset in emptione aliarum rerum, quæ non ob indigentiam vnius, vel alterius privatæ personæ, & sic per accidens, anticipatè venduntur, sed per se, ob communem iam, & introductum modum vendendi illas, in quo modo communi iam hominum æstimatione est præscriptum pretium pro tempore solutionis pretij, non pro tempore traditionis rerum. Sic tenent Soto *lib.* 6. *de Iustit. quæst.* 4. *articul.* 1. *ad* 5. Serra 2. 2. *quæst.* 77. *articul.* 1. *dub.* 4. *concluſ.* 4. Malderus *tract.* 5. *cap.* 2. *concluſ.* 2. *fine*, Dicaſtillo *lib.* 2. *tractat.* 9. *disput.* 2. *dub.* 6. *numer.* 101. Covarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 3. *numer.* 6. Molina *disput.* 357. *numer.* 2. Lugo *disput.* 26. *sect.* 7. §. 3. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 8. *numer.* 11. & 12. Palaus *disput.* 5. *punct.* 13. *numer.* 3. Sanchez *tom.* 1. *consil. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 15. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 2.

punct.

punct.4.n.12.& 20. Diana *1.part.tract.8. resol. 22.* Lessius *lib.2.cap.21.dub.7.* Ledesma *tom. 2. Summ. tract.8.cap.33.conclus.29.fol.456.*

Data sententia probatur.

154 Et probatur huius sententiæ probabilitas, quia ipsæ merces id ex natura sua afflagitant; nempe quod sumptus pascendi tàm numerosos greges, eorum domini ferre nequeant, nisi in ipsa nutrienda lana præsens subsidium accipiant: & sic forma huiusmodi fori more, & vsu communi introduxit, vt pretium justum lanarum sit, quod currit tempore, quo solutio anticipatur, vt tantum bonum, & negotiatio, tàm vtilis reipublicæ conservetur. Cùm ergo illud sit justum pretium, quod ex justa causa communi hominum æstimatione in tali foro est introductum, vt dicebamus *num.* 151. videtur illud esse justum, quod tempore solutionis in his rebus ex communi æstimatione currit, non quod res ipsæ valent tempore traditionis earum. ¶ Accedit ad hoc multitudo vendentium lanas anticipata solutione, & qui eas offerunt; quæ sunt conditiones, quæ merces in pretio faciunt decrescere. Et ex alia parte, si istæ merces non sic venderentur, cùm accederet traditionis tempus, non plus valerent, quàm pretium anticipatè solutum; quia si lanæ non essent pecunia anticipata emptæ, tempore traditionis magna supperet lanarum copia vendenda; sed magna copia, & exuberantia mercium præsens, facit eas decrescere in pretio, vnde minus valerent tempore traditionis. Et per dicta his duobus numeris solvi possunt contraria fundamenta ab eo, qui istam sententiam sequi voluerit,

§. III.

Vtrùm debita, seu credita, vel chirographa, vulgò, las letras, ò libranças, *possint minoris emi, quàm continent, per hoc quod solutio illarum anticipetur?*

Proponitur casus, & aliqua certa supponûtur.

155 CAsus est, cùm quis librantiam adversùs alium habens, vel actionem ad petendum ab eo credita, vel debita, v.g. centum solvenda post duos menses; & ab alio illud creditum, seu illa actio ad debitum petendum emitur; an possit emi pro 90. solutione facta de præsenti? In quo duo sunt certissima apud Doctores. Primùm, quod si debitum non esset omninò certum, & liquidum, ac facilis solutionis, ita vt interveniret periculum exactionum, saltem in communi existimatione; metus molestiarum, & sumptuum in illius recuperatione; damnum emergens; lucrum cessans, & similia, potest illud viliori pretio emi, quàm sonat; quia debitum hoc reipsa est infirmum, & minoris valoris, quàm continet, & sic potest viliùs emi. Sicut cùm militi stipendium regium debetur, quod creditor timet, aut non totum, aut non sine magno negotio, aut molestijs recepturum, potest quisque tale debitum ab illo minoris emere: imò tanta potest esse arduitas, difficultas, & incertitudo solutionis, vt possit in medio valore, vel etiam in quarta parte, ac minori emi.

Extenditur præcedēs doctrina.

156 Et hoc procedit, quamvis ementi sit facilè, & absque expensis in integrum creditum recuperare. Tùm, quia valor rei non sumitur ex vtilitate privata ementis, sed ex communi æstimatione, qua communiter æstimaretur, si proponeretur palam venalis. Tùm etiam, quia maior vtilitas, quæ emptori accrescit ex ipsa re absque valore intrinseco illius sine damno venditoris, non cadit sub venditione, vt inquit D. Thomas *2.2.quæst.77. art.* 1. at in nostro casu maior vtilitas illius debiti accrescens emptori, ex eo quod absque vlla molestia, aut expensa debitum recuperet, non provenit ab ipsa re, nec nocet venditori; sed tota oritur ex industria, vel fortuna emptoris: sua igitur est, & sic emere poterit debitum secundùm se infimum, & deterius pro eo pretio, quod vt sic valet venditori; quamvis sua industria, & favore certò sciat de facili illud recuperaturum. Ita Villolob. *tom.2. tract. 21. diffic.8.num.6.* Prado *tom.2.cap.27.quæst.4.num.3.* Lessius *lib.2.cap.21.dub.9.num.76.* Serra *2.2.quæst. 77.art.1.dub.5.concl.1.* Trullench *lib.7.cap.20. dub. 10.num.3.* Tapia *tom.2.lib.5.quæst.16.art.13.num. 5.* Molina, Bonacina, & Salas, quos refert, & sequitur Lugo *disp. 26.sect.7. num. 94.* Licèt alij oppositum sentiant.

Aliud supposito certum.

157 Secundum, quod, vt certum, supponimus, est, quod quando difficultas debiti provenit ex culpa debitoris, quod, cum facilè, & spontè deberet reddere, solvere non vult sine molestijs, & sumptibus creditoris, non potest ipse illud emere minoris, quàm valet; vt si debeat 100. non potest emere 90. licèt alij propter difficilem recuperationem possent minùs emere. Et ratio est, quia alij inveniunt debitum illud in eo statu, & difficultate, in qua absolutè minùs æstimatur, cuius nec fuerunt causæ, nec eam auferre tenentur: & ideò justè minùs emunt, quod reipsa in eo statu plus non valet, vndecumque ad talem statum pervenerit: at debitor ipse causa est, quod ad eam difficultatem res pervenerit, & eam tollere teneretur, se promptum reddendo ad solvendum: vnde si solvat 90. pro 100. quæ debet (nisi specialem condonationem à creditore recipiat) solùm solvit partem debiti, & reliquam debet postmodùm solvere. Ita Tapia *suprà numer.* 2. Bañez *2.2.quæst.77.art.4. dub.5.* Malderus *tract.5.cap. 2.dub.5.concluſ.* 1. Villalobos *suprà num.* 1. Lugo *num.*100. Sanch. *lib.* 1. *consil. cap.* 7. *dub.* 18. Salas *dub.27.num.3.* Verum est, quod si debitum non sic liquidum, sed dubium, quod non proveniret ex culpa debitoris, sed ex alijs capitibus; nimirùm vel ob impossibilitatem solvendi, vel ob litem, à quo dependet, vel quia longius distat, &c. Tunc, sicut alius, sic & ipse debitor posset illud à creditore emere minoris, quia iam in illo statu, ad quem non devenit culpa debitoris, non plus valet: ergò illo pretio, quo æstimatur in illo statu ab alijs, & ab ipso debitore, poterit emi, vt rectè docet Lugo *loco citato.*

Quid ex præcedenti doctrina sequatur?

158 Sed admonent præciati Authores, injustitiam committere, esseque obnoxios restitutioni quæstores publicos, aliosque depositarios, & ministros regios, quibus incumbit pecunias Regis recipere, & solvere Regis creditoribus, vt juristis, & alijs, quando ab eis illa debita minoris emunt, & ea postea integra recipiunt à Rege; quia ipsi causæ sunt difficultatis illius solutionis, vel saltem ipse Rex. Vnde sicut Rex non posset debita illa minoris emere; ita nec ministri eius possunt, qui nomine Regis debent illa debita solvere. Quo etiam injustitiæ peccato delinquunt illi ministri, qui aliquando suggerunt amico, vt emat minori pretio debita illa Regis à creditoribus, quæ postea in integrum solvuntur emptori amico, diviso inter eos lucro illius emptionis: quod, vt iniquissimum, & injustum meritò prædicti Authores

res condemnant. ¶ Igitur præsens dubium est, quando debitum est liquidum, certum, facilis solutionis; an liceat illud minoris emere, non ab ipso debitore, sed ab alio tertio (nam ab ipso debitore vix aliquis datur asserens id fieri posse) solutione anticipata: vt si chirographum haberes continens debitum 100. solvenda certò, liquidò, & absque difficultate post tres menses; an mihi licitum esset illud à te emere 90. pecunia tradita de presenti?

Posse debita minoris emi docet prima sententia.

159 Affirmat prima sententia, posse emi minoris, dummodò justum detur pretium; & justum judicatur id, quod omnes negotiatores communiter pro talibus chirographis, aut debitis absque dolo, aut fraude solent conferre. Et probatur primò, quia minus est habere actionem, quàm rem, leg. *Minus*, *ff. de regulis juris*: & minus res æstimatur de futurò solvenda, quàm tradenda de presenti, §. *Plus*, Instit. *de actionibus*, ibi: *Qua ratione, qui tardius solvit, quàm solvere deberet, minùs solvere intelligitur; eadem ratione, qui præmutarè petit, plus petere videtur.* Sed hìc non emitur pecunia debita, sed actio ad illam; & hoc præmatura exhibita pecunia: ergo minùs potest emi talis actio, quàm esset debitum futurum, ad quod daretur. ¶ Secundò, si aliquod ibi esset peccatum, esset vsuræ; hoc non: ergo nullum. Probatur minor, quia ibi nullum datur mutuum, quia per mutuum obligatur mutuatarius ad aliquid solvendum; & hìc ex parte nullius contrahentium datur obligatio solutionis, vt constat: solùm est ergò emptio juris, quod alius habebat, quod jus justo pretio emitur, & justum est pretium, quod communitèr æstimatur: nemo autem pro illo jure daret æquale cum debito, quod concernit. Ita Caietanus *in Summa, verb. Vsura, circa finem*: & antea Innocentius in cap. *Inscivit, de vsuris*, quem refert, & sequitur Navarr. *cap.* 27. *num.* 231. Abbas *eodem* cap. *Inscivit, de vsuris, num.* 7. Sà *verb. Debitum, num.* 21. Rosella *verb. Vsura*, 2. §. 15. Toletus *lib.* 5. *cap.* 31. *fine.* Armilla *verb. Vsura, num.* 50. & alij, quos referunt, & sequuntur Diana 1. *part. tract.* 8. *resol.* 49. Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 7. *num.* 17. & probabilem dicunt Lugo *num.* 95. Bañez *dub.* 5. *concluf.* 3. Trullench *dub.* 10. *num.* 4. Serra *quæst.* 77. *art.* 1. *dub.* 5. *concluf.* 2. *ad* 2. & 3. *secundæ sententiæ*, Malderus, *loco infra citando.*

Debita liquida nequeũt vilius emi.

160 Vera nihilominus est secunda sententia, talem emptionem vt injustam, & iniquam condemnans; quia revera est inæqualitas inter pretium, & rem venditam: nam jus ad mille liquidum, & certum, mille valet; & ideò, qui à principio suas merces pro mille vendidit in futurum solvendo, justo pretio vendidit eas, nec est alia difficultas, aliudve damnum, aut incommodum in illo jure, quàm expectatio pecuniæ; ferre autem pretium pro sola expectatione pecuniæ, vsura est virtualis: nam ratione dilationis plus accipere, idem est secundùm rem, ac si ratione mutui reciperet: quod non licet, quia pecunia ex se est infructifera, & solùm ratione lucri cessantis, aut damni emergentis potest talis receptio excusari. Ita docent Sylvester *verb. Vsura*, 2. *quæst.* 14. Salas *de emptione, dub.* 39. Palaus *disp.* 5. *punct.* 13. *num.* 6. à Sancto Fausto *disp.* 6. *quæst.* 31. Lugo *suprà num.* 96. Prado *cap.* 27. *quæst.* 4. *num.* 9. Soto *lib.* 6. *quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 3. Bañez *art.* 4. *dub.* 5. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 16. *art.* 13. *num.* 3. Malderus *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 8. *num.* 3. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 9. *disp.* 2. *n.* 68. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 6. *n.* 67.

161 Ad primum respondetur, textum procedere, quando actio, vel jus habet annexum periculum, laborem, & expensas: nam jus ad certam summam non valet ea minus, nisi ratione periculi, &c. Et ille textus ex *Instituta* loquitur de eo, qui obligatus solvere ante tempus solvendi patitur interesse: & ideò, qui cogit eum, plus petit, quàm teneatur. At in rigore tantum valet actio ad rem, quantum valet ipsa res, præcisis alijs, vt inquit Baldus *leg.* 2. Cod. *Ne lite pendente.* Bartolus leg. *Per diversas*, Cod. *Mandati.* ¶ Ad rationem respondetur, quod licèt in rigore metaphysico non ematur pecunia solvenda, vendito jure immediatè, sed jus ad illam; moraliter tamen pro eodem reputatur vtrumque, quando nulla difficultas, aut periculum timetur.

Solvuntur cõtraria fũdamenta.

PUNCTUM XII.

Vtrùm vitium rei venditæ teneatur venditor emptori detegere? vel è contra, emptor teneatur bonitatem rei emptæ venditori manifestare?

Sensus est de defectibus intrinsecis, non extrinsecis.

162 LOquimur in præsenti de intrinsecis defectibus rei vendendæ, vel de intrinseca bonitate rei, quæ emenda est; non verò de extrinseco valore, aut defectu, qui ex principijs provenit extrinsecis, de quo iam diximus suprà *numer.* 108. non teneri venditorem extrinsecos rei defectus detegere, vt si res, vel per legem Principis, vel propter multitudinem mercium, quæ citò in civitatem sunt advehendæ, vel ob paucitatem emptorum, futurum est vt in proximo decrescat in pretio, & vilior reddatur, non tenetur venditor tales defectus detegere emptori, si ipse solus, vel pauci amici eos noverint, ob rationes ibidem datas. Et nec è contra emptor tenetur detegere bonitatem rei extrinsecam; vt si sciret esse à Principe ascendendam in pretio, vel ex alijs principijs nosset fore, vt ad meliorem statum perveniat; sed posse eam emere pretio currente, non manifestando, quòd futurum certò cognoscit. Præsens igitur punctum proeedit de defectibus intrinsecis; vt si triticum sit infectum, si vinum corruptum, si pannum adustum, si medicamentum evanidum.

§. I.

Si defectus rei vendendæ in damnum, vel periculum emptoris cedat, omninò detegendus est à venditore, sub onere restitutionis.

Quando res vẽdenda habet vitiũ occultũ damnosum emptori, debet detegi.

163 GEneralis est regula Doctorum, quod si res vendènda habeat vitium occultum, ratione cuius damnosa reddatur emptori, tenetur venditor, etiam non interrogatus, tale vitium illi manifestare; & aliter faciens obligatur restituere, non solum excessum pretij, si fortè plus accipit, quàm illo affecta vitio valebat; sed etiam damna, quæ ex tali venditione emptori sequuntur: quia semper est contra justitiam proximo dare causam, vel occasionem damni, aut periculi; sed qui rem alteri

teri damnosam, aut omninò inutilem venalem exponit, non detegendo illius defectum, dat occasionem saltem damni, aut periculi proximo: ergo, &c. Ita Doctores communitèr, quos supervacaneum erit adducere. Vnum sufficiat pro omnibus D. Thomam citare, qui 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. *in corp.* ita dicit: *Venditor autem, qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni, vel periculi occasionem, quod rem vitiosam ei offert, si ex eius vitio damnum, vel periculum incurrere possit. Damnum quidem, si propter huiusmodi vitium res, quæ vendenda proponitur, minoris sit pretij; ipse verò propter huiusmodi vitium nihil de pretio subtrahat. Periculum autem, si propter huiusmodi vitium vsus rei reddatur impeditus, vel noxius; putà si aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinosam domum pro firma; vel cibum corruptum, sive venenosum, pro bono. Vnde si huiusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita, & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recompensationem.*

Quid ex dictis sequatur.

164 Ex dictis *num. præced.* constat, quod vendens rem noxiam, vel inutilem ad vsus communes, ad quos solet emi, tenetur sub onere restitutionis damnorum, quæ sequuntur, defectum manifestare; vt qui equum furiosum venderet, domum ruinosam, medicamenta vanida, oves marcidas, quæ alias oves inficiunt: & hoc licèt pretium juxta exigentiam defectus diminuat: quia damnum quod timetur ex hoc, quod justo pretio merces vendatur, non resarcitur: & hoc etiamsi alteri esset emptor statim venditurus; quia erit causa, vel damni alterius tertij, vel quod emptor, credens rem sanam esse, nihil ratione vitij de pretio diminuat. Sic Navarr. *cap.* 23. *n.* 89. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 7. Caietan. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. Salas *de emption. & vendition. dub.* 34. *n.* 4. Rebell. 2. *part. lib.* 9. *q.* 9. *n.* 1. Palaus *tom.* 7. *tract.* 32. *disp.* 5. *punct.* 22. *n.* 9.

Qui rem vitiosam vendit, debet detrahere de pretio.

165 Constat etiam ex dictis, quod qui rem vitiosam vendit, si vitium non detegit, debet tantùm pretij detrahere, quantùm minus valet, vt affecta illo vitio; quia non servaretur æqualitas inter pretium, & rem emptam, tàm necessaria ad justitiam huius contractus: imò inde damnosa esset emptori, vt dixit D. Thom. *Si propter huiusmodi vitium res, quæ vendenda proponitur, minoris sit pretij, ipse verò propter huiusmodi vitium nihil de pretio subtrahat*: Quod omnes docent. Imò, etiamsi bona fide rem vitiosam vendat, si postea defectum cognoscat, debet restituere illum excessum pretij, si extet, vel in quo factus est locupletior, vt inquit D. Thom. *art.* 2. eiusdem quæstionis: *Si verò, eo ignorante, aliquis prædictorum deffectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit injustum materialitèr, tenetur tamen, cum ad eius notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori.* (Non quidem damna, quæ ex re vendita emptori sequuntur, cum bona fide, & absque injusta actione formalitèr damnum intulerit; sed damnum quod patitur ob excessum pretij, quod per *damnum* intelligit D. Thom. his articulis, vt diximus.) *Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris.* Et meritò: nam si pretium vitiosum daret, hoc est, falsam monetam, vel rem viliùs emeret bona fide, quam postea pluris valere cognosceret, teneretur, quod detraxit de pretio debito, restituere, vsque dum ad justum pretium deveniat, saltem infimum intra latitudinem justi pretij.

166 At si venditor celebrans contractum dixit se nolle teneri de vitio occulto, quod verè ignorabat, non tenetur de eo: & ideò si pretium est æquale, consideratis circumstantijs, & habita ratione periculi, quod in emptorem reiecit, in neutro foro obligatur ad restitutionem, etiamsi postea appareat vitium; quia iam à se tale periculum reiecerat, & emptor periculum in se susceperat, compensata periculi æstimatione. At si venditor aliquod vitium noverat aliàs occultum, etiamsi dicat nolle se teneri de vitijs occultis rei, nihilominus in vtroque foro tenetur: & ideò in leg. *Si quæro, ff. de actionibus empti*, datur actio contra venditorem, qui vendidit agrum affectum servitute sibi cognita, sed non expressa in contractu, quamvis venditor dixerit in genere, se nolle teneri de servitutibus, si quas ager habet? Et advertunt communiter Doctores, non excusuri ab obligatione restitutionis venditorem, si dicat: *Vendo tibi hunc equum, v. g. pro cæco, claudo, furioso, & omnibus vitijs affecto*: etiamsi inter alia vitia falsa enumeret illud verum, quando ex ipso modo respondendi magis occultatur verum vitium cum illis, quæ emptor videt manifestè esse falsa, quia hic dolosè in tali modo loquendi procedit.

Quid, si venditor nolit obligari ad assecurandā de vitio rei.

167 Sed rogabis primò, an teneatur venditor vitium manifestare rei venditæ, ex qua nullum periculum immineret emptori, si tamen eam justo pretio vendat, si certò cognoscat, emptorem non empturum illam, si vitium nosset; vel saltem non tanti empturum? Respondetur, quod si emptor non interroget de tali vitio, non tenetur venditor illud manifestare. Quod probatur, tùm ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. *in corpor.* vbi ita dicit: *Et si ipse propter huiusmodi vitium, subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset subtrahendum: vnde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei retinendo.* Tùm etiam, quia error concomitans non dissolvit contractum, nec illicitum eum reddit: non enim omnis voluntas conditionalis vitiat contractum, aliàs omnes ferè essent dissolvendi, & omnia plena litibus, & dolis, cum possunt circumstantiæ occurrere, quæ si noscerentur, res non emerentur. D. Thomam sequuntur Aragon, *ibi, post* 5. *dictum*, Salon *controv.* 2. Bañez *dub.* 2. Serra *dub.* 1. Tapia *lib.* 5. *q.* 16. *art.* 7. *n.* 7. Prado *tom.* 2. *cap.* 17. *q.* 5. *n.* 10. Valentia *disp.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 4. *concl.* 2. & 4. Sotus *lib.* 6. *de Iustit. q.* 3. *art.* 2. *concl.* 5. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 2. *n.* 15. Petrus Navarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 2. *n.* 59. Palaus *disp.* 5. *punct.* 12. *n.* 14. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 4. *num.* 35.

Si nō interroget emptor, potest venditor vitium rei non detegere, & quando.

168 Diximus in resolutione: *Si non interrogaretur ab emptore*; nam si emens interroget, an sit in tali re hic, vel ille defectus in specie, vel in genere aliquis defectus? omnes dicunt teneri emptori illum manifestare, aliàs dolus daret causam contractui, nisi res esset parvi momenti, & quæ adhuc cognita non removeret emptorem. Imò nec tunc, occultato vitio, vendere minori pretio potest, si adhuc pretio illo emptor, cognito illo vitio, non esset empturus. At si empturus esset, sed non tanti, teneretur excessum restituere, quia respectu excessus dolus dedit causam contractui. Tapia *n.* 9. Prado *n.* 3. Dicastilll. *n.* 33. Soto §. *Hoc autem*, Lugo *n.* 133.

Sectus est, si interrogetur ab emptore.

169 Rogabis secundò, an si res empta absolutè inutilis non sit, sed tantum inutilis emptori

Quando emptor ponit apertè merces venales, nō tenetur vitium detegere.

ad finem ab ipso intentum, teneatur venditor vitium occcultum detegere, vel sufficiat, si de pretio detrahat, & justo vendat? Respondetur, quod si venditor non interrogatus apertè exponit merces, non occultando arte aliqua earum vitia, potest, detrahendo de pretio quantum tale vitium æstimatur, vitium illud celare, & rem aliàs inutilem ad finem particularem emptoris vendere, si ad fines communitèr occurrentes, & ad quos res solet vendi, sit vtilis; quia non tenetur venditor omnes fines particulares emptoris expectare, sed rem simplicitèr sanam, & vtilem conferre, pretium cum re vendita æquando. Sed hoc intelligendum est de finibus extraordinarijs, ad quos emptor vult rem accipere; non de finibus ad quos plerumque solet res vendi; vel si ex circumstantia personæ, & modo emendi appareat emptorem ad talem finem rem emere: quia tunc tenetur vitium manifestare, ob quod merx ad illum finem sit inutilis; vt si vaccam venderet inutilem ad arandum agricolæ, qui ad aratrum eam emit, quamvis eam vendat justo pretio, prout ad macellum est vtilis; quia licèt venditor spectare non debeat extraordinarias emptoris intentiones, benè tamen communes, & frequentes, & secundùm illas debet rem vendere, aliàs cogeretur emptor, vel pretium amittere, vel alium emptorem quærere; & interim privaretur vsu rei, pro qua numismata solvit, nisi rem de facili posset alteri vsui accommodare, vel æquali vendere pretio. Hæc ferè omnia docent D. Antonin. 2. *part. tit.* 5. *cap.* 17. *§.* 6. Armilla *verb. Emptio, num.* 17. Sylvester *eodem, quæst.* 20. Salas *de emptione, & vendit. dub.* 34. *num.* 4. Serra 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. *dub.* 1. *§. Dixi etiam*, Ludovic. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 45. *concl.* 3. Prado *cap.* 27. *quæst.* 5. *à n.* 6. Lugo *disp.* 26. *sect.* 8. *num.* 134. Palaus *art.* 5. *punct.* 2. *n.* 10. & 11.

§. II.

Quomodo teneatur venditor defectus circa substantiam, circa quantitatem, & qualitatem rei vendendæ detegere?

Diversa vitia, quæ circa rem vendendā solent contingere.

170 TRiplex vitium circa rem vendendam posse contingere, docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 77. *articul.* 2. nimirum vel circa substantiam ipsius rei, vt si argentum pro auro vendatur, vitrum pro gemma; ad quod reducitur vitium, quod propter mixtionem vnius rei cum alia contingit: *Quia quod permixtum est* (inquit D. Thom.) *patitur defectum quantum ad speciem*, vt si triticum hordeo misceatur, quia tunc illa pars hordei venditur pro tritico, quæ verè triticum non est: si vinum aqua mixtum vendatur, totum vt vinum, cum tamen pars aquæ, cum qua miscetur, vinum non sit. Et sic dicitur de aliquibus injustis negotiatoribus, *Isaiæ* 1. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua.* Vel circa quantitatem, vt quando vtitur mensura deficiente in vendendo, & est illicita venditio, *Deuter.* 25. *Non habebis in saculo diversa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor: abominatur enim Dominus, qui facit hæc.* Vel circa qualitatem, vt si animal infirmum vendat quasi sanum; pannum adustum, vel absque debitis filis, quasi integrum; vinum, vel medicamentum corruptum, tanquam sanum; domum, vel prædium hypothecatum, tanquam liberum. Et ex parte ementis possunt etiam istæ fraudes dari, vt si emat domum, vel prædium, tanquam hypothecatum, quod verè erat liberum; vinum, vt corruptum, quod verè erat sanum; si rem, vt in mensura minorem, quæ verè erat maioris mensuræ; ac tandem si emeret aurum pro argento, gemmam pro vitro.

Vitium circa substantiam rei vendendę est manifestandum.

171 Et quidem si defectus sit circa substantiam rei, nulli dubium est, teneri venditorem defectum manifestare; alitèr enim nullus esset contractus, vt diximus *cap. præced. n.* 19. vt si vitrum pro gemma, argentum pro auro venderet. Quo casu, si ignorans rei substantiam procederet, non peccaret; teneretur tamen, vel contractum rescindere, vel pretij excessum reddere emptori, si extat; vel in quo factus est ditior, vt primum comperit veritatem. Similitèr emptor tenetur rei bonitatem venditori manifestare, vt si gemmam pro vitro emeret; vel si rusticus vili pretio gemmam vt falsam venderet, quam emptor cognosceret esse veram; vel si venditor merces semicorruptas, & vitiosas esse putet, quas emptor agnoscit integras, & sanas esse; vel putet earum pretium esse 10. cùm emptor agnoscat esse 30. Quia tamen in similibus casibus non intervenit dolus in emptore, sed solùm pretij inæqualitas, hinc est quod si emptor positivè non imponat falsò vitium rei venalis, vel non interrogetur à venditore de bonitate, & valore rei, satisfacit si pretium infimum intra latitudinem justi det pro illa, quia sic non descendit à justo pretio. Si autem venditor, & empor rei valorem ignorent, & vterque casui, seu fortunæ se committat, vt cuique contigerit lucrum, vel damnum, potest vnus rem vendere quanti magis possit, & alius emere quanti minùs, quin teneantur postcà, cognita veritate, sibi invicem restituere; quia ex modo illo contrahendi sibi invicem donare censentur, vt diximus suprà *num.* 88.

Casus circa dicta propo nitur.

172 Sed est difficultas, an si quis emeret pro stanno, quod verè est argentum, & ita cognosceret; vel in infimo valore ob ignorantiam venditoris, qui maioris esse valoris agnosceret, tutus esset in conscientia, si interroget à venditore, an velit illi condonare, si quid amplius valeat? Quia, inquit, *volo emere absque scrupulo*; & annuat venditor. Et idem est vice versa de venditore respectu emptoris? Respondetur (quidquid alij dicant) negativè, sed omninò teneri restituere id, in quo alium decepit. Tùm, quia talis donatio, cùm procedat ex ignorantia valoris rei venditæ, vel ex ignorantia repetendi maius pretium, est simulata, & ficta; & sic non est vera donatio, nec conscientiam exonerat donatarij; sicut si mihi rusticus gemmam donaret, putans esse vitrum. Tùm etiam, quia venditor obligatur ad præstandam talem donationem quasi ex contractu illius venditionis, quia sub illa conditione emptor dat illud pretium pro re empta, vt alius condonet, si quid supereſt: quod iniquum est, aliàs vsurarius posset sub illa conditione mutuum dare ad vsuras, vt alius condonet lucrum supra sortem: & qui supra justum pretium rem vendit, posset sub illa conditione tali pretio vendere, vt alius condonet excessum. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 11. *n.* 84. Lugo *disput.* 26. *sect.* 8. *n.* 137. Molina *tract.* 2. *disp.* 353. Palaus *disp.* 5. *punct.* 22. *n.* 2. Salas *de empt. & vendit. dub.* 36. *n.* 3. Rebellus 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 8. *num.* 9.

Quid, si res mixta pro pura vendatur?

173 Et quia ad defectum circa substantiam diximus, pertinere, quando res mixta, vt pura, venditur, reco-

recolenda ſunt, quæ ſuprà *n.* 129. diximus: quod ſi res ſit excellentior, & perfectior, quàm aliæ eiuſdem ſpeciei, quæ tanti venduntur, poſſunt vendi eodem pretio, non manifeſtato defectu, ſi poſt mixtionem remaneat æquè bona & perfecta ac aliæ: vt ſi vinum generoſum alteri vino ſemicorrupto miſceatur, ex qua mixtione vinum maneat æquè bonum ac alia, quæ communiter tali pretio venduntur. Idem eſt in tritico, ac alijs mercibus. Sed quia hæc ſuppoſitio in vino aqua mixto vix vnquam poteſt verificari, diximus loco citato, mortaliter peccare regulariter vendentes aqua vinum mixtum, niſi defectum manifeſtent, & tenentur reſtituere pretium correſpondens quantitati aquæ. Tùm, quia vendunt pro vino, quod vinum non eſt. Tùm etiam, quia vinum ſic temperatum facilius aceſcit, & corrumpitur, & ad plures effectus non deſervit, ad quos deſervire poteſt vinum purum, niſi talis mixtio ad vini coctionem neceſſaria foret; vel ideò fiat, vt vinum pretio juſto vendatur, aliàs non vendendum ob eius meracitatem. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 22. *numer.* 4. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. *§.* 2. *numer.* 15. Leſsius *dub.* 9. *num.* 83. Scimus plures graves Doctores non infirmis rationibus innixos docere, poſſe abſque peccato vinum aqua mixtum eodem pretio, ac aliud vendi, ſi poſt mixtionem remaneat æquè bonum ac illud, quod communiter venditur. Sed quod diximus eſt tenendum.

Si res vẽdẽda ſit æquè bona, poteſt vẽdi, etiamſi nõ eiuſdem ſpeciei cum ea, quæ petitur.

174 Sed inquires, an quando venditor dat pro vna re aliam æquè, vel ferè æquè vtilem ad eumdem finem (vt ſolent pharmacopolæ dare quid pro quo, & vnum medicamentum pro alio petito, quod non habent) faciat contractum injuſtum, & invalidum? Et videtur ita dicendum, quia eſt deceptio circa rei ſubſtantiam. Sed negativè reſpondendum eſt, dummodò deſcendatur in pretio quantum illa res minus valet. Et ratio eſt, quia licèt ſit phyſicè ſubſtantia diverſa, non tamen videtur diverſitas ſubſtantialis moraliter in ordine ad finem emptoris, qui ſolùm primariò intendit rem vtilem ad talem finem emere. Cùm ergò æque vtilis res ei detur, ſi juſto pretio id fiat, nullam patitur injuſtitiam. Sic Lugo *diſp.* 26. *ſect.* 8. *numer.* 124. Salas *dub.* 35. *numer.* 1. Medina Cod. *de reſtit. quæſt.* 34. *fine.* Dicaſtillo *lib.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 4. *num.* 58. Soto *quæſt.* 3. *art.* 2. *circa finem.*

Tenetur vẽditor reſtituere, quæ in quantitate decipit.

175 Si deceptio ſit in quantitate, omnes dicunt, teneri venditorem reſtituere; vt ſi menſura falſaci, ac deficienti res venderet. Quomodò autem id fieri debeat, quando paulatim emptores defraudantur, diximus *tract. præced. cap.* 1. *num.* 215. Sed modò difficultas eſt, an excuſetur à peccato, & onere reſtitutionis, qui menſura vtitur diminuta, vt juſtum rei pretium conſequatur, aliàs non conſequuturus? Quod in duplici caſu ſolet contingere, quia nimirum vel pretium fuit infra valorem rei taxatum, ob imperitiam, vel iniquitatem Iudicis; vel ob monopolium ementium inter ſe convenientium, ne pretium juſtum offerant? Reſpondetur affirmativè, quia iſte vtitur jure ſuo redimens ſuam vexationem, & compenſatione occulta detrahens quod ſibi erat debitum. Pone mercem tibi taxatam fuiſſe 50. quæ merebatur 100. potes dimidiam partem menſuræ auferre; quia ſic dimidia pars, quæ tibi de juſto pretio detrahitur, recompenſatur. Sic Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. *§.* 2. *num.* 15. Rebellus *lib.* 9. *quæſt.* 10. *fine.* Dicaſtillo *lib.* 2. *tract.* 9. *diſput.* 4. *numer.* 57. Salas *diſput.* 35. *numer.* 4. Palaus *diſput.* 5. *punct.* 22. *num.* 5. Lugo *diſput.* 26. *ſect.* 8. *num.* 125.

Vitium manifeſtum, nõ eſt emptori declarandũ.

176 Si vitium rei circa qualitatem manifeſtum ſit, & patens, quod à quolibet cognoſci poteſt communi diligentia, non tenetur venditor illud manifeſtare, vt inquit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 3. & communiter omnes: vt ſi equus monoculus ſit, ſi pretio juſto res eo vitio affecta vendatur; quia ſibi debet imputare emptor, quod rem vitioſam emeret, cùm poſſet facilè vitium cognoſcere. Attamen ſi venditori conſtaret, emptorem non potuiſſe vitium illud cognoſcere ob eius imperitiam, & ruſticitatem (quod non eſt præſumendum, niſi conſtet; cùm omnes, quantumvis ruſtici, rem, quam emunt, priùs & accuratè examinent) tenetur in foro conſcientiæ vitium iſtud manifeſtare, ac ſi occultum prorſus eſſet; quia reſpectu illius emptoris idem eſt, ac ſi occultum eſſet. Sic Lugo *num.* 130. Dicaſtillo *num.* 2. Palaus *num.* 7. Layman §. 2. *num.* 14.

CAPUT III.

De mutuo, & vſura.

QUIA vſura ex mutuo proficiſcitur, ideò hoc capite illam cum eo conjungimus; & quia circa contractus mutui parva, aut nulla eſt difficultas, breviter per illum tranſibimus; vt in difficultatibus, quæ circa vſuram dantur, ampliùs immoremur; ſed omnes percurrere in longiſsimum eſſet abire: illas propterea duntaxat attingemus, quas magis ad praxim neceſſarias eſſe judicabimus. Caput iſtud continet quatuordecim Puncta.

Punct. I. *Quid ſit mutuum? & quid poſsint mutuo recipere?* num. 1.

Punct. II. *Quid, & quotuplex ſit vſura? & quomodo ſit jure poſitivo prohibita?* num. 11.

Punct. III. *An vſura ſit illicita, & prava jure ipſo naturali?* num. 14.

Punct. IV. *An vſurarius mentalis peccet, & reſtituere teneatur?* num. 29.

Punct. V. *An qui bona fide celebravit contractum vſurarium, ſed poterat alium juſtum, poſteà, rè cognita, poſsit retinere quod accepit?* num. 37.

Punct. VI. *An mutuans poſsit ſupra ſortem aliquid recipere ratione præſumptæ donationis? & quando iſta præſumatur?* num. 41.

Punct. VII. *An ſi mutuatori res aliqua fructus ferre nata conſtituatur in pignus debiti, poſsit fructus ex*

ea percipere, non computando illos in sortem? num. 45.

Punct. VIII. *De pactis mutuo additis, quæ faciunt contractum vsurarium.* num. 53.

§. I. *Vtrùm ex mutuo possit in pactum deduci amicitia, vel injuriæ condonatio?* num. 54.

§. II. *Vtrùm ex mutuo possit obligari mutuatarius ad remutandum, vel vt præstet, quæ ex naturali gratitudine teneatur præstare?* num. 61.

§. III. *An sit vsura cum pacto mutuare, vt eadem pecunia in specie, & eadem quantitas solvatur, quando pluris valitura creditur?* num. 67.

§. IV. *Vtrùm ex mutuo pœna conventionalis sit licita, & sit licitum vltra capitale aliquid ratione illius accipere, etiamsi nullum lucrum cesset, aut damnum emergat?* num. 75.

Punct. IX. *An ratione lucri cessantis, & damni emergentis possit mutuans aliquid supra sortem exigere?* num. 77.

Punct. X. *An ratione periculi in recuperanda sorte possit supra sortem aliquid mutuator accipere?* num. 87.

Punct. XI. *Vtrùm vsura sit in contractu societatis, ratione trium contractuum, lucrum determinatum recipere, salvo ipso capitali?* num. 93.

§. I. *Quid sit contractus societatis? An licitus sit in negotiatione? Quas conditiones requirat? Et quomodo definiatur?* num. 94.

§. II. *Quod in titulo puncti inquiritur, enucleatur.* num. 98.

Punct. XII. *Vtrùm vsurarius acquirat dominium rei per vsuram acquisitæ?* num. 106.

Punct. XIII. *Quinam præter vsurarium peccent, & teneantur ad restitutionem propter vsuras?* num. 114.

Punct. XIV. *De pœnis, quæ sunt contra vsurarios in jure assignatæ?* num. 124.

PUNCTUM I.

Quid sit mutuum? & qui possint mutuo recipere?

1 MUtuum dicitur, mutatis literis, quasi *ex meo tuum*; quia per mutuum concedo tibi, quod meum est, vt tuum fiat; ita vt illud possis pro libito expendere, & tibi pereat, crescat, aut decrescat; & sumi potest pro re, quæ traditur, quæ propriùs *res mutuata* dicitur, & pro ipsa actione mutuandi, quo modo in præsenti accipitur, diffinituruque, quod sit: *Contractus, in quo traditur res vsu consumptibilis quoad dominium, & vsum sub obligatione postmodum similem in specie reddendi.* In qua diffinitione & explicatur propria ratio mutui, & distinctio illius ab alijs contractibus, vt constabit ex eius explicatione. Diffinitio mutui proponitur.

2 Nam in hac diffinitione, *contractus* ponitur loco generis, & dicitur, *in quo res traditur*, vt denotetur contractum istum non esse ex his, qui solo consensu perficiuntur, vt emptio, & venditio, locatio, conductio; & sic distinguitur ab eis; sed ex his, qui traditione perficiuntur quoad substantiam, vt donatio, commodatum, depositum. Dicitur, *vsu consumptibilis*: quia mutuum regulariter est de his rebus, quæ functionem recipiunt, quarum vna datur, & alia substituitur loco illius; & sic regulariter est rerum, quæ vsu consumuntur; vt triticum, vinum, pecunia numerata, quæ saltem comparatione vtentis vsu consumitur; quia licèt non consumatur physicè, ita distrahitur, vt moraliter dicatur consumi; quia ita desinit esse alienantis, ac si in rerum natura non esset. Aliquando verò etiam aliarum rerum vsu non consumptibilium mutuum datur, vt de lignis, lapidibus, alijsque similibus, quæ mutuari possunt. Dicitur, *quoad dominium, & vsum*: in quo differt à commodato, conducto, locato, pignorato, in quibus dominium non transfertur. De ratione autem mutui est, quod dominium rei transeat ad mutuatarium; & ideò statim ac mutuum recipit, illud distrahere potest, prout voluerit; & si pereat, ipsi perit. Diffinitio data explicatur.

3 Additur, *sub obligatione*: in quo differt, à donatione, & alijs gratuitis contractibus, quibus nullum onus subest aliquid reddendi, sicut in mutuo reperitur; sed dicitur, quod res similis *in specie debet reddi*: nam licèt satisfaciat mutuatarius eandem rem numero, quam accepit, si non consumpsit, reddendo; ad hoc tamen non obligatur ex vi mutui, quia, cùm sit dominus rei, potest eam consumere, & si eandem numero reddere cogeretur, non esset mutuum, sed contractus locationis, commodati, aut depositi: veruntamen debet esse eadem secundum speciem, ad quam reddendam obligatur, vt pecuniam pro pecunia, vinum pro vino: nam si vinum pro tritico, vel è contra, deberet solvere, non esset mutuum, sed permutatio, vel venditio, si pecuniam pro tritico solvere teneretur. Debet igitur rem omninò similem reddere, non solùm secundum speciem, sed etiam in quantitate, & bonitate æqualem. Vnde non satisfacit, qui vinum vetus mutuo accepit, si novum solvat; si triticum optimum, & solvat deterius; quia licèt sint eiusdem speciei, non tamen eiusdem bonitatis, *leg. 3. ff. si certum petatur.* Amplius diffinitio mutui declaratur.

4 Dicitur tandem in diffinitione, *cum obligatione post modum solvendi*: nam licet statim maneat obli-

Concluditur explicatio diffinitionis mutui.

obligatus mutuatarius ad solvendum, quod mutuo accepit, non verò pro tunc exercenda est redditio, etiamsi nullus sit terminus præfixus; aliàs non esset mutuatio, sed permutatio. Tenetur igitur mutuatarius mutuum reddere, quoties interpellatus fuerit à mutuante, si terminus non sit præfixus, aliter erit morosus debitor, si non solvat; sed interpellari non debet, nisi aliquot transactis diebus, arbitrio prudentum, inspecta natura rei, persona, & vsu ad quem mutuum accipitur; aliàs mutuum ei potiùs obesset, quàm prodesset. Sed etiam non petitus tenetur reddere, si ob oblivionem, ignorantiam, reverentiam, distantiam non petatur. Si tamen, cùm possit, mutuans non petat, dilationem indulgere censetur. At si terminus præfixus fuerit, illo transacto, tenetur solvere, aliter erit morosus debitor, & debet satisfacere mutuanti quodlibet lucrum cessans, aut damnum emergens ex dilata solutione; quia illorum per injustam detentionem est causa: & hoc etiamsi petitus non fuerit, quia ipse dies assignatus clamat, & sufficienter interpellat, vt inquiunt Rebellus 2. *part. lib.* 8. *quæst.* 1. *sect.* 1. *n.* 11. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 8. *cap.* 15. *n.* 2. Castro Palao *tom.* 7. *tract.* 32. *disput.* 4. *punct.* 1. *n.* 11.

Qui non teneantur mutuũ reddere?

5 Sed inquires, an dentur aliqui, qui ad mutui restitutionem non teneantur? Respondetur affirmativè, illud enim quod mutuo traditur alicui oppido; vel loco pio, aut ecclesiæ, si dubium sit, an in vtilitatem eorum fuerit conversum, non tenentur illud restituere, nisi mutuans probet pecuniam mutuatam conversam fuisse in talium locorum vtilitatem, leg. *Civitas, ff. si certum petatur.* Authent. *hoc jus porrectum*, Cod. *de sacrosanct. eccles. leg.* 1. Cod. *de solutionibus.* Lesius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 2. *n.* 12. Bonacin. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 6. Reginald. *lib.* 25. *num.* 176. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 10. *disp.* 1. *n.* 42. & 57. Hoc eodem privilegio gaudet minor, cuius tutor, vel curator aliquid mutuo accepit, quod minor, etiam maior factus, non tenetur restituere, nisi mutuans probet, esse conversum in ipsius vtilitatem, *leg.* 3. Cod. *quando facto tutoris.* Hoc eodem privilegio gaudet Rex noster, cùm eius bona per administratores reguntur, vt advertit Gregorius Lop. *leg.* 3. *gloss. El Rey, tit.* 1. *part.* 5. & *leg. final. tit. final. part.* 6. Rebellus *de obligatione just.* 2. *part. lib.* 8. *quæst.* 1. *sect.* 3. *n.* 22. Palaus *disput.* 4. *punct.* 4. *n.* 4. De omnibus igitur his sic dicitur, *leg.* 3. *tit.* 1. *p.* 5. *Aquel que lo prestò no lo puede demandar, ni lo puede haver; fueras ende si pudiere probar, que el emprestado entrò en pro de cada vno dellos.*

Quædã adverteda circa dicta.

6 Sed advertendum est, quod si Prælatus de consensu Capituli (& idem est de Prætore, & Gubernatore, respectu bonorum civitatis, scientibus, & consentientibus Senatoribus) mutuum nomine ecclesiæ acceperit, ad cuius solutionem non sit necessarium res immobiles alienare, illud ecclesia tenetur solvere, etiamsi creditor probare non possit pecuniam mutuatam in vtilitatem ecclesiæ fuisse conversam; quia necessarium non est, vt res mobiles ecclesiæ alienentur, quod constet eam alienationem fore vtilem ecclesiæ. Vnde cùm Prælati cum Capitulo habeant plenam illarum rerum administrationem, possunt ab ipsis in tali casu alienari, & sic ex eis solvere mutuantibus tenentur. Si verò non possent solvere absque alienatione rerum immobilium, tunc creditor debet probare pecuniam mutuatam versam fuisse in vtilitatem ecclesiæ; aliter non est obligatio illam reddendi, quia nisi constet de vtilitate, & necessitate ecclesiæ, talis rei alienatio est ominò invalida; vt advertit Lesius, *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 13. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 7. Molina *disput.* 300. *in principio*: & probabile dicit Palaus *disp.* 4. *punct.* 5. *n.* 2. & 5. Et sic intelligunt Authenticam illam *hoc jus*, Cod. *de sacrosanct. ecclesijs*, & consequenter leges regni, quæ secundum illam fuerunt sancitæ.

Filij familiàs quomodo mutuum reddere non teneantur?

7 At si pecunia data fuerit in mutuum filijs, vel filiabus familiàs, quæ non habent bona castrensia, vel quasi castrensia, nec sui juris credebantur; & illud receperunt absque expresso, vel tacito consensu parentum, saltem in foro exteriori, non tenentur illud reddere ante, vel post mortem parentum, nec illorum fideiussores, vt habetur, *leg.* 1. & *per totum titulum*, Cod. *ad Senatus Consult. Macedonianum*, & *leg. Regni* 4. *tit.* 1. *part.* 5. Quod ita sancitum est ad evitanda incommoda, quæ ex mutuo facto filijs, vel filiabus familiàs proficiscebantur, quia cùm se ære alieno gravati viderent, ad exonerandum se à tali obligatione mortem machinabantur parentum, vt in hæreditatem eorum intrantes, possent se à debitis liberare. Vnde tale privilegium in odium fœneratorum, & parentum favorem fuit introductum; & sic filij illi cedere non possunt: & si cedant, adhuc exceptione Macedoniana possunt vti, quia nullus cedere potest privilegio in favorem aliorum concesso. Bonacin. *disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 8. Palaus *disput.* 4. *punct.* 3. *numer.* 1. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 10. *disput.* 1. *numer.* 56. Lesius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 2.

Casus, in quibus filius familiàs tenetur reddere mutuum.

8 Sunt tamen aliqui casus, in quibus filius familiàs, non obstante Macedoniana exceptione, seu concessa per legem in Cod. *ad Senatus Consult. Macedonianum*, tenetur reddere quod mutuo accepit; nimirum si mutuum non sit in pecunia, sed in alijs rebus, vt in vino, oleo, &c. quia lex loquitur de mutuata pecunia: & cum sit odiosa, & pœnalis, potiùs restringi, quàm ampliari debet, modò tales res mutuatæ acceptæ non sint in fraudem legis Macedonianæ: quia nimirum vinum mutuo accepit, aut triticum ad vendendum, vt inde pecunias accipiat; quia hoc esset in fraudem legis, & fraus nemini debet patrocinari. Lesius *numer.* 21. Palaus *numer.* 12. Dicastillo *numer.* 45. Bonacina *numer.* 6. Vel si filius habeat bona castrensia, aut quasi castrensia; quia cùm ex eis possit solvere, non datur occasio machinationis mortis patris ad solvendum, & sic finis legis cessat, proindèque ex illis bonis castrensibus, aut quasi, mutuantibus debet solvere. Similiter si filius credatur sui juris; quia jura de eo loquuntur, qui non sui juris credebatur; cùm æquum non sit præjudicare creditori ignoranti. Deinde si mutuum solvere juravit, tenetur implere juramentum, saltem post mortem patris; quia fuit validum, eo quod absque peccato impleri potest, vt diximus *cap.* 1. *num.* 57. & juramentum debet impleri quoties absque dispendio potest salutis æternæ. Cæterùm actionem habebit ad repetendum datum; imo potest relaxari juramentum, quia cùm in fraudem legis videatur factum, Prælatus justam causam habet relaxandi illud, ne lex illa celebris Macedoniana inutilis reddatur, vt docent præcitati Auctores.

Quę accepturus à Patre erat filius,

9 Præterea tenetur filius solvere, non suffragante Macedoniano privilegio, quando ea mutuo accepit, quæ à patre erat acceptúrus; vt ad emen-

mutuo accipiat, tenetur reddere.

emendos libros, vestem, &c. vel si jussu, aut consensu patris accepit, aut eo sciente, & non contradicente: vel si conversa fuerit pecunia in vtilitatem parentis, quia tunc illius tacitus consensus adesse judicatur. Et similitèr *in leg.3.tit.1.part.5.* dicitur, nobiles, quos appellat, *Cavalleros*, teneri mutuum, si accipiant, solvere. Et ratio ibi redditur, quia qui dat mutuum nobili, non debet suspicari illud consumendum in rebus inutilibus, sed in rebus ad suum statum pertinentibus; & sic tacitus consensus patris judicatur, qui etiam judicatur, quoties filius præpositus est alicui negotiationi, & eius causa mutuum accepit: & ideò solvere teneri, nisi expresè à patre prohibitus fuisset mutuum recipere, dicitur in leg. *Sed Iulianus, §. Interdum, ff. ad Senatus Consult. Macedonian.* Et si solitus fuisset pater pecuniam à filijs acceptam solvere; quia tunc est sufficiens præsumptio, patrem mutuo consentire, argumento ex leg. *Titianus, ff. quod cum eo, &c.* ¶ Deinde si filij milites sint, & tempore belli accipiant mutuum, tenentur ipsi, vel parentes solvere, nulla apposita exceptione Macedoniana; quod statutum est, vt de facili mutuum milites inveniant, leg. vlt. Cod. *Macedonianum*, & jure regni, *leg.4. tit. 1.p. 5.* Et si filij post parentum mortem mutuum expresè, vel tacite approbaverint (vti censentur approbare, si partem illius solvant.) Ac denique quoties mutuum acceptum perseverat in specie apud filios, vel in virtute, quia ex illo fact' sunt ditiores, non est dubium obligari; quia tunc non obligantur ex vi contractus, sed ex re accepta. Layman *lib.3.sect.5. tract.4.cap.15.num. 3. §. Cæterum.*

In casibus, in quibus filius familiàs vti potest Macedonana, est tutus in conscientia.

10 Sed est difficultas, an in casibus, in quibus filius familias vti potest Macedionana exceptione, non solùm deobligatus maneat ad solvendum in foro externo, in quo non potest dari actio contra illum, sed etiam in foro conscientiæ? Negat Bonac. *disp. 3.q.2.punct.1.n.6.* Covar. *ad regul. peccatum, p.5. §.9.n.4.* Rebellus *lib.8.q.1.sect.2.n.16.* Dicastil. *lib.2.tract.10. disp. 2. n. 47.* quia jura non liberant ab obligatione naturali, sed à civili; & quia quamvis actionem non concedant, non resistunt contractui; & cùm sint odiosa, & pœnalia præjudicantia naturali contractus obligationi, restringenda sunt, quoad fieri potest, vt de sola deobligatione forensi intelligantur, non verò de naturali, & in foro conscientiæ. ¶ Sed affirmant satis probabilitèr Lessius *lib.2.cap.20.n.8.* Gomez *tom.2.cap.6. n. 2.* Sanchez *lib.7.Decalog.cap.31.n.22.* Layman *lib.3.sect.5. tra. 4.cap.15.n.4.* Palaus *disput.4.punct. 3. n. 6.* quia in odium fœneratorum, & vt omnis occasio machinandi amputetur, tàm civilem, quàm naturalem obligationem voluerunt jura auferre, aliàs videretur lex iniquitatem fovere, concedens exceptionem: ne mutuum, quod non obstante exceptione debitum esset, solvatur: nec sufficientèr periculo parentum, iniquitatique fœneratorum providisset. Et hoc indubitatum est jure regni castellæ, *leg.22.tit.11.lib.5. Novæ Collect.* Vbi omnis contractus filiorum familiàs redditur irritus, & nullus, etiamsi juratus fuerit, pecunia, vel re credita sine patris, vel curatoris consensu initus, vt ibi probat Matienzo, *glossa 8. per totam.*

PUNCTUM II.

Quid, & quotuplex sit vsura? Et quomodo sit jure positivo prohibita?

Nomen, & diffinitio vsuræ exponitur.

11 VSuræ nomen ab vsu derivatum est: sicut fœtura à fœtu, cultura à cultu, tonsura ab actu tondendi. Cicero adversus Verrem: *Cur pyratis lucis vsuram tàm diuturnam dedisti?* Significat etiam fructuum vsum apud ipsum Ciceronem *de sen. Terra*, inquit, *numquam sine vsura reddit, quod accipit.* Et hoc modo non est nomen vitij, sed potest in bonam partem vsurpari. Sed hinc accommodatum est hoc nomen ad significandum id peculiaritèr, quod ex vsu pecuniæ, aut rei cuiuscumque vsu consumptibilis sorti accrescit, & est quasi fructus, fœtus, & partus rei in mutuum datæ; sed infelix, & spurius partus, cùm sit rei, quæ partum habere non potest, vt quidam dixit. Diffiniturque vsura hoc modo accepta, quod est: *Lucrum immediatè ex mutuo proveniens.* Dicitur *lucrum* quælibet acquisitio rei supra sortem pretio æstimabilis, & indebitæ. Dicitur *immediatè*, quia si tale lucrum, media amicitia, aut benevolentia ex mutuo comparata, acquiratur, vsura non erit. Dicitur *ex mutuo proveniens*, vtique tanquam debitum stricte, & ex justitia, cùm debitum non sit: nam si munera, obsequia, laudes, &c. ex mutuo consequi intendas tanquam ex gratitudine, non erit vsura; quia hæc, vt posteà dicemus, ipsi mutuationi sunt annexa.

Quot modis accipiatur vsura?

12 Bifariam ab Authoribus vsura accipitur: alia enim est propria, illa nimirum, quæ ex contractu mutui immediatè oritur, quando aliquod, vt debitum ex justitia, vltra capitale à mutuatario exigitur. Alia est impropria, & palliata, videlicèt, quæ in alijs contractibus imbibitur, illilque quasi contegitur; vt in venditione, & emptione, quando ob dilatam, vel anticipatam solutionem aliquid de pretio justo detrahitur, vel supra justum pretium exigitur. De hac iam diximus *tot. cap. præced.* quando contingat. Vnde in præsenti solùm de vsura propria erit sermo. Et hæc rursus dividitur in *mentalem*, & *realem. Mentalis* dicitur, qua intenditur ex vi mutui aliquid pretio æstimabile consequi supra sortem, tamquam debitum, quod aliàs non erat debitum, licèt exteriùs per pactum, aut conventionem non exprimatur. *Realis* vsura est, qua hoc lucrum recipitur de facto, vel recipiendum posteà in pactum deducitur; vt quando intervenit pactum, saltem implicitum, aliquid recipiendi supra capitale.

Iure positivo est vsura prohibita.

13 Esse prohibitam, & illicitam vsuram, certum est secundùm fidem, vt constat ex Concilio sub Clement. V. Et affertur *in Clement. vnic. §. vlt. de vsuris*, vbi dicitur: *Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuram non esse peccatum, decernimus, eum veluti hæreticum esse puniendum.* Et Alexand.III.cap. *Super eo, de vsuris*, inquit: *Cum vsurarum crimen vtriusque Testamenti pagina detestetur.* Et ideò *Ezechiel.* 18. dicitur: *Qui ad vsuram non accomodaverit, & amplius non acceperit, hic justus vita vivet, ait Dominus. Et Psalm.14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, hic ascendit ad montem Domini.* Et Vrban.III.in cap. *Consulvit, de vsuris*, affert illud *Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde sperantes.*

Vbi

Vbi inquit Pontifex, quod licèt ſit opus conſilij mutuum dare; ex ſuppoſitione autem quod mutuum detur, lucrum ex eo non ſperare eſt aliquid præceptum. Quod etiam docet D. Thomas 2.2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 4. Sed difficultas eſt, an ipſo jure naturali ſit huiuſmodi vſura prava, & illicita, ita vt nullo modo honeſtari poſsit? Quod puncto ſequenti examinabimus.

PUNCTUM III.

An vſura ſit illicita, & prava jure ipſo naturali?

Rationes probantes vſuram, non eſſe prohibitam jure naturæ.

14 ET videtur negativè reſpondendum. Primò, quia ſi ex ipſa natura eſſet peccatum vſuram pro pecunia mutuata accipere, id non concederet lex divina, quæ eſt immaculata; ſed *Deuter.* 23. conceditur Iudæis, quod fœnerari poſsint ab alienis, licèt non à proprijs fratribus: & quod plus eſt, talis fœneratio promittitur eis in præmium pro lege ſervata, *Deuter.* 28. *Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies.* Non ergò eſt intrinſecè mala talis fœneratio. ¶ Secundò, quia pretium accipere pro eo, quod quis facere non tenetur, non eſt ſecundùm ſe peccatum; ſed multoties habens pecunias non tenetur alteri mutuum dare: ergò poterit pro tali mutuo aliquid accipere ſupra ſortem principalem. ¶ Tertiò, quia argentum, vel aurum monetarum, & in vaſa formatum non differunt in ſpecie: ſed licitum eſt pro accommodatione vaſorum argenteorum, vel aureorum pretium exigere: ergò etiam pro mutuatione pecuniarum argentearum licebit aliquid accipere, vel petere ſupra capitale. ¶ Quartò, quia non eſt illicitum me accipere quod alter, qui dominus eſt rei, mihi vult voluntariè dare; ſed qui accipit mutuum, voluntariè tradit vſuram: ergò mutuator illam accipere poteſt licitè, & abſque peccato.

Iure naturæ illicita eſt vſura.

15 Sed eſſe ex jure naturæ malum aliquid ob mutuum ſupra ſortem recipere, vniverſi ferè Theologi, ac Iuriſtæ teſtantur cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *& de malo, q.* 13. *art.* 4. *& in* 3. *diſt.* 39. *art.* 6. *& opuſc. volt.* quod eſt 37. *de vſuris* (quod eius nomine circumfertur, cum tamen non ſit D. Thomæ, & ideò in editione Romana Pij V. eſt minoribus characteribus impreſſum. Nec à Sancto Antonin. 3. *p. tit.* 18. *§.* 10. inter opuſcula D. Thom. numeratur, & ab eis fuit excluſum à Magiſtro Ferdinando del Caſtill. 1. *p. Hiſtor. Ordin. Prædicat. lib.* 3. *cap.* 31. Quod adnotavimus, quia forſitan *hoc cap.* oppoſita his, quæ ibi dicuntur, reſolvemus.) Igitur eſſe jure naturæ vſuram illicitam, omnes confitentur, quæ prohibita eſt *in* 7. *Decal. præcep. Non furtum facies.* Quia, vt inquit D. Ambroſ. relatus cap. *Si quis* 14. *q.* 4. *Si quis vſuram accipit, rapinam facit, vita non vivet.* Et in cap. *Super eo, de vſuris*, dicitur, non poſſe ſuper vſura diſpenſari cuiuſcumque pietatis intuitu, ſicut nec ſuper mendatio. Et in cap. *Poſt miſerabilem*, cap. *Quanto amplius, de vſur.* præcipitur, vt Iudæi converſi ad fidem cogantur ad reſtitutionem vſurarum, quas acceperunt: quod non faceret eccleſia, ſi vſura non eſſet contra ius naturale. Et ſic Ariſtot. 1. *Politic. cap.* 7 1. naturali ratione ductus dixit, quod *Acquiſitio pecuniarum eſt maximè præter naturam.*

17 Probatur primò ratione prædicta aſſertio, quia nullus adeſt titulus, ratione cuius poſsit mutuator aliquid ſupra ſortem accipere: non quidem ratione rei mutuatæ, quia illi ſufficienter ſatisfacis reddendo tantundem: nec ratione vſus, quia in rebus vſu conſumptibilibus quoad æſtimationem, & valorem, non computatur vſus diverſus à re, ſicut in vino, & tritico non eſt eorum diverſa æſtimatio, ac ipſorum vſus: nec ob vtilitatem alterius, quia hæc ex vi mutui conſequitur. Vndè ſicut venditor non poteſt aliquid petere ſupra pretium juſtum rei, eo quod emptor ex ea vtilitatem accipiat, vt diximus *cap. præcin.* 92. ſic nec mutuator poteſt aliquid ſupra ſortem exigere, eo quod mutuatarius ex mutuo vtilitatem habeat. Aliud eſſet, ſi ipſe ob mutuum aliquod commodum amitteret, aut ſentiret incommodum, quia tunc ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis poſſet ſupra ſortem aliquod pretium exigere, vt poſteà dicemus.

Prima ratio concluſionis.

17 Probatur ſecundò ex ratione D. Thom. *in* 3. *diſt.* 37. *art.* 6. quæ poteſt ſic efformari. Quia manifeſta eſt injuſtitia, in commutatione vnius rei pro alia plus exigere, quam res valeat, niſi alia juſta cauſa interveniat, ratione cuius illud amplius juſtè accipiatur; ſed qui accipit pretium mutuatæ pecuniæ, & ipſam pecuniam, accipit plus quàm valeat id quod dedit, quia qui mutuo dedit 100. & ſuo tempore accepit 100. iam accepit quantum valebat id quod dedit; & ſic ſi accipiat 120. accipit ſupra valorem dati: ergo, niſi titulus alius interveniat, ratione cuius tale incrementum debeatur (quomodo non erit vſura, quæ eſt pretium præcisè pro mutuo) injuſtitiam committit, qui ſupra ſortem mutuatam aliquid accipit.

Secunda aſſertionis ratio.

18 Tertiò probatur ratione, quam adducit D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. ſic efformata. Quia injuſtitia, & crimen contra naturam eſt aliquid recipere in pretium eius, quod non eſt, quia quod non eſt, nihil valet, ſed qui lucrum ſupra ſortem ex vi mutui accipit, pretium recipit pro eo quod non eſt: ergo, &c. Probatur minor ex differentia quæ reperitur inter res vſu conſumptibiles, & quæ per vſum non conſumuntur: in his enim diverſus eſt vſus rei quoad æſtimationem, & computationem moralem, ab ipſa re; & ſic aliud poteſt accipi, pro re, aliud pro vſu rei: & ſic domus vendere poſſum dominium, reſervato vſu; vel vſum locare, reſervato dominio. At illarum rerum, quarum vſus eſt ipſarum conſumptio, vt vinum, quod vtendo ad potum conſumitur, & triticum vtendo ad cibum, non debet computari ſeorſum vſus rei à re ipſa; ſed cui conceditur vſus, conceditur ipſa res, & dominium eius: & ſic qui ſeorſum rem, & vſum venderet, bis eandem rem; & pro eo quod non eſt, pretium acciperet: quòd ſimiliter facit, qui mutuat vinum, vel triticum petens ſibi duas compenſationes, vnam pro re, aliam pro vſu illius. Proprius autem, & principalis vſus pecuniæ eſt ipſius conſumptio, ſeu diſtractio: quod vulgò dicitur, *gaſtar el dinero*, ſecundùm quod in commutationibus expenditur, vt inquit Philoſ. 5. *Ethic. cap.* 5. *&* 1. *Polit. cap.* 6. ergo qui pro 100. mutuatis 100. accipit, in quo accipit ipſam rem, & poſteà 20. quia vſum rei conceſsit, bis vendit eandem rem, & accipit pretium pro eo quod non eſt.

Vltima ratio cõcluſionis.

19 Sed contra hanc triplicem rationem triplex obiectio inſurgit. Prima contra hanc tertiam, quia ſecundum ea, quæ diximus *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 24. agentes de dominio, etiam in rebus, quæ vſu conſumuntur, diverſus, & ſeparabilis eſt vſus rei ab

Triplex cõtra prædictas ratio. obiectio

ab eius dominio: & sic Religiosi habent harum rerum vsum, & non dominium: ergò non sequitur, quod cui conceditur vsus harum rerum, concedatur earum dominium: & sic pro vsu pecuniarum centum, potero viginti accipere, quando eas mutuo; & posteà accipere ipsam rem, quam dedi. ¶ Contra secundum objcit Caram. *lib. 2. Theolog. Moral. disp. 14. n. 279.* quod pecunia numerata pretiosior est pecunia numeranda. Vndè qui de præsenti 100. dat, accepturus totidem post annum, etiamsi supra 100. amplius petat, non petit supra id, quod res valet: nam centum in pecunia numerata valent centum, & decem in pecunia numeranda. Quam doctrinam communi sensu debere approbari inquit, quia omnes pluris æstimant pecuniam de præsenti habitam, quàm post annum habendam. Ex quo infert, quod cùm in mutuo detur pecunia numerata, & solutio facienda sit in pecunia numeranda, licebit vltra sortem numeratam accipere id, quod excedit. Et addit, quod nonaginta aurei parati, æquivalent centum dandis post annum; & sic qui 90. hodie mutuat, & post annum 100. accipit, vsurarius non est, quia nihil supra sortem accepit: esset tamen, si ad finem anni plures quàm centenos aureos acciperet. ¶ Et contra primam rationem objici potest ex doctrina ipsius Caramuel *lib. 2. Theolog. Moral. disp. 14. n. 778.* vbi inquit dari alium titulum præter ibi enumeratos, ob quem possit mutuator plus exigere, quàm dedit; nimirùm ratione molestiæ provenientis mutuatori ex carentia suæ pecuniæ: & distinguit molestiam à periculo, damno emergenti, & lucro cessante. Est, inquit, verè aliqua recreatio in rebus pretiosis videndis; cur non in possidendis? Pro audientia comœdiæ, videnda bestia, legenda fabula datur pretium, & nemo contradicit: cur non pro habendis, videndis, possidendis optimis auri partibus? Ergò recreatio illa, quæ est ex possessione pecuniarum, præciso omni alio periculo, est pretio æstimabilis: ergò ob carentiam illius, & molestiam ex tali carentia provenientem, potest aliquid vltra mutuum exigi, & accipi.

Solutio primæ objectionis.

20 Sed contra primam objectionem stant ea, quæ diximus *loc. cit. n. 26.* distinguentes vsum dependentem ab alterius voluntate, qualis est in Religiosis, ab vsu omninò independenti. Primum fatemur à dominio rei distingui, non secundum: at mutuatarius accipit secundum, quia cum dominium per mutuum transferatur, etiam vsus omninò independens, & amplius pro isto (justè iam illo compensato) accipere, est ipsam rem bis vendere, vel pretium, pro eo quod non est, accipere. Dominium centum, valet centum: tibi solvo centum, quos dedisti, quando mutuasti: petis viginti pro vsu, quem habui illorum centum, qui vsus ab illo dominio non differt: ergò bis pro eadem re pretium petis: non minùs, ac si venderes mihi equum justo pretio, & posteà pro vsu illius equi aliquid amplius exigeres.

Secundæ objectioni fit satis.

21 Et contra secundam stat, quod doctrina illa admitti non debet, vtpotè manifestè fovens vsuras, quas sacra pagina, sacri canones, & sancti patres detestantur. ¶ Et nunc novitèr Innocent. XI. damnans hanc Propos. quæ erat 41. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario accipere, & eo titulo ab vsura excusari.* Etenim quando sacra scriptura, jus canonicum, & vniversi Theologi vsuram iniquam proclamant, & aliquid accipere supra sortem, esse illicitum dicunt, per sortem intelligunt ipsum capitale, quod primo datur, quia pecunia est infructifera, quia vsus à dominio illius non differt, &c. & ideò expressè dicunt, recompensari secundum æqualitatem justitiæ, si tantùm datur mutuanti, quantùm mutuavit. Ita D. Thom. *loc. cit.* Leo X. in Concil. Lateran. *sess. 10.* Sanctus Augustin. relatus in cap. *Si fœneraberis 14. q. 3.* Sanctus Hieronym. ibi. cap. *Putant*, Sanct. Ambros. cap. *Plerique*, & Sanct. Chrysostom. super illud *Matth. 5. Et volenti mutuare*, &c. ita ait: *Similis est pecunia vsurarij morsui aspidis, percussus enim ab aspide, quasi delectatus abijt in somnum, & per suavitatem saporis moritur, quia tunc virus latenter per omnia membra decurrit. Sic etiam qui sub vsura accipit sub tempore, quasi beneficium sentit, sed vsura per omnes suas facultates decurrit, & totum convertit in debitum.* Sed qui pecuniam numeratam dicit pretiosiorem solvenda, & acceptionem supra capitale adstruit, morsum aspidis insensibilis ponit, & solùm vocibus veram vsuram intendit palliare.

Solvitur tertia objectio.

22 Et contra tertiam objectionem, & doctrinam in ea inclusam stat, *quòd si vera esset talis opinio* (vt preclarè inquit Sotus *lib. 6. q. 4. art. 1. ad 2. §. Secundò arguitur*) *conditio vendentis, putà si esset nimium avarus, ac proindè meticulosus, causa esset legitima recipiendi maius pretium.* Vndè quemadmodum vinum, licèt lætificet cor hominis, contra justitiam peccaret, qui seorsum venderet, & seorsum lætitiam venderet, quæ accipitur ex vini potatione: quia, vt arguit D. Tho. *q. 78. art. 1. venderet eandem rem bis, vel venderet id, quod non est*; ita, quamvis avarus delectetur in videndo, & possidendo auro, non potest seorsum vendi, vel commutari pecunia, & vsus pecuniæ, & molestia non videndi pecuniam. Deinde, quia aliud est, quod præter pecuniam mutuatam velit mutuator aliquid recipere ob vsus primarios, & principales pecuniæ (de quibus loquitur Caramuel, quia loquitur de molestia intrinseca, quæ ex carentia illius per mutuum proficiscitur) aliud ob vsus secundarios pecuniæ, puta si pecuniam ad ostentationem reciperet, vel numos aureos, vt aqua calida deauraretur ad lætificandum cor infirmi, quia (vt inquit Caietanus 2. 2. *q. 78. artic. 1.*) multos habet vsus pecunia præter principalem, qui in eius distractione, & consumptione consistit. Fatemur itaque ob secundarios vsus pecuniæ præter capitale posse aliud pretium exigi; sed tunc non est contractus mutui, cùm non accipiatur pecunia ad expendendum, nec illius transferatur dominium, sed commodati; & sic licitè posse vendi hunc vsum, & propter illud aliquid supra sortem accipi, docet Div. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 1. ad 5.* & ibi Caietan. Bonac. *disp. 3. punct. 1. n. 3.* Dicastill. *lib. 2. tract. 10. disp. 1. n. 86.* Fr. Ioan. Martin. à Prad. *tom. 2. cap. 28. q. 1. n. 28.* Malder. *tract. 5. cap. 3. dub. 11.* Aragon 2. 2. *q. 78. art. 1.* Et Authores, quos Caram. pro sua doctrina citat, non loquuntur in sensu illius, sed in sensu casus sequentis.

Quæstio proponitur & certa circa illam declarantur.

23 Inquires ergò, an ob molestiam carendi pecunia per multum tempus possit aliquid recipi supra capitale mutui. Quod est quærere, an si mutuans se obliget ad non repetendam sortem per multum tempus (puta per annum) possit pro tali obligatione, & pro molestia, quam inde patitur, aliqui supra sor-

ſortem exigere? Et loquimur caſu, quo ex carentia illius pecuniæ nullum lucrum ceſſat, nullum periculum impendet, nullum incommodum metuitur præter illud gravamen, quod eſt carere pecunia, addito, quod ſit per multum tempus: nam ſi præter hoc carentia pecuniæ afferat mutuanti incommoditatem pretio æſtimabilem, dubium non eſt, poſſe aliquid vltra ſortem in pactum deducere, vt ſe inde immunem conſervet; ſicuti de vendente ſupra pretium juſtum ob commoditatem, quam ob venditionem amittit, aut incommodum, quod ſubit, diximus *cap. præc. à n.* 141. & quia talis incommoditas ob dilationem ſolutionis pecuniæ per multum tempus frequentiſsima eſt mercatoribus, quorum commune inſtrumentum eſt pecunia, licita eſt apud eos talis conventio ob damnum emergens, periculum imminens, aut lucrum ceſſans, ſervatis conditionibus infrà aſsignandis. Sed non hoc ſenſu diſputant hoc dubium Auctores, cùm diſtinctè ab illo de damno emergente, & lucro ceſſante illud exagitent. Sed quando nullum dammnum imminet, vel incommodum præter hoc, quod eſt obligari ad carendum pecunia mutuata per multum tempus. Datur circa hoc duplex ſententia.

Ob moleſtiam carendi pecunia, non poſſe aliquid accipi, aliqui dicunt.

24 Prima ſententia eſt negativa, & probatur primò, quia obligari ad non repetendum, niſi poſt tale tempus, eſt onus annexum, & intrinſeum mutuo, quod in hoc differt à precario, quia quæ præcario dantur, repeti poſſunt, prout dans voluerit: ergò non poteſt pretium accipi, per hoc quod ſolutio expectetur pro aliquo tempore: ergò nec pro tanto tempore, quia ſicut liberum eſt mutuare, at, hoc ipſo quod mutuet, eſt vſura pro expectatione alicuius temporis aliquid ſupra ſortem recipere: ita, licèt liberum ſit aſsignare tempus ſolutionis, hoc ipſo quod aſsignet, erit vſura ob talem dilationem pretium exigere: quia dilatio ſolutionis quædam continuata mutuatio eſt. ¶ Secundò, quia aliàs in veritate non eſſet aliqui vſurarius contractus, ſed ſolùm ex contrahentium inſcitia, qui neſciunt lucri titulum honeſtare: nam quod exigunt propter mutuum, poſſent propter dilationem, ſeu propter novam obligationem ſuperadditam exigere; & ſic omnes leges, & prohibitiones in hac materia inutiles eſſent, cùm totum, quod fit vno titulo, poſſet alio titulo fieri; & tota controverſia de vſuris ad quæſtionem de nomine reduceretur, ſiquidem omnes contractus, qui reprobantur, liciti eſſent, dicendo: Ego non exigo lucrum pro mutuo, ſed pro obligatione, qua me obligo non repetendi per tale tempus. ¶ Tùm, & maximè, quia Alexand. VII. hanc damnavit Propoſ. quæ erat 42. *Licitum eſt mutuanti aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obligat ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.* Ita præter ſummum Pontificem defendit hanc ſententiam Leſſ. *lib. 2. cap. 20. dub. 4. n.* 127. quamvis non parum contrariæ oponioni faveat *n.* 117. Dicaſtill. *lib. 2. tract.* 10. *diſp. 2. n.* 208. Molin. *tract. 2. diſp.* 306. *n.* 8. Laym. *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 16. n.* 7. Bonac. *diſp. 3. q. 3. punct. 6.* Villalob. *tom. 2. tract. 22. diff. 3. n.* 16. Lug. *diſp. 25. ſect. 3. n.* 17. Bartol. à S. Fauſt. *diſp. 16. quæſt.* 54. Palaus *tom. 7. tract. 32. diſp. 4. punct. 8. ad* 5. qui falſiſsimam, periculoſam, & improbabilem oppoſitam ſententiam dicit, Diana *p. 8. tract. 7. reſol.* 63. vbi conqueritur ſe à Trullenc. pro contraria ſententia citari, cùm Doctores illam improbabilem putent, acritèrque cenſurent.

25 Secunda ſententia eſt affirmativa. Et probatur primò, quia licèt obligatio non repetendi ante aliquod tempus, ſit de intrinſeca ratione mutui, & ſic ob eam nihil accipi poſsit vltra ſortem, quia eſſet lucrum immediatè ex mutuo quærere, quod eſt vſura: at obligatio non repetendi per multum tempus, putà per annum, intrinſeca non eſt mutuo; & ſic ob illam aliquid vt pretium poteſt vltra ſortem accipi. ¶ Et confirmatur hoc, quia talis obligatio eſt pretio æſtimabilis, non minus, quàm obligare ſe ad ſæpius mutuandum; ob quam obligationem omnes dicunt, poſſe lucrum aliquod accipi. ¶ Secundò, nam pretio eſt æſtimabile fideiubere alterius nomine per vnum annum pro tanta ſumma, etiamſi in debitore nullum timeatur periculum: ergò etiam mutuare cum obligatione per vnum annum non repetendi, quia hoc difficilius eſt, quàm illud: nam plures invenies, qui nomine tuo fideiubeant pro tanta ſumma, quàm qui eam velint tibi ad tantum tempus mutuare, vt ipſa conſtat experientia. Ita Ioan. de Medin. *C. de reſtit. q. 32. §. Nam quid, fol.* 102. Ledeſm. 2. *tom. cap. 33. concl. 4. diff.* 2. *fol.* 435. Serra 2. 2. *q.* 38. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2. Faver Dian. 1. *p. tract.* 8. *reſol.* 48. & 5. *p. tract.* 13. *reſol.* 50. hanc confirmans, & contraria argumenta diluens, quamvis in fine aliorum judicio ſe committat. Eamque probabilem dicunt Trullench *lib. 6. cap. 19. dub.* 12. *in fin.* Henriq. *in qq. practicis, ſect.* 23. *q.* 4. *n.* 13. Baſſæus, *verb. Vſura, n.* 109.

Sententia ex æquo præcedenti oppoſita.

26 Sed media via nobis incedendum eſt (vt ſic noſtram ſententiam à cenſura liberemus, & determinationi ſummi Paſtoris pareamus) & cum prima ſententia concedendum, quod per ſe loquendo præcisè ratione maioris temporis, amplius exigere pro obligatione non repetendi, vſura erit. At quia moraliter loquendo, qui per multum tempus ſe obligat expectare, exponitur, non ſolùm periculo, vel damno emergenti, aut lucro ceſſanti, ſed etiam pluribus alijs incommoditatibus; cùm moraliter ſit impoſsibile, quod per multum tempus non occurrant homini neceſsitates, & occaſiones diſpenſandi pecunias, ratione huius ſpecialis incommoditatis poteſt vltra ſortem aliquid exigere: ſicut ob eandem rationem propter obligationem mutuandi poteſt tale pretium petere, quia pretio eſt æſtimabile privare ſe illo inſtrumento cum incommoditate recenſita. Cæterùm, cùm hoc non ſit generale in omni mutuo, ſpecialiter pro parvo tempore, non ſequitur licitas eſſe vſuras cum ſola variatione verborum, aut intentionis; nec tollitur, quod ſæpè in praxi accidant peccata vſuræ. Ita Bañ. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *dub.* 1. *ad* 3. Aragon. ibi, *fol.* 668. Caram. *lib. 2. Theolog. Moral. diſp.* 14. *à n.* 762. Prado *tom. 2. cap.* 28. *q.* 1. *n.* 37. ¶ Qui benè advertunt, nomine incommoditatis, de qua diximus, non intelligi ſolum damnum emergens, aut lucrum ceſſans in ipſa pecunia, ſed etiam quemcumque actum, vel liberalitatis, vel magnificentiæ, quem decebat ipſum mutuatorem exercere; vel quamcumque aliam operationem, vel neceſſariam, vel convenientem, à qua mutuans impeditur: nam pro his omnibus (modo non ſit ficta, ſed vera incommoditas) pretium accipere, de illoque paciſci licitum erit.

Media via eligitur, & probatur.

27 Reſtat reſpondeamus argumentis, quæ Initio puncti *n.* 14. propoſuimus. Ad primum reſpondetur primò ex D. Thom. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 2. ibi: *Quod autem ab extraneis vſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad maius malum vitandum; ne ſcilicèt à Iudæis Deum colentibus*

Fit ſatis cõtrarijs fundamentis.

tibus vsuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, vt habetur Isai. 56. Quod autem in præmium promittitur: Fœnerabis gentibus multis, &c. fœnus ibi largè accipitur pro mutuo. Sicut Ecclesiast. dicitur: Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, id est, non mutuaverunt. Promittitur ergò in præmium Iudæis abundantia divitiarum, ex qua contingit, quod alijs mutuare possint. ¶ Secundò respondetur ex eodem D.Thom. *in 3. dist. 39. art. 6. ad* 1. licitas fuisse Iudæis vsuras ab extraneis: nam cùm Deus illis concesserit bona inimicorum, poterant per modum vsuræ propria bona recuperare; sicut tempore justi belli licitum est extorquere vsuras ab hostibus, quia licèt non sit justum reportare aliquid supra sortem ex mutuo; licitum tamen est occasione mutui recuperare, propria bona; quemadmodum infrà dicemus, licitum esse vltra sortem aliquiquid accipere ab eo, qui aliàs tibi debet, quod aliter recuperare non potes. Vndè dixit D.Ambros. de Tobia, *cap.* 15. & habetur cap. *Ab eo, q.* 4. *Ab eo vsuram exige, cui meritò nocere desideras: ergò vbi est ius belli, ibi est vsura.* Et sic explicat locum Deuteron. de quo agimus.

Reliqua argumenta cõtraria solvuntur.

28 Ad secundum respondet idem D.Thom. *q.* 78. *cit. art.* 1. *ad* 5. quod potest quidem recompensationem exigere, qui mutuare non tenetur, eius quod fecit, sed non amplius: & per hoc quod tantundem reddatur ac dedit, sufficientèr recompensatus manet: *Et si amplius exigat pro vsufructu rei, quæ alium vsum non habet, nisi consumptionem substantiæ, exigit pretium eius, quod non est: & ita est injusta exactio.* ¶ Ad tertium respondetur, quod vsus principalis vasorum argenteorum non est ipsa eorũ consumptio: & sic talia vasa locari possunt, & pro locatione pretium accipi, nec eorum transfertur dominium: quod secus accidit, quando in pecunijs aureis, vel argenteis mutuatur. ¶ Ad quartum respondet D.Thom. *eod. art. ad* 7. *Quod ille, qui dat vsum, non simplicitèr voluntariè dat, sed cum quadam necessitate, in quantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille, qui habet, non vult sine vsura mutuare.* Et si dicas, fieri posse, vt sine necessitate petat quis mutuum, & tunc saltem non erit vsura peccatum. Adverte, quod licèt absque necessitate ille mutuum petat, vsuram tamen non dat, nisi ex quadam necessitate, in quam eum mutuator conjicit. Supposita enim mutuatarij voluntate libera, quæ mutuum petit, qui putat sibi vtile futurum, mutuator conjicit eum in necessitatem dandi fœnus; ideoque quodammodò voluntarium per injuriam cogit.

PUNCTUM IV.

An vsurarius mentalis peccet, & restituere teneatur?

Quando dicatur vsura mentalis, quãdo non?

29 CErtum est apud omnes Doctores, non dici vsuram mentalem in ordine ad restitutionem habere, qui animum solum sine exteriori mutuo, & lucro haberet. Hic enim, licet peccaret mortalitèr ob pravum animum exercendi rem ominò illicitam, nullam tamen haberet obligationem restitutionis; sicut qui animum haberet furandi, vel occidendi, si tamen exterius nihil horum faciat. Loquimur ergò in præsenti de vsura mentali, quæ cum exteriori actu coniungitur: & dicitur mentalis, prout distinguitur à reali, eo quod in ista datur, præter mutuum, & lucrum exterius exercitum, pactum implicitum, vel explicitum illud recipiendi; & in mentali, de qua loquimur, datur quidem mutuum, & lucrum, sed absque vllo implicito, vel explicito pacto. Quæ potest esse, vel tantùm ex parte mutuantis, vel tantùm ex parte mutuatarij, vel ex parte vtriusque.

Vsura mentalis potest esse diversimodè.

30 Quando igitur vsura mentalis est ex parte mutuantis, & mutuatarij, quia nimirùm, & ille lucrum, quod accipit ex mutuo, vult accipere vt pretium mutui; & iste, cui fortè nota est indoles mutuantis, intendit lucrum ob mutuum dare, vt illius pretium, nullo exterius pacto inter eos apparente, peccat mortalitèr mutuans tale lucrum recipiens, & tenetur restituere, quia ibi solùm est coacta donatio, quæ non est translativa dominij: & hoc sensu loquitur cap. *Consuluit, extra de vsur.* circa restitutionem vsuræ mentalis. Si autem solùm ex parte mutuatarij sit vsura mentalis, quia nimirùm dat lucrum animo, vt sit pretium, & quasi solutio debiti; cùm tamen mutuans putet gratis sibi, & ex liberalitate donare, tunc quia non obligatur restituere ratione injustæ actionis, quia bona fide processit, sed ratione rei accceptæ, solùm tenetur restituere id, in quo factus est ditior, quando sibi constat de alterius animo: sicut qui emit bona fide à fure, tenetur rem, si extet, restituere, vel id in quo factus est ditior, postquam rem furatam esse norit, & non antea. Si è contra vsura mentalis sit solùm ex parte mutuantis, quia nimirùm mutuatarius vult gratis, & ex liberalitate lucrum dare, sed mutuans recipit, vt debitum, & vt pretium mutui, tunc mutuans, quando ignorat alterius animum, tenetur lucrum restituere: à qua obligatione, illo cognito, liberatur. Sicut qui pallium furatur, putans esse alienum, cùm tamen esset suum, tenetur restituere, quandiù esse suum sibi non constiterit; &, eo cognito, cessat talis obligatio, vt constat ex leg. *Inter omnes 46. ff. de furtis,* ibi: *Cõtrectãs rem credens invitum dominum, committit furtum; sed furto non est obligatus, si dominus erat volens.* Ità Caiet. *tom.* 2. *opusc. tr.* 8. *q.* 3. & 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 4. Aragon. ibi, §. *In oppositio iam,* Serra *dub.* 2. Bañez *art.* 3. *dub. vlt.* Prad. *cap.* 28. *q.* 2. *n.* 56. Sot. *lib.* 6. *q.* 1. *art.* 2. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 10. *disp.* 3. *dub.* 2. *per tot.* Malder. 2. 2. *tr.* 5. *cap.* 3. *dub.* 10. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 22. *diff.* 5. *n.* 1. & 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 6. *n.* 41.

Quid in dubio de animo donantis lucrum?

31 Quod si mutuatarius lucrum ex gratitudine donet, & mutuans dubitet, quo animo donavit, non potest illud retinere, si cum tali dubio accepit, quia dubitans rem esse alterius, non potest inchoare possessionem. At possunt tales circumstantiæ dari, vt moralitèr credatur certum, omnibus perspectis, alium gratis donasse; & tunc non tenetur reddere. Et hoc regularitèr censendum est, quando mutuans non dedit signum, se aliquid petere, & mutuatarius nec est avarus, nec patitur tristitiam in dando, aut aliquam molestiam, metum aut coactionem, vt docent Caiet. & Less. *loc. cit.* Dixi: *si cum tali dubio accepit*, quia si bona fide credens gratis sibi donari lucrum, accipit, & postea dubium de alterius animo suboriatur, cum mutuans possideat, erit melior eius conditio: & sic non tenebitur restituere, quoties sibi de alterius voluntate non constiterit, vt diximus *tractat. præcedenti, cap.* 1.

Quando sit licitum intendere, & sperare lucrum

32 Sed inquires, vtrùm intentio interna, seu spes, & desiderium lucri faciat vsuram mentalem? Quod est quærere, vtrùm sit illicitum intendere, & sperare lucrum ex mutuo? Ad quod respon-

Vſú ex mutuo? quando non?

reſpondemus ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 2. quod intentio, vel ſpes lucri poſſunt eſſe, vel tanquam ex debito juſtitiæ acquirendi, & ſic immediate ex ipſo mutuo, vel ex debito amicitiæ, & liberalitatis, & gratitudinis, &c. & ſic non immediatè ex mutuo, ſed media amicitia alterius per mutuum comparata. Primo modo eſt peccatum ſperare, aut deſiderare lucrum, non ſecundò: quod tenet D. Thomas *ibi*, & *ad* 3. & *q.* 13. *de malo*, *art.* 4. *ad* 13. vbi ſic ait: *Munus aliquod, vel à manu, vel à lingua, vel ab obſequio poteſt vſurarius ſperare ex mutuo, quod concedit, duplicitèr. Vno modo quaſi debitum ex quadam obligatione tacita, vel expreſſa; & ſic quodcumque munus ſperet, illicitè ſperat. Alio modo poteſt aliquod munus ſperare, non quidem debitum, ſed quaſi gratuitum, & abſque obligatione petendum: & ſic licitè poteſt ille, qui mutuat, ſperare ab eo, cui mutuat. Sicut ſi facit ſervitium alicui, confidit de eo, vt amicabiliter ſuo tempore ſervitium faciat.* S. Doctorem ſequuntur Caiet. *tom.* 2. *opuſcul. tract.* 8. *q.* 2. Bañ. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *dub.* 1. Aragon. Salon. Serra, quos citat, & ſequitur Prad. *cap.* 28. *q.* 1. *n.* 43. Malder. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 9. Villalob. *tract.* 22. *diff.* 4. *n.* 1. Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 3. *n.* 2. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 9. *dub.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 5. *à n.* 35. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 198.

Duplex pars aſſertionis præcedentis probatur.

33 Prima pars aſſertionis præcedentis probatur ab Vrban. III. in cap. *Conſuluit*, *de vſuris*, ex illo *Luc.* 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Et addit: *Qui mutuat aliàs non mutuo daturus, eo proposito, vt licèt omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat, pro huiuſmodi lucri intentione, quam habet, judicandus eſt malè agere.* Et ratio eſt, quia deſiderare, aut ſperare quod malum eſt, eſt malum, & illicitum: ſed eſt vſura, & malum, lucrum, vt debitum ex mutuo accipere: ergò etiam illum deſiderare, aut ſperare; ſive talis intentio ſit principalis, ſive minùs principalis, ſive primaria, ſive ſecundaria, quia licet intentio ſecundaria non det primã ſpeciem actui, illum depravat, & deturpat, ſi ſit rei pravæ & illicitæ. ¶ Secunda verò pars probatur. Tùm, quia ſicut amicitia vtili licet ab amico expectare recompenſationem, vt inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 109. *art.* 5. ſic licet per mutuum amicitiam comparare, & media amicitia ſperare recompenſationem: quia, vt inquit ipſe Sanctus Doct. *q.* 78. *art.* 2. *Etiam antequam mutuaſſet pecuniam, licitè poterat aliquod donum gratis accipere* (& ſic ſperare) *nec peioris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit.* Tùm etiam, quia vſura eſt vitium oppoſitum juſtitiæ: ergò vbi ſola gratitudo, amicitia, &c. immediatè intenditur, nulla vſura, ſicut nec injuſtitia, committitur. Tùm denique, quia idem eſt objectum exterioris, & mentalis vſuræ. Vndè quod eſt in re vſura exterior recipiendo, in mente eſt vſura interior deſiderando: accipere autem in re ratione gratitudinis, vel amicitiæ, non eſt vſura exterior: ergò nec hoc modo intendere lucrum erit vſura mentalis, ſive primariò, ſive ſecundariò illud intendatur, quia quod principaliter, vel minùs principaliter tale lucrum intendatur, nihil ad injuſtitiam conducit.

Quid ex doctrina data inferatur?

34 Ex hac doctrina duo infert Caietan. *q.* 78. *art.* 1. *circa ad* 4. Primum (in quo conveniunt cum eo Prad. *n.* 47. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 9. *n.* 2. Villalob. *n.* 2. Trullench *n.* 2.) quod in foro conſcientiæ, non eſt ſignum ſufficiens mentalis vſuræ, quod quis non mutuaret, ſi crederet mutuatarium futurum ingratum, quia in arctiori materia, nempè in ſimonia, docet D. Thom. *quodlib.* 8. *art.* 11. quòd ſi quis vadat ad eccleſiam propter diſtributiones, aliàs non iturus, non eſt ſimoniacus: & ita non eſt vſurarius, qui mutuat ſperans ex gratitudine lucrum, aliàs non mutuaturus, quia remuneratio ſperata non eſt ratio quod mutuet, ſed conditio impellens ad mutuum. Vndè ſicut eſſet ſimoniacus, qui diſtributiones, vt pretium aſſiſtentiæ in choro reciperet; nõ verò, quia eas accipit, vt quid ipſum impellens ad aſſiſtendum; ſic in preſenti. ¶ Secundum dicit Caiet. (in quo ſequuntur eum Serra, Salon. Prad. Trullench. *n.* 4. Diana 1. *p. tract.* 8. *reſol.* 61.) quod non ſolùm licet hanc ſpem, & intentionem internam habere, ſed etiam eam alteri manifeſtare, dicendo ſe ſperare ab eo opera amici, gratumque futurum, & beneficium factum per mutuum remuneraturum, dummodò ex pacto obligationem civilem, aut naturalem illi non imponat, ſed ſolam iſtam antidoralem: quia talis expectatio, & petitio non reddunt donationem involuntariam, cùm illi nullam obligationem imponat, ſed liberum relinquat. Vndè ſi poſteà ex gratitudine mutuatarius donet, poteſt mutuans illud recipere, quia non recipit lucrum immediatè ex mutuo, ſed media amicitia, & liberalitate alterius. ¶ Sed hæc doctrina non eſt coram avaris divulganda, ne inde anſam accipiant palliandi vſuras. ¶ Vt patet ex decreto SS. Pontif. Innoc. XI. quo damnatur Propoſ. 42. quæ hæc tenebat: *Vſura non eſt, dum vltra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.* Nam, vt benè docet Bañ. *q.* 78. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 2. Aragon. *ibi*, *concl.* 3. Lugo *diſp.* 25. *ſect.* 4. *num.* 30. hoc non caret vſuræ ſuſpicione vehementi, quamvis dicat mutuator, ſe non obligare alium ex juſtitia, ſed ex morali debito, & gratitudine tantùm, quia hoc videtur pactum implicitum vſurarium; & ſic regulariter ſunt tales vſurarij cenſendi, cùm prudenter, & non metaphyſicè ſint iſta judicanda. Vndè ſi antecedat illa excitatio, videtur innuere, vt in plurimum, aliquod pactum implicitum, & mutuatarius intelliget ſe poſteà non ex mera liberalitate, ſed ex tacita promiſsione dare id, quod dat vltra ſortem principalem. Quapropter ad ſimilia evitanda inconvenientia, quæ in praxi communiter experiuntur, Legislator ſupremus attendens, non ad ſpeculationem, ſed ad moralia, & practica, virtualiter vult dicere damnando ſupradictam propoſitionem: *Vſura eſt, dum vltra ſortem aliquid exigitur, non ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum; ſed etiam ex benevolentia, & gratitudine debitum.*

Novus caſus propoſitur.

35 Sed rogabis, an ſi mutuatarius det aliquid ſupra ſortem, timens non recepturum iterum mutuum fortè, quando indigebit, vel ne videatur, aut vocetur ingratus; ſi nullum pactum præcedat, nullus animus accipiendi, vt debitum ex juſtitia, poſsit ſine vſura accipi à mutuante? Affirmat cum formidine Diana 1. *part. tract.* 8. *reſolut.* 62. *fine*, & abſque illa Salas *de vſuris*, *dub.* 6. *num.* 2. Layman, *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *numer.* 1. Lugo *diſp.* 25. *ſect.* 4. *num.* 35. Soto *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 3. & 4. Palaus *tom.* 7. *tract.* 32. *diſp.* 4. *punct.* 9. *numer.* 3. Tùm, quia D. Thomas, & omnes ſemper ad vſuram requirunt quod accipiatur, & detur vt debitum ex juſtitia, & ex vi pacti, quod in præſenti non reperitur. Tùm etiam, quia ſimonia non

non est, quando Episcopus tribuit famulo beneficium, timens quod, si non conferat, famulus videns se sua spe frustrari, à suo obsequio discedat; & sic nec famulus recipiens datum cum illo timore est simoniacus: ergò idem dicendum erit de vsura. Tùm denique, quia dari tali timore non facit, quod detur, vt pretium; sed potest dari, vt vitetur ingratitudo, & lex vsuræ non prohibet, quod alter non sit ingratus.

Vera resolutio casus præcedentis.

36 Cæterùm, quia rarissimè præsumenda est donatio in mutuatario, vt posteà dicemus: alioqui hoc modo possent omnes vsuræ palliari; sed semper censetur in modo donandi supra sortem involuntarium admixtum, vt inquit D. Thom. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 7. ideò difficilè est, quod in praxi non sit involuntaria donatio dicta, & vsuraria: quamvis si verè gratis mutuatarius donaret, sustineri posset talis doctrina: quamvis alioqui involuntariè donet, quia timet alium non mutuaturum iterum, vel eum judicaturum ingratum, quia tale involuntarium non est ab extrinseco cogente, sed ab intrinseco, proveniens ex necessitate ipsius mutuatarij, & ex voluntate, quam habet iterum mutuum accipiendi: quod non reddit irritam donationem. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 3. *n.* 5. Serra 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 4. Prado *cap.* 28. *q.* 1. *n.* 54. Soto *lib.* 6. *de justit. q.* 1. *art.* 2. *§. Quid autem*: vbi sic concludit: (Hoc tamen fatendum, quod cùm sit valdè subtile discernere, quando intentio subest recipiendi ratione amicitiæ, aut ratione mutui, semper est talis intentio suspecta; sed vbi vir prudens id discernit, nulla subest culpa.)

PUNCTUM V.

An qui bona fide celebravit contractum vsurarium, sed poterat alium justum, posteà, re cognita, possit retinere quod accepit?

Explicatur in quibus eventibus accidat casus quæstionis.

37 CAsus est frequentissimus, & ad praxim eius notitia valde necessaria, quia multoties ignorantes errant mutui celebrando contractum; & quem poterant justè inire, ob inscitiam, vel oblivionem injustè faciunt. Das mutuum Petro, & ob illud lucrum exigis, vsuram committis, quia per titulum injustum rem alterius accipis; sed poteras, vel per triplicem contractum societatis, assecurationis, & venditionis illud ipsum lucrum accipere (modo quo infrà dicemus) vel ratione periculi, & lucri cessantis, quia vel impediris à justa negotiatione, vel cum alio justo contractu poteras lucrum reportare, vel ratione damni emergentis, cũ conditionibus, quas infrà dabimus. Quærimus ergò, an si bona fide procederes, lucrum immediatè ex mutuo recipiens, putans te id facere posse; & posteà, re cognita, scis fuisse vsurarium contractum, possis à restitutionis onere liberari, reducendo talem contractum ad limites contractus justi, quem vel cum illo, vel cum alio poteras justè celebrare, in mente intentionem corrigendo; & quod ob mutuum accepisti, volens illud ex alijs titulis habere, ex quibus justè poteras ab initio acceptare. Duplex datur sententia, & vtraque meo videri probabilis.

Sententia affirmativa circa quæstum.

38 Prima sententia est affirmativa: & probatur primò, quia bona fide contrahens censetur habere animum, saltem implicitum, contrahendi, & lucrandi modo licito, quo potest; & ideò illo modo contrahit, quia putat licitum; & sic virtualitèr censendum est, quod vult quocumque modo licito contrahere. Secundò, quia qui bona fide contractum injustum celebrat, solùm tenetur, re cognita, restituere id, in quo est ditior factus, quia non tenetur ex actione injusta, sed solùm ex re accepta: & sic omnia incommoda, & interesse deducere potest, in quibus damnificatus est: at damnificatus est in nostro casu, in non deducendo in pactum, quando contraxit lucrum cessans, aut damnum emergens, &c. ergo poterat ratione horum lucrum, quod accepit retinere. Tertiò, quia hic nullam facit alteri injuriam, nec formalem, quia bona fide processit; nec materialem, quia in materia illa reperitur titulus justus, quem ille implicitè videtur intendere. Non enim expressè debuit dicere, si hic contractus est iniquus, volo alium facere, sed sufficit intentio virtualis, quàm censetur habere negotiator omnis timoratus, & diligens, in omnem occasionem intentus. Ita Sà, *verb. Vsura, n.* 5. Lugo *disp.* 25. *sect.* 9. Diana 1. *p. tract.* 8. *resol.* 47. Tannerus, quem ipse Diana refert, 3. *p. tract.* 5. *resol.* 92. & alij, quos, suppresso nomine, refert Less. *n.* 102. Qui videtur non parum huic opinioni opitulari, ob limitationes, quas suæ contrariæ apponit: quod idem præstat Trullench loco infrà citando.

Eligimus negativam sententiam.

39 Probabilior autem est sententia negans, nisi contrahentes se exprimant, velle obligari omni modo justo, quo possint. Et probatur primò, quia talis, etsi habeat animum contrahendi habitualem alio modo justo, si non est iste, re tamen ipsa non habet actualem animum, nisi isto modo contrahendi, nec ipse in alium modum de facto consentit, nec contrahens cum illo habet alium consensum actualem. Vndè sibi imputare debet, quod cùm esset rectè dispositus, & posset justo modo celebrare contractum, modo injusto illum celebravit. Secundò, quia hìc datur injustus contractus, saltem materialitèr: ergò nullus reverà, nec transferens dominium: ergò rem, quam accepit, si extet, vel in quo factus est ditior, tenetur restituere. Nec excusatur ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, quia vt propter ea posset aliquid vltra sortem accipere, deberet monere mutuatarium, & illo monito damnum emergens, & lucrum cessans in pactum deducere: quod in præsenti minimè reperitur. Tertiò, quia aliàs qui bona fide infra justum pretium rem emit, vel supra justum vendidit, posset, [illegible] veritate, retinere excessum, confugiendo ad [illegible] alium contractum, per quem illud fœneratus fuisset, quem, vel cum illo, vel cum alio celebraret, si nosset: quod est omninò falsum; & ideò hanc sententiam tenent Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 12. Prado *cap.* 27. *quæst.* 2. *num.* 44. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 25. *punct.* 2. Bonacin. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 4. *num.* 9. & 10. Malder. 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 13.

Casus, in quibus est vera opposita sententia.

40 Ab his Auctoribus aliqui casus assignantur, in quibus vera est contraria sententia. Primus, si contrahens expressè intendat omni titulo justo, quo potest, contrahere. Secundus, si virtute, & implicitè aliquem titulum justum intendat, vel quia intendit eo modo, quo audit viros pios, & artis peritos contrahere; vel eo titulo

tulo reportare lucrum, quo ſcit paſsim à mercatoribus talis loci fœnerari. Vel ſi ex vi propoſiti antecedentis, quo ſtatuit ſolum omni titulo juſto ſe contracturum, ſe applicet ad iſtum contractum : quia, etiamſi tunc actu non cogitet, implicitè intendit ita contrahere. Vel denique, inquiunt Trullench, Leſſ. & Malderus, implicitè intendere juſtum titulum videtur, qui cupit juſto modo lucrari, & non alitèr: hic enim ita eſt diſpoſitus, vt ſi ſciret titulum huius contractus non eſſe juſtum, nollet contrahere, ſed facere alium: & ſic videtur intendere titulum omnem juſtum, qui adeſt ; nec ſe alligare ad hanc formam contractus, v.g. mutui : nam ita eſt actu diſpoſitus, vt, ſi rogaretur, quo titulo, quave forma vellet contrahere, reſponderet, *Meliori modo, quo poſſum.* Sed huic modo dicendi non penitùs acquieſcunt prædicti Authores. Et meritò ; nam reipſa coincidit cum ſententia contraria : nec huius contractus actualem conſenſum formalem aſsignat, ſed ſolùm habitualem. ¶ Ad contraria fundamenta ex dictis facilè vnicuique conſtabit.

PUNCTUM VI.

An mutuans poſsit ſupra ſortem aliquid recipere ratione præſumptæ donationis? Et quando iſta præſumatur?

Ob liberalem donationem aliquid pro mutuo poteſt accipi.

41 POſſe per donationem liberalem mutuantem aliquid ſupra ſortem à mutuatario recipere, omnes aſſerunt cum D. Thom. 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 2. ſi ſibi conſtet liberalitèr donatum eſſe : quia non mutuando, illud recipere poſſet: & non eſt peioris conditionis, eo quod beneficium mutui alteri contuliſſet; nec lex mutui legi liberalitatis, & gratitudinis eſt contraria : & ſufficere, quod prudenter, probabilitèr putet ſibi donari gratis, aſſerit Dicaſt. *lib.2.tract.*10.*diſp.*2. *dub.* 13.*num.* 285. Id quod (inquit) plerique expreſsè, aut virtualiter concedunt, & nemo, quem viderim, ex Authoribus negat. Et ſic tota difficultas devolvitur ad inveſtiganda ſigna ſufficientia talis præſumptionis; quod communitèr prudentiæ Confeſſarij, & viri docti committitur. Sed quia iſte debet ex aliquibus conjecturis illud judicare, illas modò examinare volumus. Et ſuppoſita illa generali regula pro omni donatione præſumpta, quæ etiam in præſentiarum habet locum; nimirùm id diſcernendum eſſe ex circumſtantijs occurrentibus, ſcilicèt ex quantitate rei datæ, ex dantis conditione, & qualitate, ſi ſit amicus, conſanguineus, ſi dives, liberalis, ſi tales donationes facere ſolitus.

In quibus caſibus non præſumitur liberalis donatio?

42 In primis non præſumitur liberalis donatio, ſi mutuans, licèt non petierit aliquid ſupra ſortem; ſigna tamen dedit, quibus inſinuavit ſe ex mutuo velle lucrum accipere (vtique immediatè, & vt pretium, vel debitum ex juſtitia : ſi autem ſolùm inſinuet ſe velle aliquid mediatè, & media liberalitate, & gratia alterius, iam diximus *num.*34.) vt docet Soto *lib.6.de juſtit. q.* 1. *art.* 4. *§. Reſtat autem.* Medina C. *de rebus per vſuram acquirend. q.*14.*§.Tertia cauſa*, D.Antonin.2.*p. tit.* 1. *cap.* 7. *§.6.* ¶ Et ſimilitèr eſt ſignum non donari, quando mutuatarius petit lucrum, vt ſubveniat ſuæ inopiæ; *Eo quod ille, qui dat vſuram* (inquit D. Thom. *q.*78.*art.*1.*ad* 7.) *non ſimpliciter voluntariè dat, ſed tum quadam neceſsitate, in quantum indiget accipere pecuniam mutuò, quam ille, qui habet, non vult ſine vſura mutuare*: vel ſi non ſolet eſſe liberalis, & talia dare : ſi munus ante ſortis ſolutionem offeratur, quia dari præſumi poteſt, vt terminus ſolutionis prorogetur: ſi munus offeratur vſurario, qui nunquam ſolet mutuare, niſi pro intereſſe.

In quibus caſibus liberalis donatio præſumatur?

43 At poteſt præſumi donatio, quoties mutuatarius ſua ſponte aliquid offert ſupra ſortem, quando dans mutuum, nec directè, nec inditectè illud petijt, nec ſigna illud volendi dedit, niſi aliàs ſigna in contrarium appareant: quia, vt optimè inquit D. Antonin. *vbi proximè §.*7. etiamſi ſit aliquod ſignum, vel etiam multa, quæ præſumptionem donationis indigitent, ſi ſint alia in contrarium fortiora ſigna, non debet præſumi donatio ; vel è contra, etiamſi ſigna appareant, quæ talem præſumptionem denegent, ſi ſint alia fortiora pro illa, poteſt præſumi donatio: quia, vt dicitur in jure: *Præſumptio præſumptione retunditur, ſeu eluditur.* Vndè infert Sanctus Doctor: *Et multo fortius, ſi donantis ſcriptura conſtaret, quod libentèr ſolvit, non coactus, cùm tunc non ſit locus conjecturis. Et ita iam vidi conſultum per multos Doctores famoſiſsimos. Sed ego id verum credo, niſi per redditionem vſurarum probaretur tale quid, per quod de fraude conſtaret.* Itaque ſecundùm doctrinam Sancti Antonini, ſi mutuatarius ſcriptis aſſereret ſe liberalitèr ſupra ſortem donare, non eſſet vſura illud accipere, niſi conſtaret in fraudem vſurarum talia ſcripſiſſe, quia nimirùm coactus fecit ; eo quod alio modo non poterat mutuum, quod deſiderat, accipere.

Limitatio aliquorum, quæ non admittitur.

44 Sed limitant iſtam doctrinam Medina *ſupra §. Hinc apparet*, Petr.Navar. *lib.3.de reſtit.cap.* 2.*dub.*10.*§. Poſtremo*, ad caſum, quo ex neceſsitate mutuum non exigeretur : quia non eſt donatio libera, ſed coacta, quæ fit ob neceſsitatem, quia ſi ſine illa mutuum poſſet habere, non donaret. At ſi mutuum peteretur non ad neceſſarios vſus, ſed vel ad ludendum, ad lucrandum, ad augendos ſuos redditus, ad res profanas, &c. poſſet ex tali ſcriptura præſumi donatio. Sed hanc limitationem non admittit Dicaſtill. *lib.*2.*tract.*10. *diſp.* 2. *num.* 293. Quia licèt neceſsitas ſit plerumque ſignum ad præſumendum non donari, fortius tamen ſunt ſignum ad præſumendum donationem expreſſa dantis verba, vel ſcriptura edita ex ſe, ſine vlla coactione facta per dantem mutuum. Illa autem coactio, quæ præciſa eſt à neceſsitate, eſt ab intrinſeco, quæ non tollit ſimplicitèr voluntarium: & licet non donaſſet, niſi ab ea excitatus fuiſſet ; liberè tamen donat, & eligit donationem, vt neceſsitatem repellat.

PUNCTUM VII.

An, ſi mutuatori res aliqua fructus ferre nata conſtituatur in pignus debiti, poſsit fructus ex ea percipere, non computando illos in ſortem?

In quibus caſibus loquamur in præſenti?

45 NOn loquimur in caſu, quo pignus vendatur cum pacto retrovendendi, quia tunc fructus medio tempore percepti pertinerę ad emptorem diximus *cap. præcedent. num.*

num. 23. & 65. sed quando quis accipit mutuum, & in pignus constituit domum, v. g. fundum, aut equum; & tunc quærimus, an si domus locetur, equus conducatur, ager colatur, fructus, aut pensiones receptæ possint a mutuante accipi vltra sortem, interim ac mutuatarius non solvit? Et non est dubium, posse deducere expensas, & æstimationem laboris, quem in colendis agris, in conservando pignore, fructibusve capiendis adhibuit: quia ipse non debet, aut gratis debitori inservire, aut cum sui jactura rem alterius conservare, aut fructus percipere. Et hoc non solùm est verum de expensis necessarijs ad rem conservandam, sed etiam vtilibus ad meliorandam ipsam, vt diximus *tract. præced. cap.* 1. *n.* 80. Nec loquimur quando tales fructus accipit, vel ratione lucri cessantis, & damni emergentis, vel in pœnam non soluti debiti tempore præfixo, vel ob donationem gratuitam mutuatarij; nam ob hos titulos ex dictis, & ex dicendis constabit, licitè posse tales fructus accipere. Sed, his omnibus præcisis, quæritur, an si domum in pignus mutui accipias, possis eam locare, & pensionem vltra sortem recipere? An verò debeas locationis pretium reddere mutuatario, vel illud in sortem computare?

Fructus pignoris accipi non possunt à mutuante.

46 Respondetur omninò negativè, sed esse vsuram fructus pignoris recipere, eos non in sorte computando. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. & cum eo omnes Doctores; quia mutuatarius dans pignus in securitatem sortis, retinet illius pignoris dominium; & cùm res domino fructificet, fructus talis rei pertinent ad ipsum: ergò si mutuans vellet illos sibi retinere, & posteà capitale integrum accipere, lucrum ob mutuum vltra sortem caperet; quod est vsura. Atque ita diffinitum est jure canonico, *cap.* 1. & 2. cap. *Conquestus, de vsuris*, cap. *Cùm contra*, cap. *Significante, de pignoribus*, cap. *Ad nostram* 1. *de jure jurando*, & jure Cæsareo, *leg.* 1. *C. de distract. pignor.* ¶ Imò non solùm debet mutuans fructus pignoris, quos percepit, mutuatario reddere; sed etiã qui ex culpa lata ipsius non colliguntur, quanti spes illorum æstimabatur, deductis expensis: nam debebat in re illa custodienda eam curam apponere, quam vigilans, & prudens custos adhiberet. Vndè si eius negligentia ager non colatur, domus non locetur, debet mutuatario compensare fructus alioqui colligendos. Salas *de vsur. dub.* 28. *n.* 9. Vazq. *opusc. de pignor. cap.* 5. *§.* 1. *n.* 32. Palaus *disp.* 4. *punct.* 19. *num.* 4.

Quale sit pactũ legis commissoriæ in pignoribus?

47 Sed inquires primò, vtrum in contractu mutui licitum sit pactum *legi commissoriæ* in pignoribus? Pactum *legis commissoriæ* sic dicitur, non quia ab aliqua lege sic nuncupetur, sed quia obtinet nomen à conventione partium, quæ legis vicem gerit, fitque dupliciter: primò in contractu emptionis, & venditionis, modo quo diximus *cap. præced. n.* 21. secundò in pignoribus, quando quis pignus accipit pro mutuo, vel pro alio debito, ea conditione, quòd si non solvat termino præfixo, pignus sit mutuatoris, vel alterius creditoris, vel vt venditum habeatur. Et dicitur *legis commissoriæ*, eo quod, si non solvat, incidat in commissum, id est, amittat jus rei suæ debitor, seu mutuatarius. Igitur esse per se illicitum, & nullum tale pactum ob vsuræ præsumptionem, constat *leg.* 1. & *vlt. Cod. de pactis pignor.* cap. *Significante, de pignor.* quia cum pignus regulariter superet debitum, in cuius securitatem constituitur, si conventio fiat, vt, creditore debitum non solvente, amittat pignus, & transeat ad mutuantem dominium eius, esset ob datum mutuum aliquod lucrum velle accipere, & amplius retinere, quàm dedit. Sic Sylvest. *verb. Pactum, q.* 14. Navarr. *cap.* 17. *n.* 203. Reginald. *lib.* 25. *n.* 232. Castr. Palao, *tract.* 32. *disp.* 4. *punct.* 23. *n.* 2. Bonac. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 8. *n.* 2. Covar. 3. *variar. cap.* 2. *n.* 7. Salas *de vsuris, dub.* 32. *n.* 1. Azor 3. *p. lib.* 7. *cap.* 10. Villalob. 2. *p. tract.* 22. *diffic.* 3. Salon. *tom.* 2. *de contract. pignor. n.* 10. *fol.* 694. Rebel. *lib.* 16. *q. vnic. de pactis, leg. Comis. fol.* 838. Trull. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 11. *n.* 14.

48 Diximus, per se esse illicitum talem contractum: nam si pignus non plus valet quàm debitum, nulla vsura erit, si in pactum deducatur: quòd, si certo tempore non solvat, pignus habeatur, vt emptum justo pretio (& etiamsi non ponatur justo pretio, supponitur.) Imò etiamsi supra sortem valeat plus pignus, potest apponi conditio, vt si intra tale tempus non solvat, justo pretio vendatur, & creditor retineat, quod suum est, & reliquum reddat debitori: eò quòd tunc nihil vltra sortem accipitur; neque hoc fit ob gravamen pro mutuo, sed vt mutuator seipsum servet indemnem: constat autem mutuantem posse pactum apponere, quo seipsum indemnem conservet, vt docent Authores præcitati. Quorum aliqui etiam dicunt, quòd si ponatur conditio, quòd debitor si tali tempore non solvat, in pœnam fidei fractæ, jus ad pignus amittat, poterit justè debitor tale pignus retinere, etiamsi plusquam capitale valeat, modo quo infrà dicemus de pœnis mutuo adiectis. Ita Reginald. Salon. Bonacin. Azor. Trullench. Rebell. & Salas. Alij id negant, vt Vazquez, Palaus, Covarr. Nam finis, & causa, ob quam pactum legis commissoriæ in pactis reprobatur, est, ne occasione dilatæ solutionis creditor rem debitoris minùs justo habeat, & aliquid vltra sortem acquirat: quod in tali casu reperiri nemo ambigit.

In quo casu liceat pactum legis commissoriæ in pignoribus?

Quid de fructibus pignoris dotalis?

49 Inquires secundò, an fructus pignoris dotalis non computari possint in dotem sibi à socero, vel alio promissam; ita vt non sit vsura recipere vltra capitale dotis fructus ex pignore dotali perceptos? Affirmativè respondendum est, quia ita decisum est ab Innocent. III. in cap. *Salubriter*, *de vsuris*, vbi sic dicit summus Pontifex: *Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ computandos in sortem non credimus compellendum, cùm frequentèr dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.* Et in hoc omnes Authores conveniunt, quamvis varient in explicando, quomodo Pontifex hoc ab vsura possit liberare. Nam Bañez 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *dub.* 6. Cordub. *q.* 230. & 231. Tapia *lib.* 5. *q.* 17. *art.* 10. *n.* 4. dicunt, non posse generum ex vi mutui, & ob dotem non solutam fructus pignoris dotalis accipere, quia hoc esset vsura; sed hoc posse ex concessione Pontificis in favorem matrimonij, & ad onera illius sustinenda. At verò Soto *lib.* 6. *q.* 1. *art.* 2. *ad vltim.* Petrus Navar. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 2. *part.* 2. *dub.* 11. D. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 7. *§.* 27. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 10. *disp.* 2. *num.* 307. dicunt, fructus pignoris dotalis non computandos in sortem, occasione lucri cessantis, vel damni emergentis ex non soluta dote: cessat enim genero lucrum, cùm posset, soluta dote, possessiones emere, ex quarum fructibus vxorem, & filios alat; & patitur damnum vxorem sustentando, onera-que matrimonij sustinendo, dote non tradita; cùm socer teneatur filiam alere, vel dotare. Medina verò,

verò, Cod. *de restitut. de rebus per vsuras acquisitis, quæst. 2. §. Ad caput, salubritèr*, dicit, posse genetum fructus pignoris dotalis percipere ex præsumpta soceri voluntate.

Pignoris fructus dotalis, vt partem dotis, potest gener accipere.

50 Sed meliùs dicendum est, posse generum fructum pignoris dotalis percipere, non ob dilationem dotis, sed vt partem dotis; nam sicut multoties assignantur alimenta præter dotem ad sustinenda onera matrimonij; sic præter dotem potest assignari fructus pignoris, vt socer interim fruatur illis loco dotis; quia sicut illi datur tota dos ad sustinenda onera matrimonij per totam vitam, sic potest recipere fructum pignoris, vt pars dotis, qua fruatur pro illo tempore, quo caret dote: & idem est de qualibet alia quantitate à dotante assignata, præter capitale dotis: & hoc, præciso lucro cessante, aut damno emergente; quia aliàs, si non esset negotiaturus per dotem, non posset fructus pignoris accipere; quod omnes negant. Sed quamvis tales fructus sint pars dotis, non propterea manent privativè sub dominio vxoris, sicut ipsa dos, ita vt non debeant distrahi à marito, & post mortem vxoris debeant in integrum reddi hæredibus eius; sed sicut, cùm recipit alimenta, vt partem dotis, ipsorum est vir administrator, & dominus: sic & talium fructuum, qui sunt quasi fructus dotis, cuius ipse est vsufructuarius. Sic Villalob. *tract. 22. diffic. 12. num. 1.* Rebellus *2. part. lib. 8. quæst. 12. num. 2.* Palaus *disp. 4. punct. 20. num. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 16. num. 141.* Salas *de vsuris, dub. 28. num. 7. & 8.* Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 14. n. 6.* Bonac. *disp. 3. quæst. 3. punct. 9. num. 1.*

Ampliationes præcedentis doctrinæ.

51 Quod diximus numero præcedenti, intelligendum est, etiamsi fructus pignoris onera matrimonij excedant (quod plures immeritò negant:) quia hoc non officit, quominus ad onera matrimonij concedantur; sed solùm probat non concedi avarè, & limitatè, sed superabundantèr, & generosè, sicut cùm dos ingens ad onera matrimonij assignatur. Salas *dub. 29. num. 10.* Bañez *2. 2. quæst. 68. art. 2. pag. 605. col. 2.* Tapia *num. 4.* Trullench *num. 6.* Palaus, *num. 12.* Sed dicta intelligenda sunt, cùm pignus absolutè conceditur. At si expressè concederetur in securitatem dotis promissæ; vel restituendi sunt, vel computandi in sortem; quia non censentur constitui in partem dotis, sed ad securitatem dotis, sicut alia pignora ad securitatem debiti constituuntur, vt Lessius, Rebellus, Palaus, Salas, Trullench, & Bonacina docent. ¶ Similitèr intelligenda sunt, si pignus tradatur, aut promittatur, cùm dos constituitur; secus si, iam constituta dote, & obligato genero ad matrimonij onera sustinenda, postmodùm recipiat pignus, dum dos non solvitur: tunc enim vsura esset fructus in sortem non computare, quia tunc fructus pignoris non censentur concedi, vt pars dotis, vel vt pretium oneris matrimonij, cùm iam hoc venditum sit ad obligationem dotis promissæ: & sic solùm ob expectationem solutionis dotis viderentur exacti, quod est vsura. Sylvest. *vsura 3. quæst. 2. & 3.* Salas *num. 12.* Rebellus *num. 3.* Palaus *num. 11.*

Quo casu non potest gener fructus pignoris dotalis accipere?

52 Similitèr non poterit gener fructus pignoris dotalis percipere, non computando eos in sortem dotis, si onera matrimonij non sustineat; quia socer se obligat ad alimenta præstanda, & eum cum vxore, ac liberis domi suæ retinendum, quia iam cessat finis illius concessionis, & non censentur vt pars dotis, sed in securitatem dotis constitui. Ita Trullench *num. 7.* Villalob. *num. 3.* Rebell. *num. 7.* Molina *tom. 2. disp. 371. circa finem.* Sed hoc limitat Palaus *num. 9.* & Salas *numer. 10.* cùm pater filiam alit; quia gener non satisfacit suæ obligationi, secus si paratus esset onera matrimonij sustinere; quia per ipsum non stat, quominus onus, ob quod illud pretium assignatur, sustineat. ¶ Sed, mortua vxore, non posse generum, nisi ob lucrum cessans, aut damnum emergens, tales fructus propter dotem accipere, tenet Lessius *n. 143.* Bonacin. *loco citato.* Villalob. *num. 6.* Tapia *num. 5.* Et idem dicunt de ipsa vxore, dissoluto matrimonio; quia iam cessat finis, ob quem illos percipere posse diximus; eo quòd non habeat onera matrimonij, quæ sustinere possit. Sed meliùs Aragon *2. 2. quæst. 78. art. 3.* Bañez *art. 2. fol. 606. column. 2. concluf. 4.* Soto *lib. 6. quæst. 1. art. 2.* Trullench *num. 10.* asserunt, posse maritum tales fructus eodem modo, ac durante matrimonio percipere; quia adhuc, illo soluto, permanent onera matrimonij, cùm teneatur filios alere, & familiam: & idem proportionabilitèr dicendum est de vxore, mortuo marito; quia etiam dos datur ad subievanda onera matrimonij, & tamen illa fungitur, marito mortuo.

PUNCTUM VIII.

De pactis mutuo additis, quæ faciunt contractum vsurarium.

Doctrina fundamentalis D. Thomæ præmittitur.

53 SOlent mutuantes, cùm se non posse videant ob mutuum supra sortem aliquid recipere, aliqua onera mutui contractui superaddere pretio æstimabila, & ad plura ex vi mutui mutuatarium obligare, quo suam vsuram palliare contendunt, quæ in hoc puncto examinabimus, investigantes pactiones licitas, vel illicitas, quæ possunt mutuo apponi. Et relictis pluribus, quæ hic ab Authoribus fusiùs examinantur, quatuor pacta, quæ solent mutuo adiungi, & vt onera mutuatario apponi, modò discutiemus, quod diversis paragraphis claritatis gratiâ explicabimus. Sed præ omnibus libuit præmittere, vt fundamentum dicendorũ id, quod docet D. Thomas *2. 2. quæst. 78. art. 2.* circa hanc materiam, quem omnes in hac parte sequuntur. Primò igitur asserit D. Thomas, quod quicumque pro mutuo ex pacto tacito, vel expresso, ac proinde vt debitum ex justitia, quodcumque munus acceperit, vel onus imposuerit pretio æstimabile, peccat contra justitiam, & vsuram committit; quia, secundùm Philosoph. *4. Ethicor cap. 1.* omne illud pro pecunia habetur, cuius pretium potest pecunia mensurari. Vnde sicut, si aliquis pro pecunia, aut alia re vsu consumptibili mutuata, pecuniam ex pacto tacito, vel expresso acciperet, esset vsurarius; sic qui aliquid pretio æstimabile vult accipere, nisi accipiat illud non quasi exigens, nec ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum. Secundò dicit, quòd licet pro pecunia mutuata exigere recõpensationem eorum, quæ pecunia non mensurantur, v.g. benevolentiam, vel amorem eius, qui mutuavit, vel aliquid huiusmodi.

§. I.

Vtrùm ex mutuo posſit in pactum deduci amicitiæ, vel injuriæ condonatio?

Quomodo amicitia posſit deduci in pactũ mutui?

54 CIrca amicitiam ferè nulla eſt difficultas inter Doctores, poſſe in pactum deduci pro mutuo, vt inquit D. Thom. *art. 2. in fine corporis*, quia non eſt pretio, ſeu pecunia æſtimabilis: & idem eſt de ſignis amicitiæ, familiaritatis, vrbanitatis, cùm abſque incommodo, & moleſtia mutuatarij poſſunt exhiberi. Igitur circa condonationem injuriæ devolvitur tota difficultas. Et non loquimur, quando mutuans ſolùm exigit, vt privatam vindictam condonet; quia cum mutuatarius non habeat jus ad illam, petit quòd alius aliàs debebat ex juſtitia facere; & ſic licitè poteſt in pactum deduci, vt inquit Leſsius *lib. 2. cap. 20. dub. 7. n. 57.* Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 5. n. 2.* Bonac. *diſp. 3. q. 3. punct. 3. n. 16* Lugo *diſp. 25. ſect. 5. n. 38.* ¶ Et generalitèr quidquid erat aliàs debitum ex juſtitia, poteſt à mutuante exigi ex pacto ratione mutui; vt ſi perſecutori mutuet, vt ceſſet ab exactione; ſi mutuet ei, cuius operas antea ſolverat, vt exhibeat eas: ſi ei centum mutuet, qui aliàs centum debebat, vt ſimul cum mutuo centum debita ſolvat, ſuppoſito quòd ſit liquidum debitum, vt habetur *cap. 1. de vſuris*, *cap. Dominus*, 23. *q. 2. cap. vlt. quæſt.* 14. Quia hìc nullum eſt lucrum, ſed redemptio propriæ vexationis; neque imponitur mutuatario obligatio, quàm antea non haberet. Trullench *dub. 6. n. 7.* Leſsius *dub. 8. n. 18.* Caietan. 2. 2. *q. 78. art. 2.* Silveſt. *vſura 1. q. 8.* Malder. *tract. 5. cap. 3. dub. 4. concl. 5.* Palaus, *diſp. 4. punct. 14. num. 1.* Prado *cap. 28. q. 2. n. 4.*

Obligare ad reddẽda debita aliàs ob mutuũ, non eſt vſura.

55 An verò poſsit in pactum deducere, vt ſibi, vel alteri reddat, quæ ſunt ſolùm debita ex charitate, vel religione, vti eſt obligatus Medicus, quando alius non eſt, ſoluto ſtipendio, mederi; Advocatus patrocinari, dives proximo gravitèr egenti ſuccurrere; vel ſi eſſet obligatus ex voto ad aliquam eleemoſinam præſtandam, & tu ex vi mutui exigeres, vt votum illud exequeretur; vel ſi compelleres vi mutui, vt miſſam audiret, ſacramenta reciperet, cùm aliàs ex eccleſiæ præcepto teneretur. Negat id poſſe fieri ſine vſura Trullench *dub. 6. citato n. 7.* Bonac. *diſp. 3. q. 3. punct. 3. n. 7.* Covarr. 3. *variar. c. 1. n. 2.* Reginald. *lib. 23. n. 44.* & *lib. 25. n. 191.* Azor 3. *part. lib. 5. cap. 7. quæſit. 15.* & *lib. 7. cap. 7. q. 5.* Salas *de vſuris*, *lib. 9. n. 4.* Quia mutuans per huiuſmodi pactum imponit mutuatario obligationem, & gravamen, quòd non habebat; ſiquidem antea ſolum ex charitate, religione, aut obedientia tenebatur; modò etiam ex juſtitia, & ſic manet obligatus ad damna ſubſequuta, vel ad aliquid faciendum, ad quod non tenebatur antea, ex charitatis obligatione. ¶ Sed meliùs dicendum eſt, ibi nullam dari vſuram, quia obligatio civilis, quæ obligationi ex charitate, vel religione ſuperaddita eſt, non habet rationem pretij; quia non tàm cedit in vtilitatem mutuantis, quàm mutuatarij, quem obligat, vt non deficiat ab obligatione, quam habebat, & ſic eam non debet oneroſam reputare. Accedit, quòd ex omnium ſententia poteſt adduci in pactum mutui, quòd alter deſiſtat ab injuria quam mutuanti, vel alteri inferre nitebatur; ſed quando petit, vt adimpleat, quæ ex charitate, obedientia, &c. tenetur facere, obligat, vt deſiſtat ab injuria, quam Deo, vel eius charitati irrogat, ea non faciendo: ergo nihil indebitum exigit, & ſic non erit vſura talem adimplerionem ex vi mutui deducere in pactum. Ita Ioan. de Medina, *quæſt. 4. de vſuris*, *§. Iam patet.* Molina *diſp. 309. poſt initium*, Lugo *diſp. 25. ſect. 5. n. 49.* Petrus Navarra *lib. 3. cap. 2. n. 356.* Palaus *diſp. 14. punct. 14. n. 3.* & indicat Leſsius *lib. 2. cap. 20. dub. 8.* & tenet Valent. à Bonacin. citatus.

Quo caſu ſit licitum obligare ob mutuum ad condonationem injuriæ?

56 Difficultas ergò eſt, quando ratione mutui obligatur mutuatarius ad condonationem injuriæ, ad quam nec ex juſtitia, nec ex charitate tenebatur, ſed habebat jus exigendi vindictam, vel ſatisfactionem per publicam poteſtatem. Et quidem ſi ego iam ſim in pecunijs à Iudice condemnatus propter injuriam alteri factam, certum eſt, eſſe vſuram condonationem illarum exigere ob mutuum: quia eſſet debitum pecuniarium velle extinguere, quod eſt velle pecuniam propter mutuum, vt rectè docet Soto, *lib. 6. q. 1. art. 2. §. Exiſtit.* Vbi etiam docet, licere talem condonationem procurare, non quidem ob mutuum immediatè, ſed ratione amicitiæ per mutuum genitæ: & eodem modò procurare remiſsionem injuriæ, depoſitionem odij & rancoris. Quæritur ergò, an obligare mutuatarium ad condonationem injuriæ factæ præcisè ob mutuum, ſit vſura?

Abſque pacto ex juſtitia poteſt obligari mutuatarius ad remittẽdam offenſam.

57 Negat prima ſententia, eſſe contractum vſurarium: quia licèt honor, & fama, cuius læſionis condonationem intendit, pecunia poſſet æſtimari, tamen ex natura ſua jure amicitiæ ſolet condonari. Quarè illud pactum non eſt niſi amicitiæ fœdus. Ita Soto loco proximè citato. Silveſter, *verb. Vſura 1. §. 11.* Navar. *cap. 17. n. 238.* ¶ Econtra affirmat ſecunda ſententia; quia vi mutui obligaretur ad aliquid præſtandum, quod pretio æſtimari debet, & ex obligatione antidorali fieret obligatio civilis pretio æſtimabilis. Ita Lugo *diſp. 25. ſect. 8. n. 38.* Bonacin. *diſp. 3. quæſt. 3. punct. 3. n. 16.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 1.* Petrus Navarr. *lib. 3. cap. 2. num. 286.* Palaus *diſp. 4. punct. 10. n. 3.* ¶ Sed concordari poſſunt, vt ſecunda ſententia locum habeat, quando pactum eſt juſtitiæ, ex vi mutui obligans ad remiſsionem injuriæ. Prima verò, quando pactum eſt fœdus amicitiæ, vel gratitudinis: ita vt ex illa in eodem genere exigatur, amicitiam provocando, vt liberè & libenter injuriam remittat. Ita Malder. *tract. 5. cap. 3. dub. 7.* Serra 2. 2. *quæſt. 78. art. 2. dub. 1.* Prado *cap. 28. quæſt. 2. n. 7.* Leſsius *lib. 2. cap. 20. dub. 7.* Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 5. n. 3.* ¶ Sed in praxi abſtinendum eſt ab huiuſmodi pactis amicitiæ; nam facile ſic ſolet palliari vſura, & ſimonia; & ideò in foro externo huiuſmodi pactiones, vt vſurariæ puniuntur, vt inquit Trullench *dub. 7. num. 2.*

Quomodo deducere in pretium mutui collationem officij, vel beneficij, ſit vſura?

58 Sed inquires, vtrum ſit pactum vſurarium in mutuum dare, vt quis officium, vel beneficium recipiat? Et quidem ſi ſolùm deducatur in pactum, vt officium, beneficium, aut privilegium conferatur mutuanti, non ſub obligatione juſtitiæ, ſed antidorali amicitiæ, liberalitatis, gratitudinis (etſi abſtinendum ſit ab huiuſmodi pactis, quia illis frequentèr palliantur vſuræ, & ſimoniæ; vt dictum eſt ſupra *n.* 34. quia alius, licèt exterius dicat ex amicitia donare, verè multoties non confert niſi neceſsitate coactus mutuum recipiendi) non erit vſura (hoc eſt, ſpeculativè, vel practicè fortè in aliquo caſu raro particulari, & per accidens, ad quod lex prohibitiva Summi Pontif. non attendit) beneficium, vel officium

cium ob mutuum petere, & accipere, vt omnes Doctores, quos viderim, docent; quia omnes ſolùm obligationem juſtitiæ, (quæ in prædictis pactis regulariter invenitur) ad aliquid dandum ſupra ſortem, dicunt conſtituere vſuram. At ſi officium, v. g. ſæculare petatur, vt pretium mutui, & ex vi illius immediatè vt debitum ex juſtitia, quamvis Petrus Navarra *lib. 3. cap. 2. n. 123.* Adrianus *in 4. de reſtit. §. Ex his ſuboritur*, quòd videtur ſequi Dian. *1. part. tract. 8. reſol. 61.* & non improbabile dicit Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 7. num. 1.* dicant, quòd ſi digno conferatur officium, & fructus operas non excedant, non eſſet vſura. Communis tamen ſententia tenet oppoſitum cum D. Thoma *opuſc. 21. ad Ducisſam Brabantiæ, q. 5. dub. 2.* vbi ſic ait: *Quod ſi hoc pacto mutuum dant, vt officium accipiant, abſque dubio pactum eſt vſurarium; quia pro mutuo accipiunt officij poteſtatem: vnde in hoc datis eis occaſionem peccandi, & ipſi etiam tunc tenentur reſignare officio talitèr acquiſito.* Et meritò, præcipuè ſi mutuatarius illud officium poſſet ſibi retinere, aut vendere, quia cogitur acceptare propter mutuum novum onus: & licèt illud vellet gratis conferre alicui, ſua privatur libertate ab conferendum liberè cui vellet, quod eſt etiam magnum onus. Lugo *diſp. 25. n. 41.* Prado, *cap. 28. q. 2. n. 9.* Reginald. *lib. 25. n. 200.* Leſsius *lib. 2. cap. 20. num. 62.* Malderus *tract. 5. cap. 3. dub. 6. concl. 3.* Salas *de vſuris, dub. 13. concluſ. 2.* Bonacin. *diſp. 3. quæſt. 3. punct. 3. num. 4.*

Sitne invalida dicta collatio officij, vel beneficij.

59 Sed eſſe validam talem collationem (tametſi aliqui hoc negent) meritò docet Lugo *n. 42.* Salas *n. 1. & 5.* referens Conrad. & Arag. Prado *num. 10.* Nam contractus, ſive oneroſi, ſive gratuiti, facti ex voluntario commixto involuntario, validi ſunt, vt ſuprà *cap. 1. num. 11.* diximus de contractibus gravi metu initis: vndè licèt iſte ſit huiuſmodi, non erit irritus. Sed hoc non tollit, quòd debeat vſurarius reddere collatori officium, quod accepit, vt tradit D. Thomas, *loco citato*, & cum eo Prado *n. 12.* Reginald. *n. 203.* Salas *dub. 9. num. 4.* Bonac. *n. 5.* Quia collator injuſtè fuit privatus libertate dandi illud cui voluerit: quoties autem, qui paſſus eſt injuriam, poteſt in priſtinum ſtatum reſtitui, ad id obligat juſtitia. Scio aliquos id negare, inter quos Aragon *2. 2. q. 78. art. 2. dub. 3. circa ſecundam concluſionem, fol. 683. column. 2.* aſſerentes, quòd qui accipit officium, non tenetur illud reſignare, ſi dignus fuerit, quia eſt rerum æqualitas, quantum attinet ad ipſum officium, & ita quoad hoc non eſt obligatio reſtituendi: teneretur autem aliquid reſtituere arbitrio boni viri, ob gravamen obligationis, quam vltra ſortem impoſuit. Verius tamen eſt id, quod diximus. Sed limitat Lugo *n. 43.* (nec diſplicet Prado *n. 13.*) quòd quando prima collatio officij pertinet ad vnum, & in tempore reſignationis ad alium, non videtur vſurarius obligatus ad reſtitutionem officij; quia acquiſita per vſuram reſtituenda ſunt ei, qui injuriam paſſus eſt: ſi ergò ei reſtitui non poteſt, nec ei prodeſt talis reſtitutio, ſufficiet reddere ei, quantum arbitrio boni viri æſtimari poterat facultas illa libera conferendi, qua injuſtè privatus eſt. Sed monet Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 9. num. 62.* Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 7. num. 2.* quòd ſi præſumeretur, collatorem nolle illum obligare ad relinquendum officium, vt frequentèr fit, poſſet illud retinere.

Aliqua notatu digna.

60 Sed nota primò, eſſe peccatum vſuræ, & ſimoniæ, ſi in mutuo fiat pactum de conferendo beneficio eccleſiaſtico mutuatori. Eſſe quidem ſimoniacum, omnes concedunt; quia, ſive mutuum ſit aliquid pretio æſtimabile, ſive non, ſufficit eſſe aliquod bonum temporale, pro quo datur beneficium eccleſiaſticum ad ſimoniam, & vt debeat beneficium relinqui, fructuſque percepti reſtitui; quia collatio ſimoniaca nulla eſt, & ſic abſque titulo aliquo tales fructus accepti ſunt. Sed eſſe vſuram probatur, quia beneficium includit aliquid temporale; & quia libertas conferendi beneficium, cui voluerit, qua ſe privat mutuatarius, eſt pretio æſtimabilis. Ita Lugo *diſp. 25. num. 45.* Reginald. *lib. 25. n. 202.* Malder. *tract. 5. cap. 3. dub. 3. concl. 2.* Diana *1. part. tract. 80. reſol. 61.* Bonac. *diſp. 3. q. 3. punct. 3. n. 4.* Trullench *dub. 7. num. 3.* ¶ Nota ſecundò eſſe etiam vſuram mutuare cum pacto, vt alius præſtet munus, & officium *à lingua, ab obſequio*, & *à manu. A lingua*, vt alloqui Regem pro eo, canere, ipſum laudare, & extollere. *Ab obſequio*, vt exhibere officia particularia, vel ſigna amicitiæ, comitare domum, diſcooperire caput, ſalutare, &c. *A manu*, vt colere agrum, ſuas operas illi dicare. Item committit vſuram, qui mutuat Medico hoc pacto, vt debeat curare, & mederi: Advocato, vt teneatur defendere: ruſtico, vt teneatur iter facere, etiam juſto pretio, ſi ad hæc civilitèr, & ex juſtitia obliget. Similitèr qui dat mutuum fœminæ cum intentione, vel pacto, vt ſui copiam faciat in pretium mutui; ſecùs ſi immediatè intendat amicitiam, &, media ea, copulam extorquere. Hæc, & alia videri poterunt apud præcitatos Auctores, præcipuè Bonac. *à num. 3. vſque ad 13.* Trullench *lib. 7. cap. 18. dub. 6. num. 6.*

§. II.

Vtrùm ex mutuo poſſit obligari mutuatarius ad remutuandum, vel vt præſtet quæ ex naturali gratitudine tenebatur præſtare?

Quomodo non ſit vſura obligare ad remutuandum?

61 ALiud pactum ſolet mutuo addi, quo mutuatarius obligatur ad remutuandum, quoties mutuans indiguerit; vel vt juſto pretio emat à mutuante, vt in eius molendino molat, vt illius agrum juſto pretio colat, vt eius ſcholas frequentet, domum locet, & alia huiuſmodi, quæ aliàs ex gratitudine debebat facere. Et quidem ſi pactum ſolùm ſit fœdus amicitiæ, quo intendit alium ex amicitia & benevolentia movere ad ea præſtanda, non eſt dubium id fieri poſſe, rariſsimè in aliquo caſu particulari abſque labe vſuræ, vt diximus *§. præcedenti*; quamvis ſemper moneamus, vt Summi Pontif. decretis pareamus, abſtinendum eſt ab huiuſmodi pactis, quæ faciem vſuræ præſeferunt; & multoties eorum facie vera, & realis vſura palliatur. At verò ſi ſit pactum obligatio juſtitiæ, ſi ex parte vtriuſque ex æquo detur, non eſt vſura; vt ſi mutuans obliget mutuatarium ad remutuandum, quoties indiguerit, & ipſe ſe obliget ad mutuandum ſimilitèr illi; quia hic nulla eſt injuſtitia, cùm obligatio ſit ex parte vtriuſque æqualis. Quæritur ergò quando non eſt ita, ſed ſolus mutuatarius obligaretur ex vi mutui, & ſub pacto, & conventione obligationis civilis ad iterum, & iterum mutuandum: & idem eſt de alijs obſequijs recenſitis.

Mutuare, vt ſtatim remutues, nõ eſt vſura.

62 Sed nota ex Maldero *tract. 5. cap. 3. dub. 4. concl. 2.* Diana *1. p. tr. 8. reſ. 60.* Leſsio *lib. 2. cap. 20. dub. 8. n. 53.* Villalob. *tom. 2. tr. 22. diffic. 4. n. 3.* non eſſe

esse vsuram, si mutuem tibi pecuniam ea lege, vt statim mihi remutues frumentum, vinum, oleum, &c. modò hoc tibi non sit magis damnosum, quàm illud mihi: nam, vt inquit D. Thom. 2.2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 4. licet simul mutuanti vnum aliquod aliud mutuum recipere; non tamen licet eum obligare in posterum ad mutuandum. Et ratio est; quia postulanti à me officium amicitiæ, possum vicissim postulare idem officium, quod si præstare nolit, eum vt ingratum repellere; nec per hoc accipio aliquid supra sortem: nam pecunia reddenda correspondet sorti, & obligatio de præsenti mutuandi correspondet officio amicitiæ, quod de præsenti illi exhibeo: igitur non erit vsura, si mutuatario dicas: *Si vis à me mutuò obtinere pecunias, oportet te mihi mutuare frumentum, vel justo pretio vendere, vel locare mihi prædium, aliàs nihil obtinebis.* Sed diximus modò hoc illi non sit magis damnosum, quia si remutuare illi damnosum sit, eo quòd de facili non potest habere remutuum, vel sunt aliquæ expensæ faciendæ ad illud, certum est esse vsuram injustam, cùm non servetur æqualitas. Modò igitur quæstio est de obligatione in posterum mutuandi, vel alia præstandi officia, ad quæ alius ex gratitudine tenebatur.

Ea, quæ ex gratitudine debetur, posse ob mutuum exigi, dicit prima sententia.

63 Negat prima sententia, vsuram esse mutuum dare cum onere, vt alius in posterùm remutuet, aliave officia enumerata præstet: quia nihil petit, quod sit indebitum, & mutuatario oneroſum, & consequentèr, quod habere possit rationem pretij. Etenim obligatio ex gratitudine, estò non sit ita stricta, ac obligatio ex justitia, & charitate, vera tamen obligatio est, & quæ probum virum arctat: ergò sicut vi mutui exigere potes obligationem ex justitia, aut charitate; sic poteris exigere obligationem ex gratitudine. ¶ Secundò, quia non est vsura sine injustitia: nec injustitia realis sine obligatione restituendi; sed in nostro casu nulla est obligatio restituendi: ergo nec vsura. Probatur minor: nam si mutuo cum pacto, vt agrum meum colat, vt ex mea officina emat, vt in meo molendino molat, vt mihi postea remutuet, & illud pactum servanti justum pretium pro opera dedi, vel merces justo pretio vendidi, vel mutuum acceptum ad æqualitatem solvi, non videtur me ad aliquid restituendum manere, obligatum; & ideò in tali casu non committi vsuram, tenet Angelus, *verbo Vsura* 1. *n.* 4. Rodriguez *tom.* 2. *c.* 197. *n.* 5. Bañez 2.2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 2. *concl.* 3. Adrian. *in* 4. *de restit.* §. *Sed cõtra.* Aragon, Vega, & Salon, quos refert Diana 1. *p. tract.* 8. *resol.* 59. qui dicit: *Sed an hæc opinio sit probabilis, alijs judicandum relinquo.* Sed esse probabilem, docet Malder. *tract.* 5. *c.* 3. *dub.* 4. *concl.* 1. Barthol. à Sancto Fausto *disp.* 16. *q.* 20. *concluſ.* 3. Serra 2.2. *q.* 78. *art.* 2. *dub.* 1. *ad* 2. *in* 1. *solut.* Et non esse improbabilem, dicit Trullench. *lib.* 7. *c.* 19. *dub.* 6. *n.* 3. & valde inclinat in eam Lesius *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 4. *n.* 59. qui *num.* 61. absolutè id admittit casu, quo onus carendi pecunia tanto tempore par censeretur isti obligationi civili. Favet etiam Covarr. *variar. c.* 1. *à n.* 2. Navarr. *c.* 17. *n.* 223. quatenus docent, compelli posse, ex vi mutui, mutuatarium ad exequenda, quæ ex gratitudine tenetur, modò mutuans expresserit, se nolle aliam obligationem inducere, quam ex gratitudine. Sed nescio, quomodo aliam non inducant, si loquantur de obligatione civili, & ex vi pacti mutui, quæ semper intelligitur per modum obligationis ex justitia.

64 Asserendum itaque est, esse vsurarium contractum, obligare mutuatarium, ex vi mutui immediatè, obligatione civili, vt in posterum remutuet, vt in suo molendino molat, vt ex sua officina justo pretio emat, vt suas operas illi justo pretio locet; quia licèt istæ actiones gratis præstari soleant, obligatio ad illas est pretio æstimabilis, & est onus, quod mutuans sine vsura nequit mutuatario imponere. Etenim quòd quis obligetur, v.g. ad remutuandum, pretio comparari potest: & ideò, si quis pro tali obligatione pretium acciperet, nullam committeret injustitiam, vt omnes asserunt: ergo talem obligationem civilem ex mutuo exigere vt debitum, & ex vi pacti, est lucrum ex mutuo reportare, illam nimirum obligationem, quæ pretio aliquo est digna. Et similitèr quòd cogatur justo pretio à sua officina emere, est pretio æstimabile: quia licèt in pretio non gravetur, semper tamen in eo gravatur, quòd adimitur ei sua libertas, quæ est etiam pretio æstimabilis: semper ergò salvatur, quòd aliquid pretio dignum vult vltra sortem recipere, quod est vsura. Sic D. Thom. 2.2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 2. *& ad* 4. Prado *c.* 28. *q.* 2. *n.* 16. Lugo *disp.* 25. *sect.* 5. *n.* 47. Caiet. *verb. Vsura exterior, caſ.* 8. Salas *de vsuris, dub.* 9. *n.* 2. Palaus *tract.* 32. *disp.* 4. *punct.* 14. *n.* 5. Villalob. *tract.* 22. *diffic.* 4. *num.* 4. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 10. & probabiliorem esse, fatentur Diana, Serra, à Sancto Fausto, Trullench, Malder. *locis, num. præced. citatis.*

Vsura est obligare civiliter aliũ vt præstet, quæ ex gratitudine debebat præstare.

65 Nota, quòd si quis in similibus conventionibus sine vsura velit versari, non imponat mutuatario obligationem aliquam civilem, qua ex justitia velit illum obligare; neque aliquid exigat tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; quia hoc damnatum est ab Innoc. XI. Sed solum potest sperare aliquod munus gratuitum, quod mutuatarij solent ex gratitudine, & amicitia multoties tribuere. Talis enim gratitudo, & beneficientia inest ipsi naturæ mutui: obligatio autem civilis expressa, vel implicita ab eo est aliena, quæ absque dubio poneretur ab eo, qui titulo gratitudinis talia munera, officia, vel beneficia ratione mutui exigeret, atque adeò vsuram committeres. ¶ Ex quo patet ad primum argumentum contrarium. Et ad secundum dicimus, dari in tali casu obligationem restituendi, non quidem eorum, quæ sic lucratus est; vt si multi in eius officinam ad justo pretio emendum confluxerint ob mutuum datum; vel ex operibus alterius, quas justo pretio emit, multum sit fœneratus; sed sufficit pro satisfactione huius vsurarij, vt relaxet obligationem, quam induxit, & pro tempore quo alium ligatum habuit injustè, aliquid arbitrio prudenti recompenset, & si quid damni ob eam obligationem fuit passus. Lesius *n.* 57. Bonac. *punct.* 3. *num.* 9. Trullench *dub.* 3. *num.* 3. Lugo *num.* 50.

Quid est faciendum, vt non sit vsura dicta obligatio?

66 Infertur ex dictis, vsuram esse, si mutues ea conditione, vt mutuatarius ea conditione recipiat mutuum, vel partem eius in debito, quod tibi alius tertius debet, & quod non nisi expensis, ac labore potest recuperari, nisi ea compenses; quia vltra sortem principalem gravamen mutuatario imponis prætio æstimandum. Plerumque autem mutuatarius mutuò recipit debitum, nec ad compensationem diligentiarum vult mutuantem obligare. Tùm, quia facilè credit debitum recuperaturum. Tùm etiam, quia se gratum ostendere intèndit. Molina *tract.* 2. *disp.* 310. *casu* 3. Salas *dub.* 16. *num.* 6. ¶ Secundò, vsuram committi, si mutuas triticum hoc loco alibi solvendum, & inde

Quatuor casus ex dictis inferũtur.

de mutuatarius gravatur; secùs si nullum gravamen sentit. Stare enim potest, eam conditionem esse mutuanti proficuam, & mutuatario non incommodam: & sic non est, cur non possit ad eam adstringi. Sic duo Authores citati. ¶ Tertiò esse vsuram, si mutues centum, vt mutuatarius partem in mercibus recipiat, quia obligas mutuatarium ad emptionem sibi fortè non necessariam. Rebellus 2. *p. lib.* 8. *q.* 4. *n.* 4. Palaus *punct.* 12. *n.* 4. Nisi eas ipsi vendas, vt ipse iterum vendens possit inde pretium, quo indiget, accipere, vt diximus, *cap. præced.* agentes de mohatris. ¶ Quartò, esse vsuram, si deducas in pactum mutui, vt mutuatarius pro te fideiussor existat, quia obligatio, qua fideiussor astringitur, est pretio æstimabilis. Petr. Navart. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 4. *illat.* 3. Aragon. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *dub.* 1. *casu* 2. Salon, ibi, *controv.* 4. Nolle autem dare mutuum, nisi mutuatarius pignus, vel hypotecam adhibeat, rarò est vsura; quia hæc non adhibentur in pretium mutui, sed in securitatem rei mutuatæ. Aragon *cas.* 3. Salas *dub.* 11. *circa fin.*

§. III.

An sit vsura cum pacto mutuare, vt eadem pecunia in specie, & eadem quantitas solvatur, quando pluris valitura creditur?

Tria; quæ sunt certa circa dubiũ.

67 TRia sunt apud Doctores certa in hac parte, & de duobus difficultas. Certum est primò, quòd paciscì, vt eadem res in numero, mensura, & quantitate, qua mutuata est reddatur, cùm æquè dubium est, an minuendus, vel augendus sit eius valor, sive servaturus esset rem, sive non, licitè fieri potest; quia in hoc nulla est inæqualitas, sed par vtriusque conditio, cùm vterque tam damno, quàm lucro exponatur. Soto *lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. *fine.* Lesius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 17. *n.* 145. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 14. Colligiturque ex leg. *Vinum, ff. si certum petatur*, cap. *In civitate*, cap. *Naviganti, de vsuris.* Secundò, quòd si rem mutuatam servaturus eram vsque ad tempus, quo probabilius, vel certum credo, augendum esse valorem, possum in pactum deducere, vt cum incremento reddatur, deducta æstimatione valoris periculi, &c. in ea conservanda; quia tunc datur titulus lucri cessantis: & sic possum hoc in pactum deducere, vt me indemnem conservem, & non patiar detrimentum aliquod in meis bonis ob beneficium alteri factum, dummodò non obligem mutuatarium, vt non solvat, nisi tempore, quo ampliùs valitura creditur; quia mutuatarium impedire, ne se ab onere solutionis expediat cum illo damno, est onus grave, alienum à contractu mutui. Malderus *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 20. *concluf.* 1. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 20. *disp.* 2. *num.* 41. & 50. Bonacin. *disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 20. Rebellus 2. *part. lib.* 8. *quæst.* 8. *num.* 3. ¶ Tertiò, non esse vsuram triticum vetus mutuare, vt novum reddatur, quando non constat plutis valiturum, si nec novum sit meliùs, nec deterius vetus; quia nihil quæritur hìc supra sortem, & licitum est commodum quærere ex mutuo, quando absque incommodo mutuatarij fieri potest, vt si vendat, ne sibi corrumpatur, ne furetur, ne distrahatur. Secus esset, si triticum vetus, quod mutuas, corruptum, corrosumve esset: tunc non posses petere, quòd eadem quantitas nobis tibi daretur; quia tunc esset lucrum ex mutuo reportare, & sic vsura esset non detrahere tantùm de quantitate novi reddendi, quantùm illa deterioritas æstimabatur. Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 11. *n.* 11. Molina *disp.* 311. *fine.* Salas *de vsuris, dub.* 24. *n.* 4. Palaus *tract.* 32. *disp.* 4. *punct.* 13. *num.* 10.

Sententia asserens posse deduci in pactum mutui, vt eadẽ res reddatur, quando pluris valitura creditur.

68 Quæritur ergo in præsenti, an cùm libe rum mutuatarium relinquis, vt solvat, antequam pretium rei mutuatæ crescat (quia licèt terminus præfigatur ad solutionem est in beneficium mutuatarij, & sic ante illud potest solvere) possis in pactum deducere, vt eadem res in specie, numero, & quantitate solvatur, quando pluris postmodum scis valituram, si ad illud tempus reservaturus non eras? Affirmat prima sententia, & probatur primò, quia ea est natura mutui, vt exigat, quòd eadem res in specie reddatur, æqualis in bonitate, numero, & mensura; & idem numerus pecuniæ, qui mutuatus est, quidquid sit de extrinseco incremento, vel decremento, quæ rei adveniunt per accidens. ¶ Secundò, potest mercator rem cariùs vendere, etiamsi sciat brevi tempore ab extrinseco viliùs valituram, vt diximus, *cap. præcedenti, num.* 108. quia natura venditionis exigit, vt secundùm valorem præsentem res vendatur: ergò etiam poterit mutuo dare, vt solvat eandem rem postmodùm, etiamsi sciat ampliùs valituram; quia natura mutui petit, vt eadem res in numero, & quantitate reddatur. Sic Turrecrem. in cap. *Si quis Clericor.* 14. *quæst.* 4. *num.* 1. Sotus *lib.* 6. *quæst.* 1. *artic.* 2. *ante solut. argument.* Toletus *lib.* 5. *cap.* 34. *num.* 3. & 6. Salon 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *controv.* 1. *concluf.* 1. Graffis 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 104. *num.* 21. & 23. Rebellus 2. *part. lib.* 8. *quæst.* 8. *in fine.* Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 15. *num.* 1. & 3. Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 10. *disp.* 2. *num.* 70. & probabilem dicit Lesius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 154.

Non potest deduci in pactum mutui, vt eadem omninò res reddatur, quãdo creditur pluris valitura.

69 Verior est sententia negativa, sive mutuum fiat in pecunia, sive in alijs rebus. Et quidem si sit pecunia, patet, quia in pecunia illius substantia præcipuè attenditur secundum æstimationem, & valorem, quem habet à Rege, & communi æstimatione; ideò si viginti argenteos petas, quos dedisti, & quando dederas, valebant 20. & quando petis valent 30. ampliùs petis, quàm dedisti, & sic commitis vsuram, quam vt non incurras, debes de numero detrahere, quantum tempore solutionis æstimatur ampliùs. Eadem est ratio de alijs rebus, quia si mutuasti fanecam tritici, quando 10. valebat, non potes in pactum deducere, vt tibi solvatur eadem faneca, quando valet 20. quia iam immediatè ex mutuo lucrum reportas; quod est vsura. Ita Bonacin. *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 20. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 14. & 15. Salas *de vsuris. dub.* 24. *num.* 3. & *dub.* 25. *per totum.* Lesius *supr. num.* 149. 152.

70 Sed adverte primò, quod si in contractu mutui sit rei valor exclusus cum pacto, quia nimirum non attenditur, quod tot, vel tot valeat, sed quod hæc substantia rei, hæc substantia pecuniæ reddatur, v. g. tot scuta, quidquid sit de valore illorum; vel quod restituatur eadem materia, & forma cum numero, non computando valorem illius, solvenda est eadem substantia, idemque numerus, non plus, nec minus, superveniente quavis variatione; quia sic servatur æqualitas rei mutuatæ cum solutione, quidquid sit de valore, ad quem in illo contractu non attendi-

tur, vt docet Trullench *illo dub.15.n.7.* Azor. *3.p. lib.7.c.10.* Bonacin. *punct.illo 3. n. 24. & 28.* Per quod manent soluta contraria argumenta, quia solùm probant, quòd si ex vi pacti non attendatur ad valorem, sed ad rei substantiam, numerum, & quantitatem, potest deduci in pactum, quòd eadem res reddatur; quia per hoc nihil supra datum exigitur, quidquid sit de incremento extrinseco, ad quod, ex vi illius pactionis, non attenditur.

Secundum, quod notandum est.

71 Nota secundò, quòd si certum sit, vel saltem probabilius, rem valituram minoris tempore restitutionis, poterit maiorem mensuram mutuans petere, quàm dedit, secundùm maiorem, vel minorem certitudinem. V.g. mutuasti fanecam tritici, cùm valebat 25. credens valituram tempore præfixo pro solutione 10. potes petere, vt tibi dentur illo tempore duæ fanecæ, detractis quinque pro incertitudine eventus, vel ampliùs, vel minùs, secundùm maiorem, vel minorem certitudinem; quia sic servatur moralis æqualitas inter rem mutuatam, & solutam. Et hoc est verum, sive rem esses tunc venditurus, sivè consumpturus in familia, sive ad illud tempus reservaturus. Quia vnusquisque in re sua potest considerare, non solum bonitatem naturalem, sed etiam eius pretium, vt restituatur ei æquale, non solùm in bonitate, sed etiam in pretio. Vndè possum à te petere, vel quod solvas mihi 25. quæ tunc valebat faneca, quam tibi mutuavi, quando mutuavi; vel quod duplum solvas, quando plus quàm duplo minùs valitura creditur. Melderus, Soto, Lessius, Dicastillo, Trullench, Bonacina, *locis citatis.*

Sententia communis proponitur in casu, quo mutuãs bona fide procederet.

72 Hactenus egimus, quando mutuans sciret, vel probabilitèr crederet, rem mutuatam amplius valituram, vel minùs valituram tempore solutionis. Sed modò videamus, an si bona fide, nihil de incremento, vel decremento futuro cogitans tot numos aureos, tot scuta mutuaret, tot fanecas, tritici, tot vini dolia, si postea hæ res crescant, vel decrescãt in valore extrinseco, possit postea exigere, vt mutuatarius, (& è cõtrà) non solùm reddat eandẽ rem secundùm speciem, & secundùm valorem intrinsecum, sed etiam secundùm extrinsecum ex diversis capitibus provenientem? Respondent communitèr Doctores, quòd regularitèr spectanda est bonitas intrinseca rei mutuatæ, & sic quòd mutuatarius satisfacit eandem secundùm speciem, & bonitatem solvendo, etiamsi in pretio decreverit; & quod tenebitur similitèr rem eandem secundùm bonitatem intrinsecam solvere, etiamsi ascenderit in pretio; quia ita videtur decidi, *leg.22.ff.de rebus creditis.* Et ratio est, nam si pretium servandum esset, & secundùm illud æqualitas, iam non esset mutuum, sed emptio, & venditio. In mutuo enim solùm attenditur æqualitas corporum, quæ mutuantur, non pretium rerum. Si enim secundùm pretium essent reddendæ, esset emptio, & venditio, non mutuum. Sic Anton. Gom. *2.variar.cap.6.n.1.* Sotus *lib.6.q.1.art.2.circa finem*, Lessius *libr. 2. cap.20.dub.17.n.149.* Layman. *lib. 3. sect.5. tract. 4.cap.15.n.3. & cap.16.num.14.* Fachineus *lib. 2. controv.cap.9.quæst.1.* Tiraquel. *lib. 1. de retract. §.2.gloss.18.* Navarr. *cap.17. n. 294.* Azor *tom. 3. lib.10.cap.7.quæst.2.* Ex quibus Azor, Navar. Tiraquel. Fachineus idem dicunt de pecunia, ac de alijs rebus; cæteri absolutè loquuntur.

73 Sed nobis dicendum est, quod in alijs rebus, præter pecuniam, eadem res tradenda est in specie, & bonitate intrinseca, quidquid sit de extrinseco valore, si bona fide absque fraude contractus fiat; sed in pecunia non ita, sed reddenda est eadem secundùm æstimationem, quam habebat tempore traditionis: ideòque, si scuta mutuata accepisti tempore quo valebant 40. & modò valent 30. vel è contra debes detrahere, vel addere, vt æquetur valor, quem tempore acceptionis habebant. Prima pars habetur, cap. *Plerique*, cap. *Fœnerabis*, cap. *Putant*, cap. *Vsura 14.q.3.cap. Si quis oblitus*, cap. *Nullus, eadem causa, q. 4.* vbi dicitur, quòd accipere in alijs rebus à pecunia maiorem numerum, quàm dedisti, vsura est. Et ratio est, quia natura mutui petit, vt, quoad fieri potest, idem, quod acceptum est, reddatur: accepisti bovem, bovem reddas: tot fanecas tritici, tot reddas eiusdem bonitatis, non habita ratione de extrinseco valore, qui non spectatur (saltem primariò, & præcipuè) in his rebus mutuandis. Nemo enim petit mutuum frumentum ob valorem, sed ob bonitatem eius, qua indiget ad suos vsus. ¶ Et hinc secunda pars manet probata, quia pecuniæ essentia, & natura ferè nullam aliam habet æstimationem, nisi quam Princeps, & communis populi consensu præscribit. Vnde, in petendo mutuo illius, ad valorem eius attenditur, quem habet ex his extrinsecis causis. Sic Malderus *lib.5.cap.3.dub.20. concl. 1. & 4.* Palaus *disp.4.punct.1.n.6. & 7.* Tolletus *lib.5. cap.34. n. 4.* Sylvest. *solutio, quæst.2.* Dicastill. *lib. 2. tract.10. disp.2.n.57. & 62. & disp.1.n.33.* Sà, *verb. Mutuum, num.9.* Rebellus *2.p.lib.11.quæst.15.concl.vlt.* Covar. *de collat.veter.numism.cap.8.§.vnic.n.3. concl. 4.* Trullench *lib.7.cap.19.dub.15.num.6.*

Quid circa casum propositum sit dicendum?

74 Sed nota, quòd si mutuò recepisti mille regales in auro, vel argento, satisfacis totidem reddendo in ære, nisi alitèr conventum fuerit; quia licèt auri materia pretiosior sit; illius tamen compensatur nobilitas quantitate, & valore pecuniæ solutæ; quia in pecunia quod principalitèr attenditur, est eius valor extrinsecus, & æstimatio, *leg.1.ff.de contrahend.emption.* At erit vsura obligare mutuatarium, vt solvat argentea, vel aurea pecunia, quod ærea accepit, etiam in eodem valore; quia licèt possit in vna, vel altera solvere, quando nihil est in contrarium conventum; attamen obligare æream accipientem, vt solvat auream, est novum onus, ob commodiorem illius vsum, & quia difficiliùs invenitur. At poterit mutuans obligare mutuatarium, vt in eadem pecunia ærea, vel argentea solvat, etiamsi sciat ascensuram in pretio, dummodò detrahat de numero, quod creverit in valore. Molina *disp.312.circa finem.* Salas, *de vsuris, dub. 25. num.3.* Palaus *disp.4.punct. 13. num.8.* Trullench *lib.7.cap.19.dub.15.num.7.* Bonacin. *disp. 3.quæst. 3.punct.3.num. 24. & 28.*

Quid notãdum sit circa dictã?

§. IV.

Vtrùm in mutuo pœna conventionalis sit licita? & sit licitum vltra capitale aliquid ratione illius accipere, etiamsi nullum lucrum cesset, aut damnum emergat?

Pœna potest adijci in pacto mutui.

75 Affirmativè respondendum est, nisi adijciatur pœna in fraudem vsurarum. Tùm, quia debitor peccat contra justitiam, quando

quando non ſolvit tempore præſcripto; quia eſt in mora, & ſic eſt dignus pœna. Tùm etiam, quia jure naturali, & civili conceditur, vt homines mutuò ſe obligare poſsint, pœnis conventionalibus appoſitis, ſi à contractibus receſſerint, vt ſic contractus firmiores reddantur, & hominum negligentia, & incuria ſtimuletur, leg. *Si pacta*, Cod. *de pactis*, leg. *Traiectitiæ*, *ff. de action. & obligation.* Ita (contra nonnullos oppoſitum ſentientes) tenent Soto *lib. 6. quæſt. 1. artic. 3. §. Sed vtrum*, Scot. (qui immeritò citatur pro contraria) *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 2. concl. 4. litera O.* Villalob. *tract. 22. diffic. 9. n. 1.* Meſsius *lib. 2. cap. 20. dub. 15. n. 128.* Lugo *diſp. 25. ſect. 6.* Arag. *2. 2. quæſt. 78. art. 2. dub. vlt.* (qui etiam immeritò citatur pro contraria) Prado *cap. 28. quæſt. 2. n. 20.* Malder. *tract. 5. cap. 3. dub. 18.* Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 13. n. 1.* ¶ Cenſetur autem in fraudem vſurarum pœnam apponi, quando propter pœnam lucrandam, quæ ſperatur, mutuum datur; vel quia vides te non poſſe ob mutuum lucrum exigere, vteris illo prætextu, & vt habeas finem, quem intendis, lucrum ex mutuo captandi, vteris pœnæ titulo ad palliandum lucrum: vel ſi breve tempus pro ſolutione conſtituas, intra quod non poſſe ſolvere mutuarium non dubites.

Quæ conditiones requirãtur ad pœnam convẽtionalem?

76 Sed requiruntur iſtæ conditiones, vt pœna mutuo appoſita ſit licita. Prima, vt non cogatur eam ſolvere, etiam qui ſine omni culpa fuerit in mora, quia eſſet injuſta conventio; ſicut lex pœnalis eſſet injuſta, quæ etiam pro innocentibus penam aſsignaret. ¶ Secunda, vt ſit mora notabilis, aliàs non erit pœna ſatis attemperata culpæ, ſi ob breve tempus detentionis, pœna conſiderabilis aſsignaretur. ¶ Tertia, vt non ſit pœna immodica, qualis eſſet, ſi ſors duplicitèr aſsignaretur in pœnam, ſi præfixo tempore debitor non ſolverit. Quæ convencio eſt reprobata in cap. *Significante 7. de pign. leg. 1. & 3.* Cod. *de pactis pignor.* Et hinc pactum *legis commiſſoriæ* in pignoribus eſt prohibitum, vt diximus *num. 47.* ¶ Quarta, quod pœna proportionetur culpæ; & ideò ſi pars debiti ſoluta fuerit, non debet tota pœna ſolvi, ſed quæ parti correſpondet non ſolutæ.

Obligat pœna conventionalis ante Iudicis ſententiam.

77 Sed rogabis, an talis pœna conventionalis debeatur ſolvi ante Iudicis ſententiam? Negat prima ſententia, niſi in pacto exprimant contrahentes, ſe velle obligare ante Iudicis ſententiam; quia pœna conventionalis retinet rationem pœnæ, de cuius ratione generalis eſt, vt non debeatur ante ſententiam Iudicis. Ita Aragon *2. 2. quæſt. 78. artic. 2. dub. vltim.* Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 2. punct. 3. n. 4.* & *tom. 7. tract. 32. diſp. 4. punct. 16. n. 5.* Sanchez *lib. de matrim. diſp. 37. num. 4.* Diana *1. part. tract. 8. reſol. 29.* & alij. ¶ Sed licèt talis pœna ante exactionem partis non debeatur, verè tamen debetur ante ſententiam Iudicis; quia quamvis pœnæ judiciales punitivæ, & involuntariæ expectent Iudicis ſententiam; at illæ, quæ juræ naturæ ſervari debent, & ſunt voluntariè aſsignatæ ab ipſo, qui pœnam ſuſtinet; non debent expectare Iudicis ſententiam. Et ita ſe habet iſta, quæ voluntariè imponitur à contrahentibus, vt pœnæ, quæ in votis conditionatis aſsignantur: & aliàs eſt ex jure naturæ juſtas conventiones obſervare: quia nihil ita ex naturæ conſentaneum, vt pacta obſervare. Sicuti diximus *in leg. 1. ff. de pactis.* Sic Salon. *2. 2. quæſt. 78. artic. 2.* Serra *ibi, dub. 2. concluſ. 3.* Prado *cap. 28. quæſt. 2. n. 37.* Silveſter, *verb. Pœna, quæſt. 14.* Malderus *tract. 5. cap. 3. dub. 18. fine.* Villalobos *tract. 22. diffic. 9. num. 5.* Leſsius *lib. 2. cap. 20. dub. 15. fine.*

PUNCTUM IX.

An ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis poſsit mutuans aliquid ſupra ſortem exigere?

Quale dicatur lucrũ ceſſans, aut emergens damnum?

78 QUamvis ex vi mutui nullum poſsit intereſſe mutuans exigere, vel accipere, quia lucrum ſupra ſortem quærere eſt vſura manifeſta; aliqui tamen tituli ſolent mutuo adiungi, ratione quorum id permittitur; & vnus eſt lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſervatis conditionibus infrà aſsignandis. Dicitur autem lucrum ceſſare, quando perdit aliquod temporale lucrum, alioqui comparandum, ſi mutuum non concederet: vt ſi pecuniam mutuatam emptioni cenſus, domus, vineæ, alteriuſve rei fructiferæ, vel alteri contractui paratam habet, vel quomodocumque negotiationi deſtinatam, ita vt lucri acquirendi aliquam ad minus habeat probabilitatem. Dicitur damnum emergens, quando ob mutuum in rebus ſuis aliquod patitur detrimentum, vt ſi occaſione mutui cariùs alimenta emeret, ſi domus exponeretur ruinæ; quia caret pecunijs neceſſarijs ad eius reparationem, vel non colit agros, vel res viliùs cogitur vendere, vt mutuet.

Ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, poteſt mutuans ſupra ſortem accipere.

79 Igitur ratione vtriuſque tituli, lucri ceſſantis, & damni emergentis, poſſe abſque labe vſuræ aliquod intereſſe ſupra ſortem exigere mutuatorem, ſervatis conditionibus infrà aſsignandis (præter aliquos ex antiquis, & nonnullos Neotericos) ferè vniverſi, tàm Theologi, quàm Iuriſtæ concedunt. Et de lucro ceſſante tenet D. Thomas *2. 2. quæſt. 62. art. 4.* & de damno emergente, *q. 78. art. 2. ad 1.* & quoad damnum emergens conſtat, cùm jactura illa temporalis ſit pretio æſtimabilis; cuius compenſationem mutuator exigens nullam injuriam irrogat mutuatario; quia non vendit illi mutuum, ſed mutui jacturam: & æquum non eſt, vt mutuans pro beneficio damnum referat, aut diſpendium patiatur; vnde videbatur præmium meruiſſe, vt dicitur in cap. *Pervenit, de fideiuſſoribus.* Etiam ob lucrum ceſſans, cùm non ſit minùs pretio æſtimabile, & ſic vendi poſsit juſtè lucrum ceſſans: vt ſi quis à labore deſiſteret, quo fœneraretur, vt meum negotium ageret; cum non ſit æquũ vt ob beneficium alteri factum mutuator licito, & honeſto lucro privetur. Sic præter D. Thom. Malder. *tract. 5. cap. 2. dub. 12. & 13.* Villalob. *tom. 2. tract. 26. diffic. 7. & 8.* Palaus *tom. 7. tract. 32. diſp. 4. punct. 5.* Pet. Navarr. *lib. 3. cap. 2. n. 288.* Valent. *diſp. 5. quæſt. 20. punct. 2. concl. 3.* Leſsius *lib. 2. cap. 20. dub. 10. & 11.* Rebell. *2. part. lib. 8. q. 5. & ſeq.* Salas *de vſuris, diſp. 18. & 19.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tr. 4. cap. 16. à n. 8.* Tapia *tom. 2. cenæ, lib. 5. q. 14. art. 5. & 6.* Prado *cap. 28. q. 2. n. 29. & 38.* Caietan. *2. 2. quæſt. 78. artic. 2.* Serra *ibi, dub. 2. concl. 2.* Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 8. & 9.* Bonacin. *diſp. 3. quæſt. 3. punct. 4.* ¶ Imò etiam licet mutuatori ſtipulari de lucro ceſſante, aut damno emergente, etiamſi non rogetur à mutuatario, ſed ipſe offerat ſe ſe ad mutuandum, vt docent prædicti

dicti Authores; quia quamvis offerat mutuum, verè tamen illud cedit in sublevamen alterius, & sic aliquod potest lucrum exigere ratione illius beneficij cum sui incommodo, ne vnde præmium merebatur, patiatur dispendium.

Duplex objectio, & earum solutio.

80 Sed objicies primò, D. Thomam oppositum sentire, quoad lucrum cessans: nam, postquam *quæst.*78.*art.*2.*ad* 1. dixit ratione damni, quod patitur mutuans, posse aliquid accipere supra sortem, addit: *Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multiplicitèr ab habendo.* Secundò, quia si ratione lucri cessantis liceret aliquid exigere, aperiretur fenestra vsuris; quilibet enim mutuator prætexere potest lucrum aliquod, quod ex pecunia sua habere potuisset, si in mercaturam, mercatoriam societatem, aut rei frugiferæ emptionem eam impendisset. ¶ Sed neutra ex his objectionibus obstat, & ab hac secunda incipiendo: respondetur, multos esse, qui lucrum cessans prætexere non possunt, vel quia omninò à mercatura cessant, vel quia alia nihilominus pecunia negotiabuntur; vel quia alia via tantundem lucrabuntur, à qua, mercando, fuissent impediti; vel quia aliæ deficiunt conditiones, de quibus statim loquemur. ¶ Et ad D. Thomæ authoritatem respondetur primò, Sanctum Doctorem loqui de lucro solùm remotè, & in potentia, quia nimirum non est de rebus ad lucrandum applicatis, & destinatis, licèt possent destinari, & applicari; non verò de lucro sperato proximè, & quasi in actu; quia pecunia, vel res erat iam ad lucrandum destinata, & spe mutui privatur mutuans ob beneficium alterius. Quo modo etiam est damnum emergens, cùm sit detrimentum, quod patitur mutuans: vt si quis rogatus ab alio mutuaret instrumenta sui officij, potest exigere lucrum cessans ob mutuationem instrumenti: vel si mutuaret triticum, quod habet ad seminandum, potest exigere lucrum fructus, quod privatur ob mutuum; quia reputatur ei detrimentum, & damnum: & idem est de pecunia expositа negotiationi cum conditionibus iam referendis. ¶ Secundò respondetur, D. Thom. ponere discrimen inter damnum emergens, & lucrum cessans, quod illud debet integrè restitui, non illud, sed quanti spes lucri æstimatur, deductis expensis, &c. Quod discrimen ponit expressè, *quæst.*62.*art.*4. & juxta ea, quæ ibi docet, ea, quæ modò tradit, sunt intelligenda.

Prima conditio pro lucro cessante, & damno emergẽte.

81 Sed quia pallium, quo communitèr vsuræ obteguntur, est illud lucrum cessans, & damnum emergens, oportet considerare attentè conditiones requisitas, vt possit honestari lucrum ob talem titulum acquisitum. Prima igitur communis, apud Doctores conditio est, quod ab initio mutui in pactum deducatur æstimatio lucri cessantis, & damni emergentis. Si enim ab initio non fuit conventum, vt aliquid vltra sortem ob istum titulum reddatur à mutuatario, etiamsi postea emergat damnum, vel lucrum cessans, non potest ob illa mutuans aliquid accipere supra capitale. Nam vel recordatus est, quando mutuavit horum, vel non? Si prævidens, & timens damnum futurum, aut lucrum cessaturum, nihil petijt propter ea, censetur illud condonare. Si non recordatus, aut non timuit eventurum, sibi imputet, quia alium de novo gravare, non potest vltra id, ad quod ipse se obligavit. Sed sufficit, si moneat mutuatarium, cum mutuavit, de illis, vt postea repetat, quia est implicitum pactum, quo cum tali onere accipitur lucrum.

Quando damna accrescentia mutuanti debent à mutuatario restarciri?

82 At si vi, metu, aut fraude mutuum extorserit mutuatarius, quodcunque lucrum, quod inde mutuanti cesset, aut damnum emergat, tenetur satisfacere, etsi mutuans de eo pactus non sit, quia fuit per actionem injustam illius causa, regul. *Si tua, de regul. juris in 6.* ibi: *Si tua culpa datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his te satisfacere oportet.* D. Thom. 2.2.*q.*78.*art.*4.*in corp.* & *ad* 2. Tapia *lib.*5.*q.*17.*art.*6.*n.*6. Lugo *disp.*25.*sect.*6.*n.*74. Trullench *lib.*7.*c.*19.*dub.*8.*n.*7. & *dub.*9.*n.*8. Villalob. *tract.*22.*diffic.*8.*n.*1. Lessius *supr. n.* 79. Salas *dub.*19.*n.*6. Palaus *q.* 16.*n.* 10. Imò si accipiat mutuum, etiam justè, ab aliquo involuntario, tenetur satisfacere damna emergentia, tametsi ab initio non sit conventum de illis; vt Rex pecunias potestate exigens mutuatas ob bonum publicum, vel plaustra, & boves ab agricolis recipiens ad portandas sarcinas militum, tenetur damna inde secuta compensare, quia, cùm domini earum rerum sint inviti, non censentur cedere suo juri. ¶ Idem est, quando terminus solutionis præfixus fuit elapsus: nec opus est, quòd creditor de obligatione interpellet, cùm ipsa dies assignata satis interpellare censeatur: vel si pro solutione non est terminus interpositus, est tamen debitor à creditore interpellatus, & debitum non solvit culpabilitèr, tenetur omne lucrum cessans, & damnum inde emergens satisfacere; quia fuit causa injusta illorum, & sub ea conditione mutuũ conceditur, quòd si mutuatarius sit in mora, teneatur ad interesse. D. Thomas *art.*2.*ad* 1. Trullench *dub.*8.*num.*1. Covar. 3. *variar. cap.*4. *num.* 5. Villalob. *difficult.* 7. *num.* 6. & *diffic.*8.*num.*3. Malder. *tract.*5. *cap.* 3.*dub.* 12. *concl.*3. Lessius *num.*69. & 70. Tapia *n.* 5. Bonac. *disp.*3.*quæst.*3.*punct.*4.*num.*4. ¶ Dixi, *culpabilitèr*; quia si non solvit, vel quia non potuit, vel alia ratione absque culpa, probabilius judicamus, non teneri, quia non fuit injusta causa, nec obligatur ad interesse, nisi quatenus culpam in non solvendo commisit. Salas *dub.*19.*n.*9. Trullench *n.* 4. Palaus *n.* 11. Lessius *n.*70. Rebell. 2.*part.lib.*8.*q.*7.*n.* 4. Et ideò si bona fide putaret, creditorem consentire in dilationem, non censeretur esse in mora, nec teneretur in foro conscientiæ ad restitutionem damni, nisi ante de eo esset conventum.

Mutuans de emergente damno, vel cessante lucro, debet mutuatariũ monere.

83 Sed difficultas est, an requiratur monere mutuatarium de damno emergente, vel lucro cessante, an verò sufficiat pacisci de danda vltra sortem aliqua summa, non admonendo illam esse propter damnum emergens, aut lucrum cessans? Respondet sufficere prima sententia, quia licèt ignoret causam mutuatarius, mutuans tamen non injustè accepit; quandoquidem vera adest causa, & alioquin iam mutuatarius acceptat contractum cum illo onere: & regularitèr non retraheretur mutuans à contractu, ex eò quòd sciret justo titulo pretium exigi. Vndè licèt sit invitus, quando solvit vsuras, non potest tamen rationabilitèr esse invitus, nisi sub conditione, si mutuans non habeat justum titulum exigendi. Sic Petrus Navarr. *lib.* 2. *de restit. p.* 2.*dub.*9.*n.*223. Lugo *disp.*25.*sect.*6.*n.*74. Less. *lib.*2.*c.*20.*n.*74. Bonac. *disp.*3. *quæst.*3. *punct.*4. *n.* 7. Trullench *lib.*7.*cap.*19.*dub.* 8. *num.* 7. ¶ Probabilius autem est, debere id admonere, quia aliàs mutuatarius in illum excessum suprà sortem non consentit de facto voluntariè; quia putans

sans alium sibi, vt vsuram, illud petere, consentit coacte sicut in cæteras vsuras; & difficilius consentiret in hoc, quod est promittere illam summam ob justum titulum ex parte mutuantis, quàm ob vsuram; quandoquidem sic promittendo ob vsuram non manet obligatus ad solvendum; & si solvat, potest sperare, quod alius saltem tempore mortis restituat; quod cessat in priori casu. Sic Prado *cap. 28. quæst. 2. n. 34.* citans Bañez, & Serram, Dicastillo *lib. 2. tract. 10. disp. 2. n. 188.* Palaus *disput. 4. punct. 15. n. 4.* Malderus *tract. 5. cap. 3. dub. 12. concl. 3.* Laymann *lib. 3. sect. 5. tract. 4. n. 16.* Tapia *lib. 5. quæst. 17. art. 5. n. 3.* Villalob. *tract. 22. diff. 7. num. 4. & diff. 8. num. 10.*

Secúda cõditio, vt licitum sit ob lucrum cessans aliquid accipere supra sortem.

84 Secunda conditio est, quòd lucrum, quod speratur, debeat accipi ex contractu licito, & justo, alioquí, licèt impediatur per mutuum à lucro, quod posset fœnerari contractu illicito, non posset ob illud vltra sortem accipere; vt si esset lucraturus ex cambijs fictis, & siccis, quia id solùm possumus, quod legitimè, & justè possumus. Salon 2. 2. *quæst. 78. art. 2. controv. 9. condit. 4.* Trullench *dub. 9. num. 10.* Prado *num. 42.* ¶ Debet etiam esse damnum, quod timetur, aut lucrum quod speratur, verum, & non fictum, & quod probabilitèr evenire credatur, & sic quod non sit tantùm possibile in potentia remota, quod pluribus modis potest impediri, quia hoc non debet rationabilitèr æstimari, vt pluribus probat Gutier. *de Iurament. 1. p. cap. 2. num. 4.* Villalob. *diff. 8. num. 6.* Tapia *artic. 6. num. 4.* Malderus *dub. 13. post 5. concl. condit. 1.* & non debet accipi vltra id, quod valet lucrum, quod perditur, quia illud aliud solùm acciperetur ob mutuum, quod est vsura.

Non debet mutuans totum lucrũ, quod sperabat, exigere.

Imò non debet exigere integrum lucrum, quod probabilitèr speratur, sed quanti spes æstimatur, deducto illius periculo, & expensis: nam minùs æstimatur lucrum subjectum periculo, & expensis, quàm ab illis liberum. D. Thom. 2. 2. *quæst. 62. art. 4.* & 78. *art. 2. ad 1.* Prado *n. 41.* Tapia *art. 6. n. 4.* Villalobos *diff. 8. n. 9.* Balder. *condit. 8.* Trullench *n. 7.* ¶ An verò sit deducenda æstimatio laboris in tali lucro comparando? Affirmant Tapia, Villalob. Caietan. satis probabilitèr; sed probabilior est pars negativa, quia licèt laboris cessatio pretio æstimari possit, hoc est, quando eam facit venalem, secùs quando ex ipso contractu nascitur aliàs libentèr laborem subituro. Aliter si hic labor compensandus esset, cum plerumque lucro acquirendo æquivaleat, vt contingit in agricolis, & mercatoribus, rarò ratione illius aliquid posset vltra sortem accipi. Bonaein. *punct. Illo 4. n. 13. vers. Respondeo tantùm*, Trullench *dub. 9. cit. n. 5.* Dicastill. *lib. 2. tract. 10. disp. 2. n. 178.* Palaus *disp. 4. punct. 15. n. 8.* Lessius *n. 98.* Salas *dub. 20. num. 9.*

Cõditio tertia ad idem.

85 Tertia conditio est, vt cessatio lucri, vel damni proveniat ex vi mutui: nam si alia via potes lucrum obtinere, vel impedire damnum, etiamsi mutues, non potest ratione illorum aliquid supra sortem accipere; vel quia mutuum accipiens tibi ex gratitudine æquivalentèr promittit in officio, beneficio, aut pecunia; vel si habeas alias pecunias, & per hoc, quod mutues, non minuatur negotiatio; vel si mercator, quando cessat à mercatura propter matuum, alia via, aut arte, cui vacare mercando non potuisset, sit totidem lucraturus, ita vt vere non cessat lucrum ex mutuo, tunc vere non potest supra sortem ratione lucri cessantis aliquid accipere, nisi ratio illa lucrandi esset molestior, quia tunc posset deducere quantum illa molestia æstimatur. Trullench *lib. 7. cap. 19. dub. 8. n. 7. & dub. 9. n. 3.* Malder. *tract. 5. cap. 3. dub. 12. concl. 1. & dub. 13. post. 5. conc. condit. 4.* Less. *dub. 11. n. 86.* Palaus *n. 6.* Salas *dub. 20. n. 5.* ¶ Vndè licèt ab initio convenerint de damno, & lucro cessante, & posteà non sequantur, non potest mutuans aliquid recipere supra sortem, nisi pactum fuerit de periculo. Potest enim ab initio pacisci de periculo, sive damnum emergat, sive non, sive lucrum cesset, vel non cesset, modò probabile sit illud periculum; & vbi inter eos sic conventum fuit, potest exigere quod fuerit pactum, etiamsi nullum emerserit damnum, vel cessaverit lucrum. Sed non potest imponere mutuatario, vt potiùs de damno, quàm de periculo transigat. Prado *n. 32.* Less. *n. 76.* Malderus *loc. cit.*

Quid si posset mutuans per aliã pecuniam lucrari?

86 An verò posis ratione lucri cessantis aliquid supra sortem exigere, cùm posses alia via lucrum, quod tibi cessat ex mutuo acquirire, eò quòd habeas aliam pecuniam, quam non decreveras exponere negotiationi, per quam posses æquè benè negotiari, & lucrum accipere? Est aliqualis difficultas. Et quidem si remanentem pecuniam deputatam habeas ad vsum tuæ familiæ, nimirùm ad alendam domum, & dotandas filias, ad solandam senectutem, vel ne statum periculo exponas, reputanda est, ac si non esset: & non ob eam manes impeditus supra sortem aliquid petere, quia verè cessat tibi lucrum; & non teneris in gratiam alterius debitam providentiam omittere. Dubium ergò est, quando pecuniam non necessariam occurrentibus moralitèr necessitatibus reservas; per quam totidem lucrari posses negotiando. Negant in tali casu te posse vltra sortem quidquam recipere, quia non cessat lucrum ex mutuo, sed ex tua incuria, & negligentia Caietan. 2. 2. *quæst. 78. art. 2. ad 1. & in sum. verb. Vsura, cap. 2. cas. 5. condit. 1.* Tapia *lib. 5. quæst. 17. art. 6. n. 4.* Petr. Navar. *lib. 3. cap. 2. dub. 8.* Tolet. *lib. 5. cap. 23.* ¶ Sed contrarium est etiam probabile, quia, posita voluntate, qua decreverat pecuniam, quam mutuat, negotationi exponere, verè ex tali mutuo cessat lucrum, & non tenetur in gratiam alterius aliam, quam reservare decreverat, exponere negotiationi, & loco illius subrogare. Trullench *dub. 9. numer. 3.* Villalobos *difficult. 8. num. 7.* Less. *n. 86.* Palaus *num. 7.* Salas *dub. 20. num. 6.* Valentia 2. 2. *disp. 5. quæst. 20. punct. 4. concl. 3.*

PUNCTUM X.

An ratione periculi in recuperanda sorte possit supra sortem aliquid mutuator accipere?

Sentẽtia asserẽs ob periculum non posse quidquam accipi supra sortẽ.

87 CAsus iste est ferè idem ac ille, de quo *cap. præced. numer. 143.* agentes de venditione loquuti sumus, an possit venditor cariùs supra justum pretium vendere ratione periculi pretium recuperandi; & sicut ibi, ita hìc datur duplex sententia. Prima, quæ specialitèr agens de mutuo negat ob periculum recuperandæ sortis posse aliquid exigi supra sortem. Et probatur primò ex cap. *In civitate*, cap. *Naviganti*, *de vsuris*,

vſuris, quæ negant ob periculum poſſe quidquam accipi: quos textus ſuprà explicuimus *loc. cit.* & amplius infrà explicabimus. ¶ Secundò, quia periculum recuperandi ſortem frequentèr evenit ex mutuo: ergò ob illud nihil poteſt ſupra ſortem accipi, alias ſemper eſſet licitum hoc accipere, & ſic omnes vſuræ palliarentur, quia dicerent mutuantes illud accipere ob timorem, quem habent ſortem amittendi, vel debitum recuperandi. Imò homo avarus, & de ſua conditione timidus, poſſet ampliùs à mutuatario exigere, quia magis timet periculum; quod eſt abſurdum. ¶ Tertiò, quia ſi ob periculum ſortis poſſes aliquid de præſenti exigere: ſi illud, quod pro periculo accipis, ſimul cum ſorte credas, poſſes ampliùs exigere, & ſic in infinitum. ¶ Quartò, quia ad aſſecurationem ſortis inſtitutum eſt pignus, & fideiuſſor: ergò qui, ſecluſa tali ſecuritate, mutuat, planè convincitur velle in ſe periculum accipere, & mutuum gratis dare. Atque ita docent Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 17. *art.* 9. *n.* 3. Navar. *cap.* 23. *num.* 81. Sot. *lib.* 6. *q.* 4. *art.* 1. *ad* 1. Bañez 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 6. Gutier. *canonic. quæſt. cap.* 39. *n.* 30. Toletus *lib. de ſeptem peccat. mortal. cap.* 51. Garcia *de contract.* 1. *p. cap.* 33. *ad medium*, Rebell. 2. *part. lib.* 9. *q.* 12. *num.* 2. & alij, quos loco citato dedimus.

Ob periculum recuperandi ſortē, poteſt aliquid ob mutuū accipi.

88 Sed conſequentèr ad ibidem dicta amplectenda nobis eſt ſententia affirmativa, quando verum eſt periculum, & non fictum; vt ſi mutuem homini non ſatis noto, aut decoctori, aut dubiæ fidei, dummodò non ampliùs exigam ratione periculi, quàm alteri darem ob idem periculum: nam ſi ampliùs petam, convincor, non ob periculum, ſed ob mutuum illud petere; & dummodò id non faciam cum indebito gravamine mutuatarij, quale erit ſi, volente mutuatario tradere pignus, aut adducere ſufficientem fideiuſſorem, non contentus his conditionibus, præſcribam ei, vt ſuper periculo paciſcatur: quia ademptio huiuſmodi libertatis eſt pretio æſtimabilis, ideòque ſine vſuræ vitio id non fieret in mutuo; & ſic communitèr à Doctoribus intelligitur caput illud *Naviganti*, *de vſuris*, vt poſtea magis explicabimus. Concluſionem ſic explicatam tenent D. Thom. vel Auctor opuſculi 73. *de vſuris*, *cap.* 10. Aragon 2. 2. *quæſt.* 77. *articul.* 4. *pag.* 651. Salon *q.* 78. *artil.* 2. *controv.* 23. Malder. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 14. Angel. *vſura* 1. *num.* 38. Sylveſtr. *eodem verb. q.* 35. Villalobos *tract.* 22. *diff.* 11. *num.* 1. Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 11. *n.* 1. Bonacin. *diſp.* 3. *q.* 3. *punct.* 5. *n.* 1. Diana 1. *p. tract.* 8. *reſol.* 37. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 13. *n.* 111. Petrus Navar. *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 2. *p.* 1. *dub.* 11. *num.* 205. & 2. *p. dub.* 10. *numer.* 342. Valentia *diſput.* 5. *quæſt.* 20. *punct.* 2. *concl.* 4.

Aſſertionis propoſitæ probationes.

89 Et probatur concluſio primò, quia minoris ſunt æſtimationis debita periculoſa, quàm certa; ob quam rationem ex omnium ſententia diximus *cap. præced. numer.* 155. licitum eſſe vilius emere debita incerta, quàm continent: ergò licitum erit ob 90. certa, quæ modo mutuatario dubiæ fidei, & menticuloſo conceduntur, emere ab ipſo 100. reddenda poſt menſem, quæ periculo recuperationis objiciuntur. Secundò, quia pro fideiuſsione, & aſſecuratione pretium juſtè exigit fideiuſſor, vt omnes concedunt, quia periculo exponitur ſolvendi pro debitore, & ſolutum non recuperandi: ergò, ſi mutuans velit illud periculum in ſe ſuſcipere, pro eo poterit pretium aliquod ſupra ſortem efflagitare. ¶ Tertiò, quia ſe exponere periculo amittendi ſortem, vel recuperandi eam cum magnis laboribus, & expenſis, eſt pretio æſtimabile, non neceſſariò ex mutuo conſequutum; ſiquidem non naſcitur ex mutuo, ſed ex eo quod conceditur decoctori dubiæ fidei, pauperi, infido, &c. ergò non eſt obligatio gratis illud ſubeundi; ſola namque actio ipſa mutuandi gratis debet præſtari ex obligatione. ¶ Ex quo ſequitur, quod ſi verum ſit periculum, & conditiones *num. præced.* aſſignatæ ſerventur, & de illo contrahentes paciſcantur, nihil refert, quod poſteà quod timetur non ſequatur; ſiquidem non pro ipſo damno futuro, ſed pro periculo damni pactum eſt inter eos.

Solvūtur argumēta cōtraria.

90 Ad primum argumentum contrarium conſtat ex dictis. ¶ Ad ſecundum etiam conſtat, non ſemper in mutuo tale reperiri, imò nunquam ex illo ſequi, ſed ex infidelitate, inopia, alijſve conditionibus mutuatarij, ad quas attendendum eſt ad compenſandum illud periculum, non ad qualitates mutuantis. ¶ Ad tertium reſpondetur, periculum ſortis poſſe compenſari, tùm credita, tùm numerata pecunia: ſi numerata, minori compenſandum eſt: ſi credita, maiori, ob eius maius periculum; & tunc illa quantitas, quæ maior eſt, & ſui, & ſortis periculum compenſat; & ſic non eſt in infinitum abire. ¶ Ad quartum admittendum eſt, fideiuſsionem, & pignus inſtituta eſſe ad debiti aſſecurationem; ſed quia ſæpè à mutuatario non offeruntur, vel non offeruntur ſufficientia, poteſt pretium pro periculo, cui ſe exponit, non recuperandæ ſortis exigere; & ſi tale periculum aſſumit, nihil refert, quod voluntariè, vel involuntariè illud accipiat, quamvis minùs debet petere, qui ſe offert loco fideiuſſoris, quàm ſi rogatus tale munus accipiat, quia merces vltroneæ vileſcunt.

Ob aſſecuratiōē ſortis pretium poteſt accipi.

91 Sed rogabis, vtrùm mutuans poſsit pretium à mutuatario exigere ob aſſecurandam ſortem? Vt ſi naviganti iter agenti mutues, vel merces vendas, quibus eſt in periculo, quòd in via ſpolietur: vel eunti ad nundinas mutues pecunias periculis expoſitas, & in te velis earum ſuſcipere periculum, vt tibi, ſi perierint, pereant, non mutuatario. Ex natura ſiquidem contractus mutui, qui habet transferre dominium rei mutuatæ in mutuatarium, periculum talis rei eſt penes ipſum: quærimus ergò, an ſi mutuans velit merces, vel pecunias mutuatas aſſecurare, & periculum illarum in ſe ſuſcipere, poſſit pro illa aſſecuratione pretium exigere? Affirmativè eſt reſpondendum, ſi pretium ſit juſtum, juxta rei gravitatem, & periculi contingentiam, & ex conſenſu, & voluntate mutuatarij talis conventio fiat, quia talis aſſecuratio eſt pretio æſtimabilis. Vndè ſicut quilibet alius ob eam poſſet pretium accipere, ita mutuans, qui non eſt peioris conditionis, Tapia *lib.* 5. *q.* 17. *art.* 9. *n.* 2. Villalobos *tract.* 2. *diff.* 10. *n.* 3. Laym. *lib.* 2. *art.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 13. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 18. *n.* 2. Covar. 3. *variar. cap.* 2. *n.* 5. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 13. *n.* 116. Salas *de vſuris*, *dub.* 23. *n.* 2. & 3.

Limitatio præcedentis doctrinæ.

92 At ſi ex vi mutui mutuans obligaret mutuatarium, vt ſecum præfatum contractum iniret, etiamſi pretio juſto id faceret, committeret vſuram, quia prædicta obligatio eſt æſtimabilis pretio, ad quam ex vi mutui non adſtringitur mutuatarius, & ita communitèr Doctores explicant textum illum in cap. *Naviganti*, *de vſuris*. vbi Gregor. IX. ita dicit: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans*

mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus. Quæ verba communitèr interpretantur de eo, qui obligat mutuatarium ad prædictum contractum aſſecurationis, quamvis aliqui dicant, pontificem loqui de foro externo duntaxat, qua de cauſa non dixit vſurarium eſſe, *ſed vſurarius eſt cenſendus.* Eo quod multoties plus juſto pretio pro periculo exigatur; & multoties ob periculum vanum, vel nullum, quia mutuatarius non intendebat transferre pecuniam mutuatam, ſed ſtatim conſumere. Quamvis non deſint, qui dicant, in eo textu mendum irrepſiſſe, defeciſſeque particulam *non*: & cùm dicit, *vſurarius eſt cenſendus*, deberet dicere, *vſurarius non eſt cenſendus*; quod ex cohærentia cum alijs, quæ ibi dicuntur, probat Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 13.* Palaus *tom. 7. tract. 32. diſp. 4. punct. 18. n. 4.*

PUNCTUM XI.

Vtrùm vſura ſit in contractu ſocietatis, ratione trium contractuum, lucrum determinatum reportare, ſalvo ipſo capitali?

Proponitur & explicatur caſus tituli.

93 CAſus de quo loquitur titulus (qui valdè vſitatus eſt in pluribus hiſpaniæ, & aliarum nationum emporijs) talis eſt. Petrus init contractum ſocietatis cum Paulo negotiatore, apud quem centum aureos deponit, vt, ipſo ponente pecuniam, & Paulo induſtriam, vterque fœneretur. Sperabat ex tali contractu 30. ſupra capitale lucrari, ſed, vt ſibi capitale aſſecuretur, init alium contractum cum eodem Paulo aſſecurationis, & pro aſſecuratione capitalis dat illi 10. ex his quæ fœnerari ſperabat: & vt lucrum ſibi ſit certum, quod aliàs erat dubium, init alium contractum cum eo, & vendit ei 20. incerta, quæ ſperabat, pro 12. certis; & ſic, ſalvo capitali, & nullo periculo expoſito ob triplicem iſtum contractum ſocietatis aſſecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti maioris pro lucro certo minore, fit, quòd certò recipiat decem, vel duodecim ſupra ſortem, quam dedit. Quæritur ergò, an hoc circulo diverſorum contractuum cum eodem poſsit ſine labe vſuræ, vltra id quod dedit, prædictum lucrum accipere. ¶ Sed quia tota huius puncti deciſio ex cognitione contractus ſocietatis dependet, priùs illum brevitèr explicabimus, & poſtea ad deciſionem caſus deveniemus.

§. I.

Quid ſit contractus ſocietatis? An licitus ſit negotiatione? Quas conditiones requirat? Et quomodò definiatur?

Diffinitio, & explicatio contractus ſocietatis.

94 COntractus ſocietatis, qui in praxi frequentiſsimus eſt, diffinitur quod eſt: *Duorum, vel plurium conventio contracta ob commodiorem vſum, & veriorem quæſtum.* Itaque tunc ſocietas initur, cum plures conveniunt ad negotiationem, vt vnuſquiſque ſive pecunijs, aut mercibus, ſive operis, ſive expenſis, particeps lucri, aut detrimenti fiat. Et locum habet, quando plures in vnam negotiationem conveniunt ſuis pecunijs, vel induſtria, & opera; vt lucrum, & damnum, ſi fortuna adverſa fuerit, reſpondeat vnicuique ſecundùm proportionem pro rata ſortis ſuæ. Undè vt hic contractus licitè fiat, non debet manere ſecurum capitale alicuius ex ſocijs, ſed ſicut lucro, ſic & periculo, & detrimento debet exponi, & fortuna proſpera, vel adverſa eſt individuus comes ipſius. Sic Sylveſt. *verb. Societas* 1. Prado *cap. 29. q. 5. n. 4.* Tapia *lib. 5. q. 18. art. 15. n. 2.*

Duplex acceptio contractus ſocietatis explicatur.

95 Societas poteſt eſſe, vel omnium bonorum, quando nimirùm ſocij habent communia omnia bona, quacumque via, & ratione honeſta, ac juſta illis contingant, tam præſentia, quàm futura, ſive proprio labore, ſive per mercaturam, & negotiationem, ſive per legatum, aut hæreditatem ea acquiſierint; & talis contractus iam non eſt in vſu, niſi ſolùm in matrimonio, in quo inter virum, & vxorem talis ſocietas celebratur omnium bonorum, quæ nec vinculata ſunt, nec dotalia, aut paraphernalia: & in tali ſocietate damna, quæ eveniunt ſine culpa ſocij, debent eſſe communia; ſi ea contingant culpa ſocij, ipſi ſoli imputantur. Quæ autem culpa ad hoc ſufficiat, an lata, vel levis, aut leviſsima, diximus *tract. præced. capit. 1.* ¶ Alia eſt ſocietas certæ rei, quando nimirùm conveniunt aliqui in aliquod certum genus negotij ad commune lucrum: quod regulariter fit duplicitèr. Primò, quando plures mercatores vnum cumulum ſuarum pecuniarum, & mercium congerunt, communeſque habent miniſtros; & ita pecuniæ, ſeu merces, operæ, & expenſæ ſunt communes: quod ſocietatis genus illuſtribus mercatoribus frequentiſsimus eſt in pluribus Europæ civitatibus. Secundò, quando vnus ſocius pecunias ponit, alter verò induſtriam, & operas tantùm, vel induſtriam cum aliqua parte pecuniæ, quibus pro rata ſortis ſuæ, & expenſarum, detrimenti ratio debet obtingere, ſicut & lucri diſtributio.

Conditiones, vt licitus ſit contractus ſocietatis.

96 Omnis hæc ſocietas eſt licita, vt fatentur omnes Doctores, ſi debitæ conditiones ſervantur, quarum præcipuæ ſunt. Prima, quòd is, qui pecuniam ponit, periculum eius ſubeat, & non quærat ſalvum fieri capitale. Secunda, quod ars, vel negotiatio ſit licita, cap. *Per veſtras, de donation. inter virum, & vxorem*: ſecùs non obligaret contractus, quamvis, ea negotiatione tranſacta, lucrum dividi debeat, quantum licitè fieri poteſt, leg. *Nec permittendum, ff. pro ſocio.* ¶ Tertia, quod æquitas ſervetur in omnibus, ita vt damna, & lucra ſint communia proportionabilitèr, ita, vt quo quis plus poſuit pecuniæ, vel operæ, plus habeat de lucro, leg. *Si non fuerit*, leg. *Quid enim, ff. pro ſocio*: in quo judicio prudentum eſt ſtandum, quòd eſt in hac actione ſequendum. Quarta, quod pecunia tradatur negotiatoribus: ſi quis enim conferret alteri mille aureos, qui peritia negotiandi careret, vel alium lucroſum contractum non exerceret, illa non eſſet ſocietas, ſed mutuum; & ideò vſura eſſet lucrum reportare, quod peccatum eſt in praxi frequentiſsimum. Quinta, quòd ponens pecuniam ſubſit duplici periculo, ſcilicèt perditionis pecuniæ, & perditionis negotiatorij vſus eiuſdem pecuniæ: qui verò ponit induſtriam, ſeu operas ſuas, ſubſit vni tantùm periculo, ſcilicèt perdendi vſum induſtriæ, ſeu operarum ſuarum, vt inquit Caietan. *in ſum. verb. Societas.*

Qua-

Quot modis finiatur contractus societatis?

97 Quatuor autem modis finitur contractus societatis, ita vt non obliget ampliùs socios. Primò, finito tempore constituto ad illum, leg. *Actionem, §. Item si alicuius, ff. pro socio*; quod commune est omnibus obligationibus: omnes enim, quæ certum tempus, aut negotium habent, eo elapso, aut finito, cessant. Secundò, per renuntiationem, & mutuum consensum sociorum, quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur: nascitur autem societas mutuo consensu: eodem ergò pariter dissolvetur. Et sufficit tacita renuntiatio, qualis censetur, si quis sociorum separatim in proprium commodum negotiari incipiat, leg. *Itaque cùm separatim, ff. pro socio.* Si verò renuntiatio fiat absque tacito, vel expresso consensu sociorum, non valet, sed tenetur quilibet stare contractui. Undè socius, qui ante tempus præfixum societati renuntiat, commodum quidem societatis non sentiet, cùm ex parte sua iam cedat societati; sentiet tamen damnum, si id fecerit absque aliorum consensu, & absque necessitate, leg. *Actione, ff. pro socio*: & tenet Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 20. num. 7.* Gomez 2. *variar. cap. 4. num. 6.* Tertiò, morte alicuius socij finitur societas, leg. *Verum, §. final. ff. pro socio*; etiamsi societas cum pluribus contracta fuerit, vt docent communiter Doctores, nisi cautum sit, vt societas, illo decedente, perseveret; &, vt habetur in dicta lege, non solùm finitur morte naturali, sed etiam civili, qualis est professio religiosa. Quartò, egestate socij, quando nimirùm socius non potest contribuere rem, aut pecuniam: ad quem modum finiendi societatem reducitur casus, quo bona ipsius socij publicantur, aut ære alieno adstrictus cedit bonis, leg. *Actione, ff. pro socio.* Et quod dictum est de ære, aut pecunia promissa, intelligendum est de industria socij, quam iam præstare non potest morbo, carcere, captivitate, alijsque similibus impeditur. ¶ Hæc, quæ communia sunt apud Auctores, brevitèr tetigisse sufficiat, vt societatis contractus aliqua notitia accipiatur pro cognitione eorum, quæ in titulo puncti inquiruntur necessaria. Nunc ad quæsitum deveniamus.

§. II.

Quod in titulo puncti inquiritur, enucleatur.

Negat prima sententia, ratione triũ contractuũ, posse aliquid supra sortem in mutuo accipi.

98 IGitur circa id, quod in titulo puncti quæritur, an nimirùm ratione trium contractuum, societatis, assecurationis, & venditionis, possit lucrum supra sortem exigi absque vsuræ peccato; duplex datur sententia, vtraque satis probabilis. Prima est negativa, & probatur primò ex bulla Sixti V. quæ in *tom. 2. Bullarij, fol.* 557. est bulla 45. huius Pontificis, quæ incipit, *Detestabilis avaritiæ*: edita anno 1586. vbi sic loquitur: *Non licere his, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradunt de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter se pacisci, vel concordare. Nec etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capitale salvum, & integrum, vbi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Et ne de cætero societates ineantur sub huiusmodi pactis, & conditionibus, quæ vsurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicimus, & prohibemus.* ¶ Secundò, quia per pactum assecurationis evertitur societas, quæ est fraternitas, de cuius ratione est, vt partes sint æquales, vel absolutè, vel cum proportione: si ergò aliquis sociorum non sit socius in periculo sortis, & lucri, sicut alij, cùm sit quoad alia æqualis, iam erit leonina societas, vt loquitur lex *Si non fuerit, ff. pro socio.*

Dicta sententia vlterius cõprobatur.

99 Tertiò, nam licèt quilibet ex his contractibus seorsim liciti sint; si tamen fiant simul, vel successivè cum eodem socio, dissolvuntur, & relinquitur vnus tantùm contractus mutui cum lucro, quod est vsura. Siquidem socius assecurans, remanet dominus illarum rerum, quas proindè potest distrahere, quomodo voluerit, & periculum est pro illo: quod est proprium mutui, & alienum à societatis contractu. Nam, vt inquit D. Thom. *quæst. 78. art. 2. ad 5.* in hoc differunt contractus mutui à contractu societatis, quòd in illo transfertur dominium in mutuatarium, ac proinde damnum, & periculum stat pro eo: in isto remanet dominium penès socium, qui ponit pecunias, & stat pro eo periculum: Si ergò per istam circuitionem contractuum transfertur dominium, & periculum in alium, non est societas, sed mutuum: & sic lucrum reportare, salvo, & securo capitali, est vsura. Atque ita docent Tapia *tom. 2. caten. lib. 5. q. 17. art. 14. num. 3.* Prado *tom. 2. capit. 29. q. 2. n. 24.* Sotus *lib. 6. q. 2. artic. 2. ad 3.* Thom. Mercat. *lib. 1. de contractib. capit. 9. fol. 37.* Ioann. à S. Thom. *in explicatione Doctrin. Christ. 2. part. in septim. præcept. dub. 7. & 9.* Bañez 2. 2. *q. 78. art. 4. de contract. societ. dub. 1. conclus. 5 fol. 637. & 638. ad 4.* Ledesma 2. *part. Summ. tract. 8. capit. 34. de contractib. societat. conclus. 5. fol. 462.* Ioann. à Cruce *in 7. præcept. quæst. 6. art. 2. dub. 4. conclus. 3.* Arag. *quæst. 78. art. 2. fol. 696.* Azor *part. 3. lib. 9. cap. 3. quæst. 6. & capit. 4. quæst. 5.* Rebell. *lib. 15. quæst. 4. num. 2.*

Cum tribus contractibus licere aliquid ob mutuum supra sortem accipi, tenet alia sententia.

100 Secunda sententia huic contraria dicit, quòd si contractui societatis superaddatur contractus assecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi eorum licitum erit accipere lucrum certum, salvo capitali. Et probatur primò ex cap. *Per vestras, de donationibus inter virum, & vxorem*: vbi dicitur, quòd, marito vergente ad inopiam, dos deponatur apud aliquem mercatorem, qua ex parte lucri honesti onera matrimonij sustineret; & eius intentio est, vt salva dos conservetur: quod fieri non posset, nisi per triplicem contractum iam dictum: & ideò in leg. *Si non fuerit, §. Ita, ff. pro socio*, dicitur: *Ita coiri societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit, Cassius putat.* Secundò, quia nemo negat, eum, qui confert aliquam pecuniam in societatem, posse assecurari ab alio tertio de sorte, & de aliqua parte lucri jure venditionis, & sic celebrare contractum assecurationis sortis, & venditionis lucri incerti pro certo minori cum alio tertio: ergò etiam potest hos duos contractus celebrare cum socio, cum quo iniret contractum societatis: quia non est ratio, quare sit inhabilis socius ad contractum assecurationis sortis, & emptionis lucri incerti pro certo; & alij id facere possint. Tertiò, quia licèt, ex vi contractus societatis præcisè, pecunia deberet exponi periculo deponentis, tamen ratione contractus assecurationis adjuncti potest hoc periculum

culum cessare: potest autem postea vendi lucrum verisimile incertum pro minori sibi certo solvendo: ergo isti tres contractus impliciti, & expliciti cum eodem, vel cum diversis (hoc enim non variat essentialia contractus) possunt simul, & semel servari.

Vlterius cõprobatur sẽtentia dicta.

101 Præcedens sententia potest confirmari praxi, & consuetudine, quæ viget in Gallia, Hispania, Italia, & per totam ferè ecclesiam, vbi sunt frequentissimi tales contractus à temporibus antiquis: consuetudo autem immemorialis facit præsumi titulum requisitum ad eius valorem, cap. *Super quibusdam, de verbor. signific.* Quare hanc sententiam tuentur Malder. 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 9. Sylvest. *verb. Societas* 1. *q.* 2. *fin.* Armill. *ibi, n.* 6. Barthol. à Medin. *lib.* 1. *summ. cap.* 14. *§.* 27. *fol.* 148. Francisc. Garc. 2. *p. de contract. cap.* 17. *fol.* 508. Ludov. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 65. *fol.* 334. Serra 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 2. Bonac. *disp.* 3. *q.* 3. *disp.* 11. *n.* 2. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 26. *diff.* 3. *n.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 3. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *p.* 3. *dub.* 2. *n.* 441. Trullench *lib.* 7. *cap.* 24. *dub.* 2. *n.* 1. Palaus *tom.* 7. *tract.* 32. *disp.* 8. *punct.* 4. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 20. *n.* 2. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 41. *n.* 3. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 10. *disp.* 2. *n.* 439. Dian. 1. *p. tract.* 8. *resolut.* 30. Lugo *disp.* 30. *sect.* 4. *à n.* 40. & alij. Qui etiam dicunt, non esse necessarium tales contractus expresse fieri; sed satis esse quod fiant tacitè, & implicitè: vt si dicat, *do tibi* 100. *vt des mihi* 5. *securo capitali, eo modo quo Doctores dicunt fieri posse.* Multi enim sunt sæculares, quorum capita non capiunt huiusmodi tricas, & argutias, quibus sufficit id totum in confuso velle, quod Doctores dicunt licere. Monentque prædicti Auctores hac via excusari viduas, ecclesias, pupillos, monasteria, quæ dare solent mercatoribus pecunias, vt dent illis quinque pro centum pro sua sustentatione, securo capitali.

Secunda sententia rectè explicata amplectenda est.

102 Certè istam secundam sententiam tot populorum consensu firmatam, tàm antiqua, & generali consuetudine approbatam, tot gravissimorum Auctorum auctoritate munitam, rationibusque fortissimis fulcitam deserere non possumus, si cum debitis limitationibus admittatur, quæ quia frequentèr solent omitti, & parum de illis curatur, plenus est talis contractus periculis, & qui viam latam aperit ad multas vsuras palliandas, quia, vt rectè inquit Caietan. *tom.* 2. *opusc. tract.* 31. *respons.* 11. *§. Duplicitèr.* Consuetudo hæc non esset introducenda: aperitur enim per hæc pacta via palliandi vsuras, cum damno virorum industriorum, qui hæc pacta subeunt, quia egent pecunijs, vt possint de suis industrijs vivere; & minùs malum est eis hæc pacta subire, quàm cum manifesto interesse invenire pecuniam eis oportunam. Quamvis Less. *suprà num.* 32. contendat esse expediens permittere huiusmodi formulam contrahendi ad salutem animarum, & ad commodum Principis, & ad subsidium viduarum, & pupillorum; sed proculdubiò excesit in fine illius dubij dicendo. (Hæc fusius præter morem prosequutus sum, quòd videam adhuc à quibusdam propter vmbras quasdam vsuræ hunc contractum damnare; cuius prohibitionem hoc tempore cum damno publico futuram non dubitaverim.)

Conditiones requisitæ, vt liceat dictus contractus.

103 Tres igitur conditiones debent observari, vt talis modus contrahendi sit licitus. Prima, quod accipiens pecuniam obligetur cum ea negotiari; si enim ex pacto non destinetur negotiationi, sed solùm ad solvenda debita, vel ad donationem non lucrativam, iam tunc est aperta vsura, quia solùm est mutuum, & societas ficta. Vnde si datur pecunia non negotiatoribus, sed indigentibus ad suum victum, vel quibus prohibita est negotiatio, erit palliata vsura. ¶ Secunda, quod lucrum certum, quod exigitur, sit adeò moderatum, vt, attento capitali, quod confertur, & spelucri maioris, omnia compensentur onera contractus. Vsu antiquo solùm dabantur quatuor pro centum: quinque pro centum sunt modo in vsu regulariter. Serra autem *loc. cit.* asserit licere octo pro centum. Et Bonac. *num.* 6. cum alijs asserit in contractu trium contractuum posse tanto plus exigi, quò negotiatio maius lucrum affert: addimus nos, & quò magis fuerit certum lucrum, & minus periculum sortem amittendi. ¶ Tertia conditio est, vt talis contractus assecurationis capitalis fiat ad instantiam alterius socij ponentis operas, taliter quòd hic socius voluntarius hunc contractum admittat, alias ratione pecuniæ sibi datæ ad negotiandum videretur adactus ad assecurandum, ac per consequens tunc ratione virtualis mutui videretur ad illam obligationem assecurandi capitale fuisse coactus. ¶ Cum dictis conditionibus admittenda est secunda sententia.

Solvitur primum argumentum ex bulla Sixti V. petitum.

104 Ad primum sententiæ contrariæ respondet primò Lesius *n.* 33. illam constitutionem intelligendam esse, quando ex vi contractus societatis exigitur assecuratio; quod est contra naturam ipsius contractus, de cuius ratione est, quod capitale sit in periculo respectu deponentis; non verò quando provenit talis assecuratio ex alio contractu adjuncto, nimirùm assecurationis. ¶ Secundò, respondet Lugo *num.* 37. referens Azor, Filliuc. & Comitolum, dicentes, Pontificem viva voce declarasse solùm voluisse prohibere ea pacta, quando injusta, vel vsuraria essent; non verò quando essent justa: affertque decisionem Rotæ relatam *in Compendio Cherubini, scholio* 1. quæ fuit edita die 3. Iunij anno 1602. Et ibi dicitur, hanc bullam solùm comprehendere casus vsurarios jure communi. Quam decisionem etiam affert Serra *concluf.* 3. ¶ Tertiò respondetur cum Lesio *loc. citat.* Malder. *in fine illius dub.* 9. talem constitutionem, vel receptam non esse, vel vsu, & consuetudine abrogatam. Undè relinquitur hoc negotium in terminis juris naturæ. Nec credendum est (id quod Auctores contrarij ponderant) Pontificem voluisse declarare esse hos contractus simpliciter jure naturæ illicitos; sed (quod & verba sonant) solùm voluisse posthac non licere. Vndè non est illa constitutio declaratio juris naturæ, aut divini, quæ proinde non posset per non vsum, vel contrariam consuetudinem infirmari; sed solùm prohibitiva, quæ, sicut aliæ leges pontificiæ, potest per oppositam consuetudinem abrogari.

Alia argumenta enervantur.

105 Ad secundum respondetur, quòd ratione societatis habent socij æqualitatem, aut proportionem in periculo, & lucro, alioquin non esset opus alio contractu, vt quis eorum de lucro, & forte securus esset. Verùm iste contractus non evertit, sed supponit societatem, nec inducit inæqualitatem, ratione cuius leonina sit societas, quia onus suscipientis in se periculum ei compensatur per partem æstimati lucri. ¶ Ad tertium negatur, ex vi talis contractus transferri dominium (saltem absolutum, & perfectum) sicuti per mutuum transfertur; cum illa res transferatur,

tur cum onere vtendi ea ad certum finem, nimirùm cum obligatione negotiandi: & sic non potest eam accipiens distrahere, prout voluerit, secus potest mutuatarius.

PUNCTUM XII.

Vtrùm vsurarius acquirat dominium rei per vsuram acquisitæ?

Vsurarius fit dominus rei per vsuram acquisitæ, secundū aliquos.

106 AFfirmativè respondet prima sententia, quamvis cum onere restitutionis. Quia dominium transfertur voluntate domini; sed mutuatarius, licèt secundùm quid coactam voluntatem habeat dandi vsuram; simpliciter tamen libere dat, & sic potest dominium transferre: sicut etiam interesse pro lucro cessante, & damno emergente dat suo modo necessitate coactus: & sic cùm pauper vendit domum ob necessitatem, non tollit, quominùs per talem voluntatem transferat in alium dominium. Sic Glossa in cap. *Si quis vsuram* 14. *q.* 4. Henriq. *de vsur. lib.* 4.*q.*27.Scoto *in* 4.*dist.*15.*q.*2.*art.*3. *ad* 2. Navar. *cap.*17.*num.*265. Tabien. *verb. Vsura* 6. *in principio*, Lug. *disp.*25.*sect.* 11. *num.* 206. Sà *verb. Vsura, n.* 2.

Verius est, vsurariū nō fieri dominum rei per vsuram acquisitæ.

107 Sed negativa sententia est amplectenda; quam tenet D. Thom. 2. 2.*q.*78.*art.* 3. Et probatur primò ex leg. *Numquam.ff. de acquirend. rerum domin.* vbi dicitur: *Nuda traditione non transferri dominium, nisi præcedat venditio, aut alia justa causa*: hìc autem nec venditio, nec justa causa præcedit, nisi nuda traditio: ergò per illam non transfertur dominium. Secundò, quia contractus vsurarius, qua parte vsurarius est, est nullus jure naturæ, divino, canonico, & civili: ergò impotens ad transferendum dominium. Vndè dans vsuras se habet, sicut qui dat latroni pecunias, ne ab eo molestetur; & sicut latro rei tali modo acceptæ non acquirit dominium, sic nec vsurarius rerum per vsuras acquisitarum. Tertiò, quia mutuatarius non intendit donare, aut plus juris transferre in alium, quàm ipsi debeatur; sed mutuanti nihil debetur supra sortem: ergò non intendit transferre dominium eorum, quæ supra sortem dedit. Vndè licèt ob coactionem voluntatis non impediretur, quominùs transferretur dominium, vt probat contrarium argumentum, sicut, qui metu gravi coactus vendit justo pretio, transfert dominium rei venditæ in ementem, vt diximus *cap.* 1.*n.* 11. attamen in nostro casu, vel non vult, nec liberè, nec coactè, transferre dominium, cùm solùm velit dare quod debet: vel, etiam si velit, cùm sit in contractu nullo, nihil efficit. Sic præter D. Thom. Bañ. ibi, *dub.* 1. Salon *controv.*1.*n.*5.Prad.*cap.*28.*q*3.*n.*3. Tapia *lib.* 5.*q.*18.*art.*15.*n.*1.Trull.*lib.*7.*cap.*19. *dub.* 18. *n.* 3. Bonacin. *disp.*3.*q.*3.*punct.* 14. *n.* 1.Sylvest. *vsur.*6. *dub.* Covar. 3.*variar.cap.*3.*n.*6.Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.*18.*n.*158.Villalob. *tra.* 22.*diffic.*15.*n.* 1. Salas *de vsur.dub.*38.*n.*3.Palaus *disp.*4.*punct.*25.*n.*2.Cajetan. *tom.*2.*opusc.tract.*8.*q.*1.

Si res vsuraria crescat in pretio, valor est mutuatarij.

108 Vnde fit, quod si res sub vsura data crescat in valore, & pretio apud vsurarium, talis valor pertinet ad mutuatarium; quamvis, si decrescat, aut pereat, quæ non esset apud dominum peritura, pereat ipsi vsurario, quia est malæ fidei possessor; sicuti quæ à latrone surripiuntur, ipsi pereunt, tametsi dominium maneat apud alium. Fit secundò, non posse vsurarium transferre in alios dominium rerum, quæ acquisivit per vsuras; & sic accepta ab vsurario, quorum ipse non est dominus, manent obnoxia restitutioni; sicut quæ à latrone accipiuntur, si in specie extent, antequam per admixtionem dominium earum acquiratur, modo infrà dicendo. Nec potest tales res alienare, modò non sint vsu consumptibiles, & per earum alienationem non reddatur impotens vsurarius ad restituendum, quia si alias pecunias habeat, aliasve res vsu consumptibiles, quas subrogare potest loco earum, quas per vsuras acquisivit, probabile est eas posse distrahere, & earum dominium in alium transferre, ita vt hic non teneatur eas restituere, quia parum interest mutuarij, quod eadem re, vel alia, æquivalens pretium ipsi restituatur. Bonac. *punct.*15.*n.*8.Salas *dub.* 42.*n.*2.Tapia *n.*5.Bañ. *art.*3.*concl.*2. & 4.

Si res per vsuram acquisita sit alijs rebus vsurarij per mixta, eius fit dominus.

109 Si tamen res, quas vsurarius per vsuras acquisivit, cum alijs suis rebus permixtas habeat; ita vt aliæ ab alijs discerni non possint, sive hoc fiat, quando à mutuatario simul cum sorte lucrum ei conceditur indistinctè, sive posteà misceantur cum alijs rebus eiusdem speciei, quæ erant apud vsurarium, omnium acquirit dominium; tametsi imperfectum, quia non potest de illo acervo disponere; sed solum de quantitate, quam mutuo dedit. Tùm quia cum vsurarius sit dominus vnius partis illius acervi, & non sit maior ratio, quare sit vnius, & non alterius (quandoquidem nequeunt discerni) sequitur vtriusque acquirere dominium, licèt imperfectè, vt diximus. Tùm etiam, quia ita habetur *§. Si duorum* 2. & seq. Instit. *de rerum division.* leg. *Si alieni* 78. *ff. de solutionib.* ibi: *Si alieni numi, inscio, vel invito domino, soluti sunt, manent eius cuius fuerunt: si mixti essent ita vt discerni non possent, eius fieri, qui accepit, in libris Cassij scriptum est.* Ita ex communi sententia Less. *lib.*2.*cap.*20.*dub.* 18.*n.* 157. Sylvest. *vsura* 6.*q.*1.Angel.*vsur.* 2.*n.*18. Bonacin. *punct.*14.*n.*1.Petr.Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *p.* 2. *dub.*14.Palaus *disp.*4.*punct.*25.*n.* 4. & 5.Villalob. *tract.*22.*diff.*15.*n.*2.Trullench. *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 17.*n.*2.

Ex toto aceruo vsurarij potest mutuatarius rē suam detrahere.

110 Sed quando cumulus ille coalescens ex re vsuraria, & alijs bonis vsurarij, aliquo modo idem permanens, extat, sive apud vsurarium, sive apud alium: ille, cuius res ibi permixta est, habet jus in re, simulque cum vsurario verum dominium retinet in illo acervo; & sic ante omnes alios creditores est ei satisfaciendum: imò ipse potest ex illo accipere, & detrahere quantum suum est, leg. *Marcellus* 3.*§. Pomponius, ff. de rei venditione*, ibi: *Si quid, quod eiusdem naturæ est, ita confussum, & mixtum est, vt separari nequeat, pro parte vindicandum.* Et est juri naturæ valde consentaneum: nam cum certò mihi constet rem meam esse hìc permixtam, non est, cur non possim ex illo acervo, quod meum est, demere. Less. *n.*157. Palaus *num.*5. Trullench. *n.*2.

Tenetur vsurarius, quod per vsuram acquisivit, restituere.

111 Sed, sive vsurarius dominium acquirat rei per vsuram acquisitæ, sive non, omnium est sententia teneri tantundem mutuatario restituere, si constet de illo, alioqui restitutio facienda est pauperibus, vel operibus pijs, sicuti de alijs debitis incertis diximus *tract. præced. cap.* 1. & similiter omnia damna sequuta, quia per iniquam actionem est eorum causa: & si in vita non restituat, deberi ab hæredibus restitui in vtroque foro, tenent vniversi, quia defunctum repræsentant: & sicut in eius bonis succedunt, etiam

succe-

succedunt in oneribus: vt habetur cap. *Tua nos, de vsuris*: vbi dicitur, *quod filij ad restituendas vsuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes, si viverent, cogerentur.*

Quid de rebus partis per pecunias vsura acquisitas?

112 Et si roges primò, vtrum teneatur vsurarius restituere quod per pecunias, vel alias res vsura partas fœneratus est? Respondet præclarè D. Thom. (quem communiter Doctores sequuntur) 2.2.*q.* 78. *art.* 3. hoc modo: *Res quædam sunt, quarum vsus est earum rerum consumptio, quæ non habent vsumfructum secundùm jura: & ideò, si talia fuerint per vsuram extorta, putà denarij, triticum, vinum, aut quid huiusmodi, non tenetur homo ad restitutionem, nisi eius quod accepit, quia id, quod ex tali re est acquisitum, non est fructus huiusmodi rei, sed humanæ industriæ: nisi fortè per detentionem talis rei alter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis: tunc enim teneretur ad recompensationem nocumenti. Quædam verò res sunt, quarum vsus non est earum consumptio; & talia habent vsumfructum, sicut domus, & ager, & alia huiusmodi: & ideò si quis domum alterius, vel agrum per vsuram extorsisset, non solùm tenetur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, & ideò ei debentur.*

Fructus ex re vsuraria percepros debet vsurarius restituere.

113 Sed nota, non solùm teneri vsurarium restituere fructus ab eo perceptos, sed quos mutuatarius percepisset, si apud eum talis res esset; sive vsurarius tales fructus percipiat, sive non, vt si res apud eum pereat, quia in eo alium injustè damnificavit. Quoad illos verò fructus, quos non esset mutuatarius percepturus, Lugo *disp.* 25. *sect.* 11. *n.* 209. asserit, non teneri eos restituere, etiamsi tales fructus vsurarius percipiat, quia in eius sententia dominium talis rei acquisivit, & sic sunt fructus ex re sua, & solùm tenetur alium indemnem servare: quòd faciet restituendo fructus, quos ille percepturus erat. Sed oppositum est dicendum in nostra sententia, cùm dominium illius rei maneat penès mutuatarium, & res semper domino fructificet: vndè restituere debet fructus, quos ex re alterius percepit, etiamsi ille non esset percepturus, detractis expensis, & æstimatione laboris, & industriæ adhibitis ad tales fructus percipiendos.

PUNCTUM XIII.

Quinam præter vsurarium peccent, & teneantur ad restitutionem propter vsuras?

Qui cõcurrit ad vsuras ex parte mutuatarij, nil tenetur restituere.

114 PRæter accipientes vsuras sunt alij, qui ad contractum vsurarium aliquo modo concurrunt, de quibus suo ordine brevitèr hoc puncto agemus. Sed pro omnibus hæc regula statuenda est communitèr ab Authoribus assignata: quòd si alius gerat negotium, aut partem mutuatarij, quia illi gratum est pecunias mutuatas sub vsuris accipere; & sic eum adiuvet ad hunc effectum, vel consilium præbendo mutuanti, vel mutuatario, ostendendo eum, à quo sub vsuris mutuum accipiet, vel alio modo, non peccat contra justitiam, nec tenetur restituere, quia non facit mutuatario injuriam, sed favorem; sed, si commodè potest hoc peccatum vsurarum excusare, peccabit contra charitatem, ob generalem rationem, quia malum proximi quilque avertere debet, si commodè id facere potest. ¶ Et notant benè Bonacin. *disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 15. *num.* 12. Sal. *de vsur. dub.* 44. *num.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 21. *num.* 183. Palaus *disput.* 4. *punct.* 27. *fin.* operatores vsurarum plerunque à peccato, & obligatione restitutionis excusari, quia bona fide procedunt, ignorantes contractum vsurarium esse. Et etiam obligatus ob cooperationem ad restitutionem sæpè excusatur ab ea, ex voluntate mutuatarij nolentis eam imponere illi obligationem, vtpotè qui nullum commodum accepit ex vsuris: & hac ratione etiam excusant aliqui famulos vsuriariorum, qui jussu dominorum exigunt vsuras, sine eo quòd inde emolumentum accipiant; quia non censent mutuatarij sibi tantam injuriam ab eis factam, vt velint per restitutionem eos obligare ad compensationem; & ideò, si rogarentur, de facili condonarent. Quibus suppositis.

Suadẽs vsuras, tenetur restituere, si est causa illarum.

115 Inquires primò, an suadens, consulensve vsuras, vel pecunias ad eas præbens, peccet contra justitiam cum onere restitutionis? Negat prima sententia. Tùm, quia non videtur efficax causa damni, cùm alius posset à solutione vsurarum abstinere. Tùm etiam, quia mutuatario non displicet, sed vult vsuras accipere; & sic media exoptat ad istum effectum: & consilium alterius, vel pecuniarum largitio est medium ad consequendum desideratum, & sic non censetur injuria affectus. Sylvest. *vsur.* 7. *quæst.* 2. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *q.* 11. *art.* 2. *concl.* 3. Ioan. de Medin. *de vsur. q.* 4. Tolet. Angel. Sà, apud Sal. *dub.* 44. *n.* 3. ¶ Sed verius est oppositum, quia consulens, & dans pecunias, est satis efficax causa damni. Et licèt alius posset à solutione vsurarum abstinere, satis est, quòd tuo consilio fueris causa, ne ipse excusetur; sicut qui accipit vsuras, non excusatur per hoc quod alius posset à solutione abstinere. Nisi tale consilium, aut cooperationem gratam esse mutuatario judicet, quia tunc eius partes agit. Villalob. *tra.* 22. *diff.* 19. *n.* 2. Trull. *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 21. *n.* 2. Bonac. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 15. *n.* 11. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 178. Lug. *disput.* 25. *sect.* 11. *n.* 216. Palaus *disp.* 4. *punct.* 25. *n.* 4. Bañ. 2.2. *q.* 78. *art.* 3. *dub.* 5.

Quid de ponente apud vsuratiũ pecunias sit sentiendum?

116 Inquires secundò, an peccet mortalitèr deponens pecuniam apud eum, qui scit ea abusurum ad vsuras? Respondet D. Thom. *q.* 78. *art.* 3. *Quòd si quis committeret pecuniam suam vsurario non habenti aliàs, vnde vsuras exerceret, vel hac intentione committeret, vt inde copiosius per vsuram lucraretur, daret materiam peccandi, vnde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis vsurario, aliàs habenti vnde vsuras exerceat, pecuniam suam committat, vt tutius servetur, non peccat, sed vtitur homine peccatore ad bonum.* ¶ Sed quia D. Thom. solùm dicit, peccare, & esse participem culpæ eum, qui pecunias poneret apud vsurarium, vt inde amplius lucraretur; non autem assignat quo genere peccati, an scilicet esse contra justitiam cum onere restitutionis, non esset contra eum, partem negativam amplecti. Imò nec contra rationem, quia non judicat mutuatarius per hoc sibi injuriam fieri, neque ægrè fert. Peccat ergò contra charitatem, præbendo vsurario occasionem peccati; non contra justitiam, quia non influit in injustam actionem injuriosam mutuatario. Sic Pal. supr. *n.* 5. Lug. *n.* 217. Sal. *dub.* 44. *n.* 5. Less. *dub.* 21. *fin.* Trull. *n.* 7. Bonac. *n.* 22.

117 Inquires tertiò, an domini temporales, Iudices, Advocati, qui statuto, præcepto, vel alio

Tenentur dominitemporales è terris suis ejicere vsurarios.

alio modo causæ sunt, vt vsuræ solvantur, vel solutæ, & repetitæ non restituantur, peccent contra justitiam? Respondetur affirmativè, & teneri restituere in defectum eorum, qui tales vsuras accipiunt. Quia sunt efficaces causæ injustitiæ commissæ per vsuram. Et idem est, si non excludant à suis locis vsuras exercentes, sicut eis præcipitur in cap. *Per miserabilem, de vsuris, cap.* 1. *eodem titul. in* 6. & ipso facto excommunicatur secùs facientes, Clement. *ex gravi, de vsuris*: nisi intercedente gravi necessitate reipublicæ eos permittant, quia tunc ob bonum publicum possunt etiam cogere solvere vsuras, vt inquit Salas *dub. Illo* 44. *n.* 6. *fin.* Palaus *n.* 6. Less. *dub.* 21. *n.* 179.

Quomodo peccent famuli cõcurrẽtes ad vsuram?

118 Inquires quarto, an famuli, qui faciunt contractus vsurarios nomine dominorum suorum, qui vsuras exigunt, ad solutionem cogunt, pecunias recipiunt; peccent, & teneantur ad restitutionem? Certum est, quòd si solùm exerceant ministeria minùs ad vsuras accedentia, vt scribere, numerare pecunias, custodire illas, &c. non peccant, nec tenentur restituere. Non quidem peccant, quia ad rem indefferentem concurrunt, ad quod ob justam causam, saltem vt suam non perdant commoditatem, moventur, sicut famula quæ aperit portam, lectum sternit dominæ; quamvis aliàs sciat, eam ad malos fines his actionibus abusuram. Nec sunt causæ quare exigantur vsuræ, quia iam sunt exactæ, vel aliàs à domino exigendæ. Sed adhuc loquendo de illis, qui vsuras exigunt, ad solutionem cogunt, negant aliqui teneri ad restitutionem, licèt aliàs peccent: eo quòd exactionis vsurarum, vel causa nulla sunt, vel tantùm materialis, & remota. Sylvest. *verb. Vsura* 7. *q.* 4. Sà, *eodem verb. n.* 13. Vega *in sum. eodem verb. casu* 38. Tabiena *vsur.* 7. *q.* 5. Verius est peccare contra justitiam, & sic teneri ad restitutionem: nam verè sunt causæ cooperantes ad injustitiam, quia ad actionem illam pravam, & injustam proximè, & immediatè concurrunt. Villalob. *tract.* 22. *diff.* 9. *n.* 6. Medin. *de vsur. q.* 4. Salas *dub.* 44. *n.* 12. Valent. *disp.* 5. *q.* 21. *punct.* 3. Palaus *disp.* 4. *punct.* 27. *n.* 9.

Quid de eo, qui ab vsurario acceptat solutionem faciendã ab illo, qui ob vsuras debet?

119 Inquires quintò, vtrum possit quis acceptare ab vsurario solutionem faciendam ab eo, à quo sibi debentur pecuniæ propter vsuras? V. g. petis à Paulo centum, quæ tibi debebat, ab isto totidem tibi assignantur in Francisco, qui sibi centum debet ob vsuras, poterisne illa centum à Francisco exigere, & retinere? Respondetur, quòd si tibi constet illas pecunias ob vsuras deberi tuo debitori, non potes eas exigere à debitore illius: quia ipse vsurarius non potest eas exigere pecunias, cùm ad hoc non habeat justum titulum: ergò nec tu, qui es illius creditor, quia eodem titulo exigeres, ac ille. Vndè qui ex vi talis chirographi debitum accipit à debitore vsurarij, tenetur primo loco restituere, si extet res, ratione rei acceptæ; & si consumpta fuerit, tenetur post illum, & in defectum illius; quamvis in foro externo ab vtroque posset æquè primò alius exigere; nec tenetur inter illos ordinem illum servare, ratione injuriæ, quam ab vtroque accepit. Ita Lugo *disp.* 25. *sect.* 11. *n.* 227. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 13. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 24. *num.* 195. & 196. Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 23. *n.* 1. Sed si mihi non constat, meo debitori talia deberi ex injusto illo titulo, possum tali assignatione vti, & exigere solutionem, nam, nisi res evidens sit, non est proximus vt vsurarius condemnandus; aliàs cùm inter mercatores plerumque fiat solutio per assignationem, si propter aliquod leve dubium, vel suspicionem deberent recusari designationes, nunquam cum illis posset aliquis contrahere.

An ab vsurario vsuras petere, sit peccatum?

120 Inquires vltimò, an peccet mutuatarius à mutuante petendo sub vsuris? Respondet D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. quòd inducere alium ad vsuras semper est malum ab intrinseco, sicut inducere, vt per falsos deos juret, quia est inducere directè ad peccatum. Sed quia potest homo permittere malum alterius, & eius peccato vti ad suum commodum, & bonum, sicut Deus permittit peccata nostra, & illis vtitur ad altissimos fines; ita potest ab eo, qui vsuras exercet, mutuum petere, & accipere, quamvis sciat illum non daturum, nisi sub vsuris, propter aliquod bonum; quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius: sicut D. Augustin. citatus à D. Thoma asserit, quod qui vtitur fide illius, qui per falsos deos jurat, non ad malum, sed ad bonum finem, peccato illius non cooperatur, quia solum inducit ad jurandum, vt fidem servet, quod est bonum, quamvis ipse ex sua malitia juret per deos falsos. Sic in presenti licet petere mutuum ab vsurario, quia mutuum bonum est; quamvis ille ex sua malitia malum operetur, vsuras postulando; exemplo eius, qui incidit in latrones, qui potest manifestare bona, quæ habet, vt effugiat minatam mortem; quamvis peccent latrones diripiendo. Hæc communia sunt apud Doctores, maximè si ob necessitatem, vel aliquod commodum proprium, vel alienum, mutuum ab eo petat, quem scit non sine vsuris daturum: ac proindè non peccare mutuatarium, solvendo vsuras promissas. Vidè ad hoc Sanch. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 8. *à n.* 11. Palaus *disp.* 4. *punct.* 27. *à n.* 1. Tapia *lib.* 5. *q.* 17. *art.* 13. Prado *cap.* 28. *q.* 4. *à n.* 2. Lugo *disput.* 25. *sect.* 30. *à n.* 228. Salas *dub.* 68. *à n.* 6. Diana 4. *p. tract.* 7. *resol.* 8.

Non potest mutuatarius absolutè, & expressè offerre vsuras.

121 Sed difficultas est; an liceat mutuatario absolutè offerre vsuras, quando petit mutuum, dicendo: *Da mihi mutuum, & solvant tibi tot pro vsuris*? Affirmant aliqui satis probabiliter, quia verba illa, licet videantur absolutè vsuram petere, re tamen vera conditionata sunt, & sensus illorum est: Da mihi mutuum, & si nolueris dare gratis, vel quia scio te nolle gratis dare, offero vsuras. Sic Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 23. *numer.* 1. Turrianus *hic, disp.* 63. *dub.* 1. *n.* 4. Diana *resol.* 8. *citat.* Lugo *numer.* 232. Sanch. *n.* 26. Bañez 2. 2. *q.* 78. *artic.* 4. *dub.* 2. Salon. *ibi, contr.* 2. ¶ Sed verius est, non licere. Tùm, quia sic petens alium inducit ad malum: quod peccatum est. Tùm etiam, quia non licet absolutè peti id quod ab alio nequit absolutè fieri, & vere absolutè petitur vsura sub illa formula loquendi. Vndè aliud est accipere mutum sub vsuris, aliud petere sub vsuris. Per primum solùm passivè se habet ad vsuras, & solùm significat animum patiendi ex suppositione pravæ alterius voluntatis. Secundum autem est directè ad malum inducere, si absolutè petat vsuras (si autem sub conditione petat, dicendo: Da mihi mutuum, sed quia scio, te non daturum, nisi sub vsuris, sub illis recipiam, si volueris, illicitum non erit) alium verò inducere, vt det mutuum sub vsuris, est inducere ad peccatum, & sic semper illicitum, vt docet D. Thom. *art.* 4. *citat.* & tenet Tapia suprà, *num.* 2. Prado *num.* 4. Bonacin. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 13. *num.* 1. Palaus *disp.* 4. *punct.* 27. *num.* 1. Aragon. 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *dub.* 1. Rebell. *lib.* 8. *q.* 16. *sect.* 6.

Sed

Maior cauſa requiritur, vt liceat pecere mutuũ ſub vſuris à non parato.

122 Sed notandum eſt, maiorem, & vrgentiorem cauſam requiri ad petendas vſuras, vel mutuum ab eo, quem ſcitur non daturum, niſi ſub vſuris, quàm requiratur, vt petantur à parato dare ſine vſuris: ſicut in alijs materijs ſcandali vrgentior cauſa requiritur ad petendum aliquod ex ſe non malum, quod alius non niſi pravè daturum ſcitur, quando non erat paratus ad talem actionem, quàm ab eo qui paratus erat: quia maius damnum proximi debet cum maiori incommodo vitari: & maius patitur damnum ſpirituale, qui non paratus dare ſub vſuris, à me rogatus dat; quàm qui aliàs paratus erat, vnde magna in petente requiritur in tali caſu vtilitas, nec poterit à non parato ad illicita petere. Vnde, fit quòd ſi pecunias mutuatas petas à non parato ad opus illicitum, etiam duntaxat venialiter, vt ad convivia otioſa, vanitates, &c. erit mortale peccatum, vt fert communis ſententia: quia nulla juſta neceſsitate coactus alteri præbes ſcandalum, & es occaſio, vt in culpam vſuræ labatur.

Peccat mortaliter, qui abſque juſta cauſa petit mutuum ſub vſuris.

123 Sed difficultas eſt inter Doctores, an peccet mortaliter, qui petit vſuras (vel mutuum ab eo, quem ſcit non daturum niſi ſub vſuris) à parato dare ſub vſuris, abſque aliqua vtilitate, vel neceſsitate honeſta, ſed ſolùm ad ludum, vel ſuperfluas vanitates? Negat prima ſententia: tùm, quia ei qui iam paratus eſt in illo genere delinquere, modicum fit nocumentum, ſi ex mea actione moveatur ad aliquod illius generis peccatum. Tùm etiam, quia peccatum vſurarij, non videtur imputandum petenti, ſed illius malitiæ: exemplo fœminæ, quæ è domo otioſè exijt, tametſi ſciat ab adoleſcente, turpiter concupiſcendam; quæ non videtur peccare mortaliter, ſed venialiter, eo quòd peccatum adoleſcentis non ipſi, ſed illius malitiæ eſt imputandum. Ita Sotus *de Iuſtit. lib.6.quæſt.1. artic. 5. paulò poſt principium, dub.1.* Aragon 2.2. *quæſt.78. art.4. dub.1.concl.2.* Salas *de vſuris, dub.48.num.8.* Caietan. *dict.art.4.paulò poſt principium: & in ſumma, verbo Vſura, cap.penult.* Diana 1.*p. tract. 8.reſol.31. & 4.part.tract.7.reſol.* 8. Lugo *n.* 135. Sanchez *n.* 23. ¶ Veriùs tamen eſt, mortaliter peccare, quia præbere occaſionem activè concurrendo executioni pravæ voluntatis, & peccati, quod nullatenus in opus externum prodiret, abſque vlla cauſa honeſta, honorem divinum offendit, & lædit charitatem. In caſu autem illo fœminæ, non præbet iſta ſcandalum activum, ſed merè paſsivè ſe habet: & ſic non eſt paritas. Quare in noſtro caſu peccare mutuatarium mortaliter tenent Villalob. *tract. 22. diffic.24.num.4.* Tapia *lib.5.quæſt.17.art.13. num.* 4. Trullench *cap.19.dub.24. num.* 3. Prado *cap.* 28. *quæſt.4.num.10.* Bañez *art.* 4 *dub.* 3. Sylveſt. *vſura 7.quæſt.1.* Palaus *diſp.4. punct.27.num.4.*

PUNCTUM XIV.

De pœnis, quæ ſunt contra vſurarios in jure aſſignatæ.

Pœnę ſolum contra vſurarios notorios ſunt impoſitæ.

124 QVIA pœnæ, quæ contra vſurarios habentur in jure, ſunt impoſitæ contra manifeſtos, & notorios vſurarios, prę̃mittere oportet, vſurarium dici notorium, vel notorietate facti, vel juris. Notorietate facti tunc dicitur, quando exercet contractus vſurarios multis conſpicientibus, ita vt nulla poſsit tergiverſatione celari; & non requiritur ad hoc formalis vſura, ſufficit virtualis: vt ſi ſupra juſtum pretium res vendat ob dilatam ſolutionem, vt inquit Lugo *diſp.25.ſect.11. n.238.* Salas *dub.46.n.1.* Tunc dicitur notorius notorietate juris, quando Iudicis ſententia de hoc crimine eſt damnatus; & ſufficit eſſe convictum, antequam condemnetur, quia nimirùm per idoneos teſtes coram Iudice crimen eſt plenè probatum, vt aſſerunt præcitati Auctores. Qui etiam dicunt, ſufficere confeſsionem ipſius rei, etiam extra judicialem, maximè in mortis periculo.

Pœnæ non ipſo facto latæ, ſed ferendæ.

125 Diverſæ ſunt pœnæ impoſitæ jure civili, & canonico adverſus vſurarios. Prima eſt infamia, cap. *Infames 3. quæſt.7.* cap. *Inter dilectos de exceſsibus Prælator.* leg. *Improbum fœnus*, Cod. *Quibus ex cauſis irrogetur infamia, leg.vlt.tit.6 lib 8. Recompilat.* Pontificio jure vſurarij à ſacris ordinibus recipiendis arcentur, cap. *Maritum 33. diſt.* cap. *Si ditionarios 46. diſt.* & ſuſpendi debent ab officio, & beneficio, cap. *Præterea, de vſuris*: & ab obtinendo officio, vel beneficio eccleſiaſtico repellendi ſunt. Tùm ex regula *Infamibus, de regulis juris in 6.* Tùm ex cap. *Inter dilectos, de exceſsibus Prælator.* Quæ pœnæ, cùm non ſint ipſo jure latæ, ſed ferendæ, imponere eas Iudex poteſt juxta quantitatem delicti, & in illo contumaciam. Sed in dicta pœna poſſe Epiſcopum diſpenſare quoad obtinenda beneficia, vel officia eccleſiaſtica, peracta pœnitentia, docet Salas *dub.47.num.3.* Covarr. 3. *variar.cap.3. num. 3.* Villalob. *tract.22.diffic.22.num.1.*

Aſiæ pœnæ pro vſurarijs.

126 Deinde vſurarij manifeſti arcentur à communione altaris, cap. *Quia in omnibus, de vſuris*, & nomine communionis, Euchariſtiæ receptio intelligitur, vt docet Salas *num.6.* Covarr. *num.5.* Sylveſtr. *vſura 9.quæſt.3.* Addit autem Navarr. *cap.17.num. 279.* Toletus *lib.5.cap.36.* Palaus *diſp.4. punct. 30. num.6.* ad nullum ſacramentum poſſe admitti vſurarios ante ſatisfactionem, vel præſtitam cautionem: quia licèt hoc non habeatur ex aliquo textu, habetur ex jure naturali, cùm ſint indigni. ¶ Et in cap. *Quia in omnibus, de vſuris*, privantur eccleſiaſtica ſepultura. Et *in Clement.1.de vſuris*, ipſo facto excommunicantur, qui vſurarios manifeſtos ſepulturæ eccleſiaſticæ tradiderunt; qui non tantum intelliguntur, qui corpus proprijs manibus in ſepulchrum demittunt, ſed qui auctoritativè ſepeliunt; non tamen, qui honoris cauſa adſtant, & funus comitantur, vt diximus *tract.10. de cenſuris, cap.3.num.80.* Et ab hac excommunicatione non debent abſolvi, quouſque arbitrio Epiſcopi ſatisfecerint: & quamvis vſurarij in ſuis teſtamentis præcipiant, vt vſuræ reſtituantur, tumulari non debent in ſepultura eccleſiaſtica, quouſque de facto ſit ſatisfactum creditoribus, vel ſufficiens cautio data, vel illis, ſi præſentes fuerint; vel Epiſcopo, ſi abſentes, vel eius Vicario, cum alijs conditionibus, quæ habentur, cap. *Quamquam, de vſuris in 6.*

Vſurarius non poteſt teſtamẽtum condere.

127 Præterea vſurarijs in eo ſtatu decedentibus prohibetur teſtamentum conficere, & confectum ab eis nullum decernitur, dicto cap. *Quamquam, de vſuris in 6.* (& nomine teſtamenti intelligitur etiam codicillus, & quælibet vltimæ voluntatis diſpoſitio, juxta communem Doctorum ſententiam) niſi priùs, vel ſolverit vſuras, vel ſufficientem cautionem modo dicto præſtiterit: quæ cautio idonea, quæ in jure exigitur,

debet esse, vel pignoratitia, vel fideiussoria, juxta leg. *Si mandato Titij, ff. mandati*, & cap. *fin. de pignoribus*. Quod si ob angustiam temporis, vel aliam causam non potuerit vsurarius prædictam præstare cautionem, juratoriam præstet, declaretque quantitatem debitam: & confessario tribuat facultatem manifestandi eam Ordinario: vt si, postmodùm vixerit, faciat illam solvere. Navar. *cap.* 17. *n.* 280. Salas *dub.* 47. *n.* 7. Sylvest. *rest.* 6. *q.* 7.

De pœnis contra permittentes vsurarios.

128 Deinde *in cap.* 1. *de vsuris in* 6. statuitur, ne Collegium, Vniversitas, aliave singularis persona, alienigenis, aut quibuscumque ex illa republica non oriundis, qui intendunt vsuras exercere, vel exercent, domus conducant, aut si conduxerint eas, habere non permittant, vel alio modo concedant, aut in ipsorum terris habitare sinant; sed intra tres menses eos exire compellant, nunquam ampliùs admissuri: & si secùs fecerint, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi incurrunt sententiam suspensionis, & minores personæ ecclesiasticæ excommunicantur; Collegium, seu Vniversitas interdicitur, donec vsurarius expulerint: laici verò pœnis, & censuris ecclesiasticis sunt ab Episcopo puniendi. Et insuper *in Clement. cit. de vsur.* excommunicantur ipso facto condentes statuta, dictantes, scribentes, quibus vsuræ permittantur, aut prohibeantur repeti, aut vt repetitæ non solvantur, vt suprà *n.* 117. dicebamus.

Quæ pœnæ jure regni cõtra vsurarios dentur?

129 Sed præter istas pœnas jure regio Castellæ statuitur adversus vsurarios manifestos, vt amittant quidquid sub vsuris in mutuum formale, vel virtuale concesserint; & insuper tantundem solvant, cuius dimidia pars fisco est applicanda, & altera dimidia per æquales partes est dividenda inter accusatorem, & murorum, vel ædificiorum publicorum refectorem. Et si post istam condemnationem iterum in idem crimen relabantur, amittunt dimidium suorum omnium bonorum, simili modo dividendum. Ac tandem si denuò relabantur, privantur omnibus bonis, quæ simili modo sunt dividenda. Quæ omnia habentur *in leg. regia* 4. & 5. *tit.* 6. *lib.* 8. *Novæ Recompil.*

CAPUT IV.

De Cambijs, Censibus, Ludo, & Promissione, & Donatione.

HOS Omnes contractus hoc vno capite coniungimus, quia per illos brevi calamo percurrere intendimus; & sic de singulis vnum duntaxat punctum subijciemus, in quo naturam talis contractus explicabimus, & aliquas illius præcipuas difficultates, reliquas prætermittentes, quæ apud Doctores gravissimos citandos videri poterunt. Vndè Caput hoc continet quinque Puncta.

Punct. I. *QVid, & quotuplex sit cambium? & ex quibus titulis sit licitum?* num. 1.

Punct. II. *De censibus, eorumque natura, multiplicitate, conditionibus, tàm jure pontificio, quàm naturali requisitis.* num. 18.

§. I. *De censu reali, personali, & vitalitio.* num. 21.

§. II. *Quæ conditiones pro censibus instituendis sint assignatæ jure canonico?* num. 29.

§. III. *De conditionibus quæ ex jure naturæ ad census constitutionem exiguntur.* num 34.

§. IV. *De alijs conditionibus, & pactis, quæ frequentèr intervenire solent in re censui supposita.* num. 46.

Punct. III. *De ludo, & sponsione: quomodo licita sint, & cum quibus conditionibus?* num. 51.

Punct. IV. *Quid sit promissio? quomodo debeat acceptari? & qualem obligationem inducat?* num. 65.

§. I. *De acceptatione requisita ad promissionem, & modo quo fit inter præsentes, & absentes.* num. 68.

§. II. *An promissio acceptata gravitèr ex justitia obliget ad sui adimpletionem?* num. 76.

Punct. V. *De donationibus, earum conditionibus, & subiectis illarum capacibus.* num. 87.

§. I. *De his, qui donare possunt.* num. 88.

§. II. *De quantitate, quæ donari, aut promitti potest.* num. 93.

§. III. *An donationes inter coniuges, & inter liberos ad parentes sint validæ?* num. 100.

§. IV. *Quibus in casibus revocari possit donatio, & promissio valida, & acceptata?* num. 106.

§. V. *De donatione causa mortis.* n. 112.

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex sit Cambium? & ex quibus titulis sit licitum?

1 NOmen istud *cambij*, idem communitèr significat, quòd *permutatio*, quia *cambire*, est *permutare*. Sed strictè acceptum (quomodo de illo in præsenti loquimur) solùm significat permutationem, aut commutationem numismatum: & sic diffinitur, cambium est *Contractus commutationis pecuniarum, quæ communitèr causa lucri exercetur.* In qua diffinitione convenientia illius cum alijs contractibus, & differen-

Natura, & diffinitio cãbij.

tia

tia illius cum alijs contractibus, & differentia significatur. Etenim à contractu emptionis, & venditionis differt, quia in isto res pro pecunia datur, vel pecunia pro rebus; in cambio autem pecunia pro pecunia permutatur. A commutatione aliarum rerum differt ratione materiæ, quia aliæ commutationes circa diversas res exercentur, cambium circa pecuniam. Et per vltima verba à mutuo discriminatur, quia ex mutuo non debet sperari lucrum, benè tamen ex cambio: & etiam quia in mutuo eadem res eodem loco, licèt non eodem tempore, redditur: in cambio autem diversa res, vel eadem in diverso loco potest dari. Vnde actus campsorius non debet fieri gratis ex natura sua, sicut actus mutui, vt probat D. Thomas (vel Author illius opusculi apud D. Thomam) *opuscul. 73. cap. 13. ad 2.* Est igitur cambium permutatio vnius pecuniæ pro alia. Et dicitur ille *campsor*, qui in gratiam alterius cambit; & *campsarius* is, in cuius gratiam, seu quo petente, cambium fit; & ipsa ars dicitur *campsoria*.

Quotuplex cambiũ sit?

2 Dividitur primò cambium in *reale*, & *siccum*: de primo postea dicemus. Illud dicitur cambium *siccum*, quod est fictum, & simulatum, cùm verè sit mutuum; quia est commutatio pecuniæ præsentis pro absente tempore, sed non loco; & sic in nihilo differt, nisi in nomine, à mutuo; in quo etiam pro absente pecunia tempore, seu solvenda, numerata, & præsens datur; & sic lucrum in eo quærere, est lucrum ex mutuo exigere; quod est vsura, quæ frequentèr in his cambijs palliatur, propterèaque cambia quæcumque habere speciem turpitudinis, nemo ambigit, vt D. Thomas loquitur de negotiatione, *quæst. 77. art. 4.* Tùm ob plures vsuras, quæ sub eis frequentèr palliantur. Tùm etiam, quia importat quoddam fomentum cupiditatis, cui nullus est terminus, cùm exerceatur lucri gratia: quod non tollit posse honestari, si verum sit, & reale cambium, vt *cap. 2. n. 35.* agentes de negotiatione, quæ etiam lucri gratia exercetur, diximus.

Quid sit cãbium siccũ?

3 At cambium *siccum*, de quo modo loquimur, nullo modo honestari potest (quamvis mercatores plures confingant palliationes ad decipiendos miseros homines, sed Deum fallere non poterunt:) quia solùm habet apparentiam cambij, verè tamen est mutuum, & vsura. ad instar arboris carentis humore vitali, & sic habentis apparentiam arboris, sed non existentiam; & propterèa cambium siccum dicitur. Et fit, quando pro distantia loci distantia temporis subrogatur, & pecunia datur solvenda eodem loco, licèt non eodem tempore: vt quando indigens, v. g. Romæ pecunia, accipit eam restituendam Romæ, sed juxta valorem cambiorum Lugduni in sequenti feria: seu quovis alio modo fictitio. Vnde aliquid cambire hoc modo esse illicitum, & vsurarium (nisi ratione lucri cessantis, periculi, aut damni emergentis quæstus fiat) omnes vno ore confitentur. Et ideò omnia cambia ficta, & simulata condemnantur à Pio V. bulla, quæ incipit, *In eam*: expedita anno 1571. & habetur in bullario ordin. 118. *tom. 2. fol. 327. & in compend. Flavij Cherub. tom. 2. fol. mihi 121.* & in novissima editione, *fol. 395.* Quare, relicto hoc cambio sicco, vt vsurario, & illicito.

Quotuplex sit cambium reale?

4 Cambium reale dividitur in *minutum*, seu *manuale*, & *locale*, seu *per literas*. Cambium *minutum* dicitur, quando vna pecunia pro alia meliori, vel deteriori commutatur cum fœnore illius, qui in gratiam alterius cambit, vt quando præsens pecunia maior pro presenti minutiori datur; aut è contra quando præsens minutior pro presenti maiori: & ideò dicitur *manuale*, quasi de manu præsenti ad præsentem manum fiat transitus; vt si scutum aureum pro pecunijs æreis de præsenti datis commutes: vel è contra pecunias æreas cum scuto cambias. ¶ Cambium *locale*, seu per literas illud dicitur, quo permutatur pecunia in vno loco data, in pecuniam in alio loco, eodem, vel diverso tempore reddendam: & quia hoc frequentèr fit per chirographa, vel librancias, dicitur *per literas*. Et vtrùmque hoc genus cambiorum esse licitum, si absque dolo, & fraude fiat, omnes Theologi concedunt cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 74. art. 4. & opuscul. 73. cap. 13.* Sed modò sunt aliqua decidenda dubiola.

Titulus ob quẽ licet in cãbio minuto lucrũ reportare.

5 Inquires ergò primò, quo titulo accipi possit lucrum in cambio reali minuto, seu manuali? Respondetur, ex diversis capitibus id posse provenire. Primò ratione officij, si hoc quod est cambire, habeat ex officio; quia à republica est ad hoc nominatus, vel ipse sua sponte officium campsoris assumpsit. Quia est valde vtile publico bono: varias habere paratas monetas ad commoditatem eorum, qui eis indigent, nunc maiori, & leviori ad transportandum, nunc minutiori ad emenda necessaria exigua; sed quia hæc congeri, conservari, & exhiberi nequeunt sine labore, & periculo, licitum est personæ publicæ, huic muneri intendendo, cambire cambio minuto, accipiendo aliquod lucrum, reddendo numisma maius pro minori, vel è converso, juxta exigentiam petentis cambium, vt concedunt omnes Authores, quorum aliquos infrà dabimus. Qui bene advertunt, justum pretium tunc judicari, vel quod communitèr currit inter campsores, vel arbitrio boni viri, vel taxatum à republica, quod melius erit. Sed adhibenda est limitatio, quòd si talis minister habet salarium, seu stipendium publicum, non potest accipere aliquid à petentibus cambium. Et adhuc est verum, posse in tali cambio campsorem lucrum reportare, etiamsi inde nullum detrimentum patiatur, etiamsi æneam pecuniam pro argentea, vel aurea commutet, quia totum hoc fit in gratiam alterius.

Multiplex alius titulus explicatur.

6 Secundus titulus est ob numerationem pecuniæ, quando accipit, & quando dat; quia hic labor æstimabilis est aliquo pretio, maximè si sit in magna summa, in cuius numerationem multum tempus est consumendum; sed ratione huius tituli parvum lucrum debet exigi. Tertius ratione materiæ, quia nimirùm aurum, vel argentum dat pro ære, ob commoditatem illius; maximè si sit magis purum communius, & excellentius; vel etiamsi moneta sit antiqua, quæ magis æstimari solet, quàm communis. Quartus, si moneta currit in vno regno, & non in alio. Quintus, ratione commoditatis qua privatur campsor, & alteri confert; vt si sit minutior ad manuales vsus, si maior ad trasportandum; & sive minor, sive maior, quia talis commutatio fit in gratiam campsarij, potest campsor ratione illius pretium exigere. Omnes prædictos titulos ponunt Villalobos *tractat. 24. diffi. 2. numer. 2.* Palaus *tom. 2. tract. 32. disput. 7. punct. 2. numer. 2. & 6.* Lessius *lib. 2. cap. 23. numer. 10.* Navarrus *cap. 17. numer. 288.* Serra *2. 2. quæst. 77. artic. 4. dub. 1. conclus. 3.* Prado *tom. 2. cap. 28. quæst. 5. num. 20.*

Quid de famulo sentiendum sit, qui pecunias solvendas à domino recepit, eas commutat?

7 Vnde infertur, famulum, cui dominus dedit pecuniam auream, vt satisfaciat suo creditori, posse talem pecuniam pro area commutare; & sibi retento lucro, vt fructum industriæ debitum, solvere in area pecunia, dummodò dominus ob tale cambium non patiatur detrimentum (si enim detrimentum aliquod dominus patiatur, nulli dubium est, esse à famulo compensandum:) & nisi voluerit dominus determinatè, quòd illa species pecuniæ creditori daretur, cui fortasse gratificare volebat, vel eam lucrandi occasionem dare: & tunc restituere teneretur famulus, quod alius lucraturus sperabat, si monetam auream recepisset. Palaus *disp. 7. punct. 3. à n. 2.* Prado *quæst. 5. à n. 17.* Serra *dub. 1. concl. 3.* Lugo *disp. 28. sect. 2. n. 25.* Villalobos *diffic. 2. num. 4.* Trullench. *lib. 7. cap. 22. dub. 2. n. 9.* ¶ Sed si contra expressam, vel tacitam domini voluntatem cambium famulus instituat, grandiores domini monetas, quas apud se habet, vilioribus permutando, peccat mortaliter, vt docent Castrus-Palaus, & Fr. Ioannes Martinez à Prado, *locis citatis*, quia sine domini voluntate de alieno disponere est illicitum. Maximè, quia ægrè ferre solent hanc famulorum negotiationem hæri, & suæ pecuniæ, illis invitis, vel inconsultis, contractationem.

Etiam qui non habent ex officio cambire, possùt ex cambio lucrum reportare.

8 Inquires secundò, vtrum eis, qui cambiandi officium non habent, liceat cambio minuto lucrari? Respondetur affirmativè, quia hoc nec jure naturæ, nec jure positivo est prohibitum. Non jure naturæ. Tùm, quia aliàs etiam illis, qui hoc ex officio habent, esset illicitum: imò illicitum esset tale officium, cùm officium, & labor non faciant licitum opus, quod ex genere suo non est licitum. Tùm etiam, quia cambium illud est pretio æstimabile, propter maiorem commoditatem pecuniæ ad portandum, vel vtendum illa in emptionibus: ergò licet privatis personis cambire, ac permutare pecuniam pro alia pecunia diversi metali cum aliquo lucro, seu maiori pretio, quàm sit lege impositum: & ideò in hoc cambio reperitur emptio, & venditio, non pecuniæ, vt pecunia est, sed comoditatis pretio æstimabilis. Nec etiam hoc est jure positivo prohibitum, quia nullum datur jus in contrarium. Solet ex adverso poni lex illa regia prima, *titul. 18. lib. 5. Recompil.* vbi cautum est, ne vllus campsoris munus suscipiat in Curia, nisi à Principe deputetur; nec in alijs civitatibus extra Curiam, nisi deputetur à Iudicibus, & Decurionibus. Sed ibi non prohibetur campsoris officium privatim suscipi, quin potius ibi conceditur: *Que sea libre, y franco, que todos cambiem, y puedan cambiar sin pena.* Et solùm prohibetur, quod campsoris munus, & officium propria suscipiat authoritate. Et lex *13. tit. 21. lib. 5. Recompil.* qua statuitur, ne vltra pretium ibi assignatum pecunia vendi, commutarivè possit, omninò per dissuetudinem, vel consuetudinem contrariam abrogata est: nam valor scutorum, quæ 13. secundùm illam valebant, his temporibus valent vltra 30. & 8. regales argentei modò 20. valent. Quod meritò permissum est, ne magna ex parte argentum, & aurum Hispaniæ ad extraneos perveniat cum magno detrimento huius regni; cùm alienigenæ passim naves onustas æreis pecunijs adsportent in Hispaniam; vnde cum magno fœnore aurum, & argentum exhauriunt. Quare ille excessus numismatis argentei supra æreum iam est apud nos communis, & currens, nec talis excessus habetur pro cambio, sed alius præter istum est intelligendus, quando de lucro ob commutationem vnius pecuniæ pro alia loquimur. Vnde posse per cambium minutum lucrari privatas personas, etiam in Hispania, tenent Prado *cap. 28. quæst. 5. num. 24.* Tapia *lib. 5. quæst. 19. art. 3. n. 5.* Villalobos *tract. 22. difficult. 2. num. 3.* Palaus *disp. 7. punct. 2. num. 4.* Navarr. *cap. final. de vsuris, n. 19.* & alij.

De titulis cambia localia honestātibus.

9 Inquires tertiò, quibus ex titulis cambium locale, seu per literas sit licitum; quando nimirùm campsor accipit pecunias in vno loco in alio reddendas? Licitum quidem esse hunc modum cambiendi, quo pecunia in vno loco tradita cambitur cum pecunia alibi tradenda, superaddito moderato lucro, omnes dicunt; quia iste medius cambiendi est valde necessarius reipublicæ, propter frequentes necessitates, quibus indigent aliqui pecunia in vno loco, vbi eam non habent, nec possunt sine magno periculo, & expensis eò deferre. Primus igitur titulus honestans istum contractum est translatio, seu asportatio pecuniæ; quia in hac parte campsor locum tenet translatoris, qui per agasonem, nautam, aurigam, vel quemcumque bajulum pecuniam de vno loco in alium asportaret. Neque est æquum, quòd subtrahatur merces suo servitio; vnde propter istum titulum potest aliquod lucrum reportare. Sed quia translatio, quam præstat campsor, non est realis, sed virtualis (non est quidem realis, quia non transfert, sicut nauta, de vno loco in alium pecuniam, cùm fortè iam illam habeat apud suum correspondentem in tuto positam; sed est virtualis, quia pecunia campsarij præsens; efficitur absens beneficio campsoris) non debet tantum lucri exigere, quantum pro reali à bajulo exigeretur; quia non tot expensis, periculis, ac laboribus id præstat: imò quia propter copiam, & opportunitatem campsorum iam faciliùs inveniturqui hoc beneficium præstet, & propter facilitatem exequendi, pretium meritò decrevit. Igitur secundùm distantiam locorum, periculorum, & expensarum solet tale præmium demetiri, & illud justum erit, quod communitèr ab alijs campsoribus in simili casu exigitur. Villalobos *tractat. 24. difficult. 3. numer. 1.* Serra *2. 2. quæst. 77. articul. 1. dub. 1. concluf. 4.* Lugo *disput. 28. numer. 35.* Prado *cap. 28. quæst. 5. num. 27.*

Alius titulus clausus in priori.

10 Ad justum titulum reducitur, seu sub illo clauditur, titulus alius ratione assecurationis pecuniæ, quæ est prætio æstimabilis: sicut nuntius, qui pecuniam portaret, posset pretium exigere non solùm pro asportatione, sed etiam pro illius assecuratione, si hoc etiam onus in se suscipere vellet. Sed est inter bajulum, qui est transportator realis, & campsorem, qui solùm est virtualis, in hoc aliqua diversitas, quòd ille, per hoc quòd paciscatur de asportatione, non paciscitur de assecuratione, quia non fit dominus pecuniæ sibi traditæ in custodiam; & ideò, si pereat, aut furetur absque illius culpa, non perit pro illo, sed pro domino, cuius est periculum; & sic potest seorsim computare asportationem, & assecurationem, & amplius pro vtraque, quàm pro vna tantùm exigere. Campsor verò efficitur dominus pecuniæ sibi datæ ad cambium; & sic periculum eius est pro illo. Vnde per hoc ipsum, quod accipiat onus asportatoris virtualis, accipit onus assecuratoris; & ideò non debent isti duo tituli seorsim computari ad lucrum, quia vnus includitur in alio; & sic non potest aliud pro translatione, aliud pro assecuratione exigi: sed translatio, & securitas computari debent simul, ad taxandum pretium justum

in

in hoc cambio locali. Ser. *sup.* Lug. *n.* 35. Prad. *n.* 28.

Quid circa dicta notandum sit?

11 Sed notandum est primò, quòd dicta locum habent, sive campsor priùs recipiat pecuniam dãdam alibi, sive ipse det in præsenti alibi recipiendam, quia potest ob dictam virtualem translationem lucrum exigere, dummodò non exigat illud ob dilationem, vel maius, quia solutionem differt, quia ex hoc titulo lucrum quærere esset vsura. Vndè qui Matriti dat pecuniam campsario sibi reddendam Romæ, potest plus exigere Romæ, quàm Matriti dederat. & hoc quamvis ipse non esset rogatus, sed rogasset, & solvisset, quia hoc per accidens se habet, & satis est, quòd campsor faciat opus dignum pretio ex sua natura, ad hoc vt mercedem exigere possit. Et hoc etiam verum est, quamvis ipse in hoc, quod est recipere Romæ pecuniam, & dare Matriti, nihil laboris, vel industriæ apposuisset, quin potius sibi esset valde vtile, & commodum, quia Romæ tali pecunia indigebat, non Matriti, dummodò rogatus esset à campsario, quia semper datur virtualis translatio, qua pecunia absens efficitur virtute præsens, beneficio campsoris; & suæ fortunæ, ac industriæ tribuendum est, quòd sit sibi commodum in tali loco pecuniam accipere. Et solet hoc explicari in equis cõductitijs: qui enim quæsiturus erat alium, vt, accepto ab eo pretio, reduceret equum, si rogatur ab illo nesciente, vt equum ei conferat ad redeundum, potest ab eo pretium exigere. Ita Caiet. *tom.* 2. *opusc.* 7. *cap.* 6. Serra 2.2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 4. *in* 3. *tit.* Prado *cap.* 28. *q.* 5. *n.* 33. & 34. Palaus *disp.* 7. *punct.* 5. *n.* 2. Villalob. *tract.* 24. *diff.* 3. *n.* 4. Laim. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 19. *n.* 9. Soto *lib.* 6. *q.* 10. *art.* 1. §. *At licet*, Salas *dub.* 9. *n.* 2. Lugo *disp.* 28. *n.* 51.

12 Notandum est secundò cum Magistro Soto *art.* 1. *citato* Tapia *lib.* 5. *q.* 19. *n.* 6. Villalob. *supra n.* 6. quòd in hujusmodi cambio non debet transire ampliùs temporis, quàm necessarium est ad transferenda chirographa. Nam si longius assignetur tempus, iam suspectum de vsura reddit cambium; nempè cum temporis expectatione, in quo videtur admisceri mutuum, & subinde species, aut sapor vsuræ: à quo purgatur cambium istud, si apponatur in literis hæc clausula: *Solvatur protinus, visis, perlectisque literis*: vulgò, *à letra vista*. Vndè Pius V. in loco suprà citato in bulla de cambijs, ad tollendas vsuras, quæ solent imbibi in istis cambijs, ratione dilationis solutionis, statuit, quòd non protraheretur terminus solutionis illius, nisi ad primas nundinas, & solutiones, vulgò, *las primeras pagas*, vbi determinatæ sunt, & vbi non protrahuntur, nisi vsque ad terminum proximiorem, secundùm consuetudinem cambiendi de vno loco in alium.

Alius titulus, quo cãbium locale honestatur.

13 Secundus titulus honestans tale cambium locale, seu lucrum propter illud, est maior æstimatio pecuniæ in vno loco vbi datur, quàm in alio vbi redditur, sive sit fixa per legem, quia in diversis regnis vigent diversæ taxationes monetæ, sive accidentaliter ex circumstantijs, quia nimirùm ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ, ratione multitudinis, vel paucitatis mercium solet crescere, vel decrescere pecuniæ valor extrinsecus. Vndè si campsor pecunias daret campsario Hispali recipiendas apud Indos, vbi minùs æstimantur ob multitudinem, posset vltra numerum pecuniarum ampliùs vsque ad æqualitatem exigere, vt ex se constat, quia ob beneficium alteri factum, non debet detrimentum subire: & debet servari æqualitas, quæ non servaretur, si mihi tanti tibi pecunias, vbi plus valent, tu redderes, vbi valent minùs. Trull. *lib.* 7. *cap.* 22. *dub.* 4. *n.* 2. Prad. *n.* 29. Less. *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 4. *n.* 34. Palaus *punct.* 7. *n.* 3. Ludov. Lop. *lib.* 2. *de contract. cap.* 7. & 9. ¶ Et hic titulus potest seorsim ab alijs computari, quia si pecunia in vtroque loco esset æqualis, posset pro translatione aliquid petere: ergò si inæqualis, poterit, vltra pretium propter translationem, aliquid exigere, propter inæqualitatem. Prad. *n.* 30. Ser. *concl.* 4. Lug. *à n.* 37. Lopez *cap.* 9. Palaus *n.* 2.

Non potest cambiri pecunia minùs valẽs pro alia dãda in loco, in quo magis valet.

14 Sed hìc advertendum est, quòd pecuniam cambire in vno loco pro eadem, vel simili tradenda in alio loco, vbi magis valet, non compensato excessu, sive legali, sive propter raritatem monetæ, injustum, & vsurarium est: vt si quis apud Indos reciperet pecuniam, vbi minùs æstimatur, reddendam Hispaniæ, vbi pluris habetur, quia non servatur æqualitas dati, & accepti, in proprio valore, & pretio monetæ; atque adeò in hoc casu supplendus est defectus valoris, augendo pondus, vel detrahendo de lucro, aliàs justè accipiendo, vel alio modo, donec valor vnius loci adæquaretur valori alterius loci. Villalob. *tr.* 22. *diff.* 4. *n.* 3. & 6. Tap. *lib.* 5. *q.* 19. *art.* 3. *n.* 3. Sot. *lib.* 6. *q.* 12. *art.* 1. *concl.* 3. Bañ. *q.* 78. *art.* 4. *tit. de camb. dub.* 6. *concl.* 2. Quod non solùm est verum in pecunia, sed etiam in alijs rebus. Vndè non licet triticum, vel quamlibet aliam rem existentem in diversis locis cambire, si plus in vno valeant, quàm in alio, nisi valor reducatur ad æqualitatem, modo dicto.

Tertius titulus honestans cambium locale.

15 Tertius denique titulus, ratione cuius cambium istud locale, & lucrum ratione illius importatum honestari solet, est quia pecunia præsens pluris æstimatur, quàm pecunia absens, & loco distans, quia multis est subjecta ex natura rei periculis, & expensis. Vndè sicut pecunia in navi periclitante constituta minùs emitur, quàm absolutè valeat, quia non venditur in quantum pecunia, sed in quantum res est tanti pretij, vt constituta in tali periculo: ita pecunia absens, in quantum res exposita, & subjecta periculis, & expensis dilationis, emitur minùs, quàm absolutè in se valeat. Nec est eadem ratio de pecunia absente secundum tempus, & secundùm locum, quia illa ex natura rei non subiacet periculis, expensis, industriæ, aut ministris, vt præsens secundùm tempus fiat, vt illa, quæ secundùm locum est absens. Caietan. *tom.* 2. *opusc.* 7. *cap.* 6. & 7. Ludovicæ Lop. *lib.* 2. *de contract. cap.* 8. Serra 2.2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 4. *tit.* 3. Lugo *disp.* 28. *à n.* 43. Prado *cap.* 28. *q.* 5. *n.* 32.

Potest intra idem regnum lucrũ pro cambio accipi.

16 Inquires quartò, vtrùm propter dicta cambia localia liceat lucrum aliquod exigere, non solùm quando pecunia danda est extra regnum, sed etiam intra idem regnum in alia civitate? Respondetur affirmativè, modò tantò minus accipiat campsor, quantò minus intervallum inter vtramque civitatem interijceretur. Vndè intra idem regnum non possunt tantum lucrari, quantum in cambio ad aliud regnum, quia in minori distantia minus est laboris, & periculi. Quòd autem moderatum pretium possit exigi jure naturæ intra idem regnum, constat, quia est virtualis trajectio; & intervenit assecuratio pecuniæ; quæ pretio possunt æstimari. Nec datur jus aliquod in contrarium, nisi jus regium, *leg.* 18. *tit.* 18. *lib.* 5. *Recomp.* sed in eo nihil est contra nos, quia vel nititur in præsumptione palliatæ vsuræ; & sic, cessante fraude, aut fictione, non ligat in

foro conſcientiæ; vel talis lex non eſt vſu recepta, & ſi aliquando recepta fuit, eſt per contrariam conſuetudinem abrogata. Palaus *diſp.* 7. *punct.* 6. *n.* 3. Villalob. *diff.* 3. *n.* 9. Lugo *diſp.* 28. *ſect.* 4. *n.* 56. Prado *cap.* 28. *q.* 5. *à n.* 54. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 4. *num.* 42. Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 11. *concluſ.* 3.

Poteſt cãpſor pignus, vel fidejuſſorem à cãpſario exigere.

17 Inquires vltimò, vtrùm ſit licitum in foro conſcientiæ campſori danti priùs pecuniam ad cambium, exigere pignus, fidejuſſorem, aut aliam ſecuritatem à campſario? Reſpondetur affirmativè, quia ſicut in alijs contractibus, vel venditionibus creditò factis exigere aſſecurationes eſt licitum, ita in iſto: æquum enim non eſt campſarium, qui in ſui gratiam pecuniam exigit, eſſe in tuto, & campſorem, qui beneficium confert, in periculo permanere. Leſſ. *dub.* 8. *n.* 77. Prado *n.* 58. Bonacin. *diſp.* 3. *q.* 5. *punct. vnic. n.* 19. Ser. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 7. *concl.* 7. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 6. *n.* 7. Campſores autem publici, qui ad cambium pecunias accipiunt, tenentur fidejuſſores præſtare in ſecuritatem eorum, qui apud ipſos pecuniam deponunt, vt habetur *leg. Regia* 1. *tit.* 18. *lib.* 5. *Recompil.* Sed monet hìc Tolet. *lib.* 5. *cap.* 52. *n.* 2. Salas *dub.* 21. *fine*, Palaus *punct.* 11. *n.* 2. campſorem priùs pecuniam concedentem, & pignus, vel fidejuſſorem à campſario exigentem, minùs pretij pro cambio accipere poſſe, quia minori periculo pecuniam datam exponit. Quamvis hoc non admittant Lugo *diſp.* 8. *ſect.* 9. *n.* 125. Prado *n.* 62. quia maior, vel minor ſecuritas non debet variare commune cambij pretium, niſi ſit notabilis. ¶ Plures alias difficultates hic excitari poſſent, quas ob brevitatem prætermittimus, & apud præcitatos Authores latè exagitatæ videri poterunt.

PUNCTUM II.

De cenſibus, eorumque natura, multiplicitate, conditionibus, tàm jure Pontificio, quàm naturali requiſitis.

Vnde dicatur cenſus, & quid ſit?

18 CEnſus à cenſendo dicitur, eo quòd vt habetur leg. *Forma. ff. de cenſib.* facultates civium recenſendæ ſunt, vt pro ſua quiſque tributum ſolvat. Et inde derivatum eſt, vt particulariter ſignificet tributum, quod pro capite exigitur: nempe dum Princeps vult perſonarum capita catalogo eſſe recenſita, vt, quantum ſit eius imperium, ſibi innoteſcat; & ſingulis tributum facultatibus proportionatum imponat: quod tributum pro ſingulis capitibus *cenſus* dicitur. De quo Chriſtus interrogatus eſt à Iudæis, an liceret cenſum dari Cæſari? Et inde Cenſores dicebantur, qui huic populi enumerationi præficiebantur, & ſimile tributum exigebant: *Sed differentia eſt inter tributum, & cenſum* (inquit D. Thom. *ſuper Matthæum* 17. cum Gloſſa ibi) *tributum enim de agris, & vineis; cenſus autem de capite datur: vnde in ſignum ſuæ ſubiectionis debet aliquid homo ſubiectus; & hoc cenſus dicitur.* Accipitur etiam cenſus aliquando pro ipſis fortunis, quæ cenſentur, juxta illud: *Dat cenſus honores, cenſus amicitias.* Sed nullo ex his modis accipitur in præſenti, ſed pro illa obligatione, qua quis alteri obligatur aliquos redditus annuos, vel menſtruos de ſuis bonis tribuere: & diffinitur: Cenſus eſt *jus exigendi aliquam penſionem ex perſona, vel ex re alterius vtili, vel fructifera.*

Plures cenſus diviſiones propoſuntur.

19 Prima, & generali diviſione dividitur cenſus in *conſervativum, & conſignativum.* Conſervativus cenſus eſt, quando quis rem ſuam alteri confert, reſervato ſibi jure quo tannis partem aliquam recipiendi ex ea, juxta leg. *fin. C. de rer. permut.* Quomodo Ioſeph, *Gen.* 47. reddens Ægyptijs poſſeſſiones, aliquam partem fructuum reſervavit Regi: & de hoc agit Sot. *lib.* 6. *de juſt. q.* 5. *art.* 2. *notabil.* 2. & nos cum illo, de quo in præſentiarum non fiet amplior mentio, eo quòd non eſt vſque adeò in vſu. Cenſus conſignativus, de quo modò loquimur, eſt cùm quis retentis ſuis bonis, eorumque vſu, conſignat alteri certam penſionem, quam obligatur ſingulis menſibus, aut annis ſolvere. ¶ Et huius cenſus alter eſt *realis*, qui in rem inſtituitur, qua pereunte, perit, & ſi tranſeat ad alium poſſeſſorem, cum illo onere tanſit. Alter *perſonalis*, qui conſtituitur in perſonam, quæ ad penſionem obligata manet ex omnibus ſuis bonis, vel operis. Vnde, licèt in re aliqua tanquam in hypotheca ſit fundatus ad ſecuritatem, jus non eſt ſolùm in rem, ſed in perſonam, & ſic, pereunte re, adhuc manet obligata perſona. ¶ Et ex parte materiæ alius eſt cenſus *fructuarius*, vtpotè dum recipiuntur grana, vel alij fructus: alius *pecuniarius*, vt cum percipitur pecunia, & hic eſt frequentior: & poteſt eſſe, vel *perpetuus*, vel *temporalis*, vel pro tota vita, qui dicitur *vitalitius*; & omnes poſſunt eſſe, vel *redimibiles*, vt ſunt qui frequentèr, & abſolutè inſtituuntur: & *irredimibiles* cùm videlicèt paciſcitur in inſtitutione, vt nunquam redimi poſſint.

Liciti ſunt omnes dicti cenſus.

20 Igitur omnes cenſus hìc enumeratos eſſe licitos, eſt ferè communis ſententia Doctorum, quamvis circa aliquorum modum, & conſtitutionem nonnulla ſit inter eos controverſia, de qua infra agemus. Plures, & graviſsimas quæſtiones excitant Doctores hoc puncto citandi circa hanc materiam, & aliqui in eis longiſsimè ſe extendunt: eorum aliquas accipiemus brevi calamo enodandas, quas, aliaſque laxiori ſtylo apud eos, qui voluerit, poterit videre. Sed, vt moleſtiam, & prolixitatem evitemus, ad diverſa capita, quæ dicenda ſunt, reducentes, ea diverſis paragraphis enodabimus.

§. I.

De cenſu reali, perſonali, & vitalitio.

Licita eſt nova inſtitutio cenſus realis pecuniarij.

21 NOn deſunt plures, & graviſsimi Doctores, qui novam emptionem, & inſtitutionem cenſus realis, & pecuniarij condemnent; & talem cenſum eſſe vſurarium, & reipublicæ noxium exaggerent, tùm rationibus politicis, tùm theologicis. Sed certè cenſum novum realem pecuniarum de novo poſſe inſtitui, & emi abſque vlla labe vſuræ, non ſolùm probabilius judicamus, ſed omninò certiſsimum: cùm ita habeatur deciſum in duabus extravagantibus inter communes, *tit. de empt.* Quarum prima eſt Martini V. anno 1423 edita, alia Calixti III. anno 1455. & *in conſtit.* Pij V. quæ incipit: *Cùm onus Apoſtolicum*, edita, anno 1568. de quibus §. ſequenti ex profeſſo agemus. Et in noſtro regno datur lex

Tauri

Tauri 68. similes census de novo institutos permittens. Et ratio est, quia hìc datur emptio, & venditio, quæ sunt contractus jure naturæ liciti, si justo pretio fiant. Venditur enim jus, quòd alter habebat, ad tales, vel tales possessiones ex suis bonis accipiendas; & hoc jus, quod alter habet, ab alio emitur, vt propter datas pecunias transferat in eum jus ad exigendas ex suis bonis annuatim tales pensiones, manente apud ipsum venditorem capitali, vt ipse retinere possit, quandiu voluerit. Quod autem emi, aut vendi possit jus percipiendi annuos redditus, seu pensiones super bona propria venditoris non obligata alijs, ex eo constat: quia tale jus percipiendi, v.g. mille dipondia, vel tres modios tritici ex agro, est prætio æstimabile: ergò potest emi, & vendi, si hoc fiat justo pretio. Sic D. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 8. Sylvest. *vsura* 2. *quæst.* 12. §. 3. Soto *lib.* 6. *de just. quæst.* 5. *art.* 1. §. *At quoniam.* Tapia *tom.* 2. *Catenæ, lib.* 5. *quæst.* 18. *art.* 1. *num.* 2. Fr. Ioan. Martinez à Prado *tom.* 2. *cap.* 28. *quæst.* 6. *n.* 12. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 23. *diffic.* 2. *n.* 1. Lugo *disput.* 27. *sect.* 2. *n.* 10. Barthol. à S. Fausto *disp.* 18. *q.* 5. *n.* 2. Palaus *tom.* 7. *tract.* 32. *disp.* 6. *punct.* 10 *num.* 2. Salas *de censib. dub.* 2. *n.* 3.

Quomodo census institutio liberetur ab vsura, declaratur.

22 Sed inter alias objectiones, quæ solent contra assertionem opponi, hæc est præcipua; quia in dicto censu intervenit mutuum formale, vel virtuale, accipiendo aliquid vltra sortem, quod est vsura: siquidem dantur nunc centum, vt singulis annis reddantur quinque: quod idem est in re, ac mutuare centum cum lucro perpetuo, salva sorte. Si quis enim centum mutuaret, cum pacto, vt quandiu non reddantur, solvantur quinque singulis annis, non computando in sortem, verè esset vsurarius: hoc totum invenitur in censu reali pecuniario redimibili: siquidem accipiuntur centum, vt reddantur quinque singulis annis, & solùm, cum centum dantur, extinguitur debitum, & non computantur in sortem omnia alia soluta: ergò est in veritate vsura ille, qui appellatur census pecuniarius redimibilis.

Objectio ab aliquibus facta.

23 Mirum est, quàm varias solutiones huic solvendo argumento Authores excogitaverint, diversis vijs explicare conantes, quomodo liberetur ad vsura huiusmodi census institutio: quas non vacat referre, approbare, vel reprobare. Breviter in primis dicimus, posse contra suos Authores retorqueri argumentum, qui census fructuarios novos admittunt, & antiquos pecuniarios: nam etiam esset vsura fructus velle percipere ex agro alterius ob mutuam pecuniam, illis non computatis in sortem: nam si mutues centum cum pacto, vt, quandiu non tibi solvantur, possis hos, vel illos fructus ex meo agro percipere, certè est vsurarius contractus. Titulus ergò, qui in censu fructuario eum facit licitum, facit etiam in pecuniario, nec video discrimen. Et si isti Auctores, & omnes admittunt, quòd census etiam pecuniarios antiquos possunt emere, cur non novum instituere? Nam quæro, vel fuit ab initio licitè ex jure naturæ (de quo nunc loquimur, nullum enim datur jus positivum contrarium) institutus talis census, vel non? Si primum dicas: ergò etiam modò licitè poterit de novo institui absque labe vsuræ. Si secundùm, quia est de re intrinsecè injusta: ergò non potest modò licitè emi, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. *Regul. non firmatur, juris in* 6.

Tenetur sui authores dictam solvere solutionem.

24 Respondetur igitur cum Magistro Soto *quæst.* 5. *cit. articul.* 1. *ad* 1. Ludovic. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 39. Serra 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *dub.* 3. *in fine*, Palao *punct.* 7. *n.* 3. & *punct.* 10. *n.* 3. in tali institutione census mutuum non dari, sed emptionem, & venditionem: emitur enim, & venditur jus percipiendi annuam, vel menstruam pensionem; & ratione huius venditionis, & emptionis licitè possunt pensiones ipsæ recipi, salvo capitali: nam jus exigendi talem pensionem est pretio æstimabile: hoc à te justo pretio per census institutionem emo, vnde possum percipere pensiones. Et si hoc jus, quod meum jam erat vis redimere, quod fit per census redemptionem, debes quantum valet, reddere: valet tantum, ac tibi dedi pro eo: ergò non computatis pensionibus à me acceptis, debes integrum reddere capitale, quod accepisti: sicut si à te emeram fundum cum pacto in tui favorem, vt quando volueris, fundum redimas, possum medio tempore fructus fundi accipere; & postea justum pretium, quod valet: non ergò in præsenti intervenit mutuum, sed venditio juris; & ideò in nostra lingua census super Regis tributis constituti jura dicuntur (*Juros reales*) & jura emi, aut vendi dicuntur.

Sententia asserens censum personalem licitum non esse.

25 Circa censum personalem est etiam inter Doctores controversia, an sit licitus jure naturæ: & datur duplex sententia. Prima negativa: quæ probatur primò, quia super personam sine alia hypotheca non erit contractus venditionis, nisi vendatur persona, vel locentur actiones; quod non contingit in censu personali: ergò erit mutuum: ergò redditus pro eo accipere erit vsura: sicut obligare vnum pro alio tot diebus laborare, quia tantam pecuniam mutuatam accepit, quandiu non solvet, non est venditio, sed mutuum cum vsura. Secundò, quia Martin V. *in extravag.* 1. Calixt. III. *in extrav.* 2. *de emption. & vendition. inter communes*, solus census reales approbarunt, & Pius V. *in sua extravag. de censib.* expressè statuit, censum super re immobili, & non aliter constitui posse: ergò super persona nequit constitui. Et ita docent S. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 8. §. 10. Sylvest. *vsura* 2. *quæst.* 12. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 18. *n.* 6. Ludovic. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 56. Gregor. Lopez *in leg.* 28. *tit.* 8. *part.* 5. Rebellus 2. *part. lib.* 10. *quæst.* 3. Gutier. 2. *part. pract. qq. quæst.* 178. *n.* 7. Villalob. *tract.* 23. *diffic.* 2. *n.* 3. Eandem sententiam tenet Molina *disp.* 387. Lugo *disp.* 2. *sect.* 2. §. 1. *à num.* 22. quando cumulus pensionum excedit pretium constitutum, sicut frequentèr contingit.

Iure naturæ census personalis est licitus.

26 Secunda sententia, quam amplectimur, docet, inspecto jure naturali, licitum esse censum personalem, quo pro determinata pecunia accepta venditor obligatur singulis annis in perpetuum, vel quousque redemerit, solvere pensionem determinatam, eo modo, quo ad alia debita personalia solvenda adstringitur: etiamsi excedat pecuniam acceptam pensionum cumulus. Probatur primò ex quadam extravag. Nicol. V. *de cens.* vbi loquendo de rebus, in quibus potest constitui, indicat constitui posse in personis, ibi: *Cum opportuna contrahentium securitate, tuitione, & indemnitate, ac potestate vtentis, personas, earumque proprietates, redditus, jura, jurisdictiones, census, & omnia, & singula mobilia, & immobilia bona obligandi, & obligare faciendi, &c.* Quod videtur ex Scriptura colligi 2. *Esdræ* 10. vbi Hebræi statuerunt, super se tertiam partem sicli, vt annum personalem. Secundò, quia imponi potest personæ obligatio solvendi singulis annis determinatam quantitatem, lege, & statuto: sicuti

tributa realia imponuntur, & ſtatuuntur decimæ perſonales lege eccleſiaſtica, cap. *Non eſt*, cap. *Apoſtolicæ*, cap. *Paſtoralis*, *de decimis*: ergò quod lege ſancitur, poterit per conventiones partium ſtatui. Vnde ſicut quilibet poteſt gratis ſe obligare ad ſolutionem penſionis per ſingulos annos, poterit pretio ſumpto talem obligationem ſuſcipere. Tertiò probatur ſpecialiter contra Lugonem, & Molinam: quia ad cenſus æqualitatem non eſt neceſſe, quòd pretium acceptum ſit æquale cumulo penſionum: nam eſto minus ſit in re, in æſtimatione morali æquat cumulo penſionum maiori; quia penſiones per longa tempora diſtributæ ob incommoda, & difficultates, quæ frequentèr in earum recuperatione intercedere ſolent, æſtimantur minus, quàm ſi eſſent præſentes; & eſt per accidens, quòd tales difficultates aliquando non contingant. Sic Ledeſma, 2. *part. ſummæ tract.* 8. *cap.* 34. *concluſ.* 1. *diffic.* 1. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 4. à Sancto Fauſto *diſput.* 18. *quæſt.* 6. Trullench *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 2. Soto *lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 1. *concl.* 4. Bañez 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. *dub.* 1. Serra *quæſt.* 77. *articul.* 4. *dub.* 4. *conc.* 2. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 11. *num.* 2. Prado *cap.* 28. *quæſt.* 5. *num.* 31. Covarrub. 3. *variar. cap.* 7. *num.* 1. 5. & 8. Salas *de cenſib. dub.* 3. *n.* 3. & alij.

Solvuntur fundamenta contraria.

27 Ad primum argumentum contrarium reſpondetur, ex cenſu perſonali non alligari perſonam emptori, in proprium corpus tribuendo dominium; obligari tamen ex bonis habitis, vel habendis ad ſolvendam penſionem: quam obligationem emere pretio, non eſt contra jus naturæ. ¶ Ad ſecundum, quòd Pontifices in illis extravagantibus non negant perſonales cenſus poſſe conſtitui; ſolùm enim intendunt, pereunte re, non eſſe obligatum vendentem cenſum reddere ſortem; ſed, an maneat ad penſionem obligatus, nec affirmant, nec negant. Sed ex conſtitutione Nicolai V. à nobis adducta, conſtat, poſſe obligari perſonam, quamvis bona aliqua aſſumantur in ſecuritatem ſolutionis jure pignoris, & hypothecæ. Et Pius V. minimè declaravit, cenſus perſonales eſſe illicitos jure naturæ; ſed ad evitandum vſuræ periculum decrevit, ne conſtituerentur. Quonam modo obliget, §. *ſequenti* dicemus.

Licitus eſt cenſus vitalitius, ſi juſto pretio fiat.

28 Circà cenſus vitalitios, ſeu in certum numerum annorum, latè probat D. Thomas (vel auctor illius *opuſc.* 73. *de vſuris cap.* 9.) licitè inſtitui poſſe, ſi legitimo pretio fiat, quia jus ad penſiones aliquas percipiendas, interim dum aliquis vivit, juſto poteſt æſtimari pretio. Et ſic in Clement. *de rebus eccleſiæ non alienand.* permittitur Prælato, exigente neceſsitate, vel vtilitate Monaſterij, vendere annuum redditum alicuius poſſeſsionis ad vitam alicuius: & paſsim vſusfructus ad vitam vſufructuarij æſtimantur, & venduntur: ergò ſimiliter licebit annuum redditum, etiam pecuniarium, pro vita alicùius vendere, & emere, vti docent Salas *de cenſib. dub.* 5. *num.* 2. Leſsius *cap.* 22. *dub.* 6. Covarrub. 3. *variar. cap.* 7. *n.* 5. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 13. Prado *cap.* 28. *quæſt.* 5. *n.* 36. Soto *lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 2. Qui notat *concl.* 1. quod in cenſibus perpetuis minor eſt vſuræ ſuſpicio, eo quòd pretium nunquam eſt emptori reddendum, ſicut in temporalibus.

§. II.

Quæ conditiones pro cenſibus inſtituendis ſint aſſignatæ jure canonico?

Conditiones aſsignatæ pro cenſibus conſtituendis a Calixto III. & Martino V.

29 PLures conditiones pro cenſibus inſtituendis colligunt Doctores ex extravagantibus Calixti III. & Martini V. Prima eſt, quòd qui cenſum vendit, aſsignet determinatam hæreditatem, domum, aut poſſeſsiones, ſupra quas fundetur, quæ ſunt hypotecæ illius. Secunda, quod ſolum id quod aſsignatum fuerit, maneat penſioni obligatum, non perſona, nec cætera bona eius. Per quod videtur excludi cenſus perſonalis. Tertia, quod qui emit, emat pretio juſto. Quarta, quòd non fiat emptio credita pecunia, ſed ſoluta de præſenti ei, qui vendit. Quinta, quòd poſsit, qui vendit cenſum, quotieſcumque voluerit, eum redimere, vel in toto, vel in parte, prout ei placuerit. Sexta, quòd qui emit, non obliget venditorem ad cenſum redimendum. Septima, quòd ſi caſu fortuito perierit hypotheca, cenſum ipſum iam ceſſaſſe cenſeatur. Octava, quòd hypoteca ad minùs tantùm fructificet, quantum æſtimatur penſio, quæ ſolvitur. Sed iſtæ extravangantes Martini, & Calixti præceptivæ non ſunt, ſed duntaxat approbativæ; hoc eſt, quòd in eis approbatur cenſus cum talibus conditionibus inſtitutus. Sed non reprobatur ille, qui abſque eis inſtitutus ſit. Quare, non obſtantibus dictis conſtitutionibus, poſſe inſtitui validè, & licitè cenſum, ſervatis conditionibus jure naturali requiſitis, etiamſi abſque conditionibus dictis inſtituatur, tenet Soto *lib.* 6. *de juſtit. quæſt.* 5. *art.* 3. *concluſ.* 4. Serra 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 4. *dub.* 4. *concluſ.* 4. Prado *cap.* 28. *quæſt.* 6. *n.* 47. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 47. Villalobos *tract.* 33. *difficult.* 7. *num.* 2. Salas *de cenſibus, dub.* 6. *num.* 2. Palaus *diſput.* 6. *punct.* 15. *numer.* 2. & alij apud ipſos.

Conditiones pro cenſibus à Pio V. aſsignatæ.

30 Sed præter has conſtitutiones datur alia Pij V. incipiens, *Cùm onus Apoſtolicæ ſervitutis*, edita anno 1568. & in Bullario eſt 79. vbi fit mencio alterius bullæ eiuſdem Papæ, quæ incipit, *Etſi Apoſtolica Sedes*, edita anno 1570. & habetur *in vltim. edit. tom.* 2. *fol.* 275. & 276. alias plures conditiones continens. Prima, quòd cenſus nullo modo poſsit conſtitui, niſi ſupra rem immobilem, aut quæ pro immobili habeatur, & ex ſua natura ſit fructifera: per quam excluditur cenſus perſonalis, qui ſupra perſonam, aut eius operas conſtituitur. Secunda quod cenſus non conſtituatur, niſi numerata pecunia de præſenti coram teſtibus, & Notario, qua excluduntur cenſus conſtitui, vel pecunia credita, vel propter alia debita pecuniaria. Tertia, qua prohibetur ſolutio reddituum anticipata fieri, aut in pactum deduci. Quarta, qua prohibentur conditiones ad caſus fortuitos obligantes eos, qui aliàs non tenerentur ex natura contractus. Quinta, quòd dominus hypothecæ poſsit eam liberè vendere, vel alienare. Sexta, quòd pacta continentia, moroſum cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, vel ceteras expenſas, irrita ſint. Septima, quòd non augeatur cenſus ex redditibus non perſolutis. Octava, quæ irritat pacta de ſolvendo aliquo onere, quod alias non deberetur ex natura contractus. Nona, quòd ſi perierit hypotheca in toto,

toto, vel in parte, pereat, vel minuatur census pro rata. Decima, quòd venditor census possit eum redimere eodem pretio, quo accepit, quando voluerit, non obstantibus pactis in contrarium initis. Vndecima, quòd, cum debitor voluerit redimere, teneatur ante per bimestre denuntiare domino census, cui pretium dandum erit. Duodecima, quod pretium census semel constitutum non possit augeri, aut minui ob temporum, vel contrahentium qualitatem, aut aliud accidens.

Dicta constitutio Pij V. obligat vbi est recepta, sub mortali.

31 Hanc constitutionem Pij V. esse præceptivam, atque adeò ex se obligatoriam in foro conscientiæ, omnes fere asserunt, & constat ex vltimis clausulis illius, vbi præcipitur eam omninò servari: *Et census celebratos sub alia forma, quacumque harum conditione deficiente, esse, & debere judicari vsurarios.* Quarè vbique terrarum, vbi dicta constitutio, seu motus proprius Pij V. receptus est, nec consuetudine contraria abrogatus, obligat in conscientia sub peccato mortali, etiamsi non deficiat aliqua conditio juris naturalis, quia Pontifex voluit observari omnes conditiones à se statutas, & est lex de re sancta, & justa, ad salutem animæ conducens, ac evitandas plures fraudes, & vsuras, quæ in constitutione censuum solent palliari. Possunt tamen vtcumque leniri tales conditiones moderationibus, & explicationibus Theologorum, & Iurisprudentum: quod ad longum explicantes illam bullam præstant Navar. super cap. *Si fœneraveris* 14.*q*.3.*n*.8. Tapia *lib*.5.*q*.18. *tot*. *art*. 4. Villalob. *tract*.23.*tota diff*.9. Fr. Manuel Rodrig. *ad finem*, *Bullæ Cruciatæ*, Salas *de censib*.*dub*.7.*à n*. 1. Castr. Palaus *tom*.7.*tract*.32.*disp*.6.*punct*. 16. & alij apud ipsos. Nos ab explicatione eius abstinemus propter ea, quæ dicemus statim.

In Hispania non est recepta dicta constitutio Pij V.

32 Cæterùm dictam constitutionem Pij V. in pluribus locis non esse receptam, maximè in Hispania, probant aliqui, quia in nulla provincia eius est publicata. Cæterùm, licèt ex hac parte sit probabile, talem legem non obligare, probabilius duximus *tract*.11. *de legib*.*cap*.1. *n*. 86. non requiri ad obligationem legis pontificiæ, quòd in singulis provincijs, aut diœcesibus publicetur; sed sufficit Romæ publicari, vt constat de bulla Cœnæ. Alij id probant, quia in Hispania non est recepta. Sed minùs benè, quia ad obligationem legis non requiritur acceptatio subditorum, vt ibidem diximus *n*. 99. Alij melius id probant, quia est consuetudine contraria abrogata. Sed adhuc melius probatur in Hispania dictam constitutionem non vigere, quia observationi huius constitutionis Rex noster Philippus II. se opposuit supplicans Pontificem, ne in Hispaniæ regnis vim obligandi haberet, vt constat ex responsione eius, Comitijs Matriti habitis anno 1587. *fol*.28. vbi dicit Catholicus Princeps: *A esto vos respondemos, que el motu proprio, que dezis, no està recibido; antes se ha suplicado dèl por el Fiscal de nuestro Consejo, adonde se ha hecho justicia en los casos que se han ofrecido, y se harà en lo de adelante, y con su Santidad la instantia, que fuere necessaria.* Idem etiam habetur *leg*.10.*tit*.15.*lib*.5. *Recompil*. Quam supplicationem Pontifex non repulit: nec, facta ea, in observatione suæ constitutionis amplius institit. Cessavit ergò eius obligatio, saltem pro Hispania, juxta dicta *tract*. 11. *de legib*. *cap*.2.*n*.110. Atque ita tenent Less. *lib*.2.*cap*. 22. *n*.99. Palaus *disp*.7.*punct*. 11. *n*.6. Salas *de censib*. *dub*.6.*n*.2. Villalob. *tract*.23.*diff*.8. *n*.1. Serra 2.2. *q*.77.*art*.4.*dub*.4.*concl*.5. Filliuc. *tract*.35. *cap*. 7. *n*.316. Trullench *lib*.2.*cap*.21.*dub*.7.*n*. 19. Diana, 1.*p*.*tract*.8.*resol*.44. Bonac. *disp*.3.*q*.4.*punct*.*vnic*. *n*.15. & 16. Prado *cap*.28.*q*.6.*à n*. 28.

Nihil datur jure canonico obligans in cõscientia circa census.

33 Ex dictis habetur, jure pontificio nihil haberi obligans in conscientia pro censuum constitutione. Nam constitutiones Calixt. III. & Mart. V. licèt sint receptæ, non sunt præceptivæ, sed approbativæ, quia approbant census eum conditionibus illarum constitutionum, sed non statuunt, vel præcipiunt ita observari, nisi sint ex his, quæ juræ naturæ debentur: constitutio autem Pij V. quæ erat præceptiva; & ex se obligans in conscientia, non est in Hispania recepta; sed magis circa eam supplicatum: & sic modò non obligat (saltem in Hispania) ad eius observationem. Relinquitur ergò, quòd, vt census validè, & licitè instituatur, sufficiet observare conditiones, quæ ex jure naturæ exiguntur; quamvis melius, & securiùs institueretur, si etiam conditiones ab istis Pontificibus assignatæ observarentur. Videamus ergò modò, quas conditiones ex natura rei census efflagiter, vt eius institutio non sit vsuraria, & illicita.

§. III.

De conditionibus, quæ ex jure naturæ ad census constitutionem exiguntur.

Conditiones assignãtur, quæ jure naturæ pro cẽsus fundatione requiruntur.

34 PLures requiruntur conditiones jure naturæ, vt census non sit injustus. Prima est quòd interveniat emptio, & venditio. His enim non intervenientibus erit vsura. Siquidem, data pecunia pro annua pensione, sublata emptione juris percipiendi illam, fit reipsa mutuatio pecuniæ pro lucro, vt *n*.24. explicuimus. ¶ Secunda, quòd emptio, & venditio sit pro justo pretio, quod est generale omnibus emptionibus, & venditionibus, vt *hoc tr*.*cap*.2.*punct*.9. diximus. Sed justum pretium in censibus censetur, vbi per legem non est determinatum, quod secundùm consuetudinem arbitrio virorum prudentum, & timoratorum est statutum, omnibus inspectis circumstantijs; & ideò si census perpetuus sit, est cariùs emendus, quàm si sit redimibilis; & minùs valet, si tantùm sit vitalitius; & adhuc minùs, si non est secura res, supra quam fundatur. Vbi autem jure positivo est pretium præfixum, illud est omninò servandum. In Castella autem, quamvis olim alitèr venderentur, *ex leg*. 4. 5. & 6.*titul*.15.*lib*.6. *Recompil*. sed post pragmaticam editam à Philippo III. anno 1608. & posteà renovatam à Philippo IV. anno 1621. non possunt vilius emi census redimibiles, nisi pro vno annuo viginti dentur, quod nostro idiomate, *à razon de à veinte*: & vitalitij pro vno decem, *à razon de à diez*. Perpetui non habent per Regem pretium determinatum, sed virorum prudentum judicio emi debent, solvendo 25. vel 26. vel vsque ad 30. pro pensione vnius. ¶ Sed notandum est primò, leges taxantes pretia census statutas esse in favorem venditorum; ideòque vilius emi non posse, licèt possint carius vendi, vt diximus *cap*. 2. *num*. 114. & sic hodie plures census emuntur dando 25. pro vno. Secundò, quod leges pretia census taxantes supponunt firmam, & securam esse rem, supra quam fundatur: vndè minoris emi poterunt, si res illa non fuerit secura.

Sed

Potest census minoris emi, quam fuit ab initio institutus.

35 Sed est hìc difficultas, an semel constitutus census possit minori pretio emi, quàm ab initio fuit constitutus? Respondetur, quòd, adhuc stando in constitutione Pij V. census si sit constitutus maiori pretio, quàm sit taxatum per legem, potest minoris emi, reducendo pretium illud ad pretium taxæ, quia conditio constitutionis Pij V. apposita fuit ad evitandas fraudes; in reductione autem ad taxam justam, non potest præsumi fraus, vt dicunt Gutier. *practic. quæst.* 2. *p. quæst.* 173. Molin. *tom.* 2. *disp.* 395. & probabile judicat Tapia *lib.* 5. *quæst.* 18. *art.* 5. *n.* 3. Sed, præcisa tali constitutione, certum est id fieri posse; dummodò pretium taxæ, vel quod justum fuerit secundùm consuetudinem, vbi taxatum non est, salvetur. Et ideò, quia constitutio Pij V. non loquitur de censibus perpetuis, sed in eis est pretium taxatum, minoris emi possunt, quàm à principio fuerunt constituti, dummodò arbitrio prudentum justum observetur pretium. Imò etiam census redimibilis potest minori pretio emi, quàm fuit ab initio constitutus, etiam citra taxam, quando hypotheca deterior fit, & redditus difficiliùs recuperantur, quia res exposita expensis, & periculis minùs valet, quàm considerata sine illis. Molina *disp.* 392. Tapia *numer.* 5. Villalob. *tract.* 23. *diffic.* 4. *num.* 2. Lugo *disp.* 27. *sect.* 3. *num.* 50. Palaus *disp.* 6. *punct.* 22. §. 2. *num.* 3. & ideò jura regia propter eorum incertitudinem videmus his annis valdè decreviſſe in æstimatione, & pretio.

Extensio præcedentis doctrinæ.

36 Sed adhuc si census nullo subiaceat periculo, postquam est constitutus, posse minori pretio emi, etiam citra taxam, quam fuit ab initio creatus, si venditor roget emptorem, eo quòd merces vltroneæ vilescunt, tenent Sylvest. *vsura* 2. *q.* 12. Trullench *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 8. Sanch. 1. *consil. cap.* 7. *dub.* 19. *num.* 4. Serra 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 4. *concl.* 3. Diana 1. *part. tract.* 8. *resol.* 36. Ioan. de la Cruz *in direct. conscient.* 1. *p. præcep.* 7. *q.* 6. *dub.* 2. *concl.* 3. vbi sic ait. (Potest quis emere censum iam impositum minoris pretij taxæ, etsi non sit periculosus, si ad id per venditorem rogatur, quia merces vltroneæ vilescunt.) Et pro tertia parte vilescere merces vltroneas diximus ex Caietano, & alij, *cap.* 2. *n.* 103. Sed Diana, citatis Bonac. Salon. Ledesma, Vazq. Bañez, Turrian. Pitigian. & Molsef. asserit, vilescere merces vltroneas pro medietate pretij.

Quid de jure regni circa hoc habeatur?

37 Cæterùm, licèt verum sit, quod asserit dicta sententia, spectato jure naturæ duntaxat; at, stando in jure positivo nostri regni taxante pretia census, non videtur posse vilius emi censum citra taxam, quam fuit constitutus ab initio, sicuti in taxa panis contingit. Nam etiamsi venditor rogetur, non potest supra taxam illum vendere; potest tamen vilius, quia in favorem ementis taxa est assignata in tritico. Econtrà verò in censibus, in quibus taxa est assignata in favorem venditorum, licèt possit carius vendi, quàm ab initio fuit creatus, non potest viliùs infra taxam emi. Et hoc innuitur *in leg. Reg.* 6. *tit.* 5. *lib.* 6. *Recompil.* ibi: *No se puedan vender, ni imponer, ni constituir censos, ni juros algunos à menor precio.* Ita Covar. 3. *variar. cap.* 10. *n.* 3. Prado *cap.* 28. *q.* 6. *n.* 51. & alijs relatis, Palaus *disp.* 6. *punct.* 22. §. 2. *n.* 2. Qui benè addit, *n.* 3. (Hæc sententia procedit inspecto juris rigore: nam inspecta consuetudine, quæ legi valet derogare, census legali pretio constitutus minoris emitur, quia aliquantulum minùs æstimatur; vel quia leges taxant pretium medium, & non supremum, nec infimum; vel quia pro diversitate circumstantiarum pretia rerum augentur, vel minuuntur, & in Hispania passim census constitutus minoris emitur, quàm est pretium legis, vidente Principe, & regio Senatu; vt testatur Gutier. 2. *pract. q.* 17. & sic colligitur ex Less. *dub.* 7. & expressè tradit Salas *de censib. dub.* 12. *circa finem, concl.* 3.) Hæc ibi.

Non potest apponi pœna perdendi hypothecã.

38 Tertia conditio, quæ de jure naturæ requiritur, est, quod non apponatur pœna censuatio, vt, si fuerit in mora solvendi annuum redditum, incidat in commissum, & perdat hypothecam, quia quamvis illicitum non sit jure naturæ apponere pœnam in contractu emptionis, & venditionis, vt adimpleatur, debet tamen esse proportionata: hæc autem pœna amittendi hypothecam est nimis rigida, & improportionata: & ideò jure naturæ est illicita, & injusta in foro conscientiæ, vt diximus de pœna amissionis pignoris in mutuo, si tempore præfixo non solvatur debitum, *cap. præced.* Sed in foro externo ad extinguendas lites talis contractus permittitur, ac pro eo servando, & pœna solvenda, vt judicetur, præcipitur *leg. regia* 1. *titul.* 15. *lib.* 5. *Recompil.* ibi: *Puesto que la pena sea grande, y mas de la mitad.* Sed hoc, vt diximus, est pro foro externo: in foro autem conscientiæ non potest talis pœna censui adijci, vt tenet Tapia *lib.* 5. *q.* 18. *art.* 2. *n.* 4. Villalob. *tract.* 23. *diff.* 2. *num.* 3.

Potest emi census cum pœna, vt si intra decem annos non redimatur, sit perpetuus.

39 An verò sit licitum, & validum censum emere sub pœna, vel conditione, vt, si intra decennium non redimatur, maneat perpetuus? Respondetur affirmativè, dummodò carius ematur, quam si emeretur redimibilis absque dicto onere: quia sicut ab initio poterat census perpetuus emi, augendo pretium; ita potest redimibilis cum illa conditione emi, aucto pretio pro æstimatione oneris. At non poterit sub illa conditione emi pretio ordinario censuum redimibilium; aliàs, licet apponatur conditio, adhuc redimi potest, quia hoc ferè esset censum perpetuum emere pretio redimibilium, quod est injustum; & quia additur novum onus venditori, quod debebat pretio compensari. Manuel Rodrig. *in sum. tom.* 3. *cap.* 66. *n.* 15. Soto *lib.* 6. *q.* 5. *art.* 3. Villalob. *tract.* 23. *diff.* 6. Covar. 1. *variar. cap.* 9. *n.* 8. *pag.* 401. Vbi asserit, ita judicatum esse per Regios Auditores in Castellæ Senatu.

Non potest obligari censuarius determinato tempore censum redimere.

40 Quarta conditio, quam census ex jure naturæ afflagitat, vt justa sit eius institutio, est quòd censuarius (id est, qui solvit annuum censum) non obligetur ab emptore, determinato tempore, vel ad voluntatem emptoris, redimere capitale, quod accipit ab eo. Hanc conditionem non admittunt aliqui, qui affirmant, posse institui censum cum pacto retroemendi, seu redimendi, ad emptoris beneplacitum. Et ratio illorum est, quia licita est hæc conditio in alijs venditionibus, vt diximus *cap.* 2. *num.* 60. & non est assignabilis ratio differentiæ in venditione censuum: nam sicuti merces possunt emi cum pacto, vt venditor, cùm placuerit emptori, pretium restituat, fructibus illarum mercium in sortem non computatis; sic jus solvendi annuam pensionem vendi, & emi poterit sub obligatione restituendi pretium, cùm emptori placitum fuerit. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 10. Valentia 2. 2. *disp.* 15. *quæst.* 22. *punct.* 6. & *quæst.* 23. *punct.* 2. à Sancto Fausto *disp.* 18. *quæst.* 70. Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.*

*reſ.*75. Palaus *tom.*7.*tract.*32.*diſp.*6. *punct.* 24. §. 4.*n.*2. Laym. *lib.*3.*tract.*4.*cap.*18.*n.*5. Salas *de cenſibus, dub.*25.*n.*2.& alij. Qui intelligendi ſunt, inquit Leſsius,*num.*60. vt loquantur, ſive cenſus ſit realis, ſive perſonalis, quia ſicut cenſus realis eſt jus quoddam juſto pretio vendibile; ita etiam perſonalis. Addit *n.*64. quod poteſt emptor paciſci, vt ſi redemptio fiat, eodem pretio fiat, quo pretio facta eſt: quia poteſt paciſci quod reſolvatur contractus. Quod tamen, & meritò non admittunt Salas, *n.*5. Palaus *n.*4. aliàs eſſet virtuale mutuum, niſi penſiones in ſortem computarentur: & omnes obſervant, cenſum emptum ſub eo pacto, vt venditor teneatur pretium reſtituere, cùm placuerit emptori, emi debere longè maiori pretio ad beneplacitum venditoris, quam cenſus redimibilis abſolutè, quia imponitur novum onus venditori in favorem emptoris, quod debet juſto pretio compenſari.

Prædicta conditio reiecta ab aliquibus probatur.

41 Sed dicendum eſt nihilominùs, quòd, licèt cenſus poſsit inſtitui cum pacto, vt redimatur, quoties venditori placuerit, imò, ſi abſolutè cenſus inſtituatur, ſic videtur inſtitui, cùm in favorem venditoris ſit ex natura rei vendibilis, non in pactum deducatur, vt ſit perpetuum, ad quod neceſſe eſt augere ordinarium pretium. Et licèt emi poſsit cum pacto vt redimatur, quoties emptori placuerit, computatis penſionibus receptis in ſortem, de quo nullum eſt dubium, cùm ſic non ponatur venditori vllum gravamen, nec ei fiat injuſtitia: at inſtitui non poteſt cenſus, adhuc ſtando in jure naturæ, cum pacto, redemptionis ad beneplacitum emptoris, penſionibus acceptis in ſortem non computatis: quia vbicumque traditur pecunia, vel vſus rei conſumptibilis cum pacto eandem rurſus, vel eius valorem recipiendi, & aliquid vltra ſortem exigitur, eſt vſura: quod in præſenti contingit, quia dum 1000. ducatis cenſum emis, qui tibi quotannis reddit 50. venditorem cogens, vt iterum, cum velis, redimat, tutum reddis capitale tuum, quod idcircò reverà mutuas, & vltra ſortem fructus recipis. Econtra res contingit, ſi ſolùm in venditore manet libertas redimendi, quia hoc non tollit rationem emptionis, cùm poſsit ipſe nunquam redimere. Ita Sotus *lib.*6.*q.*5.*art.*3.*concl.* 1. Tapia *lib.*5.*quæſt.*18. *art.*2.*n.*3. Prado *cap.*28.*q.*6.*n.*41. Aragon 2. 2. *q.* 78.*art.*4.*concl.*4. Covar.3.*variar.cap.*9. *n.*4. Trullench *lib.*7.*cap.*21.*dub.*6.*num.*2. Villalob. *tr.* 23. *diffic.*5.*n.*2. Salon *art.*3. *de cenſib. controv.*19. Ludovic. Lopez *lib.*1.*de contract.cap.*57. Ex his, quæ modò diximus, & ex dictis loco ibi citato de emptione, & venditione, manet ſolutum contrarium fundamentum.

Poteſt venditor obligari, vt ſi redimat, ſit in eadē moneta.

42 Sed quia diximus in aſſertione, poſſe inſtitui cenſum cum pacto, vt à venditore redimatur, quoties placuerit, eſt difficultas, an poſsit obligari venditor, vt, quoties voluerit redimere cenſum, ſit non ſolum eodem pretio, ſed eadem moneta in ſpecie, qua emptus eſt? Reſpondetur, pactum eſſe licitum, ſi æquale ſit periculum decrementi, ac incrementi valoris futuri, & æſtimationis in tali ſpecie monetæ: etſi fortè maior ſit ſpes, quod creſcet illius valor, adaucto pretio, quanti ſpes illa æſtimatur, cum ob novum onus impoſitum venditori debeat creſcere pretium: niſi fortè ſtatuerat emptor pecuniam ſervare in tempus illud, quo pluris valituri creditur, quia ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, poterit cùm illo pacto cenſum emere. Ratio autem aſſerti principalis, nimirum poſſe inſtitui ſub illo pacto, vt ſolvat in eadem ſpecie pecuniæ, quoties redimere voluerit venditor, hæc: eſt quia ſicut hæc conditio eſt emptori commoda in redemptione, fuit venditori in venditione, quia ſicut emptori commodior eſt pecunia aurea, vel argentea, quàm ænea ad negotiationem, vel aſportationem, ſic venditori ea moneta vtilior fuit ad eoſdem fines: vnde ſicut venditor gravatur in obligatione illam monetam exhibendi, ſic gravatus fuit initio emptor in tali moneta cenſum emendi: cū ergo ex parte vtriuſque ſit æqualitas, non eſt quare huiuſmodi pactum non ſit licitum. Sic Salas *de cenſib.dub.*56.*n.*11. Palaus *diſp.*6.*punct.* 14. §.3.*n.*2. Prado *cap.* 28.*q.*6.*n.*44. Lugo *diſp.*27.*ſect.* 10.*n.*138. qui citat Leſſ.*cap.*22.*dub.*8.

Poteſt paciſci, vt cenſus non redimatur pro aliquo tempore.

43 An verò cenſus creari poſsit, inſpecto jure naturali (de quo loquimur) ſub pacto, vt non poſſit redimi, ſaltem intra determinatum tempus? Quidquid alij dicant, reſpondetur affirmativè, ſi tale onus pretio ab emptore compenſetur: quia inſtituere cenſum cum pacto, ne vnquam redimatur, omnes dicunt eſſe licitum, vt patet in cenſibus perpetuis: ergò licitum erit eum inſtituere cum pacto ne, niſi intra determinatum tempus, redimatur: ſiquidem ideò primum pactum eſt licitum, quia privatio facultatis redimendi, quæ eſt in venditore, pretio compenſari poteſt; ſed etiam poteſt compenſari pretio, quod in noſtro caſu imponitur venditori gravaminis, & privatio eiuſdem facultatis: ergò, &c. Ita Leſsius *lib.*2.*cap.*22.*dub.*9. Soto *lib.* 6. *q.*5.*art.*3.*concl.* 3. Rebell. 2.*p. lib.*10. *q.* 6. *condit.* 5. Aragon 2.2.*q.*78 *art.* 4. *concl.* 6. Salas *de cenſibus, dub.* 12. *num.*2. Palaus *diſp.*6.*punct.*24. §.1. *num.* 4.

Poteſt inſtitui cenſus, cum conditione, vt non per partes redimatur.

44 Sed inquires, an poſsit cenſus ea conditione inſtitui, vt non membratim, & per partes, ſed totum ſimul redimatur? Reſpondetur affirmativè, & ita eſſe ſervandum, vbi non viget contraria conſuetudo. Tùm, quia ſicut poteſt inſtitui cenſus cum pacto, vt non redimatur in perpetuum: ita etiam vt non redimatur, niſi totum integrum. Tùm etiam, quia emens totam integram ſortem dedit: ergò obligare poteſt vendentem, vt reddat totam integram, & non in partes diviſam. Maximè, quia hoc eſſe poteſt damnoſum emptori, qui per ſortem integram poſſet plura emere ſibi vtilia, quæ non poſſet, ſi membratim redimatur. Sic Sotus *lib.*6. *quæſt.* 5. *art.* 3. *concluſ.*4. Palaus *punct.* 24. §. 2. *num.* 2. Prado, *cap.* 28.*quæſt.* 6. *num.* 45. Serra *dub.* 4. *concl.* 4. Lugo *diſp.*27.*ſect.*3.*num.* 114. Salon. *de cenſib. art.* 3. *controv.*49. Ledeſma 2.*part. tract.* 8. *cap.* 34.*concl.* 4. *diff.*2. *aſſert.* 2. Tapia *lib.* 5. *quæſt.* 18. *art.* 6. Villalob.*tract.*23.*diff.* 11. *num.*3. Nec requiritur pretium augeri, vt juſtè obligetur venditor non redimere per partes, vt inquit Villalob. Salon. Palaus, cum alijs quinque Auctoribus ab ipſo relatis: eo quòd hæc conditio, ſecluſo pacto, ineſt contractui; ſicut enim vnico actu, & integra ſorte cenſus emptus fuit: ſic vnico actu, & integra ſorte ſolvi debet: exprimere autem conditionem, quæ aliàs de jure ineſt; nocere non poteſt.

Duo notanda proponuntur.

45 Addunt etiam Ledeſma, Lugo, Prado, Tapia, & Villalobos, quòd, adhuc ſtando in conſtitutione Pij V. vbi illa recepta eſt, licitum eſt tale pactum: nam ipſe Pontifex, cùm retuliſſet omnes conditiones à Calixto III. & Martino V. in

in ſuis extravagantibus poſitas (quarum vna erat, vt cenſus ſemper redimi poſſet, vel in totum, vel in partes) huius non fecit mentionem; quo manifeſtè oſtendit ad talem conditionem noluiſſe obligare. Conſtitutiones autem Calixti, & Martini nullibi obligare, iam diximus, & ſic tàm ex jure naturæ, quàm poſitivo, poteſt cenſus cum tali pacto inſtitui. ¶ Sed notandum eſt cum Felician. *de cenſib. 2. tom. lib. 1. cap. 8. n. 52.* Gutier. *pract. quæſt. q.* 174. quos referunt, & ſequuntur Tapia *ſupr. n. 2.* Villalob. *n. 2.* quòd quamvis deducatur in pactum, quòd cenſus non redimatur in partes, poteſt venditor dimidium principalis redimere, ſecundùm conſuetudinem, ſeu ſtylum Hiſpaniæ: qui vſus communitèr receptus eſt etiam in tribunalibus. Dimidium verò reſtans non poteſt redimi per dimidias partes, niſi fuerit in conſuetudine.

§. IV.

De alijs conditionibus, & pactis, quæ frequentèr intervenire ſolent in re cenſui ſuppoſita.

Poteſt inſtitui cenſus cum onere, vt, pereunte hypotheca, cēſus ſolvatur.

46 PRima difficultas in præſentiarum eſt, an, pereunte re cenſui ſuppoſita, cenſus pereat? In vno omnes ferè Autores in hac parte convenire video, videlicèt, poſſe in pactum deduci, vt in inſtitutione cenſus venditor obligetur ad penſionis ſolutionem, etiam hypotheca pereunte: quod verum dicunt, etiam inſpecta conſtitutione Pij V. vbi recepta eſt, qua hìc intervenit pactum aſſecurationis ſortis principalis; quod nullam injuſtitiam præſefert, dummodò (dicunt aliqui) augeatur pretium in emptione ob novum onus venditori impoſitum. Sed hoc non requiritur: tùm, quia, vt dicemus, talis obligatio ineſt ipſi naturæ contractus; & ſic non addit novum onus venditori. Tùm etiam, quia qui emunt cenſum, ſatis accuratè, & attentè inſpiciunt, an res, quæ hypothecatur, ſecura ſit, vel periculum ſit, quòd deſtruatur: vel igitur in ea apparet aliquod periculum, vel non timetur vllum? Si hoc ſecundum dicas, nullum, vel exiguum onus erit cenſus, ſortem aſſecurare. Si primum, cùm poſsit vilius emi cenſus fundatus in re periculoſa, vt ſuprà diximus, onus, quod ſuſcipit venditor in aſſecuratione, compenſari poteſt cum onere, quod accipit emptor in periculo hypothecæ, quæ cenſui ſupponitur. Quæritur ergò, an jure naturæ, pereunte hypotheca, cenſus pereat? Et dicimus *jure naturæ*: nam, inſpecta conſtitutione Pij V. vbi eſt recepta, certum eſt, pereunte re cenſui ſuppoſita ex toto, vel in parte, aut infrugifera reddita, cenſum ex toto, vel in parte perire, quia ipſi vt fundamento nititur.

Sententia aſſerens, pereunte hypotheca, cēſum perire.

47 Igitur prima ſententia dicit, quòd, adhuc communi jure inſpecto, hypotheca pereunte, ceſſat cenſus redditus, quia eo ipſo quòd aliqua res ſubijcitur ſolutioni cenſus, in illa inducitur quoddam jus ſervitutis, ratione cuius poſſunt exigi penſiones: ergò pereunte illa re, cenſus ceſſare debet, quia pereunte prædio, ſervitus ceſſare debet, cui ſubijcitur, leg. *Si fortè*, §. *Etiam. ff. ſi ſervitus vendicetur.* Et confirmo hoc, quia ſervitus nititur vt fundamento illi rei, quæ hypothecę ſubijcitur; ſed, pereunte fundamento, perit res fundata ſuprà illud: ergò pereunte hypotheca, perit cenſus: vt legatum certæ quantitatis, ſi ſuper re aliqua fundatum fuerit, illa pereunte, evaneſcit, leg. *Legatum*, §. 1. *ff. de annuis legatis.* Sic Leſſ. *lib. 2. cap. 22. dub. 5.* Villalob. *tract. 23. diff. 10. n. 2.* Tolet. *lib. 5. q. 39. n. 4.* Valent. 2. 2. *diſp. 5. q. 22. punct. 2. corollar. 6.* Rebell. *de obligat. juſtit. 2. p. lib. 10. q. 1. n. 7. & q. 6. concl.* 4. Molina, *tom. 2. tract. 2. diſp.* 383.

Verius eſt, non perire cenſum, pereunte hypotheca.

48 Verius autem judicamus, cenſus frequentèr conſtitutos, præcipuè in Hiſpania, non perire, etiamſi deſtruantur res, quæ illorum ſolutioni ſupponuntur: & ratio eſt, quia tales res non ſupponuntur, vt ex ipſis neceſſariò cenſus ſolvatur; ſed vt ipſa ſolutio ſecurior ſit; & ideò ſupponuntur, vt pignus, & hypotheca, non vt fundamentum cenſus: ſed ſic eſt, quòd, etiamſi pignora pereant, vel hypotheca, non ceſſat obligatio, leg. *Adverſus*, Cod. *de actionib. & obligationib.* ergò nec pereuntibus rebus cenſui ſuppoſitis, cenſus evaneſcit. Vndè tales cenſus mixti ſunt ex perſonalibus, & realibus, & ſic non ipſis rebus principalitèr inhærent (vti ſervitus) ſed perſonæ; rebus autē ſuppoſitis cenſui acceſſoriè tantùm. Quod ſecùs accidit in legato certæ quantitatis ſuper re aliqua fundato. Vndè licèt, pereunte re, pereat legatum, quod præcipuè inhæret rei, non ita in cenſibus. Sic Soto *lib. 6. de juſtit. q. 5. art. 1. in probatione, 4. concl. & in fine art.* Covar. *3. variar. cap. 7. n. 5. & 6.* Felician. *tom. 1. de cenſibus, lib. 1. cap. 8. n. 19. & tom. 2. lib. 1. cap. 8. n. 18.* Emman. Rodrig. *tom. 3. ſum. cap. 66. n. 13.* Palaus *diſp. 6. punct. 31. n. 2.* Mercado *4. de contract. cap. vlt. ad finem* Matienz. *leg. 1. Gloſſ. 1. num. 6. & 13. tit. 25. lib. 5. collect.* Salas *tract. de cenſibus, dub. 33. num. 2.*

Poteſt cenſum emens vendentem obligare, ne hypothecam alienet.

49 Secunda difficultas eſt, an poſsit emens cenſum cum cenſuario paciſci, ne rem cenſui ſuppoſitam alienet? Reſpondetur affirmativè, dummodò compenſetur hoc gravamen augmento pretij, quia apoſita compenſatione dicta, nulla in hac pactione committitur injuſtitia. Sotus *art. 2. ad 2.* Palaus *diſp. 6. punct. 24. §. 6. num. 1.* Covar. *3. variar. cap. 7. num. 6.* Felician. *de cenſib. lib. 1. cap. 10. num. 8.* Salas *tract. de cenſibus dub. 27.* ¶ Quod adeò verum eſt, vt ſi à cenſuario alienetur, nulla eſt talis venditio, vel alienatio. Tùm ex leg. *Si creditor, §. final. ff. de diſtract. pignorum*; vbi dicitur nullam eſſe venditionem rei, in qua ſimul cum hypotheca legali coniungitur prohibitio alienationis ex pacto, & conventione. Tùm etiam ex leg. *Quoties*, Cod. *de rei venditione*, vbi rei vni venditæ, & venditioni hypothecatæ, promiſſæque nemini alteri alienari, impeditur valida alienatio. Tùm denique ex leg. *Emptorem*, Cod. *locati*, vbi ſi rei locatæ accedat pactum rem non alienandi cum hypotheca, nullam reddit venditionem ſubſequentem, ſicuti ex dictis legibus probat Avendaño, *tract. de cenſib. Hiſpaniæ, cap. 85. num. 5.*

Si cenſuarius vendere velit hypothecā debet emptorem priùs monere.

50 Tertia difficultas eſt, an debeat cenſuarius, ſi rem cenſitam alienare voluerit, præmonere priùs emptorem cenſus, cui penſiones ſolvuntur? Et quidem ſtando in conſtitutione Pij V. indubitatum eſt, ad id teneri; ſiquidem in ea ſtatuitur, teneri cenſuarium monere cenſus emptorem ante rei cenſitæ venditionem, & illius conſenſum expectare per menſem. Sed, adhuc præciſo tali jure, ex ipſa natura contractus ad id teneri probatur: nam cùm alius accipiat cenſus penſionem ex re cenſui ſubjecta, ſi eo inſcio alienetur, & ad alium deveniat, à quo fortè

fortè difficiliùs accipiet pensiones, ipsius interest talis alienationis habere notitiam, vt sibi modo convenientiori consulat. Valentia 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 22. *punct.* 7. Salas *dub.* 23. *fine*, Palaus vbi proximè, *num.* 7. ¶ Imò valdè æquum est id, quod in constitutione Pij V. jubetur, nimirum, vt si res censui obligata alienanda sit, præferatur in eius emptione cæteris omnibus censualista, ipsique priùs vendatur, si eam velit emere, cùm ipse in tali re jus hypothecæ realis habeat.

PUNCTUM III.

De ludo, & sponsione, quomodo licita sint, & cum quibus conditionibus?

Quando ludus sit mortale peccatum?

51 LUdus in communi acceptione pro omni eo accipitur, quo animus recreari potest, & à rebus, & negotijs serijs diverti: quod si verbis fiat, dicitur, *jocus*: si factis, *ludus*. Est ergo ludus ex sua natura, præcisis alijs accidentibus, quæ vt in plurimum solent illi adjungi, indifferens, & ad bonum, & ad malum finem ordinabilis. Est enim virtuosus, si ob finem honestum recreandi animum moderatè fiat; quod pertinet ad virtutem eutrapeliæ, vt inquit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 2. Et potest esse vitiosus, vel ratione materiæ, vt si esset de rebus turpibus ad libidinem provocantibus, quales apud paganos solebant exerceri: sic indubitatum est, esse mortale talibus ludis vti. Et similiter est mortale sacram scripturam, vel sacras vestes in rebus amatorijs miscere. Etiam vitiatur ex parte finis, qui si sit peccatum mortale, tale erit ludus: si veniale, veniale: & sic ludere præcisè propter lucrum, veniale est; si illud intendat, sive bonis, sive malis artibus, mortale. Si principalitèr intendat recreationem honestam, minùs principalitèr lucrum, nullum erit peccatum, etiamsi non luderet, nisi tale lucrum speraret. Qui autem cum jactura rei familiaris, & damno vxoris, & filiorum luderet, vel ita vt se redderet impotentem ad debita solvenda, vel familiam sustentandam, mortalitèr delinqueret. Sed, his præcisis, non erit mortale peccatum, etiam magnam quantitatem ludo exponere; & qui absque fraude lucraretur, non teneretur restituere, quia nulla intervenit injustitia, cùm scienti, & volenti nulla fiat injuria. Sanchez *lib.* 1. *consil. tom.* 1. *cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 7. Trullench *lib.* 7. *cap.* 28. *dub.* 1. *num.* 2. Prado *cap.* 29. *quæst.* 3. *num.* 38. Candid. *disquisit.* 23. *art.* 13. *concluf.* 25. Diana, 7. *part. tract.* 9. *resol.* 37. ¶ An verò maritus possit magnam summam ex bonis communibus ludo exponere, invita vxore, diximus *tract. præced. cap.* 5. *num.* 55.

Si serventur debitæ conditiones, licitus est ludus, sed periculosus.

52 Loquendo autem de ludo, vt est contractus humanus, sic diffinire potest, quod est *Pactum, in quo victori certaminis res ab vtroque exposita tribuitur.* Hic contractus ex natura sua est licitus, si conditiones debitæ infrà assignandæ observentur; quia sicut vnusquisque potest rem suam alteri donare absolutè, ita transferre in alterum dominium illius sub aliqua conditione, sive fortuita sit, sive ex industria pendeat. Sed licèt ex natura sua sit licitus ludus, vt est contractus vtrinque lucrativus, vt in plurimum, talia illi accidentia solent coniungi, vt omnino detestabilis, & abominabilis fiat. Et sic Sanctissimus Iob, *cap.* 3. in suæ innocentiæ testimonium adducit: *Nunquam cum ludentibus miscui me.* Et Ierem. 15. dicitur: *Non sedi cum ludentibus in consilio.* Et Arist. 4. *Ethic. cap.* 1. comparat lusores, vulgò, *los tahures*, cum latronibus, ob fraudes, & injustitias eorum, qui nimis sunt ludo dediti, passim commissas. Et *leg. regia*, 20. *titul.* 11. *part.* 4. loquendo de decoctoribus, & dissipatoribus suorum bonorum, ponitur exemplum in his lusoribus frequentibus: *Assi como si fuesse jugador, ò huviesse en si otras malas costumbres, porque destruyesse lo suyo locamente.* Et sic videmus, quòd hoc ipso quòd de aliquo dicatur lusorem esse, intelligimus esse hominem perditum, prodigè suam substantiam dilapidantem: licèt enim vtrinque lucrativus contractus sit ludus, nihilominus sæpissimè omnes lusores perditi evadunt: & si quæ aliquando lucrantur, omnia inter assistentes, & alios frustra distrahuntur; & præter hoc quot blasphemiæ! Quot perjuria! quot injustitiæ! quot jurgia ex ludis non proficiscuntur! Vtinam hæc attenderent, qui ludis ita dediti sunt, vt in eis suam felicitatem videantur collocasse. De quibus dicitur *Sapientiæ* 15. *Æstimaverunt esse ludum vitam nostram.* Et meritò contra hos loquitur Tullius *lib.* 1. *de officijs*: *Non ita generati à natura sumus, vt ad ludum, & jocum facti esse videamur; sed ad severitatem potiùs, & ad quædam studia graviora, atque maiora. Ludo & joco vti licèt; sed, sicut somno, & quietibus cæteris, tunc cum gravibus, serijsque rebus satisfecerimus.*

Vt licitus sit ludus, debet ludens habere liberam administrationem rei ludo exponendæ.

53 Tres præcipuas conditiones exigit ludus, vt justus sit, & licitus. Prima, vt ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam ludo exponunt: & ideò res alienas, vel quæ alienari non possunt, nequeunt ludi exponere periculo. Et inde est, quòd peccat mortalitèr ludens cum eo, qui non potest de talibus rebus disponere, vt cum latrone, depositario res deposito subjectas ludo exponente, cum stulto, puero, mancipio, filiofamilias, prodigo, coniuge, Religioso, si ludo exponant; de quibus statim dicemus, non posse ludo exponere; quia qui cum talibus ludit, animum lucrandi habet, & sibi reservandi, quæ non potest accipere: & licèt talem animum non habeat, cooperatur ad peccatum illius, qui talia, quæ non potest, ludit, vt rectè inquit Navarr. *cap.* 20. *num.* 12. Trullench *lib.* 7. *cap.* 28. *dub.* 1. *num.* 5. Non autem peccat cum aliquo ex dictis ludens, si solùm eas res ludo exponat, quæ licitè poterat perdere, de quibus statim dicemus. Et, relicto ludo Religiosorum, de quo iam egimus *tract. præced. cap.* 6. *punct.* 8. in quo tract. *cap.* 5. *punct.* 4. plura diximus de ludo vxoris, & filijfamilias, brevitèr modò per ista transimus.

Quibus casibus potest filiusfamilias aliqua ludo exponere?

54 Igitur filiusfamilias pubertatem nactus, si bona castrensia, aut quasi castrensia habuerit, vel concessa fuerit sibi à parente aliorum bonorum administratio, vel de licentia parentis ludens, vel ludens cum moderatione, quæ secundum suum statum decent, vel quorum expendendi habet à parente expressam, vel tacitam facultatem, potest lucrari totidem in ludo, & alius ab eo lucrans restituere non tenetur: quia sicut supradicta potest pro libito expendere, potest sub conditione fortuita, in qua lucrandi, & perdendi periculo exponitur: quod

quod omnes afferunt. Et idem de vxore habente bona paraphernalia,& asia ex licentia mariti, vel ludente illam quantitatem, quam suæ conditionis mulieres solent ludere, vel de licentia mariti maiora bona ludo exponente. Et idem est de minoribus puberibus, qui non habent curatorem, sed liberam bonorum administrationem; qui possunt perdere,& lucrari in ludo,quæ voluerint, licèt possint,si perdiderint, beneficio restitutionis in integrum illa recuperare, iuxta dicta *cap.*1. *huius tract. num.* 76. Et quilibet ex his, si aliqua in ludo lucratus fuerit, eorum acquirit dominium, & administrationem; & sic ea simul cum alijs poterit iterum ludo exponere. Vnde qui herì cum filio-familiàs potente ludere 50. perdidit 50.potest hodie ab eo lucrari 100.si lucrata non distraxit,quia 50.ex se poterat ludo exponere, & postea etiam alia 50. quæ lucratus est, cuius dominium acquisivit,& administrationem. Ita Sanchez *lib.*1.*consil.cap.*8.*dub.*8.Navarr.*cap.* 17. *num.* 20.Bonac. *de restit.disp.*2.*quæst.*3.*punct.*2. *numer.* 13.Trullench *lib.*7.*cap.*27.*dub.*5.*num.*8.

In quibus casibus non possunt filij familiàs perdere, aut lucrari?

55 At verò si filius-familiàs sine consensu patris, minor sine curatoris licentia; vxor sine viri facultate aliquid vltra dicta ludo exponant, ab eis lucrans tenetur restituere;& ipsi similitèr ab alio vltra id, quod perdere possunt, lucrantes, eodem modo tenentur restituere: quia contractus ludi debet esse vtrinque æqualis, vt qui possit lucrari, possit perdere: ergò sicut supradicti non possunt perdere, nec lucrari poterunt. Lessius *lib.*2.*cap.*26.*num.* 34. Villalob.*tract.*28. *diffic.*5.*numer.* 11. Bonac. *suprà num.*6. Trullench *dub.*5.*num.*4. Salon 2.2.*quæst.*5. *de dominio, art.*6.*dub. vlt. conclus.* 1. ¶ An verò si pater, vir, aut curator post consequutum lucrum approbent contractum,teneantur supradicti illud restituere, diximus *tract.præced. cap.*6.*num.*98. Et an qui eodem jactu non potest nisi viginti perdere, possit centum ab alio lucrari, ibidem diximus, & alia hìc pertinentia. ¶ At verò si notum esset illi, cum quo filius-familiàs, v.g. ludit, ipsum non posse de illis ludere, non tenetur filius-familiàs illi lucrata restituere, cùm non acquisierit per injustam actionem; siquidem scienti, & volenti nulla fit injuria. Villalob. *num.* 12. & cum multis Diana 1. *part.tr.* 8.*resol.*67. Sed advertit Sà, *verb. Ludens,num.*50. Rodrig.1.*part.Summ. cap.*179.*num.* 3.Sanch. *dub.* 8. Bonac.*punct.*2.*num.*13.eum, qui aliquid lucratus est à minori, filio-familiàs, aut vxore, non teneri ad restitutionem,si postea tantundem cum eis perdidit, quia iam reddidit æquale;& sufficit,vt tradat ipsis, etiamsi non sint veri domini; quia ex justitia non tenetur rem in meliori statu collocare, ac antea erat, vt diximus dicto loco,*num.*106.

Non est licitus ludus, quo alius vi, aut fraude trahitur ad ludendum.

56 Secunda conditio, quæ requiritur, vt contractus ludi non sit illicitus, est, quòd alter alterum per injurias, fraudes, convitia, &c. ad ludum non pertrahat: quia tunc mortaliter peccat sic cogens, & arbitrio prudentum tenetur ad satisfaciendum injuriæ: & non est idem de importunis precibus, quibus alium ad ludum trahit, nisi tales sint, vt males rem tuam periclitari, quàm tantis molestijs affici; & nisi non possis eis resistere sine nota, quòd sis nimis durus, & agrestis. Hæc omnes ferè docent. Sed est inter Doctores difficultas, an teneatur sic per trahens ad restitutionem eorum, quæ in tali ludo lucratur? Negat prima sententia. Tùm, quia talis voluntariè ludit, licèt secundum quid involuntariè; sed hoc sufficiens est ad transferendum dominium, maximè in contractibus onerosis: ergo,&c. Tùm etiam,quia attractus non tenetur, si lucretur, restituere,vt omnes docent: ergò nec etiam attrahens, licèt peccaverit injuriosè attrahendo. Tùm denique,quia Confessarij non solent compellere ad restitutionem eos, qui socios post pecuniam amissam cogunt ad persistendum in ludo, & ab his pecuniam perditam iterum acquirunt. Sic Bonac.*disp.*2.*quæst.*3.*punct.* 2. *num.*9.citans Molinam, Garciam,& Rodriguez.Sà, *verb. Ludus,num.* 7. & valde probabilem dicit Villalob.*tract.*28.*diffic.*4.*num.*2. Diana,cum alijs, 1. *part.tract.*3. *miscell.resol.*27. & probabilem judicat Trullench *lib.*7.*cap.*27.*dub.*2.*num.*2. Lessius *lib.*2. *cap.*26. *dub.*2.*num.* 9.

Qui cõgit aliũ ad ludendum,tenetur perdita restituere.

57 Sed dicendum est, eum qui minis, fraudibus, verbis injuriosis,aliove modo cogit alterum ad ludendum, sive hoc faciat in principio ludi, sive postquam lucratus est alius, vt in ludo perseveret, tenetur restituere, quod lucratus est ipse ab eo, qui sic tractus est ad ludum; sed iste non tenetur illi restituere, si fortè contingat lucrum ex parte eius: quemadmodùm si quis me cogeret minis, vel fraudibus ad ludendum cum alio, quis non diceret eum teneri restituere, quod in tali ludo ego perdidi,cùm sit huius damni injusta causa? Idem ergo est dicendum, si me cogeret modo dicto,vt cum eo luderem. Et ratio est, quia compellens,per injuriam à se illatam, est causa illius damni, quod ego patior, & sic videtur cedere juri suo, & amittere jus lucrandi. Econtra verò ego, qui injuriam patior, & attractus sum ad ludum,acquiro jus retinendi lucrum, & non perdendi; sicut qui injuriam facit in numeratione punctorum, vel calculorum, non potest lucrari, & potest socius qui cum eo ludit. Sic Lessius, Trullench,& Villalob.*suprà*,qui hanc,vt probabiliorem, amplectuntur. Soto *lib.* 4. *de justit.quæst.* 5. *art.*2. Sanch. *tom.*1.*conf.lib.*1.*cap.*8.*dub.*11.*num.*2.

Non debent contra legẽ ludi fraudes intervenire.

58 Tertia conditio ludi est, vt non intervenient fraudes contra legem ludi; si quis enim ludat pluribus, vel fictis chartis lusorijs, vel injuriam faciat in numero calculorum, vel chartas occultet, & dissimulet, vel signo peculiari notet, vel taxillos adulteratos supponat, alijsve fraudibus vtatur,peccat mortaliter, & tenetur restituere: tùm lucrum acquisitum, quia illud acquisivit invito domino rationabiliter: tùm etiam id, quod certò alius lucraturus erat à se, vel ab alio, quia est injusta illius damni causa. Bonac.*disp.*2.*quæst.*3.*punct.*2.*num.* 6. & 7. Lessius *lib.*2.*cap.*26.*dub.*2.*num.* 13. Villalob. *tom.* 2.*tract.*28.*diffic.*4.*num.*5.Trullench *lib.*7. *cap.* 27. *dub.*2.*num.*3.Quod si dubium erat, an alius lucraturus esset, non tenetur rem, quam supposuerat,restituere; in dubio namque melior est conditio possidentis: tenetur tamen,id quod lucratus est, reddere,quando dubium est, an fallacia causa fuerit,quòd lucratus sit; quia in dubio nemo potest rem alterius incipere possidere, vt præcitati docent: at si alius vicerit falsarium, non tenetur restituere lucrum, quia inæqualitas contractus provenit ex parte alterius: nec ponit colluſor justus vllum ex parte sua impedimentum. Ita Silvester, *verb. Ludus*, *quæst.* 13. Diana 4.*part.tract.*4. *resol.* 169. Villalob. Lessius, Trullench *loc. cit.*

Quæ leges ludi sint ex necessitate observãdæ

59 Illæ autem judicandæ sunt leges ludi, quas ipsi ludentes communi consensu statuere, vel quæ in tali loco sunt receptæ; quia contractus, nisi aliud exprimatur, censetur celebrari jux-

ta

ta consuetudinem loci, in quo initur: si tamen consurgat dubium, an fuerit fraus circa ludi leges, standum est judicio peritorum in ludo, vt inquit Sanchez *tom. 1. consil. lib. 1. cop. 8. dub. 12.* Vbi congerit multas fraudes, quæ in ludo licent: fraudes etiam, seu astutiæ communi consuetudine receptæ, vel in quas ludentes expressè, vel tacitè consentiunt, licitæ sunt, quia in eis æqualis est vtriusque conditio, vt docet Lessius *dub. 2. n. 14.* Trullench *lib. 7. cap. 27. dub. 2. n. 5.* ¶ Hinc fit, posse licitè lucrari, & augere omnem sponsionem illum, qui certò scit lucraturum (*Como si jugando à la Primera, tuviera cincuenta y cinco de mano, ò al Quinze, y tuviera catorze de mano, podia embidar, ò admitir el embite de el otro*) quamvis simulet timorem ex oris, & vultus mutatione; nam est fraus intra limites ludi, & idem poterat alteri contingere. Ledesma *tom. 2. tract. 31. cap. 2. concluf. 7.* Villalobos *tract. 28. diffic. 4. num. 14.* ¶ At si collusor videat alterum errare in calculorum, vel punctorum enumeratione, potest lucrari, & non tenetur, aut monere, aut restituere, quia licèt teneatur alterum non decipere, non tamen tenetur de suo errore, aut negligentia monere, quia talis censetur lex ludi, vti docet Sanchez *dub. 14.* Bonacina *punct. 2. n. 2.* & idem admittit Lessius *n. 15.* quando in tali casu tacere est in consuetudine loci.

Qui sint ludi vetiti jure positivo?

60 Sed modò inquires primò, an qui ludo vetito aliquid lucratur, illud teneatur restituere? Ludus, qui vetitus est jure canonico, & civili, est ludus alearum, cap. *Episcopus, dist. 15. l. 2. ff. de aleæ usu.* Authentica. *Alearum usus*, Cod. *de Religios. & sumptib. funerum, leg. regia 2. 9. & 11. tit. 7. lib. 8. Recopil.* & per ludum alearum secundum communem sententiam intelliguntur omnes illi, qui nituntur fortunæ principaliter, etiamsi interveniat ibi aliquid de industria, vt ludus taxillorum, chartarum, tabularum, &c. Sed prædictas leges iam non obligare, saltem mortaliter, tàm laicos, quàm clericos sæculares (de regularibus autem iam diximus *tract. præced. cap. 6. num. 95.* qualiter similes ludi sint apud eos illiciti) vbi cessant scandala, fraudes, periuria, aliave peccata: quia vel ab initio non obligarunt, nisi ad pœnam, cessante scandalo, & alijs inconvenientibus, vel contraria consuetudine sunt abrogatæ quoad obligationem culpæ gravis, tenet Navarr. *in Manual. cap. 20. num. 10.* Sanchez *tom. 1. consil. lib. 1. cap. 8. num. 5.* Medina *lib. 1. Summ. cap. 14. §. 27. fol. 151.* Armilla Angelus, Alcocer, & Dicastillo citati à Diana *7. part. tract. 9. resolut. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 1. numer. 5. & 6.* Bartholom. à Sancto Fausto, *disput. 32. quæst. 4. numer. 6.* citans Salon. Molinam, & Rebellum. ¶ Tametsi alij oppositum satis probabiliter doceant quoad clericos in sacris constitutos: maximè si frequentèr, & in magna quantitate ludant. Illud certum est apud omnes, quòd si beneficiarius bona, quæ sunt purè ecclesiastica, quæque pauperibus erogare teneretur, post decentem suæ familiæ sustentationem, juxta dicta *tract. 12. cap. 2. numer. 141.* ludo in magna quantitate exponeret, peccaret mortaliter; sed an teneatur restituere, vel ipse, vel ab eo lucrans? Vide quæ diximus ibi *num. 155.* & negativè respondebis.

Qui ludo prohibito lucratur, non tenetur restituere ante sententiam Iudicis, tenetur restituere ante Iudicis sententiam.

61 Sed sive prædictæ leges obligent, sive non, qui in ludo vetito absque vi, fraude &c. lucratur, non tenetur restituere ante sententiam Iudicis, modò per vim, & fraudem non impedierit socium à prosequutione litis, & Iudicem à promulgatione sententiæ; quia jure naturæ non tenetur ad talem restitutionem, vt omnes asserunt: cùm possit in ludo alius transferre dominium, nec est ad hoc jure naturæ impedimentum, quando æqualis vtrinque contractus supponitur. Sed nec etiam jure positivo, quia prædictæ leges non reddunt irritum ludi contractum, nec faciunt ludentes inhabiles ad dominij translationem, & solùm concedunt perdenti repetitionem, id est, quòd possit apud Iudicem repetere, si velit, id quod amisit. Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 3. num. 17.* Villalob. *tom. 2. tract. 28. difficult. 2. num. 2.* Bonac. *de restit. disp. 2. quæst. 3. punct. 3. num. 8.* Sanchez *tom. 2. consil. lib. 1. cap. 8. dub. 1. à num. 3.* Trullench *lib. 7. cap. 27. dub. 3. n. 3.* ¶ Qui verò ludo prohibito aliquid amittit, potest tuta conscientia apud Iudicem repetere, & recuperare intra tempus sibi à lege concessum; & jure Castellæ juxta pragmaticam Caroli V. editam Matriti, anno 1528. tempus assignatum sunt dies octo post amissionem, quibus transactis, non datur jus repetendi. ¶ Nec ob id potest amittens vti compensatione occulta, nisi quando vi, aut fraudibus impeditur à recuperatione interventu Iudicis; quia leges solùm concedunt repetitionem in judicio. Nec sufficit privata petitio ad hoc, etiam apud Iudicem, nisi sequatur Iudicis condemnatio, quia ante illam non tenetur victor ad restitutionem.

Qui ludo verito perdit ad creditum, non tenetur solvere.

62 Inquires secundò, vtrum qui ludendo ad creditum perdit, teneatur solvere, quæ perdit? Respondetur, quòd si ludus sit ex vetitis à jure, non tenetur jure communi perdita reddere nisi fortè juraverit se soluturum, quod perdidit, quia tunc vi juramenti obligatur reddere; sed potest tale juramentum relaxari, vel subita solutione impleri, & posteà repeti quod est solutum, juxta dicta *cap. 1. huius tract. numer. 71.* quia in citata authentica. *Alearum*, Cod. *de Relig. sumpt.* sancitur, vt victus in tali ludo non cogatur solvere; & parum esset, quòd non cogeretur in foro externo, si cogatur in interno: ideòque vult non cogi, quia mens eius est, vt non solvat, & rebus suis non se exuat, vt victor non fruatur lucro. Vnde secundùm jus commune non teneri victum ad solvendum, docent Covarrub. *ad regul. peccatum, part. 2. num. 8.* Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 23. n. 144. & de matrim. lib. 6. disp. 33. num. 33. & 34.* Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 4. numer. 24.* Villalob. *tract. 28. diffic. 3. num. 2.* Soto *lib. 4. quæst. 5. art. 2.* Bonac. *disp. 2. quæst. 3. punct. 3 numuer. 2.* Diana *1. part. tract. 3. miscell. resol. 8. & part. 2. tract. 5. miscell. resol. 94.* Quamvis oppositum sit probabile, quod docet Sayr. *lib. 9. cap. 13. n. 21.* Rebellus, Bañez, Valencia, apud Bonacinam, *loc. cit.*

Iure hispano perdita ad creditum quocumque ludo, solvi non debent.

63 Cæterùm jure Castellæ, etiamsi ludus non sit vetitus, certum est non teneri victum solvere victori, quod lucratus est, post legem Caroli V. suprà citatam, & habetur *leg. 8. tit. 7. lib. 8. Recopil.* vbi statuitur, vt qui perdiderit in ludo pecunia credita, non teneatur solvere; & irritatur in ea lege talis contractus, nullamque habere vim obligandi dicitur, quod si libere, & voluntariè victus solvat (sciens se ad id non teneri) qui lucratus est, potest recipere, donec ab eo, qui solvit, repetatur; quia ita viri doctissimi illam interpretantur legem, & ita praxi, & consuetudine est recepta; & ideò nec viros timoratos, obligatos ad restitutionem censeri videmus, nec con

Confessarios ad id obligare: quin potius victi valdè indignantur, si qui vicit non vult recipere solutionem: & sic vsu, & consuetudine est receptum, vt victor possit eam pecuniam recipere. Bañez 2. 2. *q.* 72. *art.* 7. *§. Circa secundum.* Salon 1. *de just. q.* 5. *art.* 6. *dub.* 2. Sanchez *tom.* 1. *consil. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 4. *num.* 2. Villalob. *tract.* 28. *diffic.* 3. *num.* 3. 4. & 5. Diana 5. *p. tract.* 5. *resol.* 94. Trullench *lib.* 7. *cap.* 27. *dub.* 4. *n.* 4. Qui benè notat *num.* 8. cum Bonacina *de restit. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 2. *num.* 20. quòd si vnus ludat credita pecunia, ludente alio pecunia numerata, poterit lucrari, qui credita ludit (si animum solvendi, si perdat, & non repetendi habeat) quia ludens numerata cedere juri suo censetur, & aliàs non adest inæqualis conditio inter illos, vt injustus judicetur contractus.

Quid sit sponsio, & quo modo sit licita?

64 Inquires tertiò, an sponsiones, vulgò, *las apuestas*, licitæ sint, ita vt victus teneatur solvere, & victor possit in conscientia retinere? Sponsio, de qua nunc loquimur, est *Contractus, in quo duo de veritate, vel eventu rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, vt eius sit, qui veritatem fuerit assequutus.* Huiusmodi contractus licitus est, si æqualitas servetur; quia est contractus quidam fortunæ, quo vterque periculo lucri, & jactura expositus est, nulloque jure est prohibitus, vt probat Sanchez *consil. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 32. *num.* 2. Sotus *lib.* 6. *de just. it. q.* 7. *art.* 1. §. *Ad hæc*, Martinez à Prado *tom.* 2. *cap.* 29. *q.* 3. *n.* 44. Dixi, *si æqualitas servetur*: & tunc non servatur, quando vel adest dolus, vel eventus rei non est vtrique incertus. Si quis namque certus esset rem ita esse, vel evenisse, vel eventuram, peccat recipiendo sponsionem, & ad restitutionem tenetur, nisi suam notitiam alteri manifestaverit. At si vnus diceret se certò id scire; & nihilominus alter contenderet, & perseveraret in sua sponsione, nolens credere dicenti, licitè potest alius spondere, & lucrari, & suæ protervitati, & duritiei alter debet imputare detrimentum, vt tenent Prado *suprà n.* 46. Villalob. *tract.* 28. *diffic.* 6. *n.* 2. Trullench *lib.* 7. *cap.* 27. *dub.* 6. *num.* 1. Sanchez *dub.* 32. *num.* 11. Diana 4. *p. tract.* 4. *resol.* 86. & 7. *part. tr.* 9. *resol.* 64. ¶ Vnde injustam esse illam sponsionem, quæ solebat fieri Salmanticæ, quando quatuor, vel quinque ad vnam Cathedram erant oppositores, & habentibus illis suos fautores, quidam cum singulis spondebat centum; quia cùm vnus tantum eam esset adeptturus, solùm poterat perdere centum, & alia 300. certò lucraturum se sciebat, docet Ledesma *tom.* 2. *tract.* 31. *concluf.* 1. *dub.* 2. Villalob. *num.* 3. quamvis oppositum dicat Sanchez, quod probabile reputat Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 183.

PUNCTUM IV.

Quid sit promissio? Quomodo debeat acceptari? & qualem obligationem inducat?

Quid, & quotuplex sit promissio?

65 POtest esse hominis ad hominem promissio, & hominis ad Deum: de ista secunda nullus in præsenti sermo erit, quia est votum factum Deo, & sic eam ad tractatum de voto remittimus. Promissio igitur hominis ad hominem, de qua nunc loquimur, quamvis latè sumpta sit affirmatio, vel negatio, qua se aliquid homo dicturum, vel facturum affirmat, vel negat, quomodo est generalis in omnibus contractibus, quia in omnibus illis intervenit aliqua promissio: in presenti autem solùm accipitur pro datione fidei spontaneæ, & gratuitæ: quæ dicitur simplex promissio, & diffinitur sic, Promissio est: *Datio fidei libera, & spontanea de re licita.* Dicitur, *datio fidei*, quia non sufficit dicere, *ego faciam* significando solum voluntatem faciendi, nisi se obliget alteri ex virtute fidei, seu fidelitatis. Dicitur quòd sit *libera*; quia promissio fraude, aut metu extorta nullam obligationem inducit, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 79. *artic.* 7. Dicitur, *spontanea*, vt differat à promissionibus, quæ in contractibus onerosis reperiuntur, in quibus non spontè, sed ratione obligationis ab alio contractæ promissio proficiscitur. Dicitur, *de re licita*, quia promissio de re non licita nulla est, cum ad illicitum nemo teneatur.

In quo promissio differat à proposito?

66 Differt autem promissio à proposito, quia istud, cùm sit in voluntate, nec est affirmatio, nec locutio; sed est consensus voluntatis, qui exprimitur per simplicem intellectus affirmationem: v. g. *faciam.* Hæc autem simplex assertio non facit hunc sensum, *promitto facere*; sed est simplex affirmatio illius, quod quis tunc animo gerit. Vnde propositum insinuatum Deo non sufficit ad votum, sed est simplex affirmatio, seu assertio, non verò promissio. Sotus *lib.* 7. *de justitia, quæst.* 1. *art.* 2. *§. Vnde pro solutione.* Martinez à Prado *tom.* 2. *cap.* 29. *quæst.* 4. *num.* 2. Trullench *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 1. *num.* 1. Palaus *tract.* 32. *disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 2. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 2. *num.* 12. & 13. Vnde non sufficit dicere, *ego promitto me hoc facturum*, si solùm intendit significare animi sui propositum (vt frequentèr contingit) non autem dare fidem: nec dicere, *ego promitto me facturum, quidquid iusseris*, si id dicat vt affectum suum, & animum ad alijs placendum testetur. Quod etiam sæpe fit, quia istæ, & similes formulæ loquendi sæpe vsurpantur voluntatis, & testandi animi causa, non autem ex intentione se obligandi. In dubio autem, quo animo verbis promissorijs sit vsus, inclinandum est in eius favorem, quia in dubio non est imponendum onus, quod nisi spontè non suscipitur, vt rectè Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 1. *num.* 7.

De triplici differentia promissionis.

67 In triplici differentia est promissio. Alia est acceptata ab eo, cui aliquid promittitur; & hæc dicitur promissio perfecta, seu *consummata.* Alia est nondum acceptata; & hæc dicitur *pollicitatio*, quia pollicitatio est solius offerentis promissio, *leg.* 3. *ff. de pollicitat.* Alia est sub certa formula verborum facta vno interrogante, alio respondente, vt si dicas: *Dabis mihi centum?* Et alter respondeat: *Dabo. Intercedes pro me? Intercedam.* Et hæc in jure dicitur *stipulatio*: quæ forma adhiberi potest in omni contractu, & dicitur stipulatio in illa materia, vt fideiussio stipulativa; donatio stipulativa, promissio stipulativa, &c. Prætermissis ergò circa promissionem varijs difficultatibus, quæ ab alijs excitantur, duplex nobis exagitanda est. Prima, circa acceptationem. Secunda, circa obligationem promissionis, quas duplici §. explicabimus.

§. I.

§. I.

De acceptatione requiſita ad promiſsionem, & de modo, quo ſit inter præſentes, & abſentes.

Abſque acceptatione promiſsio nõ obligat.

68 VT promiſsio (ſimilitèr donatio, quæ in hoc, quod eſt requirere acceptationem, convenit cum promiſsione) ſit firma, inducatque obligationem, ita vt non ſit in voluntate promittentis eam pro libito revocare, requirere promiſſarij, vel donatarij acceptationem, ita vt ante illam liberum ſit donanti, & promittenti eam revocare, communis tenet ſententia; ſiquidem obligatio intelligi non poteſt, niſi mutuo duorum conſenſu, juxta *leg. 1. ff. de pactis.* Vndè promiſsionem, aut donationem non firmari ante acceptationem, habetur *leg. 1. ff. de pollicit.* leg. *Abſenti, ff. de donationibus*, leg. *Nec ambigi 6.* Cod. *eodem tit.* leg. *Si multùm intereſt 6. Cod. ſi quis alteri, vel ſibi.* Et hoc non ſolùm eſt jure cæſareo ſpectato; ſed etiam attento jure canonico, & noviſsimo Caſtellę: quod aliqui perperam negant. Imò, ſpectato ſolo jure naturæ, acceptatio eſt neceſſaria: eo quòd, ignorante promiſſario, & fortè invito, nec jus illi quæri poteſt, nec in promittenti oriri obligatio exequendi promiſſum, quod neſcitur, an ſit promiſſario gratum. Quare requiri acceptationem, vt promiſsio, vel donatio modò revocari nequeant, docent Tapia *lib. 5. q. 20. art. 2. n. 1.* Villalob. *tom. 2. tract. 20. diff. 3.* Trullench. *lib. 5. cap. 17. dub. 4. &* 5. Lugo *diſp. 23. ſect. 3. 4. &* 5. Diana *8. p. tract. 6. reſol.* 108. Soto, *lib. 3. q. 5. art. 3. §. Sed de donationibus*, Prado *cap. 29. q. 4. n. 11.* Palaus *diſp. 2. punct. 2. n. 1.* Rebell. *lib. 18. q. 1. n. 3.* Leſſ. *lib. 2. cap. 18. dub. 8. num. 34.* & alij.

Aliquæ præcedẽtis doctrinæ limitationes.

69 Temperant aliqui prædictam aſſertionem, vt non procedat in promiſsionibus, vel donationibus infantibus factis, alijſve rationis incapacibus, quia cùm non ſint capaces acceptationis, à lege videntur acceptari promiſsiones, & donationes illis factæ. Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp. 6. n. 15.* Villalob. *tract. 20. diff. 3. n. 4.* ¶ Limitant etiam alij, ne procedat in promiſsione, ſeu donatione facta civitati in reparationem ædificij, ruina, igne, aliove modo deſtructi, quæ, ſecundùm leg. *Pactum*, leg. *Propter incendium*, leg. *Ob caſum, ff. de pollicitationib.* non indiget acceptatione, vt firma ſit, ita vt revocari non poſsit. Laim. *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 1. n. 2.* Leſſ. *lib. 2. cap. 18. n. 36.* & idem eſt de promiſsione, aut donatione reipublicæ facta ob honorem ab illa acceptum, vel recipiendum, vel in opus à republica inchoatum promovendum. ¶ Denique alij temperant, vt non procedat dicta aſſertio in donationibus, vel promiſsionibus factis eccleſijs, hoſpitalibus, vel alijs cauſis pijs; eo quòd privilegia civitatibus conceſſa, ad pias cauſas, ob earum favorem, videantur extendi in leg. *Illud*, leg. *Inter*, Cod. *de ſacroſanct. eccleſ.* Leſsius, *loc. cit.* Molina *tract. 2. diſp. 263.* & Molina Iuriſta *lib. 4. de primog. cap. 2. num. 75.* Sed hoc verum eſſe, ſi promiſsio in honorem Dei fieret, v. g. *Deo promitto dare centum eccleſiæ*: tunc enim obligat, vt votum, & à Deo acceptatur. Cæterùm ſi promiſsio fieret immediatè cauſæ piæ, non obligat ante acceptationem (verum eſt à quolibet particulari poſſe acceptari) quia de ſua natura promiſsio, vel donatio imbibit illam conditionem, *ſi acceptetur*. Vndè vt obliget ante acceptationem, deberet in jure eſſe expreſſum, vt rectè Palaus *tract. 3. diſp. 2. punct. 2. n. 5.* Covar. *1. variar. cap. 14. n. 16.* Rebell. *de oblig. juſtit. 2. p. lib. 18. q. 3.* Sanch. *in Decalog. lib. 4. cap. 41. n. 7. & lib. 1. de matrim. diſp. 6. n. 16.* Villalob. *tract. 20. diff. 3. n. 5.* & alij apud ipſos.

Etiam promiſsio jurata non obligat ante acceptationem.

70 Sed difficultas eſt, an ſi juramento firmetur promiſsio, vel donatio, maximè ſi ſit de illa non revocanda, firmetur, & roboretur illo, ita vt revocari nequeat ante acceptationem? Affirmat prima ſententia, quia juramentum, ſemper ac ſervari poteſt abſque interitu ſalutis æternæ, obligat in conſcientia ob Dei honorem, ne in teſtem mendacij Deus adducatur, cap. *Si verò*, cap. *Cùm contingat, de jure jurando.* Sic Laim. *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 1. n. 3.* Covar. *de pactis, 2. p. §. 4. n. 12. 16.* & alij. ¶ Sed verius eſt non firmari ante acceptationem promiſsionem, aut donationem juramento; etiamſi ſit donatio, aut promiſsio ad piam cauſam, quia juramentum ſequitur naturam primordialem actus, cui adhæret, leg. *Final.* Cod. *de non numerata pecunia*; ſed actus promiſsionis, aut donationis imbibit ex natura rei conditionem, *ſi acceptetur*: ergò ſub eadem conditione cenſetur factum juramentum: ergò ſicut ante acceptationem potèſt revocari, ſecluſo juramento; ita etiam ipſo ſuppoſito; & cùm non inducat rationem voti, quia ſit principalitèr (vt ſupponimus) homini, coram Deo non obligat, niſi ab homine acceptetur. Sic Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 7. n. 24.* Molina Iuriſta *lib. 4. de primog. cap. 2. n. 65.* Gutier. in cap. *Quamvis pactum, in 2. edit. in principio, n. 55.* Palaus *diſp. 2. punct. 2. n. 6.*

Quomodo inter præſentes promiſsio acceptetur?

71 Sed inquires, quo pacto promiſsio, ſeu donatio acceptanda ſit? Reſpondetur, quòd ſi promiſſarius, vel donatarius per ſe, vel per alium præſens donationi, vel promiſsioni exiſtat, verbis, vel ſignis gratam ſibi eſſe donationem exprimere debet, vt ſic voluntas vnius cum voluntate alterius conjungatur: quod neceſſarium eſt ad pactum conſtituendum. Imò ſi non reſpondeat, ſed taceat, cenſetur annuere pollicitationi *ex reg. juris in 6. Qui tacet, conſentire videtur*: quæ cum non habeat locum cùm de præjudicio tacentis agitur, juxta leg. *Filius-familias, ff. de procuratoribus*, ſequitur habere locum, cùm agitur de commodo, & beneficio tacentis; & ideò regula ſequens, *Qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire videtur*, ita intelligitur, quia taciturnitas ex ſe indifferens eſt ad aſſenſum, vel diſſenſum ſignificandum, ſecundùm diverſitatem materiæ favorabilis, vel officioſæ: vndè in donatione, vel promiſsione onerosa locum habet ſecunda regula, & prima in promiſsione, vel donatione gratioſa. Tapia *lib. 5. q. 20. art. 3. n. 3.* Villalob. *tract. 20. diff. 3. n. 6.* Rebell. *2. p. lib. 18. quæſt. 2. num. 2.* Sanchez *lib. 1. de matrimon. diſp. 6. num. 11.* Palaus *diſp. 2. punct. 3. num. 3.*

Inter abſentes quomodo fiat promiſsionis acceptatio?

72 Si autem promittens, vel donator ſit abſens, mittere debet nuntium, vel epiſtolam, quibus abſenti promiſſario, vel donatario nuntietur promiſsio, vel donatio facta, vt præſtare poſsit aſſenſum: nec ſat eſt ad effectum, quòd alius tertius, qui donationis, vel promiſsionis fuit conſcius, proprio motu referat donatario, aut promiſſario: quia ea manifeſtatio, cùm non ſit à promittente, vel donatore aſſumpta ad declarationem ſuæ voluntatis, non eſt ſufficiens ad vnien-

dam vtriusque voluntatem, sicut ad istud pactum requiritur, vt colligitur ex leg. *Absenti* 10. *ff. de conditionibus*, & tenet Sanch. *n.* 20. Palaus, *punct.* 4. *n.* 1. & 3. Tapia *art.* 3. *n.* 5. Villalob. *diff.* 3. *num.* 8. ¶ Sed promissarius, cui nuntius specialiter deputatus promissum, seu donationem retulit, tenetur coram ipso præstare acceptationem; nec sat est, si coram alijs id faciat, quia cùm promissarius reddat promittentem (idem est circa donantem) firmitèr obligatum, oportet, quòd vel ipsi, vel eius nuntio acceptatio fiat. Tapia *art.* 3. *n.* 5. Palaus *n.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. *n.* 43. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 5.

Quomodo per literas acceptetur promissio.

73 At si per literas donatum, aut promissum promissario, aut donatario notificetur, debet donanti literas suæ acceptationis mittere; nec satis est, si coram alijs acceptet, quia non censetur donanti respondere, neque cum illo suam voluntatem conjungere. Sanch. Tapia, Laym. Palaus, *loc. cit.* Interim autem ac nuntius, sive epistola ad donatarium pervenerit, potest suam donationem donator, aut promissor revocare, quia, dum acceptatio non adest, non censetur firmitèr obligatus. Si autem ad donandum, & promittendum procuratorem constituit, vt subsistat revocatio, debere certiorem ipsum, vel donatarium facere, alioqui forè validam, & firmam donationem, tenet, citatis Rebello, & Sanchez, Palaus suprà, *num.* 6. Verius tamen est, quòd si verè adsit revocatio, nihil actum erit à procuratore, cùm non adsit voluntas, & consensus ex parte donantis. Aliud esset, si ille, qui mittitur, se haberet per modum internuntij rem alteri deferentis, quia tunc, donatione sequuta, acquireret donatarius jus ad rem, & donans obligationem habebit consentiendi, si dicto internuntio ante traditionem rei revocatio non innotescat, leg. *Si mandassem* 15. leg. *Inter causas* 26. *ff. mandati*, Less. *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. *n.* 44.

Si promissarius ante acceptationem moriatur, nō amplius obligat promissio.

74 Si contingat donatarium ante acceptationem è vita decedere, competere jus acceptandi hæredibus, docet Sanchez *lib.* 1. *Decalog. disp.* 6. *n.* 6. Molina Theolog. *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 264. Molina Jurista *lib.* 4. *de primog. cap.* 2. *n.* 77. *fin.* Villalob. *tract.* 20. *diff.* 3. *n.* 8. Quia hæredes succedunt in juribus defuncto competentibus: defunctus autem jus habebat acceptandi: ergò, &c. ¶ Cæterùm potestas acceptandi est potestas personalis, & sic extinguitur morte donatarij. Quarè hæredes non possunt loco defuncti acceptare donationem, vel promissionem: ipsi namque solùm succedunt in juribus defuncti quæsitis; & realibus: defunctus autem nullum jus quæsitum, aut reale habebat ad rem, quousque præstaret acceptationem. Less *n.* 35. Palaus *punct.* 4. *n.* 8. Rebell. 2. *p. lib.* 18. *quæst.* 3. *n.* 6. & colligitur ex leg. *Cùm quis sibi*, *ff. de verborum obligatione.*

Si donator moriatur ante acceptationē donatarij, hic potest post à rem acci pere.

75 At si è contra res eveniat, quòd ante acceptationem donator, vel promittens moriatur, licèt aliqui probabiliter sentiant, non posse donatarium, aut promissarium rem promissam acceptare. Veriorem tamen partem affirmativam judicamus. Tùm, quia talis donatio, vel promissio ex parte donantis fuit perfecta, & valida: & ex alia parte ante mortem non fuit revocata, vt supponimus: & sic virtute remansit in literis, vel internuntio impressa: ergò, &c. Tùm etiam, quia donatio ex parte donatoris est gratia facta; & gratia facta non extinguitur morte donantis. Tùm denique, quia facultas revocandi donationem non transit ad hæredes, vt pluribus probat Covar. 3. *variar. cap.* 14. *n.* 17. sed inutilis esset talis prohibitio, si morte donatoris donatio extingueretur: ergò, &c. Sanch. *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 6. *n.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 2. *n.* 45. Rebel. 2. *p. lib.* 18. *q.* 3. *n.* 7. Molin. *lib.* 4. *de primog. cap.* 2. *n.* 77. Quod præcipue currit in donationibus ad causas pias, quia decedens præsumitur sic voluisse, cùm ea donatio in suæ animæ salutem maximè cedat.

§. II.

An promissio acceptata gravitèr ex justitia obliget ad sui adimpletionem?

Promissio onerosa sē per obligat ex justitia.

76 QUia res, de qua in hoc §. agimus, frequentissima est, & in praxi toties contingens, in ea fusius aliquantulum procedemus: & non loquimur modò de promissione onerosa, qualis in alijs contractibus reperitur; hanc enim, posito ex parte alterius onere, ex justitia, & gravitèr obligare, omnes dicunt. Et idem asserunt de promissione mutua, quæ verè est onerosa, si fides ex parte alterius præstatur, quia talis præstatio fidei, se habet, vt pretium alium obligans, vt ex parte sua fidem præstet. Ob quam rationem *tract.* 9. *de matrimon. cap.* 1. *n.* 81. diximus, sponsalia (quæ sunt mutua promissio) ex justitia obligationem inducere. Nec loquimur de promissione jurata, sed de simplici, & nuda. Si enim promissioni juramentum addatur, non solùm est validum juramentum, sed firmat ipsam promissionem, juxta dicta *cap.* 1. *huius tract. num.* 70. Nec denique loquimur de promissione civili, seu inducente debitum civile, sive legale, quia, vt inquit benè Caietanus *in sum. verb. Perfidia.* (Et hæc de perfidia simplici dicta sint: nam cùm promissum transit in debitum legale (vt cùm quis promittit, ita quòd potest, quantum est ex vi promissionis, cogi in judicio humano) tunc supra debitum morale adjungitur debitum legale, ac per hoc debitum justitiæ: & si non servantur promissa, incurruntur duo crimina, scilicèt perfidiæ, & injustitiæ; quam constat ex suo genere esse peccatum mortale.) Hactenus Caietan. Dicitur autem promissio civilis inducens debitum civile, seu legale, quæ fit coram notario, & testibus, vel in chirographo cum subscriptione, ita vt in foro externo cogi possit promittens ad eius impletionem, quia hoc ipso sic promittens manifestè ostendit se velle obligari ex justitia. Modò loquimur de simplici promissione, quæ fit tantùm verbis ad promissarium directis, à quo est acceptata.

Duo præmittēda pro ponuntur.

77 Sed præmittere libuit tria certa apud Authores, vt ad principale dubium clariùs procedamus; quæ Caietan. *loco citato*, & 2. 2. *q.* 113. *art.* 1. *dub.* 4. præmittit. Primum est, quòd promissum non implere, & fidem datam non servare, proculdubio peccatum est, & contra veracitatem, quia facta verbis non confirmat: & contra fidelitatem, qui infidus, & perfidus est fidem datam non servans. Ex qualibet igitur promissione obligatur homo in foro conscientiæ ad verificandum, quod promisit. Hoc naturalis ratio dictat, cum eius oppositum manifestè noceat tranquilitati

tati humanæ ſocietatis: niſi enim fidem ſibi invicem ſervarent homines, non poſſent convivere. ¶ Secundò eſt præmittendum, quòd ſi infidelitas, ſeu violatio promiſsionis eſt pernicioſa, eſt ex genere ſuo peccatum mortale, vtpoté oppoſita charitati, & multoties etiam juſtitiæ. Ponit exempla Caietanus, vt ſi quis promittat alicui ſuccurrere primo mane inchoato bello, & non ſervet: ſi quis promittat tenere ſecretum aliquod, quod magni refert, & revelaverit: ſi Medicus promittat infirmo periclitanti ſubvenire, qui ſpe fruſtratus, notabiliter læſus eſt. Et vniverſaliter, quoties res promiſſa ita eſt proximo neceſſaria, quod eius oppoſitum eſt ei gravitèr nocivum, eſt infidelitas pernicioſa, & eſt ex genere ſuo peccatum mortale.

Quomodo promiſſum nõ implens nullo modo peccet?

78 Tertiò eſt certum, quòd ſæpè non ſervans promiſſum, nullo modo peccat. Nam in primis ita eſt, ſi promiſſum ſit illicitum, impoſsibile, inutile, vel ſibi multum nocivum, quia ad injuſtum nemo tenetur, ſicut nec ad impoſsibile: & ſi inutile eſt ei, cui ſervanda eſt fides, eam obſervare, ad quid erit promiſſum implere? Vt ſi quis promitteret alicui librum ad ſtudendum, & interim fiat cæcus, aut furioſus, non eſt ei ſervanda fides; & ſi ſervaret fidem, factum eſt mihi magis nocivum, quàm tibi vtilis obſervatio, vt ſi quis promitteret ſe iturum cras ad ſuam domum, & interim accidit infirmitas filij indigentis paterna præſentia, non tenetur fidem ſervare. Et generaliter quoties ſupervenit nova mutatio rerum promiſsioni, quæ ſi ab initio præviſſa eſſet, non fieret talis promiſsio, non eſt obligatio fidei obſervandæ, quia ſemper in promiſsione tacita ſubintelligitur conditio, *niſi nova ſuperveniat mutatio rerum*: quomodo diximus *tract.9. de matrimon.cap.2.n.63.* non obligari ſponſalitiam promiſsionem, rebus notabiliter mutatis. Vndè ad hoc quòd homo teneatur adimplere, quod promiſit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant, vti ex pluribus exemplis, & authoritatibus probat D. Thom.2.2.*q.*110.*art.*3.*ad* 5. *& ad Roman.*15.*lect.*3. ſuper illa verba Apoſtoli: *Per vos proficiſcar in hiſpaniam.* ¶ Quarè in præſenti quæritur, an, rebus manentibus in eodem ſtatu abſque notabili mutatione, teneatur promittens adimplere ſimplicem, & nudam promiſsionem iam acceptatam à promiſſario ſub peccato mortali, & obligatione juſtitiæ, etiamſi nullum aliud damnum promiſſario eveniat ex fide non ſervata, quàm carere re ſibi promiſſa? Tres dantur in hac parte ſententiæ, omnes ſatis probabiles, & in conſcientia tutæ.

Sententia aſſerens eſſe peccatũ mortale cõtra juſtitiam promiſſa nõ implere.

79 Prima ſententia dicit, eſſe peccatum mortale non implere promiſsionem acceptatam; & eſſe ex juſtitia promiſſorem obligatum, etiamſi nullum aliud damnum eveniat promiſſario, quàm carere re ſibi promiſſa: quia virtus fidelitatis ad adimplenda promiſſa eſt valdè propinqua juſtitiæ, quia præbet promiſſario jus ad rem promiſſam; & eſt valdè neceſſaria eius obligatio, & adimpletio ad reipublicæ pacem, & civium convictum, & ſocietatem politicam. Imò eſt fundamentum omnium contractuum: nam in omnibus includitur fidelitas adimplendi pactum: ergò talis obligatio gravis eſt, & valdè aſsimilata obligationi juſtitiæ: & ſic communiter homines videntur accipere, qui vtique gravitèr conqueruntur de perfidia eorum, qui promiſsiones non adimplent. Atque ita docent Covar.cap.*Quamvis pactum*, 2.*p.* §.4. *n.* 13. *verſ. Quidam autem.* D. Antonin.2.*p.tit.*10.*cap.*2. §. 4. Sylveſt.*verb. Pactum*,*q.*4. Tapia *lib.*5.*q.* 20. *art.*6. *n.*5. Sot.*lib.*7.*q.*2.*art.*1.*ad* 1. Ludov. Lop. 1.*p. inſtruct.cap.*180.*& lib.*2.*de contract. cap. vlt.* Arag. 2.2.*q.*88.*art.*3.*pag.*991. Leſſ. *lib.*2.*cap.* 18. *dub.* 8. *n.*55. Laym. *lib.*3.*ſect.*5.*tract.*4.*cap.*12.*n.*1. Sanch. *lib.*1.*de matrim.diſp.*5.*n.*20. Palaus *tract.* 32. *diſp.* 2.*punct.*8.*num.*5. Trullench. *lib.*7.*cap.*17. *dub.*6. *num.*5.

Sententia tenẽs ex promittẽtis voluntate pẽdere obligationem promiſsionis.

80 Secunda ſententia dicit, pendere ex promittentis intentione, quòd promiſsio acceptata in gravi materia obliget gravitèr, vel non: ſi enim voluit promittens ſe ex juſtitia, & gravitèr obligare, hac aſtrictus obligatione manebit: ſi ſolùm ex honeſtate, & fidelitate, quomodo contingit frequentèr, ſolùm levitèr obligatus erit: & ita aſſerit judicandum eſſe, quoties non conſtiterit de oppoſito. Et probatur primò, quia promiſsio pendet ex voluntate promittentis, & eſt quaſi lex privata, quam ſibi quiſque imponit. Vndè ſicut obligatio legis pendet ex legislatoris voluntate, ita vt gravitèr, vel levitèr obliget, ſecundùm quod ipſi placuerit; ita & promiſsio: vt cernitur in voto, quod eſt promiſsio facta Deo, quæ quia eſt per modum privatæ legis, ſecundùm placitum voventis obligationem inducit. Secundò probatur, poſſe quempiam ſe obligare ſi voluerit ex juſtitia ad aliquid dandum, vel faciendum per ſolam ſimplicem, & gratuitam promiſsionem: nam ſicut poteſt homo alteri gratis donare domum; atque adeò transferre in illum jus aliquod reale in domum, quod eſt objectum proprium juſtitiæ, cur non poterit etiam gratuitò transferre in eum jus, non in rem, ſed ad rem; & conſtituere ſe debitorem alterius ex debito juſtitiæ? (Totum quippè illud, quod quis poteſt ex pretio dare, poteſt etiam donare gratis: vndè ſicut poteſt domum pretio vendere, ita poteſt eam gratis donare.) Et ita in vtroque caſu æquè das jus juſtitiæ in domum: ergò ſicut potes, pretio accepto, obligare te ex juſtitia ad aliquid poſteà accipiendum, vel dandum, ex qua obligatione das jus ex juſtitia propria adverſus te; ita poteris iſtud jus gratis dare, & conſtituere te debitorem ex juſtitia, ſicut ſi pretium accepiſſes pro hac obligatione: ergò, dum in promittente adſit animus ſe obligandi ex juſtitia, promiſsio gratuita obligat ex juſtitia, & per conſequens ſub mortali.

Dictã ſententiam nos aliquando quomodo amplexati ſumus?

81 Sententiam iſtam ſecundam tenet Molina *tom.*2. *tract.*2.*diſp.*262. *ad finem.* Villalob. *tom.*2. *tract.*20.*diff.*2.*n.*5.*&* 6. Lug. *diſp.* 23.*ſect.*6.*à n.* 89. Rebell.2.*p.lib.*18.*q.* 4.*n.* 5. Riginald. *lib.* 25. *n.* 96. Stephan.Bauni *tom.*3.*lib.*5. *tract.*1. *de promiſsione, quæſt.*12. Barthol.à Sancto Fauſto, *diſp.* 20. *quæſt.* 57. *num.* 4. Et ex Authoribus primæ ſententiæ plures reipſa illi adhærent, cùm tandem obligationem gravem in promiſsione ad intentionem promittentis reducant. Et nos in hoc curſu obitèr de hac re agentes, vbi eam pro meritis diſcutere non vacabat, ex profeſſo examinandam huic loco, vt proprio remiſimus. Vel ſi abſolutè locuti ſumus, obligationem gravem promiſsioni concedentes, erat agentes de promiſsione oneroſa, vel mutua, vel jurata, vel civili, &c. non de ſimplici, & gratuita, de qua nunc loquimur, niſi obitèr, vt diximus, ſecundùm hanc probabilem opinionem loquuti fuerimus.

82 Tertia igitur ſententia (quam modò am-

Contra duplicem dictam sententiam, tertia quam amplectimur, proponitur.

plectimur) duo dicit. Primum, contra primam sententiam, asserit, per se loquendo promissionem simplicem, & gratuitam solùm obligare sub veniali. Secundum dicit, contra secundam sententiam, repugnare aliquem velle solùm se obligare ex simplici promissione, & quòd simul velit se obligare ex debito justitiæ. Et quidem hæc secunda pars (supposita priori principali, quàm posteà probabimus, & Authores pro ea adducemus) sic probatur, quia non est in voluntate promittentis facere, quòd debitum morale solùm fit debitum civile, vel legale: siquidem ipse nequit objecta actuum invertere, rerumve essentias variare; sed qui vult simpliciter promittere, & non vult juramento, scriptura, vel alio pacto oneroso, vel alia obligatione civili se obligare, solùm vult essentialia, & naturaliter consequentia promissionem simplicem: ergò si ad istam solùm sequitur obligatio honestatis moralis (vt supponimus, quia modò arguimus supposita prima parte assertionis) solùm inducet obligationem fidelitatis, & non obligationem justitiæ. Quemadmodum qui solùm se vult obligare ex voto, non se vult obligare ex justitia, nisi adjungat religioni contractum ex justia: ergò similiter qui nudè vult promittere, & non vult promissioni aliquid adiungere, quo civiliter obligetur, non vult se obligare ex justitia; imò id non potest, sicut non potest se obligare ex religione, si nudè duntaxat vult promittere, & nec votum, nec juramentum adiungere promissioni.

Secundæ sententiæ fundamentum evertitur.

83 Nec obstant, quæ pro sua parte adducit secunda sententia; non enim negamus, posse quemlibet ex se ex justitia obligari, nullo debito præcedente, sicut potest gratis pro alio fideiubere, quia fideiussio in fieri est gratis, & semel facta obligat ad solutionem ex justitia. Attamen, qui se vult obligare ex justitia, si hoc vult efficaciter, & cum effectu, debet facere exterius contractum obligatorium ex justitia, vel quia donat, & transfert dominium, vel quia promitit civiliter adjuncta scriptura, & testibus, vt à Iudice possit cogi; & sic, nullo debito justitiæ præcedente, potest se obligare ex justitia; sed implicat in adjecto, quòd nudè velit promittere, non addito alio, & quòd amplius se velit obligare, quàm ex fidelitate: sicut potest se obligare ex religione, qui obligatus non erat; sed addito voto, aut juramento; at velle se ex religione obligare per simplicem, & nudam promissionem, implicat in adjecto. Est igitur promissio lex privata, quia à particulari imposita; & est in eius voluntate eius obligationem restringere, vel ampliare, quia potest, vel in promissione nuda sistere, & sic leviter se obligare; vel aliud adjungere, quo maneat civiliter, & ex justitia, sic graviter obligatus.

Discrimen inter promissionem, & votum.

84 Aliud est de voto, quod est etiam lex privata (quod tangitur in primo argumento huius sententiæ) etenim votum ex natura sua graviter obligat, si absolutè sit emissum, & solùm leviter obligabit, quando non aliter se vult vovens obligare; & tunc solùm erit secundùm quid. Ratio autem quare votum simpliciter, & absolutè emissum graviter obliget ex natura sua, non ita promissio facti homini, traditur à D. Thom. 2.2.q.88.art.3.ad 1. vbi sic dicit: *Ad primum ergò dicendum, quòd secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur: & hæc est obligatio juris naturalis; sed ad hoc, quod aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione civili* (id est, ex justitia) *quædam alia requiruntur. Deus autem, etsi bonis nostris non egeat, ei tamen maximè obligamur: & ita votum ei factum est maximè obligatorium.* Multum quippè excedit obligatio, quam homo habet Deo ipsi servandi fidem, eam quam homini habet, vt sit illi fidelis: sicut adducere Deum, vt testem, quid gravius est, quàm adducere, & citare hominem in testem mendacij. Et ideò religio est pars justitiæ potentialis, non quia deficiat à ratione debiti, sed quia deficit à ratione æqualis. At fidelitas est pars potentialis justitiæ, quia non respicit debitum simpliciter, seu quia non respicit debitum civile, & legale, sed solùm debitum morale, & ex honestate.

Non obligare promissionem sub morali, probatur.

85 Atque ex his probatur prima pars assertionis, quòd promissio simplex facta homini, etiamsi acceptata sit, ex natura sua non obligat sub mortali, quia secundum D. Thom. 2.2.q.110.art.3.ad 5. Qui non implet promissa, solùm peccat contra virtutem fidelitatis; sed fidelitas solùm inducit obligationem ex honestate quadam, vt inquit ipse S. Doct. verbis nuper adductis: *Secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur*: ergò non obligatur promittens graviter, & ex justitia: & ideò, vt dicebamus, fidelitas est pars potentialis justitiæ, non quia non reddat æquale, sed quia non respicit debitum simpliciter debito legali, sed solùm debito morali: quod est debitum secundum quid, & ex quadam honestate, vt dicebamus *tract. 12. de just. & domin. cap. 1. n. 6.* Non ergò inducit promissio rigorosam, & gravem obligationem, maximè ex justitia. ¶ Quod confirmari potest primò, quia debitum ex justitia, & debitum ex fidelitate distinguuntur, vt constat ex communi modo loquendi Doctorum, qui dicere solent, deberi aliquid ex fidelitate, non ex justitia: & sic œconomus, & omnis, qui officium aliquod nomine alterius administrat, ad quædam tenetur ex fidelitate, & non ex justitia; sed obligatio promissionis est debitum fidelitatis: ergò non justitiæ. ¶ Confirmatur secundò ex communi æstimatione hominum, qui parum solent æstimare violationem simplicium promissionum, à quibus si exigeretur juramentum, vel chirographum, vel aliud, quod induceret obligationem religionis, vel obligationem civilem, nollent promittere, & expressè dicunt nolle tam strictè obligari: ergò signum est, quòd promissio simplex, non onerosa, nec civilis ex genere suo, non obligat sub mortali, nisi aliundè sit pernicioſa eius violatio.

Authoritatibus dicta sententia probatur, & contrarium fundamentum evertitur.

86 Sententiam *n. præced.* probatam præter D. Thom. qui proculdubiò est pro illa, tenent Caietanus, 2.2.q.113.art.1.dub.4. & *in sum. verb. Perfidia*, & ibi Armil. Bañez, 2.2. *de dominio, fol.* 160. *column.* 1. Petr. de Ledesm. *de matrim. q.* 45. *art.* 5. *dub.* 2. *concl.* 1. *fol.* 255. Ioan. à S. Thom. 1.2. *quæst.* 88. *disp.* 29. *art.* 9. Martinez à Prad. *tom.* 2. *cap.* 29. *quæst.* 4. *num.* 16. Ionnes à Cruce *in septim. præcept. quæst.* 1. *articul.* 1. *dub.* 1. *conclus.* 2. Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 13. *numer.* 2. Diana *part.* 2. *tract.* 17. & 3. *miscellan. resol.* 9. & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 122. & *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 74. & videtur manifestè deduci ex jure civili, leg. *Iuris gentium*, §. *Sed cum nulla, ff. de pactis*, ibi: *Sed cum nulla subest causa præter conventionem, hic constat, non posse constitui obligationem: igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.* ¶ Ex quibus omnibus manet solutum argumentum primæ sententiæ, quod solùm probat, promissionem ex fidelitate obligare, quæ, licèt sit fundamentum

tum aliorum contractuum, præcisa ab illis, non inducit gravem obligationem, nec gravitèr ex natura rei lædit humanum convictum illam violare: sicuti nec mendacium non officiosum, cùm tamen veritas, sicut fidelitas, ad omnes contractus sit necessaria, & ad humanam societatem, & convictum multum conducens.

PUNCTUM V.

De Donationibus, earum conditionibus, & subjectis illarum capacibus.

Donationis diffinitio, & multiplicitas.

87 QUamvis in rigosè donatio non sit contractus, quia non constat consensu mutuo in vtroque contrahente obligationem inducente, quia tamen largo modo dicitur contractus, aut quasi contractus, ideò de illa inter contractus agitur à Doctoribus; quæ est quædam datio liberalis, & irreddibilis, id est, recompensationem non intendens, diffiniturque donatio est: *Rei licitæ nullo jure cogente, mera liberalitate facta collatio.* Et est duplex, *realis*, & *verbalis*. Si enim dones, & tradas, est realis, & perfecta traditio, quia rei dominium à te abdicas, & in alium transfers. Si dones absenti, quia non transfers dominium, est imperfecta, & verbalis donatio, indigens acceptatione. Et vtraque donatio potest esse *donatio inter vivos*; quando nimirùm quis sic donat, vt etiam vivens velit absolutè rem transferre in dominium donatarij: *Et donatio causa mortis*, qua non vult donator rem absolutè, & irrevocabilitèr esse alterius, nisi post mortem, vt *Dono tibi hoc post mortem meam: dono, quia timeo me nunc moriturum.* ¶ In præsenti ergò hæc quinque nobis examinanda sunt, relictis alijs. Primò de his, qui possunt donare. Secundò de quantitate, quæ donari potest. Tertiò de donationibus inter conjuges. Quartò de causis, quibus posit revocari donatio. Quintò de donatione causa mortis: quæ diversis paragraphis claritatis gratiâ peragemus.

§. I.
De his, qui donare possunt.

Illi, qui plenum dominium rei non habent, donare non possunt.

88 OMnis ille, qui habet rei dominium, & administrationem nomine proprio capax est donationis faciendæ: ideòque omnes illi, de quibus diximus *hoc tract. cap. 1. punct. 5.* posse contrahere, remque distrahere pro sua voluntate, liberalitèr donare possunt. Dixi, *si nomine proprio*, qui enim nomine alterius rem administrant, indigent speciali mandato ad donandum, qui sub generali administratione potestas donandi non continetur, leg. *Filius, ff. de donat. l. 1. ff. de administration. tutorum.* Vnde religiosi donare non possunt, nisi de licentia Prælatorum tacita, vel expressa, iuxta dicta *tract præced. cap. 6. punct. 1.* & deinceps, vbi latè egimus de donationibus religiosorum. Nec filij-familias non emancipati non habentes bona castrensia, vel quasi castrensia donare possunt de illis bonis, quorum dominium, & administratio est apud parentem, vt tradidimus *tract. præced. cap. 5. §. 2. n. 44.* nisi quando tacitam, vel expressam licentiam à parente habuerint donandi. Nec vxor non habens bona paraphernalia potest de bonis communibus, aut dotalibus absque consensu tacito, vel expresso mariti donare, nisi in casibus numeratis *dicto tract. cap. 5. n. 52.* Nec similitèr prodigi, quibus interdicta est suorum bonorum administratio, juxta dicta *hoc tract. cap. 1. n. 34.* Nec minores viginti annorum sub curatoris tutela existentes quidquam sine illorum licentia possunt donare, vt diximus *cap. 1. huius tract. n. 41.* De his ergò donationibus egimus iam locis citatis; & similitèr de donationibus ob turpem causam, *tract. præc. cap. 1. punct. 6.* De donationibus Iudicibus, alijsve ministris factis, ibi, *punct. 8. à n. 177.* De donationibus ob aliquod officium ex justitia debitum diximus *tract. præc. cap. 1. n. 174.* Et de donationibus, quæ fiunt ab his, qui rei dominium non habent, vt fures, vsurarij, ibi, *à n. 154.* ideòque modo ab illis supersedemus.

Plures enumerãtur, qui ex jure donare nõ possunt.

89 Insuper in jure aliqui donare prohibentur. Primò, qui mentis compotes non sunt, vt ebrij, furiosi, amentes. *Clement. Si furiosus, de homicidio.* Et quia impuberes, nempè masculus ante 14. annos, & fœmina ante 12. non censetur habere perfectam, & stabilem mentem; ideò donare, prohibẽtur, & ab eis quidquam momenti accipi, leg. *Fin.* Cod. *quando tutores, vel curatores esse desinunt*, leg. *Fin.* Cod. *de testament. milit.* Secundò, omnibus personis ecclesiasticis rerum immobilium ecclesiæ donatio interceditur, & mobilium, quæ servando servari possunt: imò nec pecuniarum ad emenda immobilia deputatarum, cap. *Nulli liceat, de rebus ecclesiæ non alienandis.* Quod intelligendum est, quando voto, vel promissione tales pecuniæ, vel alia mobilia deputata essent ad emenda immobilia. Tertiò, qui ex donatione impotentes fiunt ad solvenda debita. Quartò, visitandis donare aliquid visitatoribus, & eorum famulis prohibetur, cap. *Exigit*, cap. *Felicis, de censib.* Quintò, prohibetur donatio pro quacumque causa illicita, quæ à lege punitur, vt pro adulterio, homicidio, &c. leg. *Actionis ff. de donationib.* Sextò, etiam pater donare quidquam filio, aut filiæ prohibetur, nisi in casibus exceptis, de quibus Glossa in leg. *Pater*, Cod. *de inofficiosis donationibus.* Septimò, milites quidquam concubinæ, aut meritrici donare prohibentur, *leg. 2.* Cod. *de donatione inter virum, & vxorem*: quod intellige de liberali, & gratiosa donatione, non de illa, quæ fit in pretium turpitudinis: & illam si faciat, repetere potest in judicio; quam mulier post sententiam, & non antea reddere tenetur. Octavo, ille, qui crimen lesæ maiestatis commisit, leg. *Final.* Cod. *ad legem Iuliam*; & hæretici, quorum bona sunt ipso jure confiscata, cap. *Secundum leges, de hæreticis in 6.* Et qui contrahunt jure incestas nuptias, dicto cap. *Secundum leges*: & ille, qui capitale crimen commisit, propter quod eius bona publicantur, quia hic post condemnationem non potest donare, leg. *Post contractum ff. de donationibus.*

Cui prohibetur donari, remunerativa donatio nõ prohibetur.

90 Sed rogabis primò, vtrùm cui prohibetur donatio, etiam donatio remuneratoria prohibita censeatur? Respondetur negativè, quia donatio remuneratoria, seu antidoralis, non est propriè donatio, sed quasi solutio obsequiorum, vt colligitur ex leg. *Aquilius Regulus, ff. de donationib.* cap. *Consensus, de rebus eccles. non alienand.* & potest donatio fieri supra id, quod merentur obsequia in tertia parte, vt diximus *tract. præcedent. cap. 6. num. 92. fin.* nisi per donationem fiat impotens ad solvenda debita, vt posteà diximus.

Excipi etiam Lugo *disp.* 23.*sect.*9. *n.* 134. conjuges, quorum donationes sunt prohibitæ inter se, juxta dicenda §. 3. Et has, etiamsi remuneratoriæ sint, inquit esse nullas, & probat, tùm ex leg. *Quod autem, ff. de donationib. inter virum, & vxorem.* Tùm etiam, quia omnes rationes legum prohibentium tales donationes procedunt, etiam in donationibus remuneratorijs. ¶ Sed immeritò, quia donatio remuneratoria, non multùm excedens merita, & obsequia, non est propriè donatio, sed suo modo solutio. Vndè si vir ignobilis, aut senex contrahat cum nobili fœmina, aut juvene, statim valet donatio illi facta, quia præsumitur exhibita in remunerationem pro nobilitate, & juvenili flore, non vt simplex donatio, vt colligitur *ex leg.*7.*Quod autem, §.Si vir, ff.de donatione inter virum, & vxor.* & tenet Villalob. *tract.*20.*diff.*11.*n.*10.Tapia *lib.* 5.*q.* 20.*art.*11.*n.*2.Less.*lib.*2.*cap.*18.*n.*89. Sanch.*lib.* 6. *de matrim.disp.*6.*n.*11.Palaus *tr.*32.*disp.*2. *punct.* 25.*§.*7.Diana 8.*p.tract.*6.*resol.*28.Prad. *cap.*29. *q.* 5.*n.* 12. Sed non debent esse communia, vel quæcumquæ obsequia, sed magna, & singularia, arbitrio prudentum, vt donatio dicta remuneratoria sit valida.

Aliqui, non teneri restituere, qui à non potente solvere creditoribus donum accipit, dicunt.

91 Rogabis secundò, vtrùm qui dona accipit ab eo, qui donatione fit impotens ad solvendum creditoribus, teneatur restituere? Negat prima sententia, quando non inducit illum ad donandum, sed ipse sua sponte donat: quia illæ res nemini sunt obstrictæ, & ipse est illarum dominus, & nulla lege est inhabilis ad transferendum dominium: ergò transfert reipsa, & recipiens suo jure vtitur, quia nec justitia, nec charitas obligant, vt quis negligat suum commodum, etiamsi inde per accidens sequatur alteri tantundem nocumenti. Petr. Navar. *lib.*3. *cap.* 4. *n.*218. Molina *tom.*2.*disp.*327. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.*19.*n.*169. Laym. quem refert, & sequitur Dian. 3.*p.tract* 5.*miscell. resol.*39. Trullench *lib.* 7. *cap.* 19.*dub.*19.*n.*3.

Oppositum in dicto casu est tenendum.

92 Verior autem est affirmativa sententia, quòd si accipiens sciat, aut dubitet probabilitèr rem donari in fraudem creditorum, tunc teneretur restituere quantum illi læsi fuerint ex tali donatione: quia accipiendo cooperatur actioni injustæ damnificativæ creditorum: qui autem culpabilitèr cooperatur actioni injustæ cum damno alterius, tenetur ad restituendum: ergò, &c. Vndè talis actio injusta est tàm ex parte dantis, quàm ex parte accipientis. Per quod opposito fundamento fit satis. Sic Prado *cap.* 29.*q.*5.*n.*15.Bonac. *de restit.disp.*1.*q.*8.*punct.*2.*n.* 27.Caietan.*tom.*2.*opusc.tract.*4.*q.*4. Aragon. 2. 2. *q.*78.*art.*3.*fol.*705.Salon.*ibi, controv.*7. Sylvester, *restitut.*3.*q.*6.*dict.*2.D.Antonin. 2.*p. titul.* 1. *cap.* 12.§.27.

§. II.

De quantitate, quæ donari, aut promitti potest.

Quid sit insinuatio, & quâ formâ requiratur?

93 Quantitas donanda, vel promittenda aliquando in jure absolutè prohibetur, aliquando non, si fiat cù insinuatione. Videamus primò, quid sit insinuatio, & quæ quantitatis donatio requirat eam, vt valida sit? Solemnitas igitur insinuationis petit, vt qui donat per se, vel interpositam personam, ante Iudicem compareat, & ibi suam declaret voluntatem, dicens, *Volo tot dare Petro*; & hoc scriptis commendet ante tabellionem, ad quod non est necessaria cognitio causæ, aut licentia, aut decretum Iudicis, nec alia solemnitas, vt inquit Ant. Gom. cum alijs, *tom.*2. *variar. cap.*4.*n.*6. & quando insinuatio requiritur, sine illa donatio non valet, saltem pro foro externo, leg. *Data, vers.* 1.*ff.de donationib.l.*9. *tit.*4.*p.*5. Nec potest quis renuntiare insinuationi, quia nemo potest legibus renuntiare, quæ ponunt aliquam solemnitatem pro forma contractus, leg. *Nemo potest, ff. de legatis* 1. & quia facilitas, fraus, & error, quemlibet inducunt ad faciendam renuntiationem insinuationis, vt cum communi sententia docet Gomez *n.* 7. Villalob. *tract.*20.*diff.*4.*n.*1.Tapia *lib.*5.*q.* 20.*art.* 10.*num.*2.

Donatio vltra 500. solidos, absque insinuatione facta, est nulla.

94 Invalida est donatio, vel promissio facta absque insinuatione vltra 500. solidos, *leg. penult.* Cod.*de donationib.* & jure hispan. *l.*9.*tit.*4.*p.*5. Hæc igitur donatio est invalida solùm quoad excessum; & hoc sive fiat vni, sive pluribus, si vnica actione eodem tempore fiat, quia finis legis est, ne homines immoderatis donationibus, subitò, & absque consideratione factis, nimis exhauriantur: qui finis salvatur, sive vni, sive pluribus fiat simul donatio vltra 500. solidos. Nec ob id valet donatio, si donator in donatione dicat, si excedat quantitatem, se toties velle donare, quoties excedit 500. solidos; est enim vna, & eadem donatio excedens, quæ prohibetur, ne homines vi, metu, fraude, vel timore se donationibus exhauriant. Nec denique valet remissio excessus facta à donatore, quia est veluti donatio; nec remissio alterius debiti liquidi vltra prædictos 500. solidos, quia remissio debiti liquidi reverà est donatio. Villalob. *tract.* 20. *diffic.* 4. *num.* 2. & 5. Tapia *lib.*5.*quæst.*20. *art.* 10. *num.* 2. valent autem 500. solidi 700. scuta hispana, vt inquit Iulius Clarus, *quæst.*15. *num.* 1. vel 750. vt refert Lessius, *lib.*2.*cap.*18.*dub.*13.*n.* 97. vel 800. scuta aurea, vt inquit Palaus *disp.*2.*punct.* 23. §. 1. *num.* 2.

Dictæ leges non obligant ante Iudicis sententiam.

95 Prædictæ autem leges, quæ loquuntur de insinuatione, non obligant donatarios in foro conscientiæ ad restitutionem, sed solùm concedunt in foro externo donatori, & eius hæredibus actionem adversus donatarium, vt agere possint de nullitate donationis, & quoad excessum pro suo arbitrio repetere possint donatum; & interim tuta conscientia possunt donatarij illud retinere, non enim redduntur inhabiles ad retinendum, domino sciente, & consentiente, cui proindè non fit injuria. Si autem donans, eiusve hæredes repetunt, qui accepit, tenetur reddere, quia illa donatio vltra 500. solidos fuit invalida quantum ad excessum, si donator, vel eius hæres voluerit repetere. Tapia *num.* 3. Villalob. *num.*11. Lessius, *num.* 9. Rebellus *de obligatione justitiæ*, 2.*part. lib.* 18. *quæst.* 8.*n.*3. Sot. *lib.*4.*q.*5.*num.*3. Prad. *cap.*29.*quæst.*5. *num.*23.

Casus, in quibus donatio, absque insinuatione facta, est valida.

96 Excipiunt communitèr Doctores aliquos casus, in quibus donatio, & promissio valida est facta absque insinuatione, etiamsi 500. solidos excedat. Primus, si donatio firmetur juramento, quia tunc accipit robur, & firmitatem, ita vt non possit revocari, eo quòd debeat juramentum impleri, quoties non vergit in dispendium salutis æternæ, cap. *Quamvis pactum* 2. *de pactis in* 6. Secundus, si donatio fiat ad redimendos captivos, vel in favorem ecclesiæ, aliarumve piarum

piarum causarum hoc enim solùm spectat ad jus canonicum, & Prælatos ecclesiasticos. Et ita tenet Sylvest. *donat.* 1.*q.*4. Panorm. *in cap. Relatum* 1.*de testam.n.*4. Iulius Clar.*q.*17. Tap.*n.*4. Tertius, si fiat ad reparandas ædes incendio, vel ruina dirutas. Quartus, si Magister militiæ donet militi quæcumque bona mobilia, cuiuscumque valoris sint: & hi duo vltimi casus habentur *leg. penult.* Cod. *de donationibus.*

Donatio omnium bonorum est nulla.

97 Donatio autem omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, invalida est jure communi, sive cum insinuatione fiat, sive absque illa, leg. *Stipulatio hoc modo ff. de verbor. obligat. leg. Omnes, §. Lucius, ff. quæ in fraudem creditorum.* Et ratio huius sanctionis est, ne per huiusmodi donationem auferatur potestas testandi: quod est contra rempublicam benè institutam; & ideò donatio huiusmodi, si fiat causa mortis, est valida, cùm ea posita adhuc donans hæredem instituere possit, qui recipiat falcidiam, hoc est, quartam partem bonorum. Prad. *cap.* 16.*q.* 4.*n.*18. Tapia *lib.*5.*q.* 20.*art.* 9.*n.*4. Palaus *disp.*2.*punct.*24.*§.*1. *n.* 3. Less. *lib.*2. *cap.* 18.*n.* 94. Et etiam potest quis donare omnia bona præsentia, quia de futuris poterit testari; vel etiam omnia, tàm præsentia, quàm futura, si sibi reservaverit, vel vsumfructum, vel aliquam notabilem quantitatem, quia de his poterit testari, vt docent prædicti Authores. At jure hispano donatio omnium bonorum præsentium non valet, *leg. 69. Tauri*, quæ hodie est lex 8.*tit.* 10.*lib.* 5. *Recompil.* vt tenet Lug. *disp.*23.*sect.*23.*n.*163. Prad. *n.*19. Tapia, *n.*1. Palaus *§.* 1. *n.* 1. ¶ Et non solùm est invalida dicta donatio in totum, sed etiam in qualibet parte, vt advertit Anton. Gom. *in dictam legem, n.*2. & 3. quia non est maior ratio vnius partis, quàm alterius, si indivisibilitèr fiat omnium bonorum donatio, vt supponimus.

Quibus casibus valeat donatio omnium bonorum?

98 Valet autem dicta donatio omnium bonorum in aliquibus casibus. Primò, si fiat ecclesiæ, vel piæ causæ, quia, vt dicebamus, jus civile non potest impedire opera pietatis, & consilia evangelica, *Cum summa semper ratio sit, quæ pro religione facit*, vt dicitur leg. *Si personæ, ff. de relig. & sump. funer.* & in his: *Optima mensura est donatarum rerum immensitas. Authentic. de non alienand. §. Sancimus, coroll.* 2. & generalitèr ad omnes pias causas habetur, leg. *Sancimus*, Cod. *de donationibus.* Villalob. *tract.*19.*diff.*5.*n.*2. Less. *lib.*2.*cap.*18.*n.*95. Tapia *lib.*5.*q.*20.*art.*9.*n.*2. Sylvest. *donatio* 2.*q.* 4.*num.*8. Prado *cap.*16.*q.*5.*n.*21. ¶ Secundò, si juramento firmetur, quia donatio omnium bonorum non est contra bonos mores, quasi illicita; sed quia politico regimini expedit in foro exteriori non fieri frequentèr donationes omnium bonorum, eas jus civile irritas esse voluit, salvo tamen sacro juramenti vinculo, vt colligitur ex cap. *Quamvis pactum, de pactis in 6.* Et si leges civiles aliud vellent, non est habenda earum ratio in his materijs spiritualibus, in quibus attenditur jus canonicum. Villalob. *n.*3. Less. *n.*26. Tapia *n.*3. Covar. *rubrica de testament. p.*2.*n.*14. Lay. *lib.*3.*sect.*5.*tract.*4. *cap.* 12. *q.* 4. Tertiò, si donatio omnium bonorum fiat ratione alterius contractus onerosi, vt ratione matrimonij contrahendi cum filio, vel filia, vel nepte, in quorum favorem fit donatio causa matrimonij, vel alterius contractus onerosi, quia tunc non est pura donatio, quam lex prohibet, & irritat. Villalob. *n.* 2. Tapia *n.*4.

99 Cæterùm adhuc præter istos casus, & quando lex bonorum omnium prohibet donationem, non esse mortale illam facere, si non est contra justitiam creditorum, filiorum, vel aliorum præjudicium, quia secluso damno, vel præjudicio tertij, illæ leges solum sunt circa politicam hominum decentiam, vel prodigalitatem arcendam, quæ secundum se non est materia gravis obligans ad mortale, docent Villalob. *n.*1. Tapia *n.*6. Rebell. 2.*p. lib.* 18.*q.*8. *n.*1. Prad. *cap.*29.*q.*5.*n.*23. Laym. *q.* 4. Palaus *disp.* 2.*punct.*23.*§.*4. Qui verò has donationes acceptat vi, & fraude secluſa, potest res sic donatas retinere, donec revocetur donatum, vel donec ab hæredibus repetatur, quia leges non faciunt inhabiles donatarios ad similes res acceptandas; sed solùm præbent jus donatori, eiusve hæredibus ad eas repetendas, vti ex communi sententia docent Bonac. *disp.* 3. *de contract.q.*13.*punct.*4.*n.*6. Sot. *lib.*4.*q.*5.*art.* 3. Barthol. à S. Faust. *disp.*20.*q.* 4. Ludov. Lop. 2.*part. instruct. cap.*25. *& lib.*2.*de contract. cap.*42. Martinez à Prado vbi proximè *n.*23. Si verò in morte ratificet donator donationem, poterit rem in perpetuum donatarius retinere, nisi in præjudicium filiorum, aut parentum cederet, qui sunt hæredes necessarij, quia donator in articulo mortis omnia sua bona donare, vel legare potest, cum leges non loquantur de eo articulo. Sed si in morte expressè, vel tacitè non ratificavit, transit jus revocandi ad hæredes, & donatarius, illis petentibus, ea bona tenetur restituere in conscientia, quia donatio ab initio erat invalida absolutè, & solùm sub conditione subsistebat, si non repetatur à donatore, vel ab hæredibus, qui succedunt in juribus defuncti. Tapia *lib.*5.*q.* 20. *art.*9.*n.*6. Villalob. *tract.*19.*diff.*5.*n.*5. Rebel. 2.*p. lib.* 18.*q.*8.*n.*1.

Nō est mortale donationem omnium bonorum sine præjudicio alterius facere.

§. III.

An donationes inter conjuges, & inter liberos ad parentes sint validæ?

Quomodo donationes inter conjuges sint nullæ?

100 Donationes simplices, quæ fiunt inter conjuges, sunt invalidæ jure communi, ita vt ad arbitrium donantis revocari possint, *leg.*32. *cum hic status, & alijs, ff. de donationibus inter virum, & vxor. cap. fin. eod. tit.* Quod propterea sancitum est, ne conjuges mutuo amore se bonis suis spolient: & ideò erit deterioris conditionis, qui liberalis, & generosus est, quàm qui parcus, & miser, vt dicitur *leg.*4.*tit.*11.*p.* 4. Vndè licèt maritus det aliquid vxori, illud, ipsa inconsulta, vendere potest, & pretium in communi insumere, quia per hoc tacitè donatio censetur revocata. Et ex hac donatione non oritur obligatio civilis, aut naturalis ad non repetendum, *leg.*3.*§. Secùdùm, ff. de donat. inter vir. & vxor.* ibi: *Ipso jure, quæ inter virum, & vxorem donationis causa geruntur, nullius momenti sint.* Sed quamvis nullæ sint prædictæ donationes, potest vir, vel vxor, cui donatur, eas retinere, vel distrahere, quia quando non revocantur, censetur donans in ea voluntate persistere: & scienti, & volenti non fit injuria. Sanch. *de matrim. lib.*6.*disp.*11.*n.*2. Villalob. *tract.* 20. *diff.* 11. *num.* 2. Palaus *tract.*32. *disp.*2. *punct.* 25. *§.* 1. *num.* 1. Valent autem alij contractus inter illos initi, vt mutuum, permutatio, emptio, venditio, *leg.* 5. *Si sponsus, eodem titul.* dummodò non vendatur res

inferius justo pretio, vel pretium ipsum remittatur; cùm remissio sit etiam donatio, vt habetur eadem leg. *Si sponsus*: & possunt sibi invicem legata relinquere, cap. *Si pater, de testum. in 6.*

Quibus casibus donationes inter cõjuges firmentur?

101 Sed prædicta donatio inter conjuges juramento firmatur, & ideò post illud revocari non potest, quia licèt talis donatio prohibita sit ob bonum commune; tamen principaliter est prohibita ob bonum, & commodum donantis: & ideò firmatur juramento, juxta dicta *cap. 1. n. 68.* & modò tenent Sylvest. *verb. Donatio* 1. *q.* 4. Less. *lib. 2. cap.* 18. *num.* 88. Covar. 1. *variar. cap.* 7. *n.* 4. Anton. Gom. 2. *variar. cap.* 14. *n.* 26. Sanch. *lib. 6. de matrim. disp.* 11. *n.* 2. Tapia, *l.* 5. *q.* 20. *art.* 11. *n.* 2. ¶ Secùdò firmatur prædicta donatio morte donatoris, sicut legatum, aut donatio mortis causa, leg. *Cùm hic status, ff. de donationib. inter vir. & vxor.* vt tenent prædicti Authores, & alij communitèr. Qui tres exigunt conditiones, vt donatio inter conjuges morte firmetur. Prima, quod in vita revocata non fuerit tacitè, vel expressè, nam si tacitè, vel expressè revocata fuerit, non confirmatur morte, cap. *Fin.* leg. *Cùm hic status, eod. tit.* & tunc censetur tacitè revocari, si maritus rem vxori donatam distrahat, in pignus constituat, vel eam hypothecæ subijciat: vt dicitur in dicta lege. Secunda, quòd in vita res tradita fuerit, dict. leg. *Cùm hic status*, & tenet Sanchez *disp.* 14. *n.* 12. Less. & alij: & tradi censetur, quando donans se obligat pro tali re, & se fideiussorem constituit illius. Tertia, quòd donans ante donatarium moriatur: nam si econtrà contingat, donatio non valet, *dict. cap. final. & dict. leg. Cùm hic status, & leg.* 4. *tit.* 11. *partit.* 4. Sed si non constaret, quis eorum prior mortuus fuit, erit valida donatio, quia in dubio melior est conditio possidentis. Villalob. *tract.* 20 *diff.* 11. *n.* 7. Sanch. *dict. disp.* 14. *n.* 26. Sed si vterque simul moreretur, vt in naufragio, igne, &c. tunc præsumendum est prius vxorem decessisse, vtpotè debiliorem, vt constat *ex leg. Regia* 12. *tit.* 33. *p.* 7.

Quibus casibus donatio inter cõjuges ante mortem sit valida?

102 Plures nihilominùs dantur casus, in quibus simplex donatio inter conjuges statim valet, non expectata morte donatoris. Primus est remuneratoria donatio, vt diximus *n.* 90. ¶ Secundus, si Imperator donet Augustæ, vel econtra, *leg. 26. de donat. inter vir. & vxor.* Idem de quolibet supremo Principe respectu propriæ vxoris, docent Doctores communitèr. ¶ Tertius, si conjux conjugi donet ad instaurandas ædes, vel igne, vel ruina destructas, *leg.* 14. *ff. eod. tit.* ¶ Quartus, si donans non fiat pauper ex donatione, id est, si ex bonis quæsitis nihil perdat: vt si maritus repudiet legatum, vel hæreditatem, vt perveniat ad vxorem, quia, illo repudiante, illa succedit, vel ab intestato, vel ob substitutionem, leg. *Si sponsus*, §. *Si maritus, ff. eod. tit.* ¶ Quintus, si donatarius non fiat ex donatione ditior, vt si maritus donet vxori ad fucos, ad vnguenta, ad dandas eleemosynas, &c. vel si vxor sic donatum expendat, vt ex eo non fiat ditior, *leg.* 7. *ff. eod. tit.* ¶ Sextus, si maritus prodigus sit, & aliàs bona consumpturus, eaque donet vxori, valet donatio, quia sic non redditur pauperior, cum esset talia bona aliàs inutilitèr distracturus, vt tenet Greg. Lop. *leg.* 4. *tit.* 11. *partit.* 4. Glos. *Son defendidas.* Villalob. *n.* 5. ¶ Septimus, si dicta donatio fiat causa mortis, valida est, leg. *Si cùm servũ*, leg. *Sed interim, eod. tit* dummodò non ponatur clausula, quòd non possit revocari, quia donatio causa mortis cum illa clausula, transit in donationem inter vivos, vt dicemus §. 5. ¶ Octavus, si vxor donet marito ad consequendam aliquam dignitatem, vel honorem, vel ad literas addiscendas, ad eundum ad bellum, vel vt fiat magister, &c. leg. *Quod adipiscendæ* 4. *ff. de donat. inter vir. & vxor.*

Bona ganãtialia possunt conjuges sibi invicẽ remittere.

103 Insuper possunt conjuges sibi invicem remittere, & condonare omnia bona ganantialia in posterùm habenda, *leg.* 60. *Tauri*, Hodie *leg. 9. tit. 9. lib. 5. Recompil.* quia hoc non est dare, sed acquirere nolle; sicut dicebamus de viro remittente legatum in favorem vxoris. Sic Villalob. *n.* 19. Sanch. *lib. 6. de matrim. disp.* 5. *n.* 6. Covar. 4. *Decretal.* 2. *p.* §. 1. *cap.* 7. *n.* 21. Respectu verò illorum bonorum, quæ iam lucrata sunt, variant Doctores. Probabilius est, non posse sibi invicem ea donare, quia iam est donatio de quæsitis, quam dictæ leges volunt non subsistere.

Quãdo donatio patris ad filium sit nulla?

104 Donatio patris ad filium, qui est sub eius patria potestate, invalida est, ita vt pro arbitrio patris revocari possit, *leg.* 2. *C. de inofficiosis donation.* leg. *Cùm de bonis* 11. Cod. *de donat.* & ratio ibi ponitur, quia filius non emancipatus censetur eadem persona cum patre; & cùm sibi nemo donare possit, ideò nulla redditur patris donatio ad filium, qui est sub eius patria potestate. Sed confirmatur morte, & juramento patris, vt omnes docent. Et in omnibus casibus, in quibus diximus valere donationem inter conjuges, valet etiam donatio patris ad filium. Et præterea si sit emancipatus, si naturalis filius, quia filius naturalis secundum jus cæsareum non est sub patria potestate. Si fiat in remunerationem obsequiorum, juxta dicta *n.* 90. Si dentur in dotem; aut ad matrimonium: si mobilia proficiscẽti ad bellum, vel libri ad studium. Hæc enim statim fiunt bona castrensia, vel quasi castrensia. Si vsumfructum, quem habet pater in bonis adventitijs filij, ipsi concedat, quia tunc non censetur de suis donare. Vide Navar. *cap.* 17. *num.* 147. Sylvest. *verb. Donat.* 2. *q.* 7. Tap. *lib.* 5. *q.* 20. *art.* 11. *n.* 4. Less. *lib. 2. cap.* 18. *dub.* 12. *n.* 90. Qui advertit, donationem matris in filium statim valere, quia filius non est sub matris potestate, vt diximus *tract.* 12. *cap.* 2. *n.* 125. & etiam valere donationes filij ad patrem, vel matrem, si det de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, de quibus filius disponere potest.

Non potest donare pater filijs, cũ damno aliorum fratrũ.

105 Cavendum tamen est, ne pater in his casibus, in quibus diximus donare posse natis, officiat portioni legitimæ aliorum filiorum, vel debitorum. Et idem dicendum est de donationibus inter virum, & vxorem, in casibus, in quibus diximus esse validam. Imò hæc animadversio amplianda est ad omnia genera personarum, & donationes ab ipsis factas; maximè nobilium, & Principum, qui largitèr donant, & insumunt de bonis suis; seu (vt melius loquar) de bonis suorum creditorum, de quorum sanguine bibunt, & triumphant: & forté falsa pace gaudentes, sacramenta recipiunt, in eodem statu permanentes. Væ illis, & væ eorum Confessarijs, duplici crimine reis, vt rectè loquitur Illustrissimus Dominus D. Fr. Petr. à Tapia *loc. cit. n.* 5.

§. IV.

§. IV.

Quibus in casibus revocari possit Donatio, & Promissio valida, & acceptata?

Quælibet mutatio rerũ non sufficit ad revocandã donationem.

106 QUamvis donatio perfecta (quæ habetur postquam res tradita est) & sponsio perfecta & acceptata, regulariter revocari nequeant; sunt tamen à jure aliqui casus assignati, in quibus revocari possint, & multoties debeant. Et prætermittimus illam causam sufficientem ad revocandum promissionem, de qua agemus *num.* 78. quæ est notabilis suborta mutatio rerum, quæ si prævideretur, quando promissio facta est, non fieret; quam, inquit Villalob. *tract.* 20. *difficult.* 6. *num.* 7. æquè currere in donationibus. Quod difficile nobis videtur; plura enim sufficiunt ad revocandum simplicem promissionem, quæ solùm ad summùm tradit jus ad rem, quàm ad revocandam donationem, re tradita, quæ dat jus in ipsa re: & ideò licèt nova adveniat mutatio rerum sufficiens ad revocandam promissionem, non erit sufficiens ad rescindendum donationem perfectam, nisi sit mutatio rerum, de quibus hoc §. specialiter pertractabimus. Et non agimus de illis donationibus, vel promissionibus, quæ à jure reprobantur, de quibus hactenus diximus; sed de donationibus ex se validis, perfectis, & acceptatis.

Ingratitudo donatarij sufficit ad revocandã donationem, & qualis?

107 Tres igitur causas solent assignare Doctores sufficientes ad revocandam promissionem, & donationem, etiam post acceptationem, & traditionem rei. Prima est ingratitudo donatarij, leg. *Propter ingratitudinem*, leg. *Finali, ff. de revocat. donat.* vbi isti casus assignantur: si donatarius injurias atroces in donatorem jactaverit: si manus impias in eum injecerit: si condirionem in donatione posi tam non impleverit: si jacturam non levem in bonis eius attulerit: si in periculum vitæ amitrendæ injecerit. Addunt Sylvest. *verb. Donatio*, 1. *num.* 17. Antonius Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 4. *numer.* 14. Villalob. *tract.* 20. *diffic.* 6. *n.* 2. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 2. *art.* 12. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 14. *num.* 104. si donatorem inopia pressum non aluerit. Quod notandum est propter simplices, qui omnia suis liberis donant, à quibus postea negliguntur. Addunt alij, si adulteravit cum vxore donatoris, vel eius filiam corrupit, & similia. Quia (vt constat ex leg. *Illud, ff. ad legem Aquil.*) *vbi est eadem ratio, ibi eadem debet esse juris dispositio.* Sed hoc locum non habet in donationibus *ex causa*, vel remuneratorijs, vt ob ingratitudinem possint revocari; nec in donationibus factis ecclesijs, vel monasterijs, quia censentur factæ Deo, & ob gravem causam, vt docent Villalob. Tapia, Less. *loc. cit.*

Ante revocationẽ donatis ingratus donatarius non tenetur donata restituere.

108 Sed advertendum est, donatarium ingratum non teneri ad restitutionem rei donatæ, vsque dum per Iudicis sententiam condemnetur, quia est lex pœnalis: intervenire ergò debet querela, & ingratitudo probari, in cuius pœnam imponitur revocatio. Sed si res nondum sit tradita (tametsi acceptata) potest eam donator retinere, & se defendere exceptione ingratitudinis, vti asserunt Tapia *lib.* 5. *quæst.* 20. *art.* 12. *n.* 3. Villalob. *tract.* 20. *diffic.* 6. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 14. *n.* 106. ¶ Et si ob hanc causam ingratitudinis non est in vita revocata donatio, nequit post mortem donatoris ab eius hæredibus revocari, leg. *Final.* Cod. *de revocat. donat.* Nisi ob ignorantiam ingratitudinis donator omiserit petere; quia tunc possunt petere hæredes, qui succedunt in eius juribus. Sylvest. *verb. Donatio* 1. *n.* 18. Antonius Gomez *tom.* 2. *cap.* 4. *n.* 14. Villalob. *n.* 3. Tapia *n.* 3. Lessius *n.* 107.

Ratione prolis de novo susceptæ à donatore potest revocari donatio.

109 Secunda causa revocandi donationem est ob prolem de novo susceptam, vt si quis absque liberis, & spe habendi illos, magnam partem bonorum suorum donaverit, & posteà legitimos filios habuerit, potest revocare quod dedit, leg. *Si numquam*, 8. Cod. *de revocand. donat. leg.* 8. *tit.* 4. *partit.* 5. quia præsumitur donasse sub illa conditione: *Nisi nascantur donatori filij*; cum non sit verisimile velle extraneum descendentibus præferri: & in tali casu, si facta revocatione filij moriantur, non resurgit de novo donatio; quia actio semel extincta non revivisicit, leg. *Mævius, §. Duobus, ff. de legibus.* Sed non admittimus quod inquit Gutierrez *de juramento*, 1. *part. cap.* 9. *num.* 17. citans Anton. Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 4. *num.* 11. videlicèt, in Hispania, vbi pater liberè disponere potest de quinta suorum bonorum parte, nativitate filiorum non infirmari donationem, quæ hanc quintam partem non excedit, cùm de illa pater liberè possit disponere. Hoc inquam non admittimus, quia non ob solum præjudicium filiorum in legitima eis competenti revocatur prædicta donatio; sed quia præsumitur parens non donaturus, si de filijs cogitasset. Quæ ratio procedit etiamsi donatio legitimam filiorum non attingat: ergò revocari potest in totum, vt tenet Greg. Lopez *leg.* 8. *tit.* 4. *partit.* 5. *verb. Gran partida.* Molina *disp.* 282. Covarr. *tom.* 1. *variar. cap.* 19. *n.* 10. Quos refert, & sequitur Palaus *disp.* 2. *punct.* 29. §. 1. *n.* 8. Si tamen donatio facta fuerit ecclesiæ, vel piæ causæ, non revocatur, nisi quoad portionem legitimæ filiorum posteà susceptorum, quia ecclesia (& idem est de alia causa pia) instar filij reputatur, vt inquit Panormit. in cap. *Finali, num.* 5. *de donationibus*: at donatio facta filio non revocatur in totum nativitate aliorum filiorum; sed solùm quoad eorum legitimas, leg. *Si totas*, Cod. *de inofficiosis donationibus*; ergo, &c. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 109. Sylvest. *donatio* 1. *n.* 27. Tapia *lib.* 5. *cap.* 20. *art.* 12. *num.* 4. Ex æquitate tamen & pietate naturali in integrum revocari deberet, vt habetur cap. *Final.* 17. *quæst.* 4. vbi laudatur à D. Augustino factum S. Aurelij Carthaginensis Episcopi, qui in integrum reddidit rem ecclesiæ donatam illi, qui liberos habuit, & ante illorum susceptionem tradiderat.

Quæ circa præcedẽtem doctrinã sũt notanda?

110 Sed donatarius, in casu de quo loquimur, non tenebitur ad restitutionem, donec donatum repetatur, vel à donatore, vel ab eius filijs; quia quando non repetitur, potest præsumere donatorem non cupere restitutionem, & cedere juri suo. Palaus, §. 1. *n.* 5. Lessius *n.* 110. Villalob. *num.* 6. Sylvest. *donatio, quæst.* 19. Sed poterit donans revocare, etiamsi juraverit non revocaturum; quia sub illa conditione tacita censetur emissum juramentum, quæ ipsi donationi inest: *Nisi filios habuerim*, & si eam excludat, non poterit; quia juramentum est servandum, quoties licitè fieri potest; & non repetere donatum, malum non est, secundùm quod sua interest, non vt filios tangit; quia non licet filios sibi debita legitima ratione juramenti privare. Vnde post mortem parentis poterunt filij repetere, quia juramentum patris non potest tollere jus, quod filij habent ad

suas

suas legitimas. Lessius *n.* 111. Villalob. *n.* 5. Gomez 2. *variar. cap.* 4. *num.* 11.

Donatio nō officiosa filijs potest revocari.

111 Tertia causa, quare donatio, & promissio acceptata revocari potest, est si sit inofficiosa, id est, contra officium pietatis paternæ in filios; vt si tantùm donaverit pater, quòd filij sua legitima portione privētur, *leg.* 1. *& seq.* Cod. *de inofficiosis donationibus.* Et si fuerit inofficiosa in re solùm, infirmetur quoad portionem, qua filij defraudantur: si re, & consilio (id est, animo defraudandi filios) si fuerit facta extraneis, quoad totam infirmatur; si alijs filijs, & descendentibus, vel ecclesijs, & pijs causis, quoad partem, qua defraudantur filij. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 14. *n.* 112. Villalob. *tract.* 2. *diffic.* 7. *n.* 6. Gomez *sup. num.* 3. Sed non est irrita ipso facto donatio, sed est necesse, quòd à filio querela ante iudicem imponatur; & secuta sententia, & non anteà, tenebitur donatarius rem traditam restituere. Villalobos *num.* 6. Palaus *disp.* 2. *punct.* 29. §. 2. *num.* 4. ¶ Duo tamen advertit Lessius. Primum, quòd cùm donatio ob hanc causam revocatur, debet esse post mortem parentum; quia solùm tunc incipit cedere in præjudicium filiorum, cùm anteà ipsis non debeatur legitima. Secundum, quod semper talis donatio ex genere suo est mortale in donante; & sic non obligat promissio, licèt iuramento firmetur; quia peccat contra religionem illud emittendo, & contra pietatem illud adimplendo.

§. V.

De donatione causa mortis.

Donatio quid sit causa mortis, & eius propria differentia?

112 Diximus suprà, donationem dividi in donationem *inter vivos*, & *causa mortis*. Prima proprijssimè est donatio; quia est quâ alteri viventi bona aliqua, seu jus ad illa irrevocabiliter conceduntur. Donatio autem causa mortis est, cùm talia bona post mortem habenda revocabiliter donantur, & diffinitur hæc donatio *leg.* 1. leg. *Senatus*, §. *Donatio*, *ff. de donation. causa mortis*, quod sit. *Per quam, rem, quam dono, malo me habere, quàm illum cui dono; sed magis illum, quàm hæredem meum.* Vnde præcipua differentia inter vnam & alteram donationem est, quòd donatio inter vivos, si perfecta est, est irrevocabilis ex sola voluntate donantis; donatio verò causa mortis sola pœnitentia donantis revocatur, juxta leg. *Mortis causa, & seq. ff. de donat. causa mortis.* Quod adeò verum est, quòd si donationi causa mortis adijceres pactum non revocandi, constitueres donationem inter vivos, vt constat ex leg. *Vbi ita donatur, ff. de donat. causa mortis*, leg. *Si alienam rem, §. 1. ff. eodem tit.* vbi ex vi talis pacti donatio causa mortis convertitur in donationem inter vivos. Et sic non dicitur donatio causa mortis, quia ex morte motus est ad donandum absolutè; nisi moveatur ad donandum sub hac specie donationis causa mortis, de cuius natura est, quod revocabilis sit: & ideò hoc ipso quòd irrevocabilis fiat, transit in aliam speciem donationis inter vivos. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 116. Gutier. 1. *part. de juram. cap.* 12. *n.* 3. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 20. *art.* 12. *n.* 9. Villalob. *tr.* 20. *diffic.* 8. *n.* 3. Palaus *tract.* 32. *disp.* 2. *punct.* 14. *n.* 5.

Vnde colligatur donationem fieri causa mortis?

113 Sed sicut donatio pendet ex donantis voluntate, & intentione, sic species donationis; quod nimirum inter vivos sit, vel causa mortis. Quæ intentio ex verbis, quibus donatio exprimitur, accipienda est, & ex alijs circumstantijs. Quæ si exprimant sufficienter intentionem, non est difficultas; sed si dubium sit, an mortis causa, aut inter vivos donatio facta sit, judicandum est, esse donationem inter vivos; quia hæc præcipuum locum inter donationes obtinet, vt tradunt Lugo *disput.* 24. *sect.* 15. *num.* 321. Villalob. *tract.* 20. *diffic.* 8. *num.* 2. Prado *cap.* 29. *quæst.* 4. *num.* 31. Sylvest. *donatio* 1. *quæst.* 1. Regulariter autem loquendo, si donatio fiat cum aliqua mortis mentione, causa mortis fieri censetur: si nulla mortis mentio in donatione fiat, donatio inter vivos judicatur, etiamsi ab infirmo, & morti proximo fiat, leg. *Sciat, §. fin. ff. de donat. causa mort. leg. final. tit.* 4. *partit.* 5. Dixi *regulariter*, quia potest adhuc fieri mentio mortis, & non esse donatio causa mortis, sed inter vivos; vt si mentio mortis in donatione non fiat pro donationis constitutione, sed pro eius executione. Vt si dicat: *Dono Petro centum, quæ post mortem meam præstentur ei.* Tunc mortis tempus non adijcitur donationi, sed eius executioni, & sic non impedit, quòd constituatur donatio inter vivos. Gutier. 1. *p. de juram. cap.* 12. *num.* 20. Lugo *suprà n.* 322. Molina *tract.* 2. *disp.* 287. *circa finem.* Palaus *disp.* 2. *punct.* 14. *n.* 3.

De duplici modo, quo potest accipi donatio causa mortis?

114 Potest autem hæc donatio mortis causa dupliciter accipi. Primò absolutè, secundò sub conditione. Sub conditione fieri censetur, si instante morte dones, casu quo sequatur mors: & tunc, morte non sequuta, donatio evanescit, *leg.* 1. leg. *Si mortis causa, ff. de mortis causa donat. & tradit.* Absolutè fieri censetur, cùm donas in tempus, quo è vita decesseris, nullo mortis periculo instante, sed solùm ex cognitione mortalitatis; & etiam mortis periculo instante, sed non sub conditione, si sequatur mors; sed absolutè velis post mortem talia donari Petro: sicut contingit in testamento, & codicillo. Et hæc durat, etiamsi longo tempore donans supervivat, quousque non revocatur, sicut testamentum, leg. *Senatus, §. Mortis causa, eodem tit.* Sed debet id satis exprimi, aliter si vrgente mortis periculo fiat donatio, non censetur causa mortis absolutè fieri; sed ob causam mortis præsentis, & imminentis, & sub conditione, quod sequatur, vt habetur dicta leg. *Senatus*, §. 1. & leg. *Final. tit.* 4. *partit.* 5. & docet Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 4. *n.* 19. Covarr. *Rubric. de testam.* 3. *part. n.* 23. Molin. *tract.* 2. *disp.* 283. §. *Observanda deinde.*

In quo conveniat donatio causa mortis cum alijs vltimis voluntatibus?

115 Donatio causa mortis convenit cum legato, & alia vltima dispositione voluntatis in multis. Primò, quòd debent dari tot testes ad illam, ac requiruntur ad constituendum codicillum, ne interveniat fraus adversus bona defuncti, *leg. vltim.* Cod. *de donat. causa mortis.* Secundò, quia sicut testamentum, & codicillus possunt revocari sola pœnitentia legantis, vel morte legatarij manent ipso facto revocata; sic donatio mortis causa, leg. *Mortis causa*, leg. *Si mortis causa, eodem tit.* Tertiò capacitas, seu aptitudo donatarij non spectatur tempore institutæ donationis causa mortis, sed tempore mortis donantis; quia illo tempore effectum habet, *leg.* 1. §. *Si filius familiàs*, juncta Glossa, *ff. de legat.* 3. Et similiter capacitas ad donandum spectatur tempore mortis donantis, vt inquit Glossa *ibi.* Quartò, si donatio facta est in codicillo, vel testamento, illis ruptis, sicut evanescit codicillus & testamentum, ita evanescit donatio. Quintò, donatio causa mortis, licèt excedat 500. solidos, non indiget

insinuatione, sicuti nec legatum ea non indiget, *leg. vltim.* Cod. *de donat. causa mortis.* Vltimò, conditiones impossibiles, & turpes, sicut reijciuntur ab vltimis voluntatibus, sic etiam à donationibus causa mortis, leg. *Quæ sub conditione, §. Et in mortis. ff. de conditionibus institut.* Molina Jurista *de Primogen. lib. 1. cap. 12. & lib. 4. cap. 2. n. 45. & 46.* alter Molina Theologus, *tr. 2. disp. 288. ab initio.* Anton. Gomez *3. variar. cap. 4. n. 16. & seq.* Layman *lib. 3. Summ. sect. 5. tr. 4. cap. 12. n. 4.*

De ijs, qui causa mortis donare valent.

116 Sed inquires, qui possint donare causa mortis? Respondetur, quòd omnes, qui possunt donare inter vivos, de quibus diximus §. 1. Et ex ijs, qui inter vivos donare non possunt, possunt donare causa mortis, in primis filijfamilias puberes de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, & de alijs, de tertia parte, jure Castellæ absque consensu patris: quod etiam jure communi possunt donare, leg. *Tùm is, §. 1. ff. de donationib. causa mortis*, vt probat Covarrub. *Rubric. de testament. 3. part. num. 6.* Imò etiam potest de bonis adventitijs, quorum sibi à parente concessus est vsusfructus, & administratio, independentèr, & absolutè donationem causa mortis facere, ipso inscio parente, vt probat Palaus *disp. 2. punct. 15. num. 4.* Imò potest parenti absque Iudicis interventu causa mortis donare omnia bona adventitia, quoad proprietatem, quia hæc donare potest parenti inter vivos; quæ donatio morte filij firmatur, & fit irrevocabilis, leg. *Donationes*, Cod. *de donat. inter vir. & vxor.*

Minores donare possunt causa mortis

117 Insuper minor 25. annis pubertatem nactus, causa mortis donare potest absque tutoris authoritate, vt probavit Alciatus *in leg. 2. num. 1. ff. de verbor. obligat.* Tiraquel. leg. *Si vnquam*, Cod. *de revocand. donat. num. 253.* Sylvest. *donat. 1. quæst. 4.* Martinez à Prado *cap. 29. q. 4. num. 33.* quia cui permittitur testamenti institutio, permissa est donatio causa mortis, leg. *Cùm hic status, §. Si miles, ff. de donat. inter vir. & vxor.* sed minori puberi conceditur facere testamentum absque curatoris authoritate, leg. *Si curatorem habens, §. Absimilis*, Cod. *de in integr. restit.* leg. *Aurelio, §. Caius, ff. de liberat. legat.* ergo, &c. Et ideò negatur pupillo donatio causa mortis, quia testamentum facere est illi denegatum, *leg. 1. in princ. ff. de tutelæ, & ration.* &c.

Vxor etiam causa mortis potest donare.

118 Ob prædictam rationem etiam vxor potest donare causa mortis absque viri consensu (adhuc posito, quòd legibus regijs contractus absque viri consensu celebrare non possit, vt habetur *leg. Castellæ, 1. & 2. titul. 3. lib. 5. Recopil.*) Quia cui est permissum testamentum, etiam donatio causa mortis; sed mulier absque viri consensu testari potest, etiam in Castella, vt ex praxi recepta probat Anton. Gomez *leg. 3. Tauri, numer. 5.* Gutier. *de juramento. 1. part. cap. 13. num. 4.* ergo, &c. ¶ Nec obstat, non posse contrahere absque viri consensu; quia hoc de contractu inter vivos est intelligendum, & donatio causa mortis potiùs naturam vltimæ dispositionis, quàm contractus inter vivos, imitatur, leg. *Final.* Cod. *de donat. causa mortis.* Matienzo *lib. 5. Recop. tit. 10. leg. 7. glossa 2. num. 33.* Fachin. *lib. 5. controvers. cap. 60.*

CAPUT V.

De Testamentis, & vltimis voluntatibus.

INTER contractus gratiosos, seu lucrativos (qui solùm sunt quasi contractus) vltimæ voluntates enumerantur, quibus vnusquisque de suis bonis liberè disponit. Ideò, postquam egimus de promissionibus & donationibus (quæ sunt etiam gratiosi contractus) restat agere de his vltimis voluntatibus. Plura, quæ hoc capite à Doctoribus traduntur, potiùs ad jurisprudentiæ professores, quàm ad Theologos spectant; sed illorum aliqua notitia omnibus est necessaria, & Confessoribus, quos instruere nitimur, multùm est conveniens. Quæ magis obvia sunt in hac materia, & professioni nostræ proficua, ex fontibus legum civilium, & canonicarum educemus, vt hic tractatus, & totum hoc volumen compleatur. Continet ergò hoc Caput 13. Puncta.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit testamentum?* num. 1.

Punct. II. *De solemnitate substantiali ad omnia testamenta requisita, tàm jure communi, quàm jure hispano.* num. 5.

§. I. *De solemnitate requisita ad testamentum nuncupativum.* num. 6.

§. II. *De solemnitate requisita pro testamento clauso, aut in scriptis.* numer. 13.

§. III. *De solemnitate requisita in testamento ad pias causas.* num. 16.

§. IV. *De solemnitate testamenti cæci, militis, & parentum inter filios.* numer. 20.

§. V. *Quæ solemnitas in codicilis requiratur?* num. 23.

Punct. III. *Quam vim habeat testamentum imperfectum?* num. 26.

Punct. IV. *De ijs, qui testamentum legitimè possunt facere.* num. 32.

Punct. V. *De ijs, qui possunt instituì hæredes, vel legatarij in testamentis.* num. 41.

§. I. *De ijs, qui non possunt instituì hæredes, vel legatarij ex delicto.* numer. 42.

§. II. *De filiorum illegitimorum diversitate, & obligatione parentum omnibus alimenta tribuendi.* num. 47.

Quo-

§. III. *Quomodo parentibus possint succedere filij naturales, & spurij?* num. 56.
§. IV. *An fideicomissarius, quem pater instituit hæredem, cum obligatione, vt reddat filio spurio hæreditatem, teneatur reddere, & spurius possit illam recipere?* num. 67.
Punct. VI. *De hæredibus necessarijs, eorum exhæredatione, vel melioratione.* num. 77.
§. I. *Quomodo filij respectu parentum, & parentes respectu filiorum, sint hæredes necessarij?* num. 78.
§. II. *Quibus ex causis filij exhæredari possunt à parentibus, & parentes à filijs?* num. 89.
Punct. VII. *De hæredibus ab intestato.* num. 97.
Punct. VIII. *De substitutionibus.* numer. 109.
§. I. *De substitutione vulgari, pupillari, & exemplari.* num. 110.
§. II. *De substitutione fideicomissaria, reciproca, & compendiosa.* num. 121.
Punct. IX. *Quot modis possint testamenta valida iam facta revocari?* num. 129.
Punct. X. *De testamento facto per interpositam personam, nimirum per commissarium.* num. 142.
Punct. XI. *De obligatione hæredis. Præcipuè circa confectionem inventarij.* numer. 148.
Punct. XII. *De obligatione executorum testamentorum, qui dicuntur testamentarij, & nostro idiomate* Albaceas, *vel* Cabeçaleros. num. 159.
Punct. XIII. *De legatis, & legatarijs.* numer. 170.
§. I. *De legatis puris, & absolutis, eorumque fructibus.* num. 172.
§. II. *De legatis, quæ fiunt sub conditione.* num. 180.
§. III. *Aliquæ difficultates, quæ in praxi contingunt circa legata, resolvuntur.* numer. 186.

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex sit testamentum?

Ex jure gẽtiũ datur facultas condendi testamentum.

1 IUre gentium communi omnibus concessum est de suis rebus disponere eo modo, quo velint post suum obitum executioni mandari, nisi speciali impedimento aliquis sit irretitus. Quod autem hac, vel illa forma talis dispositio fiat, ex jure positivo est introductum, vel ex jure communi, vel ex particulari aliquorum regnorum, vel denique ex consuetudine. Et talis dispositio ab omnibus observari debet, vtpotè justa, & bono communi, ac tranquillitati reipublicæ multùm consentanea. Vnusquisque jura propria suæ provinciæ in hac parte consulat. Nos verò de ijs, quæ sunt dispositа, tàm jure communi, canonico, & cæsareò, quàm jure regio hispano, loquemur.

Natura propria testamenti explicatur.

2 In multiplici ergo differentia sunt vltimæ voluntates, nimirum, *testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum, donatio causa mortis* (de qua iam egimus *cap. præced. punct. vltim. §.* 5. Et omnes istæ dispositiones in genere acceptæ, secundum quod inter se conveniunt in ratione vltimæ dispositionis, sic possunt diffiniri: Vltima dispositio est: *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem fieri vult.* Et hoc modo solet ab aliquibus diffiniri testamentum; sed erit insufficiens illius diffinitio, nisi aliquid superaddatur, per quod ab alijs vltimis voluntatibus differat. Ideòque meliùs, & breviùs testamentum sic diffiniri potest: Est *vltima dispositio cum directa hæredis institutione.* Per quod differt à reliquis vltimis voluntatibus, in quibus non potest directè hæres institui, aut institutus removeri: hoc enim proprijssimum est testamenti, quod ideò testamentum dicitur, quia hæredis institutionem continet, non quia continet legata, fideicommissa, &c. nam quòd hæc in eodem instrumento scribantur, est extrinsecum, & accessorium rationi testamenti, & sic possent omitti. Vnde dicitur *in §. Ante hæredis institutionem: Instituta de legatis testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt; & ob id velut caput, & fundamentum intelligitur totius testamenti hæredis institutio.*

In quo differat à codicillo testamentum?

3 Sed per illam particulam *Directa*, in diffinitione testamenti additam specialitèr testamentum differt à codicillo, tametsi ex alijs etiam capitibus differat, vt postea dicemus. In codicillo namque per se, & directè non potest institui hæres; sed solùm ponitur ad aliquid in testamento mutandum, addendum, vel detrahendum, aliqua legata instituenda: non potest autem directè, & per se, aut hæres institui, aut institutus in testamento revocari. Per accidens autem ex privilegio poterit in codicillo institui hæres, vt in codicillo militis, ex leg. *Militis codicil. 36. ff. de milit. testament.* Et etiam absque privilegio potest in codicillo institui hæres indirectè; vt per fideicomissum, & institutus, indirectè revocari, declarando nimirum, hæredem in testamento institutum tale delictum commisisse, ob quod privari hæreditate meretur, & ita privatum velle: & tunc, si delictum probetur, manebit hæreditate privatus, ex leg. *Hæreditas*, Cod. *de ijs, quibus vt indignis, leg. regia, 2. tit. 12. partit. 3.* Ex jure autem com-

mu-

muni non valet testamentum, in quo hæres, non instituitur, §. *Ante hæredis, Institut. de legatis.* Sed jure hispano validum est testamentum absque hæredis institutione, quantum ad legata, & cætera, quæ continet, & tunc hæres ab intestato succedit, sicut cùm hæres institutus recusat hæreditatem, *leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recopil.* Matienz. *ibi. gloss.* 10. *n.* 1. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 30. *diff.* 1. *n.* 2. Martin. à Prado *tom.* 2. *cap.* 29. *q.* 6. *n.* 4. Sanch. *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 10. P. Fr. Martin. à Sancto Ioseph *lib.* 2. *tr.* 3. *n.* 23.

In duplici differētia est testamentū.

4 Duplex est testamentum: aliud in scriptis, seu clausum (nostra lingua dicitur, *Testamento cerrado.*) Dicitur *in scriptis*, quia sola escriptura potest condi: & dicitur *clausum*, eo quòd manere debet clausum, & coopertum aliquo folio, atque sigillatum. Quod quia multa ad sui substantiam requirit, nisi quis in eo sit benè doctus, facilitèr errabit in ipso condendo. Aliud jure communi dicitur nuncupativum, (nostro idiomate, *abierto*) quia non indiget scriptura, sed sola verborum nuncupatione potest condi. Vnde si quis, non habens notarium, advocet legitimum numerum testium, & explicet coram illis nomen hæredis, & alias institutiones, & legata, & roget eos, vt sint testes, validum erit testamentum. Et licèt commnnitèr in scriptis conficiatur, scriptura additur, non vt forma, sed vt faciliùs probetur intentio testatoris. Bonac. *disp.* 3. *quæst. vlt. punct.* 1. *n.* 3. Prado *cap.* 29 *q.* 6. *num.* 3. ¶ Nemo potest duplex habere testamentum, sed vltimum revocat præcedens, §. *Posteriori*, §. *Sed si quis, Institut. Quibus modis testamentum infirmetur*: nisi in testamento militis, in quo, si vnum non pugnet cum alio, vel non revocaverit illud, valebit vtrumque, leg. *Quærebatur*, leg. *Militis, ff. de militis testamento.* Codicillos autem secum non pugnantes quisque plures habere potest: quòd si pugnent inter se, posteriori est standum, §. *vltim. Institut. de codicillis.*

PUNCTUM II.

De solemnitate substantiali ad omnia testamenta requisita, tàm jure communi, quàm jure Hispano.

Solemnitas jure positivo civili requisita pro testamentis, ab omnibus debet observari.

5 ALexander III. in cap. *Cùm esses*, *de testamentis*, videtur revocare omnem solemnitatem jure positivo requisitam ad testamenta condenda; & dicit, quòd testamentum factum coram Parocho, & duobus testibus, &, illo non intervenente, coram quatuor testibus, validum est. Vnde hoc sufficere pro omni testamento, etiam ad causas non pias (de testamento enim ad causas pias dicemus postea) dicit esse sententiam communem Trullench *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 2. *num.* 12. cum Marco Antonio Genuensi *quæst.* 166. *num.* 1. & tenet Bonacin. *disput.* 3. *quæst. vltim. punct.* 5. *n.* 1. §. 2. At verò Iulius Clarus, §. *Testamentum, quæst.* 57. Barbos. in dicto cap. *Cùm esses, num.* 2. dicunt, communem, & praxi receptam sententiam esse aliam solemnitatem non exigi in testamentis ecclesiasticorum, quàm inductam in dict. cap. *Cùm esses.* ¶ Cæterum tam ecclesiasticos, quàm alios debere observare in suis testamentis condendis solemnitatem, quæ vel ex jure communi, vel ex particulari sui regni est, tenent Glossa ibi, Covarr. & Molin. quos refert, & sequitur Villalob. *tom.* 2. *tr.* 30. *diffic.* 2. *num.* 2. Prado *cap.* 29. *quæst.* 6. *n.* 8. P. Fr. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 6. *num.* 2. Quia loquitur ibi summus Pontifex tantùm de terris Pontificis temporalitèr subjectis, non de alijs. Videndum igitur modò est, quæ solemnitas in alijs provincijs requiratur ex jure communi, & in Hispania ex jure particulari, pro diversis testamentis. Et quia sunt diversa genera illorum, de singulis in diversis §§. agemus.

§. I.

De solemnitate requisita ad testamentum nuncupativum.

Selemnitas pro testamēto nūcupativo, tā jure communi, quā Castellæ exacta.

6 EX jure communi ad testamentum nuncupativum (sive fiat scriptura, sive absque illa) requiruntur septem testes, masculi, puberes (id est, quatuordecim annorum) liberi, vel vt tales reputati, & rogati (id est, invitati, & attracti) & quod omnes simul audiant voluntatem testatoris, leg. *Hac consultissima*, §. *Per nuncupationem*, Cod. *de testam.* leg. *Hæres palam, ff. eodem tit.* §. *Finali, Institut. eodem tit.* Iure autem proprio Castellæ talis solemnitas requiritur, quæ habetur *leg.* 1. & 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recop.* quæ desumpta sunt *ex leg.* 3. *Tauri*, vbi sic dicitur: *Si alguno ordenare su testamento, ò otra postrimera voluntad, con Escrivano publico, deben ser presentes à lo vèr otorgar tres testigos por lo menos, vezinos del lugar, donde el testamento se hiziere. Y si se hiziere sin Escrivano publico, que sean por lo menos cinco testigos, (segun dicho es) si fuere lugar donde los pueda aver. Y si no pueden ser avidos cinco testigos, ni Escrivano en el dicho lugar, à lo menos sean presentes tres testigos vezinos del tal Lugar. Pero si el testamento fuere hecho ante seis testigos, aunque no sean vezinos, ni passe ante Escrivano, teniendo las calidades, que el Derecho requiere, valga el testamento, aunque los testigos no sean vezinos del lugar donde se hiziere el testamento.*

Aliqua circa dispositionē regiam notantur.

7 Circa quam dispositionem primò notandum est, non requiri, nec ex ea, nec ex jure communi, subscriptionem testium, aut testatoris, etiamsi testamentum fiat in scriptis, quia hoc testamentum absque scriptura confici potest: & quando cum scriptura fit, non est de substantia eius; & ideò nec subscriptio testium, aut testatoris. Covarr. cap. *Cùm omnes*, *de testam. n.* 2. Vazq. *de testam. cap.* 1. §. 4. *n.* 26. Dicast. *lib.* 2. *tr.* 19. *disp.* 1. *n.* 50. Cæterùm tutius, & securius erit, quòd si testator sciat scribere, & posit, subscribat. Imò semper ac fit tale testamentum in scriptis coram tabellione, debet subscribi à testatore; quia iam est scriptura publica, & omnes scripturæ publicæ subscribendæ sunt ab ijs, à quibus exhibentur, *leg.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recopil.* & ita tenet Covarr. *loco citato*, mutata sententia in secunda editione. Burgos de Paz *leg.* 3. *Tauri, num.* 367. Matienzo *dicta leg.* 1. *gloss.* 5. Et hinc fit, deberi in scriptura poni diem mensis, & annum, & locum, in quo testamentum conditur; quia scriptura coram tabellione facta est publica scriptura, ad quam id requiritur, *leg.* 2. §. *Dum, ff. Quemadmodum testamentum aper. leg.* 3. *Tauri citata*, & ibi Gomez *num.* 42. *leg.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *fori*, & ibi Matienz. *glossa* 7. *num.* 8. *leg.* 111. *tit.* 18. *partit.* 3. vbi Gregor. Lopez.

Eiusdem legis expositionem pro sequimur.

8 Secundò advertendum est, quòd cùm in dicta lege requiratur, testes debere esse incolas loci, in quo conficitur testamentum, non sufficit adve-

advenas esse, & originarios illius loci, nisi sint vicini; quales non sunt scholastici, qui ad tempus in Academia degunt. Et ita annullatum fuit testamentum Salmanticæ confectum, in quo omnes testes erant scholastici, vt testatur Spino *de testam. gloss.* 31. *n.* 28. ¶ Tertiò, quòd potest absque tabellione confici testamentum, etiamsi sit in loco illo, quando adsunt quinque, vel septem testes, vt *in dicta leg.* dicitur: *Y si se hiziere sin Escrivano publico, que sean por lo menos cinco testigos.* At si potest haberi tabellio, non sufficiunt tres testes in nullo eventu, vt *in dicta lege* dicitur, quia solùm objcitur sufficere tres testes loci incolas, quando nec plures possunt invenire, nec tabellio interesse. Sed in quocumque eventu non possunt coniungi quinque testes, vel tres cum tabellione, tres sufficientes sunt absque tabellione, si vicini sint eius oppidi: sive hoc sit ratione pestis, belli, paucitatis vicinorum, vel ob vrgentem mortem, vel quavis ex alia causa, vt habetur *in dicta leg.* & tenent Molin. *de justit. tom.* 2. *disp.* 127. Villalobos *tract.* 30. *diffic.* 3. *num.* 4.

Quid circa testes requisitos sint adnotanda?

9 Cæterùm non est necessarium, quòd testes sint maiores omni exceptione, etiam quando fit coram tribus tantùm testibus, non interveniente tabellione, sed sufficit, vt non sint ex ijs, quos jus commune prohibet esse testes in testamentis. Matienzo, *leg.* 1. *gloss.* 7. *num.* 10. Burgos de Paz *leg.* 3. *Tauri, num.* 356. Debent tamen qualitates habere, quas jus commune, & regni exigit in eis; nimirum, quòd sint viri, puberes, liberi, & non servi; ita quod tempore institutionis testamenti, vt liberi habeantur. Et non possunt esse testes infames, aut alij per leges prohibiti, nisi tempore institutionis non habeantur vt infames, vt dicebamus de servis. Castill. *leg.* 3. *Tauri, verf.* 7. Gregor. Lopez *leg.* 1. *& 9. tit.* 1. *partit.* 6. Matienzo *n.* 6. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. Non autem requiritur, quòd sint rogati in Castella, quia id non asignatur in dicta lege, in qua omnis solemnitas pro testamentis ponitur: Et *si lex aliquid voluisset, facilè exprimeret*, cap. *Ad audientiam, de decimis.* Et est discrimen inter hanc qualitatem, & alias, quòd licèt lex non dicat, quod sint puberes, liberi, &c. id subintelligitur; quia testis absolutè dictus debet ex jure has conditiones habere, & ideò non oportuit eas explicare, quia dum dicta lex non expressit aliud, id subintelligitur. At quòd sint testes vocati, non est conditio requisita in jure ad testem absolutè sumptum. Vnde non requiri esse vocatos, etiam in testamento clauso, tenent Gomez *ad leg.* 3. *Tauri, n.* 29. Tapia *tom.* 1. *Caten. q.* 21. *art.* 2. *num.* 3. Villalob. *tr.* 30. *diffis.* 2. *n.* 4. Martin. à Sancto Ioseph *lib.* 2. *de testam. tr.* 3. *n.* 4.

Qui nō possint esse testes in testamento?

10 Reijcitur autem à testificando pater, & qui in patris potestate est, in testamento filijfamilias: item hæres, & qui in hæredis potestate est, & pater ipsius hæredis nominati, *§. Sed neque hæres, Instit. de testam.* ob præsumptionem fraudis, quæ ibi intervenire potest. Sed huiusmodi testamentum valere quoad reliqua contenta in eo, quia vtile per inutile non vitiatur, tenent Bonac. *disp.* 3. *quæst. vlt. punct.* 1. *n.* 4. Molin. *disp.* 125. *verf. Dubium adhuc.* Lugo *disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 6. Admittuntur tamen legatarij, & fideicommissarij particularis in testamento, in quo legatum, aut fideicommissum particulare eis relinquitur; & tutor, qui à patre liberis nominatus est, *§. Præter legatarius, Instit. de testam.* leg. *Qui testamentum*, Cod. *qui testamenta facere possunt.* Villalob. *tr.* 30. *diffi.* 3. *n.* 6. Martin. à Sancto Ioseph *lib.* 2. *de testam. tract.* 2. *n.* 10. Quia hi omnes non cēnsentur testes in causa propria, cùm de hæredis institutione testentur principalitèr. Et ob hanc rationem non prohibetur, quod dictanti testamentum aliquid legari possit, quamvis tabellioni, seu scribenti non possit, leg. *Dictantibus*, Cod. *de testam.* Dicastill. *lib.* 1. *tract.* 9. *disp.* 1. *dub.* 8. *n.* 98.

Quid debeant testes observare?

11 Requiritur etiam, vt testamentum validum sit, quòd omnes testes simul, & eodem tempore, & loco audiant, & intelligant voluntatem testatoris; scriptam, si testamentum condatur scriptura, vel viva voce expressam, si absque illa condatur; ita vt sine interventione alterius actus, qua moralitèr interrumpatur prædicta assistentia, & attentio, omnes simul huic vni insistant, leg. *Hæres palam; §. final. ff. de testament.* ibi: *Vno contextu actionis testari oportet. Est autem vno contextu, nullum alienum actum testamento intermiscere, quòd si aliquid pertinens ad testamentum faciat, non vitiatur.* Ratio quare sic decernitur, est, vt testes non sint singulares sed contestes: & quia si testator suam voluntatem diversis temporibus, aut locis declararet, non esset vnum, sed multiplex testamentum. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 3. *num.* 5. Matienzo *leg.* 1. *citat. gloss.* 3. *num.* 6. Burgos de Paz *leg.* 3. *Tauri, num.* 26. ¶ Et etiam requiritur, quando testamentum nuncupativum ante tabellionem fit, quòd legatur coram testibus ante mortem testatoris, *leg.* 33. *final. tit.* 18. *partit.* 3. quia omnes scripturæ publicæ legendæ sunt coram idoneis testibus, *leg.* 34. *fin. tit.* 18. *partita* 3. *leg.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recopil.* Et hinc probatur, testes debere esse præsentes, quando voluntas testatoris declaratur, & quòd illum videant. Et quòd debeant omnes testes esse præsentes, & videre testatorem, habetur leg. *Si non speciali*, leg. *Si vnus*, Cod. *de testament.* Ex quo colligitur, cæcum non posse esse testem in testamento nuncupativo. Matienzo *leg. citata, gloss.* 4. *num.* 1.

De cōditionibus in testatore requisitis.

12 Per signa nemo potest testamentum condere, nec hæredem instituere. Vnde qui loquelam amisit, & non potest intelligibiliter loqui, testari nequit, quamvis signis suam voluntatem declaret; quia voce debet hæres vocari, & nominari, leg. *Iubemus*, Cod. *de testam.* Ille verò, qui tremula voce, vel balbutienti potest hæredem nominare, quamvis non omninò intelligibiliter loquatur, potest testamentum facere; quia hoc non est signis, sed verbis eum ostendere, leg. *Quoniam indignum*, Cod. *de testament.* Anton. Gomez *leg.* 3. *Tauri, num.* 110. Covarrub. in cap. *Cum tibi, num.* 4. *ff. de testament.* Matienzo *lib.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil. gloss.* 16. *num.* 2. Sed si testator vix loqui possit, & quia nequit omninò hæredem declarare verbo, à tabellione, vel alio interrogetur, velitne filium hæredem instituere? & ille dicat, *Volo*, sine eo quod eum sua voce exprimat, probabilius est valere testamentum, argumento ex leg. *Nemo dubitat, ff. de hæredibus instituendis, leg.* 1. *§. Si quis interroget, ff. de verbor. obligat. §. Præterea, §. Quoties, de inutilibus stipulationibus*: quia ex dictis textibus idem est annuere interroganti, illius percipiendo, & intelligendo interrogationem, ac expresse illud dicere. Matienzo *loc. cit. gloss.* 6. Ferdinandus Vazq. plures citans *lib.* 2. *de successionum creat.* §. 17. *à n.* 52. Lugo *disp.* 28. *sect.* 1. *n.* 4.

§. II.

De ſolemnitate requiſita pro teſtamento clauſo, ſeu in ſcriptis.

Solemnitas jure cómuni pro teſtamento clauſo petita.

13 IN teſtamento clauſo, ſeu in ſcriptis, jure communi talis ſolemnitas requiritur: nimirum (quod poſt confectam, & clauſam ſcripturam) ſeptem adſint teſtes, viri, liberi, puberes, rogati, vt diximus de nuncupativo teſtamento. Quibus præſentibus ſimul eodem tempore, coram illis manifeſtet teſtator illud ſuum eſſe teſtamentum; & ipſe ſubſcribat, ſi ſciat, & poſsit; & ſi non, alius teſtis adhibendus eſt, qui ſubſcribat pro eo: & deinde ſuper teſtamentum omnes teſtes debent ſubſcribere, & ſi aliquis eorum neſciat, vnus pro altero ſubſcribere debet. Ac denique omnes debent ſignare ſcripturam illam ſuo proprio ſigillo, vel alieno. Et ſufficit, ſi omnes vno ſigillo ſignent. Qualibet ex his conditionibus deficientibus, teſtamentum eſt invalidum, leg. *Hac conſultiſsima*, Cod. *de teſtament. §. Secum paulatim, & ſequent. Inſtit. eodem tit.*

Solemnitas jure Hiſpano pro teſtamẽto clauſo requiſita.

14 Iure autem Caſtellæ talis aſsignatur ſolemnitas *leg. 3. Tauri*, hodie *leg. 2. tit. 4. lib. 5. Recopil.* *En el teſtamento cerrado, que en latin ſe dize* in ſcriptis, *mandamos, que intervengan à lo menos ſiete teſtigos con vn Eſcrivano, los quales ayan de firmar encima de la eſcritura del dicho teſtamento; ellos, y el teſtador, ſi ſupieren, y pudieren firmar: y ſi no ſupieren, y el teſtador no pudiere firmar, que los vnos firmen por los otros; de manera, que ſean ocho firmas, y mas el ſigno del Eſcrivano.* Et hoc ſignum tabellionis pro omnibus ſignis teſtium, ex jurecommuni requiſitis, jure noſtro eſt ſufficiens. Nec requiritur, quòd ſint teſtes vocati, quia hoc in dicta lege non exprimitur. Requiritur autem, quòd ſint liberi, puberes, & maſculi, propter dicta *num.* 8. Sed quando aliquis teſtis neſcit ſcribere, non ſufficit, quòd alter teſtis ſubſcribat pro vtroque vnica ſubſcriptione; ſed ſingillatim debet ſuam, & alterius ſubſcriptionem ponere: ita vt ſint octo ſubſcriptiones, præter ſigillum, & ſubſcriptionem tabellionis, vt dicitur in dicta lege. Inſuper requiritur, quòd locus, dies, menſis, & annus ſubſcribatur; quia eſt ſcriptura publica, ad quam determinatio loci, in quo conficitur, diei, menſis, & anni requiritur, vt *num.* 7. dicebamus.

Hęres inſtitutus nõ poteſt teſtamẽtũ clauſum ſcribere.

15 Quando teſtator ſua manu teſtamentum clauſum non ſcripſit, ſed alteri ſcribendum committit, ſi qui ſcribit, ſeipſum inſtituit hæredem, vel legatarium, non valet teſtamentum (intellige, quantum ad id, quod illius intereſt; ſecùs quoad alia in eo contenta, quia vtile per inutile non vitiatur, vt dicebamus *numer.* 10.) niſi aliunde teſtator ſuam mentem declaraverit; quia ibi ſubeſſe aliquam fraudem præſumitur, & in pœnam ſic ſcribentis, ſeque modo dicto inſtituentis, annullatur teſtamentum, *leg. 1. & ſeq. ff. de ijs, qui ſibi adſcribunt in teſtam.* Lugo *diſp. 24. ſect. 1. n. 3.* Molina *tom. 2. diſp.* 125. Villalob. *tract. 30. diffic. 2. num. 6.* Bonacin. *diſp. 3. quæſt. vltim. punct. 1. num.* 4. Matin. à Sancto Ioſeph, *lib. 2. tract. 3. numer.* 11. Dicaſtill. *lib. 2. tract. 19. diſp. 1. num.* 27. Sed quia iſtæ ſunt leges pœnales, non obligant, niſi poſt iudicis ſententiam. Et quia talis ſententia niteretur in præſumptione fraudis, aut culpæ; ſi bona fide, & abſque fraude, ex voluntate teſtatoris ſeipſum ſcriptor nominavit hæredem, vel legatarium, poterit non reddere hæreditatem: & ſi reddiderit, vti occulta compenſatione: *quia vbi non reperitur ſubeſſe culpa, ibi non debet imponi pœna*, leg. *Aliud eſt fraus, ff. de verbor. ſignificat.* & tenet Molina, Villalob. Bonacin. & à Sancto Ioſeph. ¶ Sed hæc doctrina non currit in teſtamento nuncupativo, neç adhuc in clauſo teſtamento eſt extendenda ad eos, qui dictant, vel ordinant teſtamentum; ſed ad eos tantùm, qui propria manu ſcribunt, vt expreſsè habetur leg. *Dictantibus*, Cod. *de teſtament.* Sed nec poteſt eſſe teſtis hæres in dicto teſtamento relictus, vt dicebamus in teſtamentis nuncupativis, *num.* 10.

§. III.

De ſolemnitate requiſita in teſtamento ad pias cauſas.

Quæ dicãtur cauſæ piæ, & teſtamentum ad cauſas pias?

16 ILla dicitur cauſa pia, quæ fit in honorem Dei, ſatisfactionem culparum, propriarum, vel alienarum, conſecutionem, vel augmentum gratiæ, & gloriæ, & quidquid ad bonum ſpirituale animæ ordinatur; vt quæ relinquuntur pauperibus, eccleſijs, monaſterijs, hoſpitalibus, redemptioni captivorum, virginum pauperum, aut viduarum ſubſidio, etiamſi conſanguineæ ſint. Et illud dicitur teſtamentum ad pias cauſas, in quo inſtituitur hæres pia cauſa, vel ſubſtituitur: vt ſi dicat, quòd, mortuo hærede aſsignato, vel illo recuſante hæreditatem, aut non implente conditionem in eo poſitam, veniat hæreditas ad monaſterium, vel hoſpitale. Sed non eſt teſtamentum ad pias cauſas, quando aliquod legatum pium in eo relinquitur, aliàs nullum eſſet teſtamentum, quod non eſſet ad pias cauſas; cùm nullum vix detur, in quo aliqua pia legata non relinquantur. Covarrub. cap. *Relatum.* 1. *n.* 2. Gamma *deciſ. 46. n.* 2. Molin. *diſp.* 134. Villalob. *tract. 30. diffi. 4. n. 2.* Dicaſtill. *lib. 2. tract. 19. diſp. 1. num.* 111.

Solemnitas requiſita pro teſtamẽto ad cauſas pias.

17 Igitur ad teſtamentum ad pias cauſas non requiritur ſolemnitas, quæ eſt vel ex jure communi, vel ex particulari aliquorum regnorum, ſed ſufficit illa, quæ ex jure gentium, & naturali requiritur ad omnes contractus; nimirum expreſſus conſenſus teſtatoris, qui conſtare poſsit per duos teſtes, viros, vel fœminas. Ita enim ſtatuit Alexander III. in cap. *Relatum*, 1. cap. *Cum eſſes de teſtament.* revocans quoad hoc omnes leges civiles Principum; quia Principes non habent poteſtatem aliquid ordinandi circa finem ſpiritualem animæ, quem reſpiciunt cauſæ piæ. Et cùm Pontifex ſit ſuperior Principibus ſæcularibus in ijs, quæ ad ſalutem animarum, & bonum ſpirituale pertinent, potuit revocare, & de facto revocavit, *dictis capitibus* quidquid ab illis erat diſpoſitum, vt huic bono ſpirituali adverſum. Bonac. *diſp. 3. quæſt. vlt. punct. 5. n. 3.* Fr. Martin. à S. Ioſeph, *lib. 2. de teſtam. tr. 4. n. 2.* Dicaſtill. *ſuprà n.* 112. Tapia *lib. 5. quæſt. 21. art. 3. num.* 1. Covarr. ad cap. *Relatum*, 1. *n. 9.* Iulius Clarus, *§. Teſtamentum, quæſt. 6. n.* 1. Tiraquel. *de privilegijs cauſæ piæ, privileg. 3.* Molina *diſp.* 134. Villalob. *ſuprà n. 3.* Leſsius *lib. 2. cap. 19. dub. 2.* Qui etiam dicunt valere teſtamentum, aliàs nullum ob defectum ſolemnitatis, quoad legata pia in eo contenta; quia etſi non valeat, vt teſtamentum, ob defectum ſolemnitatis, habet rationem legati validi propter privilegium piarum cauſa-

causarum, quæ nullam solemnitatem exiguntur ex jure civili stabilitam: & ita debere judicari in omnibus tribunalibus, tàm ecclesiasticis, quàm sæcularibus. Et licèt testator non potuerit loqui, valet legatum, vel testamentum ad pias causas, si signis saltem suam voluntatem significet. Villalob. *numer.* 5. à Sancto Ioseph, *numer.* 8. Gomez *ad leg.* 3. *Tauri*, *numer.* 110. Matienzo *leg.* 1. *gloss.* 16. *num.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil.*

Sufficit quomodolibet constare de mente testatoris.

18 Sed notandum est, quòd licèt Pontifex dicto cap. *Relatum*, 1. asserat, requiri ad tale testamentum duos testes ex jure divino, *quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*; at verò testes in hoc testamento non requiruntur tanquam forma substantialis, sed solùm vt probetur talem fuisse voluntatem testatoris in foro exteriori. Vnde reipsa, & coram Deo, & in foro animæ absque illis valet. Ideòque si heres sciret certò testatorem hoc, vel illud legatum, vel ipsam hæreditatem causæ piæ verè reliquisse, licèt hoc probari non posset in foro exteriori, nec adessent testes præsentes, sed ore tenus illi soli suam voluntatem testator manifestasset, teneretur in conscientia hæres causæ piæ totum restituere, quod à testatore illi relictum est, vt docent Tapia *numer.* 2. Martin. à Sancto Ioseph, *tract.* 4. *num.* 9. Dicastill. *num.* 114. Lessius *dub.* 2. *cit. num.* 7. Villalob. *num.* 6. Et similitèr, si dedisset in secreto alicni aliquid, vel vt sibi tanquam pauper retineret, vel vt in pias causas distribueret; illud facere posset tuta conscientia, inscio, & invito hærede, etiamsi in exteriori foro nihil posset probare. Villalob. Covarr. Gomez, à Sancto Ioseph, Dicastill. *locis citatis.*

Legata profana relicta in testamento ad causas pias, valent, quàdo illud valet.

19 Quando valet testamentum absque solemnitate, quia est institutum ad pias causas, etiam valent legata in eo contenta, tametsi ad pias causas non sint; quia legatum in testamento est accessorium, & accessorium sequitur naturam principalis. Covarr. cap. *Relatum*, 1. *n.* 3. Villalob. *n.* 7. Dicastill. *n.* 129. Lessius *n.* 9. Tapia *art.* 3. *n.* 3. & 4. Et colligitur *ex leg.* 21. *tit.* 1. *partit.* 6. Si quis autem in suo testamento instituerit hæredem, vel consanguineum, vel extraneum, & piam causam; si caret tale testamentum solemnitate debita, valet solùm quantum ad institutionem piæ causæ, non quantum ad alterius institutionem, vt tenent prædicti Authores.

§. IV.

De solemnitate testamenti cæci, militis, & inter filios.

Solemnitas pro testamẽto inter liberos.

20 CIrca testamenta cæcorum, militum, & parentum inter filios, vel alios descendentes (& idem est de testamento filiorum inter parentes, & ascendentes) est specialis juris dispositio; ideò de illis hoc §. singillatim agemus. Ad testamentum igitur inter liberos, etiam emancipatos, ex jure communi solùm duo testes requiruntur, etiam non masculi, nec rogati; nec requiritur, quòd subscribant; & etiamsi aliæ solemnitates deficiant, validum remanet, sive pater testetur, sive mater, leg. *Hac consultissima*, §. *Ex imperfecto*, Cod. *de testam.* juncta *leg. vlt.* Cod. *familiæ herciscundæ*. At verò jure novo Castellæ eadem solemnitas requiritur pro testamentis inter liberos, ac pro alijs; sive sit nuncupativum, sive clausum, vt habetur *leg.* 3. *Tauri*, modò *leg.* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil.* Molin. *disp.* 127. *fine.* Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 19. *disp.* 1. *n.* 74. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 3. *numer.* 8. Fr. Martin. à Sancto Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 2. *n.* 12. Sed, adhuc stando in jure regni, probabilius est, posse mulieres esse testes in testamentis inter liberos, sive in scriptis, sive in apertis; quia (vt diximus) ex jure communi valet testamentum inter liberos, in quo testes sunt fœminæ; sed lex regni nihil quoad hoc mutavit juris communis, nisi dumtaxat quoad numerum testium, ibi: *La solemnidad de la ley del ordenamiento, que dispone quantos testigos son menester en el testamento, se entiende tambien en el testamento entre los hijos.* Sic Tello *ibi*, 1. *part. n.* 5. Paz *leg.* 3. *Tauri*, *n.* 42. Ant. Gomez *ibi*, *n.* 53. Sanch. *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 2.

Solemnitas testamenti cæci.

21 In testamento cæci, sive sit inter liberos, sive inter extraneos (qui testari non potest in scriptis, seu testamento clauso, sed solùm nuncupativo) jure communi septem testes requiruntur, cum conditionibus, §. 1. & §. 2. adductis pro alijs testamentis. Iure tamen novo Castellæ solùm quinque requiruntur, *leg.* 3. *Tauri*, quæ est, *lex* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil.* & non requiritur, quod sint vicini loci, si coram tabellione testamentum conficiatur; quia id non exigitur à lege. Matienzo *eadem leg.* 2. *Recopil. gloss.* 8. *n.* 8. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 5. *num.* 4. Cæterum si absque tabellione coram quinque testibus testamentum condatur, debent esse incolæ loci: & sic coram quinque testibus, etiam non interveniente tabellione, valet testamentum cæci, si vicini sint loci in quo instituitur, vt tenent Anton. Gomez *ad leg.* 3. *Tauri*, *n.* 52. Villalob. *tr.* 30, *diffic.* 3. *n.* 9. Requiritur tamen, quòd in tali testamento, signis saltem indubitabilibus, hæredem declaret. Quæ signa necessaria non essent, si absque fraude constaret de persona nominata, vt tenet communis sententia; quia quod lex intendit, est fraudes evitare.

Solemnitas testamenti militis.

22 Quando miles extra castra exisit, seu in expeditione non est, eandem cum alijs solemnitatem debet observare in condendo testamento, vt constat *ex §. Sed hactenus, de militis testamento.* Quando verò in expeditione est, vel in castris, seu in bello abstulit jus omnem solemnitatem, & solùm illam relinquit, quæ est de jure communi gentium, seu naturali; nimirum, quòd per duos testes, viros, vel mulieres, constet de eius voluntate, leg. *Divus, ff. de militis testam.* & *Instituta*, & *Cod. toto eodem tit.* & *leg.* 4. *tit.* 1. *lib.* 6. *Recopil.* Quæ leges etiam disponunt, quòd testamentum sub hac forma institutum in bello, vel expeditione, valeat per integrum annum, postquam miles egressus fuerit è castris, & non per aliud tempus, §. *Miles*, Instit. *de militis testam.* Et hoc privilegio gaudent omnes personæ in expeditione repertæ, quamvis milites non sint, dummodò sint in loco hostili, seu in terra inimicorum, *leg.* 1. *ff. de bonis possessis ex testam. militis.* Molin. *tom.* 1. *de justit. disp.* 129. P. Fr. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 2. *n.* 6. Villalob. *tr.* 3. *diffic.* 3. *n.* 11.

§. V.

Quæ solemnitas in codicillis requiratur?

Quid sit codicillus? & ad quid institutus?

23 CUm codicillus sit quædam quasi pars testamenti, (& ideò dicitur *codicillus*, idest, parvus codex respectu testamenti, quia ponitur ad suppleuda aliqua omissa in testamento, vel ad aliquid mutandum, vel ad legata nova, vel

vel ad revocanda, vel moderanda, quæ in teſtamento erant relicta) ideò, cum in præſenti agamus de teſtamento, pauca de illo ſubijcere erit neceſſarium; vndè diffiniri poteſt codicillus, quod eſt *Quædam vltima voluntatis diſpoſitio, ſine directa hæredis inſtitutione, ſive in ſcriptis, ſive nuncupativè ore tenus tantùm fiat.* Quare per codicillum inſtitui non poteſt hæres directè, nec inſtitutus in teſtamento revocari, niſi id fiat ex privilegio, vt in codicillo militis; vel indirectè per fideicommiſſum, vt *n.* 3. dicebamus. Quod adeò verum eſt, quòd ſi aliquis expreſsè vellet codicillum facere, & in eo hæredem directè inſtitueret, nihil faceret, etiamſi omnem aliam ſolemnitatem pro teſtamentis obſervaret, vt docet Molin. Iuriſt. *lib.* 2. *de primog. cap.* 8. *n.* 28. Tap. *tom.* 2. *caten. lib.* 5. *quæſt.* 21. *artic.* 12. *num.* 2. Villalob. *tract.* 30. *difficult.* 6. *num.* 1. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 19. *diſp.* 2. *n.* 13. Cæterùm, ſi non conſtaſſet, velle codicillum inſtituere, præſumeretur velle teſtamentum facere; & ſic vt teſtamentum valeret, ſi omnem ſolemnitatem illus obſervaret, vt tenent prædicti Authores.

Solemnitas pro codicillis ex jure communi, & Caſtellæ requiſita.

24 Ex jure communi ad omnem codicillum requiruntur quoque teſtes: leg. *Fin.* Cod. *de codicillis.* Et idem eſt de qualibet alia diſpoſitione vltimæ voluntatis: leg. *Fin.* Cod. *de donationib. cauſ. mortis.* Codicillus autem militis, inter liberos, ad cauſas pias, non plures requirit teſtes, quàm de teſtamentis ſimilibus diximus, & eſt ſententia communis. Cæterùm jure Caſtellæ in codicillo nuncupativo idem requiritur, quod in teſtamento aperto, nimirùm quinque teſtes ſine tabellione, & tres cum illo: *leg.* 3. *Tauri*, hodie *leg.* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recompil.* At in codicillis (vt tenet communis ſententia) non requiritur, quod teſtes ſint viri; poſſunt enim etiam eſſe mulieres. Quod etiam jure Caſtellæ verùm eſt: nam licet in dicta lege habeatur, quod idem ſervetur in codicillis ac in teſtamentis, intelligitur quantum ad numerum teſtium, non quantum ad qualitatem. Anton. Gom. ibi, *n.* 71. Villalob. *n.* 5. Tap. *num.* 5. Dicaſtill. *num.* 9. ¶ In codicillis autem clauſis, ſeu *in ſcriptis* quinque teſtes requiruntur jure communi, qui ſubſcribant in eo, leg. *Fin.* verſ. *Fin.* C. *de codicil.* & idem requiritur jure Caſtellæ, quia in dicta lege non agitur de codicillo *in ſcriptis*, ſed nuncupativo: & ſic relinquitur juris communis diſpoſitioni, juxta regulam: *Caſus omiſſus relinquitur diſpoſitione juris communis*, vt tenent prædicti Auctores.

Quid operetur clauſula codicillaris.

25 Solet tamen apponi in teſtamentis quædam clauſula codicillaris, quando nimirùm teſtator mandat, & vult, quòd ſi teſtamentum ſuum non valeat, vt teſtamentum, valeat, vel vt codicillus, vel vt vltima voluntas, vel meliori modo, quo locus fuerit in jure. Quæ clauſula (inter alia) operatur, quòd ſi teſtator non appoſuerit omnem ſolemnitatem, quæ de jure requiritur ad teſtamentum (vt ſi teſtes fuerint mulieres, ſi hæredem non inſtituerit) ſed poſuit quidquid ad codicillum requiritur, valebit vt codicillus, non vt teſtamentum: leg. *Fin.* §. *Illud*, *ff. de codicil.* Vndè ad omnes effectus codicilli, nimirùm ad ſolvenda legata relicta, & quæ poſſunt fieri in codicillo, vim habebit. Vazq. *de teſtam. cap.* 7. *n.* 2. Bonacin. *diſp.* 3. *q. vlt. punct.* 1. *num.* 2. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 7. *n.* 3. Tapia *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 12. *n.* 6. Martin. à S. Ioſeph, *lib.* 2. *tract.* 7. *n.* 11. Poteſt autem codicillus fieri ante, vel poſt teſtamentum; nec revocatus cenſetur per ſubſequens teſtamentum, niſi conſtet voluiſſe illum revocare teſtatorem. Poſſunt dari duo codicilli, & plures alij validi, niſi invicem adverſentur: quòd ſi vnus codicillus alteri contradicit, vltimo eſt ſtandum, vt diximus *num.* 4.

PUNCTUM III.

Quam vim habeat teſtamentum imperfectum?

Quot modis reddatur teſtamentum imperfectū.

26 EX Triplici capite poteſt intelligi teſtamentum eſſe imperfectum: vel quia ei deficit ſolemnitas ſubſtantialis de jure requiſita: vel quia inceptum eſt, &, morte prævento teſtatore, non potuit finiri: vel quia fuit inſtitutum abſque plena, & perfecta voluntate teſtatoris. De his vltimis duobus capitibus agemus in præſenti: nam de primo capite (an nimirùm teſtamentum ſine debita ſolemnitate confectum obliget in conſcientia, & habeat vim transferendi dominium, ita vt hæres ab inteſtato teneatur relinquere hæreditatem hæredi in teſtamento minùs ſolemni relicto, vel hæres neceſſarius teneatur ſolvere legata legatarijs relicta in teſtamento imperfecto ob defectum ſolemnitatis ſubſtantialis?) latè egimus *ſuprà hoc tract. cap.* 1. *num.* 50. vbi duplicem ſententiam, aliam affirmativam, negativam aliam, & vtramque ſatis probabilem, retulimus, adherentes negativæ; quid ex vtraque ſententia inferatur, diximus, vbi videri poterunt.

Quid, ſi moriatur teſtator ante cōplementum teſtament?

27 Igitur agendo de teſtamento imperfecto ſecundo modo, ſciendum eſt, quòd ſi contingat teſtatorem mori, vel loquelam amittere, vel teſtamentum non continuare ex aliqua cauſa, poſtquam hæredem inſtituerat, & aliqua legata ordinaverat, non valet teſtamentum; quamvis coram notario, & ſufficienti numero teſtium fuerit inchoatum: leg. *Si quis cùm teſtamentum, ff. de teſtament.* ibi: *Si quis, cum teſtamentum faceret, hæredibus primis nuncupatis, priùs quam ſecundos hæredes exprimeret, obmutuiſſet; magis cœpiſſe eum teſtamentum facere, quam feciſſe, Varius Servium reſpondiſſe ſcripſit.* Idem habetur *leg. reg.* 26. *tit.* 1. *partit.* 6. & tenet communis ſententia, vt teſtatur Gom. *ad leg.* 3. *Tauri, n.* 18. & 19. Quod intelligitur, quando conſtaret teſtamentum non eſſe finitum, quia volebat teſtator alios hæredes inſtituere, vel legata ordinare. In dubio autem valeret teſtamentum, & perfectum judicaretur, vt conſtat ex dicta lege, vbi dicitur: *Labeo autem hoc verum eſſe exiſtimat, ſi conſtaret voluiſſe plus hæredes pronuntiare.* Et hoc verum eſt, etiamſi teſtamentum ſit inter liberos, ſi non perfecit teſtator illud, ſed vltra progredi velle conſtaret, vt tenet Gom. *loc. cit.* Villalob. *tract.* 3. *diff.* 5. *n.* 2. ¶ Cæterùm ſi in tali teſtamento hæres inſtituatur cauſa pia, validum eſt: & ſi non fuerit hæres cauſa pia, ſed aliqua legata pia ordinentur in eo, quoad hæc valebit: quia ad cauſas pias nulla alia ſolemnitas requiritur, niſi quæ ſufficiens fuerit, vt conſtet de voluntate teſtatoris, vt in præſenti invenitur. Covarrub. cap. *Relatum* 1. *n.* 101. Molin. *diſp.* 134. Villalob. *n.* 3. Martin. à S. Ioſeph, *lib.* 2. *tract.* 2. *num.* 15. Tap. *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 6. & alijs relatis, Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 19. *diſp.* 1. *n.* 124.

Eandem doctrinā prælequimur.

28 Scripto iam teſtamento ante tabellionem, & coram ſufficienti numero teſtium, ſi contingat mori teſtatorem, antequam legatur coram illo, non

valet: quia scriptura, quæ non legitur, potest aliud continere, alienum à mente testatoris, leg. *Fideicommissum, §. Quoties, ff. de legatis* 3. Gomez *sup. n.* 107. & 108. At si ex sufficienti numero testium, & notario constaret testatorem ordinasse, quod in tali scriptura decernebatur; ita quòd alienum ab eius mente nihil contineret, validum esset in vtroque foro: quia hæc testamenta nuncupativa non exigunt, quod fiant in scriptis; vndè sicut non requiritur, quòd scribantur, sic nec quòd legantur scripta, dummodò probetur voluntas testatoris sufficienti numero testium. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 5. *n.* 4. à S. Ioseph *supr. n.* 16. ¶ Denique quando quis in suo testamento dicit se schedulam subscriptam apud suum Confessarium relinquere, vel apud aliam personam, in qua continentur aliqua legata, aliave suæ voluntatis dispositio: & quod vult omnia in ea contenta adimpleri, sicuti si ibi de verbo ad verbum ponerentur, quidquid in ea schedula continetur, deberet impleri, ac si esset in tali testamento scriptum, vt ex se constat, quia virtualiter continetur in testamento, & expliciti, & impliciti eadem virtus est, *leg.* 2. *de rescriptis*, leg. *Cùm quis, ff. de rebus creditis*, & tenent prædicti Authores.

Quid, si testamentum non fit plenè liberè cõfectum?

29 Quando autem testamentum imperfectum est ex tertio capite, nimirùm ob defectum libertatis testatoris, quia non plenè liberè illud confecit, vel quia mentis compos non erat, vel fuit coactus, vel per vim, fraudem, dolum, vel errorem ad ea disponere inductus, quæ aliàs eo modo non disponeret; nullum est, & invalidum testamentum, vel alia vltimæ voluntatis dispositio: quia quælibet est quasi contractus quidam lucrativus, & gratiosus, vti donatio gratuita, aut promissio; vnde sicut in istis requiritur plena libertas libera à coactione, à fraude, dolo, & errore, sic in dispositione vltimæ voluntatis. Sanch. *lib.* 4. *de matrim. disp.* 10. Gutier. *lib.* 1. *quæst. canonicar. quæst.* 37. *n.* 20. Molina *tom.* 1. *disp.* 135. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 9. *num.* 1. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 9. *n.* 1. Vndè si quis ex errore alium instituret hæredem, vel legatarium, putans falsò, illum esse filium suum, vel consanguineum, vel ab eo deceptus esset dicendo, se illi tot contulisse beneficia, cùm ita non esset, in vtroque foro erit nulla talis dispositio, leg. *Nec apud*, leg. *Si pater*, Cod. *de hæredib. instituend. Nihil enim tam contrarium est consensui, quàm error*, leg. *Si per errorem, ff. de jurisdictione omnium judicum.*

Peccat mortaliter, qui testatorem metu, aut fraude cogit

30 Et qui mentitur testatori, & per fraudem, vim, vel errorem adducit, vt ipsum, vel alium instituat hæredem, peccat mortaliter, & tenetur restituere, vel necessarijs hæredibus, vel alijs nominatis, vel qui *ab intestato* succedunt. Navar. *cap.* 17. *num.* 72. Gutier. Sanch. Molin. Villalob. *loc. cit.* Qui idem dicunt de precibus importunissimis, quæ adeò essent molestæ, vt quasi vim facere viderentur. Et idem potiori jure de metu reverentiali, quem mulier habet marito, filius parenti: maximè si verbis, aut aspectu aspero, & torvo illos terrerent, qui oppositum ipsorum voluntati vellent disponere: vel illis manifestarent sibi displicere, quòd testamentum conficiant non instituendo ipsos hæredes, aut legatarios, vel quod *in scriptis*, vel clausum faciant. Præcipuè si mulier timeret, maritum, aut filius, patrem, malè posteà eos tractaturum per decursum vitæ; tunc dispositum à filio, vel vxore, nullum est, & peccant mortaliter maritus, aut pater non relinquentes vxorem, aut filium in sua libertate: & quidquid ea via lucrati fuerint, ijs, quorum interest, tenentur restituere, vt docent Sanch. Villalob. Gutier. *loc. citat.* Et omnes ei, qui aliquo ex his modis vim afferunt testatori (vltra peccatum mortale, & onus restituendi) in foro externo privantur omni bono ex tali testamento ipsis competenti, & adjudicatur fisco, *leg.* 1. & 2. *ff. Quis aliquem testari, leg.* 2. Cod. *eodem tit. leg.* 26. & *seq. tit.* 1. *partit.* 6. Et idem dicendum est de eo, qui impedit, ne faciat alius testamentum, vel ne immutet factum, prohibens ne adveniat tabellio, aut testes, aut alia via.

Non peccat, qui testatorem consilio, precibus, &c. adducit, vt se, vel aliũ instituat hæredẽ.

31 Sed qui rationibus, consilio, suasione, absque vi, fraude, aut dolo, testatorem adduceret, vel vt mutet testamentum, vel vt se, vel alios amicos instituat hæredes, vel legatarios, non peccat, nec restituere tenetur, vt omnes asserunt. Quod adhuc verificari docent Navar. *cap.* 15. *num.* 22. Villalobos *tract.* 30. *diff.* 9. *n.* 4. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 9. *n.* 5. tametsi ex odio, aut pravo affectu ad alium moveatur ad suadendum testatori, ne instituat hæredem inimicum suum, quia tunc dicunt peccare contra charitatem, non verò contra justitiam; & sic absque onere restitutionis. Nec similiter teneretur restituere, aut peccaret, qui precibus non importunis, & blanditijs, &c. alium induceret, vt se, vel alium amicum instituat hæredem, aut legatarium: sicuti multoties viri inducunt vxores, vt ipsos hæredes faciant, eis blandiendo, & blanditijs, ac precibus alliciendo. Quod & faciunt mulieres respectu virorum; nec ob id peccare, aut esse restitutioni obnoxias aliquis dicet.

PUNCTUM IV.

De ijs, qui testamentum legitimè possunt facere.

Recẽsentur aliqui, de quibus *alibi* dicitur, posse, vel non, testari.

32 REgula generalis est, omnes posse testamentum condere, qui vel jure naturæ, vel positivo non prohibentur testamentum facere. Videndum modò est brevitèr, qui sunt isti. Et in primis pauperes, qui bona non habent, certum est testari non posse: quia nemo de alienis potest disponere. Sed illi, qui in bonis nihil habent, habere tamen possunt, vel sperant, possunt testamentum facere: quia per testamentum non solùm disponit homo de ijs, quæ habet; sed de ijs, quæ habebit tempore mortis, vel de jure, quod habet ad ea. De religiosis autem, quomodo testari non possint, diximus *tract.* 12. *cap.* 2. *num.* 186. De clericis verò sæcularibus posse testari, etiam de bonis ex redditibus ecclesiasticis provenientibus, ex consuetudine, diximus *ibi*, quamvis Episcopi non possint nisi de Pontificis facultate. De servis autem, non posse testamentum facere, constat ex leg. *Qui testamento domini*, leg. *Filius-familiàs* 2. *ff. de testamentis.* De prodigis constat ex dictis *hoc tract. cap.* 1. *n.* 34. non posse testari, quando illis à Iudice bonorum administratio interdicta est, quamvis valeat testamentum ante prohibitionem factum: & vtrumque habetur in leg. *Is cui, ff. de testament.* §. *Item prodigus*, Institut. *Quibus non est permissum facere testamentum.*

33 Igitur jure naturæ intestabilis est, qui vsu rationis caret: vel quia infans nondum vsum rationis nactus,

Quomodo amens, vel delirãs possit, vel non, testamẽtum facere?

natus, vel quia insanus, & amens perpetuus in omni materia: ita vt ad peccatum mortale non habeat sufficientem vsum rationis. Illi verò, qui in vna sola materia esset amens, & non in alijs, poterit testari, vt inquit Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 8. n. 23.* & qui non esset perpetuò amens, sed haberet lucida intervalla; pro eo tempore, quo vsum rationis haberet expeditum. In dubio autem, an tunc fuerit sui compos? In primis ex signis, & circumstantijs colligendum est: si enim ex ipsius actus qualitate, & recta, ac bona ordinatione ostendatur à sui compote factum esse; vel si longo intervallo post furiosus factus sit, præsumitur sana mente factum, vt docet Tapia *dub. 5. q. 21. art. 5. n. 2.* Vazq. *cap. 9. de testam. §. 1. dub. 8. n. 29.* Villalob. *tract. 30. diff. 10. n. 2.* Sanch. *num. 17.* Lugo *disp. 124. sect. 4. n. 63.*

Quid de ægroto delirante sit tenendum?

34 Denique loquendo de ægroto delirante, regularitèr notarius, & testes, qui assistunt testamento, testificari possunt, an in alijs materijs tunc temporis sanam mentem ægrotus ostenderet? Et eorum dictis standum erit. Et si de hoc non constet, sed dubitetur, an infirmus, vel alius habens lucida intervalla, tempore sanæ, vel insanæ mentis testamentum condiderit? Vazq. *loc. cit.* inquit, quòd si tempus erat furori vicinum, & verba aliquid illius indicant, præsumitur in furore factum; secus verò si verba sapiant cordatam mentem, nec testamentum conditum esset proximè post amentiam. Henriq. verò *lib. 11. de matrim. cap. 4. num. 3.* dicit, in dubio præsumi factum tempore sanæ mentis. Sanchez è contra, cum alijs, probat tempore furoris præsumi factum. Lugo verò asserit (& melius) videndum esse, an tempore magis vicino antecedenti, vel consequenti deliraret, quia ex hoc colligitur status illius temporis, qualis fuerit. Nam si immediatè antea delirabat, non præsumitur tunc mutatus, nisi probetur mutatio: si verò immediatè antea sanam mentem habebat, non præsumitur etiam mutatus, nisi probetur delirium.

Impubes testari non potest.

35 Impubes (hoc est, ante quatuordecim annos in viris, & ante duodecim in fœminis) testari nequit, etiamsi miles sit, leg. *Qua ætate, ff. qui testamentum, §. 1. Institut. Quibus non est permissum facere testamentum*, quia ante illam ætatem regularitèr non est perfectum judicium, etiamsi in aliquo malitia suppleat ætatem, & etiamsi testari velit ad pias causas, vt colligitur ex cap. *Licèt, de sepulturis in 6.* & tenet Villalob. *tract. 30. diff. 3. n. 1.* Anton. Gomez *leg. 3. Tauri, num. 2.* Tapia *lib. 5. cap. 21. art. 5. n. 1.* Sufficit tamen vltimum diem ad tempus pubertatis esse inchoatum, vt testamentum condere possit, ex leg. *A qua ætate, ff. Qui testamenta condere possunt.* Et ex concessione Principis etiam ante pubertatem testari posset, quia talis prohibitio est solùm ex jure humano quoad determinationem temporis. Lugo *disp. 24. sect. 4. n. 64.* Vazq. *de testam. cap. 9. §. 1. dub. 8.* Cæterùm si quis iam pubes factus est, quamvis curatorem habeat, potest testamentum condere, vt tenet communis sententia.

De quibus bonis possit filius-familiàs facere testamentũ?

36 Filiusfamiliàs iam pubertatem nactus testari potest de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus: de adventitijs verò testari non potest, etiam de consensu patris, nisi ad causas pias, patris interveniente voluntate, leg. *Qui in potestate 6. ff. Qui testamenta*, leg. *Nemo* 11. Cod. *eod. tit.* cap. *Licèt, de sepultur. in 6.* De adventitijs verò, quæ post clericatum sibi adveniunt, etiam sine patris consensu potest testari, tàm ad causas pias, quàm profanas: quia adventitia bona post clericatum advenientia fiunt quasi castrensia. Imò de ijs adventitijs, quæ ante clericatum acquisivit, etiam post clericatum testari non potest, sicut alij. Authent. *Presbyter.* Cod. *de Episcopis, & clericis*, leg. *Sacros* 32. Cod. *eod. tit.* ibi: *Ea, quæcumque in eodem clericatus gradu, locoque viventes acquirere, & habere potuerint, etiamsi in patris potestate constituti sint, tanquam bona propria vindicent. De his, si quando libitum fuerit; testandi, vel alienandi, vel donandi libera facultate concessa.* Vazq. *cap. 9. dub. 8.* Villalob. *n. 3. & 5.* Lugo *n. 67.* Less. *lib. 2. cap. 19. dub. 4. n. 29.* ¶ Sed in Castella potest filius pubes, etiam non clericus, testari de tertia parte bonorum adventitiorum: nam in alijs partibus est hæres necessarius, *leg. 5. Tauri*, hodie *leg. 3. tit. 4. lib. 5. Recompil. leg. 6. Tauri*, hodie *leg. 1. tit. 8. lib. 5. Recompil.*

Quomodo mutus, aut surdus possint testari?

37 Mutus, aut surdus testari possunt modo, quo disponitur in leg. *Discretis* 10. C. *Qui testamenta facere possunt.* Nimirùm, quòd si simul à nativitate est mutus, & surdus, nequit testari, aut codicillos facere, vel donationes causâ mortis: si verò non à nativitate, sed ex infirmitate sit simul mutus, & surdus, potest testari, codicillos facere, &c. si scribere sciat. Attamen si duntaxat surdus est, sive à nativitate, sive ex morbo, ea omnia facere potest, etiamsi scribere nesciat. Si verò mutus sit, & non surdus, testari, codicillum facere, & donare causa mortis poterit; si sciat scribere, sive mutus sit ex morbo, sive à nativitate. Dian. *4. p. tract. 6. resol. 23.* cum alijs ab ipso relatis. Molin. *disp. 136.* Lugo *disp. 24. sect. 4. num. 68.* Qui advertunt, mutum ex morbo, etiamsi scribere nesciat, codicillos condere posse, quia fideicommissa, ac legata nutibus facta valent, & in hoc casu fallere illam regulam. *Quòd non potest facere codicillos, qui testari nequit.*

Qui fiant inhabiles ad testãdum ob delictum?

38 Deinde testari nequeunt, qui aliquod crimen commiserunt, cui annexa est pœna faciens eos ipso facto intestabiles. Et intelligitur post sententiam saltem declarativam criminis (quidquid sit, an ea posita, talis inhabilitas retrotrahatur ad tempus commissi delicti.) Et isti sunt primò, qui Cardinalem hostilitèr insecuti sunt, vel eum cœperunt, vel percusserunt, & qui ad hoc fuerunt cooperati, cap. *Felices, de pœnis in 6.* Secundò hæretici, leg. *Manichæos* 4. Cod. *de hæreticis.* Tertiò, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, si intra annum non satisfecerint: Authent. *Credentis*, Cod. *de hæreticis.* Quartò, qui damnatus est ob libellum famosum, leg. *Is cui* 18. *§. Si quis, ff. Qui testam.* Quintò, damnati ad mortem naturalem, vel civilem (vt ejecti in exilium perpetuum, & damnati ad perpetuos carceres) testari non possunt, nisi ad pias causas, vt testatur Sylvest. *testament. 1. q. 3.* Less. *lib. 2. cap. 19. num. 49.* & constat ex leg. *Eius qui, §. Sed cui, ff. de testament.* leg. *Qui vltimo, ff. de pœnit.* Sed istæ leges hodie pluribus in locis sublatæ sunt; & ideò testari possunt omnes damnati ad mortem, quorum bona non sunt confiscata, vt tenet Tapia *lib. 5. q. 21. art. 5. num. 4.* Malder. *in præsenti, tract. 1. cap. 11. dub. 3. §. penult.* Dian. *4. p. tract. 3. resol. 120.* Vazq. *cap. 9. §. 1. dub. 1. & seq.* Villalob. *tract. 30. disp. 10. num. 6.* Molin. *tom. 1. tract. 2. disp. 9.* Et hoc præcipuè currit in Hispania, cuius leges id expressè decernunt, *leg. 3. Tauri*, hodie *leg. 4. titul. 4. partita 5.*

39 Vsurarius notorius testamentum validè condere nequit, vt constat ex cap. *Quamquam, de vsuris*

vſuris in 6. Ex quo capite colligunt Doctores, nec facere poſſe codicillos, aut donationes cauſa mortis; alitèr fraus legi fieret, vt tenet Vazq. *dict. cap. 9. §. 1. dub. 8. n. 32.* Molin. *tom. 2. diſp. 334.* Lugo *diſp. 24. ſect. 4. n. 70.* Sed dicta pœna non incurritur (vt in citato cap. *Quamquam* habetur) ſi vſurarius promiſit ſatisfacere, vel cautionem præſtitit creditoribus, vel, eis abſentibus, Rectori parochiæ, in qua habitat, coram aliquibus teſtibus de eadem parochia, & de licentia Ordinarij. ¶ Et habet locum prædicta pœna, tametſi vſurarius notorius à tali exercicio deſiterit, ſi non præſtitit prædictam ſatisfactionem, vel cautionem ante mortem, etiamſi teſtamentum factum fuerit ante vſuras; nam teſtamentum mortis tempore confirmatur: è contra verò, ſi conditum fuerit ante ſatisfactionem, vel cautionem, convaleſcit, præſtita poſteà cautione, vel ſatisfactione, vt tenet Lugo *dict. ſect. 4. n. 71.*

Vſurarius notorius nequit teſtamentũ cõdere.

40 Commendarij Alcantaræ, Calatravæ, D. Iacobi (qui poſſunt nubere, eo quòd ſolùm caſtitatem conjugalem profiteantur) teſtari poſſunt, quia dominium habent ſuorum bonorum, & ideò de illis diſponere poſſunt. Sed Commendatores D. Ioannis (vt conſtat ex quodam motu Pij V.) nequeunt teſtamentum condere, vt tenet Molin. *tom. 1. diſp. 141.* Villalob. *tract. 30. diff. 10. n. 13.* ¶ Denique novitij, & novitiæ ante ingreſſum religionis (& etiam poſt ingreſſum intra annum novitiatus) poſſunt de ſuis bonis facere teſtamentum. Authent. *Nunc autem*, Cod. *de Epiſcopis, & Clericis.* Nec ad hoc indigent licentia Prælati, vt inquit Covar. *cap. 2. de teſtament. n. 1.* Nec ad hoc requiritur licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij; ſiquidem Concilium Tridentin. *ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 16.* vbi talem licentiam exigit, hoc ſolum eſt ad obligationes aliquas, vel renuntiationes faciendas; non autem loquitur de teſtamentis, quæ revocari poſſunt, quando eis placuerit ante profeſsionem, vt conſtat ex declaratione quadam Cardinalium, quam affert Farinac. *ad dictum cap. 16. Concilij*, verſ. *Nulla, quoque.*

Qui Commendatarij poſsint teſtari?

PUNCTUM V.

De ijs, qui poſſunt, vel non, inſtitui hæredes, vel legatarij in teſtamentis.

41 POſtquam egimus de ijs, qui poſſunt, vel non, teſtari activè, reſtat agamus de ijs, qui paſsivè teſtari non poſſunt, ſeu inſtitui hæredes, vel legatarij in teſtamentis. Quorum aliqui inhabiles fiunt ob delicta propria, alij ob delicta parentum, vt ſunt filij illegitimi: niſi enim ob alicuius delictum nemo ſit inhabilis ad hæreditatem, vel legatum, ſive puer, ſive amens, ſive Civitas, ſive Monaſterium, Collegium, &c. De Religioſis verò, quomodo ob votum paupertatis poſsint, vel non, inſtitui hæredes, aut legatarij, vel ſuccedere ab inteſtato, vel in communi, vel in particulari, & de diſcrimine quoad hoc inter diverſos Ordines, late egimus *tract. 12. de juſtit. & domin. cap. 2. à num. 186.* quæ videri debent. Nunc, vt clarius circa materiam huius Puncti procedamus, diverſis §§. eam dividemus.

Omnes, qui ex delicto nõ fiunt inhabiles, inſtitui poſſũt hæredes.

*** *** *** ***

§. I.

De ijs, qui non poſſunt inſtitui hæredes, vel legatarij ex delicto.

42 DUplex datur regula generalis circa hoc. Prima, quod omnes, qui non fuerint à jure expreſsè inhabiles facti ad hæreditatem, vel legatum, poſſunt inſtitui legatarij, aut hæredes, ſive fuerit perſona particularis, ſive civitas aliqua, Villa, Caſtrum, Collegium, Monaſterium, aliave communitas, *leg. 1. C. de ſacroſanctis Eccleſijs*, leg. *Omnibus, ff. ad Trebellianum, leg. 2. tit. 3. p. 6.* Niſi dicta civitas fuerit inimicorum, quæ in dict. leg. *Omnibus*, ab hæreditate, & legato excluditur: vel niſi eſſet civitas Iudæorum, vel Mahometanorum, etiam in noſtris provincijs ſita; quæ ſimul excluditur, *leg. 1. Cod. de Iudæis.* Excommunicati verò poſſunt & teſtari, & inſtitui hæredes, vt omnes docent, quia nullo jure ſunt excluſi. ¶ Secunda regula eſt, quòd quicunque ex ſua culpa eſt inteſtabilis activè, id eſt, quod non poteſt teſtari; eſt inteſtabilis paſsivè, hoc eſt, non poteſt ex teſtamento, vel codicillo aliquid recipere, quia teſtamentum condere, & ex teſtamento aliquid recipere, ſunt quaſi correlativa; & ideò cui ob ſuum crimen vnum prohibetur, etiam aliud, vti ex ſententia communi probat Iulius Clarus, *§. Teſtamentum, q. 34. n. 2.* Gomez *ad leg. 4. Tauri, n. 4.* Leſſ. *lib. 2. cap. 19. dub. 5. n. 53.* Villalob. *tract. 30. diff. 12. n. 4.* Tapia *lib. 5. q. 21. art. 7. n. 1.* Fr. Martin. à S. Ioſeph, *lib. 2. de teſtam. tract. 14. n. 7.* Undè quia damnatos ad mortem civilem, vel naturalem diximus *punct. præced.* eſſe ex jure communi inteſtabiles activè, licèt ex jure hiſpano teſtari poſsint: ſimilitèr poſſunt inſtitui hæredes, vel legatarij ex jure hiſpano, non ſic ex jure communi.

Duplex regula generalis ad cognoſcendũ, qui ex delicto nequeant eſſe hæredes, vel legatarij.

43 Ex ſecunda regula modò poſita infertur, quod omnes, quos *punct. præced.* diximus ob delictum non poſſe teſtari, nec etiam poterunt inſtitui hæredes, vel legatarij. Quarè nec percuſſores, aut inſecutores Cardinalium, illorumve fautores, ex cap. *Felicis, de pœnis in 6.* nec hæretici, vel apoſtatæ, *ex leg. vltim.* leg. *Manichæos*, Cod. *de hæreticis, leg. 3. De apoſtatis*: nec eorum fautores, receptatores, &c. niſi intra annum pœnitentiam agant, *ex Authent. Federici Imperatoris*, Cod. *de hæreticis*, cap. *Excommunicamus 1. eodem tit.* & jure regni nequeunt inſtitui hæredes, vel legatarij, ſicut neque Iudæi, vel Mahometani. Et ſi fiant, devolvitur hæreditas ad hæredes ab inteſtato *leg. vltim. titul. 6. part. 6.* Et ex jure canonico nullus clericus poteſt hæreticum, vel paganum (quo nomine omnis infidelis intelligitur) etiam conſanguineum, inſtituere hæredem, vel legatarium, ex cap. *Si quis Epiſcopus, &* cap. *In eos, de hæreticis*, & anathematizari præcipiuntur poſt mortem, ſi fecerint.

Qui nequeunt teſtari ob delictum, neque hæredes inſtitui poſſunt.

44 Præter iſtos caſus, dantur alij. Primus, quando teſtatorem occidit hæres, vel legatarius; qui eo ipſo excluduntur à bonis defuncti, *leg. vltim. §. vltim. ff. de bonis damnatorum*; ſed cum hoc diſcrimine, quod legatum cenſetur revocatum, devolvique ad hæredem defuncti, vt tenet Sanchez *conſil. lib. 4. cap. 1. dub. 38. num. 7.* Lugo *diſput. 24. ſect. 5. num. 77.* Molin. *diſp. 112. §. Tacitè. verò.* Et idem aſſerunt Molin. & Lugo, ſi

Si hæres, vel legatarius teſtatorem occidant, bonis illius privantur.

ſi poſt legatum factum ingratitudinem notabilem, vel gravem inimicitiam habeat legatarius erga teſtatorem, quia ad revocandum legatum minùs requiritur, quàm ad revocandum hæreditatem, & ideò in conſcientia tenetur legatarius legatum non admittere, vel acceptatum reſtituere. Hæreditas autem in caſu occiſionis teſtatoris pertinet ad fiſcum, cui applicatur propter delictum hæredis, vt conſtat *ex l. vlt. ff. de bonis damnator.* Et tenent plures Doctores, quos adducit Sanch. *n.* 4. & eam tenent Molin. *diſp.* 178. *in princip.* Lugo *n.* 75. Vndè inferunt, hæredem interfectorem non eſſe incapacem hæreditatis, ſed poſſe eam retinere. Quod enim applicatur fiſco, eſt quia hæredi indigno aufertur; atque adeò in pœnam, quæ ante ſententiam non debetur. Et idem eſt dicendum de alijs caſibus, in quibus ob pœnam criminis hæres, vel legatarius privantur bonis defuncti, quin devolvatur hæreditas ad hæredes ab inteſtato, quod, cùm ſit pœna, & non inhabilitas, non tenetur hæres, vel legatarius reſtituere illis ante Iudicis ſententiam. Trullench. *lib. 2. cap. 18. dub. 6. n.* 1. Leſſ. *lib. 2. cap. 19. dub. 5. n. 52.* Sanch. *in ſum. lib. 2. cap. 14. num.* 31. à Sanct. Ioſeph, *lib. 2. tract. 14. num. 6.*

Qui prohibet teſtamentum facere, vel factum revocare, arcetur ab hæreditate, & legato.

45 Secundus caſus, quo legatarius arcetur à legato, & hæres ab hæreditate, eſt, quando teſtatori prohibuit teſtamentum facere, aut factum revocare. Et tunc aufertur ei hæreditas, & legatum, & datur fiſco, vt diximus *n.* 44. Sed tunc (vt ibidem diximus) ante ſententiam ijs reſtituere tenetur, quorum intereſt teſtamentum fieri, vel revocari, propter damnum illatum. ¶ Tertius caſus eſt, quando hæres acceſſit ad vxorem teſtatoris: & tunc ab eo aufertur hæreditas, vt ab indigno, & applicatur fiſco. Et licèt dubium ſit in hærede, quoad hoc, in legatario tamen certum eſt, *ex leg. 1.* leg. *Si inimicitiæ, ff. de ijs, quibus vt indignis*, Molin. *diſp.* 178. & 212. Lugo *diſp. 24. ſect. 5. n.* 79. apud quos alij caſus videri poterunt.

Legatum valet in teſtamento, in quo hæres incapax inſtituitur.

46 Sed hìc notandum eſt, quod licet teſtamentum, in quo inſtituitur hæres incapax hæreditatis, ex jure communi ſit nullum, ita vt hæreditas, & legata devolvantur ad hæredem ab inteſtato, jure tamen regni legata ſunt valida, & ea tenetur ſolvere hæres ab inteſtato, *l. 1. tit. De los teſtamentos, lib. 5. Ordinament.* Gomez *ad leg. 24. Tauri, n. 1.* Tapia *lib. 5. q. 21. art. 7. num. 6.* Villalob. *tract. 30. diff. 12. num. 21.*

§. II.

De filiorum illegitimorum diverſitate, & obligatione parentum omnibus alimenta tribuendi.

Qui dicantur filij naturales?

47 OB crimen parentum eſt aliud caput, quarè filij ab hæreditate illorum arceantur: ideòque priùs videndum nobis eſt, quot ſint genera filiorum, qui ex culpa parentum geniti ſunt; & quam habeant patres obligationem eos alendi? Vt poſteà videamus, qui filij ſint incapaces ſuccedendi in eorum bonis. Igitur præter filios legitimos (qui ſunt illi, qui ex legitimo matrimonio ſunt nati, vel ſaltem ex matrimonio, vt legitimo reputato, vel denique qui quamvis ſint ante illud habiti, ſunt legitimati per matrimonium ſubſequens) duo ſunt genera filiorum illegitimorum (ad quæ alia, quæ à Iuriſtis recenſentur, reducuntur.) Aliqui dicuntur *naturales*, & ſunt illi, qui nati, vel geniti ſunt à parentibus, qui inter ſe contrahere poterant, quia nullum tempore conceptionis habebant impedimentum dirimens. Et non obſtat, quod impedimentum ſolùm haberent impediens, nimirùm votum ſimplex caſtitatis, quia ſolùm dirimens impedimentum inter parentes tollit à filijs, quod ſint naturales. Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp.* 38. *n.* 3. Lugo *diſp. 24. ſect. 3. n. 83.* Leſſ. *lib. 2. cap. 19. dub. 6. n. 55.* Dicaſtill. *lib. 2. tract. 19. diſp. 1. num.* 131. Vndè filij Equitum Alcantaræ, Calatravæ, & D. Iacobi, qui poſſunt nubere, ſunt filij naturales; ſecus verò filij Equitum D. Ioannis, qui per profeſſionem habent impedimentum dirimens matrimonium. Emman. Rodrig. *tom. 1. ſum. in 2. edit. cap. 132. n. 1.* Gutier. *pract. quæſt. q. 111.* Martin. à S. Ioſeph, *lib. 2. tract. 24. n. 10.* Et naturales filij, ſequuto matrimonio, legitimantur.

Qui dicantur filij ſpurij, & ex concubitu damnato?

48 Alij dicuntur filij ſpurij, & ſunt illi, qui à parentibus aliquo impedimento dirimente irretitis geniti ſunt, vt ſi eſſent conſanguinei intra quartum gradum; ſi altèr eorum ſit in matrimonio; ſi conſtitutus in ſacris, ſi Religioſus profeſſus, &c. & horum aliqui dicuntur geniti ex damnato concubitu. Et licèt ſecundum jus antiquum illi dicerentur ex damnata copula orti, quando talis puniebatur in foro externo; modò *ex leg. 9. Tauri*, hodie *lex 8. tit. 8. lib. 5. Recompil.* illi dicuntur ex damnata copula, ob quam impoſita eſt matri pœna mortis. Et eſt in his caſibus. Primò, quando mulier rem habuit cum proprio ſervo, *leg. 1.* Cod. *de mulierib. quæ proprio ſervo ſe conjunxerunt.* Secundò, quando ſimul cum adulterio inceſtus committitur, quia ob hoc duplex crimen pœna mortis plectitur mater, leg. *Si adulterium cum inceſtu, ff. de adulteriis.* Tertiò, quando filius naſcitur ex copula habita à muliere cum aſcendentibus, & deſcendentibus, *leg. 11. tit. 13. part. 6. leg. 3. tit. 18. part. 7.* Quæ leges, licèt etiam loquantur de copula habita cum conſanguineo intra quartum gradum, receptæ non ſunt, niſi quando eſt cum aſcendentibus, vel deſcendentibus; & quando cum alijs conſanguineis, pœna arbitraria inceſtuoſi puniuntur. Avendañ. *reſp. 7. n. 2.* & 3. Gom. *ad leg. 8. Tauri, num. 15.* & *leg. 9. num.* 14. Greg. Lop. *leg. 11. tit. 13. part. 6.* verſ. *Natus ex damnato.*

Alij caſus, in quibus eſt filius ſpurius ex damnato cõcubitu.

49 Quartò, quando filius oritur ex Chriſtiana, & Iudæo, vel Mahometano, *leg. 9. tit. 22. part. 7.* & *leg. final. tit. 25. part. 7.* Quintò, ponunt aliqui, quando filius naſcitur ex ſimplici fornicatione inter famulum, & filiam, conſanguineam, vel famulam virginem, quam dominus habebat in domo, *ex leg. 6. tit. 20. lib. 8. Recompil.* vbi præcipitur, quod mulier delinquens tradatur domino, vt occidat eam, ſi voluerit. Sed quia abſolutè lex non imponit pœnam mortis, ſed dat domino facultatem, vt ſi voluerit, eam occidat (poſt ſententiam Iudicis) & quia agimus in materia pœnali, quæ non eſt extendenda; alij dicunt, non eſſe illum coitum damnatum. Tello *leg. 9. Tauri, num. 8.* Matienzo, *lib. 5. Ordinament. titul. 8. leg. 7. gloſſ. 11. num. 5.* Idem dicunt aliqui de adulterio habito à muliere nupta, ob quod non punitur pœna mortis mater abſolutè; ſed quòd, ſi accuſata à marito adulterium probetur, tradatur illi, vt occidat eam, ſi voluerit, *leg. 1. tit. 20. lib. 8. Recomp.* Paul. de Caſtro, *leg. Accuſa-*

cusationis, C. *quod metus causa*. Et inclinat Perez *lib.* 8. *ordin. tit.* 15. *leg.* 2. Quamvis alij probabiliter dicant, filium ex tali adulterio conceptum, esse ex damnato concubitu, quia potest mulier occidi à marito promissione juris (post judicis sententiam) Ita tenent Tello, *leg.* 9. *Tauri*, *à n.* 9. Matienz. *supr. n.* 7. 8. *&* 9. Roxas *in Epitom. succession. cap.* 26. *n.* 29. Menchac. *de succeff. creat.* §. 10. *n.* 493.

Debent parentes etiam spurijs præbere alimẽta.

50 Quibus suppositis, asserendum est, parentes teneri alimenta omnibus filijs præbere, etiam spurijs, etiam ex damnato concubitu natis; etiam si pater sit Sacerdos, aut mater Monialis. Sunt enim debita talia alimenta jure naturæ, si aliundè filij nequeant sustentari, vt inquit D. Thom. *in* 4 *dist.* 41. *q. vnic. art.* 3. *q.* 2. quia de jure naturæ parentes filijs necessaria præbere tenentur. Vndè meritò ius Canonicum *in cap. Cùm haberet, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adult.* correxit ius civile, negans talia alimenta spurijs; & præcepit, vt pater det etiam filio spurio alimenta. ¶ *Ex leg. Autem* 9. *Tauri*, hodie *leg.* 1. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recompil.* possunt parentes filio, etiam spurio quintam partem bonorum suorum dare pro alimentis; de qua parte pro anima possunt disponere. Et quod id pater potest legare, vel donare filio spurio, quamvis aliàs filius ditissimus sit, tenet Covar. 4. *Decret al.* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *n.* 10. Greg. Lop. *leg.* 10. *tit.* 13. *vers. Heredar*, & probabile dicit Fr. Martin. à S. Ioseph, *tract.* 28. *n.* 10. sed alij verius id negant; sed hanc quintam partem dicunt, solùm posse legare, aut donare parentem filio spurio, quando non habet aliundè alimenta, vel officium personæ condignum, ex quo sine dedecore possit victum quærere, quia hæc concessio solùm est ad indigentiam naturæ, & quando tenetur pater filium alere. Matienz. *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *leg.* 8. *gloss.* 1. *n.* 13. Tello *l.* 10. *Tauri*, *n.* 6. *&* 7. Gutier. *lib.* 10. *practicar. qq. q.* 110. Sanch. *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 31. *num.* 2. Lugo *disp.* 24. *sect.* 7. *num.* 121.

Quæ alimenta debeat pater filijs exhibere?

51 Alimenta, quæ jure naturæ tenetur pater cuicumque filio præstare, debent esse juxta conditionem status, & dignitatem personæ, vt colligitur, *ex leg. Sed & si quid*, §. *Sufficientes*, *ff. de vsufructu.* Vndè debet dare necessarium ad victum, vestitum, habitationem, medicinam, sumptus funeris, & aliquas Missas. Debet etiam alere vxorem filij, liberos eius, servos, ancillas, juxta eius indigentiam, & dignitatem; & si ad hoc non sufficiat quinta pars bonorum, amplius debet donare, vel legare illi, & quod decenter requiritur, vt secundum suum statum degat. Et filiam spuriam dotare debet, etiamsi pater sit Sacerdos, quia dos succedit loco alimentorum, Sanch. *cap.* 3. *dub.* 34. *n.* 2. Tap. *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 8. *n.* 14. Covar. *supr. n.* 7. Sylvest. *verb. Filij*, *q.* 4. *dict.* 5. Prad. *tom.* 2. *cap.* 29. *q.* 13. Dicast. *lib.* 2. *tract.* 19. *disp.* 1. *n.* 340. Lug. *n.* 123. Less. *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. *n.* 67. Tello *leg.* 10. *Tauri*, *n.* 2. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tr.* 28. *n.* 5. Quæ intelliguntur, nisi filius aliundè habeat, vnde sibi hæc providere possit.

Non est cogendus filius illegitimus indecẽtèr vivere.

52 Vndè colligitur, non esse cogendum filium illegitimum, etiam spurium, ad vivendum arte, vel labore suo, quando id dedecus esset filio, attenta conditione personæ; nec posse patrem eum ponere in aliquo orphanorum collegio, vel alia pauperum domo, quando id indecorum esset, vel patri, vel filio, nisi fortè ipse pauper esset, & nisi res esset occulta, & aliàs timeatur infamia. Tunc enim ad tempus exponi posset ad aliquod Hospitale, vitandæ infamiæ causa: nam etiam ad similes casus hospitalia quædam sunt creata. Tenetur tamen tunc parens Hospitali illi compensare sumptus, etsi non rigore justitiæ, propter ea, quæ diximus *tract. præc. cap.* 3. *n.* 29. ex decentia tamen, & gratitudine.

Avi in defectum parentum, debẽt filijs alimenta præbere.

53 Non solùm parentes filios quoscumque legitimos debent alere, sed etiam avi in defectum parentum, sive nepotes sint filij ex patre, sive ex matre, quia etiam jure naturæ avi tenentur de necessarijs providere filijs filiorum suorum. Et sicut ius canonicum correxit ius civile prohibens parentibus alimenta præbere filijs spurijs, quia est de jure naturæ eis de necessarijs providere; sic correxisse censendum est illa jura, in quibus solùm parentes adstringebantur alere filios filiarum, non filiorum suorum, quia istorum non erat certum esse filios, sicut illarum. Gom. *l.* 9. *Tauri*, *n.* 38. *fin.* Molin. *tom.* 1. *disp.* 168. *n.* 4. Fr. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 28. *n.* 11. ¶ Et eodem modo, quo parentes tenentur filios, & nepotes, sic filij etiam spurij, & nepotes in defectum illorum, tenentur alere parentes, & avos, si pauperes sint, & non habeant vndè sibi de necessarijs possint providere: & ad hoc debent cogi à judicibus, *l. Si quis à liberis, in princip. ff. de liber. agnoscend. l. vlt.* §. *Ipsum autem*, C. *de bonis, quæ liberis.* ¶ Et etiam hæredem patris teneri alimenta præstare spurio, cui pater alimenta non dedit, cùm subeat omnia onera ex justitia, & obligationes defuncti, tenet Lug. *disp.* 24. *sect.* 7. *n.* 125. Covar. *cap.* 8. §. 6. *n.* 14. Vazq. *de testam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 16. *&* 17. Id tamen non est vsquequaque certum; multi enim asserunt ex pietate, non ex justitia, patrem filios alere debere. De quo alibi.

Nisi cognoscãtur filij, eos alere non tenetur pater.

54 Sed hic duo notanda sunt. Primum, patres non teneri prædicta alimenta filijs præbere, sive naturales sint, sive spurij, nec ipsi filij eorum judicantur quantum ad successionem, vel alia, quandiù pater eos non agnoscit, *l.* 11. *Tauri*, hodie *l.* 9. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recomp.* Sed semel à patre cogniti, licèt posteà eos neget, sui censendi sunt, vt inquit Gom. *ad dict. leg.* 11. *Tauri*, *n.* 1. *&* 2. Sanch. quem refert, & sequitur Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tr.* 24. *n.* 6. Villalob. *tr.* 30. *diff.* 13. *n.* 2. Qui dicunt, quod si ex vnica concubina filius sit natus, quam pater domi habebat, quamvis non sint cogniti ab eo, sui censendi sunt, si sit publicum illo tempore domi talem concubinam habuisse, & non constet ipsam eo tempore cum alio esse commixtam, *ex cap. Per tuas, de probat.*

Quando pater, quando mater dicta alimenta filijs teneantur dare?

55 Secundò notandum est, quod dicta alimenta, transacto primo triennio, tenetur pater filio præbere, donec sua industria possit sustentari: primo autem triennio tenetur mater ea præbere, vel per seipsam nutriendo, vel lac præbendo, vel proprijs sumptibus, si possit, *leg. Nec filium*, C. *de patria potestate*, *cap. fin. de convers. Infidelium*, Covar. 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 8. §. 5, *n.* 19. Less. *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 70. Molin. *disp.* 169. §. *Mater*, Tap. *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 8. *n.* 15. Sed hoc intellige quantum ad obligationem lactis, seu lactandi eum duntaxat: cæteri enim sumptus necessarij, etiam in illo primo triennio, debent à patre exhiberi. Et si aliquid ex ijs, quæ pater tenebatur dare, mater consumpserit, à patre exigere potest, qui tenebitur compensare ea, non solùm in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ, *leg.* 3. *titul.* 19. *partit.* 4. Navar. *in Manual. cap.* 14. *num.* 17. Idem Covar. *in epitom. p.* 2. *cap.* 8. §. 6. *à num.* 13. quos affert, & sequitur Martin. à S. Ioseph, *n.* 13. Cæterùm si pater moriatur, succedit in integrum

grum in obligatione filios alendi ipsa mater: leg. *Si quis à liberis, ff. de liber. agnoscend.* Et si ipsa non possit, succedunt in tali obligatione avi, & proavi, & primo loco avi ex parte patris, & in eorum defectum avi materni.

§. III.

Quomodo parentibus succedere possint filij naturales, & spurij?

Quod dicitur de filijs respectu parentum, idem de parentibus respectu filiorum.

56 QVdquid hoc §. dictum fuerit de filijs, & alijs descendentibus respectu parentum, idem cum proportione intelligendum est de parentibus, & alijs ascendentibus respectu filiorum; ita quod in ea parte, in qua filij naturales, vel spurij succedere possunt parentibus, sive ex testamento, sive ab intestato, in ea possunt parentes succedere filijs, sive naturalibus, sive spurijs. Molin. *tom. 1. tract. 2. disp. 16. col. 8.* Tapia *lib. 5. q. 21. art. 8. n. 4.* Gomez *ad leg. 9. Tauri, n. 8.* Villalob. *tract. 30. diff. 13. n. 9.*

Filij naturales matri succedunt.

57 Igitur agendo de filijs comparatione ad matres, jure communi filij naturales succedunt matri ab intestato, quamvis essent alij filij legitimi; ita vt ex æquo ad omnes talis hæreditas pertineret: leg. *Si qua illustris, C. ad Senat. Consult. Orficianum.* Aliqui limitant, si mater non esset illustris: alij talem limitationem non admittunt. Lege autem nostri regni, si mater non habeat filios legitimos, succedunt naturales, tàm ex testamento, quàm ab intestato: & ideò habent actionem de inofficioso testamento, si mater præterierit eos. At si mater filios habeat legitimos, nec ex testamento, nec ab intestato succedunt naturales; poterit tamen quintam partem eis relinquere, sicut alijs extraneis. Salon. *tom. 1. de justit. q. 5. de domin. art. 5. concl. 2.* Gom. *ad leg. 9. Tauri, n. 9.* Tap. *lib. 5. q. 21. art. 8. n. 11.* Covar. 4. *Decret. cap. 8. §. 4. n. 16.* Villalob. *tract. 30. diff. 15. n. 10.* à S. Ioseph, *lib. 2. tract. 24. n. 16.*

Filius illegitimus absque culpa matris habitus, cum legitimis æqualitèr succedit illi.

58 Sed hic nota, quod si mulier absque culpa sua filium suscipit, vel naturalem, vel spurium, quia nimirùm, vel vi oppressa est, vel fraude cognita ab alio, quem bona fide putabat suum esse maritum; tunc filius, sive naturalis, sive spurius, etiam ex damnato coitu, succedit tàm ex testamento, quàm ab intestato simul cum alijs filijs legitimis: quia negare successionem est pœna imposita in odium, & detestationem delicti parentum; sed hic nulla intervenit culpa ex parte matris: ergo non est, cur ipsius filio successio materna denegetur. Sic Molin. *disp. 167.* Villalob. *supr. n. 23.*

Nisi sint legitimi, spurij, succedunt matri.

59 Filius spurius, nisi sit ex damnato concubitu, succedit matri, tàm ex testamento, quàm ab intestato, nisi filios legitimos habeat, ex jure communi (in quo est dubium inter Authores) sed jure Regni est certissimum, quia ita habetur, *leg. 3. tit. 21. p. 4.* vbi Gregor. Lop. *vers. Los de la madre.* Quo sensu explicat *leg. 22. ordinam. & l. 9. Tauri*, hodie *leg. 8. tit. 8. lib. 5. Recompil.* Quem sequuntur Villalob. *tract. 30. diff. 13. n. 22.* Tap. *lib. 5. q. 21. art. 8. n. 12.* Covar. 4. *Decretal. 2. p. cap. 8. §. 5. n. 20.* à S. Ioseph, *tract. 26. n. 3.* quia pro contraria sententia (quam tenent plures Doctores) non est textus expressus: & cùm sit rigor, non est ampliandus, sed restringendus. Vnde inferunt prædicti Authores, filium solutæ, & Clerici succedere matri, quæ non habet legitimos, quia talis concubitus non est damnatus (& hoc verum est, etiamsi ascendentes legitimos habeant, *ex dicta leg. 9. Tauri*) secus verò, si filius esset habitus à Clerico ex consanguinea, vel ex muliere nupta, vel ex ea, quam vt publicam concubinam domi habebat, quia cum istis concubitus est prohibitus, & punibilis, *ex l. 1. & 2. tit. 19. lib. 8. Recomp.* & in casibus, in quibus diximus *n.* 48. filium esse ex damnato coitu, quia tunc filius spurius nec succedit matri ab intestato, nec potest ab ea institui hæres, vel legatarius; poterit tamen quintam partem illi relinquere, quam potest pro anima sua applicare, *ex leg. 9. Tauri*, Villalob. Covar. & à S. Ioseph. At si mater filios, vel alios descendentes legitimos habeat, non potest quidquam spurio, etiam ex non damnato concubitu, relinquere, nisi ad summum quintam partem, qua pro anima sua potest applicare; vt constat ex dictis legibus, & tenent prædicti Authores. Sed posse retinere spurium ea, quæ mater ipsi relinquit, donec per judicem privetur (modò notabilitèr non noceat liberis legitimis) tenet Emmanuel, & Henriq. quos, & alios suppresso nomine citat Less. *lib. 2. cap. 79. dub. 6. n. 66.* Quod non esse improbabile, ipse dicit, & probat.

In quo possit filius naturalis succedere patri?

60 Loquamur modò de filio illegitimo, per comparationem ad patrem. Quamvis jure antiquo filius naturalis non posset in aliquo succedere parenti ab intestato, etiamsi legitimos non haberet, *leg. Humanitatis, C. de naturalibus liberis*: jure tamen novo communi potest succedere filius naturalis parenti non habenti legitimos in duabus vncijs, hoc est, in sexta parte bonorum, dummodò vxorem pater non habeat; ne videlicèt ipsa, aut erubescat, aut invideat, cernens filios mariti à se non genitos partem substantiæ viri reportare. *Authent. licèt. vers. Ab intestato, C. de natural. liber.* Sed jure novo Castellæ, etiamsi pater vxorem habeat, succedit filius naturalis in dictis duabus vncijs, *leg. 8. tit. 73. partit. 6.*

Quid possit pater relinquere filio naturali, si filios legitimos habeat?

61 Pater, qui filios non habet legitimos, vel descendentes, ex jure communi, & antiquo Hispano potest ex testamento omnia bona sua relinquere filio naturali, *dict. Authent. licèt, & leg. 10. Tauri*; hodie *l. 8. tit. 8. lib. 5. Recompil.* & hoc etiamsi habeat legitimos ascendentes. Et ideò dicitur *in dict. leg. Tauri*: *Pero si el tal hijo fuere natural, y el padre no tuviere hijos, ò descendientes legitimos; ordenamos, q̃ el padre le pueda mandar justamente de sus bienes todo lo que quisiere, aunque tenga ascendientes legitimos.* Si tamen pater habeat descendentes legitimos, ex jure antiquo, & communi Hispaniæ non poterit, relinquere naturali, nisi vnam vnciam, id est, duodecimam partem suorum bonorum. Sed modò *ex l. 8. Tauri*, hodie *leg. 7. tit. 7. lib. 5. Recompil.* potest ei quintam partem suorum bonorum relinquere, de qua potest pro anima disponere. Cæterum filius naturalis actionem non habebit de inofficioso testamento, etiamsi pater ei nihil relinquat, vt docet Covar. 4. *Decret. cap. 8. §. 4. n. 16.* Villalob. *tract. 30. diff. 13. n. 11.* Et quod dictum est *hoc & præced. num.* de naturalibus filijs, idem sentiendum est de filijs filiorum naturalium respectu avorum, sive nepotes sint legitimi, sive naturales filij, filij naturalis. Gom. *ad l. 10. Tauri, n. 7.* Villalob. *diff. 13. n. 8.* Tapia *l. 5. q. 21. art. 8. n. 4.*

Filius spurius nihil à patre, præter alimenta potest suscipere.

62 Filius spurius nihil præter alimenta potest de bonis patris recipere, sive per viam testamenti, sive ab intestato, sive donatione inter vivos, sive alio modo; etiamsi legitimos liberos non habeant.

brant. Authent. *Licèt.* Cod. *de natural. liber. Novell. 74. cap. 6. leg. Si quis incerti.* Cod. *de incertis nuptijs, leg. Regia 16. tit. 13. p. 6.* (quamvis possit quintam partem bonorum ei relinquere, de qua potest disponere pro anima, ex jure Regni novo, *leg. 9. Tauri*, hodie *leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recompil.*) Et ideò si pater aliquid præter alimenta donet, aut relinquat filio spurio, deberet spurius in conscientia illud hæredibus, seu dominis restituere ante Judicis sententiam, quia per istas leges, quæ justæ sunt, & sic in conscientia obligantes, efficitur spurius incapax quidquam à parente recipiendi. Sic Less. *lib. 2. cap. 19. dub. 6. n. 58.* Villalob. *tract. 30. diff. 13. num. 13.* Dicast. *lib. 2. tract. 19. dub. 1. n. 333.* Tapia *lib. 5. q. 21. art. 8. n. 5.* Bañ. *2. 2. q. 62. de dominio, art. 7. fol. 151.* Sanch. *consil. lib. 4. cap. 3. dub. 19.* Lugo *disp. 24. sect. 6. n. 92.* Martin. à Prado *tom. 2. cap. 29. q. 6. num. 14.*

Spurius ab avo recipere potest.

63 Sed inquires, an spurius prohibeatur accipere etiam ab avo paterno, vel proavo, sicut à patre? Respondetur, quòd sive nepos sit filius naturalis, aut legitimus (Petri v. g. qui est filius spurius Ioannis) sive filij illi Petri sint spurij, poterunt isti accipere à Ioanne in testamento, vel extra, dummodò ille filios legitimos non habeat, vel à Principe legitimatos. Et ratio est, quia leges solùm loquuntur de filijs spurijs, qui non possunt à parentibus quidquam recipere: & cùm sint pœnales, & odiosæ, non sunt ampliandæ, sed restringendæ, vt intelligantur solùm de filijs, non de nepotibus. Lugo *disp. 24. sect. 6. n. 113.* Gomez *ad leg. 9. Tauri, n. 17.* Tapia *supr. n. 9.* Villalob. *n. 20.* Fr. Martin. à S. Ioseph, *lib. 2. cap. 26. n. 9.* Sanch. *cap. 3. dub. 44.* Sed jure Castellæ id non poterit, quia *in leg. 6. tit. 8. lib. 5.. Recomp.* prohibetur spurijs (qui sunt ex clerico in ordine sacro constituto, vel ex religioso, aut moniali professis) ne quidquam à patribus, vel à consanguineis patrum possint recipere. Quod non tollit, vt à parentibus matris possint recipere, vt inquit Villalob. *n. 26.* Nec similitèr tollit, quod pater relinquat bona sua vxori filij spurij, nisi hoc faceret ante nuptias, cum conditione, vt nuberet illi, quia hoc esset virtualitèr donare filio. Gomez *ad l. 9. Tauri. n. 17.* Villalob. *n. 21.* Molin. *disp. 167.*

Non potest testamentarius patris aliquid dare filijs spurijs.

64 Inquires secundò, an si pater spurij mandet in testamento, vt bona sua distribuantur inter pauperes, vel consanguineos, poterunt testamentarij, vel alij, quibus relicta est talis distributio, quidquam ex eis dare spurio præter alimenta? Respondetur negative, quia testamentarius non est dominus illorum bonorum, sed pater, qui illa distribuit per manus testamentarij, ex leg. *Vnum de familia, §. Si de falcidia, ff. de leg. 2.* Et spurius (vt diximus) incapax est quidquam à patre recipiendi. Matienz. *lib. 5. Ordin. tit. 8. l. 7. gloss. 5. n. 2.* Covar. 4. *Decret. 2. p. cap. 8. §. 5. n. 3.* Palac. Rubios *l. 9. Tauri, n. 16.* Gregor. Lop. *l. 13. vers. Enporidad. tit. 7. p. 6.* Plaza *epit. delict. lib. 7. cap. 41. n. 17.* Si verò è contra contingat, quòd pater spurij relictus est testamentarius, vt distribuat inter pauperes bona testatoris, poterit ex eis dare filio suo spurio, si pauper sit, quia iam non ipse dat, sed testator per manus eius. Matienz. *n. 5.* Padilla *supr. dictam legem n. 3.* Peralt. ibi, *num. 27.* Et idem est, si pater debeat distribuere inter pauperes aliqua bona incerta injustè acquisita, quòd poterit applicare filio spurio, si sit pauper, quia non est ipse, qui distribuit, sed dominus incertus per manus illius.

65 Inquires tertiò, vtrùm, licèt spurius non possit directè quidquam a patre recipere per testamentum, possit saltem indirectè illud recipere per substitutionem? Respondetur, quòd per substitutionem pupillarem (quando scilicèt pater pro filio testatur, pro tempore, quo est in ætate pupillari, modo quo infrà *punct. 8.* dicemus) poterit filius spurius institui hæres à patre; non ita, vt bona paterna per pupillum ad ipsum perveniant, sed vt in alia bona pupilli succedat: quia tunc non recipit spurius à patre hæreditatem, sed à fratre, loco cuius pater facit testamentum; & non prohibetur ipsi hæredem esse fratris, sed patris, nisi in casibus, in quibus diximus *n. 63.* filium spurium nec à patre, nec à consanguineis patris posse quidquam recipere. Sed non potest substitui hæres per substitutionem vulgarem, nec fideicommissariam, quia idem esset accipere hoc modo bona, ac accipere illa immediatè à patre. Less. *lib. 2 cap. 19. n. 59.* Villalob. *tract. 30. diff. 13. n. 14.* Tap. *lib. 5. q. 21. art. 8. n. 6.* Acost. *cap. Si pater, de test. 2. p. §. Bona omnia, n. 7.* Fr. Martin. à S. Ioseph, *lib. 2. tract. 26. n. 16.*

Potest filius spurius substitui à patre substitutione pupillari.

66 Sed si pater spurij ex testamento, vel donatione transferat dominium bonorum suorum in amicum absolutè, & nulla ab eo exacta, vel præstita fide de præstituendis bonis filio suo spurio, licèt ex fiducia illi det, quòd dabit filio suo spurio, etiamsi hunc animum suo donatario manifestaverit, potest amicus ea dare spurio, & spurius illa recipere, quia recipit à vero domino, & non à patre (intellige, si ille hæres, vel donatarius esset persona, quæ aliàs ex suis bonis posset donare spurio.) Et hæc est via magis tuta, quia pater licitè potest facere, quod bona sua veniant ad filium spurium, dicendo amico, cui fidat: *Ego scio, quod tu nihil potes licitè, vel validè promittere, nec ego volo te vllo modo obligare; volo tamen te hæredem instituere, & spero ex benevolentia, quam ex te expertus sum, quod curam habebis mei filij spurij, & ipsi providebis, sicut ego providerem.* Quæ si absque pacto explicito, vel implicito fiant, licitè fiunt, quia pater nihil reipsa filio relinquit, nec filius aliquid à patre recipit, sed solùm ab illo amico, qui poterit, prout voluerit, tuta conscientia dare illa bona spurio, & etiam sibi illa retinere, sine eo quòd peccet contra justitiam, sed solùm contra fidelitatem, & contra respectus dignos hominis honorati. Quæ omnia docent Molin. *tract. 2. disp. 169.* Covar. *in epit. p. 8. cap. 8. §. 5.* Martin. à S. Iosep, *lib. 2. tract. 26. n. 2.* Villalob. *tract. 30. disput. 13, n. 15.* Sot. *lib. 4. de justit. q. 1. art. 1. ad 4.* Martin. à Prad. *cap. 29 q. 6. n. 26. &* 27. Lug. *disp. 24. sect. 6. n. 95.* Bañ. *2. 2. q. 62. de domin. disp. 7. concluf. 1. fol. 159.* Petr. de Ledesm. *in sum. 2. tom. tr. 8. cap. 3. concl. 13. diff. 3. fin.* Sanch. *lib. 4. consil. cap. 3. dub. 20. num. 1.* Sed est hic gravissima difficultas, quam *§. seq.* decidemus.

Quomodo per fideicommissum possit pater bona filio spurio relinquere?

§. IV.

An fideicommissarius, quem pater instituit hæredem cum obligatione, vt reddat filio hæreditatem, teneatur reddere, & spurius possit illam recipere?

Peccat pater, qui dat ad substitutionem bo-

67 IN hac gravissima difficultate, & in praxi frequentissima aliqua sunt certa apud Auctores, quæ libuit præmittere, vt ad id, de

ta amico, cum pacto vt reddat illa filio ſpurio.

de quo eſt dubium inter illos, gradum faciamus. Primò igitur eſt certum, quod illicitè operatur tam pater donans, & inſtituens amicum hæredem cum pacto implicito, vel explicito, vt reddat hæreditatem filio ſpurio, quàm amicus cum tali promiſsione hæreditatem accipiens: & quòd vterque peccat mortaliter, quia fraudem in re gravi adverſus leges juſtiſsimas committunt. Vnde ſicut tàm parentes, quàm filij, qui contra legum tenorem, quo in hac materia decernunt, aliquid donant, & recipiunt, peccant mortaliter, eo quòd agant in materia gravi contra leges juſtas & ſanctas: ita teſtator, & fideicommiſſarios in dicto caſu peccant mortaliter; quia contra leges juſtas operantur, quæ fidem præſtare in hac materia prohibent, vt conſtat *ex leg. penult. ff. de jure fiſci*, leg. *Prædonis, ff. de petition. hæredit.* Bañez 2.2.*q.*62.*de dominio, diſp.*7.*fol.* 557. Leſsius *lib.*2.*cap.*19.*dub.*6.*n.*62. Martin. à Prado, *cap.* 29. *q.*6.*num.*18. Tapia *lib.*5.*q.*21.*art.*8.*n.* 7. Petrus de Ledeſma *de matrim.q.*68.*art.*2.*concl.*4.*in fine.*

Bona data amico cum pacto, vt reddat filio ſpurio, adjudicantur fiſco.

68 Secundò eſt certum, quòd, caſu quo amicus fidem præſtet parenti de reddendis bonis ſpurio, talia bona adjudicantur fiſco. *Leg.*1.*Cod. de ijs, quibus vt indignis*, leg. *Ita fidei*, & leg. *Non intelligatur, ff. de jure fiſci.* Sed quia iſtæ leges ſunt pœnales, & non obligant, niſi poſt ſententiam Iudicis, remanet locus quæſtionis, an fideicommiſſarius poſsit ea bona ſibi retinere, vel teneatur in conſciencia reddere illa ſpurio, vel hæredibus ab inteſtato patris? & quidē quando Iudex procedit ad inquiſitionē de tali promiſsione, vt ea bona fiſco adjudicet, ſi rogaretur ab eo fideicommiſſarius, an talem fidem præſtiterit, non teneretur reſpondere, niſi præcedente infamia; & in juramento poſſet æquivocatione vti: quia, cùm agatur de pœna ſolvenda fiſco in pœnam præſtitæ fidei, non interrogat Iudex juridicè, niſi præcedat infamia contra eum, qui fidem præſtitit: vnde poſſet occultare veritatem. Covarr. 4. *Decretal.*2.*p.cap.*8.*§.*5.*num.*10. Leſsius *ſupr. num.* 61. Sanch. *lib.*4.*conſil. cap.* 3. *dub.* 13. Diana *part.* 10. *tract.*15.*reſol.*19. Lug. *diſp.* 24. *ſect.*6. *num.* 97. Martin à S. Ioſeph *lib.* 2.*tract.*26.*num.*6.

Cui fiſco bona reddenda ſunt poſt ſententiam Iudicis?

69 Semel autem data ſententia à Iudice, vt fiſco reſtituantur bona, quæ fideicommiſſarius promiſit dare ſpurio; ſi is, qui promiſit, clericus eſt, debent talia bona applicari fiſco eccleſiæ; & ſi laicus eſt, debent adjudicari fiſco ſæculari (quidquid ſit, an teſtator ſit clericus, vel laicus; quia eſt pœna, quæ imponitur fideicommiſſario ob fidem datam; & ſic pertinent talia bona ad fiſcum ſuæ juriſdictionis.) Covarrub. *loc. proximè cit.* Perez *lib. Ordinam. num.* 3. *leg.*22. Anton. Gomez *leg.*9.*Tauri*, *n.* 29. Segura *leg.*3.*§.vltim.num.*145.*ff. de liberis*, *& poſthum.* ¶ Quæſtio igitur celebris eſt in præſenti, an ſi pater ex teſtamento inſtituat hæredem quendam amicum cum pacto tacito, vel explicito inito privativè inter illos, vt teneatur talem hæreditatem, vel illius partem reddere ſpurio; & cum iſto onere eam fideicommiſſarius recipiat, iſte in conſcientia teneatur eam reddere, vel ſpurio, vel hæredibus ab inteſtato, antequam per Iudicis ſententiam applicetur fiſco? Triplex datur ſententia, quælibet ſatis probabilis.

Teneri fideicommiſſarium bona reddere hæredibus

70 Prima ſententia aſſerit, fideicommiſſarium non accipere dominium talis hæreditatis; & ideò eum non poſſe retinere, nec dare filio ſpurio, ſed teneri illam reſtituere hæredibus ab inteſtato. Quæ ſententia probatur primò, quia titulus hæreditarius ab initio fuit injuſtus, prædonemque conſtituit hæredem: leg. *Prædonis, ff. de petition. hæredit.* ergo ratione illius eſt inhabilis fideicommiſſarius ad hæreditatem: ergo eam non poteſt dare ſpurio, aliàs iſte à patre reciperet eam: ergo talis hæreditas devolvitur ad hæredem ab inteſtato. Secundò, quia talis fideicommiſſarius non habet alium titulum ad retinenda hæc bona, niſi ex patris ſpurij voluntate; ſed pater noluit dare illa, niſi ſub onere, & conditione, vt daret ſpurio: ergo non poteſt hæres ea ſibi retinere; & per conſequens, nec ſpurio dare, nec hic accipere; quia iam acciperet à patre: ergo talis hæreditas pertinet ad hæredem ab inteſtato. Ita Bartol. leg. *Final. ff. de ijs, quibus vt indignis*, *num.*9. Perez *lib.*18. *ordin. tit.* 15. *leg.* 2. Menchaca *lib.*2.*controv. illuſtr. cap.*102. *num.* 23. Anton. Gomez *leg.*9.*Tauri, num.*28. Et ex Theologis Soto *lib.*4. *de juſtit.q.*5.*art.*1. *ad* 4. & *in* 4.*diſt.* 41.*quæſt. vnic. art.*4.*§. Hactenus.* Martin de Ledeſm. 2.*p.*4.*q.*18.*art.*1. *dub.*16. *ad* 3. Salon 2. 2. *q.*5. *de dominio, art.*5. *in fine*, *concl.*8. tenet etiam Trull. *lib.*7.*cap.* 18.*dub.*7.*num.*4. & valdè probabilem dicunt Thomas Sanch. Petrus de Ledeſma, Martin. à Sancto Ioſeph infra citandi.

Quid aſſerat ſecunda ſententia?

71 Secunda ſententia duo dicit. Primum, quòd talis fideicommiſſarius poteſt talia bona ſibi retinere, nec tenetur ea cuiquam in conſcientia reſtituere. Secundum, quod poteſt ea dare ſpurio, ſi voluerit, & iſte ea retinere. Et quidem hoc ſecundum manifeſtè conſtat ex primo, quia ſi hæres, vt verus dominus poteſt talia bona ſibi accipere, ſi ea donet ſpurio, iam iſte nihil à patre recipit, ſed ab hærede immediato, qui eſt verus dominus, & ex libera voluntate illius ſcientis minimè obligari ad dandum ſpurio: ergo poteſt dare, & ſpurius recipere, & retinere. Quod intelligitur (inquit hæc ſententia) ſi hæres ille ſpontè donet ſpurio ſciens ad id non obligari. Si enim, vt ſervet pactum, & putans ſe ad id ex juſtitia teneri, bona ſpurio reſtituat, ſpurius non poteſt ea retinere, ſed donanti debet reſtituere, quia involuntariè, & ex errore dedit.

Sententia præcedens, & rationibus, & authoritate fulcitur.

72 Prima autem pars huius ſententiæ probatur. Quia ex vna parte ille eſt verus hæres, verèque inſtitutus à teſtatore, & ſic dominium acquirit hæreditatis. Nec enim ſunt leges, quæ talem hæredem inhabilem faciant ad ſuſcipiendum dominium; ſed tantùm in pœnam præſtitæ fidei contra legem, privant eum hæreditate, quæ fiſco applicatur, & non niſi poſt ſententiam Iudicis, vt dicebamus *num.* 68. & ſic talis hæreditas non devolvitur ad hæredes ab inteſtato, nec tenetur illis eam reddere, cùm validè inſtitutus ſit hæres. Et ex alia parte promiſsio reddendi ſpurio facta fuit contra legem, & in fraudem legis prohibentis quidquam dare ſpurio: & promiſsio facta contra legem non parit obligationem, leg. *Iuris gentium, §. Prætor ait*, *& §. Generalitèr, ff. de pactis*: ergo non tenetur ea reddere ſpurio. Maximè, quia illa inſtitutio hæreditatis fuit cum conditione turpi de reddenda hæreditate ſpurio: conditio autem turpis reijcitur ab vltimis voluntatibus, & habetur pro non adjecta, leg. *Impoſsibilis. ff. de verbor. obligat.* Ita Covarr. 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 8. *§.* 5. *num.*8. *&* 9. Sanch. *lib.*4. *conſil. cap.*3. *dub.*20. *num.*9. *&* 11. Lugo *diſp.*24. *ſect.* 6. *num.* 95. Diana 4. *part. tract.*3. *reſ.*121. & *p.*10. *tract.*11. *&* 5. *miſcellan. reſ.*19. Martin. à S. Ioſeph *cap.* 2. *tract.* 26. *num.*4. Villalob. *tract.*30. *diffic.*13. *n.*17. Bonacina *de contract. diſp.*3. *quæſt.*17. *punct.* 3. *num.* 5. Tapia *lib.*5. *quæſt.*21. *art.*8. *n.*7. Leſsius *lib.* 8. *cap.* 19.

ab inteſtato, dicit prima ſententia.

19.*dub.6.n.60.* Dicast.*lib.1.tract.19.disp.1.n.* 348.

Tertia sententia verior proponitur.

73 Tertia sententia, quam probabilem judicamus, convenit cum secunda in eo, quod dicit hæredem fideicomissarium verè fieri dominium hæreditatis, & consequentèr non succedere hæredem ab intestato. Differt verò ab illa, quia dicit talem hæredem ex justitia teneri talia bona reddere spurio. Sic Bañez 2.2.*disp. de translatione dominij*, *fol.* 159. *concl.3.*& 4. Martinez à Prado *tom.2.cap.29. q.6. n.*28. Victoria *in Summ.tract.de matrim. num.*229. Petrus de Ledesma *de matrim.q.68.art. 2. in fine, conclus. 3.* & 4. *tom. 2. Summ. tract. 8. cap. 3. concl.13.dub.3.sect.*4. dicens, ita tenere Orellanam & communiter Thomistas, quam probabilem dicunt Villalob. Martin. à S. Ioseph, & Diana, *loc.cit.*& addunt Ledesm. Bañez, & Prado, quod si talia bona sub ista conditione, vel sub isto modo sibi legata non reddiderit filio spurio, hæredes, qui illi fideicommissario succedunt, tenentur ex justitia prædicta bona spurio restituere, quia obligatio ex justitia transit ad hæredes cum bonis hæreditarijs.

Id, in quo hæc sententia differt, à secunda probatur.

74 Probatur id, in quo hæc sententia differt à secunda: Quia promissio, quæ non est simplex, & liberalis, sed onerosa, & pactio in pretium alicuius alterius rei factæ, obligat ex justitia; quia eius transgressio est pernicioſa alteri, in cuius gratiam gravamen illud impositum fuit; sed hæres iste promisit non simplici promissione, sed conditionata in pretium promissionis hæreditatis: vel ad minus fuit promissio modalis sub onere, & contractu, adjecto pacto, quod, secluso testamento, obligaret ex justitia: ergo ex justitia tenetur talis hæres stare promissis. Eo vel maximè, si in pretium eorum, quæ redditurus erat spurio, ipse à patre legante accepit quandam partem hæreditatis, quàm aliàs non accepisset. Si enim hæc capiat extra testamentum inducerent obligationem justitiæ, per hoc quod fiant in testamento, non desinunt talem obligationem inducere, supposito (vt supponimus iam probatum in argumento secundæ sententiæ) quod leges amicum non reddidere in capacem ipso facto admittendi hæreditatem, cum hac conditione, vel sub hoc gravamine & modo. Quod adhuc magis ex solutione argumentorum in oppositum innotescet.

Argumenta primæ sententiæ solvuntur.

75 Ad primum ergo primæ sententiæ dicimus, *in dicta leg.Prædonis*, non appellari prædonem hæredem, qui tacitam fidem dedit; sed dicitur habendum esse loco prædonis, quia fraudem fecit, præstando tacitam fidem, non quia hæreditatem susceperit à testatore relictam. ¶ Ad secundùm, quod institutio illius hæreditatis non est conditionalis, sed modalis; qui modus adijcitur actui iam perfecto, vt gravamen illius. Institutio autem modalis non suspendit effectum, sicut conditionalis; sed statim transfert dominium, quamvis cum onere implendi gravamen; nec perditur ipso jure, quando non impletur modus, quamvis possit cogi ad illum implendum, *leg.* 1.& 2. *§. final.Cod. de donat. sub modo*, & alijs à nobis citatis *tract.de matrim.cap.7.num.*5. Vbi diximus, contractum sub modo initum statim perfici ante adimpletionem modi; licèt alius maneat gravatus ad illum implendum: quemadmodùm si contraheret matrimonium cum onere, vt doceret Doctrinam christianam, statim valet matrimonium, quamvis sub dicto onere, & non ob id dissolvitur matrimonium per hoc, quod onus illud non adimpleatur.

76 Ad argumentum secundæ sententiæ, quatenus contra nos militare posset, in quantum inquit promissionem illam non obligare: tùm, quia est contra legem, & in eius fraudem, & sic non obligat: tùm etiam, quia est cum conditione turpi, quæ reijcitur ab vltimis voluntatibus: dicimus, quòd aliud est, quod promissio, seu ipse actus promittendi sit contra legem: aliud, quod materia ipsius promissionis, seu res promissa sit contra legem. Hoc secundo modo promissio minimè obligat: & hoc etiam secundo modo conditio turpis, seu onus, & gravamen reijcitur à testamento, quando materia ipsius conditionis, seu res ipsa, quæ expectatur, turpis est, & mala. Cæterùm promissio, de qua loquimur, non est de materia turpi, & mala, quia hoc, quod est hæredem dare spurio hæreditatem, malum non est. Et ideò ipsi contrarij fatentur in prima parte assertionis, posse (si voluerit) licite fideicommissarium dare talem hæreditatem spurio. Est ergo talis promissio contra legem, quatenus ipse actus promittendi, & fidem dandi est contra legem; & ita peccat promittendo: post promissionem verò istam onerosam, si ex parte alterius impleatur pactum, tenetur ipse ex justitia implere. Sicut qui meretrici promittit pretium corporis, peccat promittendo; suppositа tamen promissione, & fornicatione, tenetur promissum implere ex justitia. Similitèr ergò, licèt peccaverit promittendo dare spurio, tenetur illi dare: filius enim spurius solùm est inhabilis ad recipienda bona ex testamento, vel donatione parentum ipsi nominatim facta; non tamen est inhabilis ad suscipienda bona ab hærede, cuius fidei talia bona pater commisit.

Secundæ sententiæ solvitur argumentum.

PUNCTUM VI.

De hæredibus necessarijs, eorum exhæredatione, vel melioratione.

Multiplicitas hæredum proponitur.

77 EX hæredibus, qui in testamento instituuntur, alij sunt necessarij, quos testator exhæredare non potest, nisi ex legitimis causis, de quibus agemus infrà. Qui si non nominentur in testamento (quomodo *præteriri* dicuntur) nullum redditur testamentum à jure. Alij sunt hæredes ab intestato, illi nimirum, qui succedunt defuncto, qui testamentum non fecit, vel fuit nullum. Alij sunt hæredes extranei, qui nec necessarij erant, nec succedebant testatori ab intestato, sed liberè sunt ab illo instituti. De hæredibus necessarijs aliqua hoc puncto dicemus, quæ necessaria sunt pro nostro instituto; plura, quæ magis ad Iuristas, quàm ad Theologos pertinent, prætermittentes, puncto verò sequenti de hæredibus ab intestato redibit sermo.

§. I.

Quomodo filij respectu parentum, & parentes respectu filiorum sint hæredes necessarij?

Qui sint hæredes necessarij?

78 HÆredes necessarij, non ideò dicuntur, quia necessariò ipsi debeant acceptare hæreditatem; sed quia testator non potest eos præterire, sed necessariò eos debet hæredes instituere in legitima illis correspondente. Et supponendum est, nec in hoc puncto, nec in se-

quen-

quenti nos agere de filijs illegitimis; ſed ſolùm de legitimis: quid enim circa filios illegitimos naturales, vel ſpurios tenendum ſit, iam punctis præcedentibus diximus. Igitur filij reſpectu parentum ſunt hæredes neceſſarij: ita vt ſi prætereantur (id eſt) non nominentur hæredes in teſtamento, illud redditur nullum. Et quando filij non adſunt, ſuccedunt neceſſariò nepotes, pronepotes, cæterique deſcendentes; ita vt propinquior in gradu ſit alijs præferendus, cap. *Si pater, de teſtamentis, leg.7. fin. ff. vnde libert, leg.4. & duabus ſeq. tit.7. partit.6.*

Quæ portio deſcendentibus ſit relinquēda?

79 Et ſi velis ſcire, quæ portio bonorum teſtatoris debeat neceſſariò hæredibus advenire, & dicitur *legitima* eorum? Reſpondetur, quòd (omiſſo eo, quod de jure antiquo diſpoſitum erat) jure novo communi authenticarum ſolùm tenetur pater, ſi habuerit quatuor filios, vel pauciores, tertiam partem bonorum ſuorum dividere inter illos, & de reliquis pro libito diſponere. Si plures, quàm quatuor filios habuerit, medietatem bonorum inter eos dividere tenetur, *Authentic. de triente, & ſemiſſ. §.1. & 2. Authent. vnde ſi pater de inofficioſo teſtamento.* Iure autem Regni *à leg. 2. vſque ad 13. tit.6. & leg.4. tit.8. lib.5. Recopil.* diſponitur, vt deſcendentes ſint neceſſarij hæredes in omnibus bonis aſcendentium, & ſolùm eis conceditur, vt diſponere poſſint de quinta parte inter extraneos, detractis inde expenſis funerum; & inter filios (præter quintam partem modo dicto) diſponere poſſunt de tertia parte, in ea meliorando quem ex ipſis maluerint. Et ex his prior extrahenda eſt quinta pars ex bonorum cumulo; deinde ex remanentibus tertia, & reliquum inter filios per capita dividendum: vt ſi cumulus erat quindecim, priùs detrahendi ſunt tres; deinde ex duodecim remanentibus, ſunt quatuor detrahendi; quæ melioratus portabit ſecum, & in alijs octo cum reliquis fratribus ad portionem veniet.

Duo notanda circa dicta proponuntur.

80 Sed hic notanda ſunt tria. Primum, quod in partitione bonorum debent heredes neceſſarij afferre ad bonorum cumulum dividendum ea, quæ ſinguli receperunt in dotem, vel donationem, quod ſi dos, vel donatio fuerit inofficioſa (id eſt, excedens portionem illi contingentem) debet reſtitui exceſſus, & inter alios hæredes pro rata dividi, *leg.3. tit.8. lib.5. Recopil.* ¶ Secundum eſt, quòd vt filius ſuccedat patri, vel matri (& conſequentèr vnus parens ſuperſtes, vel alij aſcendentes, vel collaterales ſuccedant illi) requiritur jure hiſpano, vt ſupervivat per vigintiquatuor horas naturales à puncto, quo egreſſus eſt ab vtero; & inſuper quod moriatur baptizatus, alioqui judicatur abortivus, & nequit ſuccedere patri, vel matri, *leg.3. Tauri*, hodie *leg.2. tit.8. lib.5. Recopil.* Lugo *diſp.24. ſect.8. n.178.* Dicaſtill. *lib.2. tract.19. diſp.1. n.562.* Tapia *lib.5. quæſt.21. art.6. n.3.* Villalob. *tract.30. diffic.15. num.5.* Martin. à Sancto Ioſeph *lib.2. tract.16. num.5.*

Deſcendentes remotiores non ſuccedunt, viventibus proximioribus.

18 Tertiò notandum eſt, quod in hac parte, quæ filijs, & deſcendentibus debetur, non ſuccedunt, nec habent aliquam partem deſcendentes remotiores, viventibus proximioribus; vt ſi pater habet filios, & nepotes, viventibus filijs, non ſuccedunt nepotes, ſed inter filios dividitur hæreditas per capita, ſeu per viriles portiones. Si autem frater mortuus fuerit, & hic relinquat filios, iſti in hæreditatem avi, vel aviæ ſuccedunt, cum patruis, fratribus parentis illorum, non per capita, ſed per ſtipitem, ſeu per ſtirpem; hoc eſt, quòd omnes ſuum parentem repræſentant; & ſic ſolùm in portione ſuccedunt, quæ competebat illi ex avorum bonis inter nepotes dividenda: vt ſi avus 300. bonorum haberet dividendorum inter filios, & habebat tres filios, quorum vnus è vita decedens, quatuor proximos deſcendentes reliquit, in tres partes ſunt illa bona dividenda, ex quibus duæ partes competunt duobus filijs viventibus, vnicuique centum; (& hoc eſt per capita ſuccedere:) at verò nepotibus omnibus ſolùm centum conveniunt, quæ ſuo parenti, ſi viveret, contingebant; quia iſti omnes ſolùm ſuccedunt parentis mortui nomine, & vt illum repræſentant; (hoc dicitur in jure ſuccedere per ſtirpem,) & cum eadem proportione diſcurrendum eſt circa reliquos deſcendentes. Sed illa centum dividenda ſunt inter nepotes per capita.

Nō poſſunt aſcendentes aliquod gravamen in portione legitima deſcendentibus imponere.

82 Sed ſciendum eſt, aſcendentes non poſſe gravamen aliquod, aliquamve conditionem, modum, dilationem, imponere deſcendentibus in portione legitima, quam neceſſariò eis debebant relinquere, ſed omnis conditio, omne gravamen, omnis modus ab eis impoſitus à jure prorſus reijciuntur, & pro non impoſitis habentur, leg. *Quoniam in prioribus, Cod. de inofficioſo teſtam. leg.17. tit.1. leg.11. tit.4. partit.6.* Quod adeò verùm eſt, vt ſi pater filium inſtituat omnium bonorum ſuorum hæredem, quæ quantitas maior eſt, quàm illi pro legitima competebat, & in tota hæreditate gravamen impoſuit, impoſitio non valet in parte legitimæ, ſed ſolùm in parte legitimam excedente, leg. *Sumus, §. Cùm autem, Cod. de inofficioſo teſtam.* v.g. inſtituit pater filium omnium ſuorum bonorum hæredem, & impoſuit onus, vel conditionem, vt ſi moriatur abſque filijs, ad Petrum transferat hæreditatem, ſi illam vinculatam relinquat, hoc gravamen nullum erit comparatione ad legitimam, quæ libera illi relinquenda erat, & poterit de illa filius diſponere, prout libuerit, non habita ratione de tali conditione poſita: & ſi non diſpoſuerit de illa, ad hæredes ab inteſtato pertinebit. Cæterùm valebit gravamen in reliquis bonis excedentibus legitimam; & ſic illud implere tenebitur filius, quia cum poſſet pater hæc bona illi non relinquere, poterit gravamen quod voluerit imponere. Anton. Gomez 1. *tom. variar. cap.11. n.24. & 25.* Molin. *tom.1. de juſtit. tr.2. diſp.177. n.7.* Martin. à S. Ioſeph *lib.2. tr.16. n.7. & 8.* Et idem dicendum eſt in legitima aſcendentibus debita in bonis deſcendentium, vt tenet communis opinio cum Gloſſa in Authentic. *De hæredibus, & falcid. §. Si verò*: & dum Gloſſa, leg. *Platoni jus, verb. Conſtituta, ff. ſi quis à patre manumiſſus fuerit.*

Qui ex aſcendentibus ſint hæredes neceſſarij, deficientibus deſcendentibus?

83 Diximus de deſcendentibus, qui ſint hæredes neceſſarij: videamus modò, qui ſint aſcendentes, qui ſunt neceſſarij hæredes, deficientibus deſcendentibus, vel eis juſta cauſa exhæredatis, vel inhabilibus factis ad hæreditatem ob aliquod delictum. Pro quo eſt generalis regula, quod deſcendentibus, qui aſcendentibus ſuis neceſſariò ſuccedunt in legitima ſibi debita, ſuccedunt è contra ipſi aſcendentes, quando deſcendens defunctus non habebat proprios deſcendentes. Ijs tamen adſtantibus nunquam aſcendentes deſcendentibus ſuccedunt; illis verò deficientibus, portio legitima debetur aſcendentibus, in qua hæredes inſtitui debent. Attamen ex aſcendentibus non omnes inſtituendi ſunt, ſed ſolùm proximiores in gradu: quarè vivente vtroque parente, vterque inſtituendus eſt per partes æquales: ſi alter ſolus vivit, v.g. mater, hæc ſola debet inſtitui, non avus paternus; quia in aſcendentibus ſuperiores non repræſentant inferiorem defunctum,

ctum, ſicut nepotes repræſentant patrem defunctum, vt ſuccedant avo per ſtirpem. Defuncto vtroque parente, ſuccedunt avi; ita vt media pars pertineat ad avos paternus, & media ad maternos, ſi ſint, etiamſi vterque paternos vivat, & alter ſolus ex maternis. Nullo avo manente, ſuccedunt proavi, ſi ſint, cum eadem diviſione. Si autem ſolùm ſint aſcendentes ex patre, vel matre, proximiores in totum ſuccedunt. Quod totum habetur. Authent. *de hæred. ab inteſtato, collat. 9.* Authent. *defuncti*, Cod. *ad Senatus Conſult. Trebell. leg. 4. tit. 13. part. 6. leg. 10. tit. 6. lib. 3. fori.*

Quæ portio aſcendentibus debeatur?

84 Legitima autem, quæ neceſſariò aſcendentibus relinqui debet, deſcendentibus non adſtantibus, non aſsignatur in jure communi determinata. Cæterùm ſecundùm Gloſſam communitèr receptam *in Authent. noviſsima, Cod. de inofficioſo teſtamento*, quarta pars bonorum, & poſteà tertia aſsignata eſt. Sic Gomez *ad leg. 9. Tauri*, Molin. *tom. 1. diſp. 159.* Tapia *lib. 5. q. 21. art. 6. num. 5.* Villalob. *tract. 30. diffic. 15. n. 11.* Sed apud nos ceſſat hoc dubium, cùm expreſsè habeamus *in l. 1. Tauri*, hodie *leg. 1. tit. 8. lib. 5. Recopil.* debere deſcendentes neceſſariò relinquere aſcendentibus duas partes ſuorum bonorum, deducto priùs ære alieno, & de tertia parte poteſt diſponere deſcendens, prout voluerit, inde deductis expenſis funerum.

Quid debeat dari marito ex bonis vxoris?

85 Cæterùm Authentic. *Prætereà*, Cod. *vnde vir, & vxor*, & lex Regni 7. *tit. 7. partit. 6.* diſponunt, quòd marito non habenti bona, vnde decenter ſuſtentari poſsit, debet dari quarta pars bonorum vxoris: & deduci debet priùs quàm quintum, de quo diſponere poteſt inter extraneos; & tertium, de quo inter liberos; vnde ex toto cumulo bonorũ. Qua detracta quarta parte, poteſt de quinta remanenti, & tertia, modo dicto diſponere; quia talis quarta eſt debitum maritale legale, & ſic debet ex toto cumulo priùs extrahi, ſicut, & alia debita ex contractu, vel ex delicto. Greg. Lopez *ad leg. 7. verb. Hijos.* Tello *leg. 9. Tauri, à n. 31.* & idem eſt de viro reſpectu vxoris, ex dicta Authent. *Prætereà, & leg. 6. tit. 13. partit. 6.* Quod verum eſt, ſive ab inteſtato vir moriatur, ſive poſt teſtamentum per ſe, vel per commiſſarium factum. Sanch. *lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 27. num. 2.* Caſtillo *lib. 6. tit. 6. lib. 3. leg. Fori, num. 2.* Gregor. Lopez *ad dictam leg. 6. verſ. Si tal no dexaſſe.*

Nunquam fratres ſunt hæredes neceſſarij.

86 Fratres verò, vel ſorores, deficientibus aſcendentibus, vel deſcendentibus, minimè ſunt hæredes neceſſarij, & minùs cæteri conſanguinei: nec vllum jus habent, vt hæredes inſtituantur à fratribus. Vnde prætereiri poterunt, inſtituto extraneo, leg. *Fratres, C. de inofficioſo teſtam.* Inſtit. *eod. tit. in princ. verſ. Soror autem.* Quarè non tenetur teſtator hæreditatem relinquere fratribus, alijſve cognatis, quæcumque ſint bona, dummodò non ſint vinculata (de his enim non agimus, quia certum eſt iſta relinquenda eſſe illi, qui ſecundum mentem Legislatoris ſuccedit.) Sylveſt. verb. *Teſtamentum*, 1. *quæſt.* 10. Bonac. *diſp. 3. de contract. quæſt. vlt. punct. 3. n.* 13. Lug. *diſp. 24. n. 174.* Diana 1. *part. tr. 8. reſ. 83.* Martin. à S. Ioſeph *lib. 2. tr. 18. n. 1.* Nihilominus tamen ſi teſtator careat deſcendentibus, vel aſcendentibus, & habeat fratres, alioſve conſanguineos egentes, ex charitate (non ex juſtitia, & ſic relinquitur validum vndequaque teſtamentum) tenetur bona ſua inter illos diſtribuere, prout expediens fuerit ad ſubveniendum eorum indigentiæ, ſervato ordine charitatis; nimirum, vt proximiores, vel magis indigentes præferantur remotioribus, vel minùs indigentibus. Ordo quippe charitatis exigit, vt egentes honeſtiores maximè propinquos juvemus. Quod ſi fratres, vel cognati non egeant, poterit hæreditate, vel ad pia opera, vel ad profana, prout libuerit, diſponere; quia bona ſua cognatis non ſunt debita, quandoquidem (vt ſupponimus) non ſunt vinculata.

Quæ neceſsitas debeat eſſe in cognatis, vt debeat teſtator eis bona relinquere.

87 Sed eſt difficultas, quæ neceſsitas requiratur in fratribus, & cognatis, vt ex charitate obligetur teſtator illis relinquere, ſi non totam hæreditatem, tamen quod neceſſarium videtur eorum indigentiæ ſublevandæ? Reſpondet Navar. *cap. 26. n. 36.* his verbis. (Quod verò aliqui dicunt, teſtatorem, qui nec parentes, nec liberos (qui ſunt neceſſarij hæredes) habet, teneri ad relinquenda bona cognatis pauperibus (niſi mali, & indigni ſint) limitandum eſt, procedere in cognatis extremè indigentibus, quibus nullus alius proximior eſt, qui eos alere poſsit, & velit, quia nulla lex naturalis, etiam divina, vel humana, ad plus de præcepto obligat. (Idem docet Valer. *in differen. vtriuſque fori*, verb. *Hæreditas, diff. 9. n. 3.* vbi ſic loquitur.) Non peccat ille, qui, non exiſtentibus conſanguineis in extrema neceſsitate, relinquit bona ſua monaſterio, vel hoſpitali. Ratio eſt, quia nullo jure cavetur, quòd ea teneatur relinquere conſanguineis, ſi aliàs extremè non indigent; & ſic nulla in hoc juſtitia violatur, & eligendo alios pauperes Chriſti meliores, ceſſat æquitatis ratio, & offenſa Dei. Idem tenet Diana 1. *p. tract. 8. reſ. 83. & 85.* & Martin. à S. Ioſeph *lib. 2. tract. 18. n. 2.* Sed hæc ſententia ſaltem eſt vera, quando nec extremè, nec gravitèr indiget conſanguineus; ita quòd ſit peccatum mortale non relinquere dicta bona, quando extremè indiget; & veniale, ſi ſint pauperes, ſed non extremè indigent. Lug. *diſp. 24. n. 175.* Trullench. *lib. 7. cap. 28. dub. 10. n. 10.* Qui monent, quòd quando teſtator ob inimicitias inter eum, & fratres, vel alios conſanguineos habitas, non vult eis relinquere hæreditatem, aut quidquam (ſuppoſito quòd non indigeant modo dicto) non eſt abſolvendus à Confeſſario, ſi non deponat odium, vel inimicitiam; eis autem depoſitis, etiamſi nolit revocare teſtamentum, vel eis quidquam relinquere, abſolvendus eſt, quia in hoc contra nullam agit legem, nec alicui injuriam facit.

Si fratres inſtituantur hæredes, filij eorum non intelliguntur inſtituti.

88 Sed notandum eſt, quòd ſi teſtator dicat: *Inſtituo fratres meos hæredes vniverſales omnium bonorum meorum*, non ob id inſtituti cenſentur conſobrini, filij fratris teſtatoris, etiamſi frater ille defunctus ſit; & ſic ſolùm cenſentur fratres inſtituti, etiamſi conſobrinos habeat: quia in hac diſpoſitione quòd maximè conſideratur eſt proximitas gradus, & affectio, ad perſonam propinquam, vt probat Bald. in leg. *Cùm ita legaturus*, §. *fin. ff. de leg. 2.* Iaſſon. *in l. 2. C. de ſucceſ.* Covar. *pract. qq. cap. 38. n. 4.* Azeb. *in l. 5. tit. 8. lib. 5. Recopil.* Similitèr ſi ſimplicitèr, & abſolutè fratres inſtituat, ſolum intelliguntur fratres ex patre, & matre (qui dicuntur in jure *vtrinque conjuncti*) non ſemifratres, aut fratres ex ſolo patre, vel matre, niſi alitèr conſtet de mente teſtatoris: quia abſolutè, & ſimplicitèr illi tantùm dicuntur fratres, & ſic in dubio illi ſolùm intelliguntur. Anton. Gom. *leg. 8. Tauri, n. 8.* Velazq. *ad dict. leg. gloſſ. 2. n. 2.* Paul. de Caſtr. in leg. *Fin. C. de verbor. ſignificat. col. vlt.* Tello *in dict. leg. 8. Tauri, num. final.*

§. II.

§. II.

Quibus ex causis filij exhæredari possunt à parentibus, & parentes à filijs?

Pater non potest filios exhæredare, nisi ex justa causa.

89 BOnos filios, studiosos, & obedientes nequit pater exhæredare: nam ex jure naturæ illis debetur successio in bonis parentum: *Nam filius, ergo hæres.* Vnde leges humanæ aliter disponentes, vel sunt iniquæ, vel non sunt vsu receptæ. Cæterum de consensu illorum potest eis aliquod tributum, vel gravamen imponere, per quod hæreditas minuatur. Imò si ipsi liberè consentiant, vt patri morem gerant, potest eos exhæredare, quia injuria non fit scienti, & consentienti. Et nisi filij filios habeant ea hæreditate indigentes, non peccant tali consentientes exhæredationi: & si eos habeant, erit peccatum prodigalitatis tantùm contra charitatem, non contra justitiam; nam nepotes non habent jus in bona avorum, viventibus eorum parentibus; sed tantùm filij, qui tali consentientes exhæredationi, suo jure vtuntur. At ex justa causa potest pater filios legitimos exhæredare ob eorum crimina. Hoc enim vtile valde est bono communi, vt filij timeant, & in parentum obedientia contineantur. Causæ autem ob quas possunt parentes quoscumque descendentes suos exhæredare, habentur Authent. *Vt cùm, de appellation. cognoscend. §. Causas autem, collat.* 8. *leg.* 4. *& seq. tit.* 7. *p.* 6. *leg.* 2. *tit.* 1. *leg.* 5. *Recop.* quas congerit Greg. Lopez *leg.* 4. *tit.* 7. *p.* 6. Covar. cap. *Raimutius, de testam.* Molin. *tom.* 1. *de justit. disp.* 176. Lugo *disp.* 24. *sect.* 8. *n.* 166. Vazq. *de testam. cap.* 6. *§.* 3. *dub.* 5. Dicastill. *dub.* 2. *tract.* 19. *disp.* 7. *dub.* 21. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 18. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 21. *art.* 6. *num.* 7. Quas modò ex ipsis enumerabimus.

Causæ, ob quas patres possunt exhæredare filios.

90 Prima igitur causa est, quando filius iniquus manus ponit in parentes, culpa interveniente mortali; secus si id faceret in sui, vel patriæ defensionem. Secunda, quando filius gravem contumeliam dicit parenti; & quando sit gravis sufficienter ad hunc effectum, arbitrio Iudicis relinquitur, inspecta qualitate filij, & parentis, loco, & alijs circumstantijs. Tertia, si filius accusat patrem in causis criminalibus (sed non si accusat de crimine hæresis, de proditione reipublicæ, aut crimine læsæ maiestatis) si crimen, de quo accusatur à filio sit talis conditionis, quo, vel ob illud mereretur pater pœnam mortis, exilij perpetui, vel notabilis infamiæ. Et idem est, si filius in similibus causis fuerit testis, vel procurator adversus parentem, cum non sit rogatus, nec coactus. Quarta, si filius fuerit maleficus, incantator, vel cum talibus communicaverit, *leg.* 4. *tit.* 7. *part.* 6. Quinta, si conatus est occidere patrem, vel veneno, vel alio modo, etiamsi de facto illud non dederit, quia hìc punitur ipse conatus. Sexta, si carnaliter cognovit vxorem patris, vel concubinam vnicam parentis, quam domi habebat ipse, sciens esse concubinam patris. Septima, si fuit delator, aut denuntiator in judicio contra parentem; & sic fuit causa, quòd pater plura damna fuerit perpessus. Octava, si cùm esset pater in carcere, petijt à filio, vt fideiuberet in persona, vel debitis, & noluit. Sed in filiabus hæc causa non habet locum, quia *in dicta Authent.* dicitur: *Hoc tamen ad masculos tantummodò liberos volumus pertinere.* Nona, si filius, vel filia impedivit, quòd pater conderet testamentum, vel conditum revocaret. Decima, si filia, cui à parentibus offertur congruo tempore, & opportuno sufficiens dos in matrimonium, noluerit acceptare, sed luxuriosè, & vt meretrix vivere, poterunt eam exhæredare: at si mater luxuriosè vivat, non poterit. Vndecima, si nupserit filia servo non libero, aut famulo libero. Sed extra hunc casum, etiamsi nubat contra parentum voluntatem, exhæredari non poterit. Duodecima, si filij noluerunt curare parentes in amentiam incidentes, postea restituti ad sanitatem, eos exheredare poterunt. Decimatertia, si parentes captivos redimere noluerint. Decimaquarta, si filij à Christi apostaverint fide, eos exhæredare poterunt parentes catholici.

Causæ, ob quas potest filius exhæredare parentes.

91 Sicut possunt parentes filios ingratos, & scelestos ob dictas causas exhæredare; sic filij parentes à suorum bonorum successione excludere possunt ob causas, quæ habentur dicta Authent. *Vt cùm, de appellation. cognoscend. §. Sive legatur, collat.* 8. *leg.* 11. *tit.* 7. *part.* 6. & referuntur ab Authoribus citatis, & sunt istæ. Prima, si pater morti tradit filium, hoc est (vt declarat Glossa) si de filijs denuntiat in causis, ob quas mortem promerentur, vel mutilationem (vt *in dicta lege Regni* dicitur) nisi denunciet de crimine læsæ maiestatis humanæ, divinæ, vel de hæresi, vt *num. præced.* dicebamus. Secunda, si filius probet, patrem intentasse vitam illius auferre veneno, vel alio modo. Tertia, si pater fornicatus est cum vxore filij, vel concubina, quam domi habebat filius. Quarta, si pater impedivit, ne filius faceret testamentum in casibus, in quibus illi jus testandi dat facultatem. Quinta, si pater venenum dedit matri, vt vitam illius de medio tolleret, vel in judicio, vel alia via eam nixus est occidere. Et idem, si mater parenti, quia tunc filius exhæredare potest eum, qui tali crimine peccavit. Sexta, si filium non attendunt parentes, vt eum sanent, qui judicium amisit, nec ad hoc diligentiam adhibeant; tunc filius in se reversus eos exhæredare potest, vel eum, qui in hoc deliquit. Septima, si cum sit captivus filius, aut filia, non curent parentes eos à captivitate liberare. Octava, si pater a fide apostatavit, potest eum filius catholicus exhæredare. ¶ Sed circa dicta sunt aliquæ difficultates.

Quomodo filij parentibus, vel parentes filijs alimenta possint denegare?

92 Prima difficultas est, an in dictis casibus, in quibus pater filium, vel filius patrem exhæredare potest, etiam debita ipsis alimenta denegare possit? Affirmat Vazq. *de testam. cap.* 6. *§.* 3. *dub.* 4. *num.* 65. Sylvest. ab eo citatus *verb. Hæreditas*, 2. *quæst.* 5. Dicast. *lib.* 2. *tract.* 19. *disp.* 1. *dub.* 21. *n.* 398. quia sicut est de jure naturæ alimentorum subministratio, sic & hæreditatis successio in filio respectu parentum, & é contra; & tamen in hoc jure ob culpam meritò puniuntur filij, vel parentes, sicut in bonis proprijs puniuntur delinquentes: ergò, &c. & ita habetur leg. *Fin.* Cod. *de alendis liberis*, leg. *Si quis à liberis*, *§. Idem Iudex, ff. de liber. agnoscend. leg.* 6. *tit.* 79. *part.* 4. Sed hanc sententiam veram judicamus, si filij aliundè necessaria habeant ad vitam, quamvis non habeant ea, quibus indigent ad sui status decentiam: nam necessaria omninò ad vitæ sustentationem nunquam pater filijs, aut filius patri denegare poterit, quia hoc esset occidere illos, leg. *Necare, ff. de liber. agnoscend.* ibi: *Necare videtur, qui alimoniam denegat.* Et si amplius volunt prædicta jura citata, dicendum est, revocata fuisse per jus canonicum, vt suprà *n.* 50. dicebamus.

bamus. Sic Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 18. *num.* 8. Trullench *lib.* 7. *cap.* 28. *dub.* 10. *num.* 4. Martin. à Sancto Ioseph *lib.* 1. *tract.* 33. *num.* 9.

Non exhæredatur filius per dictas causas ipso facto.

93 Secunda difficultas est, an quando pater de facto non exheredat filium, vel filius patrem post prædicta crimina patrata, vel quia morte præventus id facere non potuit, vel quia dictam causam ignoravit, vel ex alijs capitibus, maneat ipso facto filius exhæredatus, ita vt ipse in conscientia non possit hæreditatem adire, vel saltem post mortem patris eam causam obijcere possint alij hæredes, vt eum ab hæreditate excludant? Respondetur negative. Tùm, quia præteritio, & exhæredatio non alitèr in foro conscientiæ, vel exteriori valida est, nisi quatenus ex jure civili est permissa, ex Authent. *Viro non licet, C. de liberis præterit.* Authent. *Vt cum* citata. sed jure civili solùm permittitur talis præteritio, & exhæredatio, si causa in testamento inseratur, & legitimè probetur; alitèrque, quamvis causa verè subsistat, hæreditas conceditur filio ex eo solùm, quòd pater eam sufficientèr non probaverit, vt constat ex dict. Authent. *Vt cum*, vbi etiam tanquam forma ad valorem exhæredationis statuitur, vt ab ipsomet patre inserta causa fiat, & non ab hæredibus. Tùm etiam, quia talis exhæredatio pœna est, vt ex juribus citatis constat: ad pœnam verò non tenetur reus, etiam verè delinquens, ante Iudicis condemnationem. Tùm denique, quoniam quando in testamento nihil dictum, vel pactum est à patre contra filium, aut è contra, credendum est patrem amore paterno voluisse parcere filio, vel filium patri, nec ad hæredes transit declaratio huiusmodi voluntatis. Sic Tapia *lib.* 5. *quæst.* 2. *art.* 7. *num.* 9. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 18. *num.* 5. & 10. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tr.* 31. *n.* 17. Lugo *disp.* 24. *sect.* 8. *n.* 166. Trull. *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 10. *n.* 6. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 19. *disp.* 1. *n.* 524. Molina Iesuita *de justit. disp.* 176. cum altero Molina Iurista *lib.* 1. *de primog. cap.* 11. *n.* 15. & *seq.*

Ob alias causas præter enumeratas, nec filius patrē, nec è contra potest exhæredare?

94 Tertia difficultas est, an pater possit exhæredare filium, vel è contra, ob alias causas præter numeratas, nimirum ob similia, vel deteriora crimina? Affirmant aliqui: quia licèt jus has causas assignavetit, non excludit alias, in quibus similis, vel vrgentior ratio ingratitudinis reperitur. Sic Vazq. *de testam. cap.* 6. *§.* 3. *n.* 64. Tapia *art.* 6. *n.* 10. Villal. *diffic.* 17. *n.* 10. Covar. cap. *Rainutius, n.* 16. *de testam.* Anton. Gomez 1. *variar. cap.* 11. *n.* 12. Molina Iurista *de primog. lib.* 11. *cap.* 19. *à n.* 52. Iulius Clarus, *§. Testamentum, q.* 41. ¶ Sed certè cum in rebus pœnalibus non debeat fieri extensio de vno casu ad alios, cap. *Si qui, de sentent. excomm.* non est cur pœnam exhæredationis ad alios casus præter expressos in jure extendamus. Eo, vel maximè, cùm in eodem jure, in quo exhæredatio conceditur, fieri prohibetur propter alias quascumque causas, Authent. *Vt cum, de appellat. cognosc. §. Aliud quoque capitulum*, vbi, postquàm prædictas causas enumeravit, dicit, se ideò posuisse eas, *vt præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas apponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur*: & *in leg.* 8. *tit.* 7. *partit.* 6. vbi etiam dictæ causæ apponuntur, subditur: *Mas si por qualquiera otra razon, que no fuere de las sobredichas en estas leyes, desherede el padre al hijo, no valdria el tal desheredamiento.* Sic Molin. *tom.* 1. *de just. tr.* 2. *disp.* 176. *à n.* 46. Lugo, *disp.* 24. *sect.* 8. *n.* 178. à S. Ioseph *lib.* 2. *tr.* 31. *n.* 10. Gregor. Lopez citans Hostiensem, Alexandrum, & alios, ad leg. 8. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopil. glossa vltima.*

Non potest pater, ob injuriā acceptam à filio, cum exhæredare, si iam remisit,

95 Quarta difficultas est, an si pater expressè, vel tacitè remittat injuriam illatam à filio (& idem est de filio respectu patris) admittendo illum ad suam amicitiam, possit vti illa causa ad exhæredandum ipsum? Negativè respondendum est: sicut de viro remittente vxori adulterium, aut è contra, non posse vti illa causa ad dimittendum eam, diximus *tr.* 9. *de matrim. cap.* 16. *n.* 18. & 19. Iam enim censetur condonata injuria, quæ erat causa exhæredationis, & pœna illa remissa. Imò si post exhæredatum filium in testamento, expressè remisit injuriam, quamvis pater non revocet testamentum, succedit filius, sicut ante exhæredationem, quia cessat ingratitudo; & sic redditur ad statum antiquum, in quo erat hæres necessarius. Et licèt hoc aliqui non admittant, nisi in remissione expressa injuriæ, non in tacita, verè admittendum est etiam in tacita (vt quandò admittit filium ad suam amicitiam, & familiaritatem) *Quia taciti, & expressi eadem est virtus, cap.* 2. *de scriptis*, leg. *Cùm quis. ff. de rebus creditis.* Et quod tacitè remittatur injuria, quando admittit quis injuriantem ad suam familiaritatem, constat *ex leg.* 3. *§. vlt. juncta leg.* 4. *ff. de adimend. legat.* leg. *In Ipsius*, Cod. *Familiæ herciscundæ.* Sic Trull. *lib.* 7. *cap.* 8. *dub.* 10. *n.* 6. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 17. *n.* 11. Molin. *disp.* 176. vers. *Mihi autem.* Lugo *suprà n.* 167. Tapia *n.* 11. Vazq. *§.* 3. *dub.* 5. Acosta *in §. Quid si tantum*, 3. *part. à num.* 180.

Si filius post datam exhæredationis causam, in Religione profitea-tur, non potest ob eam à patre exhæredari.

96 Vltima difficultas est, an si filius post patratum aliquod ex dictis criminibus contra patrem (& idem est de patre respectu filij) profiteatur in aliqua Religione approbata, possit ob illam causam à patre exhæredari? Respondetur negativè, quia per professionem omnis ingratitudo præcedens delcta censetur. Covar. *n.* 20. Villalob. *n.* 22. Tapia *n.* 12. Trullench *n.* 8. Molin. *disp.* 176. *§. vltimo.* Et ideò dicitur in quadam novella constitutione, quam adducit Gratianus in Decret. *cap. vlt.* 19. *quæst.* 3. *Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes hæreditate repellere Monachos factos, quamvis dum laici fuerant, in causam ingratitudinis inciderint.* ¶ Idem dicunt aliqui, si sequatur pœnitentia filij de patrato crimine ante mortem patris. Ita Sylvest. quem refert, & sequitur Trull. *n.* 6. & alij apud Vazquium, & Molinam *loc. cit.* Qui meritò id negant, & cum eis Lugo *num.* 168. quia licèt pœnitentia quoad Deum auferat culpam, quoad forum tamen humanum à pœna debita non liberat delinquentem.

PUNCTUM VII.

De hæredibus ab intestato.

Quando dicatur aliquē mori ab intestato.

67 TUnc ab intestato aliquem mori dicitur, vel quando non fecit testamentum, sive quia morte præventus non potuit, sive quia noluit, sive quia non erat in statu, vel ætate, in qua testamentum condere posset, sive quia inhabilis erat ad testandum; vel quia, licèt fecerit testamentum, fuit nullum, & invalidum, vel ob defectum solemnitatis, vel ob præteritionem hæredis, vel ob alias causas; vel si validum fuit, illud ante mortem revocavit, vel abrupit. Quærimus ergò in præsenti de ijs, qui in tali casu succedunt. Et loquemur priùs de ascendentibus, & descendentibus, posteà de consanguineis transversalibus.

Igitur

Primo loco ab inteſtato ſuccedũt deſcẽdẽtes.

98 Igitur ei, qui inteſtatus moritur, primo loco ſuccedunt deſcendentes, quicumque ſint (loquimur toto hoc puncto de legitimis) ſive filij, nepotes, pronepotes, &c. excluſis omnibus aſcendentibus, & tranſverſalibus, ſervato illorum ordine in gradibus propinquitatis; ita quòd ſi ſint filij, iſti ſuccedunt, per capita; & ſi fuerint nepotes, iſti ſolùm ſuccedant, quatenus repræſentant patrem, & ſic non per capita, ſed per ſtirpem ſuccedant; ita vt omnes nepotes filij vnius fratris vnam tantùm repræſentent perſonam, & omnes vnam ſolam portionem accipiant æqualem illi, quam ſinguli filij extantes accipiunt. Quod verum eſt de omnibus filijs, ſive viris, ſive fœminis, ſive emancipatis, ſive non emancipatis: omnes enim per capita æqualitèr ſuccedunt, etiam ingrati, & qui cauſam exhæredationis dedere, ſed non fuerunt exhæredati. Authent. *de hæredit. ab inteſt.* Authent. *Defuncto*, Cod. *Ad Senatus Conſultum Trebell. §. Item vetuſtas*, Inſtit. *de hæred. ab inteſt. leg. 3. tit. 13. p. 6. lib. 8. Tauri*, hodie *leg. 5. tit. 8. lib. 5. Recopil.*

Deficientibus deſcendẽtibus ſuccedunt ab inteſtato aſcendentes.

99 Deficientibus autem deſcendentibus, ſuccedunt ab inteſtato aſcendentes, excluſis omnibus tranverſalibus, modo, & ordine, quo ſuprà *num.* 83. diximus circa legitimam aſcendentibus debitam; ita vt pater, & mater æquis portionibus ſuccedant: & ſi pater, aut mater ſolùm vivat, ille in totam ſuccedit hæreditatem, excluſis avis, & proavis: ſi patres non vivant, ſuccedunt avi, excluſis proavis; ita vt ſi fuerint avi paterni, & materni, in duas partes æquales dividatur hæreditas, quarum vna pro paternis, pro maternis altera aſſignetur; licèt non ſint in numero æquales, vt ex dictis juribus probat Vazq. *cap. 4. §. 1. n. 13.* Lugo *diſp. 24. ſect. 8. n. 177.* Quod verum eſt, licèt bona defuncti filij habita ſint à patre, vel à matre, quòd modo dicto ſuccedunt avi, vel paterni, vel materni: eo quòd leges abſque vlla diſtinctione loquuntur de vniverſis bonis, atque adeò omnia dividenda ſunt modo dicto, inter aſcendentes paternos, & maternos; vndecumque nepoti provenerint. Vazq. §. 2. *dub. 1. num. 2.* Lugo *num. 118.* Molin. *diſp. 163. §. Obſerva deinde.*

Aſcendentes etiã ſuccedunt filio poſthumo.

100 Sed nota primò hanc ſucceſsionem locum habere etiam reſpectu filij poſthumi ſtatim mortui: v. g. prægnante vxore, moritur Franciſcus eius vir, poſt cuius obitum naſcitur filius, qui ſtatim moritur; tunc ſuccedit illi mater: ex jure communi, etiamſi ſtatim filius moriatur, ex jure autem Caſtellæ, *leg. 3. Tauri*, hodie *leg. 2. tit. 8. lib. 5. Recopil.* requiritur, vt parvulus poſt egreſſum ab vtero vivat per viginti quatuor horas naturales, & quòd baptizatus decedat, alitèr habetur vt abortivus, & non ſuccedit in bonis alicuius ex parentibus; & per conſequens ratione illius non ſuccedit ſuperſtes parens, vel alij aſcendentes, aut collaterales, in bonis parentis defuncti. Idem eſt, ſi mater in puerperio moriatur, quòd filius vivus tunc natus (etiamſi poſt mortem matris, rupto ventre, filius vivus naſcatur) ſuccedit ipſi matri. Qui ſi ſtatim poſt matrem moriatur (jure Caſtellæ poſt 24. horas) transfert poſt mortem ad patrem omnia bona materna. Et ſi, pater non vivat, ad avos, proavos, modo dicto, & illis deficiẽtibus; ad conſanguineos tranſverſales, ordine ſtatim explicando, leg. *Quod dicitur, de liber. & poſthum. leg. 2. & 3.* Cod. *de hæred. inſtit.*

Fratres quãdo ſuccedant cum aſcendẽtibus?

101 Secundò nota, quòd ſi defunctus habeat fratres, vel ſorores vtrimque conjunctus (dicitur autem in jure fratrer vtrimque conjunctus, qui eſt talis ex patre, & matre) mortis tempore, jure communi ſuccedunt ſimul cum parente, vel alio aſcendente, & portionem accipiunt ex bonis fratris defuncti, non per ſtirpem, ſed per capita, ita vt tot portiones hæreditatis æquales fieri debeant, quot ſunt perſonæ aſcendentium, & fratrum, qui ſuccedunt, dicta Authent. *de hæred. ab inteſtato, §. Sic igitur.* Authent. *Defuncto*, Cod. *ad Senatus Conſultum Trebell.* Lugo *ſuprà num. 179.* Dicaſt. *lib. 2. tract. 19. diſp. 1. num. 531. & 561.* De jure autem hiſpano, *leg. 6. & 7. Tauri*, hodie *leg. 1. & 4. tit. 8. lib. 5. Recopil.* viventibus aſcendentibus, illi ſolùm ſuccedunt, excluſis omnibus collateralibus, etiam fratribus vtrimque conjunctis.

Deficientibus deſcendentibus, & aſcẽdẽtibus, ſuccedunt proximiores conſanguinei.

102 Deficientibus aſcendentibus, & deſcendentibus, ſuccedunt conſanguinei collaterales, ſeu tranſverſales, ſive agnati ſint (ideſt conſanguinei ex parte virorum) ſive cognati (ideſt, conſanguinei ex parte fœminarum:) quia hodie ex jure communi indifferenter omnes conſanguinei vſque ad decimum gradum incluſivè ſuccedunt, ita vt præferantur illi, qui proximiori gradu ſunt conjuncti: & ſi omnes in eodem gradu exiſtant, æqualitèr per capita ſuccedunt. Authent. *de hæred. ab inteſt. §. Si igitur defunctus.* Authent. *Ceſſante, C. de legitimis hæred.* vti docent Molin. ex communi, *diſp. 164. in princip.* Lugo *diſp. 24. ſect. 8. n. 184.* Dicaſt. *lib. 2. tract. 19. diſp. 1. num. 573.* Martin. à S. Ioſeph *lib. 2. tract. 29. n. 4.* Sed talis ſucceſsio vſque ad decimum gradum eſt, regulariter loquendo: nam in feudis ſolùm eſt vſque ad ſeptimum gradum, in maioratibus vſque ad quemlibet ſine termino. Iure autem hiſpano (præterquam in maioratibus) ſolùm datur ſucceſsio tranſverſalium conſanguineorum vſque ad quartum gradum incluſivè, *ex leg. 1. & 2. tit. 8. lib. 5. Recopil.*

Quomodo computandi ſunt gradus conſanguinitatis ad ſucceſsionem?

103 In computatione autem gradus in ordine ad ſucceſsionem, de qua loquimur, non ſic computantur gradus in jure civili; ſicut diximus computandos eſſe gradus conſanguinitatis in ordine ad matrimonium, jure canonico, *tract. 9. cap. 12. n. 9.* Iure enim canonico ſolùm attenditur diſtantia cuiuslibet à trunco, ſeu ſtipite. Et quia fratres vno tantùm gradu diſtant à trunco, vno tantùm gradu in ordine ad matrimonium diſtant inter ſe ex jure canonico: & quia conſobrini, & filij duorum fratrum duobus gradibus diſtant à ſtipite, duobus gradibus diſtant inter ſe, & dicimus eſſe in ſecundo gradu conſanguinitatis. Sed jus civile in ordine ad ſucceſsionem computat gradus vtriuſque perſonæ in ordine ad communem ſtipitem: & vtriuſque perſonæ gradus numerando, tot gradibus inter ſe diſtare cenſentur, quot ſunt illi gradus ſimul ſumpti. Hinc eſt, quòd cum vnus frater, & alius diſtat vnuſquiſque in vno gradu à trunco, inter ſe diſtent duobus gradibus; quia numerat jus civile vnum gradum ex parte vnius fratris, & alium gradum ex parte alterius: & conſequentèr filij duorum fratrum, qui jure canonico ſunt in ſecundo gradu, jure civili ſunt in quarto, quia duo gradus ſunt cuiuslibet eorum comparatione avi. Similitèr pronepotes ex diverſis patribus, & avis, ſunt in ſexto gradu de jure civili. Quando autem inæqualitèr diſtant, ſunt etiam ennumerandi gradus vnius cum alterius gradibus. Et ideò patruus cum conſobrino diſtat tribus gradibus, quia duo ſunt gradus à conſobrino vſque ad avum ſuum, & vnus à patruo vſque ad eundem conſobrini avum. Et hinc fit, quòd numquam ſit primus gradus jure civili in linea tranſverſali. Videatur Covarrub. *in Epitom. part. 6. cap. 6. §. 6.*

Thom.

Thom.Sanch.*lib.7.de matrim.disp.*50.Dicast.*lib.2. tract.1.disp.1.à n.*556.Lugo *disp.24.sect.*8.*n.*184.

Fratres defuncti succedũt ab intestato, quãdo non habebat descendentes, vel ascendẽtes defunctus.

104 Fratre defuncto (si non habet descendentes, nec ascendentes) primo loco succedunt fratres illiusque vtrinque conjuncti, seu ex vtroque parente, exclusis semifratribus, seu ex vno solo parente. Authent.*de hæredib. ab intest.§. Si igitur.*Authent.*Cessante*,Cod.*de legitim.hæred.leg.*8.*Tauri*,hodie *leg.*5 *tit.*8.*lib.*5.*Recopil.* Si adsunt filij alicuius ex fratribus vtrinque conjunctis, iam filij isti defuncti succedunt per stirpem, non per capita; quia duntaxat succedunt, vt repræsentant patrem, & loco illius: dict. Authent.*de hæred.ab intestato, §.Si autem defuncto.*Et si nullus vivat frater ex vtroque parente, succedunt filij fratris ex vtroque parente,per capita inter se dividendo hæreditatem, etiamsi adsit frater defuncti ex vno parente; quia illi repræsentant fratrem vtrinque conjunctum, qui semper præfertur semifratri, seu fratri ex vno tantùm parente, vt constat ex juribus citatis.¶ Sed deficientibus fratribus vtrinque conjunctis,& filijs eorum, succedũt semifratres,exclusis omnibus alijs consanguineis transversalibus: dicta Authent.*de hæred.* §. *Si igitur defunctus.*Et si adsint filij semifratris defuncti, isti cum patruis ex vno parente succedunt, non per capita, sed per stirpem; quia solùm succedunt, vt repræsentant semifratrem: *ibi, §.Si autem defuncto.* Dicast. *à num.*574.Lugo *num.*185. Gomez *ad leg.*8. *Tauri, à num.*7.Tapia *lib.*5.*quæst.*21.*art.*5.P.Fr. Martinus à Sancto Ioseph *lib.*2.*tract.*29.*à num.*6.

Quomodo fratres ex vno parente se habeant ad successionem?

105 Sed inter fratres ex vno parente tale discrimen reperitur, quòd si sit frater vterinus (id est,ex sola matre) præfertur fratri consanguineo (id est,ex solo patre) in bonis, quæ ex matre obvenerunt defuncto; & in bonis,quæ ex patre, alius, sed in alijs bonis æqualitèr succedit vterque. Et idem est de filijs eorum, quando loco patris succedunt, proportione sæpius dicta; nimirum,quòd fratres succedunt per capita, filij verò eorum (quando succedunt) quia repræsentant patrem, non succedunt per capita, sed per stirpem.Authent.*Post fratres* 2.Cod. *de legitim.hæred.*leg.*De emancipatis*, vers. *Exceptis*, Cod. *eodem tit.leg.*16.*tit.*13.*part.*6. ¶ Sed notandum est, quòd prælatio, quam diximus *num.præced.* habere fratrem vtrinque conjunctum alijs semifratribus, solùm est respectu semifratrum, & filiorum suorum, non respectu aliorum cognatorum, vel agnatorum: nam isti succedunt (deficientibus prioribus) secundum ordinem graduum, qui reperiuntur in ipsis. Si sint in eodem gradu, succedunt per æquales partes: si alius proximior, succedit in totum. Et ideò patruus, qui frater est vtrinque conjunctus patris defuncti nepotis,æquè succedit cum patruo, qui solùm est semifrater illius, & præfertur nepotibus, seu filijs illius patrui, qui erat frater patris defuncti ex vtroque parente; quia leges solùm fratribus, & eorum filijs privilegium prælationis concessere. Lugo *disp.*24.*sect.* 8.*num.* 188. Molina *disp.* 164. *concl.*6.Vazq. *de testam.cap.*4.§.3.*num.*6.

Cõsobrini omnes,deficientibus fratribus,succedunt patruo per capita.

106 Sed inquires primò, an si nullus sit frater defuncti, sed solùm filij diversorum fratrum iam defunctorum, succedant per stirpem, an per capita. Et est maxima diversitas, & pro ijs, quæ vsu contingunt, maximè notanda. Nam si succedunt per stirpem, & filij vnius fratris defuncti sint quatuor, & alterius solus vnus, hæreditas patrui dividenda est in duas partes, & vna inter quatuor illos filios vnius fratris distribuenda, & altera vnico filio fratris applicanda. Si autem succedant per capita, in quinque partes æquales dividenda est hæreditas, & singulis sua portio æqualis applicanda. Dicimus ergo, quod omnes filij fratrum defunctorum (sive essent fratres vtrinque conjuncti, sive non) succedunt in bonis patrui defuncti,non per stirpem, sed per capita. Quia tunc solum dicitur filios succedere per stirpem, quando succedunt præcise, vt repræsentant patrem; sed in casu nostro non succedunt, vt repræsentant patrem, talis namque repræsentatio solùm conceditur à jure, quando filij fratris eius, qui modò moritur, succedunt cum alio, vel alijs fratribus: at quando ipsi filij fratrum inter se concurrunt, solùm attenditur secundùm gradum consanguinitatis, quem habent, in quo omnes sunt æquales. Et idem est de alijs consanguineis inter se concurrentibus in eodem gradu: & colligitur ex dict. Authent.*de hæred.ab intest. §. Huiusmodi vero, & §. Si autem cum fratribus.* Vazq. *supr.n.*59. & 60.Lugo *n.* 189.Dicast.*num.*583. Molin *tom.*1. *disp.*164.*§.In contraria sententia.* Martin. à S. Ioseph *lib.*2.*tract.*29.*n.*10. Quamvis alij oppositum, tàm ex jure communi, quàm ex jure Castellæ, teneant. Sed ex jure Castellæ dicta resolutio videtur indubitabilis,*ex leg.*8.*tit.*2.*fori*, *leg.*8. *Tauri*, hodie *leg.*5.*tit.*8.*lib.*5.*Recopil.*vbi sic dicitur: *Mandamos, que sucedan los sobrinos con los tios,ab intestato, à sus tios in stirpem, & non per capita.* Vbi illa limitatio, *los sobrinos con los tios*, denotat, tunc solum succedere in stirpem, quando cum patruis concurrunt. Clarius,*leg.*5.*tit.*13.*part.*6. ibi:*Mas si este que muriesse sin testamento, no aviendo descendientes, ni ascendientes, oviesse sobrinos de dos hermanos de parte de su padre, ò de su madre, è fuessen los hermanos ambos muertos, heredarán los sobrinos los bienes de su tio, è partirlos han entre sì por cabeças igualmente.*

Quando alij consanguinei succedant?

107 Inquires secundò, qui succedant ab intestato,quando nec sunt fratres, nec filij fratrum eius, qui modò moritur sine testamento? Respondetur, quòd in tali casu ex jure communi hæreditas devolvitur ad consanguineos (non habita ratione, an sint ex vna parte, an sint vtrinque conjuncti) per ordinem graduum vsque ad decimum: ita quòd proximiori competat omnis hæreditas in integrum. Si autem sint plures in eodem gradu, dividitur inter eos per capita (nec enim hic est locus repræsentationis) citata Authent.*de hæred.ab intest.cap.*3.§.*Si verò nec fratres*,Authent.*post fratres*, *C. de legitimis hæred.* & isti præferuntur conjugi (nisi ob aliquam causam prohibeantur succedere) si sint intra decem gradus.¶ Deficientibus verò consanguineis intra 10. gradus,succedit vxor defuncti (vel si defuncta sit vxor succedit vir) si non præcesserit divortium: & etiam si præcedat, si fuerint reconciliati,vt ex diversis juribus docent Vazq.*§.*3.*dub.*2. Lugo *n.*192.Trullench *lib.*7.*cap.*18.*dub.*10.*n.*12.Dicast. *n.*592.Layman *lib.*3.*tr.*5.*cap.*6.*n.*4.à S. Ioseph *lib.* 2.*tract.*29.*n.*13.¶ Sed,non existentibus illis, nec vxore, succedit fiscus,*leg.§.vltim.ff. de jure fisci*, *leg.*1.leg.*Vacantia*,*C.de bonis vacantib.* ita vt si defunctus fuerit laicus,fiscus regalis succedat; si clericus,fiscus ecclesiasticus: & si fuerit beneficiarius succedit ecclesia, seu altare, cuius est beneficiarius. Et quando peregrinus in hospitali moritur, ex jure communi bona mobilia, quæ ibi reperiuntur, per Episcopum sunt in pias causas dividenda, ex Authent.*Omnes peregrini*, *C. communia, de succession.*

Dicta

Ad quē gradum extendatur succesſio jure hiſpano?

108 Dicta *n. præced.* intelliguntur ex jure communi. Ex jure autem hiſpano novo, ſucceſsio ab inteſtato non extenditur, niſi ad quartum gradum, & deficientibus conſanguineis intra quartum gradum, nec vxor, nec alij ſuccedunt, ſed ſuccedit fiſcus regalis. *Leg.* 1. & 2. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recomp.* Cenſentur enim jam, hoc ipſo quòd dicti conſanguinei deficiant, bona vacantia, quæ ex jure communi pertinent ad fiſcum. Leg. *Vacantia*, Cod. *de bonis vacantib. lib.* 10. *leg.* 12. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recomp.* Sed Rex noſter hæc bona vacantia applicuit ad ſumptus expeditionis Cruciatæ in fidei defenſionem. Et hic eſt titulus, quarè Iudices Cruciatæ intromittuntur ad cognoſcendum de ſucceſsione eorum, qui ab inteſtato decedunt. Sed de hoc videndi ſunt Avend. *de exequend. mandat.* 1. *p. cap.* 7. *n.* 3. Azebed. *in leg.* 6. *tit.* 13. *lib.* 4. *Recomp. n.* 35. Anton. Gom. 1. *variar. cap.* 1. *à num.* 1. Molin. *de juſtit. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 162. 163. & 164. Tapia *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 9. *n.* 4. Villalob. *tract.* 30. *diſp.* 17. *n.* 6. Bobadill. *Politic. lib.* 1. *n.* 132. *cap.* 16. Et quando peregrinus in hoſpitali moritur, quid ſit faciendum de eius bonis, diſponit lex 5. *tit.* 12. *lib.* 5. *Recompil.* ita: *Si el Peregrino muriere ſin hazer teſtamento, los Alcaldes del lugar do muriere, reciban ſus bienes, y cumplan dellos lo que fuere meneſter para ſu enterramiento: y lo que reſtare, guardenlo, y haganlo ſaber à nos, para que mandèmos lo que buvieremos de hazer.* Sed plures docere Doctores, habere Xenodochia hiſpaniæ privilegia, vt bona eorum, qui in eis moriuntur, illis applicentur, loquendo de bonis, quæ tunc apud illos reperiuntur, diximus *tract.* 12. *de juſtit. & domin. cap.* 2. *n.* 81.

PUNCTUM VIII.

De ſubſtitutionibus.

Quid ſit ſubſtitutio, & quotuplex.

109 VNam ex diſpoſitionibus vltimæ voluntatis diximus eſſe ſubſtitutionem, quæ eſt ſecunda hæredis inſtitutio, & diffiniri poteſt: Subſtitutio eſt *Vnius, vel plurium, in alterius, vel aliarum locum, ad rem aliquam in vltima voluntate tacita vocatio.* Dicitur *vnius, vel plurium*, quia non ſolùm vnus poteſt ſubſtitui loco alterius, ſed etiam plures loco vnius, vel plurium: vt ſi dicat, *Inſtituo hæredem meum Petrum, & ſi iſte non fuerit, ſit Paulus, & Franciſcus: & ſi iſti non fuerint, ſuccedat eccleſia.* Dicitur etiam *ad aliquam rem*, &c. quia ſubſtitutio non ſolùm habet locum in hæreditate, ſed etiam in legatis, & in donatione cauſa mortis. Sed differentias ſubſtitutionis enumerant communiter Doctores, nempè *ſubſtitutio vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicommiſſaria, reciproca, breviloqua, & compendioſa.* De quibus hoc puncto agemus: plura relinquentes, quæ pertinent ad Iuriſtas, & ea attingentes, quæ Theologum dignum eſt ſcire; quamvis ex juriſprudentiæ fontibus ſint accipienda.

§. I.

De ſubſtitutione vulgari, pupillari, & exemplari.

Qualis ſit ſubſtitutio vulgaris?

110 PRima inter numeratas ſubſtitutiones eſt, quæ dicitur *vulgaris*: & eſt ſimplex, & directa ſubſtitutio, qua quis hæredi à ſe inſtituto quemlibet ſubſtituit; & ideò ita ſubſtitutio à quolibet poteſt fieri, & ſubſtituere quem voluerit, dummodò non ſit ex ijs, qui non poſſunt inſtitui hæredes in teſtamento. Nam hæc verè eſt directa inſtitutio hæredis, loco hæredis primò inſtituti, & ideò ſolet dici *ſecunda inſtitutio hæredis.* Et quia in codicillo non poteſt fieri directa hæredis inſtitutio, vt dicebamus *n.* 3. propterea nequit in codicillo hæc ſubſtitutio fieri. Et idem eſt de alijs ſubſtitutionibus, præter fideicommiſſariam. Nam in omnibus, præter illam, fit directa inſtitutio hæredis in ſubſtituto, quia non transfertur hæreditas ad ſubſtitutum per manus primi hæredis, ſed loco illius inſtituitur alius. Hæc vulgaris ſubſtitutio poteſt fieri, vel generalibus verbis, vt ſi dicat, *Inſtituo hæredem Titium; & ſi ille non fuerit, ſit hæres meus Caius*: vel verbis ſpecialibus (exprimendo nimirùm conditionem, quæ eſt intrinſeca huic ſubſtitutioni) ſic, *Inſtituo hæredem Titium, & ſi ille noluerit acceptare, ſit hæres meus Caius*: vel verbis ſpecialiſsimis, dicendo, *Inſtituo hæredem meum Titium; & ſi ille nollit, vel non poſsit eſſe hæres meus, vel ante moriatur, vel alio quovis titulo non fuerit hæres meus, ſit loco eius Caius.* Et quovis ex his modis valet inſtitutio, & ſubſtitutus ſuccedet, ſi primus non ſuccedat in hæreditate.

Quādo vulgaris ſubſtitutio finitur?

111 Hæc ſubſtitutio vulgaris finitur, & extinguitur primò, quando hæres primò inſtitutus acceptat hæreditatem, & in illa de facto ſuccedit, leg. *Poſt aditam*, Cod. *de impuber. &c. leg.* 1. *tit.* 5. *p.* 6. quia (vt diximus) in hac ſubſtitutione illa tacita conditio imbibitur: *Niſi hæres primò inſtitutus hæreditatem adeat.* Quare ab inſtanti, quo ille hæreditatem adijt, ceſſat huius ſubſtitutionis virtus. Secundò etiam ceſſat, & extinguitur ſtatim ac moritur ſubſtitutus ante adimpletam conditonem; nimirùm ſi moriatur antequam recuſet alius hæreditatem, vel ad eam non eſſe idoneum probetur, & ideò ab ea excludatur; & tunc non tranſit dicta ſubſtitutio ad hæredes ſubſtituti. Leg. *Sed & plures. ff. De vulg. & pupillar.* Quarè ſi poſt mortem ſubſtituti recuſet primus hæres hæreditatem, illius hæredes non ſuccedunt; ſuccedent verò, ſi ante mortem eius detur talis recuſatio, quia jam eſt jus quæſitum à ſubſtituto, quod tranſit ad eius hæredes. Molin. *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 183. *n.* 8. Ant. Gom. *tom.* 1. *var. reſ. cap.* 3. *n.* 30.

Qualis ſit ſubſtitutio pupillaris, & quomodo fiat?

112 Subſtitutio pupillaris à jure conceſſa eſt fieri à parentibus pro filijs, ante pubertatem degentibus, & conſtitutis ſub ſua patria poteſtate. Cùm enim filius ante pubertatem (quæ in viris invenitur expletis 14. annis, & in fœminis expletis duodecim) non poſſit facere teſtamentum, vt diximus ſuprà, conceſsit jus parentibus, vel (loco illorum) aſcendentibus, vt pro filijs teſtari poſſent, & hæredem loco pupilli ſubſtituere, ſi fortè moriatur intra ſtatum pupillarem. Et hæc dicitur *ſubſtitutio pupillaris, §. Maſculos*, Inſtit. *De pupillar. &c. leg.* 2. *& ferè per totum tit.* Cod. *de vulgar. & pupillar.* cap. *Si pater, de teſtam. in 6. leg.* 5. *tit.* 5. *p.* 6. *leg.* 31. *Tauri.* Ex quibus juribus poteſt ſic diffiniri: quod eſt, *Qua teſtator filio impuberi in poteſtate ſua conſtituto hæredem ſubſtituit, qui impuberi ipſi ſit hæres.* Vndè in tali ſubſtitutione fit quaſi duplicatum, vel duplex teſtamentum in vno: aliud eſt, quo pater pro ſe nominat hæredem: aliud quo hæredem nominat pro filio. Et fit ſub hac forma: *Inſtituo meum hæredem Petrum meum filium; & ſi ipſe moriatur in ætate pupillari, ſit eius hæres Paulus.* Et per hanc ſubſtitu-

tutionem ad ſubſtitutum pertinent; mortuo filio in ætate pupillari, non ſolùm bona, quæ filius à patre accepit; ſed omnia bona apud filium quovis modo tempore mortis inventa, ac ſi ipſe filius faceret teſtamentum. §. *Igitur*, Inſtit. *De pupillar. ſubſtit.* ibi: *In pupillari ſubſtitutione duo quodammodò ſunt teſtamenta, alterum patris, alterum filij, tanquam ſi ipſe filius ſibi hæredem inſtituiſſet.* Lugo *diſp.* 24. *ſect.* 8. *n.* 146. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 19. *diſp.* 1. *n.* 604. Bonac. *diſp.* 3. *q. vlt. punct.* 4. *n.* 4. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 19. *diſp.* 1. *n.* 79. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 14. *n.* 3. Anton. Gom. 1. *variar. cap.* 4. *n.* 1. Martin. à S. Ioſeph, *lib.* 2. *tract.* 19. *n.* 1.

Tribus modis poteſt fieri ſubſtitutio pupillaris.

113 Hæc ſubſtitutio pupillaris etiam poteſt fieri tribus modis, vt de vulgari dicebamus: vel verbis generalibus, vt ſi teſtator loquens de filio ſuo impubere, non exprimens impubertatem, dicat: *Filium meum inſtituo hæredem, & ſubſtituo ei Petrum.* Vel verbis ſpecialibus, nimirùm mentionem facientibus pupillaris ætatis; vel ſpecialiſsimis, ſcilicet exprimendo conditionem propriam huius ſubſtitutionis, dicendo: *Inſtituo filium meum impuberem hæredem; & ſi in pupillari ætate poſt mortem meam deceſſerit, ei Franciſcum ſubſtituo.* Quocumque ex his modis fiat ſubſtitutio, valet. ¶ Poteſt tamen pater ponere onera, gravamina, conditiones, quas voluerit ſubſtituto, quia iſte ſuccedit ex voluntate patris, cui liberum eſt ponere onera, quæ voluerit, hæredi non neceſſario.

De cõditionibus requiſitis ad pupillarẽ ſubſtitutionem.

114 Sed circa hanc pupillarem ſubſtitutionem inquires primò, quas conditiones requirat hæc ſubſtitutio, vt ſit valida? Reſpondetur, quòd communiter ſex conditiones aſsignantur ab Authoribus. Prima, quòd is, cui datur ſubſtitutus, ſit filius, nepos, vel alius deſcendens, & ſic non poteſt ſubſtituere filius pro patre, aut alio aſcendente; nec quiſquam pro tranſverſali. Secunda, quòd filius, cui datur ſubſtitutus, ſit ſub patria poteſtate eius, qui pro eo ſubſtituit. Vnde nec mater poteſt ſubſtituere, quia fœminæ non habent patriam poteſtatem; nec pater pro filio emancipato, nec pro aliquo filio illegitimo, etiam naturali, quia nullus eſt ſub patria poteſtate. Bonac. *ſupr. n.* 4. Leſſ. *n.* 80. Dicaſt. *n.* 607. Villalob. *diff.* 14. *n.* 3. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 8. *n.* 3. Tertia, quòd filius, pro quo ſubſtituitur, ſit impubes. Quarta, quòd in tali teſtamento filius inſtituatur hæres, vel ſaltem ponatur cauſa, quare exhæredatur. Quinta, quòd filius acceptet hæreditatem teſtamenti patris, ſi capax fuerit acceptandi; vel ſaltem nunquam eam recuſet. Sexta, quòd, mortuo teſtatore, filius maneat ſui juris, hoc eſt, quòd non tranſeat in patriam alterius poteſtatem. Et ſic avus non poteſt ſubſtituere pro nepote, cuius pater vivit; nec pater pro filio, cuius vivit avus, ſub cuius poteſtate ſtatim ac moritur pater, redigitur. Has conditiones ponunt Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 184. Bonac. *diſp.* 3. *q. vlt. punct.* 4. *n.* 4. Lugo *diſp.* 24. *ſect.* 8. Villalob. *tr.* 30. *diff.* 14 *n.* 4. Tap. *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 3. *n.* 3. Anton. Gom. 1. *variar. cap.* 3. *n.* 24.

Maneatne excluſa mater in pupillari ſubſtitutione?

115 Inquires ſecundò, an ſi pater ſubſtituat pupillaritèr extraneum pro filio, qui matrem habebat, mortuo filio in ætate pupillari, ſubſtitutus ſuccedat in tota hæreditate, etiam excluſa matre? Reſpondetur affirmativè, & manet excluſa mater etiam de portione legitimæ, quæ ſibi debebatur ex bonis pupilli; etiamſi inter ea inveniantur bona, quæ pupillus acquiſivit per lineam maternam, leg. *Sed & ſi plures, §. Ad ſubſtitutos, ff. de vulgar. pupil.* leg. *Lucius eod. tit.* leg. *Papinianus, §. Sed neque impuberes, ff. De inofficioſo teſtam.* cap. *Si pater, de teſtam. in 6. leg. regia* 12. *tit.* 5. *part.* 6. & ratio eſt, quia teſtamentum, in quo pupillaris ſubſtitutio fit, non eſt diſpoſitio filij, ſed patris, qui non tenetur vxorem ſubſtituere hæredem. Vndè jus, quod patri conceſsit, poſſe ſubſtituere pro filio, conceſsit, vt quem voluerit, ſubſtituat, etiam excluſa matre legitima; cui ex jure naturæ non debetur legitima (præter caſum neceſsitatis) niſi ex diſpoſitione juris poſitivi, quod modo hanc poteſtatem patri dedit. Ant. Gom. 1. *variar. cap.* 4. Covarr. cap. *Rainutius, §.* 5. *num.* 6. *de teſtam. & cap. Cùm eſſes, eod. tit. n.* 11. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 184. *n.* 18. Martin. à S. Ioſeph, *lib.* 2. *tract.* 20. *num.* 3. Villalob. *tract.* 3. *diff.* 14. *n.* 5. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 82. Lugo *diſp.* 24. *ſect.* 8. *n.* 149.

Quibus modis extinguatur, & finiatur pupillaris ſubſtitutio?

116 Inquires tertiò, quibus modis extinguatur, & finiatur pupillaris ſubſtitutio? Reſpondetur, quòd tribus modis. Primo ceſſat in puncto, quo filius, cui ſubſtituitur, accedit ad ætatem pubertatis, in qua iam poteſt teſtari. Secundo, ſi ſubſtitutus moritur ante pupillum; illius namque jus non tranſit ad hæredes eius. Tertio, ſtatim ac filius exit à patria poteſtate, & fit ſui juris, vivente patre. Et quia per profeſsionem patris, vel filij in Religione ſolvitur patria poteſtas, ſi pater, qui in teſtamento pro filio ſubſtituerat pupillaritèr, in Religione approbata ſolemnitèr profiteatur, ceſſat pupillaris ſubſtitutio: & ſic ſi moriatur pater, & poſt eum filius ante pubertatem, non ſuccedit ſubſtitutus, ſed hæres ab inteſtato. Tapia *lib.* 5. *q.* 22. *art.* 13. *n.* 3. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 19. *diſp.* 1. *n.* 605. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 184. *n.* 24. Emman. de Acoſt. cap. *Si pater, part.* 2. *num.* 10.

Quando fiat ſubſtitutio exemplaris?

117 Veniamus ad exemplarem ſubſtitutionem, quæ introducta eſt à jure ad exemplum, & imitationem pupillaris: nam licèt proviſit jus, vt pater, vel alius aſcendens teſtaretur pro filio, qui ob ætatis defectum teſtamentum facere non valebat, ita vt poſſet pro filio teſtari, qui ob defectum judicij (quia nimirùm eſt amens, phreneticus, mente captus) non poterat efficere teſtamentum. §. *Qua ratione*, Inſtit. *De pupillar.* leg. *Humanitatis*, Cod. *de impuber. & aliis ſubſtit.* Quod etiam extendunt Doctores communiter ad alios caſus, in quibus filius nequit teſtari, vel quia eſt ſurdus, & mutus, vel quia prodigus, cui ablata eſt adminiſtratio bonorum à jure; vel quovis alio morbo laborans, qui teſtandi impediat facultatem. Sed hanc ſubſtitutionem non poſſunt filij facere pro parentibus, vel aſcendentibus furioſis, quia iſta ſubſtitutio eſt ad exemplum pupillaris; in qua non poſſunt deſcendentes ſubſtituere pro aſcendentibus.

Primum diſcrimen inter pupillarẽ & exemplarem ſubſtitutionem.

118 Sed quamvis exemplaris ſubſtitutio ad inſtar pupillaris ſit introducta, triplicitèr nihilominùs diſcriminantur. Primò, quòd in pupillari ſubſtitutione non poteſt mater ſubſtituere pro filio, vt diximus; poteſt tamen in exemplari, tàm pater, quàm mater (& aſcendentes in illorum defectum) & vterque parens diverſum etiam ſubſtituere hæredem, *leg.* 11. *tit.* 5. *p.* 6. Et quando vterque parens diverſum ſubſtitutum aſsignat, ſubſtitutio facta à patre habebit locum in bonis, quæ filius habet ratione patris; & facta à matre, in bonis, quæ habet ratione matris: & ſi alia bona habeat, dividentur per partes æquales inter vtrumque ſubſtitutum. Lugo *diſp.* 24. *ſect.* 8. *numer.* 252. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 19. *numer.* 84. Gomez 1. *variar. cap.* 6. *numer.* 11. Molin. *tom.* 1. *tract.*

tract.2. disp. 185.*n.* 3. à S.Ioseph, *lib.* 2.*tract.* 20. *n.*2. Et est valida substitutio matris, etiamsi ad secundas nuptias transierit. Quod licèt aliqui negent, tenet Gomez *n.*9.Molin.*n.*6.Villalob.*tract.* 30. *diff.* 14.*n.*11.Tapia *lib.*5.*q.*26.*art.*13.*n.*5. Gregor. Lop. *ad leg.*11.*tit.*5.*p.*6.

Duo alia discrimina inter dictas substitutiones.

119 Secundum discrimen est, quòd in pupillari substitutione potest pater substituere quam voluerit; sed in exemplari determinatur à jure, quos debet substituere. Nam ex jure hispano (& idem est de jure communi, leg. *Humanitatis*, Cod. *de cura furiosis data*) *leg.*11.*tit.*5.*partit.*6. ita habetur: *Pero si està loco à quien dàn el substituto, tambien el hijo, ò nieto, ò alguno de los otros, que suceden por derecha linea dèl, debenlos substituir en su lugar, y no otros. Y si alguno destos no ovlere entonces, le pueden dar por substituto à su hermano, si lo oviere; y si no oviere hermano, puedenle dar por substituto à otro estraño.* Sed dicta lex intelligenda est ita, quòd si pater facit substitutionem, debent esse substituti descendentes à patre: & si mater, descendentes à matre. Gomez *cap.*6.*n.*1. Villalob. *diff.* 14.*n.*9.Lugo *n.* 152. ¶ Hinc oritur tertium discrimen. Nam licèt in pupillari substitutione possit excludi mater à bonis filij, non sic in exemplari, quia si debent non excludi fratres ab hac substitutione, multò magis mater, quæ conjunctior est cum eo, cui fit substitutio. Sic Gomez *n.* 71. cum Baldo, & Iasone, Villalob. *n.* 10. Lugo *n.* 153. à S. Ioseph, *tract.* 20. *n.*5. Quamvis Covarr. & Greg. Lopez satis probabiliter oppositum teneant.

Quando finiatur exemplaris substitutio?

120 Extinguitur autem, & finitur hæc exemplaris substitutio statim, ac substitutus, qui amens erat, fit mentis compos. Sed si non fecit testamentum, postquam judicium est nactus, & redit ad insaniam, revivisci; & vim habet substituio exemplaris facta, etiamsi mortuus sit pater, vel mater, quæ substitutionem fecerat, antequam filius mentis compos fieret. Covarr. cap. *Rainutius*, *de testam.* §.6. *n.*7. Molin. *tom.*1.*tract.*2.*disp.*185.*n.*15. Gomez 1.*variar. cap.*6.*n.*11.Villalob. *diff.*14.*n.*8. Lugo *n.*183. Cæterùm non potest fieri exemplaris substitutio, quando qui cecidit in amentiam, testamentum antea confecerat, quia in tali casu illi est standum, vt tenet comunis sententia.

§. II.

De substitutione fideicommissaria, reciproca, & compendiosa.

Quid, & quomodo fiat fideicõmissaria substitutio?

121 PEr fideicommissariam substitutionem hæres directè institutus (qui dicitur *Commissarius*) gravatur, vt restituat, vel totam hæreditatem, vel tertiam, vel quartam, vel aliam similem partem alteri tertiæ personæ (quæ dicitur *Fideicommissarius*) & per directum hæredem succedit fideicommissarius indirectè, & obliquè in bonis, juribus, & actionibus testatoris, *leg.*2.*& seq. ff. Ad Senatus Consult. Trebellian. leg.* 1. *& seq.* Cod. *eod.tit.* leg. *Final.tit.*5.*partit.* 6. Et dicitur hæc substitutio indirecta, & obliqua, quia per eam venit hæreditas per manus commissarij ad fideicommissarium sub hac forma: *Instituo te hæredem, vt tali tempore reddas hæreditatem, vel talem partem eius Titio.* Et hinc fit (vt omnes concedunt) quòd licèt in codicillo non possint fieri aliæ substitutio-

nes ex jure communi, benè tamen ista, quia in codicillo non potest directè institui hæres, benè tamen indirectè, vt diximus *n.* 3. Quod fit in substitutione ista, in qua per manus vnius indirectè, & obliquè transit hæreditas ad alium. Vndè sequitur, quòd antequam hæres gravatus acceptet hæreditatem, non acquirit eam, vel eius partem substitutus; sed potest judicialitèr petere, quòd Iudex compellat illum, vt acceptet, & restituat sibi, quod ad se pertinet. Lugo *disp.*24.*sect.*8.*n.*115. Mart. à S.Ioseph, *lib.* 2.*tract.* 21.*num.*2.

Quando expiret substitutio fideicõmissaria.

122 Si fideicommissarius moriatur ante testatorem, certum est finiri fideicomissum, & non transire jus ad hæredes. Covarr. cap. *Raynaldus*, *de testam.*§.1.*n.*2.Gomez 1.*variar.cap.*5.*num.* 9. Vbi etiam agunt, an si, moriatur post testatorem, transeat jus ad hæredes eius, si decedat ante tempus, quo gravatus tenebatur restituere. ¶ Ex jure communi substitutio fideicommissaria expirat, & finitur, si hæres gravatus moriatur ante acceptationem hæreditatis, leg. *Ille à quo*, §. *Si testamentum*, *ff. Ad Senatus Consult. Trebell.* leg. *Non justam*, Cod. *eod.tit.* Sed jure Castellæ non exringuitur fideicommissio per hoc, quòd non acceptetur hæreditas ante mortem commissarij; & sic omnes hæredes eius, sive ex testamento, sive ab intestato tènentur restituere fideicommissario, ac si acceptatio præcessisset, *leg.* 1. *titul.* 1. *lib.* 5. *Ordinam. leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 4. *Recompil.* ¶ Sed quamvis professio religiosa pro morte civili computetur, nihilominùs etiamsi hæres gravatus profiteatur in Religione, fideicommissarius non admittitur ad hæreditatem vsque ad mortem naturalem commissarij gravati (si Religio illa capax sit successionis hæreditariæ, juxta dicta *tract.* 12. *de Iustit. & dominio*, *cap.* 2. *punct. vltim.*) & sic toto tempore vitæ illius monasterium, vel Religio illa hæreditate fruitur, si fideicommissum sit vsque ad mortem: vt si daret illi hæreditatem cum onere, vt ipse post obitum Petrum instituret hæredem, vel per tempus, quo ille commissarius hæreditatem non tenebatur restituere. Sic Covarr. 1. *variar. cap.*19. *numer.* 2. Dicastill. *lib.* 2. *tract.*19. *disput.*1. *numer.*626. Molin. Iurist. *lib.* 2. *de primog. cap.* 13. *numer.* 77. Acosta cap. *Si pater*, *part.* 1. vers. *Si absque liberis*, *num.* 63. Rebell. *lib.*18. *de oblig. justitiæ*, *quæst.*16.*n.*3. vers. *Quod in conclusione*, Bonac. *disp.* 3. *q. vltim. punct.*4.*n.*8.

De quarta Trebellianica deducenda à cõmissario.

123 Sed inquires, quid, & quantum possit deducere sibi hæres gravatus ex ijs, quæ sibi jubentur fideicommissario restituere? Respondetur, quòd potest deducere sibi quartam partem (quæ dicitur *quarta Trebellianica*) ex ijs, quæ debet restituere; ita quòd si gravatus sit restituere totam hæreditatem, ex tota quartam partem potest deducere; si vnam, vel alteram partem, ex illa, *leg.* 1. *& sequent. ff. Ad Senatus Consult. Trebell.* Et hoc jus indulsit, tùm, vt hæres gravatus hæreditatem non recusaret, sed eam spe hanc deducendi partem, acceptaret: tùm etiam ne nomen hæredis directi esset vacuum, & actiones illius essent superfluæ. Tùm denique, vt ratione hac, si hæres gravatus nollet acceptare hæreditatem, posset ad hoc compelli. Benè verum est, quòd si compulsus acceptet eam, non potest deducere quartam Trebellianicam, leg. *Quia poterat*, *ff. eod.tit.* §. *Ergò*, vers. *Si reus*, Institut. *De fideicommiss. hæredit.* leg. *Prætereà per totam*, leg. *Nam quod*, §. *Qui impulsus*,

pulsus, ff. ad Senat. Consult. Trebell. leg. vlt. tit. 5. p. 6. Quæ jura etiam locum habent, cùm hæres gravatus est in codicillo, vt probat Anton. Gomez *1. variar. cap. 5. n. 5. & 14.* ¶ Sed si gravatus sit necessarius hæres, priùs deducere potest suam legitimam, quia in ea gravari non potest, vt diximus, & de remanentibus, in quibus gravatus est, deducere potest quartam trebellianicam; nisi ei commissum esset, quòd statim post mortem testatoris restitueret fideicommissario, quia tunc non potest deducere quartam trebellianicam, sed eligere quod voluerit, vel legitimam, vel quartam. Less. *lib. 2. cap. 19. dub. 7. n. 9.* Covarr. cap. *Rainutius, §. 11. n. 10.* Tapia *lib. 5. q. 21. art. 13. n. 11.* Villalob. *tractat. 20. diffic. 14. num. 27.*

Quando hæredes fideicommissarij possint deducere trebellianicam?

124 Quando restitutio hæreditatis facienda est post mortem gravati, possunt hæredes illius deducere hanc quartam trebellianicam, quia actio illius transijt ad hæredes. *§. Sed hæres, & seq.* Instit. *De fideicomm. hæred. leg. 1. & seq.* C. *ad Senatus Consult. Trebell.* cap. *Rainutius*, cap. *Rainaldus, de testam.* Sed hoc intelligendum est, quando in testamento facta fuit institutio hæreditatis, vel partis illius. Nam si institutio facta sit in re determinata, vt in domo, fundo, &c. non habet vim hæreditatis, sed legati, & non poterit deduci quarta Trebellianica, quia hæc deduci potest ex hæreditate, non ex legatis. Covarr. cap. *Rainutius, §. 11. n. 10.* Molin. *disp. 187. n. 1.* Acost. cap. *Si pater, part. 2.* verb. *Trebellianica, num. 14.*

Quando dividatur actiones inter hæredes, & fideicommissarium.

125 Statim ac hæres gravatus restituit hæreditatem, vel illius partem fideicommissario, omnes actiones, tàm activas, quàm passivas, quas poterat exercere hæres, transfert ad fideicommissarium. Et ita legatarij, vel alij creditores, si ab hærede petant; potest eos ad illum mittere, & dicere, quod non tenetur respondere, vt hæres. Et è contra, si ipse aliquid petat à debitoribus defuncti, poterunt illi opponere, quòd iam actionem amisit, postquam hæreditatem transmisit ad fideicommissarium. At si partem hæreditatis retinuit (quia solùm fuit gravatus in alia parte) vel deduxit trebellianicam, dividuntur actiones activæ, & passivæ inter ipsum, & fideicommissarium pro rata, secundùm portionem, quæ cuilibet eorum contigit. *§. Si quis vna*, Instit. *De fideicommiss. hæred.* Molin. *tom. 1. tract. 2. disp. 186. n. 4.* Anton. Gom. *1. variar. cap. 1. àn. 1.*

Testator impedire potest, ne Trebellianica deducatur.

126 Sed hìc notanda sunt duo. Primum, quòd potest testator prohibere, ne hæres gravatus deducat quartam trebellianicam. Et ratio est, quia jure novo authenticarum testator potest prohibere, ne hæres deducat quartam falcidiam ex legatis: Authent. *Sed iam testator*, Cod. ad leg. *Falcidiam*, Authent. *De hæred. & falcidijs, §. Si verò expressim.* sed jus semper falcidiam, & trebellianicam æquiparat; ita vt multoties vnam sub nomine alterius significet: ergò hoc ipso quòd concesserit testatori, vt posset impedire falcidiam, concesit etiam, vt posset impedire trebellianicam. Quid autem sit quarta falcidia, dicemus, cùm de legatis agemus. Sic Tapia *lib. 5. q. 22. art. 13. n. 12.* Less. *lib. 2. cap. 19. n. 90.* Bonac. *disp. 3. q. vlt. punct. 5. n. 9.* Dicastill. *lib. 2. tract. 19. n. 630.* Covarr. cap. *Rainaldus, de testament. §. 3. n. 6.* Gomez *1. variar. cap. 5. num. 11.* Martin. à S. Ioseph, *lib. 2. tract. 23. n. 6.* Aliqui dicunt, esse necessarium, quod talis prohibitio deducendi trebellianicam, vel falcidiam, facta sit expresè a testatore, quia ita in dictis juribus habetur. Alij verò sufficere talem prohibitionem tacitam quia taciti, & expressi eadem est virtus. Vtrumque est probabile. Securius tamen erit prohibitionem expressè ponere, quamvis sufficiant verba generalia, quibus mens testatoris sufficienter innotescat.

Ex fideicommisso ad causas pias non est deducenda Trebellianica.

127 Secundò notandum est, non posse hæredem gravatum deducere quartam trebellianicam ex fideicommisso ad causas pias: quia non potest hæres deducere quartam Falcidiam ex legatis ad causas pias: Authent. *Similiter*, Cod. *ad legem Falcidiam.* sed quod decernitur circa falcidiam, decernitur circa trebellianicam, vt diximus: ergò, &c. Sed si hæres gravatus sit causa pia, potest & falcidiam ex legatis, & trebellianicam ex hæreditate deducere, quia causa pia adversus aliam causam piam non habet privilegium; eo quòd quando duo habent privilegium circa eandem rem, cessat vtrumque privilegium, & standum est juri communi. Quod totum docent Covarr. cap. *Rainaldus, de testam. §. 3. n. 7.* Anton. Gomez *1. variar. cap. 5. n. 11.* Tapia *lib. 5. q. 22. art. 13. n. 10.* Sylvest. verb. *Legittima, n. 10.* Villalob. *tr. 30. diff. 14. n. 16.* Bonac. *disp. 3. q. vlt. punct. 4. n. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 19. n. 88.* Dicastill. *lib. 2. tract. 19. disp. 1. n. 642.*

De substitutione reciproca, & compendiosa.

128 Circa substitutionem reciprocam, & compendiosam pauca subijciemus, quia reliqua pertinent ad juristas: solùm eas brevitèr explicabimus. Igitur substitutio *reciproca*, seu *breviloqua* (quæ ita dicitur, quia brevibus fit verbis) tunc fit, quando hæredes substituti sibi invicem substituuntur sub hac forma: *Instituo Petrum, & Ioannem meos hæredes; & vnum alteri invicem substituo. Compendiosa* est, quæ includit plures substitutiones diversas quoad tempora, vt si dicat: *Instituo filium meum Petrum hæredem, & quandocumque migraverit è vita, substituo ei Titium.* Vndè si Petrus ante patrem moriatur, vel alia ratione non fiat hæres, Titius substituitur substitutione vulgari: si Petrus, admissa hæreditate, moriatur ante pubertatem, Titius succedit pupillari substitutione: si moriatur post pupillarem ætatem Petrus, Titius succedit substitutione fideicommissaria: si Petrus moriatur amens, succedit Titius substitutione exemplari. Et ideò hæc dicitur *compendiosa* substitutio, quia in brevibus verbis omnes substitutiones, modo dicto, comprehendit. Videantur Covar. Acosta, Molin. Anton. Gomez, *loc. cit.*

PUNCTUM IX.

Quot modis possit testamenta validè iam facta revocari?

Quodlibet testamentum ante mortem potest revocari.

129 QUodcumque testamentum (idem est de codicillo, seu quavis alia dispositione vltimæ voluntatis) revocari potest, corrigi, emendari, limitari, vel ampliari ad beneplacitum eius, qui illud condidit, vsque ad testatoris mortem: & sic primum in morte testatoris firmatur, vt inquit Apostol. *ad Hebræos 9.* ita vt nullo pacto obligari possit ad non revocandum testamentum, quia *vltima voluntas est de ambulatoria vsque ad mortem*, cap. *Vltima voluntas 13. q. 2.* cap. *Cum Matthæus, de celebrat. missar. leg. 4. ff. de adimend. legat.* & alijs juribus.

Vndè

Per secundũ testamentum primum revocatur.

130 Vndè hoc ipso, quòd quis cum debita solemnitate faciat secundum testamentum, primum manet omninò revocatum (quamvis hæres institutus in secundo non adeat hæreditatem, vel quia noluit, vel non potuit, vel alia ex causa: & tunc hæreditas devolvitur ad hæredes ab intestato) etiamsi secundum testamentum factum sit cum minori longè solemnitate quàm primum, dummodò in illo servetur debita solemnitas à jure requisita: semper enim prævalet vltima dispositio testatoris. Et hoc verum est, sive in secundo testamento expressè revocetur primum, vel in generali, vel in particulari, sive non, quia in ipsa natura condendi aliud testamentum imbibitur revocatio prioris. §. *Posteriori*, Institut. *Quibus modis testamentum infirmetur*. Iul. Clar. *lib.3.receptar.sentent. §. Testamentum, q.94. & 99.* Tapia *tom.2.caten.lib.5.q.21.art.10.num.4.* Martin.à S.Ioseph. *lib.2.tract.47.n.2.* Covarr. cum alijs, *rubric.de testam.n.1.& 2.*

Si testator rũpat testamẽtum, manet revocatum.

131 Vt censeatur revocatum testamentum, sufficit, quòd illud testator rumpat, sigillum auferat, deleat hæredem: & si non in totum, sed in parte illud cancellaverit, sola pars cancellata revocata manebit. Leg. *Cancellaverat, ff. De ijs, quæ in testamento delentur*, Villalob. *2.p.tr.30.diff.22.n.10.* Dicastill. *lib.2.tract.19.disp.1.n.270.* Qui benè notat, quòd si tabellio, vel notarius salvet rupturam, seu cancellationem, mentionem illius faciens, & dicens, *Non noceat*; tunc non censetur revocatum, & invalidum, iuxta *leg.1.ff.eod.tit.* Ea tamen salvatio fieri debet ante tabellionis signum, vt inquit Anton. Gom. *ad leg.3.Tauri, n.91.* At si testator habeat duo testamenta eiusdem tenoris, & vnum rumpat, aliud valet; & idem est si rumpat copiam signatam, integro manente protocollo apud tabellionem, quia tunc manet in suo robore tale testamentum, vt benè inquit Villalob. *tr.30.diff.22.n.15.* Iul. Clar. *supr. q.93.* Molin. *tom.1.disp.153.*

Quando nõ manet revocatum primum testamentum per secundum?

132 Diximus, per secundum testamentum cum debita solemnitate factum, prius revocatum manere. Quod intelligendum est, nisi in primo testamento ponatur clausula revocatoria posterioris, & aliorum sequentium; tunc enim posteriora invalida sunt (nisi in casibus recensendis) & primum in suo robore manet. Leg. *Si quis, in princip. ff. De legatis 3.* leg. *Hac consultissima, §. Si quis*, C. *de testam. leg.22. tit. 1.p.6.* Quod verum est, etiamsi in secundo testamento clausula revocatoria ordinaria ponatur, dicendo: *Per istud meum testamentum revoco, & annullo omne aliud, quod antea fecerim*, quia hæc revocatio generalis tacitè imbibitur in natura actus, & sic nihil operatur, quamvis expressè ponatur, quia cùm sit eadem virtus taciti, & expressi, si tacite posita nihil operatur (& tacitè ponitur, vt diximus, in constitutione secundi testamenti) nec etiam si expressè ponatur. Iul. Clar. *sup. q.99.* Covar. *de testam.2.p.n.1. & 2.* à S.Ioseph, *loc.cit.n.4.*

Forma revocandi testamentum secundum in priori.

133 Hoc remedio, & industria solent vti vxores, quæ timentes malè tractari à maritis, si eos non relinquant hæredes, vel quos ipsi voluerint, faciunt testamentum in scriptis, seu clausum, in quo ponunt clausulam derogatoriam posteriorioris, & posteà nuncupativum faciunt juxta mariti beneplacitum; & hoc nullius roboris est, illo priori manente, vt diximus. Clausula autem revocatoria testamenti sequentis hæc est, vel similis: *Quia testamentum hoc, maturè, rebus consideratis, à me conditum est, ipsum semper valere volo, & ex nunc revoco, & annullo quodvis aliud testamentum, quod à me conditum fuerit, & nollo ipsum valere; sed quod hoc omninò servetur tanquam meæ vltimæ voluntatis dispositio.* Et, vt firmius sit hoc primum testamentum, solet addi expressa conditio sic: *Volo, quòd si in alio testamento hoc voluerim expressè revocari, non valeat talis revocatio, nisi clausula hæc de verbo ad verbum ponatur, & simul talia, vel talia verba* (quæ ipse voluerit) *in eo ponantur.* Et adhuc, vt firmius maneat, solet addi protestatio, & juramentum sub his, vel similibus verbis: *Est voluntas mea, vt non valeat aliud, quod posteà egero, nec revocatio præsentis in toto, vel in parte. Nam ex nunc protestationem facio, quòd si aliud fecero, vel præsens revocavero, id agam, vt illorum, quorum interest, morem geram, quibus contradicere non potero: & Deum testor, & juro per ipsum, me nolle revocare hoc meum testamentum, quamcumque clausulam revocatoriam in altero ponam. Et si fortè videatur, me huic testamento velle contravenire, erit solum materialiter.* Et hæc protestatio summæ vtilitatis est ad conservandum actum, *quia protestatio præcedens, actui sequenti contraria, in ijs, quæ pendent ex mera voluntate, facit vt sequens actus nihil operetur, leg. 6. Qui in alienа, §. fin. ff. De acquirend. hæredit.*

Modus revocandi primũ testamẽtum, in quo ponitur clausula revocatoria secũdi.

134 At, quamvis testamentum primum dictis clausulis fulciatur, semper remanet per secundum revocabile: & potest bifariam revocari. Primò, si in secundo testamento ponatur juramentum, quo jurat testator se velle illud revocare, & istud valere; nam per hoc duntaxat (nisi prius testamentum juramento firmatum fuerit) manet hoc revocatum per secundum juratum, quantumvis in priori ponatur clausula revocatoria secundi: quia non præsumitur, testatorem (maximè in articulo mortis) peccare voluisse, & peierare: & sic censetur, verum habere, & sincerum animum revocandi prius testamentum, quacumque clausula munitum. Iulius Clar. *lib. 3. receptsentent. §. Testamentum, q.99.* Covart. *de testament.2.p.n.19.* Molin. *tom. 1. de justit. disp. 153. §. Hinc primò*, Villalob. *tr.30.diff.22.n.4.* Tap. *lib.5. q.21.art.10.n.6.* à S.Ioseph, *lib.2.tr.47.n.16.* ¶ Diximus: *Nisi prius testamentum fuerit juramento firmatum*, quia tunc cessat dicta præsumptio, cùm necessario vnum de duobus juramentis frangat. Vt enim testamentum prius juratum revocetur per secundum (etiamsi prius non habeat clausulam revocatoriam secundi) debet non solùm in secundo poni clausula expressè revocatoria prioris, sed mentio fieri de juramento facto in priori: & ideò si prius testamentum cum clausula revocatoria secundi conditum sit, & simul cum juramento, vtriusque debet mentio fieri, quando in secundo revocatur, sic: *Per hoc meum testamentum revoco, & annullo quodcunque à me factum, etiamsi cum clausula revocatoria secundi conditum sit, non obstante juramento adjuncto, &c. cuius relaxationem habeo.* Villalob. *sup.n.6.* Ant. Gom. *ad leg.3.Tauri, n.66.* Mart. à S.Ioseph, *n.8.* Gutier. *de juramент. confirm.2.p.cap.1.n.6.*

Alius modus revocandi prius testamentum revocatorium secundi.

135 Secundò potest revocari prius testamentum cum clausula revocatoria secundi factum, ponendo in secundo clausulam revocatoriam prioris clausulæ revocatoriæ, dicendo: *Per hoc meum testamentum revoco, & annullo omne aliud testamentum à me hucusque factum: & quæcumque clausulæ derogatoriæ in eo positæ, volo, vt habeantur pro insertis in hoc meo testamento, & de verbo ad verbum transcripta, ad revocandum eas*

eas, & ex nunc eas revoco, & annullo, & volo, vt nullius ſint roboris, ac momenti. Et per iſtam, vel æquivalentem clauſulam manet revocatum prius teſtamentum (niſi juratum fuerit, quia tunc, vt diximus, debet fieri juramenti mentio) quibuſcumque conditionibus in eo poſitis, quas non eſt neceſſe, in genere, vel in ſpecie in ſecundo teſtamento ponere, ſed ſufficit clauſula dicta, qua omne robur, & munimen priori teſtamento adhibitum evertitur: quia per eam ſufficienter voluntas vltima teſtatoris innoteſcit, cui ſemper eſt ſtandum. Covarr. 2.*p.n.* 19. Iulius Clar. *q.* 94. & 99. Tap. *ſup.n.* 5. Villalob. *diff.* 22.*n.* 3. Ant. Gom. *ad leg.* 3. *Tauri, n.* 9. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 19. *diſp.* 1. *n.* 282. ¶ Sed hìc notandum eſt, quòd ſi inter primum, & ſecundum teſtamentum decem anni tranſeant, quamvis in priori ponatur clauſula derogatoria poſterioris, & in iſto non fiat mentio talis clauſulæ, adhuc per ſecundum cenſetur prius revocatum: quia per tempus decem annorum inducitur præſumptio oblivionis, ratione cuius non eſt facta mentio clauſulæ revocatoriæ poſitæ in priori teſtamento ad eam in poſteriori revocandam. Clarus, *dict. q.* 99. verſ. *Si eas etiam*; à S. Ioſeph, *n.* 6. contra Covarr. qui *dicto n.* 19. vt probabile tenet contrarium.

Poſſe licitè revocari teſtamentũ juramento firmatum, aliqui dicunt.

136 Sed modò reſtat aliquibus difficultatibus reſpondere. Prima eſt, an ſi quis juravit ſe non revocaturum teſtamentum à ſe factum, poſſet illud licitè revocare? Dicimus *licitè*, nam validè illud poſſe, tenet communis ſententia: quia cum teſtamentum ex natura ſua ſit vſque ad mortem revocabile, per juramentum non mutatur à ſua natura; & ſic ſemper manet validè revocabile. Sed adhuc licitè poſſe revocari, invalidumque eſſe juramentum illud non revocandi, tenet prima ſententia. Quæ probatur: tùm quia juramentum ſequitur naturam actus, cui adhæret (eſt enim acceſſorium illius:) cùm ergò teſtamentum ſemper licitè revocari poſsit, non poterit per juramentum fieri illicitè irrevocabile. Tùm etiam, quia juramentum de non revocando teſtamento eſt contra bonos mores, leg. *Stipulatio, de verbor. obligat.* ſed juramentum, quod eſt contra bonos mores, eſt invalidum: ergò, &c. Sic Thuſc. Cardinal. *tom.* 8. *concl.* 51. Barthol. & alij, quos refert, & ſequitur Gom. *ad leg.* 3. *Tauri, n.* 95. hanc ferè ſequitur Dian. 4. *part. tract.* 3. *reſol.* 122. & probabile dicit Martin. à S. Ioſeph, *lib.* 2. *tractat.* 47. *num.* 9.

Teſtamentũ juramẽto firmatum non poteſt licitè revocari.

137 Cæterùm cùm juramentum dictum ſervari poſsit abſque diſpendio ſalutis æternæ, & abſque vllo peccato (nullum enim committitur in hoc, quod eſt teſtamentum revocare) omninò ſervandum eſt, juxta dicta *hoc tract. cap.* 1. *n.* 57. juramentum ſcilicèt eſſe validum, quoties abſque peccato poteſt impleri: licèt enim juramentum de non revocando teſtamentum ſit contra bonos mores civiles, non contra morales: & quod ſit contra bonos mores civiles, non facit illud invalidum, vt ibidem *n.* 58. diximus. Præterquam quòd aliud eſt eſſe contra bonos mores tale juramentum facere, aliud illud ſemel factum implere: primum eſt verum, ſecundum falſum: & ſic eſt omninò implendum. Et cùm per tale juramentum expreſsè excludatur conditio propria teſtamenti, nimirùm quòd revocari poſsit, non ſequitur naturam illius quoad iſtam conditionem per juramentum explicitè excluſam, ſed in alijs conditionibus non expreſsis. Quarè peccare mortaliter, qui abſque relaxatione talis juramenti teſtamentum revocaret, tenent Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 8. *n.* 95. Bonacin. *diſp.* 3. *de contract. q. vlt. punct.* 6. *num.* 1. Lugo *diſput.* 24. *ſect.* 2. *n.* 25. Sanch. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 12. & *conſ. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 17. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 19. *diſput.* 1. *n.* 264. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 22. *n.* 7. Tap. *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 10. *n.* 3. Sed omnes monent, non eſſe conveniens huiuſmodi facere juramenta, cùm multoties ſit expediens revocare teſtamenta, & ob alia inconvenientia, quæ ipſi ponunt.

Duobus ſimul teſtantibus, qui ſupervivit, poteſt revocare teſtamentũ.

138 Secunda difficultas eſt, an quando ex communi conſenſu, duo (v.g. vir, & vxor) fecerunt ſub eadem ſcriptura teſtamentum, ſe hæredes invicem inſtituentes, vel bona ad maioratus inſtitutionem ordinantes; quod teſtamentum firmatur per mortem vnius, quantum eſt ex parte ſua, alius ſuperſtes poſsit illud, ſecundum quod eſt ex ſua parte, revocare? Supponit quæſtio, duos, vel plures poſſe facere ſub eadem ſcriptura teſtamentum, quod eſt multiplex reipſa, licèt ſub eadem ſcriptura contentum; & non ob id exigit majorem ſolemnitatem, quàm ſi ab vno tantùm conderetur: leg. *Eo quod*, Cod. *Si certum petatur*: & tenent omnes Doctores. Reſpondetur ad quæſitum, & licitè, & validè poſſe eum, qui ſupervivit, teſtamentum illud, quantum eſt ex parte ſua, revocare: quia licèt ſit eadem ſcriptura, ſunt tamen duo teſtamenta: & de natura teſtamenti eſt, quòd ſit revocabile, quandiù vivit teſtator. Nec mutat naturam ſuam per hoc, quòd duo ſimul illud condant; & ſi alter id ignoravit, ſibi imputet, quia poterat circa hoc virum doctum conſulere. Molin. *de juſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 152. Burg. de Paz *ad leg.* 3. *Tauri, n.* 1214. Covar. *Rubric. de teſtam.* 2. *p.n.* 7. & 8. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 21. *n.* 3. Sanch. *conſ. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 21. *n.* 3. Lugo *diſp.* 24. *n.* 45.

Extenditur præcedens doctrina.

139 Addimus ad hoc, quòd licèt vir, & vxor ſimul teſtamentùm facerent, & ſua bona diſponerent vinculari, aut in pias cauſas diſtribui, & ordinarent, quòd, mortuo vno, alius eſſet vſufructuarius; nihilominùs, ſi mortuo vno, alius vult ex ſua parte revocare teſtamentum, poteſt, etiamſi vſufructu potiatur, revocare inſtrumentum: quia vſusfructus præſumitur relinqui ob mutuum amorem, & non vt conditio, aut onus, vt teſtamentum non revocaretur, *ex leg.* 1. *ff. de donation. inter vir. & vxor.* Et non fit per hoc injuria defuncto, quia ſi ipſe viveret, id facere poſſet. Sanch. *n.* 6. Lugo *n.* 46. Burgos de Paz *n.* 1219. à S. Ioſeph, *lib.* 2. *tract.* 47. *num.* 14. Qui addit, non teneri vivum reſtituere fructus, quos recepit in dicto caſu, etiamſi ſub expreſſa conditione, & onere, vt non revocaretur teſtamentum, ab altero ſibi eſſent relicti: quia talis conditio de jure eſt impoſsibilis, nimirùm facere irrevocabile teſtamentum: conditiones autem impoſsibiles ab vltimis voluntatibus reijciuntur. Cæterùm aliud eſt teſtamentum eſſe de jure revocabile, aliud quòd de facto non revocetur. Primum eſt verum, & ſic à jure eſt reprobatum, quòd fiat irrevocabile. Quod autem non revocetur, nullibi prohibetur à jure; & ſic eſt conditio licita; non rejecta ab vltimis voluntatibus, ſeu (vt verius dicam) eſt conditio, & pœna de lucro non habendo in noſtro caſu, quæ non reijcitur. Sicuti licèt de natura matrimonij ſit ſumma libertas, admittitur conditio poſita à teſtatore de non acquirendo lucro, ſi non nubat puella ei, quem ipſe aſsignaverit, vt ſi dicat: *Lego mille Mariæ, ſi nubat conſobrino, alitèr legatum amittat*, non reijcitur talis conditio vt turpis. Sic in noſtro caſu, ſi teſtator

testator leget vxori vsumfructum, si non revocet testamentum, non tollit ab ea libertatem revocandi, sed ponit conditionem de non acquirendo lucro, quæ non est reijcienda. Vndè teneri restituere fructus perceptos ex bonis defuncti, si revocet testamentum, quæ sub onere, vel conditione non revocandi eos recepit, docet Sanch. *supr. n.* 8. Lugo *n.* 46.

Casus proposítus explicatur.

140 Tertia difficultas est, an si quis de re aliena disponat, & testamentum faciat ex beneplacito, & licentia domini, ipsius morte firmetur tale testamentum, ita vt non possit dominus illud revocare, etiamsi talem dedisse licentiam pœniteat? Vt si vir de licentia vxoris de illius bonis testamentum fecit, fundans maioratum, vel alia disponens, an, illo mortuo, possit vxor superveniens tale revocare testamentum? Et supponimus, licentiam non fuisse disponendi ex omnibus bonis præsentibus, & futuris, quia esset quasi donatio omnium bonorum, per quam abdicaret à se vxor testandi facultatem, quam donationem, aut dispositionem esse invalidam diximus *cap. præced. n.* 97. sed quando conceditur alteri licentia, vt de tertia, vel dimidia, vel maiori parte bonorum alterius disponat.

Resolvitur casus præcedens.

141 Respondetur ergò, tale testamentum firmari morte testatoris, ita vt à domino revocari nequeat. Quia ibi non fuit nisi vnicum testamentum ab illo nomine suo factum, supposita domini licentia; & testamentum firmatur morte testatoris. Covar. *rubr.* 1. *de testament.* 2. *p. n.* 8. Sanch. *dub.* 21. *cit. n.* 3. Tello *ad leg.* 17. *Tauri, n.* 14. Avendañ. *ibi, gloss.* 4. *n.* 1. Villalob. *tr.* 30. *diff.* 21. *n.* 5. Matienz. *lib.* 5. *Recompil. tit.* 5. *lib.* 1. *gloss.* 1. *n.* 6. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 37. *n.* 17. Quod intelligendum est, si ille nomine suo testamentum condidit, quamvis de bonis alterius; secus autem si illud fecit nomine domini bonorum, & vt commissarius eius, & per facultatem sibi ab alio concessam, vt illius nomine testamentum faceret. Tunc enim qui facultatem dedit testamentum condendi, etiam post mortem commissarij, potest illud revocare. Imò per subsequens testamentum à domino factum, censetur revocatum à commissario conditum: quamvis commissarius semel à se factum alterius nomine testamentum revocare nequeat. *Leg.* 3. *Tauri*, Lugo *n.* 44. Sanch. *n.* 4. Gomez cum communi *ad leg.* 32. *Tauri*.

PUNCTUM X.

De testamento facto per interpositam personam, nimirùm per commissarium.

Qui possint, vt cõmissarij, testari.

242 VNusquisque potest alteri committere, vt loco illius testamentum faciat (quod dicitur fieri *per commissarium*) sive quia oppressus infirmitate nequit illud facere, sive alia ex quacumque causa alteri potestatem (vulgò, *Poder*) faciendi commitat. *Leg.* 1. 5. 6. 7. 8. 9. 13. *& seq. titul.* 4. *lib.* 5. *Recompil.* Et potest esse commissarius quicumque à jure prohibitionem non habet: vndè etiam religiosus de sui Prælati licentia esse potest. Cap. *Si religiosus, de testam. in* 6. Imò etiam illi regulares, qui aliàs non possunt esse testamentarij ex jure communi, vt sunt Minores, possunt exercere commissarij munus ad condendum testamentum, vt probant Palaus *tom.* 3. *disput.* 3. *punct.* 13. *§.* 1. *n.* 8. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 19. *disp.* 3. *n.* 171. *&* 174. Diana 8. *part. tract.* 5. *resol.* 15. Potest etiam esse commissarius mulier, & alterius nomine, sive viri, sive fœminæ, testamentum condere. Covar. cap. *Tuæ, de testam. n.* 3. Palac. Rubios *ad leg.* 31. *Tauri, à n.* 36. *ibi*, Cifuent. *n.* 3. Gomez *n.* 4. Tello *num.* 8.

Ad quid restringatur commissarij potestas.

143 Non potest commissarius, virtute potestatis ab alio receptæ ad condendum testamentum, hæredem instituere, in tertio, vel quinto aliquem meliorare, aliquem ex hæredibus necessarijs testatoris exhæredare, nec hæredem substituere, nec tutorem pro filijs assignare, nisi testator specialem ad aliquid ex his facultatem ei tribuat: & si hanc dederit ad instituendum hæredem, debet esse nominando in particulari personam instituendam. *Leg.* 5. *&* 6. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recompil.* Tapia *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 11. *n.* 8. Villalob. *tract.* 30. *diff.* 28. *n.* 13. Martin. à S. Ioseph, *lib.* 2. *tract.* 46. *n.* 3. Et quando testator nec instituit hæredem, nec ad hoc facultatem dedit nominando eum, nec ad aliquod ex dictis, commissarius solùm potest debita solvere testatoris, illius exonerare conscientiam, & quartam partem bonorum remanentium pro anima distribuere: reliqua relinquenda sunt hæredibus ab intestato. Quos si non habuerit, danda sunt à commissario vxori defuncti, quæ secundùm leges debentur ei: & alia in pia opera pro anima defuncti distribuenda. *Leg.* 6. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recomp.* Tapia, *n.* 5. Villalob. *n.* 13. Martin. à S. Ioseph, *n.* 4. Et posse commissarium disponere de quinto pro anima defuncti, sive ille habeat hæredes ascendentes, vel transversales, tenent Matienz. *lib.* 5. *Ordinam. titul.* 4. *leg.* 11. *gloss.* 2. *&* 2. *n.* 2. *gloss.* 3. *n.* 1. *&* 2. Ant. Gom. *ad leg.* 37. *Tauri, n.* 2.

De tẽpore quo potest cõmissarius condere testamentum.

144 Sed si, post commissionem datam, hæc non habeat effectum: vel quia eam non acceptavit commissarius (non enim tenetur talem commissionem acceptare, vt *ex leg.* 33. *Tauri*, docent communitèr Doctores) vel quia illa non est vsus intra terminum à jure præscriptum, vel alia ex causa, hæreditas pertinet ad hæredes ab intestato. Qui, si non sint ascendentes, vel descendentes legitimi, tenentur quintam partem pro anima defuncti expendere, *ex leg.* 36. *Tauri*, hodie *leg.* 10. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recompil.* ¶ Tempus assignatum à jure, vt commissarius possit data sibi vti facultate, sunt quatuor menses, si præsens sit in loco, vbi facultas datur; si absens intra regnum, sex menses; si extra regnum, vnus annus. Quod tempus computandum est à die mortis testatoris, & non conceditur ei amplius tempus, etiamsi notitiam non habuerit commissionis. Quo transacto tempore, si commissarius testamentum non faciat, succedunt hæredes ab intestato. Sed si testator designavit hæredem, vel aliquid specialitèr ordinavit, illud observandum est; etiamsi commissario transeat tempus. Quod totum habetur *leg.* 33. *Tauri*, hodie *leg.* 7. *tit.* 4. *lib.* 7. *Recompil.* Poterit tamen testator prorogare tempus à lege commissario concessum: quia factæ sunt leges illæ in favorem testatoris (ne videlicèt commissarius negligat testamentum facere) cui favori liberum est ipsi renuntiare. Covarr. cap. *Nos quidem, de testam. n.* 1. Gutier. *lib.* 2. *practicar. qq. q.* 45. Gomez *ad leg.* 33. *Tauri*, *num.* 3. Tello *ibid. n.* 2. Matienzo *lib.* 5. *Recompil. titul.* 4. *leg.* 7. *gloss.* 2. *num.* 3.

145 In eadem leg. 36. *Tauri*, quæ hodie est

Non potest cōmissarius testamētum à se factum revocare.

lex 9.*tit.*4.*lib.*5.*Recomp.* cautum est, quòd commissarius, postquàm testamentum in virtute facultatis sibi concessæ condidit, non potest illud revocare, nec codicillum facere, etiam ad pias causas. Tapia *supr.* n.8. Villalob.*n.*3. Dicastill.*leg.*31.*Tauri*, *n.* 1. & 2. Gomez *leg.*4.*Tauri*,*n.*50. ¶ Rursus *in leg.*13.*tit.*4. *lib.*5. *Recomp.* disponitur, quòd facultas data commissario, non aliter valeat, nisi ei conferatur cum omni solemnitate testium, tabellionis, &c. quæ ad testamentum nuncupativum requiritur.

Duplex modus alteri cōmittendi, vt testetur.

146 Sed adhuc advertendum est, aliud esse dare alicui potestatem ad testandum nomine suo; aliud dare alicui potestatem, vt disponat de suis bonis, prout voluerit, vel vt distribuat ea inter pauperes, vel alias pias causas. Leges regni, quæ huc vsque conditiones enumeratas requirunt, loquuntur solùm de potestate ad testandum, quæ commissario præbetur: vndè non sunt limitativæ, aut modificativæ juris communis canonici, in cap. *Cùm tibi, de testament.* vbi dicitur, quòd si alicui datur commissio ad disponendum de suis bonis inter pauperes, valet talis potestas, & tenetur cui commissa est, talia bona inter pauperes distribuere, etiamsi aliæ conditiones huc vsque positæ non observentur. Quod etiam stando in jure regni, esse verum tenent (contra nonnullos oppositum sentientes) Sanch. *lib.*4. *consil. cap.*1.*dub.*45.*num.*5. Avendañ. *leg.*32.*Tauri*, *gloss.*1.*n.*11. Azebed.*lib.*5.*Recompil.leg.* 6. *num.*26. Vbi Matienz. *gloss.*3.*n.*5. Martin. à S. Ioseph, *lib.*2. *tract.*46.*n.* 2. aiunt, securius esse cæteras conditiones in concessione talis facultatis adhibere, quia Iudices fortassè, sequendo oppositam sententiam, talem facultatem esse nullam decernent.

Quid debeat dare vxori defūcti commissarius?

147 Præter dicta debet commissarius vxori dare testatoris ea, quæ secundum leges debentur, scilicèt arrhas, sponsalitia dona, quæ in legibus nostris *las donas* nuncupantur, *leg.*1.2.& 3. *tit.* 9. *lib.* 5. *Recomp.* & medietatem bonorum ganantialium, *leg.*2.& 3. *eod.lib.* & *titul.* Tenetur etiam dare illi lectum, *leg.*7.*tit.*6.*lib.* 5. *legum fori.* Sed si fuerit sericum, aut pretiosum, quod non videtur decens statui viduitatis, sive in viro, sive in muliere, vtique non illud, sed aliud decens erit conferendum, vt probat Gutier. *lib.*2.*qq.pract. q.*93. Insuper si vxor fuerit pauper, & vndè decenter ali possit non habeat, debet commissarius ei quartam partem bonorum conferre, quamvis maritus filios habeat: quia in Authent. *Præterea*, Cod. *Vnde vir*, & *vxor*, præcipitur marito dare quartam partem bonorum vxori pauperi, sive ille intestatus decedat, sive cum testamento. Sanch. *lib.*4.*consil.cap.*1.*dub.*27.*num.*1. citans Castillum vbi suprà, *n.*20. Gregor. Lopez, *leg.* 6.*tit.*13.*p.*6. vers. *Non adejasse.*

PUNCTUM XI.

De obligatione hæredis, præcipuè circa confectionem inventarij.

Hæres conficiēs inventarium, non tenetur supra vires hæreditatis debita solvere.

148 EX Jure antiquo hoc ipso quòd hæres acceptasset hæreditatem, tenebatur satisfacere omnibus creditoribus defuncti, quamvis debita essent suprà vires hæreditatis; & ideo ex suis debebat solvere, quando bona testatoris non sufficiebant: leg. *Quæ dotis*, *ff. Soluto matrimonio*, leg. *Quia poterat*, *ff. Ad Senat. Consult. Trebellianum*, leg. *Si de bonis*, Cod. *de jure deliberandi*: quia jus eandem reputat personam hæredem cum testatore: & vt hæredes viderent, an sibi conveniens esset talem hæreditatem acceptare, eis tres dabantur menses, *leg. vltim. §. Cum igitur. §. Simili modo*, *ff. De jure deliberand.* Sed jure novo indulgetur eis, qui beneficio inventarij hæreditatem acceptant, vt non teneantur debita solvere supra vires hæreditatis: *§. Si autem*, *ff. de jure deliber. leg.* 6.*tit.*6.*p.* 6. Vbi etiam conceditur, quòd intra triginta dies incipiant inventarium (nisi adsit legitimum impedimentum infirmitatis, exilij, &c.) & per alios sexaginta illud concludant: & si bona defuncti, vel maior pars illorum sint extra locum, in quo habitant hæredes, conceditur eis vnius anni spatium. Sed licèt inventarium non incipiant intra triginta dies, si illud intra nonaginta concludant, semper gaudere possunt beneficio prædictæ legis: quia omissio talis diligentiæ materia levis reputatur; & *defectus solemnitatis levis actum non vitiat*, *leg.* 1. *§. vlt. ff. De ventre inspiciendo*, Greg. Lop. *leg.*5. *tit.* 6.*p.*6. Molin. *tom.*1.*tract.*2.*disp.*218.*§.*2. Lug. *disp.* 24.*sect.*8.*n.*234. Villalob. *tract.*30.*diff.*24.*n.* 2. Et quandiù durat inventarium, non possunt creditores, aut legatarij molestare hæredem, vt adimpleat testamentum: *leg.*7.*tit.*6.*p.*6.

Quomodo debeat fieri invētarium?

149 Inventarium debet fieri ante tabellionem publicum, citatis creditoribus, & legatarijs. Ad quod petitio præsentanda est Iudici, vt faciat eos comparere, ne postea minùs fidelitèr factum inventarium objiciant: *leg. vlt. §. Fin.* Cod. *de jure deliberand.* Et sufficit talis citatio à Iudice facta, nec requiritur, quod ipse Iudex inventario assistat. Molin. *disp.*218. Martin. à S. Ioseph, *lib.*2.*tract.*52. *num.*7. Villalob. *supr.n.*4. Et in alio inventario omnia bona defuncti mobilia, & immobilia scribi debent, omnes scripturæ, omnes actiones, tàm activæ, quàm passivæ, omnia debita activa, & passiva: quia totum deservit ad valoranda bona testatoris: & subscribere debet hæres; & si ipse nesciat, aut non possit, tabellio loco illius: & si sint plures hæredes, sufficit (ad evitandam molestiam) quod hoc vni reliqui committant: & si hæredes occultent aliquid, vel sibi de bonis defuncti accipiant, in duplo solvere debent, & cum hac pœna augenda est hæreditas: *leg. vlt. §. Licentia*, *ff. De jure deliberand.*

Quomodo possit testator hæredi cōcedere, vt non faciat invētarium?

150 Non potest testator remittere hæredi obligationem inventarium faciendi respectu creditorum, quibus testator præjudicare non potest, absolvendo hæredem ab onere inventarij faciendi; sed potest respectu legatariorum, & fideicommissariorum, quibus testator libera voluntate aliquid reliquit: & vniversim potest ab onere inventarij, vel reddendi rationem relevare eos, quibus posset bona illa liberè relinquere sine onere dandi partem alijs: ergò concedere potest, quòd eorum dictis, vel juramento stetur. Lugo *disp.*24.*sect.*8. *n.*286. Villalob. *tract.*30.*diff.*23.*n.*20.

Hæres invētarium non faciens, omnia debita tenetur solvere.

151 Sed si hæres non faciat inventarium intra terminum à jure præscriptum, tenetur ad omnia debita, & obligationes defuncti, etiam vltra vires hæreditatis: Authent. *De hæred.* & *falcidia*, *§. Sancimus*, *coll.* 1. quia præsumit jus hæredem adeuntem hæreditatem absque inventario plura accepisse ad satisfaciendum sufficientia, & fraude occultasse aliqua. In foro autem conscientiæ, si verè hæreditas sit insufficiens ad omnia debita solvenda, an teneatur hæres debita defuncti solve-

ſolverè, diſputant hìc Doctores. Sed reſolutio huius difficultatis pendet ex illa, quam diſſolvimus : *An ſcilicet leges fundatæ in præſumptionibus obligent in conſcientia, ſi deficiat præſumptio*? Vbi partem negativam latè probavimus. Quarè cùm dictæ leges fundentur in præſumptione fraudis, & fallaciæ, non tenetur hæres, qui abſque inventario hæreditatem adivit, ſolvere ſupra vires hæreditatis debita defuncti in conſcientia, vt in præſentiarum docent Sylveſt. verb. *Hæreditas*, 3. *quæſt.* 3. Gomez *ad leg.* 3. *Tauri*, *num.* 121. Petrus Navarr. *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 4. *num.* 137. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 24. *num.* 2. Alvar. *de legibus*, *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 9. Martin. à S. Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 52. *num.* 10. Sanch. *lib.* 4. *Decalog. cap.* 15. *num.* 37. Sayr. *in Clavi*, *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 7. Trullench *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 11. *num.* 6. Diana 5. *part. tract.* 5. *reſol.* 56. Vazq. *cap.* 9. *de teſtam.* §. 3. *dub.* 6. Bonac. *de contract. diſp.* 3. *quæſt. vltim. punct. vlt. num.* 3. Et hoc eſt etiam verum adhuc poſt Iudicis ſententiam: quia etiam talis ſententia falſæ nititur præſumptioni doli, aut fallaciæ, vt tenent Sanch. Trull. Bonac. & alij.

Hæres debita realia defuncti, nõ perſonalia, tenetur ſolvere.

152 Hæres ex bonis defuncti tenetur omnia debita realia illius ſolvere, non perſonalia : ſuccedit enim in omnibus juribus realibus defuncti, non perſonalibus; & ſic ad debita illius eodem modo tenetur, vt qui ſentit commodum, ſentiat etiam & incommodum. Et quia perſonam repræſentat defuncti, debet debita realia illius ſolvere, non perſonalia, quæ dumtaxat perſonam comitantur: qua extincta, & illa extinguntur. Et ſi ſint multi inſtituti hæredes, quilibet tenetur ad debita defuncti ſolùm pro rata hæreditaria, regulatiter loquendo, niſi aliter defunctus diſpoſitum reliquerit. Sylveſt. verb. *Hæreditas*, *quæſt.* 11. Trull. *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 11. *num.* 5. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 40. *num.* 1. ¶ Non autem tenetur ex bonis vinculatis defuncti debita ſolvere, quia vinculum non eſt bonum defuncti, niſi per dies ſuos: nec tenetur hæres vinculi ſtare locationibus, alijſve contractibus circa bona vinculata ab anteceſſore factis; ſicut nec ſucceſſor beneficij ſtare tenetur contractibus, aut pactis circa bona illius ab anteceſſore initis; quia ſolùm tempore ſuæ vitæ dominium illorum habet, & de illis poſt mortem diſponere non valet: leg. *Si quis domum*, §. 1. *ff. locati.* Sed hæres liberorum bonorum ſtare debet locationibus, & alijs contractibus circa talia bona ab anteceſſore initis; quia hæreditatem accipit cum oneribus, quæ habebat. Gregor. Lopez *leg.* 2. *tit.* 8. *part.* 5. verb. *El heredero*, Gomez 1. *variar. cap.* 3. *num.* 7. Covar. 2. *variar. cap.* 15. *num.* 2.

Quando legata debeat ſolvere hæres?

153 Non ſolùm tenetur hæres ſolvere debita realia defuncti, ſed etiam legata ab ipſo relicta; quia, eo ipſo quòd adit hæreditatem, cenſetur inire contractum cum defuncto, vt, ſi velit frui hæreditatis commodo, debitorum ſe ſubijciat oneri, & legatorum. Quod ſi hæres ſcit, vel dubitat, an hæreditas vltra debita extendatur, nihil debet dare legatarijs, donec priùs ſatisfactum ſit creditoribus; cùm priùs ſolvenda ſint debita oneroſa, quàm gratuita, vt *tract. præced. cap.* 1. *punct.* 12. dicebamus. Imò priùs ſolvenda ſunt vota realia facta à teſtatore, quàm legata, vt inquit Sanch. *lib.* 4. *Summ. cap.* 15. *numer.* 39. Bonac. *diſp.* 3. *quæſt. vlt. punct. vlt. num.* 29. Sed hæres, vel teſtamentarius pro foro externo habet integrum annum à morte teſtatoris ad ſolvenda legata profana, ita vt cogi non poſſit ea ſolvere, niſi eo tranſacto: cap. *Nos quidem*, *de teſtam.* Authent. *Hoc amplius*, Cod. *de fideicommiſſis.* Sed ſi legatum ſit abſolutum, & ad piam cauſam, ſtatim, ac hæres adit hæreditatem, cogi poteſt in foro externo ad illud ſolvendum, vt inquit Barboſa *lib.* 3. *de jure univerſo*, *cap.* 7. *num.* 30. Matienzo *lib.* 5. *Recopil. tit.* 4. *leg.* 3. *gloſſ.* 2. *n.* 2. Trull. *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 11. *n.* 7.

Non poteſt hæres per annum in conſcientiæ foro omittere adimpletionem teſtamenti.

154 Diximus pro foro externo dari hæredibus, & teſtamentarijs integrum annum, vt teſtamentum defuncti quoad debita, & legata executioni commendent. Sed difficultas eſt inter Doctores, an, ſi res adimplenda dilationem non expoſcat, teneantur in conſcientia hæredes, & teſtamentarij ſtatim legata ſolvere, & debita, non expectando annum à jure conceſſum; ita vt peccent mortaliter non adimplendo voluntatem defuncti ſtatim ac poſſint? Et quidem, quoad debita, res indubitata videtur, non poſſe eos differre per annum eorum ſolutionem, ſi ante illum ex bonis defuncti illa commodè ſolvere poſſunt. Cùm enim ipſe teſtator minimè poſſit talem ſolutionem differre, vt probavimus *tract. præcedent. cap.* 1. *punct.* 13. ſed ſtatim teneatur ſolvere, ac commode poteſt, non eſt vnde hæres, aut teſtamentarius poſſint abſque peccato differre per annum ſolutionem debitorum defuncti, quam ſtatim facere poſſent ex eius bonis. Circa legata ergo devolvitur tota difficultas. Et, quidquid dicant alij.

Debet hæres etiã ante annũ omnia legata ſolvere.

155 Aſſerendum eſt, peccare mortaliter hæredes, aut teſtamentarios, qui, cùm poſſint, ſtatim legata (maximè ſi ſint pia, vt Miſſæ, eleemoſinæ, &c.) non implent: nec excuſari per induldentiam anni à jure conceſſi, quæ ſola eſt, ne cogantur ea ſolvere in foro externo (ſaltem quando ſunt profana) in foro autem conſcientiæ ea ſtatim adimplere tenentur; & ideò in leg. *Nulli*, Cod. *de Epiſcop. & Cleric.* dicitur: *Abſque nulla cunctatione* debere talia legata impleri: & *in leg.* 6. *tit.* 10. *part.* 6. *Lo mas aina que pudieren*, *ſin alongamiento*, *è ſin eſcatima ninguna.* Et cap. *Qui oblationes*, 1. & 2. 13. *quæſt.* 2. dicuntur interfectores animarum, qui detinent legata pia, & excommunicari debere. Tapia *lib.* 5. *cap.* 21. *art.* 15. *num.* 7. Martin. à Prado *tom.* 2. *cap.* 29. *quæſt.* 6. *num.* 45. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 26. *numer.* 5. Diana 8. *part. tract.* 5. *reſol.* 52. & 2. *part. tract.* 5. *miſcellan. reſol.* 59. Lugo *diſp.* 24. *ſect.* 11. *num.* 296. Petr. Navar. *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 4. *n.* 169. D. Anton. 3. *part. tit.* 10. *cap.* 3. §. 12. Trull. *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 11. *n.* 7. Martin. à S. Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 50. *num.* 26.

De obligatione ſtricta hæredis, & teſtamentarij.

156 Cùm igitur teſtamentarij, & hæredes graviſsimè peccent, & contra legatarios, & contra teſtatorem, legata (maximè pia) detinendo, cogendi ſunt à Confeſſarijs, vt teſtamenta quàm primum adimpleant; & ſi non faciant, cùm poſſint, abſolvendi non ſunt; quia verè non poſſunt abſolvi, cùm ſint in ſtatu peccati. Idem à Prædicatoribus paſsim ſuadendum eſt, cum ſit maximus dolor, quòd animæ miſeræ in purgatorio graviſsimis torquantur pœnis ob illorum incuriam, ſeu (vt veriùs dicam) avaritiam. Audiant quid contra hos teſtamentarios, & hæredes in ijs adimplendis legatis negligentes, dicat Concilium Velenſe I. allegatum in cap. *Qui oblationes*, el 2. 13. *quæſt.* 2. *Qui oblationes defunctorum retinent*, *& eccleſijs tradere remorantur*, *vt infideles ſunt ab eccleſia abijciendi*, *quia vſque ad inanitionem fidei pervenire certum eſt hanc pietatis divinæ exacerbationem*, *quia & fideles de corpore recedentes votorum ſuorum plenitudine*, *& pau-*

pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium necatores, nec credentes judicium Dei, habendi sunt. Et *in cap. seq.* ex Concilio Agathensi dicitur: *Clerici, vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere perstiterunt, &c. velut necatores pauperum, quousque reddant, excludantur ab ecclesijs.*

Quibus missæ relictæ in testamẽto debeant commendari?

157 Tenentur etiam testamentarij, & hæredes Sacerdotibus credito dignis, de quibus sperari potest, quod missas citò dicant, committere, nec plures dare aliquibus in particulari, qui alijs obligationibus impediti, non possunt non eas per multum tempus differre. Et Sacerdos, qui in se suscipit onus dicendi missas, eas quàm citò offerre pro anima illius defuncti tenetur. Nec excusantur ab hoc, quia sibi solutum non est stipendium; quia hoc ipso quòd fidem dederunt de illis celebrandis, credito stipendio, id tenentur facere: & si posteà non illud reciperent, sibi imputent, quia tale onus credita solutione accepere. Hæres enim credens acceptationi meæ differt solutionem, & anima in purgatorio patitur ob meam infidelitatem, qui promissa non impleo. Quarè teneri missas dicere, etiam ante acceptationem stipendij, qui hoc promittit, vel, concedendo dilationem illius, hoc onus in se suscipit, docet Villalob. 2. *part. tract.* 30. *diffic.* 26. *num.* 7. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tract.* 52. *n.* 15. Tapia *tom.* 2. *Caten. lib.* 5. *quæst.* 21. *art.* 15. *num.* 4. Sed heù quàm rarò id attenditur! Quàm magnus numerus missarum, credita solutione stipendij, accipitur, ne lucrum illud postmodùm futurum amittatur! Admittendum non est prædictarum missarum onus (vt docent doctissimi Patres citati) si animum habes, ante solutionem stipendij eas non dicere, nisi hoc eas offerenti manifestes; aliàs te excusare teneris vijs omnibus possibilibus ab illis recipiendis. Sed non ob id excusantur illi à solutione solita stipendij: tùm vt tali debito satisfaciant: tùm etiam, quia ferè nunquam missæ dicuntur, dilata solutione stipendij.

Animæ defunctorũ nõ detinẽtur in purgatorio, si eorum hæredes debita non solvant.

158 Sed hìc quæri solet, an si hæres; vel testamentarius negligentes sint in solvendis debitis defuncti, quæ ipse in suo testamento, vel alia via declaravit, & omnem addibuit cautionem, vt solverentur, sint animæ defunctorum detentæ in purgatorio, vsque dum solvantur? vel amplius patiantur ob dilatam solutionem hæredis? Error hic est vulgi non parum communis, arbitrantis animas solvi à pœnis ob solutionem factam creditoribus, & detineti in Purgatorio, donec omnia debita solvantur. Sed certè crassissimus error (vt inquit Magister Soto infrà citandus) aliàs illæ animæ, quarum debita nunquam solvuntur (& quam plurimæ sunt) semper in purgatorio paterentur, & purgatorium eis converteretur in Infernum. Præterquam quòd est alienum ab omni ratione, & à divina pietate, quòd animæ in purgatorio patiantur ob aliorum incuriam, & negligentiam. Lex quippe esset indigna Deo, si sanxisset, vt quis pro ea culpa pateretur, quæ iam nullatenus est in sua libertate. *Hoc ob id dixerim,* verbis vtor magni Magistri Soto *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 3. *initio, §. In introitu, quòd imperitum vulgus arbitratur animam defuncti in purgatorio detineri, quoad vsque debitorum restitutio hìc fiat, veluti si detineretur apud nos in carcere sæculari: quod quidem res est falsissima, divinæque iustitiæ adversa.* Idem habet *lib.* 4. *de iustit. q.* 6. *art.* 1. *prope finem.* Quod esse communem Doctorum sententiam, docet Trullench *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 6. *dub.* 1. *n.* 14. & *cap.* 18. *dub.* 12. *num.* 24. S. Antonin. 3. *part. tit.* 10. *cap.* 3. *§.* 12. Silvius, 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Martin. à Prado *tom.* 1. *in* 2. 2. *cap.* 17. *q.* 1. *§.* 5. *per totum.* Bellarm. *lib.* 2. *de Purgat. cap.* 16. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 8. *n.* 20. Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 32. *disp.* 1. *punct.* 18. *§.* 1. *n.* 8. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 3. *diffic.* 26. *num.* 6. Petr. Navar. *lib.* 4. *de restit. cap.* 4. *n.* 75. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tract.* 50. *num.* 27. Et D. Thom. id tradit *quodlib.* 6. *art.* 13. *in corp. & ad* 1. & rationem assignat, *quia negligentia vnius non imputatur alteri ad pœnam.*

PUNCTUM XII.

De obligatione executorum testamentorum, qui dicuntur Testamentarij, *& nostro idiomate,* Albaceas, *vel* Cabeçaleros.

Quot modis dicuntur testamentarij?

159 PLura iam tetigimus *punct. præced.* circa testamentariorum obligationem, quæ communia sunt ipsis cum hæredibus; sed in hoc puncto, quæ propria sunt illorum, declarabimus. Et supponimus duplex esse genus testamentariorum: alij sunt *vniversales*, alij *particulares*. Vniversalis est, quando eligitur in testamento, in quo non nominatur hæres, ad distributionem bonorum testatoris, & solvenda illius debita: & hunc reputat jus ferè vt hæredem: leg. *Si quis ad deliberandum*, Cod. *de Episcop. & Cleric.* Particularis est, qui communitèr nominatur à testatore ad executionem testamenti à se facti. Testamentarius vniversalis potest omnia bona defuncti vendere, de eisque disponere, ac si hæres, attenta voluntate testatoris; quia illum vt hæredem jus considerat dict. leg. *Si quis.* Particularis autem bona defuncti vendere non potest, nisi tacitè, vel expressè ad id obtineat specialem facultatem, quæ solet communitèr illi impendi sub illa clausula: *Poterit bona mea vendere in publica subhastatione, vel extra eam.* Sed poterit hæres hanc venditionẽ impedire, si se obliget ad solvenda debita, & legata. Matienzo *lib.* 5. *Recopil. tit.* 14. *num.* 27. Martin. à Sanct. Ioseph *lib.* 2. *tract.* 49. *num.* 4.

Quid requiratur, vt testamentarius munus suũ obeat?

160 Ex jure communi necessarium est, vt possit testamentarius particularis vendere bona defuncti, & de eis disponere, vt hæres acceptet hæreditatem; quia secundùm jus commune nullum est testamentum, hæreditate recusata ab hærede: leg. *Si nemo. ff. de testam. tutel. leg.* 2. *ff. de fideicommiss. libert.* Sed quia jure Regni validum est testamentum, tametsi hæres non acceptet hæreditatem, *leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil. Novæ*, poterit testamentarius, etiam non secuta acceptatione hæredis, bona defuncti vendere, vt tenet Covarr. cap. *Rainald. de testam. §.* 3. *n.* 11. Tello *ad leg.* 32. *Tauri, n.* 7. Avendaño *lib.* 6. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil. n.* 1. Ex quò sequitur, non esse (attento jure Regni) necessarium, vt testamentarius requirat hæredem ante venditionem bonorum defuncti, cùm ad hoc non sit necessaria acceptatio hæreditatis. Matienzo *n.* 26. Sanch. *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 46. *n.* 22.

Ad quid teneatur testamẽtarius?

161 Testamentario incumbit solvere legata defuncti, & cætera executioni mandare, quæ disponuntur in testamento: & si in hoc negligens fuerit, mortalitèr delinquit, vt *punct. præced.* dicebamus. Si aliquod legatum ipsi relictum fuerit in testamento, propria authoritate sibi accipere potest: leg. *Non est du-*

dubium, ff. & C. de legatis. Greg. Lopez *leg. 2. tit. 20. part. 6.* verſ. *E dar.* Petr. Navar. *de reſtit. lib. 3. cap. 4. à n. 165.* Si hæres, qui iam poſſeſsionem acquiſivit hæreditatis, reſiſtit legatorum ſolutioni, non poterit teſtamentarius eum à poſſeſsione deijcere; à quo, & non à teſtamentario, debent legatarij, quod ad ipſos pertinet, exigere; ipſe tamen tenebitur Epiſcopum conſcium facere reſiſtentiæ hæredis, vt ipſum compellat: & ſi hoc omittat, mortaliter peccat. Sylveſt. verb. *Teſtamentum, q. 9.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 3. §. 12.* à S. Ioſeph *num. 9.* ¶ Debet etiam ſolvere debita, quæ in ſuo teſtamento teſtator declaravit; alia debita in illo non declarata ſolvenda ſunt ab hærede: niſi teſtamentario commiſſa fuerit facultas ad exonerandam conſcientiam ſuam; tunc enim ad teſtamentarium etiam pertinet facere, quod omnia debita ſolvantur. Et priùs ſolvenda ſunt in teſtamento expreſſa, poſtea alia. Tello *ad leg. 32. Tauri, num. 5.* Matienzo *lib. 5. Recopil. tit. 4. leg. 6. gloſſ. 1. num. 1.*

Qui poſsint vt teſtamẽtarij aſsignari?

161 Sive teſtator fuerit Clericus, ſive ſæcularis, ſive vir, ſive fœmina fuerit, poteſt quem voluerit teſtamentarium eligere, vnum, vel plures aſsignando. Et ideò poterit vxor, vel alia fœmina eſſe teſtamentaria defuncti: *cap. 1. de teſtam.* leg. *A filio, ff. de aliment. legat.* Sed ſi quis diceret in ſuo teſtamento: *Sint teſtamentarij mei fratres*, intelligitur de viris, non de fœminis, cùm ſint minùs idoneæ ad miniſterium. Covarr. cap. *Hæc à nobis, de teſtam. num. 3.* Niſi teſtator vnum fratrem haberet tantùm; quia hoc ipſo quòd nominet fratres in plurali, intelligendum eſt etiam velle fœminas includere. Villalob. *tr. 30. diffic. 25. n. 5.* Poteſt etiam eſſe teſtamentarius minor 25. annorum, dummodò decimumſeptimum expleverit, cap. *Qui generalitèr, §. final. de procurat. in 6. leg. 19. tit. 5. part. 3.* Poteſt etiam vt teſtamentarius aſsignari hæres, vel hæredes, vel ipſi ſolum, vel permixti cum alijs extraneis: nam poterit teſtamentarius eſſe vnus, duo, vel plures. Cap. *Tua, nos de teſtam.* leg. *A filio, de aliment. legat.*

Poſſunt exlicẽtia Prælatorũ eſſe Regulares teſtamentarij?

162 Non ſolùm ſæculares, ſed etiam Clerici poſſunt inſtitui teſtamentarij, & etiam regulares, cap. *Religioſus*, cap. *Tua, de teſtam.* Sed hoc munus exercere non poſſunt, niſi de licentia ſuorum Prælatorum. *Clement. vnic. de teſtam.* cap. *Religioſus, eod. tit. in 6.* Vnde peccarent mortaliter Religioſi, qui abſque dicta licentia hoc munus exercerent, vel acceptarent; quia agerent contra prohibitionem eccleſiæ in materia gravi. Sanch. *lib. 6. Decalog. cap. 11. num. 18.* Quam licentiam poteſt dare quilibet Prælatus etiam immediatus, ſi aliàs in aliqua Religione non detur ſtatutum contrarium, vt datur in noſtra Religione, in qua ſolus Generalis poteſt dare talem licentiam. Et ei, qui abſque illa munus teſtamentarij exerceret, imponitur pœna privationis ab officio, & vocis, ac loci per ſex menſes, *3. part. noſtrarum conſtitut. cap. 13. n. 5.* Sed ſi de facto Religioſus noſter ſine licentia Generalis, ſed cum Prælati immediati licentia, tale officium ſuſciperet, non peccaret mortaliter; quia jus commune ſolùm requirit licentiam Prælati immediati: quòd autem conſtitutio noſtra petat Generalis licentiam, ſolùm efficit, vt aliter facientes faciant contra conſtitutionem, non autem contra jus commune, vt in ſimili probat Lugo *diſp. 24. n. 316.* Laym. *lib. 3. cap. 12. tr. 5. n. 5.* Palaus *tr. 16. diſp. 4. punct. 13. n. 3.* Sed neque etiam contra conſtitutionem efficeret, qui cum conditione: *Si Generalis conſentiat*, huiuſmodi officium acceptaret, ex præſumpta licentia illius, quæ in hoc caſu ſufficit. Sic N. Fr. Antonius à Spir. Sanct. *2. part. tract. 3. diſp. 6. n. 1477.* citans Sanch. & Pellizarium. A dicta regula generali communiter excipiuntur Fratres Minores, quibus prohibitum eſt teſtamentarios eſſe, in Clement. *Exivit. de verbor. ſignific. §. Vir ſanctus.*

Illi debent eligi in teſtamentarios, qui omnia legata, & alia in teſtamento contenta fideliter adimpleant.

163 Et quia hoc munus teſtamentariorum debet committi fidelibus perſonis, qui legata, & alia cum magna fidelitate adimpleant, audiamus quid dicat pijſsimus Legislator noſter, conſulens vt tale munus Religioſis viris committatur, *leg. 2. tit. 10. part. 6. Pero ſi los herederos ſoſpecharen, que los Cabeçaleros* (hi ſunt teſtamentari;) *no daràn las mandas à aquellos à quien fueren mandadas, deben tomar tal recado de ellos, que ſean ende ſeguros, que las dèn ſegun ſon eſcritas en el teſtamento. E ſi tales homes fueſſen, que no ſean ſoſpechoſos, aſsi como Frayles, è homes Religioſos, no deben tomar eſte recado de ellos tenudos de lo dàr, maguer que ſe lo demandaſſen: ca tales perſonas como eſtas, debe home ſoſpechar, que lo faràn bien.* Et ſic hodie in hiſpania multùm vſitatur viros Religioſos ad hoc munus accipere, de quibus meritò judicatur cum omni fidelitate, & diligentia ſuum munus executuros.

Ad acceptandũ munus teſtamẽtarij nemo poteſt cogi.

164 Nemo poteſt cogi, vt munus teſtamentarij ſuſcipiat; quia non eſt officium publicum, ſed particulare, ad quod nemo tenetur. Sed ſi expreſsè, vel tacitè illud acceptavit, ad illud exercendum compelli poteſt: ex cap. *Ioannes, de teſtam.* Cenſetur autem tacitè acceptare, quando incipit ſolvere debitum aliquod, vel legatum, vel alio modo in defuncti bona ſe intromittere. Sed ſi teſtator aliquod legatum ei relinquat, quem teſtamentarium reliquit, tenetur iſte vel acceptare officium, vel legatum relinquere; quia cum illo onere, ſeu ad hoc vt acceptet, cenſetur relictum eſſe. Dicaſt. *lib. 2. tract. 19. diſp. 3. n. 93.* Padill. *leg. 1. ff. de leg. 2. à num. 25.* à S. Ioſeph *lib. 2. tr. 49. num. 4.* Quando teſtamentarius non vult acceptare officium, devolvitur ad Epiſcopum, qui poteſt ei, cui voluerit, committere; imò compellere, vt illud acceptet, ſicuti aliam quamcumque legationem. Sanch. *lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 43. num. 7.* Sylveſt. *teſtam. 2. quæſt. 2. dict. 1.*

Nihil pro officio teſtamẽtarij accipi debet.

165 Non debetur aliquod ſalarium teſtamentarijs ob adminiſtrationem ſui officij; quia nulla lege cavetur; & eſt officium voluntarium, quod poteſt non admitti, & ſolùm cauſa pietatis ſuſcipitur, vt conſtat ex ipſa conſuetudine. Sed ſi officialis eſſet, vel perſona, quæ vivit ex ſua diligentia, negotiatione, aut induſtria, & per hoc quòd adimpletione teſtamenti inſiſteret, aliquod damnum pateretur, aut lucrum amitteret, à Iudice eſt ei aſsignandum conveniens ſtipendium, vt rectè probat Azebedo *lib. 6. Recopil. tit. 4. leg. 14. num. 7.* & *leg. 6. n. 20.* Similiter ſi tale munus adjunctam habeat aliquam adminiſtrationem, aliamve extraordinariam diligentiam; quia æquum nõ eſt, vt in alterius commodum, & vtilitatem aliquis operas ſuas ponat abſque aliquo interesſe: *Dignus eſt enim operarius mercede ſua*, quæ de bonis defuncti eſt accipienda. Non poterit autem teſtamentarius, ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam, emere aliquid de bonis defuncti; quia id prohibetur ipſi, leg. *Si emptione, §. final. ff. de contrah. empt l. 23. tit. 11. lib. 5. Recop.* Quod non attendunt plures teſtamentarij, qui affecti ad aliquas defuncti res, eas ſibi emunt, & forte viliori pretio, quam valent. Nec excuſantur, quia juxta taxam eas accipiũt; quia ipſi ſolent facere, vt minori pretio taxentur.

Poteſt

Potest Episcopus petere rationem muneris testamentarij.

166 Potest Episcopus, vel etiam Iudex sæcularis (est enim hæc causa mixti fori) compellere testamentarios, vt testamentum exequantur, etiam ante transactum annum, saltem quoad pia legata. Greg. Lopez *leg. 6. tit. 6. part. 6.* Tapia *tom. 2. Caten. lib. 5. quæst. 21. art. 15. num. 8.* Ab eisque rationem debet petere Episcopus suæ administrationis: & etiamsi testator ordinet, ne obligetur testamentarius reddere rationem sui muneris, poterit ad hoc á Iudice compelli. Authent. *Licèt, C. de Episcop. & Cler.* cap. *Tua nobis, de testam.* quia petere horum rationem, est officium publicæ potestatis introductum ob bonum commune, quod impedire non potest testator. Gloss. Abbas, & Covar. dict. cap. *Tua nobis*, quos refert, & sequitur Villalob. *tom. 2. tract. 30. diffic. 26. num. 10.* qui *diffic. 30. n. 13.* benè advertit, quòd quando testator in suo testamento ordinat, vt ab vxore, testamentario, vel sua negotia agente, vel altera persona, non sumatur ratio agendorum (vulgò, *no se le tomen cuentas*) non ob id illi aliquod ex bonis defuncti legatur, aut conceditur; sed sensus est, suæ conscientiæ committi, vt veritatem declaret, & quod illius stetur dicto: & non ob id poterit cum aliquo debito, vel alia re defuncti manere, sed tenetur in conscientia hæredibus restituere quidquid testatori debebat.

An possit Episcopus petere rationem muneris testamentarij à Regularibus?

167 Hic solet controverti inter Doctores, vtrum Religiosi Mendicantes, & alij plenè exempti teneantur reddere rationem Episcopis de testamentorum executione. Affirmat prima sententia, quia *in Clement. vnica, de testam.* absolutè præcipitur: & habet locum in omnibus Religiosis quantumcumque exemptis, nisi speciale privilegium contra illius decisionem habeant. Sic Sanch. *lib. 6. Decalog. cap. 11. n. 22.* Castrus Palaus *tom. 3. tr. 16. disp. 4. punct. 13. §. 1. n. 7.* Peyrinis *de Prælato, quæst. 3. cap. 5. num. 23.* N. Fr. Anton. à Spir. Sanct. *in direct. 2. part. tr. 2. disp. 6. n. 1478.* Ioan. à Cruce *in 7. præcept. quæst. 1. art. 5. dub. 17. n. 7.* Villalob. *tract. 30. diffic. 25. n. 4.* Martin. á S. Ioseph. *lib. 2. tr. 49. num. 12.* & alij apud ipsos. ¶ Secunda sententia negat: quia dicta Clementina loquitur solùm de exemptis exemptione communi, qui possunt conveniri ratione rei, contractus, delicti, &c. non autem de exemptis exemptione omnimoda (cuiusmodi sunt Regulares, præcipuè qui privilegijs Mendicantium fruuntur) qui nullo modo possunt conveniri, nec puniri. Ita Sylvest. verb. *testam. quæst. 2. dicto* 4. Tabiena *quæst. 14. n. 15.* Armilla *n. 14.* Quos refert, & sequitur Martinez à Prado *cap. 29. quæst. 6. de testam. numer. 40.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. quæst. 70. art. vlt. & tom. 2. Summ. cap. 156.* Barbos. *de Officio Episcopi, alleg. 82. num. 48.* Cespedes, quem refert, & sequitur Pellizar. *tom. 2. tract. 8. cap. 26. quæst. 24. num. 74.* Richard. Angel. & Molina, quos refert Sanch. *loco cit.* Vvaldingus, Fagundez, Carpius, & Molfesius, quos refert Diana 8. *part. tract. 5. resol. 37.* Qui in hac parte (& nos etiam) iudicium suspendit.

Duo circa dicta notanda?

168 Sed in casu quo instituantur sæcularium hæredes monasteria, vel Religiosi, vel simpliciter, vel cum gravamine legatorum aliquorum in favorem sæcularium, quòd non possint visitari, vel puniri ab Episcopis, vel locorum Ordinarijs, rectè probat Hieronymus Garcia *in Polit. Regul. tom. 1. tract. 8. diffic. 3. dub. 4. fol. 600.* ex diversis privilegijs apostolicis, vbi videri poterunt. ¶ Stante autem prima opinione *num. præced.* relata, quòd Episcopi possint rationem exigere à Religiosis testamentorum executoribus, vel defunctorum hæredibus, quod non possint censuris eos compellere, probant, pluribus relatis, N. Lezana *tom. 3. verb. Exemptio, 8. & 11.* Cespedes, *dub. 257. & 296.* Portel. *tom. 2. respons. cas. 95.* Hieron. Garcia, *loc. cit. dub. 4. num. 21.* Et esset nulla talis censura defectu iurisdictionis. Quia tamen, vt in plurimum, vltra Religiosum, etiam executores laici ordinantur, vel Clerici, ab istis solent Episcopi rationem exigere, & meritò, quia non sunt ab eorum iurisdictione exempti.

Quid facere debet testamentarius, cui committitur facultas bona inter pauperes distribuendi?

169 Quando in testamento testamentario conceditur facultas aliquas eleemosinas distribuendi inter pauperes, non poterit eas vni soli conferre; quia sensus commissionis ex communi acceptione est, vt inter plures pauperes eas distribuat. Poterit tamen præferre quos maluerit intra suæ indigentiæ qualitatem, quando talis distributio eorum libero arbitrio committitur. Poterit eas suis cognatis dare, si etiam pauperes sint. Poterit suo Conventui applicare eas Prælatus distributionis executor. Poterit etiam sibi partem earum tribuere, si verè pauper sit, iuxta suæ indigentiæ exigentiam. Etsi oppositum videatur præcipi, leg. *Si mandavero, ff. mandati*, est pro foro externo, vbi præsumitur dolus, aut fraus: at in foro conscientiæ, si executor sit verè pauper, licitè poterit sibi applicare partem, sicut alteri: nec enim est deterioris conditionis per hoc, quod sibi fuerit tale munus injunctum. Vnde dixit D. Thom. 2. 2. *quæst. 32. art. 9. ad 3. Cùm aliquis distributor ponitur eleemosinarum, potest & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo & alijs ministrat.* Quod tenent ibi Caietan. Aragon, Tapia *lib. 5 quæst. 21. art. 15. num. 12.* Villalob. *tract. 30. diffic. 26. num. 9.* Dicast. *lib. 2. tract. 19. disp. 3. num. 249.* Sanch. *lib. 6. Summ. cap. 12. num. 53.* Tabiena, verb. *Eleemosina, quæst. 13. num. 4.* Martin. à S. Ioseph *lib. 2. tract. 34. num. 2.* Vega *tom. 2. Summ. cap. 27. cas. 2.* Ludovic. Lopez 2. *part. instruct. cap. 107. de eleemosin. quæst. 9.* & alij.

PUNCTUM XIII.

De legatis, & legatarijs.

Quid sit legatum?

170 LEgatum *donatio quædam est, quam defunctus præstandam relinquit ab hærede, de eo, quod foret hæredis.* Per hanc diffinitionem legatum convenit cum alijs dispositionibus causa mortis, & differt ab illis. Nam per ly *donatio*, convenit cum donatione causa mortis, & cum hæredis institutione, quæ fit in testamentis; sed per illa verba, *præstandam ab hærede*, differt ab illa: nam institutio hæredis fit à testatore, vt hæres per seipsum adeat hæreditatem; legatum autem non sic, sed debet ex hærede ipso recipi à legatario. Et per hoc etiam differt à donatione causa mortis, quæ à testatore immediatè præstatur: legatum verò non, nisi medio hærede. Si autem testator legatum, quod relinquebat in testamento, in vita dedit, vt adimpleat per se ipsum, quod in testamento relinquit, non amittit rationem legati, & vltimæ voluntatis ex natura sua revocabilis. Si autem absolutè donavit, non intendens adimplere testamentum, erit donatio inter vivos irrevocabilis. Molin. *tom. 1. disp. 193.* Tapia *lib. 5. q. 21. art. 14. n. 3.* Villalob.

tract.

tract. 30. *diffic.* 29, *num.* 1. Anton. Gomez 1. *variar. cap.* 12. *num.* 4.

Quot modis relinqui poſſit legatum?

171 Legatum relinqui poteſt, vel abſolutè nullo tempore determinato, nec ſub aliquo onere, aut conditione, & dicitur *purum*: vel poteſt eſſe legatum *in diem*, hoc eſt, determinando diem, vel tempus, pro quo præſtandum ſit: vel ſub aliquo onere, conditione, cauſa, aut demonſtratione, & dicitur *conditionatum*. Quarè in præſenti priùs agemus de abſolutis legatis, poſteà verò de conditionatis, & deinde aliquas difficultates circa vnum & alterum diſſolvemus. Quod claritatis gratiâ diverſis §§. præſtabimus. ¶ Ante omnia ſupponendo: legatum pium à teſtatore relictum, durare adinſtar voluntatis ipſius. Vt ſic opinio eorum maneat abolita docentium in Propoſ. 43. *Annum legatum pro anima relictum, non durat pluſquam per decem annos.* Quam Alex. VII. vt ſcandaloſam, &c. damnavit, vtpotè falſo fundamento innixam; ſcilicèt, animas in purgatorio vltra decennium non detineri. Quod an plus, an minus, ad Dei juſtitiæ æquitatem ſpectat.

§. I.

De legatis puris, & abſolutis, eorumque fructibus.

Non valet legatū, niſi hares acceptet hæreditatem jure communi, valet autem jure hiſpano

172 EX jure communi nulla legata valent, ſive pura ſint, ſive conditionata, quæ relinquuntur in teſtamento, in quo hæres non acceptavit hæreditatem; quia cenſetur nullum. Leg. *Nemo, ff. de teſtam. tutel.* ibi: *Si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex ijs, quæ in teſtamento ſcripta ſunt: ſi verò vnus ex pluribus adierit, tutelæ ſtatim valent. Idem intellige de legatis, nec expectandum erit, vt omnes hæreditatem adeant.* Idem habetur *leg.* 1. §. *Aditum, leg.* 24. *Tauri, num.* 1. Gomez 1. *variar. cap.* 12. *n.* 12. Acoſta, cap. *Si pater, part.* 2. verb. *Referuntur, n.* 3. Excipiuntur legata ad cauſas pias, quæ valida ſunt, & ſic ſolvenda ab hærede ab inteſtato, vt ſuprà vidimus. Et ſimilitèr ſunt valida quæcumque legata, quando in teſtamento poſita eſt clauſula codicillaris, ſuprà *n.* 25. præpoſita, vel aliquid ei equivalens, & ſunt ab hærede ſolvenda. Gloſſ. in cap. *Rainaldus, de teſtam.* Covarr. *ibi*, §. 3. *n.* 8. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 20. *n.* 1. ¶ Iure autem Caſtellæ valet teſtamentum quoad legata, & alia in eo diſpoſita, etiamſi hæres non acceptet hæreditatem; imò etiamſi in teſtamento non inſtituatur hæres. *Leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil.* ibi: *Si el teſtador inſtituyere heredero en el teſtamento, y el heredero no quiſiere heredar, valga el teſtamento en las mandas, y en las otras coſas que en èl ſe contienen.* Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 29. *n.* 3. Tapia *lib.* 5. *q.* 21. *art.* 14. *num.* 6. à S. Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 36. *num.* 4.

Quando requiratur jus ad legata?

173 Omnia legata pura, & abſoluta ſtatim à morte teſtatoris acquiruntur (ſecuta acceptatione legatarij) & ſic ad legatarij hæredes tranſit ad illa jus. At verò ſi legatarius ante teſtatorem moriatur, ceſſat legatum, & nullum tranſit ad hæredes jus; quia ille ante mortem teſtatoris nullam acquiſivit jus, *Leg. vnic.* §. *Cũ igitur*, §. *In noviſsimo*, C. *de caducis tollend. leg.* 34. *tit.* 9. *p.* 6. Idem eſt, ſi teſtator alicui relinquat legatum, putans eum vivere, qui tamen mortuus erat; non valet legatum, nec tranſit ad hæredes, *ead. leg. vnic.* §. *In princip.* Nec ſi relinquatur legatario vivo, qui moriatur ante acceptationem legati, dict. leg. §. *Noviſsimo*, *leg.* 34. *tit. tit.* 9. *part.* 6. Idem eſt, ſi legatum relinquatur ſub conditione pendenti de futuro, vel in diem, vel ad tempus determinatum; & moriatur legatarius ante adventum temporis, vel adimpletionem conditionis: non valet legatum, nec tranſit ad hæredes, vt ex dictis legibus conſtat.

Cuius ſint incrementa, vel decremẽta legati?

174 Si quis legavit alicui fundum, & in eo erexit domum, vineam plantavit, vel olivetum, &c. totum incrementum erit legatarij. Et è contra, ſi relinquat illi domum, vineam, vel olivetum, quod poſtea deſtruit, vel evellit, totum decrementum erit legatarij. Si verò domum relinquat, & hæc ab igne, vel tempeſtate conſumpta eſt, locus, in quo erat ſita, pertinet ad legatarium: leg. *Si grege, in fine, ff. de legat.* 1. Si domum legavit, quæ poſteà reædificata, vel meliorata eſt, omnia meliramenta ad legatarium pertinent: leg. *Si ita*, §. *Si dominus, eod. tit.* leg. *Qui res*, §. *Aream, ff. de ſolutionib.* Lugo *diſp.* 24. *ſect.* 9. *n.* 239. Villalob. *tr.* 30. *diffic.* 29. *n.* 2. Anton. Gomez 1. *variar. cap.* 12. *n.* 41. Et generaliter ſi res legata in totum, vel in parte à teſtatore vendatur, vel diſtrahatur, &c. intelligitur revocatum mandatum, niſi legatarius probet oppoſitum, ex leg. *Fideicommiſſo*, *ſi rem, ff. de legatis* 2. leg. *Si rem legatam, ff. de adimend. legat.* Et licèt poſteà eandem rem acquirat dominus, non reviviſcit legatum, niſi repetatur: leg. *Cùm ſervus, ff. de adimend. legat.* leg. *Qui res*, §. *Aream, ff. de ſolutionib.* At ſi quis mandet alicui triticum in ſuo horreo incluſum, & poſteà illud conſumat, ceſſat quidem legatum ob conſumptionem rei legatæ; ſed ſi poſt conſumptionem poſuit aliud triticum teſtator in eodem horreo, iſtud debetur legatario tanquam ſubrogatum loco tritici conſumpti. Et idem eſt ſi domus legata deſtruatur, & in eodem loco à teſtatore alia erigatur: cenſetur iſta ſubrogata alterius loco. Bonac. *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 17. §. 3. *n.* 2. Martin. à S. Ioſeph *tr.* 38. *n.* 22. Si quis mandet dari Petro centum aureos, qui ſunt in arca, ſi ibi non inveniantur, niſi quinquaginta, hi tantùm debentur legatario: leg. *Cùm ita, ff. de legat.* 2. Sed ſi in dicta arca repertum ſit plus quàm 100. non tenetur hæres niſi centum dare legatario, quia mens teſtatoris ſolùm fuit, vt talis quantitas illi daretur. Villalobos *tract.* 30. *diffic.* 30. *num.* 2.

Ad quem pertineant fructus legati?

175 Fructus ex re legata percepti ante mortem teſtatoris, pertinent ad hæredem, & non ad legatarium, niſi aliud conſtet de mente illius, leg. *Lucius*, *ff. de legat.* 2. niſi fructus creſcant in re legata, & illi incorporentur: v. g. ſi res legata ſit grex, capita, quæ naſcuntur, etiam ante mortem teſtatoris, & illi aggregantur; & quæ de novo emuntur, ſi illi ſimiliter aggregentur, ad legatarium pertinent: ſicut ſi aliqua moriuntur, vel à teſtatore vendantur, vel occidantur, decrementum erit legatarij, §. *Si grex.* Inſtit. *de legat.* leg. *Grege*, leg. *Si grege. ff. de legatis* 1. Si res legata fuerit fundus, vinea, olivetum, &c. fructus pendentes mortis teſtatoris tempore pertinent ad legatarium, leg. *Si pendentes*, 34. *ff. de vſufr.* §. *Si verò*, Inſtit. *de rerum diviſione.* ¶ A tempore mortis teſtatoris facit ſuos fructus ex re legata legatarius, etiam ante acceptationem hæredis. Quod ex jure communi eſſe verum, probat Gomez 1. *variar. cap.* 11. *n.* 5. & 12. ſed ex jure Caſtellæ eſt indubitatum, quia non requiritur acceptatio hæredis, vt valeat quoad legata teſtamentum, *leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recop.* Martinez, *ibid. gloſſ.* 14. *n.* 31. Burgos à Paz *leg.* 3. *Tauri*, 1. *part. n.* 936. Covarr. 1. *variar. cap.* 9 *n.* 5. Tapia *art.* 14. *n.* 4. Villalob. *tract.* 30. *diffic.* 29. *n.* 2.

Legato

Legato principali, censentur accessoria legata.

176 Legato aliquo principali, censetur legatum accessorium illius, per se loquendo; quia principale trahit ad se accessorium. Vnde, legato lecto, censentur legata illius paramenta: legato viridario, censentur legatæ arbores in eo contentæ: legata domo, censetur legatum viridarium domi coherens: legatis vestibus, censentur legata ornamenta aurea, vel argentea ipsarum vestium: legatis omnibus bonis, etiam intelliguntur legata jura, & actiones; quia sunt velut accessoria alijs bonis. Covarr. cap. *Relatum, de testam. n.* 1. Bonac. *disp. 3. quæst. vlt. punct. vlt. num.* 13. Sylvest. *legatum 3. quæst.* 3. Trullench *lib. 6. cap.* 18. *dub.* 12. *n.* 10. Vnde fit, quòd si alicui legetur vsusfructus alicuius fundi, censentur legata omnia instrumenta ad illum colendum deputata, vti boves, jumenta, aratra, &c. & si fuerit agricola legatarius, etiam censetur legata domus, horrea, cella vinaria (vulgò, *la quinta, el granero, lagar, ò trujal*) & in eis ad affectum agriculturæ contenta, & triticum ad seminandum destinatum. Bald. per leg. *Item si fundi, §. Seminarius, ff. de vsufructu*, Gregor. Lopez *leg.* 20. *gloss.* 8. *tit.* 31. *part.* 3. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tract.* 38. *num.* 7.

Quãdo sub distinctione relinquitur legatũ, potest hæres, quod voluerit, dare.

177 Si testator mandet, quòd dentur Petro aliquæ res sub disjunctione, v.g. vel vestis, vel arma, vel aliqua in specie determinata; & non in individuo (vt aliqua ex suis vestibus) tunc electio pertinet ad hæredem, & suæ obligationi respondet, quòd minus valet tribuendo, etiamsi legatum sit ad pias causas; vt si legetur ecclesiæ calix, potest argenteum, vel aureum, quomodo voluerit, dare: si ornamentum, poterit sericum, vel laneum: *Quia in alternativa summarum, vel temporum inspicitur illud, quod minus est in obligatione*, leg. *Si ita relictum fuerit* 43. *ff. de legatis* 2. *leg. Si ita scriptum, in fine*, leg. *Legata generalitèr, §. finali, ff. de legatis* 1. Trullench *num.* 4. Villalob. *diffic.* 29. *num.* 2. Molin. 1. *de justit. disp.* 198. Martin à S. Ioseph *num.* 16.

Legatarius non nisi ab hærede debet legatum recipere.

178 Legatarius debet ab hærede legatum recipere: & si propria authoritate per se illud, vel illius partem accipiat, à jure ponitur pœna, vt quod accipit, amittat, & hæredi tribuatur, leg. *Non est dubium*, Cod. *de leg.* Quod intelligitur (inquit Gomez) si legatum accipiat post acceptationem hæreditatis ab hærede factam; nam si ante illam accipiat, inquit, non incurrere illam pœnam, sed interdictum, *Quorum legatorum*: quod est, vt compellatur hæredi reddere legatum acceptum, vt illud de manu hæredis recipiat, *ex leg.* 1. §. *Redigantur, ff. Quorum legatorum.* Sed dicta intelligenda sunt, si propria authoritate, insciο hærede, legatum recipiat: nam si ex expressa, vel tacita cõcessione testatoris id faciat, talem pœnam non incurrit. Lug. *disp.* 24. *sect.* 9. *n.* 240.

Quid si pauper moriatur, vel locus destruatur, cui est legatum relictum?

179 Et si inquiras, vtrum hæres, mortuo paupere, vel destructo loco pio, cui res aliqua fuerat legata, teneatur alteri pauperi, vel loco pio legatum illud pium relinquere? Respondetur affirmativè, si res illa relicta fuerit vt opus pium (quamvis talem pauperem elegerit testator, eo quòd esset sibi notus, vel alia causa) qui adhuc subsistere videtur causa finalis legati: subsistente autem causa finali, illud validum est; secùs autem si illud legatum solùm reliquit in bonum illius pauperis, cum cesset legatum, mortuo legatario. Sed si dubium sit, an testator aliquid reliquerit pauperi, vt opus pium, vel in bonum ipsius pauperis, præsumitur reliquisse vt opus pium, & sic legatum est solvendum, mortuo legatario: nisi fortè pauper fuerit amicus, vel consanguineus, quia tunc præsumitur in bonum illius relictum esse, & sic non est solvendum. Idem cum proportione de legato loco pio relicto sentiendum est. Sanch. *in Summ. lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 15. Bonac. *disp. 3. quæst. vlt. punct. vlt. num.* 17. Trullench *lib.* 7. *Decalog. cap.* 28. *dub.* 12. *n.* 13. Qui addunt, quòd si hæres fuit in mora solvendi illud legatum pauperi, quomodolibet fiat, & pauper interim moriatur, tenetur solvere hæredibus eius, qui in defuncti jura succedunt; & pauper hebebat iam ad legatum jus, sive fit ad opus pium, sive in sui favorem relictum.

§. II.

De legatis, quæ fiunt sub conditione.

De conditionibus, quæ possunt legatis adjungi.

180 PLura, quæ dicenda forent circa legatorum conditione, constant ex ijs, quæ diximus *hoc tract. cap.* 1. *punct.* 4. quæ non sunt modò repetenda, sed aliqua brevitèr attingemus circa legata sub conditione relicta. Et supponendum est, quòd si conditio sit impossibilis, vel de facto, vel de jure (& dicitur impossibilis de facto, quando reipsa impleri non potest, vt, *Si digito Cælum titigeris*: de jure autem dicitur impossibilis, quando jus divinum, naturale, vel humanum illi contradicit, vel quando est contra bonos mores, vel opera pietatis) habetur pro non adjecta, & illa reiecta, valet legatum, ac si esset purum, & absolutum: & idem est de reliquis vltimis voluntatibus, *leg.* 1. leg. *Si quis ita institutis*, & alijs, *ff. de conditionibus instituend. leg.* 3. *tit.* 4. *part.* 6.

Relictum legarum Petro, vt nubat testatoris filiæ, nõ valet, nisi matrimonio secuto.

181 Si testator centum Petro relinquat sub conditione, vt ipsius testatoris nubat filiæ, vel si nubat huic, vel illi fœminæ ab ipso assignatæ (& idem est si sub modo, demonstratione, aut causa relinquatur, *vt nubat*, vel *quia nubet*, &c.) est valida conditio, quia non impeditur matrimonium, sed determinatur persona, cum qua contrahendum est, vt adimpleatur testatoris voluntas, leg. *Titio centum, §. Titio centum, ff. de condition. & demonstr.* Quare si alteri nubat, legatum amittit; etiamsi, ea mortua, velit cum designata à testatore nubere, quia amittitur legatum, cùm primò non nupsit, nec postmodùm revivisceit. ¶ Sed sunt duæ exceptiones. Prima, si fœmina à testatore designata vel moriatur, vel cum legatario nubere nolit, vel illi noluerint eam dare parentes: & tunc non amittitur legatum, quia per legatarium non stat, quominus conditio à testatore posita adimpleatur, leg. *Iure civili, ff. de cond. & demonst. leg.* 14. *tit.* 5. *p.* 6. Sanch. *de matr. lib.* 1. *disp.* 33. *n.* 10. 11. 13. & 19. Molin. *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 206. *num.* 16. Villalob. *tract.* 30. *diffi.* 30. *n.* 3. & 8. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tract.* 40. *num.* 1. & 5. ¶ Secunda est (quam assignant prædicti Authores) si illud matrimonium esset licitum, & honestum, & cum persona digna; aliter reijcienda est talis conditio, & solvendum legatum; quia censetur talis conditio vt turpis, vel impossibilis de jure: & sic habetur pro non adjecta, leg. *Cùm ita, ff. de condit. & demonstr. leg.* 14. *fine, tit.* 4. *part.* 6. ibi: *Fueras ende, si aquel, con quien la mandava que se casasse, fuesse tal home, con quien no debia, porque aquello podemos fazer, que podemos facer honestamente.* Ex quo inferunt, legatum relictum virgini, si nubat Ioanni, non amitti, si pater nolit; quia virgo non honestè nubet absque voluntate, vel contra voluntatem parentis.

182 Quamvis jure antiquo esset omninò nulla conditio addita legato, vel hæreditati,

si

Quomodo conditio de non contrahendo matrimonio ad vita legato valeat?

si matrimonium non contrahit; & sic in favorem nuptiarum, & vt populus multiplicaretur, esset reiecta ab vltimis voluntatibus, leg. *Si ttia, ff. de condit. & demonstr.* modò ex jure novo authenticarum relinquitur in suo robore jus antiquum, quantum ad hoc, quod sit invalida conditio nunquam nubendi; sed circa viduas dispositum est, vt conditio, *quod non nubat*, valida sit, & si ad secundas nuptias pervenerint, amittunt legatum, vel hæreditatem sub tali conditione relictam. Et mortuo testatore, non est illis tradenda, nisi præstent cautionem *Mutianam*, hoc est, quòd si secundò nupserint, restituent hæreditatem, vel legatum cum fructibus ex eis perceptis. Authent. *Cui relictum*, Cod. *de induct. viduit. tollend.* Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 207. *num.* 3. alter Molin. *de primog. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 21. Villalob. *diffic.* 30. *n.* 5. Idem dicendum est de viris, quibus sub illa conditione relinquitur legatum; quia dicta authentica de omnibus indifferenter loquitur. ¶ Cæterum non amittitur dictum legatum per fornicationem mulieris, quia conditio explicanda est juxta significationem verborum; & conditio solùm dicit, quòd ad secundas nuptias non perveniat. Navarr. *cap.* 25. *num.* 65. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 91. *n.* 47. Bonac. *disp.* 3. *quæst. vlt. punct. vlt. num.* 25.

Legatum relictum mulieri, si castè vivat, debet illi dari etiã si matrimonium contrahat.

183 Sed si à testatore relinquitur legatum mulieri sub conditione, *vt castè, vel honestè vivat*, nonnè deperdetur, illa matrimonium contrahente? Respondetur negativè, nisi aliud constet ex mente testatoris: nam in matrimonio vitam ducere, est castè & honestè vivere. Molin. Theolog. *supr. n.* 4. Vazq. *cap.* 7. *de testam. §.* 1. *dub.* 7. Sylvest. verb. *Legatum, quæst.* 5. Bonac. *supr. n.* 22. Trullench *n.* 17. Martin. à S. Ioseph *tr.* 40. *n.* 4. Sanch. *lib. de matrim. disp.* 91. *n.* 19. Si verò relinquatur à marito vxori, vel ab alio distribuendum fœminis honestæ vitæ, sub conditione, *Si castè, & honestè vixerint*, certum est, amitti per copulam illicitam; imò per oscula, amplexus, aut impudicos tactus. Sed non est denegandum legatum illi, quæ semel dumtaxat, aut iterum in his deliquit; quia ex communi modo loquendi illa non dicitur vitam inhonestè agere, quæ vnum, aut alterum actum lascivum admisit, aut quæ semel, aut iterum fornicata est. Sanch. & Trullench. *loc. cit.*

An relictũ legatũ matronis mulieribus, dari possit Religionẽ ingredientibus?

184 Sed rogabis: An si legatum relictum esset ad nubendas virgines, viduas, vel orphanas, dari possit ei, quæ vult ingredi Religionem? Et quidem si determinatæ personæ relictum fuerit, v. g. Mariæ, vt matrimonium decenter celebret, tradendum est ei legatum volenti Religiosam fieri, nisi aliud de mente testatoris constiterit, quia sic habetur authent. *de Sanctissimis Episcop. §. Et hoc præsenti, col.* 9. Authent. *Nisi rogati*, C. *ad Trebel.* Et rationem reddunt aliqui, quia sic debet præsumi de testatoris voluntate, quòd non vellet eam obligare, vt non sumeret meliorem statum perfectionis. Alij reddunt rationem, quia sic in favorem religiosæ vitæ institutum est dictis juribus. Molin. *tom.* 1. *disp.* 267. vers. *Vt de hac re.* Villalob. *tr.* 30. *diffic.* 30. *n.* 11. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 33. *n.* 29. Covar. 1. *variar. cap.* 9. *num.* 10. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tr.* 40. *n.* 8. Menoch. *lib.* 4. *de præsumpt. præsumptione* 148. Sed difficultas est, si legatum sit generaliter ad nubendas virgines, vtrum possit tradi illis, quæ volunt fieri Religiosæ? Negat prima sententia, quia sic non verificaretur testatoris voluntas, quæ legatum relinquit pro matrimonio carnali, non pro spirituali. Et prædicta juta loquuntur in casu, quo personæ castæ relictum esset legatum, non sub generalitate, qua modò loquimur. Quæ, cum exhorbitent à jure communi, non sunt extendenda de vno casu ad alium. Sic Sanch. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 33. *n.* 32. Lugo *disp.* 24. *sect.* 11. *n.* 293. Bonac. *disp.* 3. *quæst. vlt. punct. vlt. num.* 19. Trullench *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 12. *num.* 14. & *cap.* 16. *dub.* 9. *num.* 25. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 83. *à num.* 27. Molin. *tract.* 2. *disp.* 207. *concl.* 1. & alij.

Relictum legatũ pro nubendis virginibus, potest dari Religiosis.

185 Sed nihilominus dicendum est, quòd licet constaret de mente testatoris, quòd nollet legatum relinquere, si essent Religionem ingressuræ, posset dari legatum pro nubendis mulieribus relictum, illis, quæ ingredi Religionem volunt. Quod probatur, tùm ex Authent. *Iustiniani*, vbi postquam casum *num. præced.* positum decidit, addit, *Seu alteri cuicumque personæ.* Quæ verba intelligi debent vniversaliter, & vagè: nam verbum, vel dictio *Quivis*, vel *Quicumque*, includit omnes modos similes, & dissimiles, ac etiam maiora expressis. Gloss. in Clement. *de Romanis*, verb. *Quovis modo*, *de sentent. excommun. in* 6. Et est dictio vniversalis, quæ de sua natura omnia vniversaliter includit, cap. *Solita, de maioritate, & obedientia.* Tùm etiam, quia in fine illius authent. dat rationem suæ determinationis Iustinianus: *Quòd vitam profitentur religiosam, & conversationem castam.* Et sic ratio illum movens est, ne deseratur melior status religionis ob consecutionem legati in tali forma relicti, nimirùm pro matrimonio carnali: eadem autem ratio currit, sive in particulari, sive in generali relinquatur: ergo eadem debet esse decisio: quia *vbi eadem militat ratio, eadem militare debet juris dispositio*, leg. *Illud, ff. ad legem Aquiliam.* Tùm denique, quia non ideò conceditur legatum relictum determinatæ personæ pro matrimonio, quando ingreditur Religionem, quia ea præsumatur testatoris voluntas, vel non præsumatur opposita; sed quia à jure reijcitur talis conditio, vt impeditiva status religiosi, vt turpis, & inhonesta, etiamsi cõstet esse de mente testatoris; nam esset idem ac dicere: *Lego tibi* 100. *si Religionem non ingrediaris*, quæ est conditio turpis impediens melius bonum. Quarè sicut reijcitur ab vltimis voluntatibus ista conditio, *si non nupseris*: ita hæc, *si non ingrediaris Religionem.* Tenendum itaque est in nostro casu, posse mulieri volenti Religionem ingredi, concedi legatum pro nubendis mulieribus relictum. Ita Basil. Legionens. *lib.* 3. *de matrim. cap.* 7. *n.* 11. Ochagavia *de Sacram. tr.* 1. *de matrim. q.* 11. *num.* 17. Natta & Boerius, quos refert, & sequitur Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tract.* 40. *num.* 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 15. *num.* 123. *§. Nihilominus*, & alij, quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 57. & 4. *part. tract.* 14. *miscellan. resol.* 35.

§. III.

Aliquæ difficultates, quæ in praxi contingunt circa legata, resolvuntur.

Quomodò legatum relictum pro naturalibus, alibi natis dari possit?

186 Postquam resolutoriè egimus de ijs, quæ ad legata pertinent, restat aliquas in hoc §. decidere difficultates, quamvis omnes non conveniat nostro instituto examinare. Prima est, an legatum relictum pro naturalibus alicuius oppidi, alibi natis dari possit, si per decem annos in tali loco habitarunt? Respondetur, quòd vel talis habuit animum ibi manendi perpetuò,

tuò, vel non? si hoc secundum, non acquirit domicilium, sed semper pro extero habetur; si primum, & de illo constet, non solùm post decennium, sed ab initio potuit haberi vt naturalis, quia ab initio acquisivit domicilium, & habitationem, *leg.* 1. Cod. *de incolis, lib.* 12. Habitatio autem decennalis ad hoc ponitur, vt (nisi constet de animo non habitandi ibi in perpetuum) habeatur vt naturalis; sed non habetur, vt talis, ante illud, nisi constet de tali animo ibi permanendi. Vnde legatum pro naturalibus relictum, illis dari potest, qui vel habent animum ibi permanendi in perpetuum, si de hoc constet, vel per decennium ibi habitarunt, & non constat in animo esse ibi non manendi. Sanch. *lib.* 4. *consil. cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 1. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 140. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tract.* 40. *num.* 13. Lugo *disp.* 24. *sect.* 11. *num.* 195.

Relictum pro orphanis potest dari ijs, qui parrem invtilem habent.

187 Secunda difficultas est, vtrum legatum relictum ad nubendas orphanas, possit illis dari, quæ parentes habent, sed ad suum remedium inutiles, vel quia sunt pauperes, vel quia ex alia causa ad id non deservire sparatur? Affirmativè respondendum est, quia tales parentes sunt quasi non essent: & in ordine ad suum remedium, & vt evitetur jacturæ castitatis periculum (quæ fuit intentio testatoris) tales virgines vt orphanæ reputandæ sunt. Verum est, quòd si tales concurrant cum illis, quæ verè sunt orphanæ, & parentibus carent, istæ illis sunt præferendæ; quia sic meliùs testatoris salvatur intentio, eiusque voluntas adimpletur. Diana 1. *part. tract.* 2. *miscellan. resol.* 52. Martin. à S. Ioseph *loco proximè cit.* Trullench *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 12. *num.* 15.

An relictũ pro maritandis possit dari iam nuptis?

188 Tertia difficultas est, an legatũ ad nubendas mulieres relictum, possit iam nuptis conferri, quæ vel nupserunt sine dote, vel cum exigua, & insufficienti? Respondetur, quòd si relictum sit pro determinatis puellis dandum est, tametsi iam nupserint, quia creditur tale legatum relictum esse á testatore ob affectum ad illas, & quia voluit eis subvenire, vt nuberent, vel vt decentèr vitam transigerent. Si verò relictum esset pro nubendis fœminis in generali, non potest dari iam nuptis; quia intentio testatoris fuit huiusmodi fœminis providere de matrimonio ad plura pericula evitanda; & sic non adimpletur, si detur iam maritatis. Aliud esset, si relictum esset legatum ad dotandas virgines, vel fœminas paupere: hoc enim dari posset etiam iam nuptis, sed absque dote, vel dote competenti; quia hæ verè pauperes sunt, & indotatæ. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 95. *num.* 75. Mantica *de coniectur. vlt. volunt. lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 13. Trullench *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 12. *num.* 15. Diana 1. *part. tract.* 2. *miscel. resol.* 52.

Quando legatũ pro maritandis fœminis relictum, viduis secundò nubentibus dari possit.

189 Quarta difficultas est, an legatum relictum fœminis in matrimonio collocandis, possit tradi viduis volentibus ad secundas nuptias pervenire? Et quidem si non sint aliæ fœminæ ætate nubiles, illis tradi potest, quia legatum pro maritandis fœminis relictum tantummodò tradi potest fœminis ætate nubilibus, nimirum, quæ nactæ sunt pubertatem, quæ in ipsis advenit 12. expletis annis, vt tradit Sanch. *sub num.* 65. Trullench *num.* 15. Ex suppositione autem quòd non sint fœminæ nubiles, nisi diutiùs legati pij adimpletio differatur, præsumi potest voluisse testatorem huiusmodi legatum tradi viduis, secundò matrimonium contrahentibus. Sed hoc non procedit, quando legatum relictum fuit pro certa puella maritanda, tunc enim expectandum est, donec illa matrimonium contrahat, quia talis puella habet jus, vt sibi legatum solvatur iuxta mentem testatoris, qui eam elegit, & designavit. Sanch. *num.* 65. Bonac. *disp.* 3. *quæst. vlt. punct. vlt. num.* 22. Diana 1. *part. tract.* 2. *miscellan. res.* 52. ¶ Si verò dentur aliæ fœminæ nubiles, legatum ad fœminas maritandas relictum, nequit viduis conferri ad secundas nuptias pervenire volentibus; quia nomine fœminæ in matrimonium collocandæ, intelligitur ea, quæ nunquam nupsit, vel si nupsit, invalidè, nupsit, aut matrimonium non consummavit. Leg. *Hoc sermone, ff. de verbor. signific.* vbi sic dicitur: *Hoc sermone: Dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur.* Mantica *supr. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 21. Sanch. *disp.* 95. *cit. numer.* 54. Bonac. *num.* 11. Trullench *num.* 16. Quòd si legatum relictum sit mulieribus pauperibus, absque dubio comprehendit tàm virgines, quàm viduas, quia verbi significatio vtrisque convenit.

Legatum pro virginibus potest corruptis dari, si vt virgines communitèr sunt habitæ.

190 Quinta difficultas est, an legatum relictum ad nubendas virgines, tradi possit fœminæ iam corruptæ secretò, sed quæ communitèr pro virgine reputatur? Respondetur affirmativè, quia sufficit, quòd in opinione communi habeatur vt virgo, vt talis ex communi modo loquendi ita appelletur, ex leg. *Librorum, §. Quòd autem Cassius, ff. de legatis,* præcipuè si ob denegationem legati ex ista causa puella infamaretur: quia sic debet præsumi in tali casu de voluntate testatoris, aliàs esset inhumana, & injusta, & sic minimè attendenda. Lara *de Anniversar. & Capellan. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 9. Trullench *lib.* 7. *cap.* 28. *dub.* 12. *num.* 15. Diana 1. *part. tract.* 2. *miscellan. resol.* 52. Martin. à S. Ioseph *lib.* 2. *tr.* 40. *num.* 15. Qui addit, esse probabilius, non posse in illo casu fœminam corruptam solicitare, vt sibi detur legatum pro virginibus relictum, etiamsi occultus sit eius defectus; quia voluntati testatoris omninò standum est, & verba debent interpretari secundùm proprietatem sermonis, & non secundum communem vsum, ex leg. *Si ita vulneratus, 52. in princip. ff. ad legem Aquilliam.* ¶ Sed nos probabilius oppositum judicamus, quia licèt in odiosis sint verba in proprietate interpretanda, & non extendenda, in favorabilibus tamen extendi possunt, & trahi ad sensum communis modi loquendi, vt secundùm illum interpretentur, vt latè diximus *tract.* 11. *de Legibus, cap.* 4. *à num.* 19.

De ordine servãdo in legatorum solutione.

191 Sexta difficultas est, quisnam ordo servandus sit in solvendis legatis? Respondetur, quòd si bona defuncti pro omnibus non sufficiunt, solutio ad ratam facienda est, quia omnium est æqualis ratio, ac jus, nec vnum præ alio privilegium habet. Sicuti quando duo debitores chirographarij, vel alij non privilegiati æquali jure concurrunt, si bona debitoris pro omnibus non sufficiant, inter illos distribuenda sunt ea pro rata, à singulisque detrahendum, secundùm quod recta exposcit ratio distributionis. Lugo *disp.* 24. *sect.* 12. *n.* 302. Diana 2. *part. tr.* 5. *miscellan. resol.* 60. Quod procedere, etiamsi legata sint pia: & quamvis vni legata fuerit aliqua certa res in individuo, vt si legatus fuerit fundus, docent Bonacin. cum alijs, *supr. num.* 27. Sylvest. verb. *Legatum, quæst.* 10. Trullench *num.* 23.

De ijs, qui possunt legatis, & testamentis derogare.

192 Septima difficultas est, quis possit testamentis, & legatis derogare? Et quidem si mens testatoris sit dubia, non tàm locus est commutationi, quàm interpretationi, quam quilibet vir doctus potest facere, attentis verbis legati, & alijs circumstantijs concurrentibus. Vnde quando legatum

gatum relictum est fabricæ alicuius ecclesiæ, potest expendi in ornamẽtis,& alijs cultui divino necessarijs: quia licèt fabrica in rigore vocis significet ædificium ecclesiæ, ex communi tamen vsu vox illa vsurpatur ad significandos redditus,quos habet ecclesia pro rebus sibi necessarijs, distinctos à reddicibus, quos Clerici percipiunt; & sic interpretari potest talem fuisse testatoris mentem, nisi de oppositò constet, vel nisi modus vulgaris loquendi illius Provinciæ nomine fabricæ ecclesiæ solùm intelligat ædificium illius. Sanch. *Consil. p. 2. lib. 4. cap. 2. dub.* 14. Lugo *disp. 24. sect. 13. n.* 302. Qui etiam docent legatum relictum pro liberandis debitoribus incarceratis, posse explicari ad liberandum aliquem, vel solvendum pro eo,ne in carcerem intrudatur, quando certum erat de proxima incarceratione, nisi legato tali subveniretur, quia talis dici potest à carcere liberari. Quemadmodùm de Beatissima Virgine cum proprietate dicitur à Filio suo esse redemptam,licèt ipsa immunis fuerit à peccati originalis labe, & sic nunquam captiva fuerit, quia sufficit, quòd proximè certissimè illud contractura fuisset,nisi Filij sui meritis liberata, & præservata esset. Loquimur ergò modò, non de interpretatione mentis testatoris, sed de commutatione legatorum; quæ tunc solum datur, quando in forma a testatore præscripta non implentur.

Quomodo commutandum est legatũ, quod impleri nó potest?

193 Dupliciter potest legatum commutari: primò, quando executioni mandari non potest: secundò, quando licèt possit, melius tamen aliqui aliud judicatur. In primo casu, si fuerit legatum prophanum, fit caducum, ceditque hæredi; legata verò pia non ita, sed convertenda sunt in alium vsum illi similem, quem testator intendebat; vt colligitur ex Trident. *sess. 25. cap. 8. de Reformat.* & habetur *cap. 3. de testam.* nisi aliud constet de mente testatoris. In tali autem casu commutatio fieri debet authoritate Episcopi, accedente hæredum consensu, si ob id gravantur; & legatariorum, si ob id etiam graventur, vt vult Sanch. *dub. 5.* & Trullench. *n. 3.* Quamvis alij solum consensum hæredum,& executorum requirant, vt Lugo *n.* 306. Molin. *disp.* 149. Sed debet Episcopus illud pium legatum non in quemlibet pium vsum commutare, sed in similem ei,qui à testatore præscriptus fuit, & impleri non potest: vt si in tali loco non potest monasterium ædificari, curandum est, vt in alio situ ædificetur: si hospitale institutum à testatore inutile fuerit, convertendum est in alium vsum pium vtiliorem, & proximiorem, vt constat ex Trident. *cap. 8. cit.* ¶ Ex dictis infert Sanch. *dub. 7. n. 2.* Lug. *n.* 310. quòd si legatum relictum fuerit ecclesiæ pro festo annuatim solemnitèr celebrando, potest Episcopus cum consensu hæredis patroni (imò eum, vt consentiat,cogere) in ecclesiæ reparationem illud convertere, quæ aliundè non habet vndè reparetur, & indiget reparatione, quia ecclesiæ necessitas jus tribuit ad talem commutationem. Imò addit Sanch. *n.* 4. idem dicendum esse,quando legatum relictum est ad novam capellam in ecclesia erigendam, quæ illa non indiget, sed magis ædificij reparatione, cui alitèr subveniri non potest. Et addit, idem esse,si nova ecclesia, vel monasterium esset in civitate erigendum, quæ talibus non indiget, sed magis reparatione aliarum ecclesiarum, & monasteriorum.

194 Sed quando legatum impleri potest, in primis authoritate supremi Principis legatum prophanum in testamento relictum potest,ob necessitatem publicam, vel aliam justam causam in aliud legatum prophanum, vel pium commutari. Secundò potest summus Pontifex ex justa causa (& non aliter) vnum legatum pium in aliud pium convertere, vt tenet communis sententia apud Azor *3. p. lib. 12. cap. 6. q. 4.* Bonac. *disp. 3. de contract. q. vlt. punct. vlt. n. 3.* Barbos. *lib. 3. de Iure vniuers. cap. 27. à n.* 46. Lugo *disp. 24. sect. 13. num.* 312. Tertiò potest Episcopus ob causam, quæ sibi justa videbitur, & consentiente hærede, si ob id gravatur, & loco pio, cui res fuerat legata, legatum pium relictum ad certum vsum, convertere in alium vsum pium, quia nulli fit injuria; & talis censetur rationalis voluntas testatoris. Trullench. *lib. 7. cap.* 18. *dub. 12. n. 3.* Bonac. *n. 33.* Qui addit cum Navarr. *consil. 13. de Testament. in fin.* legatum pro certa ecclesiæ necessitate posse quoad eius superfluum converti à superioribus ecclesiæ in aliam necessitatem: hæc enim censetur testatoris voluntas. ¶ Addunt etiam Dian. *1. p. tr. 3. Miscel. resol. 26.* cum Sylvest. verb. *Legatum 4. q. 12.* (Quod admodùm probabile dicit Trullenc. *loc. cit.*) quòd etiamsi non adsit aliquod impedimentum juris, aut facti, potest Episcopus commutare legatum in æquale, vel melius, maximè cum consensu hæredum. Quo in casu (inquit) non confringit, sed interpretatur virtualem, & interpretativam testatoris dispositionem. Vndè infert, legatum pro ornamentis, & ecclesiæ fabrica relictum potuisse Episcopum in missarum celebrationem convertere.

Qua authoritate debeat commutari legatum?

195 Vltima difficultas est, quando deducenda sit ex legatis quarta Falcidia? *Quarta Falcidia* dicitur quarta pars bonorum testatoris, quæ deducitur ex legatis in testamento relictis; ita quòd si hæres sit gravatus talitèr, quòd nec quarta pars bonorum ipsi relinquatur, ob hoc jus Falcidiæ deducere potest ex legatis pro rata quidquid requiritur, vt quarta pars bonorum hæredi remaneat. Hanc instituit Caius Falcidius tempore Imperatoris Augusti Cæsaris, vt non recusaretur hæreditas ob plura legata, sed hæres eam acceptare nõ renueret, hac quarta Falcidia invitatus: vel ne solo titulo, & nomine esset hæres absque vlla convenientia, *tot. tit. ff. & God. ad leg. Falcidiam*, Institut. *de Legat. & Falcid.* ¶ Hæc Falcidia, non solùm deducenda est ex legatis, sed ex donationibus causa mortis, leg. *Si ex mortis causa*, leg. *In donationibus, C. ad leg. Falcid.* Et est cõputandum in hac quarta, quod per hæreditatem accipit hæres, non quod accipit per viam legati; sed de legato ipsi relicto idem judicium est ferendum, ac de legatis alijs mandatis; ita vt ex omnibus dicta Falcidia sit deducenda, vt expressè in leg. *In quendam, ff. ad leg. Falcid.* Gloss. in cap. *Rainutius, de Testam.* Panorm. *ibi, n. 16.* Sylvest. verb. *Legitima, §. 2.* Molina *tract. 2. disp. 213. n. 5.* Trullench. *lib. 7. cap. 18. dub. 12. num. 26.*

Quid sit quarta Falcidia, & quando deducenda?

196 Antequam Falcidia deducatur, omnia testatoris debita solvenda sunt, & quod in funere consumptum est (quod in Castella deducitur ex quintò) deinde deducenda sunt legata necessaria, si hæredes sunt descendentes, vel ascendentes; deducuntur statim omnia legata privilegiata, vt sunt pia; & ex alijs legatis deducitur ab hæredibus non necessarijs Falcidia. Quòd si legatum fuerit indivisibile (v. g. domus, aut equus) taxandum est, & ex pretio Falcidia deducenda, *l. 2. tit. 11. p. 6. l. vlt. §. In compensation. C. de jure deliber.* Sed non potest hæres in bonis determinatis, quæ voluerit, Falcidiam deducere, nisi ex legatariorum voluntate, *ex dict. leg. 2. tit. 11.*

Quando Falcidia sit deducenda?

part.6. Et ſi plures fuerint hæredes, inter ſe dividere debent quartam Falcidiam, vt ex ſe conſtat: Si verò vni tantùm hæredi impoſitum fuerit onus ſolvendi legata, is poterit ſibi quartam retinere; ita vt ſi pars ſibi relicta non attingat quartam partem bonorum defuncti, detrahat aliquid à legatis ad ratam, donec ad quartam partem perveniat ex parte hæreditatis, in qua conſtitutus eſt. Inſtit. *de Legat.* & *Falcid.* Trullench. *n.26.* Lugo *n.198.*

Quibus caſibus nō poſſit deduci quarta Falcidia?

197 Sed non deducitur quarta Falcidia primò, ſi teſtator expreſsè prohibeat detractionem Falcidiæ. Secundò, ex legatis pijs, niſi etiam hæres fuerit cauſa pia, quia (vt dicebamus *n.126.* circa quartam Trebellianicam) quando duo habent privilegium circa eandem rem, ceſſat privilegium, & ſtandum eſt juri communi. Tertiò, non deducitur ex legatis, ſub conditione quòd non poſsint vendi, diſtrahi, aut alia via enagenari. Quartò, non deducitur, quando hæres non fecit inventarium ex bonis teſtatoris intra tempus, & juxta formam à jure aſsignatam. Quintò, quando hæres à Iudice admonitus, intra annum non impleuit teſtamentum, poteſt privari Falcidia. Sed ſunt leges pœnales; quæ hoc ſtatuunt, & ſic non obligant, niſi poſt Iudicis ſententiam. Sextò, non eſt deducenda Falcidia, quando hæres ſciens valorem, & vires hæreditatis, ſolvit integrè legata. Sed ſi ex ignorantia hoc fecit, putans hæreditatem ad totum ſufficere, vel poſteà nova debita apparuerunt, poteſt ſuam Falcidiam ex iam ſolutis repetere legatis. Authent. *de hæredib.* & *Falcidia*, §. *Non autem*, & leg. *Error*, & in authent. *Sed cùm teſtator*, C. *ad leg. Falcidiam.* Hos caſus, in quibus Falcidia deduci non debet, tradunt Molin. *tom.* 1. *de Iuſtit. tract.2. diſp.213.* Martin. à S. Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 44. *à n.5.* Reginald. *lib.35. n.632.* Bonac. *de Reſtitut. diſp.3. q.vlt. punct.vlt. n.30.* Trull. *lib.7. cap.18. dub.* 12. *num.25.* Villalob. *tract.30. diff.31. n.6.* Tap. *lib.5. q.21. art.14. num.9.* Lugo *diſp.* 24. *ſect.12. num.299.*

In Hiſpania nō poſſe deduci Falcidiam, aliqui dicunt.

198 Difficultas eſt, an in Hiſpania ſit correctum jus commune quoad hoc; ita vt ex vi juris hiſpani non debeat deduci quarta Falcidia? Aliqui ex noſtris affirmant, in Hiſpania non eſſe deducendam: quia in Hiſpania valet teſtamentum, etiamſi in eo non inſtituatur hæres, vt iam diximus, vel etiamſi inſtitutus non acceptet hæreditatem, *ex leg.1. tit.12. lib.6. Ordinam.* hodie *leg.1. tit.4. lib.5. Nov. Recopil.* ſed Falcidia introducta eſt à jure, ne hæres legatis gravatus hæreditatem recuſet, ad alliciendum eum ad illius acceptationem, ne teſtamentum maneat caducum, & nullum: cùm ergò talis finis ceſſet in Hiſpania, videtur etiam talis conceſsio ceſſare. Sic Ant. Gom. 1. *Variar. c.12. n.11.* Meneſ. in leg. *Eam quam, C. de fideicom. n.150.* Matienz. *l.1. tit.4. gloſſ. 19. n.5. lib.5. Recomp.* Cevall. *Commun. cōtra comm. qq.q.30. fin.* Spino *in Specul. teſtam. gloſſ.* 8. *n.* 90. Martin. à S. Ioſeph *lib.2. tract.44. n.8. fine.*

Verius eſt in Hiſpania poſſe deduci Falcidiā.

199 Certè ex hoc quòd leges noſtræ ordinent valere teſtamentum abſque hæredis inſtitutione, vel abſque illius acceptatione, ſolùm ſequitur ſolvenda eſſe tunc legata, non verò, quòd ſi detur hæres, & hic acceptaverit hæreditatem, non poſsit Falcidiam deducere, alias nomen hæredis eſſet multoties inane abſque vlla vtilitate. Et cum ad derogandum juri communi debeat dari jus expreſſum particulare, vt diximus *tract. de Legib. cap.4. à n.* 10. & in præſenti non detur tale jus particulare expreſſum, dicendum eſt, in Hiſpania poſſe hæredem deducere quartam Falcidiam. Ita tenent Molin. *lib.1. de Hiſpan. primog. cap.19. à n.9.* Cum Padilla, & Burg. de Paz, alter Molin. *de Iuſtit. tom.1. tract.2. diſp.213.* Villalob. *diff.31. tract.30. n.4.*

Proteſtatio Authoris.

Et hæc ſufficiant dicta pro tota hac Tertia Parte huius noſtri Curſus Moralis. Vtinam quæ in hoc Volumine ſcripta ſunt, cedant in laudem Omnipotentis Dei, Sanctiſsimæ Virginis Mariæ de Monte-Carmelo, abſque originea labe conceptæ, Glorioſiſsimæ Matris, ac Reformatricis Tereſiæ à Ieſu, eiuſque Coadjutoris S. Ioannis à Cruce, dulciſsimi Sponſi Deiparæ Virginis Ioſeph, omniumque Sanctorum Eccleſiæ Triumphantis, & in vtilitatem Militantis. Cuius judicio, quæ in hoc Volumine exarata ſunt, animo ſincero ſubmittimus: & ſi quid in eo minùs conforme Catholicæ Fidei doctrinæ, ſacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificum Decretis (præcipuè ab Innoc. XI. & vtroque Alexand. nunc noviter emanatis, quorum nobis in hac tertia editione magna fuit cura) minuſve moribus Chriſtianis conſentaneum reperiatur ſcriptum, iterum, atque iterum vtique retractamus.



IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

Prior numerus Paginam, alter Marginales notas designat.

A

ABBAS.

ABbates exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, possunt condere leges. *pag.63.& seq. n.22.*

Abbatissa.

Abbatissæ,si præcipiant aliquid sub maledictione æterna, vel alijs verbis sufficientèr explicantibus suam mentem, & materia sit gravis, quia graviter conducit ad gubernationem domesticam, obligant sub mortali. *p.27.num. 13.*

An Abbatissa, quæ habet administrationem bonorum Conventus possit suis Monialibus concedere licentiam, quam potest Prælatus suis subditis in ordine ad non violandum votum paupertatis? *p.347.n.77.*

Aborsus.

An aliquando licitus sit aborsus? *p.256.n.58.*

Quæ pœnæ contra aborsum procurantes in jure stabiliantur? *p.258.n.67.*

Abrogatio.

In quo differat abrogatio à non acceptatione? *p.21. n. 97.*

Abrogatio legis in quo consistat? *p.75. num.9.*

Quotuplex sit? *ibid.*

Legislator, justa causa intercedente, potest abrogare suam legem. *ibid. num. 11.*

An requiratur promulgatio ad abrogandam legem? *ibid.& seq.n.12.*

Quando lex antiqua per supervenientem censeatur abrogata? *p.76.num.13.*

Quis possit leges iam receptas revocare, seu abrogare? *ibid.n. 15.*

An per novam legem possit abrogari consuetudo? *pag. 112.n.50.& seq.*

An per legem generalem abrogetur specialis consuetudo aliquarum Civitatum,Provinciarum,Communitatis, aut status? *ibid.n.52.*

An per legem generalem, vel specialem factam cum clausula revocatoria cuiuscumque consuetudinis intelligatur revocata consuetudo immemorabilis? *pag. 113.num.55.*

Absolutio.

Nemo potest seipsum absolvere à censuris,vel peccatis. *p.94.n.61.*

An absolutio deneganda sit ei, qui differt solutionem? *p.227.n. 255.*

An absolutio denegari debeat ei,qui semel,& iterum in confessione admonitus,vt restituat,differt nihilominùs restitutionem, cùm possit commodè restituere? *p.228.n.257.*

An sint absolvendi pœnitentes,qui cùm possint in vita restituere,illud differunt vsque ad mortem? *ib.n.259.*

Quid dicendum de illis,qui cùm sint in mortis periculo constituti, & possint absque aliquo incommodo restituere de facto, hoc negotium hæredibus in testamento, vel testamentarijs, alijsve amicis committunt? *ibid.n. 260.*

Acceptatio.

An ad valorem legis ecclesiasticæ,aut civilis requiratur acceptatio populi? *p. 21. & seq. à n. 98. vsque ad 103. inclusivè.*

Bulla Cœnæ obligat independentèr ab acceptatione populi. *pag.20.n.95.*

Quando dicatur lex à populo acceptata,vel non? *p. 21. num. 97.*

Lex lata pro toto Regno potest esse recepta in vna Provincia, & non in alia. *ibid.*

Lex Concilij Tridentini,irritans matrimonia clandestina, in Gallia non est recepta. *ibid.*

In quo differat abrogatio à non acceptatione? *ibid.*

Quædam limitationes circa acceptationem legis ecclesiasticæ,aut civilis *p.22.à n. 104. vsque ad 107. inclusivè.*

Peccant subditi legem justam à Principe latam non acceptando? *p.23.num. 108.*

Actus.

Qui sint actus proprij legis? *p.12.54.*

Actus prohibitus per legem humanam sub eodem motivo, ac prohibetur per legem naturalem,non induit novam speciem malitiæ; secus si sub diverso motivo prohibeatur. *p. 14.n.65.*

An actus merè interni cadant directè sub potestate Legislatoris humani? *ibid. n. 66.*

An saltem indirectè? *p.15.n.69.*

Quid dicendum de actibus exterioribus, omninò tamen occultis? *p.15.& seq.n.72.*

Non hoc ipso,quòd actus sit illicitus,est invalidus. *pag. 44.n.90.*

Actus elicitus contra formam substãtialem à lege præscriptam est nullus; secus si solum fiat cõtra formam accidentalem. *p.45.n.94.*

An quando actus remanet irritus per legem, subijciantur transgressores legis pœnis impositis in jure contra facientes talem actum? *p.47.n.105.*

Quot actus sufficiant,vt vsus, & mos hominum dicatur

tur ſufficientis ad conſuetudinem? *p.* 107.*n.*20.

Adulterium.

Peccat lethaliter maritus vxorem, vel adulterum in adulterio deprehenſos occidendo? *p.*246.*n* 14.

Qui ſit adulterium, & quale peccatum? *p.*273.*n.*26.

An ratione adulterij præcise teneatur adulter aliquid reſtituere? *p.*274.*n.*27.

Vtrum ſi partus ſequatur, teneatur adulter damna reſtituere, quæ marito, vel hęredibus eius conſequuntur? *ibid.n.*28.

Adulter, qui filium adulterinum exponit, an teneatur aliquid hoſpitalibus reſtituere? *ibid.*

Ad quid teneatur adulter, quando certò moraliter non conſtat prolem eſſe ſuam? *ibid.& ſeq.n.* 30.

Si mulier cum duplici viro eodem tempore converſetur, an ſit ex parte illorum aliqua obligatio agnoſcendi filium tanquam ſuum? *p.*275.*n.* 31.

An adulter, qui fuit cauſa ſuppoſitionis filij adulterini, ad aliquid teneatur? *ibid.n.*34.

Quid dicendum, quando ipſe non fuit cauſa talis ſuppoſitionis? *ibid.& ſeq.n.* 35.*&* 36.

Ad quid teneatur adultera, ſi partus ſequutus ſit? *ibid.à num.*37.

Appellatio.

An differat appellatio à ſupplicatione? *pag.*23.*n.*110.

Si Princeps inferior legem ferat, poſſunt ſubditi appellare ad ſuperiorem. *ibid.*

Quid quando Princeps eſt ſupremus? *ibid.*

Aſcendentes.

An poſsint aſcendentes aliquod gravamen in portione legitima deſcendentibus imponere? *p.*487.*n.*82.

Qui ex aſcendentibus ſint hæredes neceſſarij, deficientibus deſcendentibus? *ibid. n.* 83.

Quæ portio aſcendentibus debeatur? *p.*488.*n.* 84.

Deficientibus deſcendentibus, an ſuccedant ab inteſtato aſcendentes? *p.* 491. *num.* 99.

An fratres aliquando ſuccedant ab inteſtato cum aſcendentibus? *ibid.n.*101.

An fratres defuncti ſuccedant ab inteſtato, quando nō habebat deſcendentes, vel aſcendentes defunctus? *p.*492.*n.*104.

B

BANNITUS.

AN poſsit Reſpublica, vel Princeps concedere facultatem interficiendi bannitus cuicumque eos occidere poſsit? *p.*245.*n.*9.

Bona.

An bona naufragantium, quæ in litore, vel intra mare reperiuntur, habeantur pro derelictis? *p.*141.*n.*78.

Cui applicanda ſunt bona vacantia? *ibid. n.* 81.

Quot ſint bona filiorum familiàs? *p.* 150.*n.*123.

Quæ ſunt bona caſtrenſia? *p.*151.*n.*129.

Quæ ſint bona quaſi caſtrenſia? *ibid.n.*130. *& ſeq.*

Quæ ſint bona adventitia? *p.*152.*n.*132.

Quæ ſint bona profectitia? *ibid. n.* 133.

Tria ſunt genera bonorum, quæ in eccleſiaſticis poſſunt reperiri. *p.*153.*num.*137.

Bona, alia ſunt ſpiritualia, alia temporalia. *p.*233.*num.* 281.

Subdiviſio temporalium bonorum. *ibid.*

Vtrum cum detrimento proprio in bonis ſuperioris ordinis teneatur debitor ſolvere bona inferioris ordinis? *ibid.num.* 282.

Bulla compoſitionis.

De quibus bonis poſsit fieri compoſitio per bullam compoſitionis? *p.*219.*n.*216. *fin.*

An, facta compoſitione per bullam, domino comparente, debeant bona reſtitui? *ibid.n.*217.

C

CAMBIUM.

QUid ſit cambium? *p.*446.*n.*1.

Quotuplex? *p.*447. *n.* 2. *& ſeq.*

Sitne aliquando licitum cambium? *p.*447.*n.* 5.

Vtrum eis, qui cambiandi officium non habent, liceat cambio minuto lucrari? *p.*448.*n.*8.

Carmelita.

Religio noſtra an incapax ſit habendi bona ſtabilia in communi. *p.*159.*n.*165.

Quomodo Religio Minorum, Societatis, & noſtra ſit, vel non, capax hæreditatis, vel legati? *p.*160.*num.* 170.

Non eſt omnium Religioſorum eadem paupertas, ſed noſtrorum eſt ſtrictiſsima. *p.*163.*n.* 184.

Carthuſiani.

Carthuſiani non poſſunt licitè abſtinere à carnibus quando non adſunt alij cibi, quos manducent. *p.*53. *num.*135.

An Carthuſiani non poſsint licitè abſtinere à carnibus cum periculo vitæ? *ibid. num.* 136.

An teneantur? *ibid.n.* 137. *& ſeq.*

Cauſa.

An, ceſſante cauſa motiva diſpenſationis, ceſſet ipſa diſpenſatio? *p.*99.*n.*88.

An diſpenſatio conceſſa à Legislatore ſine cauſa ſit valida, & licita? *p.* 94.*n.*63.

An peccet qui vtitur diſpenſatione valida obtenta ſine cauſa? *p.*95.*num.*68.

Quæ cauſæ ſint ſufficientes ad licitam, & validam diſpenſationem obtinendam? *p.* 96.*n.*73.

An, exiſtente cauſa ſufficienti pro diſpenſatione, teneatur ſuperior eam impendere inferiori depoſcenti? *p.*97.*n.*80.

Quando abſolutè cenſeatur conceſſa diſpenſatio? quando ſub tacita conditione de duratione cauſæ? *p.*100. *num.*91.

Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione? *p.*230.*n.*266.

An qui habet juſtam cauſam differendæ ſolutionis, teneatur ad reſtitutionem damni emergentis, vel lucri ceſſantis? *p.*231.*n.* 274.

Cenſus.

Quid ſit cenſus? *p.*450.*n.*18.

Quotuplex? *ibid.n.*19.

Licita ſit, necne nova inſtitutio cenſus realis pecuniarij? *ibid.n.*21.

Cenſus perſonalis an ſit licitus jure naturæ? *pag.*451. *num.*25.

Quando licitus ſit cenſus vitalitius? *p.*452. *n.*28.

Quæ conditiones pro cenſibus inſtituendis ſint aſſignatæ jure canonico? *ibid.n.* 29.

Conditiones, quæ ex jure naturæ ad cenſus conſtitutionem exiguntur. *p.*453.*n.*34.

An ſemel conſtitutus cenſus poſsit minori pretio emi, quàm ab initio fuit conſtitutus? *p.*454.*n.*35.

An ſit licitum, & validum cenſum emere ſub pœna, vel conditione, vt, ſi intra decennium non redimatur, maneat perpetuus? *ibid. n.* 39.

An cenſus creari poſsit, inſpecto jure naturali, ſub pacto, vt non poſsit redimi ſaltem intra determinatum tempus? *p.*455.*n.*43.

An poſsit cenſus ea conditione inſtitui, vt non membratim, & per partes, ſed totus ſimul redima-

redimatur? *ibidem,num.44.*
An pereunte recensui supposita, census pereat? *pag. 456.num.46.*
An possit emens censum cum censuario paciſci, nerem censui suppositam alienet? *ibid.n.49.*
An debeat censuarius, si rem censitam alienare voluerit, præmonere prius emptorem census, cui pensiones solvuntur? *ibid.n.50.*

Codicillus.

In quo differat codicillus à testamento? *p.472.n.3.*
Quid sit codicillus? *p.476.n.23.*
Solemnitas pro codicillis ex jure communi, & Castellæ requisita. *p.477.n.24.*

Columba, Columbaria.

Columbaria licita sunt. *p.138.n.66.*
An peccet lethaliter, & teneatur ad restitutionem, qui illis cibis vtitur, vel odoribus, alijsve artificijs, quibus columbas aliorum columbariorum attrahat? *p. 139.n.67.*
Columba, quæ à domino particulari in columbario detinetur, non potest aucupio deprehendi, vsque dum consuetudinem amittat redeundi ad columbarium. *ibid.n.67.*
Iure Regni Castellæ, si columbæ discedant per vnam leucam à columbario (nullo artificio attractæ) potest quilibet eas capere, nec tenetur aliquid restituere. *ibid.n.68.*

Comissarius.

Quis possit, vt commissarius testari? *p.499.n.142.*
Ad quid restringatur comissarij potestas? *ib.n.143.*
De tempore, quo potest commissarius condere testamentum. *ibid.n.144.*
An possit commissarius testamentum à se factum revocare? *ibid.& seq. n.145.& 146.*
Qui debeat dare vxori defuncti testatoris commissarius? *p.500.n.147.*
Vide verb. *Quarta trebellianica.*

Commutatio.

Potest fieri commutatio in votis propria authoritate si res, in quam fit commutatio, sit melior, imò evidenter æquior. *p. 84.n.6.*
Quis possit testamentis, & legatis derogare, vel ea commutare. *p.508.& seq.n.192.*
Legatum dupliciter potest commutari. *p.509.n.193.*
Qua authoritate debeat commutari legatũ? *ib.n. 194.*

Compensatio.

Quid, & quotuplex sit compensatio? *p.238.n.302.*
Compensatio an sit licita? Et an aliquando prohibeatur jure positivo pro foro externo? *ibid.n. 304.*
In depositis an liceat compensatio? *ibid.n. 305.*
In debitis diversæ rationis an liceat compensatio? *pag. 239.n.306.*
An in honore, & fama liceat aliquando compensatio? *ibid.n.308.*
Ille, qui promisit alteri non vsurum compensatione, teneaturne stare contractui? *ibid.n.309.*
Vtrum jurans se soluturum debitum, absque eo quòd expresse intendat cedere compensationi, quia est illius immemor, possit non solvere vtendo compensatione? *ibid.fin.*
Quæ conditiones ad licitam compensationem requirantur? *ibid.n.310.*
An qui vtitur compensatione, incurrat excommunicationem contra rem alienam suscipientes impositam? *p.240.n. 314.*
Quid de famulis sentiendum sit in ordine ad compensationem justi stipendij? *ibid.n.315.*
Vtrum cum opinione probabili, quod res mihi debetur, possint vti compensatione occulta? *p. 241.n. 318.*

Conditio.

Contractus initus sub conditione quomodo obligetur, aut absolutus fiat? *p. 361.n. 23.*
Quot conditiones adijci possint contractibus? *ib.n.24.*
An conditiones necessariæ suspendant contractum? *p. 362.num.25.*
Vtrum conditiones generales contractum purum relinquant? *ibid. n. 26.*
An conditiones impossibiles, & turpes à contracta matrimonij, & vltimis voluntatibus reijciantur? *ibidem,n.27.*
Conditiones impossibiles, & turpes an aliquos vitient contractus? *ibid. n. 28.*
Contractus sub conditione contingenti suspenditurne vsque ad adventum illius? *ibid.n.29.*
Contractus conditionatus statim ac conditio impletur, an fiat absolutus? *p.363. n.30.*
Conditio adjecta contractui vt modus, an suspendat contractum? *ibid.n.31.*
Quæ conditiones possunt legatis adiungi? *p.506.n.180.*
Quomodo conditio de non contrahendo matrimonio addita legato valeat? *ibid.& seq.n.182.*
Si à testatore relinquatur legatum mulieri sub conditione, *vt caste, vel honestè viuat*, an deperdatur, illa matrimonium contrahente? *p.507. n. 183.*
Quæ conditiones pro censibus instituendis sint assignatæ jure canonico. *p.452.n.29.*
Conditiones, quæ ex jure naturæ ad census constitutionem exiguntur. *p. 453. n. 34.*
Eritne licitum, & validum censum emere sub pœna, vel conditione, vt si intra decennium non redimatur, maneat perpetuus? *p.454.n.39.*
Possitne census ea conditione institui, vt non membratim, & per partes, sed totus simul redimatur? *p. 455.n.44.*

Condonatio.

An, & per quam condonationem creditoris, maneat debitor liber ab onere restitutionis? *p.232. n.275.*
An per condonationem factam principali debitori, alij maneant liberi ab onere restitutionis? *ibid. & seq.n. 279.*
Quid dicendum de debitoribus æquè primarijs, vel æquè secundarijs? *ibid.n.280.*

Consanguinei.

Deficientibus descendentibus, & ascendentibus, an succedant ab intestato consanguinei? *p.491.n.102.*
Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis ad prædictam successionem? *ibid.n. 103.*

Consilians, Consilium.

Qui consilium dat, an teneatur restituere damna, quæ causat suo consilio? *p.198.n.116.*
An qui consilium revocavit, teneatur ad aliquid restituendum? *ibid.n.117.*
Consulens an teneatur ad damna resarcienda ei, qui consilium exequitur? *ibid.n.118.*
Qui consulit, mandat, &c. aliquod delictum, ad quod alter iam erat paratissimus, an teneatur ad restitutionem? *p.196.n.109.*
Qui solam damni partem consulit, vel mandat, ad quid teneatur? *ibid.*
Qui per consilium, vel mandatum influit in damnum, etiamsi alius simili modo esset influxurus, an teneatur ad restitutionem? *ibid.n.110.*

Consuetudo.

Lex abrogata per consuetudinem quoad vnam partem, & non quoad aliam, solùm habet vim obligandi quantùm ad illam partem, quæ non est per consue-

ſuetudinem abolitæ. *p.21.n.97.*
Quid ſit conſuetudo, & quotuplex? *p.103.n.1.*
Conſuetudo, vt eſt quid juris, in quo diſtinguatur à more, ab vſu, & à conſuetudine facti? *ibidem.*
In quo differat conſuetudo ab ſtylo, & præſcriptione? *ibid.num.3.*
A quibus poſsit conſuetudo introduci? *p.104.à n.5.*
Quas conditiones conſuetudo requirat, vt habeat vim legis, vel vt legem abroget? *ibid.à n.9.*
Quod tempus requiratur ad introducendam conſuetudinem? *p.106.n.15.*
Quot actus ſufficiant, vt vſus, & mos hominũ dicantur ſufficientes ad conſuetudinem? *p.107.n.20. & ſeq.*
An actus, per quos conſuetudo introducitur, debeant eſſe liberi, & humani, ſeu humano modo exerciti? *ibid.n.24.*
Actus inducens conſuetudinem, an debeat eſſe publicus, & notorius, ſaltem notorietate facti? *p.108.n.26. & ſeq.*
Quæ intentio requiratur introducentibus conſuetudinem? *ibid.n.28.*
Vnde cognoſcendum ſit conſuetudinem introductam eſſe animo ſe obligandi, & non ex devotione, aut liberalitate? *ibid. & ſeq.n.30.*
Vt conſuetudo vim legis habeat, requiritur, quòd introducta ſit ex conſenſu Legislatoris. *p.109.n.31.*
Non autem requiritur expreſſus conſenſus, ſed ſufficit tacitus, ſeu præſumptus. *ibid.*
Deturne conſuetudo adverſus immunitatem eccleſiaſticam? *ibid.n.32.*
An, vt conſuetudo per modum legis introducatur, & cenſeatur ex conſenſu Principis tacito introduci, requiratur, quòd Princeps in ſpecie notitiam habeat talis conſuetudinis? *ibid.n.33.*
Conſuetudo aliquando obligabit ad culpam gravem, aliquando verò ad pœnam tantùm. *p.110.n.35.*
Conſuetudo vnius civitatis aliam non obligat, nec extendenda eſt de loco ad locum, de perſona ad perſonam, nec de caſu ad caſum. *ibid.n.36.*
An poſsit conſuetudo legem humanam abrogare? *ibidem, n.39.*
Conſuetudo poteſt legem dubiam interpretari. *p.111. num.45.*
An ceſſet per conſuetudinem contrariam? *p.113. & ſeq.n.56.*

Contemptus.

Contemptus legis alius materialis, alius formalis: quæ ſit diverſitas inter vtrumque: ſimiliter contemptus poteſt eſſe, vel rei præceptæ, vel legis, vel ipſius Legislatoris. *p.33.n.37.*
An contemptus formalis legis, ſeu vt lex eſt, ſit pecatũ lethale, etiamſi materia præcepta ſit levis? *ibid.n.38.*
Quid dicendum, quando quis non contemnit ipſam legem, ſed rem præceptam? *ibid.n.39.*

Contractus.

Contractus nullus per jus cæſareum, non ideò eſt irritus apud nos. *p.11.n.47.*
Contractus celebratus contra legem irritantem ipſum, poſt completam promulgationem legis, etiamſi detur ignorantia invincibilis talis legis, eſt nullus. *p.17.n.78.*
Quid, & quotuplex ſit contractus? *p.345.n.1.*
Quando, & quomodo inducat contractus obligationem? *p.357.n.6.*
An metus gravis incuſſus ad extorquendum contractum, eum irritum reddat jure naturæ, aut poſitivo? *ibid.n.8.*
Contractus, cui dolus cauſam dedit, an ſit firmus, & validus? *p.356.n.17.*
Contractus initus ſub conditione quomodo obliget, aut abſolutus fiat? *p.361. num.23.*
Qui poſsint validè, & licitè contrahere? *p.363.n.32.*
Contractus ſine ſolemnitate juris factus an obliget in conſcientia. *p.367.n.49.*
Vtrum contractus jure naturæ, aut poſitivo nullus, juramento firmetur? *p.368.n.54.*
Quomodo juramentum contractui adjectum ſit validum, licet contractum non confirmet? *p.369.n.57.*

Contumelia.

In quo differat contumelia à detractione? *p.279. & 280.n.6.*
An contumelia ſit gravius peccatum detractione? *pag.180.n.7.*
Diffinitio contumeliæ? *ibid.n.9.*
An omnes cõtumeliæ ſint eiuſdem ſpeciei? *p.281.n.12.*
An contumelia ex ſuo genere ſit peccatum lethale? *ibid.n.13.*
Vtrum debeat Chriſtianus contumelias ſibi illatas ſuſtinere? *ibid.n.15.*
Liceat offenſo aliam contumeliam objicere contumelianti ad repellendam priorem contumeliam? *pag.282.n.17.*
Illicitum verò eſt falſum objicere. *ibid.n.18.*
Qui in ſecreto contumeliam dixit, an teneatur reſtituere? *p.304.n.111.*

Cooperans.

Cooperans ad actiones illius, qui ſub lege non tenetur, non peccat. *p.68.n.48.*
Secus dicendum, quando quis conſulit, vel miniſtrat in actionibus prohibitis alteri, quamvis iſte excuſetur ratione ignorantiæ, &c. *ibid.n.49.*
Quis ordo inter cooperantes ſervandus ſit in ordine ad reſtitutionem? *p.202.n.139.*

Culpa.

Ex qua culpa oriatur obligatio reſtituendi? *p.167.n.8.*
Quid ſit culpa juridica, & quotuplex, & quid theologica? *p.175. num.9.*
An artifex, v.g. qui ex officio tenetur ad artefactum faciendum, teneatur ex culpa levi, aut leviſsima? *pag.178.n.26.*
Ex qua culpa oriatur obligatio ad reſtituendum in contractu? *p.279.n.30.*

D

DAMNVM EMERGENS.

AN qui habet juſtam cauſam differendæ ſolutionis teneatur ad reſtitutionem damni emergentis, vel lucri ceſſantis? *p.231.n.274.*
Quod dicatur damnum emergens? *p.435.n.78.*

Debitor, Debitum.

Vtrum cum detrimento proprio in bonis ſuperioris ordinis teneatur debitor ſolvere bona inferioris ordinis? *p.233.n.281.*
In materia juſtitiæ non poteſt debitor per eundem actum pluribus debitis ſatisfacere. *p.56.n.149.*

Declarationes.

An declarationes ſacræ Congregationis Cardinalium, quæ paſsim circumferuntur, habeant vim legis? *pag.64. & ſeq.n.28.*

Depoſitum.

In depoſitis an liceat compenſatio? *p.238.n.305.*

Deriſio.

Quid ſit deriſio, & quotuplex? *p.283.n.23.*
An diſtinguatur ſpecie à contumelia, detractione, ſuſurratione? *ibid.*

An omnes irrisiones sint eiusdem speciei? *ibid.*
Quodnam peccatum sit derisio? *ibid.*
An sit grave peccatum derisio de re levi, quando talis derisio est valdè molesta ofenso? *ibid. & seq. n.* 24.

Descendentes.

Quæ portio descendentibus sit relinquenda? *p.* 487. *n.* 79.
Descendentes remotiores an succedant, viventibus proximioribus? *ibid.n.*81.
An primo loco ab intestato succedant descendentes? *p.*491.*n.*98.
An fratres defuncti succedant ab intestato, quando non habebat descendentes, vel ascendentes defunctus? *p.*492.*uum.*104.

Detractio.

Quid sit detractio,& an differat specie à contumelia? *p.*285.*n.*31.
An in præsentia offensi possit detractio committi? *ibid. num.*32.
Detractio alia formalis, alia materialis. Vtraque ex genere suo est peccatum mortale. *p.*286.*n.*33.
Quot modis possit fieri detractio? Et an isti modi detractionis distinguantur specie? *ibid. n.* 34.
Defunctis detrahere an sit peccatum contra justitiam? *ibid.n.*35.
An in aliquo casu detrahere defunctis in inferno existentibus certò, sit peccatum lethale? *ibid.n.*36.
An peccet mortaliter, qui historijs crimina occulta commendat? *p.*287.*n.* 37.
Quæ sit materia gravis, vel levis, vt detractio sit peccatum mortale,vel solum veniale? *p.*288.*n.*42.
An referre defectus naturales animi, vel corporis sit peccatum lethale? *ibid. n.* 45.
An revelare crimen, vel defectum verum occultum, vni, vel alteri viro cordato, qui illud sub secreto continebit, sit lethale peccatum obligans ad restitutionem? *ibid.& seq.n.*46.
An qui refert crimen proximi occultum, non asseveranter, sed dicendo se ab alijs illud audivisse,sine eo quòd vel augeat, vel confirmet audita,peccet lethaliter? *p.*289.*n.*49.
An infamare aliquem de novis criminibus,qui iam de aliquibus est difamatus, sit peccatum lethale? *pag.* 290.*n.*52.
An sit peccatum grave detractionis crimen in vno loco publicum, in alio, vbi non est publicum, narrare? *ibid.n.*53.
An manifestatio alieni criminis, vel defectus occulti excusetur à peccato detractionis propter necessitatem? *p.*292.*n.* 63.
Vtrum audiens, vel tolerans detrahentem, peccet lethaliter? *p.*294.*n.*68.

Dispensatio.

Moyses dispensare non potuit in veteri lege.*p.9. n.* 35.
Quid sit dispensatio legis? *p.*83.*n.*1.
In quo differat dispensatio ab interpretatione, itritatione, commutatione, permissione, simplici licencia, absolutione, derogatione, abrogatione, & privilegio? *ibid.n.*2.
Quotuplex, sit dispensatio? *p.*84.*n.* 8.
An debeat dari in scriptis? *ibid.n.* 9.
Vtrum dispensatio sit odiosa, & non extendenda, sed potius limitanda? *ibid.n.*10.
Quid requiratur, vt per tacitam dispensationem aliquis à lege eximatur? *p.*85.*n.* 11.
An sufficiat ratihabitio, vel præsumptio voluntatis Superioris de futuro, vt possit subditus judicare ipsum virtualiter dispensare? *ibid.n.*12.
Quæ sit differentia circa hoc inter licentiam, & dispensationem? *ibid.n.*14.
An si Superior potens dispensare videat aliquem subditum contra legem agere, & taceat, nec contradicat, cùm faciliter absque incommodo posset, censeatur virtualitèr in lege dispensare? *ibid.n.* 15.
Quis potest dispensare in lege naturali, & divina? *pag.* 86.*n.*18.
Potestas dispensandi in legibus duplex, alia ordinaria, alia delegata. *p.*87.*& seq.n.*28.
Quis habet potestatem ordinariam dispensandi in legibus humanis? *p.*88.*n.*29.
In quibus casibus possit Episcopus dispensare in legibus à Pontifice summo latis? *p.*89.*n.*37.
An in omni eventu, in quo lex superioris non reservat expressè dispensationem sui, ipsi superiori,possit inferior in tali lege dispensare? *p.* 90. *n.*41.
In dubio an casus occurrentes indigeant dispensatione, an possit inferior Prælatus,vel declarare non indigere, vel saltem dispensare? *ibid.& seq.n.*45.
Vtrum Prælatus, sive inferior, sive superior, possit dispensationem simul cum commutatione conjungere? *p.*91.*n.*48.
Potestas dispensandi in legibus delegata est multiplex. *p.*90.*& seq.n.*50.
Qui habet potestatem ordinariam dispensandi in legibus,potest eam alijs delegare. *p.*92.*n.*51.
An delegatus, qui potestatem purè delegatam obtinuit, possit eam subdelegare? *ibid.n.*52.
An potestas dispensativa,sive delegata, sive ordinaria, sit amplè interpretanda, vel restringenda, & in dubio judicandum non dari, vel in favorem illius judicandum? *ibid. n.* 53.
Quid dicendum de ipsa dispensatione? *p.*91.*n.*54.
Respectu quorum possit dari dispensatio legum? *ibid. & seq.n.*55.
An Legislator, & quilibet alius, qui habet facultatem dispensandi cum alio in lege, voto, aut juramento, possit ipse secum dispensare? *p.*93.*& seq.n.* 59.
An dispensatio concessa à Legislatore sine causa,sit valida, & licita? *p.*94.*n.*63.
An peccet, qui vtitur dispensatione valida, obtenta sine causa? *p.*95.*n.*68.
Quid dicendum de eo, qui vtitur dispensatione invalida? *ibid.*
Dispensatio collata ab inferiore in ordine ad legem superioris sine causa, est invalida. *p.*96.*n.*70.
Quid dicendum, quando inferior judicat fide bona adesse sufficientem causam: *ibid.n.*71.
Peccat mortaliter inferior, qui scienter sine causa dispensat in lege superioris obligante ad lethale peccatum. *ibid.n.*72.
An peccet subditus, qui petit ab inferiore Prælato dispensationem in lege superioris, sciendo non adesse causam ad prædictam dispensationem? *ibid.*
Quid dicendū,quādo subditus dubitat,an sit causa? *ib.*
Quæ causæ sint sufficientes ad licitam, & validam dispensationem obtinendam? *ibid.n.*73.
An, existente causa sufficienti pro dispensatione, teneatur superior eam impendere inferiori deposcenti? *p.*97.*& seq.n.*80.
Dispensatio per metum, aut per dolum extorta, an sit valida? *p.*98.*n.*82.
Quibus modis possit dispensatio obtenta cessare? *pag.* 99.*n.*86.
Quando absolutè censeatur concessa dispensatio, quando sub tacita conditione de duratione causa? *pag.*100.*n.* 91.

Diuisio rerum.

Quo jure introducta sit rerum divisio? *p.*126.*n.*1.
An prædicta rerum divisio sit licita, necne? *ibid.* & *seq. num.*4.

Dolus.

Dispensatio per metum, aut per dolum extorta; an sit valida? *p.*98.*à n.*82.
Dolus, alius bonus, alius malus. *p.*359. & *seq.n.*17.
Quot modis dolus, aut error contingat? *p.*360.*n.* 18.
Contractus, cui dolus causam dedit, an sit firmus, & validus? *ibid.n.*21.

Dominium.

Dominium quid sit? Et quotuplex? *p.*127.*n.* 9. & 10.
Possidens maioratum, an habeat perfectum dominium, ita vt sit eius proprietarius? *p.* 128.*n.*11.
Quid dicendum de pupillo, quando est sub tutoris potestate? *ibid.*
Quid asserendum de vxore respectu dotis, vivente marito, qui illius est administrator? *ibid.*
Dominij translatio quomodo fiat? *ibid.n.* 15.
Quodnam sit subjectum capax habendi dominium? *p.*133.*n.*37.
Quænam sit materia dominij hominum? *ibid.n.*40.
Homo ex natura rei non cadit sub dominio alterius hominis. *ibid.n.*41.
An homo dominus sit suæ vitæ, & membrorum? *ibid.* & *seq.n.*42.
An homo sit dominus suæ famæ, & honoris? *p.*134.*n.* 43. & *seq.*
Sitne homo dominus suorum bonorum spiritualium? *ibid.n.* 46.
Quomodo acquiratur, & perdatur animalium dominium? *p.* 135. *n.* 48.
Quomodo dominium silvarum, montium, aut pascuorum acquiratur? *p.*139.*n.*69.
Quomodo acquiratur dominium earum rerum, quæ habentur pro derelictis, vel nunquam fuerunt alicui domino applicatæ? *p.*141.*n.*76.
Cui competat dominium thesauri inventi? *p.* 143.*n.* 89.
Quæ Religiones sint capaces dominij? *p.* 158. & *seq. n.* 164. & 165.

Donatio.

Ex donatione illicita, & reprobata per leges, an oriatur in recipiente obligatio restituendi? *ibid.n.* 168.
An possit Religiosus de suis bonis disponere donatione causa mortis cum debita licentia? *pag.* 164. *num.* 187.
An ea, quæ donantur ad extorquendum consensum, eo non sequuto, debeant restitui? *p.*208.*n.*165.
Quid, & quotuplex sit donatio? *p.*465.*n.* 87.
Qui possint donare? *ibid. n.*88.
Vtrum cui prohibetur donatio, etiam donatio remuneratoria prohibita censeatur? *ibid.* & *seq. n.* 90.
Vtrum qui dona accipit ab eo, qui donatione sit impotens ad solvendum creditoribus, teneatur restituere? *pag.* 466.*n.* 91.
Quæ quantitas donari, aut promitti possit? *ibidem. num.*93.
Donationes inter conjuges an sint nullæ? *pag.*467.*n.* 100.
Quando donatio patris ad filium sint nulla? *p.* 468.*n.* 104.
Possitne pater donare filio cum damno aliorum fratrum? *ibid.n.* 105.
Quibus in casibus revocari possit donatio, vel promissio valida, & acceptata? *p.*469.*n.* 106.
Quid sit donatio causa mortis? *p.*470.*n.*112.
Vnde colligatur donationem fieri causa mortis? *ibid. num.*113.
Duplex modus, quo potest accipi donatio causa mortis. *ibid.n.*114.
Qui possint donare causa mortis? *p.*471.*n.*116.

Dubium.

In casu dubij an lex injusta, vel inutilis sit, illi est obtemperandum. *p.*5.*num.*15.*fin.*
Quid dicendum in dubio acceptationis legis? *p.* 23.*n.* 109.
Quid in dubio an lex sit juxta bonum commune, vel non? *p.*26.*n.*8.*fin.*
In lege, quando est dubium an præceptum, vel consilium, & exhortationem verba contineant, mitior pars est eligenda. *p.*27.*n.* 12.*fin.*
Idem dicendum est, quando verba sunt ambigua ad significandam obligationem venialem, aut mortalem, nisi aliunde constet de mente Legislatoris. *ibid. in fin.*
In dubio an solemnitas assignata in lege se habeat, vt forma substantialis, vel accidentalis, judicandum est esse accidentalem. *p.*45.*n.* 94.*fin.*
Quid sit dubium prout distinguitur à judicio probabili? *p.*48.*n.*107.*circa med.*
Dubium, aliud speculativum, aliud practicum. *ibid.fin.*
Potest dari dubium speculativum sine practico. *ibidem fin.*
Illa regula: *In dubijs melior est conditio possidentis,* non solùm habet locum in materia justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum. *ibidem, numer.* 109.
In dubio an detur lex, non obligat. *ibid.n.*110.
Idem dicendum est, quando dubitatur an hæc res comprehendatur sub lege. *ibid. fin.*
Idem dicendum est, quando dubitatur an lex lata extendatur ad hoc, vel illud subjectum. *ibid. fin.*
Quid dicendum, quando constat de aliqua lege, & dubitatur, an hæc, vel illa sit causa sufficiens ad excusandum à tali lege? *p.*48. *n.* 111.
Quid dicendum, quando est certitudo de lege, & dubitatur, an abrogata fuerit? an dispensatum in ea? *p.* 49.*num.*12.
An obliget lex, de qua certò constat esse latam, & promulgatam, dubitatur tamen an sit, necne, recepta? *ibid.n.* 113.
In dubio, an lex, quam constat esse latam, & receptam, sit de materia honesta, vtili, vel necessaria ad bonum commune, vel ad finem Legislatoris intentum, vtrum teneatur subditus tali legi obedire? *ibidem, num.* 115.
Quid quando subditus, non solum dubitat, sed etiam habet opinionem probabilem de injustitia, aut invtilitate legis, aut præcepti, stante etiam ex parte Prælati opinione probabili de justitia illius? *ibid. num.*116.
Quid quando datur dubium de alio jure fortiùs obligante, vt si superior præciperet manifestare alicuius crimen, & dubium esset, an in tali inquisitione legitimè procederet? *ibid.* & *seq.n.* 117.
In dubio, an superior habeat potestatem? an ritè sit electus? an confirmatus? vtrum subditus teneatur obedire? *p.*50.*n.*118.
Quid dicendum, quando iam erat in pacifica possessione? *ibidem.*
Quando certò constat de obligatione legis, & dubitatur de illius adimpletione, tenetur subditus eam adimplere. *ibid.n.*119.

In

In dubio, an advenerit tempus, in quo lex obligare incipit, non tenetur subditus obedire; secus quando dubitatur, an tempus obligationis præterierit. *ibid.num.*120.

An qui dubitans de hora 12. noctis, comedit, vel bibit, possit sequenti die missam celebrare, vel ad eucharistiam recipiendam accedere? *ibid.num.*121.

In dubio, an quis pervenerit ad vsum rationis, censendus est pervenisse expleto septennio, secus si non expleverit. *pag.69.num.52.*

In dubio, an finis adæquatus legis cessaverit, necne, observanda est lex. *pag.74.num.4.*

In dubio, an cessaverit, vel non, causa totalis motiva dispensationis? pro valore dispensationis, standum est. *pag.99.num.88.*

In dubio, an consuetudo ex devotione, vel animo se obligandi introducta sit? judicandum est fuisse ex devotione. *pag.109.num.30.*

Si dubium sit, an sub peccato veniali, vel mortali consuetudo obliget? an ad pœnam, vel ad culpam? benignior pars amplectenda est. *ibid.fin.num.*

In dubio, an res, quam bona fide possidebat, sit sua, quid facere debeat possessor? *pag.186.num.64.*

An qui rem bona fide possidebat, & posteà incipit dubitare, an sit sua, possit, durante investigatione, vti re? *ibid.num.65.*

Possessor bonæ fidei, qui incipit dubitare, si, facta diligentia, deponat dubium practicè, potest vendere rem cum animo restituendi solùm domino, si fortè compareat, id, in quo factus est locupletior. *ibid. & seq.num.66.*

Qui dubitat, an per suum consilium influxerit ad damnum, teneaturne ad restitutionem? *pag.197. num.113.*

In dubio, an tuum consilium fuerit ex prioribus, & necessarijs ad malum; an verò ex posterioribus, deturne obligatio restituendi? *pag.199.num.123.*

In dubio vtrum principalis restituerit, an tu tenearis statim restituere, qui solùm in defectum illius eras obligatus? *pag.205.num.152.*

Si mutuatarius lucrum ex gratitudine donet, & mutuans dubitet, quo animo donavit, possitne illud retinere, si cum tali dubio accepit? *pag.424. num.31.*

E

ECCLESIASTICUS.

PEccant lethalitèr ecclesiastici, qui vi, aut armis eripiunt reos de manibus ministrorum justitiæ, ne suspendantur, aut jugulentur. *pag.39. num.69. fin.*

An ecclesiasticus possit liberè disponere de bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus? *pag.153. num.138.*

Quid dicendum de alijs bonis? *ibid. & seq.n.141.*

An peccet, qui ab ecclesiastico bona malè expensa recipit? *pag.154.num.143.*

Quantum possit ecclesiasticus consumere in sui congruam sustentationem? *pag.155.num.148.*

An ecclesiasticus teneatur restituere bona ecclesiastica, quæ expendit in vsus prophanos? *pag.156. num.152.*

Ecclesiasticis an prohibita sit negotiatio? *pag.384. num.36.*

Ecclesiastici vtrum adstringantur lege taxativa? *pag. 403.num.117.*

Emphyteusis.

Quid sit emphyteusis? *pag.130.& seq.num.27.*

In quo differat emphyteusis ab vsufructu? *Ibid.fin.*

In quo verò à feudo? *pag.131.num.28.*

Emptio, & venditio.

Contractus emptionis, & venditionis quomodo diffiniatur? *pag.367.& seq.num.1.*

An per solam venditionem ante traditionem rei transferatur dominium rei ad emptorem in conscientia? *pag.378.num.6.*

Cui tradenda sit res duobus vendita? *ibid.num.8.*

Cuius periculo res vendita pereat, nondum emptori tradita? *pag.379.toto §.2.*

Ad quem pertineant fructus rei venditæ, antequam dissolvatur contractus? *Ibid.& seq.num.14.*

Ad quem pertineant fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractus dissolvitur? *pag. 381.§.4.per totum.*

Qui possint emere, & vendere? *pag.382.num.26.*

Quæ generalitèr vendi possint? *ibid. & seq.n.28.*

An ea, quæ emuntur pecunijs alienis, fiant emptoris, aut eius, cuius sunt pecuniæ? *pag.383.num.29.*

An venditio rei alienæ sit valida? *ibid.num.30.*

Res, quæ ad pravum vsum sunt determinatæ, an possint licitè vendi? *ibid.num.32.*

An peccet vendens res indifferentes illi, quem abusurum ipsis noscit? *ibid. & seq. num.33.*

Quibus in casibus negotiatio per emptionem, & venditionem sit illicita? *pag.383.§.2.per tot.*

Vtrum venditio cum pacto retrovendendi, vel emptio cum pacto retroemendi licita sit? *pag.290. toto Punct.6.*

An illi, quibus aliquid traditur vendendum, qui vulgò dicuntur, *los Corredores*, possint sibi aliquid ex pretio retinere, si pluris vendant rem, quàm eis à domino fuit præscriptum? *pag.392. Punct.8.per tot.*

Licebitne vendere cariùs ob dilatam solutionem, vel viliùs emere ob solutionem anticipatam? *pag.409. toto Punct.11.*

An vitium rei venditæ teneatur venditor emptori detegere? vel è contra emptor teneatur bonitatem rei emptæ venditori manifestare? *pag.414.Punct. 12.per tot.*

Episcopus.

An Episcopi receperint potestatem legislativam, quam habent, immediatè à Christo Domino? *pag. 63.num.18.*

Aliquibus limitationibus intelligendum est illud commune proloquium Canonistarum: *Quod potest Pontifex in tota ecclesia, id potest Episcopus in sua Diœcesi.* *ibid.num.19.fin.*

In quibus casibus possit Episcopus dispensare in legibus à Pontifice summo latis? *pag.89. num.37.*

Religiosus ad Episcopatum assumptus sitne dominus bonorum patrimonialium, aut quasi patrimonialium, vel ecclesiasticorum? *pag.157.& seq. num.159.*

An distributio bonorum incertorum inter pauperes debeat fieri Episcopi consensu? *pag.219.n.218.*

An possit Episcopus petere rationem muneris testamentarij? *pag.504.num.166.*

Possitne Episcopus petere rationem muneris testamentarij à regularibus? *ibid.num.167.*

EpiKeia.

In quo differat interpretatio ab epikeia? *pag.77.num. 19. fin.*

Quid sit epikeia, vel epikia? *pag.81.num41.*

In quibus casibus liceat vti epikeia? *ibidem.*

Exeu-

Excuſatio, Excuſare.

Aliqui excuſantur à lege, quia non comprehenduntur ſub illa; aliqui verò, quia etſi comprehendantur, habent tamen aliquam rationem, quæ illos excuſat, & hoc dicitur excuſatio à tranſgreſsione legis. *pag.* 68. *num.*47.

Expenſæ.

Quæ expenſæ deduci poſsint, tàm à poſſeſſore bonæ, quàm malæ fidei, in reſtitutione rei alienæ? *pag.* 187. *à num.*76.

In quo loco, & cuius expenſis ſit facienda reſtitutio? *pag.*214. *num.*192.

An debitor teneatur ſuis expenſis reſtitutionem facere, quando maiores ſumptus faciendi ſunt in tali reſtitutione, quàm res ipſa valet? *ibidem, num.*195.

Euchariſtiæ ſumptio.

An qui dubitans de hora 12. noctis, comedit, & bibit, poſsit ſequenti die miſſam celebrare, vel ad euchariſtiam recipiendam accedere? *pag.*50. *n.*121.

Quando pueri teneantur ad præceptum communionis? *pag.*69. *num.*52. *fin.*

F

Fama.

AN Homo ſit dominus ſuæ famæ, & honoris? *pag.*134. *num.*43.

An in honore, & fama liceat aliquando compenſatio? *pag.*239. *num.*308.

Quid ſit fama? *pag.*279. *num.*3.

An ſemper cum honore fama coniungatur? *ibid. n.*4.

Quod ſit maius bonum, honor, aut fama? *ibid. n.*5.

An ſit obligatio juſtitiæ reſtituere famam ablatam per detractionem? *pag.*306. *num.*117.

An qui materialitèr alium infamat, teneatur reſtituere? *ibid. num.*119.

An infamator, non ſolùm teneatur reſtituere famam coram illis, in quorum conſpectu detraxit, ſed etiam coram alijs, quibus tale malum auditores detexerunt? *pag.*307. *num.*122.

An detractor injuſtus, non ſolùm teneatur reſtituere famam læſo, ſed omnia damna, quæ ex tali infamia fuerunt cum effectu ſequuta? *ibidem, numer.* 124.

An qui infamavit alium, verum crimen occultum detegendo, teneatur integrè prædicta damna reſtituere? *ibid. & ſeq. num.*125.

An ſi detractor ante reſtitutionem moriatur, obligatio reſtituendi famam, & alia damna ſequuta ex infamia tranſeat ad hæredes eius? *pag.*308. *num.*127.

Quomodo fama injuſtè ablata ſit reſtituenda? *ibidem, §.* 2. *per tot.*

In quibus caſibus à reſtitutione famæ excuſetur injuſtus detractor? *pag.*310. *toto* §. 3.

Famulus.

Quid de famulis ſentiendum ſit in ordine ad compenſationem juſti ſtipendij? *pag.*240. *num.*315.

Quando peccet lethaliter famulus in furtis ſuo domino factis? *pag.*325. *num.*41.

An peccent, & teneantur ad reſtitutionem famuli vſurariorum? *pag.*444. *num.*11.

Feudum.

Quid ſit feudum? *pag.*131. *num.*28.

In quo differat ab emphyteuſi? *ibidem.*

Fides bona, vel mala?

Vide verb. *Poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei.*

Filius-familiàs.

Quot ſint bona filiorum-familiàs? *pag.*150. *n.*123.

Filius-familiàs an habeat dominium in bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus? *pag.*152. *num.*134.

Quid dicendum in bonis adventitijs? *ibid. num.*135.

Quid in bonis profectitijs? *ibid. num.*136.

Filij-familiàs an mutuum reddere teneantur? *pag.*419. *num.*7.

Quibus caſibus poſsit filius-familiàs aliqua ludo exponere? *pag.*457. *& ſeq. num.*54.

Filius.

Quando peccent lethalitèr filij bona parentum furripientes? *pag.*325. *toto §.*2.

Qui dicantur filij naturales? *pag.*481. *num.*47.

Qui dicantur filij ſpurij? *ibid. num.*48.

An ſit cogendus filius illegitimus indecentèr vivere? *pag.*482. *num.*52.

An avi in defectum parentum debeant filijs alimenta præbere? *ibid. num.*53.

Quomodo parentibus ſuccedere poſsint filij naturales, & ſpurij? *pag.*483. *§.*3. *per tot.*

An fideicommiſſarius, quem pater inſtituit hæredem, cum obligatione vt reddat filio hæreditatem, teneatur reddere, & ſpurius poſsit illam recipere? *pag.*484. *toto §.*4.

Bona data amico in teſtamento, cum pacto, vt reddat filio ſpurio, an fiſco adjudicentur? *pag.*485. *num.*68.

Fiſcus.

Bona data amico in teſtamento cum pacto, vt reddat filio ſpurio, an fiſco adjudicentur? *pag.* 473. *n.*68.

Cui fiſco bona prædicta ſint reddenda poſt ſententiam Iudicis? *ibid. num.*69.

Qui bona fiſco applicanda impediunt, ad quid teneantur? *pag.*186. *num.*104.

Fratres.

An aliquando fratres ſint hæredes neceſſarij? *pag.*488. *num.*86.

Quæ neceſsitas requiratur in fratribus, & cognatis, vt ex charitate obligetur teſtator illis relinquere, ſi non totam hæreditatem, tamen quod neceſſarium videatur eorum indigentiæ ſublevandæ? *ibid. num.*87.

Si fratres inſtituantur hæredes, an filij eorum intelligantur inſtituti? *ibid. num.*88.

An fratres aliquando ſuccedant ab inteſtato cum aſcendentibus? *pag.*491. *num.*101.

An fratres defuncti ſuccedant ab inteſtato, quando non habebat deſcendentes, vel aſcendentes defunctus? *pag.*492. *num.*104.

Fructus.

Quos fructus ex re aliena perceptos teneatur reſtituere bonæ, vel malæ fidei poſſeſſor? *pag.* 187. *toto §.* 4.

Ad quem pertineant fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractus diſſolvitur? *pag.* 381. *§.*4. *per totum.*

An fructus pignoris dotalis computari poſsint in dotem ſibi à ſocero, vel alio promiſſam, ita vt non ſit vſura recipere vltra capitale dotis fructus ex pignore dotali perceptos? *pag.*428. *num.*49.

An fructus ex re vſuraria perceptos debeat vſurarius reſtituere? *pag.*443. *num.*113.

Ad quem pertineant fructus legati? *pag.*505. *num.*175.

Ad quem pertineant fructus rei venditæ, antequam diſſolvatur contractus? *pag.*379. *toto §.*3.

Furtum.

Quid ſit furtum? *pag.*314.*num.*1.
Quotuplex? *pag.*315.*num.*4.
An furtum ſpecie differat à rapina? *ibid.num.*5.
An furtum ex genere ſuo ſit mortale? *p.*316.*num.*8.
Quomodo Deus poſsit facere, quod furtum non ſit peccatum? *ibid.*
Quæ materia ſit ſufficiens in furto, vt ſit peccatum mortale? *pag.*317.*toto §.*1.
Qui à pluribus modica aufert, an peccet mortaliter, ſi accedat ad magnam quantitatem? *pag.* 318.*& ſeq.num.*18.
An maior quantitas requiratur ad furtum grave, quando à pluribus accipitur? *pag.*319.*num.*19.
Qui poſt minuta furta pervenit ad notabilem quantitatem, peccat mortaliter, teneturque ad reſtitutionem. *pag.*319.*num.*19.*fin.& num.*20.
An peccet mortaliter, qui, poſtquam furtum grave commiſit, aliquid de novo accipit ab eodem in parva quantitate? *pag.*320.*num.*23.
An quando plures per minuta furta grave damnum inferunt vni, eorum ſinguli mortaliter peccent, & ad reſtitutionem teneantur? *ibid.§.*3.*per tot.*
Liceatne in extrema neceſsitate aliena ſurripere? *pag.* 322.*num.*31.*&* 32.
An qui non eſt ſuperior indigentis, teneatur ex juſtitia illius miſeriam ſublevare? *ibid.& ſeq.num.*33.
An qui tempore neceſsitatis extremæ rem alterius accepit, & conſumpſit, teneatur illam reſtituere, tranſeunte neceſsitate? *pag.*323.*num.*35.
Illicitum eſt aliena accipere invito domino in gravi neceſsitate. *ibid. toto §.*2.
An cui eſſet dedecus magnum mendicare, poſſet ſibi de alienis neceſſaria accipere abſque peccato furti? *pag.*324.*num.*39.
Qui accipit invito domino ſolùm quoad modum non peccat mortaliter. *pag.*325.*num.*40.
Quando peccet lethaliter famulus in furtis ſuo domino factis? *ibid.num.*41.
Quando peccent lethaliter filij bona parentum ſurripientes? *ibid.num.*43.
Quomodo peccent parentes bona filiorum accipientes? *pag.*326.*num.*47.
Quandonam peccet vxor peccato furti ſurripiendo bona mariti, & econtra maritus ſurripiendo vxoris bona? *ibid.num.*48.

H

HÆRES.

HÆredes ſunt in duplici differentia? *pag.*265. *num.* 101.
Quam obligationem habeat homicida reſtituendi hæredibus defuncti, tàm neceſſarijs, quàm non neceſſarijs? *ibid. à num.* 102.
An ſi detractor ante reſtitutionem moriatur, obligatio reſtituendi famam, & alia damna ſequuta ex infamia, tranſeat ad hæredes eius? *pag.*308.*num.*127.
Qui poſsint, vel non, inſtitui hæredes, vel legatarij in teſtamentis? *pag.*480.*num.*41.
Multiplicitas hæredum proponitur. *p.*486. *num.* 77.
Qui ſint hæredes neceſſarij? *ibid.& ſeq.num.*78.
Hæredes ab inteſtato. *p.*490.*& ſeq.num.*97.
Hæres, quæ debita defuncti teneatur ſolvere? *pag.*501. *num.*152.
An, & quomodo legata debeat ſolvere hæres? *ibidem. num.* 153.
An poſsit hæres per annum in conſcientiæ foro omittere adimpletionem teſtamenti? *ibid.num.*154.
Quibus miſſæ relictæ in teſtamento debeant ab hæredibus commendari? *pag.*502.*num.*157.
Animæ defunctorum an detineantur in purgatorio, ſi eorum hæredes debita non ſolvant? *ibid. num.* 158.
Vide verb. *Legatarius, Legatum.*

Hypotheca, Hypothecarius.

Quid & quotuplex ſit hypotheca? *pag.*220.*num.*224. *&* 225.
Creditores hypothecarij perſonalibus ſunt præferendi. *pag.*223.*num.*237.
Inter hypothecarios non privilegiatos, qui prior eſt tempore, potior eſt jure. *ibid. num.*238.
Hypotheca dotis alijs hypothecis præfertur. *ibid. num.* 239.
Hypotheca fiſci alijs præfertur hypothecis, præter dotalem. *ibid.& ſeq.num.*240.
Alij hypothecarij, qui præferendi ſunt. *pag.*224. *num.* 241.
Qui creditor eſt ex cauſa funeraria, creditoribus hypothecarijs præfertur. *ibid.num.*243.

Homicidium.

An homicidium ſit peccatum? *pag.*244.*num.*1.
Liceatne aliquando malefactores publica authoritate interficere? *ibid.num.*2.
An aliquis privata authoritate poſsit malefactorem interficere? *pag.*245.*num.*6.
Teneaturne Iudex ex juſtitia aliquando malefactores interficere? *ibid.num.*8.
An poſsit vnuſquiſque propria authoritate occidere Principem tyrannum? *pag.*246.*num.*10.
An in aliquo caſu liceat ſeipſum directè occidere? *pag.*248.*num.* 19.
In quibus caſibus licitum ſit vitam non conſervare, ſeu indirectè ad mortem concurrere, negativè ſe habendo, & non impediendo illam, cùm poſsit? *pag.*249.*num.*27.
An ex juſta cauſa aliquid facere poſitivè liceat, ex quo ſequutura propria mors noſcitur ſecundariò, & indirectè? *pag.*251.*num.*33.
Vtrum liceat aliquando innocentem interficere? *pag.* 254.*& ſeq.num.*51.
An ſit aliquid reſtituendum pro vita ablata, membro mutilato, aut cicatrice cauſata? *pag.* 260. *toto Punct.*6.
Quid debeat reſtitui pro damnis temporalibus ad mortem, vel ad mutilationem ſubſequutis? *pag.* 262. *& ſeq.punct.*7.*per totum.*
An ex homicidio caſuali oriatur obligatio reſtitutionis? *pag.*265.*num.*99.
Quam obligationem habeat homicida reſtituendi hæredibus defuncti, tàm neceſſarijs, quàm non neceſſarijs? *ibid.à num.* 101.
An homicida teneatur aliquid reſtituere creditoribus defuncti? *pag.*267.*num.*110.
An ſi occiſus remittit homicidæ ante mortem damna, maneat ille liber ab onere reſtitutionis? *ibid. num.*112.

Honor.

An homo ſit dominus ſuæ famæ, & honoris? *p.* 134. *num.*43.
An in honore, & fama liceat aliquando compenſatio? *pag.*239.*num.*308.
Quid ſit honor? *pag.*279.*num.*1.
Quomodo honor injuſtè ablatus debeat reſtitui? *pag.* 304.*num.*109.

I

JEIUNIUM.

AN si die, quo jeiunium in tuo loco obſervatur, velis exire ad locum, vbi non ſervatur, poſsis jentaculum ſumere in loco, vbi obligat jeiunium, antequam exeas? *pag.72.à num.68.*

Ignorantia.

An ea, quæ ſunt de jure naturæ, poſsint invincibiliter ab aliquibus ignorari? *pag. 7. à num.26. vſque ad 29. inclusivè.*

Contractus celebratus contra legem irritantem ipſum poſt completam promulgationem legis, etiamſi detur ignorantia invencibilis talis legis, eſt nullus. *pag.17.num.78.*

Ignorantia inculpabilis facti non impedit præſcriptionem. *pag.148.num.115.*

An ignorantia inculpabilis juris clari impediat præſcriptionem? *ibid.& ſeq.num.116.*

Ex ignorantia purè concomitante non oritur obligatio reſtituendi. *pag.176.num.15.*

Inferior.

Vide verb. *Superior.*

Innocens.

An teneatur reſtituere innocenti, qui prævidens illi imputandum delictum, perpetratur? *pag.178.n.25.*

Vtrum liceat aliquando innocentem interficere? *pag. 225.§.1. per totum.*

Interpretatio.

Quid ſit interpretatio legis? *pag.77.num.19.*

Interpretatio hæc eſt duplex, alia authentica, alia doctrinalis, & differentiæ inter vtramque. *ibid.*

In quo differat interpretatio ab epikeia? *ibid.*

Quis poſsit legem authenticè, vel doctrinaliter interpretari? *ibid.num.20.*

An quando in lege prohibetur illius interpretatio, liceat Doctoribus aliquam interpretationem ex profeſſo legi adhibere? *pag.78.num.23.*

Quæ regulæ ſint obſervandæ pro recta legum interpretatione? *ibid.& ſeq.§.2. per totum.*

Invenire.

Ad quid teneatur qui bona deperdita adinvenit? *pag. 142.num.82.*

An qui aliqua bona adinvenit, poſsit pro illorum inventione petere aliquid, quod vulgaritèr dicitur, *Hallazgo*? *ibid.num.83.*

An ſi poſt adhibitam diligentiam dominus bonorum inventorum non compareat, teneatur inventor ex juſtitia rem pauperibus diſtribuere, vel alijs pijs operibus? *ibid.num.84. & deinceps.*

Quid faciendum in inventione bonorum, quæ noſtro idiomate dicuntur, *Bienes moſtrencos*? *p.143.n.88.*

Inventarium.

Hæres conficiens inventarium an teneatur ſupra vires hæreditatis debita ſolvere? *p.500.num.148.*

Quomodo debeat fieri inventarium? *ibid.num.149.*

Quomodo poſsit teſtator hæredi concedere, vt non faciat inventarium? *ibid.num.150.*

Hæres inventarium non faciens an teneatur ſolvere omnia debita? *ibid.& ſeq.num.151.*

Iudex.

Teneatur ne Iudex ex juſtitia aliquando malefactores interficere? *pag.245.num.8.*

Vide verb. *Pœna.*

In caſu dubiæ nec probabilis juſtitiæ litigantis, non poteſt Iudex aliquid accipere pro ferenda ſententia in favorem vnius, & an teneatur ad reſtitutionem? *pag.211.num. 179. & ſeq.*

Iudicium temerarium.

In quo differant ſuſpicio, dubium, & opinio? *pag.299. num.89.*

Quando judicium temerarium ſit peccatum mortale, vel à tali malitia liberum? *ibid.§.1.per totum.*

An dubia ſint in meliorem partem interpretanda? *pag. 303.toto §.3.*

Iuramentum.

Promiſsio prodiga fœminæ facta à viro ob vſuram corporis, ſaltem ſi fiat cum juramento, an debeat neceſſariò impleri? *pag.208. num.166. & ſeq.*

Vtrum jurans ſe ſoluturum debitum abſque eo, quòd expreſsè intendat cedere compenſationi, quia eſt illius immemor, poſsit non ſolvere, vtendo compenſatione? *pag.239.num.309.circa medium.*

An contractus jure naturæ, aut poſitivo nullus juramento firmetur? *pag.368.num.54.*

Quomodo juramentum contractui adiectum ſit validum, licèt contractum non confirmet? *p.369.n.57.*

An ſi juramento firmetur promiſsio, vel donatio, maximè ſi ſit de illa non revocanda, firmetur, & roboretur illo, ita vt revocari nequeat ante acceptationem? *pag.461.num.70.*

An ſi quis juravit ſe non revocaturum teſtamentum à ſe factum, poſſet illud licitè revocare? *p.498.n.136. & 137.*

Ius.

Quot ſint volumina juris canonici? *pag. 10.num.42.*

Ius civile dividitur in jus commune, ſeu cæſareum, & jus regium. *ibid.num.44.*

Ius cæſareum in quot partes dividatur? *ibidem.*

Similiter, & jus hiſpanum? *ibid.& ſeq.num.45.*

Contractus nullus per jus cæſareum an ideò ſit irritus apud nos? *pag.11.num.46.& 47.*

Quo jure introducta ſit rerum diviſio? *pag.126.n.7.*

Ius gentium.

Ius gentium in quo differat à jure naturali, & civili? *pag.8.§.3.per totum.*

Ius gentium poteſt de conſenſu hominum abrogari. *ibid.num.30.fin.*

Ius triplicitèr poteſt accipi. *pag.116.num.1.*

Iuſtitia.

Quodnam ſit objectum formale juſtitiæ, & quæ illius materia? *pag.117.num.7.*

Quid, & quotuplex ſit juſtitia? *ibid.num.8.*

Iuſtitia an debeat eſſe ad alterum? *pag.118.num.10.*

An juſtitia ſit virtus? *ibid. circa medium.*

Quod ſit ſubjectum juſtitiæ? *ibid.num.11.*

Iuſtitia reſpicit medium rei, aliæ virtutes morales medium rationis. *ibid.num.12.*

Quomodo diffiniatur juſtitia legalis? *pag. 119.n.15.*

Iuſtitia legalis eſt ſpecialis virtus ab alijs diverſa. *ibid. num.18.*

Ex violatione juſtitiæ legalis non oritur obligatio reſtituendi. *pag.120.num.20.fin.*

Quomodo diffiniatur juſtitia diſtributiva? *ibid.n.22.*

Diffinitio juſtitiæ commutativæ proponitur. *pag. 121. num. 24.*

An juſtitia commutativa à vindicativa diſtinguatur? *ibid.num.25.*

An juſtitia commutativa ſit diverſæ ſpeciei à diſtributiva? *ibid.& ſeq.num.28.*

Juſtitiæ nullum vitium adverſatur per exceſſum, ſed ſolùm per defectum. *pag.123. num. 37.*

Quæ vitia opponantur juſtitiæ? *ibid.& ſeq.num.38.*

Vitium contrarium juſtitiæ legali tunc ſolum datur, quando delinquitur contra bonum commune

ne ex motivo illud contemmnendi. *p.*124.*n.*42.
An aliquis posit pati injustum volens? *ibid.n.*43.*&* 44.

L

LEGATARIUS, LEGATUM.

LEgata prophana relicta in testamento ad causas pias vtrum valeant, quando illud valet? *pag.* 476.*num.*19.
Qui possint, vel non, instituì hæredes, vel legatarij in testamentis? *pag.*480.*§.*1.*per tot.*
An legatum valeat in testamento, in quo hæres incapax instituitur? *pag.*481.*num.*46.
Quid sit legatum? *pag.*504.*nam.*170.
Quot modis relinqui possit legatum? *p.*505.*n.*171.
An valeat legatum, quando hæres non acceptat hæreditatem? *ibid.num.*172.
Quando acquiratur jus ad legata? *ibid.num.*173.
Cuius sint incrementa, vel decrementa legati? *ibid. num.*174.
Ad quem pertineant fructus legati? *ibid.n.*175.
Legato principali an censeantur accessoria legata? *pag.* 506.*num.*176.
An quando sub distinctione relinquitur legatum, possit hæres, quod voluerit, dare? *ibid.num.*177.
Legatarius an ab hærede debeat legatum recipere? *ibid. num.*178.
Quid faciendum, si pauper moriatur, vel locus destruatur, cui est legatum relictum? *ibid.num.*179.
Relictum legatum Petro, vt nubat testatoris filiæ, an valeat, matrimonio non sequuto? *ibid.n.*181.
Quomodo conditio de non contrahendo matrimonio addita legato valeat? *ibid.& seq.num.*182.
Si à testatore relinquatur legatum mulieri sub conditione, *vt castè, vel honestè vivat*, an deperdatur, illa matrimonium contrahente? *pag.*507.*num.*183.
An si legatum relictum esset ad nubendas virgines, viduas, vel orphanas, dari possit ei, quæ vult ingredi Religionem? *ibid.num.*184.
An legatum relictum pro naturalibus alicuius oppidi, alibi natis dari possit, si per decem annos in tali loco habitarunt? *ibid.& seq.num.*186.
An legatum relictum ad nubendas orphanas, possit illis dari, qui parentes habent ad suum remedium inutiles? *pag.*508.*num.*187.
An legatum ad nubendas mulieres relictum possit iam nuptis conferri, quæ vel nupserunt sine dote, vel cum exigua, & insufficienti? *ibid.num.*188.
An legatum relictum fœminis in matrimonium collocandis, possit tradi viduis volentibus ad secundas nuptias pervenire? *ibid.num.*189.
An legatum relictum ad nubendas virgines tradi possit fœminæ iam corruptæ secretò, sed quæ communiter pro virgine reputatur? *ibid. num.* 190.
Quinam ordo servandus sit in solvendis legatis? *ibid. num.*191.
Quis possit testamentis, & legatis derogare, vel ea commutare? *ibid.& seq.num.*192.
Legatum dupliciter potest commutari. *p.*505.*n.*193.
Qua authoritate debeat commutari legatum? *ibid. num.*194.
Quando deducenda sit ex legatis quarta falcidia? *ibid. num.*195.*& deinceps.*

Legislator.

An Legislator humanus possit actus cuiuscumque virtutis præcepto positivo imperare? *pag.*14.*n.*64.
Quid dicendum de actibus indifferentibus? *ibid.n.*65.
Legislator humanus, sive ecclesiasticus, sive civilis, non potest obligare gravitèr, quando materia, attentis omnibus, est levis. *pag.*18.*num.*18.
Legislator humanus potest, etiamsi materia sit gravis, obligare ad solam culpam levem. *pag.*29.*n.*20.
Legislator divinus potest per suam legem semper obligare etiam cum periculo vitæ, secùs Legislator humanus. *pag.*51.*num.*126.

Lex.

Lex multifariam sumitur. *pag.*1.*in Præemio.*
Lex substantialitèr, & in recto in actu intellectus consistit, quamvis secum afferat de connotato actum voluntatis, *pag.*2.*num.*2.*&* 3.
In quo differat lex à præcepto? *pag.*3.*num.*5.
Ad ferendam legem, quæ potestas requiratur? *ibid.n.*6.
Quæ conditiones exigantur in lege? *ibid. à n.*7. *vsque ad* 18. *inclusivè*, *pag.*3.*& seqq.*
Lex dividitur in æternam, naturalem, & positivam, vbi de natura istarum legum, & in quo differant? *p.*5. *& seq.à n.*19.*vsque ad* 47.*inclusivè.*
Lex æterna in Deo vna est. *p.*6.*num.*21.
An lex æterna distinguatur ab idea divina, & à divina providentia? *ibid.num.*22.
Lex æterna habet ab æterno sufficientem promulgationem, vt vim legis obtineat. *ibid.num.*23.
Lex naturalis versatur circa omnes actus virtutum, & vitiorum, illos præcipiens, istos prohibens. *p.*7.*n.*25.
An ea, quæ sunt de jure naturæ, possint invincibiliter ab aliquibus ignorari? *ibid.à num.*26. *vsque ad* 29. *inclusivè.*
Lex divina dividitur in veterem, & novam, & quænam sit hæc divisio? *pag.*8.*& seq.num.*34.
Quando lex nova incipit obligare aliquos in ratione præcepti, & quando in ratione legis? *p.*9.*& seq.n.*40.
An in hispania obligent leges communes cæsareæ, deficientibus proprijs? *pag.*11.*& seq.n.*46.*&* 47.
Quid dicendum in regno Lusitaniæ? *eod.n.*46.
Qui sint effectus legis? *p.*11.*& seq.à n.*48. *vsque ad* 53.*inclusivè.*
An lex humana possit omnia vitia collectivè prohibere? *pag.*13.*num.*62.
Nequit dari lex præceptiva ecclesiastica, vel civilis, quæ vim obligandi in conscientia non obtineat. *pag.*25.*num.*3.
Lex injusta non obligat. *pag.*26.*num.*8.
Vnde cognoscendum sit legem obligare in conscientia? *pag.*27.*num.*12.
Quomodo discernendum sit, an lex obliget gravitèr, vel solùm levitèr? *p.*27.*& seq.n.*15.
Lex pœnalis est in duplici differentia, alia purè pœnalis, alia mixta ex pœnali, & præceptiva. *pag.* 34. *num.*42.
Lex, quæ sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ aliquid præcipit, sive maioris, sive minoris, est lex mixta. *ibid.num.*44.
Quid dicendum de alijs censuris? *p.*34.*& seq.n.*45.
Quid quando aliquæ pœnæ spirituales sunt ferendæ, non latæ sententiæ? *pag.*35.*num.*46.
An lex ecclesiastica, vel civilis imponens pœnam temporalem, & simul aliquid præcipiens, sit lex mixta? *pag.*35.*num.*47.
Potest dari lex irritativa, quæ prohibitiva non sit. *pag.*46.*num.*100.
Quæ leges irritantes indigeant Iudicis sententia, vt effectum sortiantur? *ibid.& seq.num.*101.
An periculum gravis damni, vel mortis excuset ab obligatione legis? *p.*50.*& seq.num.*122.
An ad adimplendam legem requiratur voluntas,

& intentio adimplendi præceptum? *p.54 n.143.*
An lex impleri posit per actum peccaminosum? *pag. 55.num.147.*
An per eundem actum, & eodem tempore possint plures leges impleri? *pag.56.num.149.*
An peccet contra legem, qui voluntarie impedimentum apponit eius adimpletioni? *pag.57.num.154.*
Quid dicendum, quando quis impedimentum apponit animo extrahendi se à lege per tale impedimentum? *pag.58.num.163.& 164.*
Finis legis alius intrinsecus, extrinseeus alius. *pag.73. num.1.*
An lex extendenda sit ad casum in ea non comprehensum ob similitudinem, vel identitatem rationis? *pag.79.& seq.§.3.per totum.*

Libellus famosus.

An libellos famosos conficere sit peccatum grave detractionis obligans ad restitutionem? *p.287. n.38.*
Quid sit libellus famosus? *ibid.num.39.*
Quas pœnas subeat, qui libellum famosum edit? *ibid. num.41.*

Licentia.

An possit Religiosus de suis bonis disponere donatione causa mortis cum debita licentia? *p.164.n.187.*
An Religiosus sine licentia contrahens teneatur servare contractum? *p.169.num.217.*
An peccet peccato furti Religiosus, qui sine licentia Superioris aliquid de bonis Monasterij expendit? *pag.329.num.1.*
In quibus casibus violetur à Religiosis votum paupertatis aliquid donando, vel expendendo absque Superioris facultate? *pag.333.& seq.punct.3.per tot.*
Res pretio æstimabiles commodare, mutuare, permutare, vendere, aliove modo distrahere absque Prælati licentia, sitne contra votum paupertatis? *pag. 336. toto punct. 4.*
Quæ materiæ quantitas requiratur, sive in pecunijs, sive in rebus comestibilibus, vt Religiosus absque licentia expendens, peccet contra votum paupertatis mortaliter? *pag.338.& seq.toto punct.5.*
Quæ licentia sufficiat, vt in acceptionibus, donationibusque Religiosus non violet votum paupertatis? *pag.342.toto punct.6.*
An Abbatissa, quæ habet administrationem bonorum Conventus, possit suis monialibus concedere licentiam, quam potest Prælatus suis subditis in ordine ad non violandum votum paupertatis? *pag.347. num.77.fin.*

Lucrum.

Vtrum qui habet justam causam differendæ solutionis, teneatur ad restitutionem damni emergentis, vel lucri cessantis? *pag.231.num.274.*
Quando dicatur lucrum cessans? *pag.435.num.78.*
Vtrum sit illicitum intendere, & sperare lucrum ex mutuo? *pag.424.& seq.num.32.*
An ratione lucri cessantis, & damni emergentis possit mutuans aliquid supra sortem exigere? *pag.435. toto punct.9.*
Vtrum vsura sit in contractu societatis ratione trium contractuum, lucrum determinatum reportare, salvo ipso capitali? *pag.439.toto punct.11.*

Ludus.

An Religiosi possint aliqua ludo exponere? *pag. 351. num.93.*
Quando ludus sit peccatum lethale? *p.457.num.51.*
Servatis debitis conditionibus, licitus est ludus. *ibid. num.52.*
Quas conditiones præcipuas exigat ludus, vt justus sit & licitus? *ibid.num.53.*
Quibus casibus possit filius-familiàs aliqua ludo exponere? *ibid.& seq.num.54.*
Qui sint ludi vetiti jure positivo? *pag.459.num.60.*
An qui ludo vetito aliquid lucratur, illud teneatur restituere? *ibid.num.61.*
Vtrum qui ludendo ad creditum perdit, teneatur solvere, quæ perdidit? *ibid.num.62.*

M

MALEDICTIO.

Quid sit maledictio, & quale peccatum? *pag.284. num.26.*
Quid sit necessarium, vt maledictio sit peccatum lethale? *ibid.num.28.*
Quando maledictiones sint eiusdem speciei, vel diversæ? *pag.285.num.29.*

Malefactor.

Vide verb. *Homicidium.*

Mandans, Mandatum.

Qui mandat explicitè, vel implicitè, aliquod damnum, ad quid teneatur? *pag.197.num.115.*
Quid dicendum, si mandatum revocavit? *ibid.*
Mandans, an teneatur ad resarcienda damna, quæ veniunt ipsi mandatario ob executionem mandati? *pag. 198.num.118.fine.*

Maritus.

Peccat mortaliter maritus vxorem, vel adulterum in adulterio deprehensos occidendo. *pag.246. num. 14.15.& 16.*

Materia parva, vel magna.

Legislator humanus, sive ecclesiasticus, sive civilis, non potest obligare graviter, quando materia, attentis omnibus, est levis. *p.28.n.18.& deinceps.*
Legislator humanus potest, etiamsi materia sit gravis, obligare ad solam culpam levem. *pag.29.n.20.*
Vnde colligendum sit materiam esse gravem, vel levem? *pag.29.§.2.per totum.*
Quomodo materia levis per continuationem fiat gravis? *pag.31.num.29.30.& 31.*
Quid dicendum sit circa hoc in materia votorum? *pag. 32.à num.32.vsque ad 36. inclusivè.*
An contemptus formalis legis, vt lex est, sit peccatum lethale, etiamsi materia præcepta sit levis? *pag. 33. num.38.& deinceps.*
Probabilius est non dari parvitatem materiæ circa omissionem formæ substantialis. *pag. 46. num.99.*
Quæ sit materia gravis, vel levis, vt detractio sit peccatum mortale, vel solùm veniale? *pag.288.n.42.*
Quæ materia sit sufficiens in furto vt sit peccatum mortale? *pag.317.§.1.per totum.*
Quæ materiæ quantitas requiratur, sive in pecunijs, sive in rebus comestibilibus, vt Religiosus absque licentia expendens, peccet contra votum paupertatis lethaliter? *pag.338.num.43.& deinceps.*

Matrimonium.

Matrimonium clandestinum ante Tridentinum erat illicitum, validum tamen. *pag.43.num.90.circa medium.*
Matrimonium contractum modò ab habente votum simplex castitatis validum est, & tamen illicitum. *ibid.*
An conditiones impossibiles, & turpes à contractu matrimonij, & vltimis voluntatibus reijciantur? *pag.362.num.27.*
Si à testatore relinquatur legatum mulieri sub conditione, *vt castè, vel honestè vivat*, an deperdatur, illa matrimonium contrahente? *p.507.num.183.*

Metus.

Qui liberè ſimplicitèr actum præceptum exhibet, tametſi metu gravi coactus, adimplet præceptum. *pag.* 54.*num.*142.

Diſpenſatio per metum, aut per dolum extorta, an ſit valida? *p.*98.*punct.*7.*per tot.*

An metus gravis incuſſus ad extorquendum contractum, eum irritum reddat jure naturæ, aut poſitivo? *p.*347.*& ſeq.toto punct.*2.

An peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem, qui teſtatorem metu, aut fraude cogit? *p.*478.*n.*30.

Miſſa.

An peregrinus, qui die feſto exit à ſuo loco, & pergit in alium, vbi non eſt dies feſtus, teneatur audire ſacrum, antequam à ſuo loco exeat? *pag.*72.*n.*66.

Poſsitne Religioſus Miſſam pro amico celebrare, quando amicus pro illa recipit ſtipendium? *pag.*165. *num.*196.

Quibus Miſſæ relictæ in teſtamento debeant ab hæredibus commendari? *p.*502.*n.*157.

Moatra.

Quando moatræ contingant? *p.*391.*toto punct.*7.

Omnes moatræ à republica debebant relegari. *ibid. num.*68.

An peccent mortaliter, & teneantur ad reſtitutionem, qui tales moatras committunt, ſi juſti pretij latitudinem non excedant? *ibid.& ſeq.n.*69.

Moneta.

An poſsit falſam monetam accipiens eam in pretium alteri tradere? *p.*191.*& ſeq.n.*90.

Monopolium.

Quid, & quotuplex ſit monopolium? *p.*388.*punct.*5. *per totum.*

An omnia monopolia ſint illicita, & contra juſtitiam? *ibid.*

Mors.

An per mortem diſpenſatoris ceſſet diſpenſatio? *pag.* 100.*& ſeq.num.*95.

Mutilatio.

Mutilatio membrorum an in aliquo caſu ſit licita? *pag.* 252.*toto punct.*3.

An ſit aliquid reſtituendum pro vita ablata, membro mutilato, aut cicatrice cauſata? *p.*260.*toto punct.*6.

Quid debeat reſtitui pro damnis temporalibus ad mortem, vel ad mutilationem ſubſequutis? *p.*262. *toto punct.*7.

Mutuum.

Diffinitio mutui proponitur, & explicatur. *p.*418.*n.*1.

An dentur aliqui, qui ad mutui reſtitutionem non teneantur? *p.*419.*n.*5.

Filij-familiàs an mutuum reddere teneantur? *ibid.n.*7.

An ob moleſtiam carendi pecunia per multum tempus poſsit aliquid ſupra capitale mutui accipi? *pag.* 422.*& ſeq.n.*23.

Vtrum ſit illicitum intendere, & ſperare lucrum ex mutuo? *p.*424.*n.*32.

An ſi mutuatarius det aliquid ſupra ſortem timens non recepturum iterum mutuum, quando indigebit, vel ne videatur, aut vocetur ingratus, ſi nullum pactum præcedat, nullus animus accipiendi vt debitum ex juſtitia, poſsit ſine vſura accipi à mutuante? *p.*425.*n.*35.*& 36.*

Mutuans poſsitne ſupra ſortem aliquid recipere ratione præſumptæ donationis? & quando iſta præſumatur? *p.*427.*n.*41.

An ſi mutuatori res aliqua, fructus ferre nata, conſtituatur in pugnis debiti, poſsit fructus ex ea percipere, non computando illos in ſortem. *ibid. toto punct.*7.

Vtrum in contractu mutui licitum ſit pactum legis commiſſoriæ in pignoribus? *p.*417.*n.*47.

An ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis poſsit mutuans aliquid ſupra ſortem exigere? *p.*437. *toto punct.*9.

Vtrum mutuans poſsit pretium à mutuatario exigere ob aſſecurandam ſortem? *p.*438.*n.*38.

Vide verb. *Pactum.*

N

NECESSITAS.

Quotuplex ſit neceſsitas? *p.*322.*n.*30.

Liceatne in extrema neceſsitate aliena furripere? *ibid.num.*31.

An qui non eſt ſuperior indigentis, teneatur ex juſtitia illius miſeriam ſublevare? *ibid.& ſeq.n.*33.

An qui tempore neceſsitatis extremæ rem alterius accepit, & conſumpſit, teneatur illam reſtituere tranſeunte neceſsitate? *p.*322.*n.*35.

Illicitum eſt aliena accipere, invito domino, in gravi neceſsitate. *p.*323.*toto §.*2.*n.*36.

An cui eſſet deducus magnum mendicare, poſſet ſibi de alienis neceſſaria accipere abſque peccato furtiq *p.*342.*n.*39.

Negotiatio.

Quibus in caſibus negotiatio per emptionem, & venditionem ſit illicita? *pag.*386.*tot.§.*2.

O

OBLIGATIO.

Quotuplex ſit obligatio? *pag.*363.*n.*323.

P

PACTUM.

Vtrum in mutuo poſsit in pactum deduci amicitia, vel injuriæ condonatio? *p.*430.*§.*1.*per tot.*

An mutuans poſsit in pactum deducere, vt ſibi, vel alteri reddat mutuatarius, quæ ſolùm debet ex charitate, vel religione? *ibid.num.*55.

Vtrum ſit pactum vſurarium in mutuum dare, vt quis officium, vel beneficium recipiat? *ibid.num.*58.

PATER.

Quomodo peccent parentes bona filiorum accipientes? *pag.*326.*num.*47.

Quando donatio patris ad filium ſit nulla? *pag.* 468. *num.*104.

Poſsitne pater donare filio cum damno aliorum fratrum? *ibid.num.*105.

An debeant parentes filijs ſpurijs præbere alimenta? *pag.* 482.*num.*50.

Quæ alimenta debeat pater filijs exhibere? *ibid.n.*51.

Debeatne pater cognoſcere filium, vt eum alere teneatur? *ibid.num.*54.

Quando pater, quando mater alimenta filijs teneantur

tur dare? *ibid.num.55.*
Quibus ex cauſis filij exhæredari poſſunt à parentibus, & parentes à filijs? *pag.489.& ſeq. toto §.2.*
An in dictis caſibus, in quibus pater filium, vel filius patrem exhæredare poteſt, etiam debita ipſis alimenta denegare poſsit? *ibid.& ſeq. num.92.*
An quando pater de facto non exhæredat filium, maneat nihilominus filius ipſo facto exhæredatus? *pag. 490.num.93.*
An pater poſsit exhæredare filium, vel è contra, ob alias cauſas, præter enumeratas, nimirum ob ſimilia, vel deteriora crimina? *ibid.num.94.*
An ſi pater expreſsè, vel tacitè remittat injuriam illatam à filio (& idem eſt de filio reſpectu patris) admittendo illum ad ſuam amicitiam, poſsit vti illa cauſa ad exhæredandum ipſum? *ibid.num.95.*
An ſi filius poſt patratum aliquod ex dictis criminibus contra patrem (& idem eſt de patre reſpectu filij) profiteatur in aliqua Religione approbata, poſsit ob illam cauſam à patre exhæredari? *ibid.num.96.*

Patria poteſtas.

Quid ſit patria poteſtas? & quo jure introducta ſit? & quos effectus habeat? *pag.150.§.1.per tot.*
Apud quem ſit patria poteſtas? *ibid.& ſeq.num. 125.*
Qui ſint ſub patria poteſtate? *pag.151.ibid.*
Quibus modis diſſolvatur patria poteſtas? *ibid. num. 127.& 128.*

Pauperes.

An ſi poſt adhibitam diligentiam dominus bonorum inventorum non compareat, teneatur inventor ex juſtitia rem pauperibus diſtribuere, vel alijs pijs operibus. *pag.142.num.84.*
An teneantur pauperes bona inter ipſos diſtributa legitimè domino comparenti reſtituere? *pag.143. num.87.*
Qui veniant intelligendi nomine pauperum, in quorum ſubſidium debet eccleſiaſticus bona conſumere? *pag.154.num.144.*
Quibus pauperibus bona incerta ſint applicanda? *pag. 218.num.215.*
Quid nomine pauperum intelligatur in reſtitutione debiti incerti? *pag.219.num.216.*
An diſtributio bonorum incertorum inter pauperes debeat fieri Epiſcopi conſenſu? *ibid.num.218.*
Penſionarius an teneatur aliquid de penſione in pauperes diſtribuere? *pag. 154.& ſeq. num. 145. & deinceps.*
Quid facere debeat teſtamentarius, cui committitur facultas bona inter pauperes diſtribuendi? *pag.504. num.169.*

Paupertas Religioſa.

Paupertas religioſa diverſa eſt pro diverſis Religionibus. *pag.158.num.163.*
Quibus caſibus contra paupertatis votum delinquat Religioſus? *pag.163.num.183.*
An ſemper Religioſus peccans contra paupertatem, peccet etiam peccato furti contra juſtitiam? & è contra? *pag.330.num.5.*
In quibus caſibus peccat Religioſus contra votum paupertatis aliquid accipiendo, vel retinendo? *pag. 331. num. 11.*
In quibus caſibus violetur à Religioſis votum paupertatis aliquid donando, vel expendendo abſque Superioris facultate? *pag.333. num.21.*

Peculium.

An liceat Religioſis peculium habere? *p.166.n.200.*

Penſio.

Penſionarius an teneatur aliquid de penſione in pauperes diſtribuere? *pag.155.num.145.*

Peregrini.

An peregrini teneantur obſervare leges, vel conſuetudines locorum; per quæ tranſeunt? *pag. 69. num. 54.*
An peregrini teneantur legibus ſuæ patriæ, quando ſunt extra illam? *pag.71.num.62.*
Quid dicendum, quando ſunt in ſua patria, ſed tamen in aliquo loco exempto à juriſdictione Legislatoris? *ibid.num.64.*
An peregrinus, qui die feſto exit à ſuo loco, & pergit in alium, vbi non eſt dies feſtus, teneatur audire ſacrum, antequam à ſuo loco exeat? *pag.72. num.66.*
An ſi die, quo jejunium in tuo loco obſervatur, velis exire ad locum, vbi non ſervatur, poſsis jentaculum ſumere in loco, vbi obligat jeiunium, antequam exeas? *ibid.num.68.*
Quid dicendum, an poſsis veſci carnibus? *ibidem.*

Periculum.

An Carthuſiani poſsint licitè abſtinere à carnibus cum periculo vitæ? *pag.53.num.136.*
An teneantur? *ibid.num.137.& 138.*
An ratione periculi in recuperanda ſorte poſsit ſupra ſortem aliquid mutuator accipere? *pag.437. num. 87.*

Pœna.

Pœna, alia poſitiva, alia privativa, alia mixta ex poſitivo, & privativo. *pag.34.num.43.*
Rurſus pœna alia ſpiritualis, alia temporalis. *ibid.*
Pœna ferenda, & pœna lata. *ibid.*
An, & quomodo legis pœnalis tranſgreſſor teneatur ad pœnam ante Iudicis ſententiam? *pag. 37. §.2. per totum.*
An pœna conventionalis contractibus adiecta ſolvenda ſit à reſiliente à contractu ante ſententiam Iudicis? *pag.39.num.65.*
Quid de pœna exorbitante? *ibid.*
Quid dicendum, quando contrahens non eſt in mora culpabili? *ibidem.*
Quid dicendum, quando mora culpabilis non eſt notabilis? *ibidem.*
Quam obligationem habeat tranſgreſſor legis pœnalis ad ſolvendam pœnam ante, vel poſt ſententiam Iudicis? *pag.39.tot.§.3.*
An reus negans in judicio veritatem, teneatur ſolvere pœnam contra ſe in lege latam, ante ſententiam Iudicis? *pag.40.num.71.*
Quam obligationem habeat Iudex ad applicandas pœnas in lege taxatas? *ibid.num.72.*
An ſi Iudex abſque cauſa pœnam legis, vel latæ, vel ferendæ ſententiæ remmittat, teneatur reſtituere illam? *pag.41.num.76.*
Poſsitne Iudex poſt pronuntiatam ſententiam reformare pœnam, quam juſtè intulit? *ibid.num.77.*
Quis Iudex habeat poteſtatem declarandi authoritativè ſuam ſententiam, quando dubium oritur circa illam? *ibidem.*
An quando actus remanet irritus per legem, ſubijciantur tranſgreſſores legis pœnis impoſitis in jure contra facientes talem actum? *pag.47.num.105.*
Quæ pœnæ contra aborſum procurantes in jure ſtabiliantur? *pag.258.§.3 per tot.*
Quæ pœnæ ſint in jure aſsignatæ contra proprietarios Religioſos? *pag.330.num.6.*
Quæ pœnæ latæ ſint contra vſurarios? *pag. 445. num. 124.*

Summus Pontifex.

Summus Pontifex non est institutor veritatum fidei, sed solùm declarator. *p.13.num.61.*

Pontifex summus potest leges civiles abrogare, quæ sunt contra bonum spirituale fidelium. *pag.76. num.15.fin.*

Possessio.

Possessio facti quid sit? *p.131.n.29.circa medium.*

Quid sit possessio juris? *ibid.num.30.*

Quotuplex sit possessio? *ibid.num.31.*

Quot modis acquiratur possessio? *ibid.num.32.*

Quæ sint privilegia possessionis? *p.132.num.33.*

Quot modis deperdatur possessio? *ibid.num.34.*

An absque possessione, & apprehensione rei vera, vel ficta, possit acquiri dominium? *ibid.num.35.*

Possessor bonæ, vel malæ fidei.

In dubio an res, quam bona fide possidebat, sit sua, quid facere debeat possessor? *p.186.num.64.*

Vtrum qui rem bona fide possidebat, & posteà incipit dubitare, an sit sua, possit durante investigatione uti re? *ibid.num.65.*

Possessor bonæ fidei, qui incipit dubitare, si facta diligentia deponat dubium practicè, potest vendere rem cum animo restituendi solùm domino, si fortè compareat, id in quo factus est locupletior. *ibid.& seq.num.66.*

Quos fructus ex re aliena perceptos teneatur restituere bonæ, vel malæ fidei possessor? *p.187.toto §.4.*

Quæ expensæ deduci possint, tàm à possessore bonæ, quàm malæ fidei in restitutione rei alienæ? *p.189. num.76.& seq.*

An possessor bonæ fidei, qui bona fide emit aliquam rem à fure, possit rescindere contractum? *p. 190. à num.81.*

Quid dicendum de eo, qui mala fide inivit contractum? *p.191.num.87.*

An si rem bona fide à latrone emisti, & eam bona fide alteri vendidisti, tenearis pretium domino vero, vel saltem emptori restituere, si res ipsa non restituatur? *ibid.num.88.*

An si quis bona fide vendidit rem alienam maiori pretio, teneatur illud maius pretium domino reddere? An sufficiat æstimationem justam rei illi tradere? *p.192.num.91.*

An si quis bona fide pecunias furtivas recepit à fure emente suam rem, teneatur tales pecunias, si extent, domino restituere? *ibid.num.94.*

Vtrum qui bona fide celebravit contractum vsurarium, sed poterat alium justum, posteà, re cognita, possit retinere, quod accepit? *p.406.tot.punct.5.*

Potestas.

An actus merè interni cadant directè sub potestate Legislatoris humani? *pag.14.num.66.*

An saltem indirectè? *pag.14.num.69.*

Potestas ferendi leges alia ordinaria, alia delegata. *pag. 59.num.1.*

Datur in hominibus potestas ordinaria condendi leges civiles. *ibid.num.2.*

A quo habeant prædictam potestatem? *p.60.n.4.*

In quibus resideat talis potestas? *ibid.num.5.*

Adest in ecclesia potestas condendi leges obligantes in conscientia. *p.61.& seq.num.13.*

In quibus resideat hæc potestas? *p.62.num.14.*

Potestas dispensandi in legibus delegata est multiplex. *p.91.& seq.n.50.*

Qui habet potestatem ordinariam dispensandi in legibus, potest eam alijs delegare. *p.92.num.51.*

An delegatus, qui potestatem purè delegatam obtinuit, possit eam subdelegare? *ibid.num.52.*

An potestas dispensativa, sive delegata, sive ordinaria, sit amplè interpretanda, vel restringenda, & in dubio judicandum non dari, vel in favorem illius judicandum? *ibid.num.53.*

Ad quid restringatur commissarij potestas? *pag.499. num.143.*

Præceptum.

In veteri lege erat triplex genus præceptorum, nimirum moralium, cæremonialium, & judicialium. Primum genus præceptorum obligabat omnes, secundum verò, & tertium solùm populum Hebræorum, non verò alios, nisi populo Dei per circumcisionem aggregarentur. *pag.9.num.36.*

Quando, & quomodo cessaverint præcepta cæremonialia, & judicialia, veteris legis? *ibid. n.37.& 38. & deinceps.*

Præceptum in quo distinguatur à lege? Vide verb. *Lex.*

Quo pacto præcepta negativa distinguantur ab affirmativis? *p.12.num.55.fin.*

Præceptum obligat independenter ab acceptatione subditi. *p.22. num.102.*

Non satisfacit præcepto, qui simpliciter coactus per violentiam absolutè talem, opus mandatum exercet. *p.54.num.140.*

Qui liberè simpliciter actum præceptum exhibet, tametsi metu gravi coactus, adimplet præceptum. *ibid. num.142.*

Si quis haberet hunc actum expressum conditionatum: *Nisi immineret tale damnum, vel talis pœna, non adimplerem præceptum*, peccaret. *ibid.fin.*

Præceptum charitatis non potest impleri cum prava intentione finis. *p.55.& seq.n.148.*

Præceptum restitutionis an sit positivum, an privativum? *p.174.num.4.& 5.*

Prælatus.

Prælati Religionum nihil contra regulam, vel præter regulam præcipere possunt. *p.13.n.61.fine.*

An Prælati Religionum possint dispensare cum suis familiaribus sæcularibus illis inservientibus in jejunijs ecclesiæ, abstinentia à carnibus, observatione festorum? *p.93.num.57.*

Prælati nostræ Religionis possintne dispensare in nostris legibus? *ibid.num.58.*

Teneaturne Prælatus implere promissionem Religioso mortis tempore factam circa dispositionem bonorum? *p.164.num.188.*

An peccet Religiosus Prælatus, qui subditis necessaria non dat? *p.329.num.4.*

Quam obligationem habeat Prælatus circa votum paupertatis? *p.349.num.88.*

Præscriptio.

Quo pacto sumenda sit præscriptio? *p.145.num.99.*

Quomodo diffiniatur? *ibidem.*

Præscriptio à quo introducta sit? *ibid.fine.*

Quatuor conditiones, quæ ad legitimam præscriptionem requiruntur. *ibid.num.101.*

Hæ autem conditiones sunt possessio, titulus, bona fides, continuatio possessionis cum prædicta bona fide tempore à lege præscripto. *ibidem.*

An præscriptio, vel vsucapio cum prædictis conditionibus, non solùm præbeat verum jus, & dominium rei pro foro externo, sed etiam in foro conscientiæ? *p.147.num.110.*

Qui dubitat prudenter an res sit sua, inchoare non potest præscriptionem, potest continuare. *p.148. num.113.*

Ignorantia inculpabilis facti non impedit præscriptionem. *ibid.num.*115.
An ignorantia inculpabilis juris clari impediat præscriptionem? *ibid.& seq.n.*116.*& deinceps.*
Quomodo mala fides auctoris noceat bonæ fidei successori, quominus rem alienam vsucapere possit? *pag.*149.*num.*119.

Præsumptio, Præsumere.

An lex fundata in falsa præsumptione (præciso scandalo) obliget in foro conscientiæ? *pag.* 41.*num.*78. *& deinceps.*
Præsumptio est in duplici differentia, alia præsuppositionis, alia diffinitionis, & in quo differant? *p.*41. *num.*82.*&* 83.

Preces.

Per reperitas preces an violentia virgini inferatur? *pag.* 271.*num.*14.*& seq.*

Pretium.

Non debet pretium rei ex perfectione eius physica accipi. *pag.*394.*num.*77.
Duplex acceptio pretij. *ibid.num.*78.
Pretium vulgare dividitur in infimum, medium, & supremum. *ibid.num.*79.
Pretia justa rerum excedere, vel minuere, an sit contra justitiam obnoxium restitutioni? *p.*395. *toto §.*1.
Quid sit pretium vulgare? *p.*398.*& seq. num.*97.
Cuius temporis, & loci habenda sit ratio ad designanda pretia rerum? *pag.*399.*num.*98.
Quibus modis crescere, vel decrescere possit vulgare pretium? *pag.*400.*num.*101.*& seq.*
Pretium legitimum quod dicatur? *p.*401.*num.*110.
An obliget in conscientia lex taxativa pretij? *p.*402. *num.*111.
Vtrum conveniens sit omnium rerum pretia taxari? *p.* 402.*num.*113.
Quibus modis à republica pretium taxetur? *ibid.& seq.num.* 114.
An debeat lex taxativa pretij secundum variationem circumstantiarum variari? *p.*403.*num.*115.
Quando censeatur lex taxativa derogata? *ibid.n.*116.
An, & quomodo servanda sit lex taxativa pretij frumenti? *p.*404. *toto punct.*10.
Taxato tritico, an etiam censeatur taxata farina? *pag.* 408.*num.*136.
Quid dicendum de pane cocto? *ibid.num.*137.
Quibus prohibitum sit panem coctum vendere? *ibid. n.*138. *Princeps.*
An Princeps teneatur observare leges, quas ipse tulit? *p.*66.*num.*34.
Possitne dispensare secum in lege ab ipso lata? *ibid. num.*36.
An possit respublica, vel Princeps concedere facultatem interficiendi bannitos cuicumque eos occidere possit? *pag.*245.*& seq.num.*9.

Promissio.

Teneaturne Prælatus implere promissionem Religioso mortis tempore factam circa dispositionem bonorum? *p.*164.*num.*188.
Promissio prodiga fœminę facta à viro ob vsuram corporis, saltem si fiat cum juramento, an debeat necessariò impleri? *p.*208.*num.*166.
Ille qui promisit alteri non vsurum compensatione, teneaturne stare contractui? *p.*239.*num.*309.
Qui sub promissione coniugij virginem violavit, ad quid teneatur? *pag.*271.*num.*17.
Qui cognovit fœminam sub promissione coniugij, putans esse virginem, ad quid teneatur, si postea apparuerit non esse virginem? *p.*272.*num.*18.
Qui habens votum Religionis sub promissione coniugij virginem violavit, ad quid teneatur? *ibid.n.*20.
Quid sit promissio? *pag.*460.*num.*65.
In quo promissio differat à proposito? *ibid.num.*66.
Quotuplex sit promissio? *ibid.num.*67.
An promissio ante acceptationem obliget? *pag.*461. *num.*68.
An si juramento firmetur promissio, vel donatio, maximè si sit de illa non revocanda, firmetur, & roboretur illo, ita vt revocari nequeat ante acceptationem? *ibid.num.*70.
Quo pacto promissio, seu donatio acceptanda sit? *ibid. num.*71.
An promissio acceptata gravitèr ex justitia obliget ad sui adimpletionem? *p.*462.*num.*76.

Promulgatio.

Promulgari an debeat lex, vt habeat vim obligandi? *p.*16.*à n.*74.*vsq.ad* 80. *inclusivè.*
An differat promulgatio à divulgatione? *ibid.n.*77.
An lex ecclesiastica, aut civilis debeat in singulis provincijs promulgari? *p.*17.*à n.*81.*vsq.ad* 88.*inclusivè.*
Quid Concilium Tridentinum statuerit circa promulgationem decreti irritantis matrimonium clandestinum. *ibid.num.*81.
Quid dicendum de regno Lusitaniæ? *ibid.n.*81.*fin.*
Quid dicendum de promulgatione legum municipalium? *ibid.& seq.num.*82.
Quid de jure cæsareo? *pag.*18.*num.*83.
Quod tempus debeat transire à publicatione legis civilis, aut canonicæ, vt habeat vim obligandi? *p.* 19.*& seq.à n.*89.*vsq.ad* 93.*inclusivè.*
Quid de jure cæsareo? *ibid.num.*89.
An requiratur promulgatio ad abrogandam legem? *pag.* 75.*num.*12.

Publicum.

Vide verb. *Detractio.*

Pueri.

An pueri, postquam pervenerunt ad vsum rationis, teneantur observare leges ecclesiasticas? *p.*68.*n.*50.
Quando pueri teneantur ad præceptum communionis? *p.*69.*n.*52.*fine.*

Q

QUARTA FALCIDIA.

IN quo æquiparentur quarta falcidia, & quarta trebellianica? *p.*496.*num.*127.
Quid sit quarta falcidia? *p.*509.*num.*195.
Quando deducenda sit ex legatis quarta falcidia? *ibid. num.*196.

Quarta Trebellianica.

Quarta trebellianica deducenda à commissario. *pag.* 495.*num.*123.
Quando hæredes fideicommissarij possint deducere trebellianicam? *p.*496.*num.*124.
An possit testator prohibere, ne hæres gravatus deducat quartam trebellianicam? *ibid.num.*126.
Ex fideicommisso ad causas pias an sit deducenda trebellianica? *ibid.n.*127.

R

RAPINA.

VIde verb. *Furtum.*

Ratihabitio.

An per ratihabitionem incurratur obligatio ad restituendum? *p.*198.*num.*119.

Religio, Religiosus.

Religio nostra an incapax sit habendi bona stabilia in communi? *p.159.num.165.*

Quæ Religiones sint capaces successionis hæreditariæ? *ibid.num.166.*

Maioratus an pertineat ad Monasterium Religiosi in eo habitantis? *ibid.num.167.*

Monasterium nè, an Religiosus constituatur dominus legati, aut hæreditatis Monacho relictæ? *pag.160. num.168.*

Legatum sub conditione relictum Religioso, cui acquiratur? *ibid.num.269.*

Quomodo Religio Minorum, Societatis, & nostra sit, vel non capax hæreditatis, vel legati? *ibid.tot.§.2.*

Quilibet Religiosus est incapax dominij. *pag.163. num.182.*

Quibus casibus contra paupertatis votum delinquat Religiosus? *ibid.num.183.*

Non est omnium Religiosorum eadem paupertas, sed nostrorum est strictissima. *ibid.num.184.*

Etiam Donati sunt dominij incapaces. *ibid. num.185.*

Religiosi non possunt testari, & quo jure? *ibid.n.186.*

An possit Religiosus de suis bonis disponere donatione causa mortis cum debita licentia? *pag.164. num.187.*

Teneaturne Prælatus implere promissionem Religioso mortis tempore factam circa dispositionem bonorum? *ibid.num.188.& 189.*

An possit Religiosus testamentum à se factum ante professionem revocare? *ibid.num.190.*

Religiosi Militares in sæculo degentes an possint testari? *ibid.num.191.*

Quid dicendum de Religiosis militaribus clericis? *ibid. & seq.num.192.*

Possitne Religiosus habere dominium rerum spiritualium? *pag.195.num.193.*

Quid dicendum de reliquijs Sanctorum? *ibid.n.194.*

Quid dicendum de manuscriptis? *ibid.num.195.*

Possitne Religiosus missam pro amico celebrare, quando amicus pro illa recipit stipendium? *ibid. num.196.*

An Religiosus possit liberè disponere de suis artefactis? *ibid.& seq.num.197.*

Cui acquirat Religiosus bona quæcumque acquirit? *pag.167.§.5.per totum.*

Quid dicendum de Religioso apostata? *p.168.n.208.*

Cui acquirat Religiosus justè, & legitimè expulsus? *ibid. num.209.*

Teneaturne Monasterium restituere damnum ex delicto Religiosi particularis sequutum? *pag.168.& seq. num.211.*

An Monasterium teneatur ad contractus à singularibus Religiosis celebratos? *pag.169.num.212.*

An Religiosus sine licentia contrahens, teneatur servare contractum? *ibid.num.217.*

Quid dicendum de alio, qui cum Religioso contraxit? *ibid.& seq.num.218.*

An ære alieno gravatus possit ingredi Religionem? *pag.234. num.286.*

An jure naturæ teneatur debitor per multum tempus in sæculo manere, si adsit spes toto illo tempore satisfaciendi creditoribus? *ibid.num.289.*

An qui licitè, vel illicitè debitis gravatus in Religione professus est, teneatur in Monasterio laborare, vt creditoribus satisfaciat? *pag.236.num.296.*

Qui debitores prohibeantur ex jure Pontificio Sixti V. & Clement. VIII. Religionem ingredi? *pag.237. num.299.*

An peccet peccato furti Religiosus, qui sine licentia Superioris aliquid de bonis Monasterij expendit? *pag. 329.num.1.*

Religiosis, quibus de necessarijs non providetur, an liceat de bonis Monasterij sibi sucurrere? *ibid.n.32.*

An peccet Religiosus Prælatus, qui subditis necessaria non dat? *ibid.num.4.*

An semper Religiosus peccans contra paupertatem, peccet etiam peccato furti contra justitiam, & è contra? *p.330.num.5.*

Quæ pœnæ sint in jure assignatæ contra proprietarios Religiosos? *ibid.num.6.*

In quibus casibus peccet Religiosus contra votum paupertatis aliquid accipiendo, vel retinendo? *pag. 331.num.11.*

In quibus casibus violetur à Religiosis votum paupertatis aliquid donando, vel expendendo absque Superioris facultate? *pag.333.num.21.*

Res pretio æstimabiles commodare, mutuare, permutare, vendere, aliòve modo distrahere absque Prælati licentia, sitne contra votum paupertatis? *pag. 336.toto punct.4.*

Quæ materiæ quantitas requiratur, sive in pecunijs, sive in rebus comestibilibus, vt Religiosus absque licentia expendens, peccet contra votum paupertatis mortaliter? *p.338.num.43.& deinceps.*

Quæ licentia sufficiat, vt in acceptionibus, donationibusque Religiosus non violet votum paupertatis? *p.342.toto punct.6.*

An Religiosi possint aliqua ludo exponere? *pag.351. num.93.*

Renuntiatio.

Potest dispensatus in lege validè, & licitè in aliquibus casibus renuntiare dispensationi. *pag.101.num.100. & deinceps.*

In alijs casibus licitè non valet. *ibid.*

Renuntiatio dispensationis est duplex, expressa, vel tacita. *ibid.& seq.num.101.*

Quando censendum sit dispensatum tacitè renuntiare dispensationi? *p.102.num.102.& 103.*

Restitutio, Restituere.

Quot modis accipiatur restitutio? *p.173.num.1.*

Diffinitio restitutionis. *ibid.num.2.*

An restitutio sit necessaria? & qua necessitate? *ibid.& seq.num.3.*

Præceptum restitutionis an sit positivum, an privativum? *pag.174.n.4.& 5.*

Duplex radix vnde oritur obligatio restituendi. *ibid. num.6.*

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi? *pag.175. num.8.& seq.*

Qui dat operam rei illicitæ, ex qua per accidens, & aliàs sequitur damnum, ad nihil tenetur. *p.176.n.14.*

Ex ignorantia purè concomitante non oritur obligatio restituendi. *ibid.num.15.*

An teneatur restituere innocenti, qui, prævidens illi imputandum, delictum perpetratur? *p.178.num.25.*

An artifex, v. g. qui ex officio tenetur ad artefactum faciendum, teneatur ex culpa levi, aut levissima? *ibid.num.26.*

Ex qua culpa oriatur obligatio ad restituendum in contractu? *p.176.toto §.4.*

Bonæ fidei possessor quid teneatur restituere? *pag.181. num.41.*

Sufficiatne pretium rei reddere, an verò ipsa res restituenda sit? *pag.183.num.48.*

Ad quid restituendum iniquus possessor teneatur? *ibid. num.49.*

Quid dicendum, quando res à fure ablata certò apud dominũ erat peritura, & de hoc conſtat? *p.* 184. *n.* 51.

An qui abſtulit, v. g. vitulum alterius, vel pullum equinum, & vendidit, aut peremit, debeat reſtituere id præcisè, quod tunc valebant, vel potius reddere debeat pretium, quod habituri eſſent, ſi adoleſcerent, & vnus equus, alter bos eſſet efectus? *ibid. n.* 54.

Quid reſtituendum, quando res domino ablata, quæ tunc valebat decem, v.g. poſteà crevit in pretio, & cum tali incremento extat? *ibid. & ſeq. n.* 55.

An rem, quam in ſtatu viliori accepiſti, & apud te melior facta eſt, & poſteà ad deteriorem pervenit ſtatum, tenearis reſtituere ſecundùm maiorem illius valorem, quem apud te habuit? *p.* 185. *n.* 56.

Qui cum dubio rem alienam ſibi emit, an reſtituere teneatur? *p.* 186. *n.* 62.

Qui rem alienam domino reſervandam accepit, an peccet, & teneatur reſtituere? *ibid. n.* 63.

Qui impedit aliquem à conſequutione alicuius boni, an teneatur reſtituere? *p.* 192. *toto punct.* 4. *à n.* 95.

Qui bona fiſco applicanda impediunt, ad quid teneantur? *p.* 194. *n.* 104.

Qui perſuadet collatori, vt beneficium det digno, relicto digniori, ad quid teneatur? *p.* 195. *n.* 106.

Qui conſulit, mandat, &c. aliquod delictum, ad quod alter iam erat paratiſsimus, an teneatur ad reſtitutionem? *p.* 196. *n.* 109.

Qui ſuadet minus malum parato maius malum exequi, ad quid teneatur? *ibid. circa medium.*

Qui ſolam damni partem conſulit, vel mandat, ad quid teneatur? *ibid. fin.*

Qui per conſilium, vel mandatum influit in damnum, etiamſi alius ſimili modo eſſet influxurus, an teneatur ad reſtitutionem? *ibid. n.* 110.

Qui paratiſsimo ad aliquod delictum ſuadet, vt citiùs, & graviùs illud exequatur, an teneatur ad totum damnum reſarciendum? *ibid. n.* 111. *& ſeq.*

Qui ſuo pravo exemplo eſt occaſio damni, an teneatur ad reſtitutionem? *p.* 197. *n.* 114.

Quis conſenſus in malum obliget ad reſtitutionem? *pag.* 199. *n.* 120.

An qui ſubſcribunt injuſtæ ſententiæ, vel ſuffragium ferunt in electione indigni, teneantur ad reſtitutionem? *ibid. n.* 121. *& ſeq.*

Qui per adulationem, aut vituperationem eſt cauſa efficax damni, an teneatur ad reſtitutionem? *ibid. num.* 124.

Qui malefactorem, vt talem, fovet, aut recipit, an ſit obnoxius reſtitutioni? *ibid. & ſeq. n.* 125.

Participantes an teneantur reſtituere? *p.* 200. *n.* 127. *& deinceps.*

Qui non loquitur, non impedit, aut non manifeſtat, quomodo teneatur ad reſtitutionem? *p.* 201. *n.* 130. *& deinceps.*

Cuſtodes agrorum, vinearum, &c. teneaturne reſtituere damna ex ſua negligentia ſequuta? *p.* 202. *n.* 135.

Prædicti cuſtodes an teneantur ſolvere pœnam, quam rei debebant luere, ſi manifeſtarentur ab eis? *ibid. num.* 136.

Confeſſarius non monens pœnitentem de obligatione ad reſtituendum, an teneatur ad reſtitutionem illam? *ibid. n.* 137. *&* 138.

Quando plures cauſæ concurrunt ad idem damnum faciendum, an ſingulæ inſolidum totum teneantur reſtituere? *p.* 204. *toto §.* 5.

Vtrum accepta ob turpem cauſam ſint reſtituenda? *pag.* 205. *n.* 153. *& deinceps.*

Quid dicendum circa hoc de meretricibus, & alijs mulieribus? *pag.* 206. *à num.* 157. *vſque ad* 160. *inclusivè.*

An ſi fœmina aliquid à Religioſo recipiat ob turpem actum, teneatur reſtituere illud? *pag.* 207. *num.* 161.

Vxorata an teneatur reſtituere marito aliquid ex eo quod accepit ob adulterium? *ibid. n.* 162. *& ſeq.*

An ea, quæ donantur ad extorquendum conſenſum, eo non ſequuto, debeant reſtitui? *pag.* 208. *num.* 165.

Ex donatione illicita, & reprobata per leges, an oriatur in recipiente obligatio reſtituendi? *ibid. n.* 168. *& deinceps.*

An qui recipit aliquid pro actu bono, quem debebat facere, vel pro deſiſtendo à malo, quod debebat omittere, teneatur ad reſtitutionem? *p.* 210. *punct.* 8. *per tot.*

In caſu dubiæ, vel probabilis juſtitiælitigantis non poteſt Iudex aliquid accipere pro ferenda ſententia in favorem vnius: & an teneatur ad reſtitutionem? *pag.* 211. *n.* 179.

An ſit facienda nova reſtitutio à debitore, quando res, quæ reſtituitur, non pervenit ad creditorem? *p.* 212. *tot. punct.* 9.

In quo loco, & cuius expenſis ſit facienda reſtitutio? *p.* 214. *tot. punct.* 10.

An debitor teneatur ſuis expenſis reſtitutionem facere, quando maiores ſumptus faciendi ſunt in tali reſtitutione, quàm res ipſa valet? *ibidem, num.* 195. *& ſeq.*

Res vtrum ſemper reſtituenda ſit ei, à quo fuit accepta? *p.* 215. *§.* 1. *per tot.*

Res an debeat reſtitui domino, ſi illi, vel alteri futura ſit damnoſa? *p.* 216. *tot. §.* 2.

Qui rem incerti domini habet, debet adhibere ſufficientem diligentiam ad inquirendum dominum. *pag.* 217. *n.* 208.

Debita incerta ex delicto cui debeant applicari? *ibid. num.* 209.

Debita incerta ex delicto an jure naturæ ſint pauperibus applicanda? *ibid. n.* 210. *&* 211.

Debita incerta, & non ex delicto contracta, an ſint pauperibus applicanda? *p.* 218. *n.* 213. *& ſeq.*

An, ſolutione facta creditori mei creditoris, liber ſim ab alia facienda? *p.* 219. *tot. §.* 4.

Quis ordo in reſtitutione ſervandus? *p.* 220. *tot. punct.* 12.

Quando reſtitutio ſit facienda? *p.* 227. *tot. punct.* 13.

Quot peccata committat is, qui per longum tempus differt ſolutionem? *p.* 229. *tot. punct.* 14.

Quid ſit reſtitutio in integrum? Et quibus hoc beneficium reſtitutionis concedatur? *p.* 373. *tot. punct.* 8.

Retrovenditio.

Vtrum venditio cum pacto retrovendendi, vel emptio cum pacto retroemendi licita ſit? *pag.* 390. *punct.* 6. *per tot.*

Revocatio.

Quando revocatio diſpenſationis legis ſit valida, & licita? *p.* 101. *n.* 97.

Inferior an poſsit diſpenſationem à ſuperiore conceſſam revocare? *ibid. n.* 98.

Quid dicendum de ſuperiori reſpectu inferioris? *ibid.*

An in caſibus, in quibus inferior poteſt in legibus Superioris diſpenſare, poſsit validè, & licitè, juſta emergente cauſa, talem diſpenſationem revocare? *ibid. n.* 99.

Quot modis poſsint teſtamenta validè iam facta revocari? *p.* 496. *tot. punct.* 9.

An

An ſi quis juravit ſe non revocaturum teſtamentum à ſe factum, poſſet illud licitè revocare? *p.498.n.136.*
An quando ex communi conſenſu duo (v.g. vir, & vxor) fecerunt ſub eadem ſcriptura teſtamentum ſe hæredes invicem inſtituentes, vel bona ad maioratus inſtitutionem ordinantes, quod teſtamentum firmatur per mortem vnius, quantum eſt ex parte ſua, alius ſuperſtes poſsit illud, ſecundum quod eſt ex ſua parte, revocare? *ibid.n.138.*
An poſsit commiſſarius teſtamentum à ſe factum revocare? *ibid.& ſeq.n.145.*
An ſi quis de re aliena diſponat, & teſtamentum faciat ex beneplacito, & licentia domini, ipſius morte firmetur tale teſtamentum, ita vt non poſsit dominus illud revocare, etiamſi talem dediſſe licentiam pœniteat? *p.499.n.140.*

S

SECRETUM.

SEcretum quot modis dicatur? *p.266.n.75.*
Quale peccatum ſit violatio ſecreti? *ibid.à n.77. & deinceps.*
An in aliquibus caſibus excuſetur à peccato mortali, qui ſecretum ſibi commiſſum revelavit? *pag.297.n.80.& ſeq.*
Vtrum alicui liceat exquirere ſibi ſecretum alterius, & literas alij miſſas aperire? *p.298.n.83.& ſeq.*

Societas.

Vtrum vſura ſit in contractu ſocietatis ratione trium contractuum lucrum determinatum reportare, ſalvo ipſo capitali? *p.439.tot.punct.11.*
Quid ſit contractus ſocietatis? an licitus ſit in negotiatione? Quas conditiones requirat? & quomodo finiatur? *ibid.& ſeq. à n.94.*

Solemnitas.

In dubio an ſolemnitas aſsignata in lege ſe habeat, vt forma ſubſtantialis, vel accidentalis, judicandum eſt eſſe accidentalem. *p.45.n.94.fin.*
Quomodo cognoſci poſsit ſolemnitatem aſsignatam in lege ſe habere vt formam ſubſtantialem? *ibid. n.95.& ſeq.*
Contractus ſine ſolemnitate juris factus, an obliget in conſcientia? *p.367.tot. punct. 6.*
Quæ ſolemnitas exigatur pro teſtamento nuncupativo, tàm jure communi, quàm Caſtellæ? *p.473.tot.§.1.*
Solemnitas quæ requiratur pro teſtamento clauſo, ſeu in ſcriptis? *p.475.§.2.per tot.*
Quæ ſolemnitas exigatur in teſtamento ad pias cauſas? *ibid.n.16.*
Quæ ſit ſolemnitas teſtamenti cæci, militis, & inter filios? *p.476.tot.§.4.*
Solemnitas pro codicilis ex jure communi, & Caſtellæ requiſita. *p.477.n.24.& 55.*

Solutio.

Quot peccata comitat is, qui per longum tempus differt ſolutionem? *p.229.n.262.*
Licebitne vendere cariùs ob dilatam ſolutionem, vel viliùs emere ob ſolutionem anticipatam? *p.409. punct.11. per tot.*
An, ſolutione facta creditori mei creditoris, liber ſim ab alia facienda? *p.219.tot.§.4.*

Sponſio.

Quid ſit ſponſio, & quomodo ſit licita? *p.460.n.64.*

Stuprum.

Quid ſit ſtuprum, & quando illius circumſtantia ſit in confeſsione aperienda? *p.268.n.1.*
An, conſentiente virgine in ſui defloratione, teneatur defloror aliquid reſtituere in foro conſcientiæ? *p.269.n.2.*
In foro externo ad quid cogeretur ſtuprator? *ibid.n.5.*
Qui vi, aut fraude virginem violavit, ad quid teneatur? *pag.270.num.8.*
Per repetitas preces an violentia virgini inferatur? *p.271.n.14.*
Qui ſub promiſsione conjugij virginem violavit, ad quid teneatur? *ibid.& ſeq.n.17.*
Qui cognovit fœminam ſub promiſsione conjugij, putans eſſe virginem, ad quid teneatur, ſi poſtea apparuerit non eſſe virginem? *p.272.n.18.*
Qui habens votum Religionis, ſub promiſsione conjugij virginem violavit, ad quid teneatur? *ibid.n.20.*

Subſtitutio.

Quid ſit ſubſtitutio, & quotuplex? *p.493.n.109.*
Quid ſit ſubſtitutio vulgaris? *ibid.n.110.*
Quando vulgaris ſubſtitutio finiatur? *ibid.n.111.*
Quid ſit ſubſtitutio pupilaris? *ibid.& ſeq.n.112.*
Quot modis poſsit fieri ſubſtitutio pupillaris? *p.494.n.113.*
Quas conditiones requirat hæc ſubſtitutio pupillaris, vt ſit valida? *ibid.n.114.*
An ſi pater ſubſtituat pupillaritèr extraneum pro filio, qui matrem habebat, mortuo filio in ætate pupillari, ſubſtitutus ſuccedat in tota hæreditate, etiam excluſa matre? *ibid.n.115.*
Quibus modis extinguatur, & finiatur pupillaris ſubſtitutio? *ibid.num.116.*
Quando fiat ſubſtitutio exemplaris? *ibid.n.117.*
In quo diſcriminentur exemplaris, & pupillaris ſubſtitutio? *ibid.& ſeq.n.118.*
Quando finiatur exemplaris ſubſtitutio? *p.495.n.120.*
Quid, & quomodo fiat fideicommiſſaria ſubſtitutio? *ibid.n.121.*
Quando expiret ſubſtitutio fideicommiſſaria? *ibidem, num.122.*
De ſubſtitutione reciproca, & compendioſa. *p.496.n.128.*

Superior.

Si Princeps inferior legem ferat, poſſunt ſubditi appellare ad ſuperiorem. *pag.23.n.110.*
Quid quando Princeps eſt ſupremus? *ibidem.*
Poteſt fieri ſupplicatio ad Principem, quantumvis ſuperiorem, vt legem tollat. *p.23.n.110.fin.*
An ſi ſuperior potens diſpenſare videat aliquem ſubditum contra legem agere, & taceat, nec contradicat, cum facilitèr abſque incommodo poſſe, cenſeatur virtualitèr in lege diſpenſare? *p.85.n.15.*
An in omni eventu, in quo lex ſuperioris non reſervat expreſsè diſpenſationem ſui ipſi ſuperiori, poſsit inferior, in tali lege diſpenſare? *pag.90.n.41.*
Diſpenſatio collata ab inferiori in ordine ad legem ſuperioris ſine cauſa, eſt invalida. *p.96.n.70.*
Peccat mortalitèr inferior qui ſcienter ſine cauſa diſpenſat in lege ſuperioris obligante ad lethale peccatum. *ibid.n.72.*
An, exiſtente cauſa ſufficienti pro diſpenſatione, teneatur ſuperior eam impendere inferiori depoſcenti? *pag.97.& ſeq.num.80.*
Vide verb. *Revocatio.*

Supplicatio.

Supplicatio differtne ab appellatione? *pagin.23. num.110.*
Poteſt fieri ſupplicatio ad Principem, quantumvis ſuperiorem, vt legem tollat. *ibid.*
An toto illo tempore, quo ſupplicatio interponitur, pec-

peccent ſubditi contra legem operando? *ibid. & ſeq.n.*111.

Suſpicio.

Vide verb. *Iudicium temerarium.*

Sujurratio.

Quid ſit ſuſurratio? *p.*282.*n.*19.

An omnes ſuſurrationes ſint eiuſdem ſpeciei? *pag.*283. *num.*20.

An liceat citra infamiam alium ab amicitia repellere, vt ſe intromittat quis in eam? *ibid.n.*22.

T

TAXATIO.

Vide verb. *Pretium.*

Teſtamentarius.

Quot modis dicantur teſtamentarij? *p.*502.*n.*159.

Quid requiratur, vt teſtamentarius munus ſuum obeat? *ibid.n.*160.

Ad quid teneatur teſtamentarius? *ibid. n.*161.

Qui poſsint vt teſtamentarij aſsignari? *p.*503.*n.*161.

An poſsit quis cogi ad acceptandum munus teſtamentarij? *ibid.n.*164.

An aliquid pro officio teſtamentarij accipi debeat? *ibid.& ſeq.n.*165.

An poſsit Epiſcopus petere rationem muneris teſtamentarij? *p.*504.*n.*166.

Poſsitne Epiſcopus petere rationem muneris teſtamentarij à Regularibus? *ibid.n.*167.*& ſeq.*

Quid facere debeat teſtamentarius, cui committitur facultas bona inter pauperes diſtribuendi? *ibid.n.*169.

Teſtamentum.

Quid,& quotuplex ſit teſtamentum? *p.*472.*n.*2.

In quo differat teſtamentum à codicillo? *ibid. n.*3.

Quæ ſolemnitas exigatur pro teſtamento nuncupativo, tàm jure communi,quàm Caſtellæ? *p.*473.*tot. §.*1.

Solemnitas,quæ requiritur pro teſtamento clauſo, ſeu in ſcriptis. *p.*475.*toto §.*2.

Quæ ſolemnitas exigatur in teſtamento ad pias cauſas? *ibid.§.*3.*per totum.*

Quæ ſit ſolemnitas teſtamenti cæci, militis, & inter filios? *p.*476.*toto* §.4.*à.n.*20.

Quot modis reddatur teſtamentum imperfectum? *pag.* 477.*punct.*3.*per totum.*

Quam vim habeat teſtamentum imperfectum? *ib.n.*27.

An peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem,qui teſtatorem metu,aut fraude cogit? *p.*478.*n.*30.

Quid dicendum de eo, qui rationibus,conſilio, ſuaſione, abſque vi, fraude, aut dolo teſtatorem inducit, vel vt mutet teſtamentum, vel vt ſe, vel alios amicos inſtituat hæredes, vel legatarios? *ibid.n.*31.

Qui teſtamentum legitimè poſſunt facere? *ibid. toto punct.*4.

Quot modis poſsint teſtamenta, validè iam facta, revocari? *p.*496.*n.*129.*& ſeq.*

An ſi quis juravit ſe non revocaturum teſtamentum à ſe factum, poſſet illud licitè revocare?*p.*498.*n.*136.

An quando ex communi conſenſu duo (v. g. vir, & vxor) fecerunt ſub eadem ſcriptura teſtamentum ſe hæredes invicem inſtituentes, vel bona ad maioratus inſtitutionem ordinantes, quod teſtamentum firmatur per mortem vnius, quantum eſt ex parte ſua, alius ſuperſtes poſsit illud, ſecundum quod eſt ex ſua parte, revocare? *ibid.n.*138.

An ſi quis de re aliena diſponat, & teſtamentum faciat ex beneplacito, & licentia domini, ipſius morte firmetur tale teſtamentum, ita vt non poſsit dominus illud revocare, etiamſi talem dediſſe licentiam pœniteat? *p.*499.*n.*140.

Theſaurus.

Theſaurus improprius quomodo diffiniatur? Et an ſit obligatio illum reſtituendi? *p.*145.*num.*89.

Diffinitio theſauri propriè dicti. *ibid.n.*90.

Theſaurus inventus cui adjudicandus ſit? *ibid.& ſeq. num.*91.

Inventor theſauri teneaturne in conſcientia ante Iudicis ſententiam adjudicare dimidiam partem theſauri domino loci,in quo caſu inventus eſt, vel totum, ſi fuit induſtria quæſitus? *p.*144.*n.*93.

An inventor theſauri aliquid domino loci teneatur reſtituere, ſi illum de conſenſu, & voluntate domini in eius agro quæſivit? *ibid.n.*94.

An ſi qui ſciens theſaurum eſſe reconditum in fundo alieno,illum emat, totum ſibi ipſum acquirat, ſi poſtquam emit, theſaurum quæſivit, & invenit? *ibid. num.*95.

Quis dominus loci dicatur, in quo theſaurus reperitur? *ibid.n.*96.*& ſeq.*

Quid jure Caſtellæ circa theſauros ſit diſpoſitum? *pag.* 145.*num.*98.

Tyrannus.

Rex poteſt dici tyrannus duplicitèr, vel gubernatione, vel vſurpatione Regni,ſibi non competentis. *p.*26. *num.*9.

An leges, aliás juſtæ, à Rege tyranno latæ,ſint neceſſariò obſervandæ? *ibid. n.*10.

An peccet tyrannus ferendo leges? *p.*26.*& ſeq. n.*11.

An poſsit vnuſquiſque propria authoritate occidere Principem tyranum? *p.*246.*n.*10.

An ſi tyrannus minaretur deſtructionem vrbis, niſi tradatur ei innocens, poſſet civitas illum tradere: vel ſi timeret fugam capeſſendam, & ob id civitatem deſtruendam, poſſet eum occidere? *pag.*256.*n.* 56.*&* 54.

V

VENATIO.

AN venatio, piſcatio, & aucupium in locis communibus prohiberi poſsit? *p.*136.*n.*55.*& ſeq.*

Quo peccato delinquant, & quid reſtituere teneantur qui contra edictum Principis, vel Reipublicæ prohibitionem, vel contra domini alicuius prædij particularis voluntatem in locis prohibitis venantur, piſcantur, aut aucupantur? *p.*137.*& ſeq. num.*61.

An venatio,aut piſcatio prohibita ſit aliquibus perſonis ob decentiam ſtatus? *p.*138. *n.*64.

Vitium.

Iuſtitiæ nullum vitium adverſatur per exceſſum, ſed ſolùm per defectum. *p.*123.*n.*37.

Quæ vitia opponantur juſtitiæ? *ibid.& ſeq.n.*38.

Vitium contrarium juſtitiæ legali tunc ſolùm datur, quando delinquitur contra bonum commune ex motivo illud contemnendi. *pag.*124.*num.*42.*& deinceps.*

Votum.

In voto pœnali non datur obligatio ad culpam faciendi, quod per votum promittitur, ſed ſubeundi pœnam à vovente aſsignatam, ſi talem actum non apponat. *p.*26.*num.*6.

Qui votum emittit, poteſt ſe obligare ſolum ad veniale, etiamſi materia gravis ſit? *p.*29.*n.*20.*fine.*

Notabilium.

Matrimonium contractum ab habente votum simplex castitatis validum est, & tamen illicitum. *pag.* 44. *num.* 90. *circa medium.*

Potest fieri commutatio in votis propria authoritate, si res, in quam fit commutatio, sit melior, imò evidenter æqualis. *pag.* 84. *num.* 6. *circa medium.*

Vsura.

Quid sit vsura? Quotuplex? & an sit jure positivo prohibita? *pag.* 420. *à num.* 11. *vsque ad* 13. *inclusivè.*

Vsura an sit prohibita jure naturali? *pag.* 421. *toto punct.* 3.

An vsurarius mentalis peccet, & restituere teneatur? *pag.* 424. *punct.* 4. *per totum.*

Vtrum qui bona fide celebravit contractum vsurarium, sed poterat alium justum, postea, re cognita, possit retinere, quod accepit? *pag.* 426. *toto punct.* 5.

An sit vsura mutuum dare cum onere, vt alter præstet ea, quæ ex gratitudine debentur? *pag.* 432. *à num.* 63.

Sine vsura cum pacto mutuare, vt eadem pecunia in specie, & eadem quantitas solvatur, quando pluris valitura creditur? *pag.* 433. *toto §.* 3.

An ratione periculi in recuperanda sorte possit supra sortem aliquid mutuator accipere? *pag.* 437. *toto punct.* 10.

An vsurarius acquirat dominium rei per vsuram acquisitæ? *pag.* 442. *à n.* 116.

Teneaturne vsurarius, quod per vsuram acquisivit, restituere? *ibid. & seq. num.* 111.

Vtrum teneatur vsurarius restituere, quod per pecunias, vel alias res vsura partas fœneratus est? *pag.* 443. *n.* 112. *&* 113.

Suadens vsuras an teneatur restituere, quando est causa illarum? *ibid. num.* 115.

An peccet mortaliter deponens pecuniam apud eum, qui scit ea abusurum ad vsuras? *ibidem, num.* 116.

An domini temporales, Iudices, Advocati, qui statuto, præcepto, vel alio modo causæ sunt, vt vsuræ solvantur, vel solutæ, & repetitæ non restituantur, peccent contra justitiam? *ibid. & seq. num.* 117.

An peccent, & teneantur ad restitutionem famuli vsurariorum? *pag.* 444. *num.* 118.

Vtrum possit quis acceptare ab vsurario solutionem faciendam ab eo, à quo sibi debentur pecuniæ propter vsuras? *ibid. num.* 119.

An ab vsurario vsuras petere sit peccatum? *ibidem, num.* 120.

Quæ pœnæ latæ sint contra vsurarios? *pag.* 445. *punct.* 14. *per totum.*

Vsusfructus.

Quid sit vsusfructus? *pag.* 129. *num.* 18.

Ad quid teneatur vsufructuarius? *ibid. num.* 20.

Vsus nudus.

Quid sit vsus nudus? *ibid. num.* 21.

An in rebus, quæ vnico actu consumuntur, possit dominium ab vsu primario separari? *pag.* 130. *num.* 23.

Vxor.

Vxor Legislatoris, licèt legibus illius aliàs teneretur quatum ad culpam, & pœnam, nihilominus beneficio Legislatoris censetur exempta ab ipsa lege quoad vtramque rationem. *pag.* 86. *num.* 46.

Vxorata an teneatur restituere marito aliquid ex eo, quod accepit ob adulterium? *pag.* 193. *& seq. num.* 162.

Quandonam peccet vxor peccato furti furripiendo bona mariti, & è contra maritus furripiendo vxoris bona? *pag.* 326. *toto §.* 3.

Donationes inter conjuges an sint nullæ? *pag.* 467. *num.* 100.

Quid debeat dare vxori defuncti testatoris commissarius? *pag.* 500. *num.* 147.

FINIS.



FINIS.



Copiarius

Stadt Tab
Fach 39
Fach 4
Num 15

261

1252
3924